Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/antiquitatesita04mura

The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto

ANTIQUITATES
ITALICÆ
MEDII ÆVI.
TOMUS QUARTUS.

ARNALDO FORNI EDITORE
BOLOGNA

Proprietà letteraria e artistica riservata
Tiratura limitata a 200 esemplari

ANTIQUITATES
ITALICÆ
MEDII ÆVI,
SIVE
DISSERTATIONES

De Moribus, Ritibus, Religione, Regimine, Magiſtratibus, Legibus, Studiis Literarum, Artibus, Lingua, Militia, Nummis, Principibus, Libertate, Servitute, Fœderibus, aliiſque faciem & mores Italici Populi referentibus poſt declinationem Rom. Imp. ad Annum uſque MD.

OMNIA ILLUSTRANTUR, ET CONFIRMANTUR

INGENTI COPIA, DIPLOMATUM ET CHARTARUM VETERUM

Nunc primùm ex Archivis Italię depromtarum,

ADDITIS ETIAM

NUMMIS, CHRONICIS, ALIISQUE MONUMENTIS

NUMQUAM ANTEA EDITIS.

AUCTORE

LUDOVICO ANTONIO MURATORIO

SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTO.

PALATINIS MEDIOL. SOCIIS

EDITIONEM CURANTIBUS.

TOMUS QUARTUS.



MEDIOLANI, MDCCXLI.

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PALATINÆ
IN REGIA CURIA:
SUPERIORUM FACULTATE.

The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto

MAR 1 [illegible]

29462

SERENISSIMO PRINCIPI
CAROLO CHRISTIANO,
AUGUSTI III.
POTENTISS. POLONIAE
REGIS,
ET
ELECTORIS SAXONICI
TERTIOGENITO.

QUod Quartum hunc Tomum *Antiquitatum Italicarum*, Tibi, Serenissime Princeps, dicatum voluerim, non longe quaerenda eſt cauſſa. Nam poſtquam Magnanimo Regi Patri tuo, ac Sereniſſimis Fratribus tuis natu majoribus, praecedentes Tomos ſacraverim, committendum non erat, ut erga Te, ejuſdem Regiae Familiae illuſtre etiam ornamentum, obſequii mei ſpecimen deſideraretur. Neque dubito, quin & tuae Celſitudinis gratiam initurus ſit ipſe Liber, aut ſaltem offerentis obſequioſa ac humilis voluntas; non enim poſtrema laus tua eſt, benignitate excellere, atque omnibus humanitatis officiis te excultum exhibere. Et quid heic unum te memoro? Dicam quod omnes norunt: admirationis ac voluptatis nobile ſpectaculum praebet univerſa Regalis Familia veſtra, in qua tanta Pietas, tanta animorum concordia, mores adeo compoſiti atque elegantes, uno verbo tot Virtutum complexio cernitur,

ut ſi quid video, felicior indoles, meliorque educatio in reliquis Palatiis Regum, immo & in privatorum aedibus, fruſtra fortaſſe conquiratur. Haec Regalis Aulae veſtrae ſingularis praerogativa mihi creditur. Qua ex re quantum gloriae effluat in Catholicam Religionem, quam Vos tam ſanctè colitis, & quae Vobis praecipua fuit ad Virtutem magiſtra, nemo non intelligit. Age ergo, Sereniſſime Princeps, donis in Te a Deo liberaliſſimè conlatis induſtriam tuam junge, & fac, ut tecum Virtutes una cum aetate adoleſcant. Ante oculos tuos ſtant exempla optimi Patris Regis, & piiſſimae Matris tuae MARIAE JOSEPHAE Auſtriacae Reginae. Tuum nunc eſt, Eximiis adeo Parentibus dignum Te Filium praebere egregiis operibus, atque illorum praeſertim imitatione. Quod ſupereſt, Tibi, Nobiliſſime Princeps, atque univerſae Regali Familiae veſtrae, omnia fauſta a Deo Optimo Maximo precor, ſimul enixe rogans, ut perſuaſum habeatis, me in Italia obſequio, & amore erga tantos Principes nemini concedere.

SERENISSIME PRINCEPS

Mutinae III. Non. April. MDCCXLI.

Humillimus, Obſequentiſs. & Addictiſs. Famulus
Ludovicus Antonius Muratorius.

ELENCHUS
TOMI QUARTI.

DISSERTATIO XLV.

DE aſſumpta a Civitatibus Italicis Reipublicæ formâ, atque origine libertatis. pag. 1.

DISSERTATIO XLVI.

De Civitatum Italicarum Magiſtratibus. pag. 47.

OCULUS PASTORALIS, ſive Libellus erudiens futurum Rectorem Populorum, *Anonymo Auctore*, conſcriptus circiter Annum MCCXXII. Ex Manuſcripto Codice *Philippi Argelati* Bononienſis S. C. C. M. a Secretis. pag. 93.

FRAGMENTA FULGINATIS HISTORIÆ ab Anno MCXCVIII. uſque ad MCCCXLI. Auctore *Bonaventura Benevenuti* Fulginate, cum Notis doctiſſimi Viri *Juſtiniani Pagliarini* Fulginatis. pag. 135.

FRAGMENTA FULGINATIS HISTORIÆ, ex alio MSto Codice deſumta, ab Anno MCCCCXXIV. uſque ad MCCCCXL. Auctore *Petruccio de Unctis* Fulginate. pag. 149.

DISSERTATIO XLVII.

De amplificata Civitatum Italicarum dominatione, ac potentia. pag. 157.

DISSERTATIO XLVIII.

De Societate Lombardorum, aliiſque Civitatum Italicarum, ſervandæ libertatis cauſsâ, & de Pace Veneta, & Conſtantienſi. pag. 247.

DISSERTATIO XLIX.

De Civitatum Italicarum Fœderibus, ac Pacibus. pag. 337.

DISSERTATIO L.

De Libertate, Immunitatibus, ac Privilegiis Civitatum, ac Principum Italicorum. pag. 463.

STATUTA CIVITATIS PISTORIENSIS Anno Chriſti MCXVII., & circiter Annum MCC. condita, una cum Notis Clar. Viri *Huberti Benvoglienti*. pag. 525.

DISSERTATIO LI.

De origine, & progreſſu in Italia Gibellinæ & Guelphæ Factionum. pag. 603.

DISSERTATIO LII.

De Regimine, ac diviſione Nobilium & Plebis in Civitatibus Liberis Italiæ. pag. 649.

DIS-

DISSERTATIO LIII.

De Inſtitutione Militum, quos *Cavalieri* appellamus, & de Inſigniis, quæ nunc *Arme* vocantur. pag. 675.

DISSERTATIO LIV.

De Principibus, aut Tyrannis Italiæ. pag. 697.

DISSERTATIO LV.

De Repreſaliis. pag. 739.

DISSERTATIO LVI.

De Religione Chriſtianorum per Italiam poſt Annum Chriſtianæ Epochæ quingenteſimum. pag. 761.

DISSERTATIO LVII.

De Ritibus Ambroſianæ Eccleſiæ pag. 831.

BEROLDI MEDIOLANENSIS Ordo & Ceremoniæ Eccleſiæ Ambroſianæ circiter Annum MCXXX. pag. 861.

BREVE CHRONICON Regum Langobardorum, & Auguſtorum Francici Generis ab Anno Chriſti DLXVIII. uſque ad Annum DCCCLXXXIII. e MSto Codice *Patavino*. pag. 941.

EXCERPTA EX CHRONICO JORDANI ab Anno circiter DCCCCL. uſque ad MCCCXX. Nunc primùm prodeunt ex Manuſcripto Codice *Bibliothecæ Vaticanæ*. pag. 947.

CHRONICON SUBLACENSE, ſive CATALOGUS Abbatum Monaſterii Sublacenſis ab Anno Chriſti circiter DXCV. uſque ud MCCCXC. Auctore Monacho Sublacenſe *Anonymo*. Nunc primùm prodit ex Manuſcripto Codice *Romano*. pag. 1035.

RICHARDI Cluniacenſis Monachi CHRONICON ab Imperio Caroli Magni, ſive ab Anno Chriſti DCCC. uſque ad Annum MCLXII. Nunc primùm luce donatum ex MSto Codice *Bibliothecæ Vaticanæ*. pag. 1075.

CHRONICON PATAVINUM ab Anno Chriſti MCLXXIV. uſque ad MCCCXCIX. Auctore *Anonymo*. Nunc primùm luci redditum ex MSto Codice *Bibliothecæ Eſtenſis*. pag. 1115.

INSTRUMENTUM PACIS a Fratre *Johanne Vicentino* Ord. Præd. initæ in agro Veronenſi inter Guelfos & Guibellinos coram Populis complurium Civitatum, Anno Ch. MCCXXXIII. pag. 1172.

DE ASSUMTA
A CIVITATIBUS ITALICIS
REIPUBLICÆ FORMA,
ATQUE
ORIGINE LIBERTATIS
IN IIS.

DISSERTATIO
QUADRAGESIMAQUINCTA.



DE ASSUMTA
A CIVITATIBUS ITALICIS
REIPUBLICÆ FORMA,
ATQUE
ORIGINE LIBERTATIS
IN IIS.

DISSERTATIO
QUADRAGESIMAQUINCTA.

QUicumque in Hiſtoria veteri aliquantulum verſatus eſt, aut ad ea, quæ in ſuperioribus Diſſertationibus ego attuli, animum adjecit, probe novit, Italicas Urbes (ſi Romano Pontifici loca ſubjecta excipias) regnantibus Langobardis & Francis Regibus, multiſque etiam deinde annis, ſingulas *Comiti* aut *Caſtaldio* ſuo paruiſſe, qui præter alios Magiſtratus minores loco Regis militiam regebat, atque juſtitiam ſubjectæ genti miniſtrabat. *Marchionibus* verò, ſive *Ducibus*, quibus in deſignatas Provincias, aut Marchias, ſive Ducatus, jus tribuebatur a Regibus, ſubfuiſſe eoſdem Comites. Rurſus idem norit, pleraſque ex hiſce Urbibus Sæculo XII Reipublicæ formam ac regimen aſſumſiſſe, fœdera iniiſſe, bella geſſiſſe, uno verbo cetera peregiſſe, quæ ad liberas, ſuique juris Urbes pertinent. Tanta rerum metamorphoſis, ex qua attenuata non parum fuit Regia, ſive Imperialis auctoritas, unde originem duxerit, quove tempore cœperit, ſi quiſquam ſciſcitetur, obſcuram quidem rem ſed rem magni momenti, immo maximi ad Hiſtoriam Italicam, ideoque minime negligendam, poſcat. Ego quid lucis inter tenebras ex veterum Scriptorum, ac monumentorum inopia offuſas detexiſſe mihi ſum viſus, paucis nunc indicabo. Clariſſimum Mutinenſis Urbis ornamentum Sigonius Lib. 10. de Regno Italiæ, ad Annum Chriſti MCVI. cenſuit, ſub Henrico inter Reges V. inter Imperatores Quarto, qui eodem Anno, ſublato patre, tutius regnare cœpit, ſtatuenda eſſe primordia Italicæ Libertatis. *Im-*

perium inde, ait ille, *Henrici filii novum quaſi ſtabiliendæ Libertatis ac dominationis initium ab Italicis ipſis eſt habitum. Nam hoc imperante Mediolanenſes, atque adeo etiam eorum exemplo alii, Libertate luxuriantes, ac Regis arma deſpicientes, controverſias, quæ Regis ante componi ſententiâ conſueverant, armis diſceptare inſtituerunt, atque ad hanc rationem ſuam ſinguli Rempublicam contulerunt*. Ita Sigonius: cujus ſententiæ ſua fundamenta non deſunt; nam revera, uti infra conſtabit, tunc in Libertatem acrius atque copioſius aſſurrexere Populi Italici, ac præcipuè Lombardi. Mihi tamen liceat quædam rudimenta atque veſtigia arreptæ auctoritatis longe ante ipſum Henricum prodere: neque enim Civitates repentinâ ſeditione, ſed moderato gradu eò devenere, ut ſibi plenam Libertatem, dominationemque tamdem adſciverint. Uſque ad mortem Ottonis II. Auguſti, hoc eſt, uſque ad Annum DCCCCLXXXIII. in officio ſeſe continuere Italici Regni Proceres, & Urbes. Regiis, aut Auguſtalibus Præfectis aſſueta gens parere, quem concordia vota in eligendo, aut ſucceſſionis jus, aut belli fortuna Regem conſtituebant, hunc reverebantur; & ſi qui interdum Epiſcopi, Marchiones, aut Comites nova moliti ſunt, aut in apertam rebellionem erupere, armis & vi meliora amplecti conſilia coacti ſunt. Impuberem poſt ſe filium, Ottonem III. videlicet, reliquit Otto II. Si fides brevi Chronico Regum Italiæ, quod Tomo 2. Anecdotor. pag. 204. evulgavi, *defuncto Secundo Ottone, fuit tunc Regnum ſine Rege, Annos V. & Menſes IX.* Profectò diuturnum hujuſmodi Interregnum, atque Ottonis III. tamdem ad Regnum aſſumti imbecillis ætas, ejus non brevis abſentia ab Italico cælo, in cauſa mihi fuiſſe videntur, cur Civitates aliquæ in Italia tum cœperint attollere caput, ac meditari conſilia Libertatis. Et in ea quidem tempora conjiciendos puto Mediolanenſis Urbis funeſtos motus. Teſte Arnulpho in Hiſtor. Mediolanenſi Lib primo Cap. 10. Tomo IV. Rer. Italicarum, Landulphus Mediolanenſis Archiepiſcopus (is Anno DCCCCLXXVIII. conſecratus, Anno DCCCCXCVII. finem vivendi fecit) *propter nimiam patris ac fratris inſolentiam, gravem Populi perpeſſus eſt invidentiam: inſtabant enim præ ſolito Civitatis abuti Dominio*. Urbis dominatio temporibus iis apud Archiepiſcopum fuiſſe videtur e conceſſione Ottonum Cæſarum. *Unde Cives indignati una ſeſe conjuratione ſtrinxerunt. Inde civilis ſeditio, ac partium eſt facta diviſio. Quibus continue rixantibus, grande commiſſum eſt in Urbe certamen*. Tum Præſul cum fratribus ſolum vertere coactus eſt. *Iterum autem collecto ex diverſis partibus agmine, conflixit eiſdem cum Civibus in Campo Carbonariæ, ubi facta eſt plurima cædes utrinque*. Victoria ſtetit a Populo; ſed pax tamdem odia diſſolvit, atque inter diſſentientes fœdus ſucceſſit. Viden' heic Mediolanenſem Populum aliquam jam ſpeciem dominationis arripere, ac prœlia inire excuſſo Archiepiſcopi imperio, quem tamen eidem præfecerant Auguſti? Hæc veſtigia naſcentis Libertatis.

Sed ubi confirmatâ ætate in Italiam deſcendit Otto III Rex, poſtea Imperator, ad antiquum ordinem ac regimen cuncti rediere. Anno deinde MII. quum nullam prolem poſt ſe Otto III. moriens reliquiſſet, multique ex Italicis Principibus contenderent, ex ſuâ, non

A autem ex Germanicâ gente, Regem Italiæ deligendum: tunc inter Magnates ac Populos Italicos grave ſchiſma invaluit, hinc Arduino Eporediæ Marchione Rege conſalutato, inde Henrico II. Germaniæ Rege ad eamdem coronam adſcito. Diſcordem hunc animorum motum conſequuta ſunt bella, prædæ, ac incendia. Tamdem Arduino dejecto, Henricus piiſſimus Cæſar Regnum pacifice tenuit. Eâ igitur occaſione cœpere, ut puto, Italici majora cogitare, ſibique plus tribuere, quàm antea licuiſſet Ticinum Anno MXIV. profectus Henricus, & comiter exceptus, Populum deinde tumultuantem, immo rebellantem ſenſit: quæ res non levem Civium eorum cædem,

B ipſiuſque Urbis teterrimum incendium peperit. *Domitâ Papiâ*, inquit Adelboldus Epiſcopus in Vita Sancti Henrici, *tota concutitur Italia. Civitates, ad quas Rex nondum venerat, obſides ultro tranſmittunt, fidemque debitam per ſacramenta promittunt*. Indignati Cives Ticinenſes iram continuere uſque ad ſancti Imperatoris obitum: quo audito, furore conciti Regium Palatium, potiſſimum antea Ticinenſis Urbis decus, flammis dedere, atque ab imis fundamentis dejecere. Ægre tulit hujuſmodi injuriam Conradus Henrici ſucceſſor, Anno MXXIV. electus; & quamquam, ut Wippo in ejus Vita tradit, ad ejus coronationem *Ticinenſium Legati adeſſent, cum muneribus &*

C *amicis molientes, ut Regem pro offenſione Civium placarent, id adipiſci a Rege nullo modo valuerunt*. Tum eodem Hiſtorico teſte in Italiam ingreſſus, *Papienſes in gratiam recipere noluit*; eorum verò Urbem, *quoniam valde populoſa fuit, ſubitò capere non potuit; per biennium tamen omnes Ticinenſes afflixit*. Hæc utique Ticinenſium acta ſi rebellionis nomine notare velis, certe per me liceat: nihilominus hinc ſatis elucet, jam tum eos Cives dominationem arripuiſſe; ceteras verò Civitates, quæ ut ſupra vidimus, *obſides tranſmiſere* ad Henricum Auguſtum, aliquam Reipublicæ formam prætuliſſe. Teſtibus etiam Annalibus Piſanis, Tomo VI. Rer. Italicarum, jam Anno MII. &

D MIV. *Piſani vicerunt Lucenſes*. Anno MVI. *Piſani & Januenſes devicerunt Sardineam*. Mitto cetera, e quibus facile intelligas, Tuſciæ Populos, & Genuenſes eo etiam Sæculo ita fuiſſe compoſitos, ut aliquâ ſaltem Libertate fruerentur. Verùm iis Annalibus, utpote ſerius quàm vellem conſcriptis, neſcio an ſit penitus fidendum. Quod mihi certum videtur, Anno MLXXXI. Piſana Civitas pacta compoſuit cum Henrico IV. Germaniæ ac Italiæ Rege, quæ Ughellius Tomo 3. Ital. Sacr in Archiepiſcop. Piſanis evulgavit. Multa ibi occurrunt, in hanc rem attente conſideranda. Illud verò in primis, quod Henricus ipſe pollicetur, inquiens: *Nec Marchionem aliquem in Tuſciam*

E *mittemus ſine laudatione hominum duodecim Electorum in colloquio facto ſonantibus campanis*. Hæc indicant, jam conſtituta Conſilia Populi Piſani, eiſque multum auctoritatis collatum fuiſſe. Incertus ſum de tempore, quo pronuntiatus fuit Sermo, quem memini me olim legere in Codice MSto Ambroſianæ Bibliothecæ, ſub Literâ Q. num. 283. in folio. Is inſcribitur: *Sermo Domni Uberti venerabilis Abbatis*. Eſt autem exhortatio ad virtutes. Præcedit hæc præfatio: *Non eſt bonum notam præſumtionis incurrere: ſed pejus eſt, patris amici precibus non obaudire. Altero quippe fama minuitur; verùm altero quippe Caritas læditur* &c.

Rega-

Rogatus igitur , ut Sermonem , quem imperante Reverentiſſimo Domino ac Patre noſtro Archiepiſcopo ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ B. Teclæ habuimus , ſcripto mandarem , licèt diffidam de ingenio , tamen de Caritatis auxilio , cujus hoc opus eſt , præſumens , amico morem gerere non abnuo . Nuper igitur in præfata Baſilica nobis reſidentibus , viſâ tam præclarâ & ordinatâ filiorum Levi multitudine , competenter occurrit dicendum illud Principis Apoſtolorum : „ Vos autem genus electum „ &c. Illic autem hæc præcipue verba ſunt animadvertenda , ad Mediolanenſem Populum ſpectantia : *Tu ſupplantare quæris Cremonenſem , ſubvertere Papienſem , delere Novarienſem . Manus tua contra omnes , & manus omnium contra te* &c. *O quando erit illa dies , ut dicat Papienſis Mediolanenſi : Populus tuus Populus meus . Cremenſis Cremonenſi : Civitas tua Civitas mea* &c Quo tempore habitus fuerit prolixus hic Sermo , decernere nequaquam auſim . Sunt quæ indicare videantur , circiter Annum MXX. ſiquidem ante Sermonem iſta leguntur : *Hæc minuta laboris ſui mittit in gazophylacium Sancti Ambroſii devotio Pauli & Gebehardi , obſecrans gratiſſimam Karitatem tuam , fideliſſime cuſtos Martine , ut eorum in orationibus memoriam digneris frequentare , & fratres vice ipſorum ſalutare* . Uti ex Puricellio & ex Mabillonio in Muſeo Italico conſtat , Paulus & Gebehardus Presbyteri circiter Annum MXX. Mediolani floruere . Attamen dubius ſum , an eorum verba Sermonem ſubſequentem reſpiciant , & nihil de ipſius Sermonis , & Huberti Abbatis tempore affirmandum duco . Quod ſi tempeſtate illâ hic fuerit pronuntiatus , jam habere mus , Rempublicam Mediolanenſem ſub exordium Sæculi a Chriſto nato Undecimi conſtitutam . Arnulphus Mediolanenſis nuper laudatus Lib. 1. Cap. 7. ſcribit , Conrado I. imperante , preſſam fuiſſe obſidione Laudenſem Urbem ab Heriberto Archiepiſcopo & copiis Mediolanenſium , civeſque coactos fuiſſe accipere novum Epiſcopum : *Ab illo tempore inter Mediolanenſes atque Laudenſes implacabile viguit odium , unde poſtea per multa annorum curricula prædas & incendia , cædeſque alternant innumeras.* En Populum circiter Annum MXXVIII. bella gerentem adversùs alterum , ſcilicet auctoritatis & Libertatis indicium .

Hiſce adde quæ ſub eodem Conrado apud Inſubres peracta ſubinde fuere . Sigebertus Gemblacenſis in Chronico ad Annum MXXXIX. Auguſtum hunc in Italiam rediiſſe ſcribit, *quia omnes Longobardi conjuraverant , ut non paterentur quemlibet Dominum , qui aliud quàm ipſi vellent , contra ſe ageret* . Propterea Heribertus Mediolanenſis Antiſtes ipſius Conradi juſſu carceri datus eſt ; ſed inde ſagaciſſime elapſus , Mediolanenſes Cives ad arma convertit , & Auguſto irato fortiter obſtitit. Iſta quidem non Anno MXXXIX. ut Sigebertus refert , ſed Anno MXXXVII. contigere, ut auctor eſt Wippo ſynchronus Scriptor ; & in A ſubſequentes duos annos eadem perturbatio deducta eſt , fruſtra per Imperatorem Mediolanenſis Urbis obſidione tentatâ . Diſſidii ac belli hujus luculentam mentionem habes apud Landulphum ſeniorem, & Arnulphum , Scriptores Mediolanenſes illius Sæculi , Tomo IV. Collectionis Rer. Italicarum . Excogitare hæc non poſſumus , quin ſimul intelligamus , tunc a Mediolanenſibus ſuſceptam aliquam Reipublicæ formam , cui tamquam caput Archiepiſcopus præfuerit ; Magiſtratus verò Imperiales expulſos , novos verò e Civibus adlectos , qui jus redderent , & militares copias pro rerum neceſſitate ductarent . Paria quoque molitos fuiſſe Cives Cremonenſes , ex Diplomate ejuſdem B Conradi apud Ughellium in Vita Hubaldi Epiſcopi Cremonenſis compertum habeo . At e vivis erepto Conrado Auguſto filius ejus Henricus inter Reges Tertius Anno eodem MXXXIX. ſucceſſit , ad quem Chronographo Saxone teſte e veſtigio convolans Heribertus Archiepiſcopus , *de controverſia ſua , quam contra Cæſarem exercuit , ſatisfaciens , interventu Procerum gratiam Regalem recepit , rurſuſque juramento pacem ſervaturum affirmans , patriam remeavit* . In Pacis fœderibus tunc ſtabilitis inter Henricum III. & Mediolanenſes , poſſit quiſquam opinari , illud præcipue decretum fuiſſe , ut Regales ſive Imperiales Magiſtratus in Urbe reſtituerentur . Et ſane hanc C in rem proditum volo gratiſſimum mihi geminum antiquitatis monumentum , nempe duo Placita Mediolani habita Anno MXLV. e quibus intelligas , qui tum Civitati præclariſſimæ Regis vice præeſſet . Fortaſſis etiam Regius Præfectus Mediolanenſibus redditus eſt , tantummodo poſt extinctum bellum civile Mediolanenſium Anno MXLI. inchoatum. Tunc enim Henricum cogitaſſe , quomodo *Urbem Mediolanenſium ſuis poſſet imperiis reintegrare* , tradit Landulphus ſenior Hiſtoricus Mediolanenſis Lib. 2. Cap. 26. Accedit , quod auctoritas Heriberti Archiepiſcopi etiam in temporali dominatione Mediolanenſis Urbis magnifica fuit , ita ut is ex Auguſtorum Privilegio Comes & D Rector Civitatis fuiſſe videatur . At is morte ſublatus Anno MXLV. Januario decurrente , non verò Anno MXLVI uti Puricellius contendit , locum novis Magiſtratibus ab Henrico III. Rege adlectis feciſſe credendus eſt. Animadvertenda etiam , quæ idem Landulphus tradit Lib. 3. cap. 2. nempe Mediolanenſes *aliquantis diebus poſt præclariſſimi Hereberti deceſſum* , hoc eſt , Februario Menſe Anni MXLV. Legatos miſiſſe *ad Imperatorem Henricum , qui noviter ſurrexerat , noviterque Populum ipſum a Majorum* (ideſt Nobilium) *manibus liberaverat* . Hæc produnt , Mediolanenſem Populum *noviter* , hoc eſt , non ita multo ante ad officium rediiſſe , atque Henrici E Auguſti Magiſtratibus ſeſe ſubjeciſſe . Chartæ verò iſtæ deſcriptæ fuerunt ex autographis exiſtentibus in Archivo inſigni Collegii Canonicorum Baſilicæ Ambroſianæ Mediolanenſis .

Placitum

Placitum Mediolani habitum ab Azone Marchione, ejus Urbis Comite, ubi Canonicis Baſilicæ Ambroſianæ tutela conceditur pro ſundo Axiliano, Anno 1045.

DUm in Dei nomine, Civitate Mediolani, in laubia ſolario proprias habitationis Arioaldi Judex, per ejus data licentia in judicio adeſſet DOMNVS AZO MARCHIO, ET COMES ISTIUS CIVITATIS, ſingulorum hominum juſtitiam faciendam ac deliberandam, reſidentibus cum eo ſupraſcripto Arioaldus, Jonam, Amizo, Waldo, qui & Lanzo, Richardus . . . . . , Arduinus, Ariprandus, Lanfrancus, Petrus, Judices ſacri Palatii, Lanzo, Benno germanis, Adelbertus de Pariana, Arminus, Benno, Vaſſalli de ſupraſcripto MARCHIO, & reliqui plures: ibique eorum venerunt preſentia Petrus & Ambroſius Presbiteris de ordine Decomanorum ſancte Mediolanenſis Eccleſie, Officiale Baſilice beati Chriſti Confeſſoris Ambroſii, ubi ejus ſanctum quieſcit Corpus, una cum Petrus Avocato eorum, ceperunt dicere adverſus DOMNUS AZO MARCHIO: Nos volumus, ut Vos ſuper nos, & ſuper res illas, quæ rejacet in loco & fundo Axiliano, vel in ejus territorio, qui fuerunt jure quondam Arderici, mittatis bannum, cum legitime eſſe poteſt. Tunc ibi locum in eodem judicio miſit eodem DOMNUS AZO MARCHIO bannum ſuper eoſdem Presbiteris & Petro Avocato eorum, & eiſdem rebus, ut nullus quislibet homo de eiſdem rebus
A ſine legali judicio deveſtire audeat Eccleſia ipſa Sancti Ambroſii, ſe compoſiturum agnoſcat mille Mancuſos aurei, medietatem Camere Domni Regis, & medietatem pars ipſius Eccleſie Sancti Ambroſii. Et finita eſt cauſa. Acta notitia pro ſecuritatem eorum Presbiteris & Petro Avocato eorum fieri admonuerunt. Quidem & ego, qui ſupra Ardericus Notarius ex juſſione ſupraſcripto MARCHIO, & Judici amunitione ſcripſi, Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Quadrageſimo Quincto, Menſe November, Indictione Quartadecima.

✠ Signum ſupraſcripti DOMNI AZONI MARCHIO, qui hoc ſignum
B fecit, & interfuit.

Arioaldus Judex interfui.
Ego Waldo, qui & Lanzo, Judex ſacri Palatii interfui.
Ego Lanfrancus Judex ſacri Palatii interfui.
Jonam Judex interfui.
Ariprandus Judex interfui.
Petrus Judex interfui.
Arduinus Judex interfui.
Ricardus Judex interfui.
Ego qui ſupra Ardericus Notarius ſcripſi & interfui.

Alterum Placitum Mediolani ab eodem Azone Marchione habitum ipsâ de cauſsâ, Anno 1045.

DUm in Dei nomine, Civitate Mediolani, in laubia ſolario propria abitationis Arioaldi Judex, per ejus data licentia, in judicio adeſſet DOMNUS AZO MARCHIO ET COMES iſtius Civitatis, ſingulorum hominum juſtitiam faciendam ac deliberandam: reſidentibus cum eo Arioaldus, Amizo, Lanfrancus, Waldo qui & Lanzo, item Lanfrancus, Richardus, Ariprandus, Petrus, Teudaldus, Judices ſacri Palatii, Lanzo, Adelbertus, Arnaldus de Maderniano, Gandulfus, Adam germanis, Johannes, & Albericus, Buro, Landulphus filius Raimberti, Geroinus, & Aldo germanis, Remedius, Azo, Rolandus, & reliqui plures; ibique eorum veniens preſentia Petrus Presbiter de Ordine Decomanorum ſancte Mediolanenſis Eccleſie, Officiale Baſilice Sancti Ambroſii, qui dicitur ad Corpus, & filius quondam Ariverti de iſta Civitate, una cum Adam Avocato ſuo, ceperunt dicere: Abemus & detinemus ad proprietatem iſta Eccleſia ipſius Sancti Ambroſii rebus illis omnibus, quibus ſunt poſitis in loco & fundo Axiliano & in ejus territorio, qui fuerunt juris quondam Ardericus. Et ſi quislibet homo adversùs nos, & ad partem iſtam Eccleſia aliquid dicere vult, paratus ſum cum eo exinde ad ratione ſtandum, & legiptime finiendum. Et quod plus eſt, querimus, ut dicat exinde iſte Ariprandus, qui hìc preſens eſt, ſi eadem res, quam ſupra nominavimus, propria iſta Eccleſia eſt,
C aut ſi contradicere aut ſubtrahere querat, an non. Cum ipſe Petrus Presbiter, & Adam Avocato ſuo taliter retuliſſent, ad hec reſpondens ipſe Ariprandus dixit & profeſſus eſt: Verè eaſdem res, quas ſupra denominaſtis, proprias de eaſdem Eccleſia ſunt: & ego contradicere aut ſubtrahere non quero; nec mihi ad habendum, nec requirendum nihil pertinet, nec pertinere debet cum lege, pro eo quod exinde nullum ſcriptum, nullam firmitatem, nullamque rationem habeo, nec habere poſſo. Set, ut dixi, proprias eaſdem Eccleſia ſunt, & eſſe debent cum lege. Et reſpondit ſe ipſe Ariprandus, vel ſuos eredes, ut ſi unquam in tempore de predictas res agere aut cauſare vel
D removere preſumpſerint per ſe, aut ſua ſumittente perſona, & taciti & contempti exinde non permanſerint, vel ſi apparuerit ullum datum aut factum, vel colibet ſcriptum, quod nos exinde in alia parte claruerit, tunc componere promitto dubla eaſdem res, ſicut pro tempore fuerit melioratas, aut valuerit per extimatione in conſimile locas; inſuper pena argenti denarios bonos Libras centum. His actis & manifeſtatio, ut ſupra factum, rectum eorum judicium & auditoribus paruit eſſe: & judicaverunt, & juſta eorum profeſſione & manifeſtatione, ut ipſe Petrus Presbiter cum Adam Avocato ſuo abeant & teneant ad proprietatem predicta Eccleſia Sancti Ambroſii eaſdem res: & ipſe Ariprandus & ſuos heredes maneant exinde

omni

omni tempore taciti & contempti. Et finita eſt cauſa. Et acta notitia pro ſecuritate eorum Petri Presbitero, & Adam Avocato ſuo fieri admonuerunt. Quidem & ego Ardericus Notarius ex juſſione ſupraſcripto MARCHIO, *& Judici amunicione ſcripſi, Anno ab Incarnacione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleximo Quadragexximo Quinto, Menſe November, Indictione Quartadecima.*

✠ *Signum ſupraſcripto* DOMNI AZONI MARCHIO, *qui hoc ſignum Crucis fecit, & interfuit.*

✠ *Arioaldus Judex interfui & ſubſcripſi.*

✠ *Ego* Waldo, *qui & Lanzo, Judex ſacri Palatii interfui.*

✠ *Richardus Judex interfui.*

✠ *Ego Lanfrancus ſummus Judex ſacri Palatii interfui.*

✠ *Ariprandus Judex interfui.*

✠ *Petrus Judex interfui.*

✠ *Ego qui ſupra Ardericus Notarius ſcripſi & interfui.*

Evulgaveram ego Par. I. Cap. 6. Antiquitatum Eſtenſium Chartam, ex Archivo Eſtenſi depromptam, in qua Anno MCLXXXIV. Fridericus I. Imperator *inveſtivit Marchionem Obizonem de Heſt de Marchia Genuæ, & de Marchia Mediolani, & de omni eo, quod Marchio Azzo habuit & tenuit ab Imperio*. Inde verò deducebam ego, celeberrimum *Azzonem Marchionem*, propagatorem minime dubium Regiæ Brunſvicenſis Familiæ in magna Britannia imperantis, & Ducalis Eſtenſis Familiæ Mutinæ &c dominantis, ſimulque illius majores, *Azzonem I. Marchionem*, *Obertum Marchionem*, *ſacri Palatii Comitem*, atque alios ejuſdem proſapiæ, Mediolanenſi olim Marchiæ præfectos fuiſſe. Verùm, quod eſt ad ipſum *Azzonem II. Marchionem*, nihil ex antiquitate mihi ſuccurrebat, quo rem luculentius confirmarem. En ut Anno MXLV. Regiæ Præfecturæ munere Mediolani fungebatur *Azo Marchio & Comes iſtius Civitatis*. Pari modo etiam occurrunt Marchiones Tuſciæ olim, qui ſimul Civitatis Lucenſis Comites erant, & ad Annum DCCCC. alibi vidimus *Sigefredum Comitem Palatii, & Comitem Comitatus Mediolanenſis*. Quare vix ullus in poſterum dubitationi locus eſt futurus, quin & Obizonis Marchionis Eſtenſis Avus *Azzo II. Marchio*, Civitati Mediolanenſi præfuerit. Quamdiu Azzo Marchio ſplendidiſſimam Urbem illam Regio nomine gubernarit, & quamdiu ibi reliqui Regales Magiſtratus ſubſtiterint, minime compertum habeo. Eos cedere coactos fuiſſe, ſtatim ut Henrici III. ſupra memorati mors evulgata eſt, mihi perquam veriſimile videtur ex eis, quæ Arnulphus Mediolanenſis Auctor æqualis in ſua Hiſtoria habet Lib. 3. Cap. 6. Tomi IV. Rer. Italicarum. Poſtquam enim ſcripſit *Regnante infantia* Henrici IV. Regis; Ticinenſes aſpernatos fuiſſe Epiſcopum ſibi datum, ſubinde hæc addit: *His diebus inter ipſos* (Papienſes) *& Mediolanenſes de cauſſis civilibus emergit diſcordia* &c. *Inde erat, quod ſibi rependebant ad invicem cædes prædas, & incendia, nec non & latrocinia. Factum eſt autem, ut Papienſes, dum inferiores eſſent, conductis aliunde pretio legionibus ad devaſtandos Mediolanenſium fines accederent. Mediolanenſes verò, confœderatis ſibi Laudenſibus, in illos inſurgerent. Conveniunt utræque in campis acies ordinatis agminibus, vexilla in ſublime ferentes. Fit vehemens partium in ſeſe concurſus: bacchantur certando diutius; divertunt tandem Papienſes a bello, adverſariis inſequentibus illos a tergo. Fit ſtrages immenſa Nobilium equitum* &c. Hæc legens, vix falli me poſſe puto, ſi dixero, heic aperte cerni immutatam regiminis formam inter Galliæ Ciſalpinæ Populos, eoſque ſpeciem non obſcuram jam vendicatæ Libertatis præferre. Nulla heic mentio Marchionis, nulla Comitum. Populi ipſi inſtructis aciebus *bella* inter ſe gerunt, *fœdera* ſtatuunt, *legiones extraneas* ſibi adjungunt, & quidquid ad liberum Populum ſpectat, agunt circiter Annum Chriſti MLVII. Suſpicari ergo liceat, ſub Rege puerulo impetraſſe pleraſque Urbes, & pecuniâ quidem intercurrente, ut a ſe delectis Magiſtratibus parerent, illesâ ſemper ditione ſupremâ Regis, ejuſque Camerâ, & appellationibus ad Comitem ſacri Palatii deferendis, qui fortaſſis eo Sæculo ſe Laumellum recipere coactus fuit, ut in Diſſertatione VII. *de Comitib. Palatii* animadverti. Succeſſere deinde turbæ Mediolani propter Sacerdotes ad uxores, Græcorum more inhiantes, quorum tumultuum narrationem habes in Hiſtoriis Landulphi ſenioris, atque Arnulphi. Bella, cædes, obſidiones interceſſere eâ occaſione. Landulphus & Herlembaldus Laici primas contra Presbyteros duxere, vexillo etiam erecto uſi, quo uti conſuevere Populi Libertate donati. Ibi hæc & alia legat, qui velit. Mihi interim mutationis hujus clariora veſtigia ſublucere videntur in iis, quæ idem Landulphus ſenior Lib. 2. Cap. 26. literis conſignavit *de civili diſcordia, quæ fuit inter Capitaneos & Valvaſſores ex parte una, & Populum Mediolanenſem ex altera*; & quidem vivente adhuc Henrico II. Imperatore incepta. Antiquos ipſe *Duces* commemorat ac laudat, qui Mediolanenſem Urbem *animi ſcientiâ, corporis virtute regere ac tutare ſolebant*, adjiciens, *amiſſum ab iis dominium per quamdam negligentiam. Qui prout eorum dignitas atque nobilitas exigebat, per tempora in Palatiis juxta Eccleſiam Sancti Protaſii morantes, quidquid honeſtum erat, Civitati curioſe procurabant*. Deſcribere etiam pergit reliqua Ducum egregia facta, & in hæc tamdem verba definit. *At poſtquam, neſcio quibus de malis cauſis honorificentiam, atque ſuarum dignitatum magnificentiam Duces novitiis Capitaneis paullatim dederunt, maximis nudati honoribus, antiquorum, & ſuorum parentum reverentiam obliti, in honoribus cunctis annullati ſunt. Itaque univerſus Populus reverentiam & debitum, quod Ducibus impendere ſolebant, paucis Capitaneis, quos Duces ſublimaverant, exigebant*. Quid nomine *Ducum* ſignificet Landulphus, non ſatis exploratum eſt. Attamen vix aliud intelligere poſſimus, quàm *Comites* & *Marchiones*, qui Duces militiæ erant. Hos excidiſſe e regimine Civitatis Mediolanenſis, & eorum loco ſucceſſiſſe *novitios Capitaneos*, ſat aperte prodit Landulphus, ac potiſſimum quòd infra adjiciat: *Interea univerſus Populus ſuorum malorum per diverſos ac varios Dominos mala videns creviſſe, durius habens dominium ſuorum Civium, quàm Ducum quondam ſuorum, tentando eventus bellorum varios, ab illorum dominio ſeſe defendere ac liberare diſpoſuit*. Recenſet deinde Hiſtoricus ſubſequutum bellum inter Nobiles ac Populum Mediolanenſem, cujus eſt etiam mentio apud Wipponem in Vita Conradi & apud Arnulphum Mediolanenſem Lib. 2. Cap. 10.

10. Atque hæc ſcribebat Landulfus circiter Annum MLXXXV. quo tempore, ut vides, jam invaluerat Mediolani durum *dominium ſuorum Civium*, & expiraverat dominum *Ducum quondam ſuorum*; immo & Auguſtorum. Nam Landulpho ipſo teſte, fervente ipſa Civium Mediolanenſium diſcordiâ, Henricus inter Auguſtos II. cum Lanzone principe Populi Mediolanenſis egit, ut ibi fidelitatem Cives jurarent, ſuaſque copias in Urbem immitterent: quod poſtea effectu caruit. Quæ verò novi regiminis tunc forma Mediolani fuerit, ſublatis eorum temporum monumentis, imaginari quidem, non autem explicare quiſquam rite poſſit. Quod tamen nunc nobis propoſuimus, tenere jam certo videmur: nempe ante Henrici V. Regis exordia, atque ante Sæculum XII. invectam fuiſſe peculiarem aliquam, ne dicam integram Libertatis ac Reipublicæ ſpeciem Mediolani, atque inter alios quoſdam Populos Ciſalpinos, incolumi ſupremo Regum aut Imperatorum dominio. Narrat Arnulphus Lib. 2. Cap. 19. flagrante bello inter Nobiles & Plebem Mediolanenſem, *veniſſe ab Auguſto Legatos, treguam inviolabilem indicentes*. Confeſtim poſitis armis obtemperatum eſt.

Sed quid ſi longe etiam antea Nobiles viri, hoc eſt, Milites, Capitanei, Valvaſſores, & reliqui id genus Nobiles, ſpecimen aliquod conſtituerint Univerſitatis & Corporis, ad quod acceſſerint privilegia Imperatorum? Ego ſupra hac de re egi in Diſſertatione XVIII. *de Republica*. Certe dignum eſt, quod intentis oculis legatur Diploma Henrici Secundi Regis, Primi verò inter Auguſtos. Hauſi ego illud una cum aliis, ubi *Arimanni Mantuani* commemorantur, a me ſupra editis in Diſſertatione XIII. *De Hominibus Liberis*, hauſi inquam, illud ex Archivo Archiducali Mantuæ, cujus Urbis habitatoribus *Arimannis* olim conceſſum fuit.

Henricus II. Germaniæ Rex Arimannis Mantuanis privilegia varia confirmat, Anno 1014.

In nomine ſancte & individue Trinitatis. Henricus *divina favente clementia* Rex. *Omnium ſanctorum Dei, noſtrorumque fidelium preſentium ſcilicet ac futurorum noverit ſagacitatis induſtria, qualiter nos pro Dei amore, animeque noſtre remedio, cunctos* Arimannos in Civitate Mantue, *ſive in Caſtro, qui dicitur Portus, ſive in Vicoras, que nominatur Sancto Georgio, Cepada, Formigoſa, ſeu & in Comitatu Mantuano habitantes, cum omni eorum hereditate, paterno vel materno jure, proprietate,* Communaliis, *ſive omnibus rebus, que ab eorum parentibus poſſeſſa fuerunt, & eorum adquiſita, ſive adquirenda, nominative Silva Armanore, Carpeneta, Succa, Septingenti, ſive per ceteras locas in Comitatu Mantuanenſe rejacentibus, piſcationibus, fluminibus, & paludibus ſine aliquo ſcriptionis titulo, quod juſte & legaliter eis pertinente, cum familiis utriuſque ſexus, ſervis & ancillis, libellariis, precariis, & cum omnibus rebus eorum mobilibus & immobilibus, per hujus noſtri precepti paginam, prout juſte & legaliter poſſumus, conceſſimus, & corroboramus, ſcilicet utraſque ripas fluminis Tartari, deinde ſurſum uſque ad flumen Olei: de alia parte Foſſa-alta: de tertia parte Eccleſia Sancti Fauſtini in Caput Variana, & inde ſeorſum uſque in Agricia majore: ea videlicet ratione concedimus eis omnem tholoneum & ripaticum, quod pro negocio exercent in Garda, & in Laſeſe, & in ſummo Lacu, vel in Brixiana, & in Ferraria, vel in Comaclu, & in Ravenna, ipſi, ſuiſque filiis, ac hominibus, qui illorum cauſam laborantes negociantur, licentiam habeant poteſtative negociandi per jam dictum Lacum abſque omnium hominum contradictione, vel publica functione, vel alicujus tholonei vel ripatici reddita. Precipientes itaque jubemus, ut nullus Dux, Epiſcopus, Marchio, Comes, Vicemomes, Giſtaldio, Sculdaſcio, Decanus, vel aliqua noſtri Regni magna parvaque perſona de hinc prefatos* Arimannos *de ſuis perſonis, ſive etiam de omnibus predictis rebus inquietare, diſveſtire, moleſtare, nulluſque in eorum manſionibus eis invitis hoſpicium facere, vel ad aliquam publicam functionem, niſi ad eam, quam ſui anteceſſores ſecundùm Legem fecerunt, cogere ſine legali judicio facere preſumat. Si quis autem, quod futurum non credimus, contra hoc noſtrum preceptum inſurgerit, aut illud infringere tentaverit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras mille, medietatem Camere noſtre, & medietatem predictis* Arimannis, *in jam dicta Mantua Civitate, ſive in Caſtro* Portu, *vel in Comitatu Mantuano reſidentibus habitantibus. Quod ut verius credatur, & diligentius ab omnibus obſervetur, noſtri Sigilli impreſſione ſubter inſigniri juſſimus.*

Signum Domni  *Henrici Regis invictiſſimi.*

Henricus Cancellarius vice Everardi Epiſcopi & Archicapellani recognovi.

Datum Anno Dominice Incarnationis MXIIII. Indictione XII. Anno verò Domni Henrici Regis Secundi regnantis XII.

Actum Ravenne feliciter. Amen.

Qui

Qui *Arimanni* heic appellantur, ſive *Herimanni*, uti jam pridem animadvertit Aventinus, & poſt eum Du-Cangius (de quibus & ego multa habui ſupra in Diſſertatione XIII. *de Hominibus Liberis*) fuere *Militares*, ſive *Liberi* homines, qui bona hereditaria poſſidebant, quaſi *domini minores*; ab *Erbæmenner*, ut ſuſpicatur Johannes Georgius Eccardus. *Liberos* quoſque heic ea vox deſignare videtur: complectitur enim & Negotiatores. Vides autem, fuiſſe Arimannis Mantuanis res, bona, & jura communia, quæ *Communalia* appellabantur, quibus eorum Univerſitas jam Anno MXIV. fruebatur. Memoratas heic etiam habeas eorum immunitates ac privilegia. Huic autem Diplomati lux major accedet ab altero Henrici III Regis, Imperatoris II. eiſdem Mantuanis Civibus, *videlicet Eremannis*, ut ibi repetitur, conceſſo, cujus hæc ſunt verba.

Henricus III. Rex, Imperator II. Arimannis Mantuanis jura ac immunitates confirmat, Anno 1055.

IN *nomine ſancte & individue Trinitatis*. Heinricus *divina favente clementia* Romanorum Imperator Auguſtus. *Si petitionibus fidelium noſtrorum juſtis & rationabilibus annuimus, & neceſſitates injuſtas, violentiaſque oppreſſiones ſecundùm Imperialis excellentie debitum ſublevamus, a Deo omnium bonorum recompenſatore, meritam retributionem feliciter adepturos fore ſperamus. Quare omnium ſancte Dei Eccleſie, noſtrorumque fidelium tam futurorum quàm preſentium induſtria noverit, qualiter* Mantuani Cives *noſtram adierunt clementiam, ſuas miſerias, & diuturnas oppreſſiones conquerentes. Nos vero magnis eorum neceſſitatibus compatientes, ob interventum dilectiſſime* conjugis noſtre Imperatricis Agnetis, *& propter incrementum* filii noſtri *cariſſimi*, Heinrici *videlicet* Quarti Regis, *noſtra Imperiali auctoritate omnes* ſuperſtitioſas exactiones, & importunas violentias *funditus deinceps illis* abolendas, *& radicitus* extirpandas, *modis omnibus decernimus & confirmamus. Statuentes etiam, ut nulla magna, parvaque perſona* predictos Cives, videlicet Eremannos, in Mantua Civitate habitantes, *de ſuis perſonis, ſive de illorum ſervis & ancillis, vel de liberis hominibus, in eorum reſidentibus terra, vel de* Eremania, & communibus rebus, ad predictam Civitatem pertinentibus, ex utraque parte fluminis Mincii ſitis, *ſive de beneficiis, libellariis, precariis, ſeu etiam de omnibus eorum rebus mobilibus & immobilibus juſte conquiſitis, & juſte conquerendis inquietare, moleſtare, diſveſtire ſine legali judicio preſumat. Precipimus quoque, ut liceat omnibus predictis Civibus ſecure ire & redire ad mercata omnia ſive per terram ſive per aquam, quandocumque voluerint, ita videlicet, ut non dent ripaticum nec tholoneum in Ravenna, in Argenta, in Ferraria, in Summo Lacu, &* eam conſuetudinem bonam & juſtam habeant, quam quelibet noſtri Imperii Civitas obtinet. *Quicumque autem hujus noſtre conceſſionis & confirmationis violator extiterit, centum Libras auri optimi componat, medietatem noſtre Camere Imperiali, & medietatem predictis Civibus. Et ut hec noſtre confirmationis auctoritas ſtabilis atque firma permaneat, hinc Cartam inde conſcriptam manu propria, ut infra videtur, corroborantes, Sigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri.*

Signum Domni Heinrici Tercii Regis inviĉtiſſimi Romanorum Imperatoris Auguſti.

Guntherius Cancellarius vice Herimmanni Archicancellarii recognovit.

Dat. III. Nonas Novembris Anno Dominice Incarnationis MLV. Indictione VIII. Anno autem Domni Heinrici Tercii Regis, Imperatoris autem Secundi, ordinationis ejus XXVII. Regni quidem XVII. Imperii verò VIIII.

Actum Guareſalle in Dei nomine feliciter. Amen.

Pro *Guareſalle* legendum videtur *Guarſtalle*. Anno MLII. ex violenta morte perierat *Bonifacius Marchio*, *Mathildæ* magnæ *Comitiſſæ pater*, tunc Mantuæ etiam ac Ferrariæ Dominus, & Mantuæ tumulo datus. Nam quod Benevenutus de Sancto Georgio ex Arnulpho Mediolanenſi habet, alterum Bonifacium Marchionem iiſdem temporibus Montiſferrati, atque ipſum eodem genere mortis ſublatum (quod & mihi perſuaſeram in Antiquitat. Eſtenſ. Par I. Cap. 26) nullo denique fundamento niti a me deprehenſum fuit. Vitiatus nempe Arnulphi textus *Bonifacium Montiſferrati Marchionem* nobis obtruſit. In MSto Codice Eſtenſi ejuſdem Arnulphi pervetuſto, uti in Præfatione ad illius Hiſtoriam oſtendi, Tomo IV. Rer. Italicarum, *Montisferrati* non legitur, ita ut pro certo habendum ſit, unum Bonifacium Tuſciæ Marchionem Anno MLII. ex venenatâ ſagittâ periiſſe. Is autem e Diplomate nuper edito dignoſcitur aſpero jugo preſſiſſe colla Mantuanorum Civium; abolendas enim jubet Imperator *ſuperſtitioſas exactiones, & importunas violentias*, quas, ut conjicere licet, Bonifacius ipſe invexerat. Ignotum mihi, qua ratione is Mantuam ſuæ ditioni addiderit, ſcilicet utrum ex Imperatorum indulgentia, an ex Civium poſtulatione. Ceterum illius potentiam, immo impotentiam ſenſit Conradus ipſe Auguſtus hujus Henrici pater, coactus videlicet ei concedere plura quàm conſuetudo ferret, ita ut ſcripſerit Donizo in Vita Mathildis Lib. primo, Cap. decimo:

Nullus Dux umquam meruit tam fœdera culta.

Occurrunt autem in hoc Diplomate *communes res ad prædictam Civitatem pertinentes ex utraque parte fluminis Mincii ſitæ*. Præterea confirmat Henricus *eam conſuetudinem bonam & juſtam, quam quælibet noſtri Imperii Civitas obtinet*. Infra in Diſſertatione XLVIII. *de Societat. Lombardorum*, non ſemel occurrent nobis *bonæ conſuetudines*, quas Langobardicæ Civitates ſibi a Friderico I. confirmandas eſſe poſtea contenderunt. Eamdem quoque formam dicendi animadvertas in parum diſpari Diplomate Henrici III Imperatoris & IV. Regis, iiſdem Mantuanis conceſſo, quod minime celandum duxi, depromtum ex prælaudato Archivo Archiducali Mantuæ.

Confirmatio Privilegiorum facta ab Henrico Rege IV. Imperatore III. Civibus Mantuanis, Anno 1091.

IN nomine *ſancte & individue Trinitatis*. Enricus *divina favente clementia* Romanorum Tertius Imperator Auguſtus. *Spiritus Sancti graciá, qui ubi vult ſpirat, oportet nos ſemper omnium noſtrorum fidelium merita equa ratione penſare; & quamvis ſit laborioſum tam omnibus atque ſingulis juxta quod pro noſtro ſtudent fideliter laborare ſervicio, debita remuneracionis premia ſcienter ordinare. Preclarum quippe Romani decus Imperii, ſtatuſque Reipublice miſeram ac deteſtabilem his maxime periculoſis temporibus ruinam pateretur, niſi a nobis utrumque multifario niſu prudentis conſilii, atque fere continuo bellicoſi laboris exercitio ſuſtineretur, regeretur, atque defenderetur. Hec autem periculoſi temporis inſtantia, continuique, quibus agitamur, labores propter juſticiam, quam tuemur, fideles ab infidelibus, amicos ab inimicis, tanquam granum a paleis, nos edocent diſcernere, & utrique in preſenti Reipublice defenſione, quam tueri conamur, manifeſte merentur, quam nunc & poſtmodum digni ſunt, & a Deo & a nobis retributionem accipere. Cum verò Apoſtolo dicente*, Rex non ſine cauſa, *ſcilicet ad* vindictam malefactorum, laudemque bonorum, portat gladium, *bonis dare laudem & immenſam remunerationem, malefactores autem digná punire vindictá honori Regio felix eſt ac eternum conſilium. Igitur evidenter cognoſcentes*, omnes unanimiter Mantuanos *noſtram fideliter, prout debent, fidelitatem ſervare, eorum dignis poſtulationibus dignum duximus condeſcendere. Quapropter interventu* Conradi Regis, *dilectiſſimi* filii noſtri, *& multimoda poſtulatione* Ogerii noſtri Cancellarii, *aliorumque noſtrorum fidelium*, *noſtra Imperiali auctoritate*, omnes ſuperſtitioſas exactiones, & importunas violentias, *funditus deinceps illis* abolendas *& radicitus* extirpandas, *modis omnibus decernimus & confirmamus. Statuentes eciam, ut nulla magna, parvaque perſona predictos Cives in Mantuana Civitate habitantes de ſuis perſonis, ſive de illorum ſervis & ancillis, vel liberis hominibus, in eorum reſidentibus terra, vel* de Hermania, & rebus communibus ad Mantuanam Civitatem pertinentibus, ex utraque parte fluminis Mincii ſitis, *ſcilicet utraque ripa fluminis Tartari, deinde ſurſum uſque ad flumen Olei, ex alia parte Foſſa-alta, ex tertia parte Eccleſia Sancti Fauſtini in Capite Variane, & deinde ſeorſum uſque in Agriciam majorem; ſive de beneficiis, libellariis, precariis, ſeu eciam de omnibus rebus mobilibus & immobilibus juſte conquiſitis, & juſte conquirendis inquietare, moleſtare, diſveſtire ſine legali judicio preſumat. Precipimus quoque, ut liceat omnibus predictis Civibus ſecure ire & redire ad mercata omnia ſive per terram ſive per aquam, quandocumque voluerint, ita videlicet, ut non dent ripaticum nec tholoneum in Ravenna, in Argenta, in Ferraria, in Summo Lacu*, & eam conſuetudinem bonam & juſtam habeant, quam quelibet Imperii noſtri Civitas optinet. *Hec omnia modo dicta Mantuanis omnibus, qui nunc ſunt, & adhuc futuri ſunt, ſecundùm quod Pater noſter eis conceſſit, & ipſi ſuo tempore tenuerunt juſte & legaliter, concedimus. Si quis ergo Dux, Marchio, Vicecomes, Archiepiſcopus, Epiſcopus, Abbas &c.*

Signum Domni Henrici Tertii inviCtiſſimi Imperatoris Auguſti.

Ego Ogerius Dei graciá Hyporienſis Epiſcopus, & Cancellarius, vice Herimanni Archicancellarii recognovi.

Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Nonageſimo Primo, Indictione XIII. Regni verò Domni Henrici Tercii Imperatoris XX. & VIII. Imperii autem VIII.

Semina quoque naſcentis Libertatis, immo eamdem jam ſtabilitam videas in Civitate Ferrarienſi Anno MLV. ubi feriò conſideres Diploma Henrici II. Auguſti Regis III quo illi Populo privilegia ac immunitates confirmat. Legitur idem in vetuſtiſſimo Regeſto MSto, quod adſervat Bibliotheca Eſtenſis, atque ego illud infra evulgabo in Diſſertatione LXVIII. *de Redemtione peccatorum*. Illinc ipſum petat, qui velit. Et ſane quum fere omnia Civitatum Italicarum Archiva flammis fortuito aut conſulto olim tradita fuerint, itaut vix ullam viderim, quæ ante Fridericum I. Imperatorem illæſa proferat monumenta ſua: magni propterea faciendum illud eſt tum ex ſua antiquitate, tum quod legenti offerat plures eorum temporum *conſuetudines*, non aliunde ediſcendas. Fortaſſe poſteriora tantùm tempora conſideranti negotium faceſſet, quod in Ferrarienſem Urbem Henricus II. Imperator, veluti in rem ſuæ plane ditionis auctoritatem exercuerit. Verùm nihil ad hæc hæſitabit, quicumque congeſta a me in *Plenior Expoſitione Jurium Imperialium & Eſtenſium* &c. legerit. Nuper etiam luculente expreſſam vidimus eamdem veritatem in Actis ſupra evulgatis; Mantuanis enim Civibus immunitatem a *teloneo & ripatico* Imperatores concedunt *in Garda, vel in Brixiana, & in Ferraria, vel in Comaclo, & in Ravenna*. Præterea Lucenſi in Urbe ſi non integram Libertatem animadvertas ad Annum Chriſti MLXIV. quum adhuc ibi jura Ducis ſive Marchionis vigerent, ſaltem inſtitutam *Communitatem* reperias, quum Ptolomeus Lucenſis ſcribat in Annalibus brevibus: *Eodem Anno Alexander II. Papa Civitatem Lucenſem multá dignitate nobilitat. Nam primo tribuit ei Bullam plumbeam pro Sigillo Communitatis, ut habet Dux Venetorum*. Ptolomei certe fides tanta non eſt, quum in eo ſæpe diligentia critica deſideretur, ubi de antiquis rebus agit, ut is dubitationem omnem de hujuſmodi Privilegio nobis eripiat. Nihilo tamen ſecius mihi non difficile perſuadeo, jam tum in Urbe illa translatum fuiſſe in Communitatem jus Comitis, intacto jure Marchionis; eo quippe tempore Beatrix Duciſſa, & Mathildis Comitiſſa ejus filia Tuſciam regebant. Verùm Italicis Civitatibus nullum magis accommodum tempus ſe obtulit ad uberiora Privilegia ab Auguſtis impetranda, ſeque erigendas ad ſublimis auctoritatis ac Libertatis faſtigium, quàm quo Henricus Rex IV. inter Imperatores III Regni habenas tenuit. Puellus patre e vivis decedente relictus, quanta imbecillitate Populos rexerit,

rit, etſi Hiſtoria ſileret, nos tamen non immeritò ex conſueta humanarum rerum conditione, ac potiſſimùm ex perditis eorum temporum moribus intelligere poſſemus. Tunc auro atque argento major quàm antea vis; ac proinde facile jura Imperii partim venum expoſita, partim a potentioribus occupata. Attamen difficiliora etiam tempora ſuccedere, ubi exarſere bella inter Sacerdotium & Imperium ob ipſius Regis vitia, quæ viſa ſunt minime diutius toleranda. Ipſe, ut nemo neſcit, ſententiâ Gregorii VII. Papæ anathemate percullus, atque e ſolio dejectus, per annos plures tum in Germania tum in Italia, inter bellorum, variæque fortunæ turbines exagitatus, & ſua jura dubio Marte tutatus, funeſtiſſimam


A Tragœdiam uſque ad ſuum obitum egit. Ut autem ſibi vires belli compararet, Populorumque animos fluctuantes ſibi devinciret, nihil mirandum, ſi opus ei fuit, largiore manu Regalia Civitatibus aut divendere, aut elargiri, aut etiam uſurpata ab aliquibus diſſimulare. Præ ceteris verò inter hujuſmodi Regnorum perturbationes Mathildis Comitiſſa, ac Tuſciæ Duciſſa, ſuam amplificare potentiam non prætermiſit. Anno MLXXXI Henrici armis & factione prævalentibus, quæ pacta Piſanus Populus cum ipſo percuſſerit, ſuperſtes Diploma indicabit, editum quidem ab Ughellio in Catalogo Archiepiſcoporum Piſanorum, ſed nunc mihi caſtigatius exhibendum.

Concordia inter Henricum IV. Regem, & Populum Piſanum, ubi pacta inter eos inita recenſentur, Anno 1081.

IN *nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis*. Henricus *divina favente clementia* Rex. *Notum ſit omnibus Chriſti fidelibus tam futuris, quàm preſentibus, qualiter nos conſilio noſtrorum Principum, fidelibus noſtris* Piſanæ Urbis Civibus, *quod rogaverunt, conceſſimus. Siquidem annuimus, & firmiter ſtatuimus, quemquam hominum, niſi communi conſenſu eorum, nec raſas apprehendere, nec diſſipare, nec ſigillare infra Civitatem Piſæ, neque in Burgis, ſi foras Civitatis ipſi habuerint Enimenta; nec muros ſupraſcriptæ Civitatis deſtruere, nec optatecare, neque ſupraſcriptam Civitatem igne cremare, nec foderare jubebimus. Et ſi offenſionem miſerimus aliquam ſuper aliquem hominem ſive de terra, ſive de aliquo crimine, cum duodecim Sacramentalibus abſque pugna, excepto de vita, aut moribus, aut honore noſtro, ſi approbare voluerit ille, quibus conſilium cum eo invenerit. Nec bannum tollemus, niſi per legem. Nec homo capietur a nobis de ſupraſcripta Civitate vel Burgis, niſi per legem facere prohibuerit, & Allodium in Civitate vel foris non habuerit. Nec hominibus præparatis ad navigandum iter prohibemus, niſi ſtudioſe hoc fecerint propter querimoniam de eis factam. Et ſi culpaverimus aliquem eorum, qui ob hoc ſe præpararet, ut juſtitiam poſſit evitare, permittemus cum ſacramento ſuo ſe defendere. Et ſi aliquis eorum in itinere fuerit, mulierem ejus in diſtrictionem non mittemus. Et de tenimento, quod aliquis tenuerit per beneficium, quod a nobis tenuerit, eum non diſveſtiemus niſi per Legem. Et* Conſuetudines, *quas habent de Mari, ſic eis obſervabimus, ſicut illorum eſt conſuetudo. Et illum, ſuper quem reclamatio venerit de terra, ſi guarentem habere potuerit, vel poſſeſſionem jurare voluerit, per pugnam fatigari non ſinemus. Et hominibus de alia Civitate, aut de alio Caſtello, vel de alia Villa, vel de alio Signoratico, Legem non faciemus de Piſanis hominibus, niſi illi de ſupraſcriptis locis, vel eorum Seniores, qui offenſionem fecerint, Legem faciant prius Piſanis hominibus. Fodrum de Caſtellis Piſani Comitatus non tollemus, niſi quomodo fuit conſuetudo tempore* Ugonis Marchionis. *Hominibus in Villis habitantibus de eorum Comitatu fodrum non tollemus. Nec aliquam conſuetudinem ſuperimponemus, niſi quantum tres meliores homines ppt Seniores per Villam & Caſtella jura-*

B *verint, quod eorum conſuetudo fuit tempore ſupraſcripti Ugonis. Qui ſi jurare noluerint, jurare conſtringemus. Caſtaldionem, vel aliquem noſtrum Miſſum in ſupraſcripta Civitate vel Comitatu eorum, ad Placitum faciendum eis ſupereſſe non ſinemus de alio Comitatu. Puellis, nec Viduis Maritum interdicemus in Comitatu Piſano. Nec pretium inde invite tollemus, nec invite alicui conjugabimus. Mercatum i . . . calciam in Villis Comitatus eorum fieri non ſinemus, niſi ſecundùm conſuetudinem temporum Ugonis, ſacramentis, ſicut ſupradictum eſt, diffinitam. Albergariam in proprietate alicujus abſque voluntate illius, cujus proprietas eſt, non faciemus. In ſupraſcripta Civitate, vel*
C *prope eam uſque ad medium milliarium, terras, quæ fuere Paſcua vel Paludes, ſitas ante prædia illorum, vel Eccleſiarum, & communia Paſcua, non tamen occaſione Paſcuum occupata, eis non tollemus, nec laborare faciemus, & per eos laborare non contendemus, vel per nos aliquis, uſque ad illos fines, quos laudaverint homines ab eis electi ad hoc officium, qui jurejurando affirment, ſe bona fide æſtimaturos, & terminaturos illas terras, quæ fuere Paſcua vel Paludes, & illas demonſtraturos, quod erant Paſcua, quæ ad culturam debeant remanere. Et nullo amore vel odio propterea miſſuros illos, ſi noluerint, ad ſacramenta diſtringemus. Et quod ipſi laudaverint eſſe, in alium*
D *ſtatum tranſmutare per bonam fidem prohibebimus. Qui ſi diſcordaverint in eligendis prædictis hominibus, nos eligemus, & jurare diſtringemus. In Roma, & ab ipſa Roma uſque Papiam, nullum Ripaticum dabunt in eis Mercatis & locis, ubi ipſi ſoliti ſunt ire per ſuos, aut ſe jam ad mercandum iviſſe poſſunt ratione probare. Et illi Negotiatores, qui ad Piſam ire voluerint, non prohibebuntur. Nec* Marchionem aliquem in Tuſcia mittemus *ſine laudatione hominum duodecim electorum in Colloquio facto ſonantibus campanis. A fauce Arni uſque ad Ripaltam eos euntes & revertentes per Arnum prædari, aut aſſaltum facere non permittemus, niſi fortaſſe per meritum. Aldium,*
E *quod eſt in ripa Arni ex utraque parte a Mare uſque ad Orticariam, non ſinemus impediri. Ultra Muros antiquos Civitatis, quod eſt ab antiquis Muris uſque ad Arnum, ad communem utilitatem liberabimus. Nec domum in prædictis terminis elevari uſque ad triginta ſex bra-*

chia interdici permittemus . Et ut hoc firmum & inconvulſum ſit , hanc Cartam ſcribi juſſimus , quam noſtra manu, ut infra videtur, corroboratam Sigilli noſtri impreſſione fecimus inſigniri . Junximus etiam , ut ſi aliqua Navis fuerit retenta a Gajeta uſque ad Luni , nullus A *audeat deprædare , neque invadere bona ipſorum Piſanorum . Si quis autem hujus Præcepti noſtri violator extiterit, ſciat ſe ducentas Libras auri optimi compoſiturum , medietatem noſtræ Cameræ , & medietatem illi , contra quem fuerit injuria .*

Signum Domni Heinrici  *Romanorum Regis invictiſſimi .*

Burchardus Cancellarius vice . . . . . . Archicancellarii recognovi .

Datum Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Octuageſimo Primo , Indictione IIII. Anno autem ordinationis Domni Heinrici Quarti Regis XXIIII. Regni XXIIIII.

Actum feliciter in Chriſti nomine .

Vides heic nullam Comitis mentionem factam , ſed *Marchionis* tantum , qui revera ultra unum Sæculum deinceps in Tuſcia legem dixit . Atqui ex Piſanorum pactis jam ad dignoſcendum perducimur , quid ceteri Italiæ Populi ſub Henrico IV. moliti quiſque pro ſua virili fuerint . Verique videtur ſimile , ex iis non paucos , ſi non idem , certe ſimilia ſibi procuraſſe privilegia . Propterea res Italica eo tamdem devenit , ut Henricus V. ejus filius atque ſucceſſor , in Italiam Anno MCX. deſcendens parum ſibi obſequentes Urbes ſenſurus fuiſſet , niſi juſti exercitus ſecum venientis terror ejus adventum præceſſiſſet, & præſentis majeſtas venerationem auxiſſet. Ut ſcribit Donizo in Vita Mathildis Lib. 2. Cap. 18.

Urbes munitas ejus perterruit ira .

Novaria in rebellionem rapta pœnas male concepti conſilii luit. Arretini quoque reluctantes eadem detrimenta paſſi .

Nobilis Urbs ſola Mediolanum populoſa
Non ſervivit ei , nummum neque contulit æris.

Immo Henrico ipſo in Germaniam vix regreſſo , Laudem Pompejam iidem Mediolanenſes obſidione inſtructâ deditionem facere coëgerunt . Inter ipſos etiam Mediolanenſes, & Cre- B monenſes , ac Ticinenſes inſtauratum eſt bellum . Tum Anno MCXII. *Papienſes & Mediolanenſes ſtatuerunt & juraverunt ſibi fœdera , quæ nimium quibuſdam videntur Imperatoriæ majeſtati , & Apoſtolicæ auctoritati contraria , cum iſti Cives jurarent ſibi ſervare ſe & ſua contra quemlibet mortalem hominem natum vel naſciturum*. Hæc Landulphus de Sancto Paulo Hiſtoricus ſynchronus Cap. 21. Hiſtor. Mediolan. Tomo V. Rer. Italicarum . Sicardus quoque in Chronico , Tomo VII. Rer. Italicar. teſtis eſt belli antea initi inter Mediolanenſes & Cremonenſes . En ejus verba : *Anno Domini MXCVIII. primo cœpit guerra de Cremona , frixorium Cremonenſium* . Ab iſtarum Ci- C vitatum grandibus animis , vivoque exemplo ceteras , quæ nulli ſingulari Principi parebant, ſolicitatas fuiſſe ad pares motus & auſus, nemo non intelligit . Propterea Henricus ipſe Rex V. Imperator IV. , ut earum devotionem fidemque ſibi enixius conciliaret , confirmaretque , petentibus ampliora privilegia, minime deinceps neganda cenſuit . Eſt mihi egregium hujus indulgentiæ documentum , quod olim depromſi ex Archivo Communis Cremonenſis, præferebatque authenticas vetuſtatis notas : nempe Diploma ab eodem Auguſto Civibus Cremonenſibus conceſſum , cujus hæc ſunt verba .

Henricus

Henricus Rex Quinctus, & Quartus inter Imperatores Cremonenſi Populo varia jura ac Privilegia confirmat, & auget, Anno 1114.

IN nomine ſanctę & individue Trinitatis. Heinricus *divina favente clementia* Quartus Romanorum Imperator Auguſtus. *Quemadmodum ab inimicorum infeſtatione nullatenus eſt ceſſandum, ſic fidelium & amicorum voluntati eſt condeſcendendum, eorumque digne petitioni diligenter ſatisfaciendum. Quapropter omnibus Chriſti, noſtriſque Fidelibus tam futuris quàm preſentibus notum fieri volumus, qualiter rogatu & petitione* fidelium noſtrorum Cremonenſium *pro fideliſſimo ſervicio eorum quecunque quondam noſtri privilegii auctoritate eis conceſſimus, eadem nunc pro bonæ fidei eorum perſeverantia renovamus, renovanteſque in poſterum confirmamus:* videlicet ea, que ſue locutionis proprietate Communia vocant, *tam que in preſenti habent, quam ea que in futuro ſunt habituri a Bucca Addæ uſque ad Vulperula ex utraque Padi fluminis parte; & ut a Mari uſque Papiam ſecure & libere, nemine eis quicquam moleſtie inferente, eundi & redeundi, & mercandi ſecundùm uſum & antiquam conſuetudinem eorum cum navibus ſuis facultatem habeant, & per totum Regnum noſtrum Italie ſecure vadant.* Conceſſimus etiam eis, ut extra muros Civitatis eorum, deinceps Palatium & hoſpicium noſtrum habeamus. *Et bonos uſus eorum, & omnia, que ex felicis memorie Predeceſſorum noſtrorum Regum ſive Imperatorum conceſſu obtinuerint, confirmamus. Si quis vero Epiſcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Gaſtaldio, Advocatus, Scultatius contra hujus noſtri Precepti paginam ire temptaverit, auri mille Mancoſos componat, medietatem Camere noſtre, medietatem ei, qui dampnum vel injuriam paſſus eſt. Et ut hoc verius credatur, & omni ævo inviolabiliter conſervetur, hanc Cartam inde conſcriptam, & manu propria corroboratam, impreſſione noſtri Sigilli inſigniri juſſimus.*

Signum Domni Heinrici  *Quarti Romanorum Imperatoris invictiſſimi.*

Locus ✠ Sigilli cerei.

Bruno Cancellarius recognovit.

Datum Tertio Nonas Junii, Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Decimo Quarto, Indictione VII. Regnante Heinrico Quinto Rege Romanorum, Anno VIIII. Imperante IIII.

Actum eſt Warmacie, *in Chriſto feliciter. Amen.*

Henrico huic nondum Populus Mediolanenſis debita obſequii officia perſolverat, & in finitimos quoſvis virium ſuarum periculum, præſertim in Cremonenſes, faciebat. Hos contra ſibi fideles & peramicos ſenſerat Henricus: quare in eoſdem ſe liberaliorem præbuit. Heic igitur vides Cremonenſi Populo confirmata ea, *quæ ſuæ locutionis proprietate Communia vocant*: bona videlicet, quæ ad Univerſitatem ſive Rempublicam ſpectabant, qualia quoque memorata vidimus nuper in Privilegiis Mantuano Populo datis: quæ res indicare videtur, longe ante hæc tempora fuiſſe in Civitatibus quamdam Communitatis umbram, qualis adhuc perdurat Mediolani, Mutinæ, Regii, atque in aliis Urbibus, jam Reipublicæ formâ ac jure exutis, & Principi dominanti nunc ſubjectis. Quæ tamen ita dicta velim, ut ſimul moneam, vel apud veteres Latinos *Bona Communalia* fuiſſe, in quæ erat jus univerſo Populo. Frontinus de Limitibus Agrorum inquit: *Eſt & paſcuorum proprietas pertinens ad fundos, ſed in Commune, propter quod ea compaſcua multis in locis in Italia Communia appellantur.* Aggenus Agrariæ rei Scriptor teſtatur & ipſe, ejuſmodi bona *in Etruria* appellata fuiſſe *Communalia*. Sed illud in primis animadvertendum, Henricum veniam dediſſe Cremonenſibus, ut Palatium Imperiale extra Civitatem ædificarent: qui mos poſtea familiaris evaſit in Italicis Urbibus, magnam præ ceteris potentiam præferentibus. *Conceſſimus etiam*, inquit, *eis*, *ut extra muros Civitatis eorum, deinceps Palatium & hoſpitium noſtrum habeamus.* Quibus verbis diſerte ſignificatur, polliceri Imperatorem, ſe Cremonenſem Urbem minime cum exercitu ingreſſurum; ſed quum illac tranſeundum ſibi fuerit, ſe in Palatio tantùm ſuburbano hoſpitium recepturum. Non licebat ergo (ſciſcitetur aliquis) ipſis Auguſtis Civitates ſuæ dominationi obnoxias ingredi? Mirum id certe noſtris temporibus videatur. At nulla juſta cauſſa ſtuporis. Jam enim in Libertatem vindicati Cives nimium verebantur, ne armati Reges intra eorum mœnia recepti vetera refricarent jura, & naſcenti Reipublicæ vulnus inferrent. Acceſſit & ipſorum Regum indulgentia & caritas: nam quum antea exercitus eorum in ſinum Civitatum excepti, pro more militum diſciplinæ fere ſemper, ſed tunc potiſſimùm, impatientium, ſua feritate aut avaritia Cives in plura diſcrimina, ſeditioneſque adduxiſſent; & eâ de cauſsâ Ticinum, Novaria, Parma, Arretium, aliæque Urbes, vel ſub ipſo Henrico, incendio ſuccubuiſſent: ut in poſterum hujuſmodi pericula averterentur, placuit Regibus & Auguſtis, clementiæ leges ſectantibus, extra Civitates hoſpitium ſibi parari; non quod, ut puto, ipſis interdiceretur in Urbes ingreſſus, ſed ipſis armatis, eorumque militaribus copiis. Longe etiam ante hæc tempora Mediolanenſis Civitas hujuſmodi privilegium ſibi comparaſſe atque impetraſſe videtur: cujus rei teſtem non Gualvaneum de la Flamma, qui circiter Annum MCCCXXX. id ſcribit, teſtem adferam, ſed

Landulphum ſeniorem ſupra memoratum, ex cujus traditione Lib. 2. Cap. 16. Hiſtoriæ Mediolanenſis, Adelbertus Italiæ Rex Sæculo Chriſti Nono, *Palatium Maximiani, quod ſitum eſt infra mœnia Urbis, vel Trajani, juxta Thermas Sancti Gregorii locatum, præparari ſibi præcepit*. Tum ſubdit Hiſtoricus: *ignorans, ut ipſe poſtea ſimulabat, quod nullus Rex a tempore Beati Ambroſii, in cujus præſidiis Civitas Mediolanenſis ſuper omnes Italiæ Urbes ab ingreſſu Imperatoris Libertatem adquiſivit, Urbem hanc introiviſſet*. Somnia & commenta nobis narrat Landulphus, ex tam remotis Sæculis privilegium ejuſmodi arceſſens: attamen hinc recte colligimus, circiter Annum

A MLXXX. quo is Hiſtoriam ſuis literis commendabat, hujuſmodi privilegio diu antea Mediolanenſem Urbem fuiſſe donatam. Quo poſtea exemplo & aliæ potentes Urbes excitatæ, parem ſibi prærogativam conquiſivere. Atque inter alias *Mantuana Civitas*. Jam ſupra dedi nonnulla ad eam ſpectantia Diplomata. Alia quoque protuli in Diſſertatione XIII. *de Hominibus Liberis*. Quid antiquis ejus privilegiis adjecerit prælaudatus Henricus inter Auguſtos Quartus, ſublatâ e medio per mortem Anno MCXV. Comitiſsâ Mathilde ibi dominante, ſubſequens Diploma nobis ediſſeret, quod ex antiqua membrana Archivi Archiducalis Mantuæ ego deſcripſi.

Henrici IV. Imperatoris Diploma, quo Civibus Mantuanis vetera jura ac privilegia confirmat, tum nova concedit, Anno 1116.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis*. Henricus *divina favente clementia* Quartus Romanorum Imperator Auguſtus. *Spiritus Sancti gracia, qui ubi vult, ſpirat &c.* (ut in Diplomate Henrici III. Auguſti). *Igitur evidenter cognoſcentes*, omnes *unanimiter* Mantuanos *noſtram fideliter, prout debent, fidelitatem ſervare, eorum dignis poſtulationibus dignum duximus condeſcendere. Quapropter interventu* Burchardi Cancellarii noſtri, *& multimoda poſtulatione aliorum noſtrorum fidelium noſtra Imperiali auctoritate, omnes ſuperſtitioſas exactiones & importunas violentias funditus deinceps illis abolendas & radicitus extirpandas modis omnibus decernimus & confirmamus. Statuentes etiam, ut nulla magna parvaque perſona &c.* (Vide laudatum Diploma). *Præcipimus quoque, ut liceat* omnibus prædictis Mantuanis *ſecure ire & redire ad mercata omnia, ſive per terram, & ſive per omnes aquas, quandocumque voluerint, ita videlicet, ut non dent ripaticum nec tholoneum in Lageſe, in Garda, in Summo Lacu, in Brixiana, in Bolonia, in Ferraria, in Argenta, in Ravenna, in Comaculo*, & eam conſuetudinem bonam & juſtam habeant, quam quelibet noſtri Imperii Civitas optinet. *Inſuper* Palacii cum toto munimine deſtruendi, & extra Civitatem deferendi in Burgo Sancti Johannis Evangeliſte damus poteſtatem. Albergariam quoque nove & veteris Civitatis, ut circumdata eſt muro & munimine, eis remittimus & donamus. *Quin eciam Inſulam, in qua Caſtrum Ripalte ſitum fuit, eis concedimus, ita ut nullum Caſtrum, ſeu edificium a me, vel meis ſucceſſoribus extruatur. Hec omnia modo dicta* Mantuanis omnibus, *qui nunc ſunt, & adhuc futuri ſunt juſte & legaliter concedimus. Si quis igitur Dux, Marchio &c.*

Signum Domni Henrici Quarti Romanorum Imperatoris inviſtiſſimi.

Burchardus Cancellarius, & Munaſterienſis Epiſcopus recognovit.

Datum Sexto Idus Maji, Indictione VIIII.

B *Anno Dominice Incarnationis MCXVI. regnante Henrico Quarto Rege Romanorum, Anno XI. Imperii autem VI.*

Actum eſt Buberne, in Chriſto feliciter. Amen.

Attente conſideranda ſunt, quæ heic Imperator elargitur, nempe: *Inſuper Palacii cum toto munimine deſtruendi, & extra Civitatem deferendi in Burgo Sancti Johannis Evangeliſtæ damus poteſtatem*. Hactenus igitur Imperiale Palatium intra Urbem ſteterat; ſed illud dejicere, novumque in ſuburbiis condere, exinde Civibus fas erat. *Albergariam quoque novæ & veteris Civitatis, ut circumdata eſt muro & munimine, eis remittimus & donamus*. Ergo
C ex pacto, ſive privilegio, copiis Regis deinceps interdictum fuit hoſpitari intra Urbis mœnia. Quod denique addit Imperator: *& eam conſuetudinem bonam & juſtam habeant, quam quælibet noſtri Imperii Civitas obtinet*, concors eſt cum Diplomate, ut nuper vidimus, Cremonenſibus conceſſo, ubi hæc verba: *Et bonos uſus eorum, & omnia, quæ ex felicis memoriæ prædeceſſorum noſtrorum Regum ſive Imperatorum conceſſu obtinuerint, confirmamus*. Hæc diligenter memoriæ mandanda: eorum enim uſus recurret, quum infra in Diſſertatione XLVIII. *de Societatibus Lombardorum*, occurrent nobis Langobardicæ Civitates idem expetentes a Friderico I. Auguſto. Ceterum in
D hac ipſa antiqui regiminis mutatione, ſi Mediolanenſes interdum ab officio reſilientes excipias, vix aliam Civitatem oſtendas, quæ Regiam aut Imperatoriam Majeſtatem non agnoſceret, ac revereretur. Adhuc, uti veri ſimile videtur, *ad Comitem Palatii* in Oppido Laumello Ticinenſis Diœceſis Appellationes deferebantur. Miſſi etiam Regis ſecundùm morem temporum præcedentium *ad Juſtitias faciendas* per Italiam identidem ex Aula Cæſarum procedebant. Cujus conſuetudinis adhuc vigentis teſtem habeo Chartam, quæ mihi oblata eſt in vetuſtiſſimo Regeſto Archivi Epiſcopalis Cremonæ, ubi hæc leguntur.

Literæ Epiſcopi Conſtantinenſis (fortaſſe Conſtantienſis) Legatione Conradi Regis per Italiam fungentis, ad Conſules & Populum Cremenſem (fortaſſe Cremonenſem), ut Epiſcopo Cremonenſi juſtitiam faciant contra quoſdam invaſores jurium Cremonenſis Eccleſiæ, circiter Annum 1146.

EGo Conſtantinenſis Epiſcopus, & Domni Chonradi Romanorum Regis Legatus, Conſulibus & Comitibus, omnique Populo Cremenſi *ſalutem. Notum vobis fieri volumus, quia Dominus noſter ex latere ſuo nos in partes iſtas dirigens, tocius Italici Regni negotia ad honorem ſuum jure tractanda nobis commiſit, noſque omnibus oppreſſis, & præcipue Eccleſiis juſtitiam facere, treguam firmiter ſervare, & omnes, qui in Regno iſto captivi tenentur, liberare, & quoſque rebelles, & noſtris, immo Domni Regis mandatis repugnantes, ejus banno ſubjicere, & fideles ejus de adventu & ſervitio ſuo diligenter commonere precepit. Noveritis preterea, quia vir venerabilis Frater noſter* O. Cremonenſis Epiſcopus *nobis conqueſtus eſt de Trecho de Bonato & fratribus ejus, & de Girardo de Colonia, nec non & de filiis Alberti Gonzonis, & de Mantegatio de Caravajo, qui & homo & juratus Epiſcopi eſt. Qui omnes & terras Eccleſie & poſſeſſiones injuſte detinent, nec ab eis juſtitiam conſequi poteſt. Inſuper idem Mantegatius homines Eccleſie infeſtare non ceſſat. Ea propter ex parte Domni Regis, & noſtra* Univerſitati veſtræ *mandamus atque precipimus, ut prenominatos viros Cremonenſi Epiſcopo ante adventum Domni Regis noſtri plenam juſtitiam facere coherceatis. Ipſum quoque Mantegatium ab infeſtatione hominum Eccleſie ceſſare faciatis, alioquin autem, quia his conſentitis & criminis & dampnationis illorum vos ipſos participes efficitis: facientes enim & conſentientes pari pena puniendi ſunt. De cetero autem vobis Comitibus, qui Domni Regis & Vaſſalli &* A *fideles eſtis, ex parte ſua precipimus, ut de adventu & ſervicio ejus vos diligentiſſime preparetis. Vobis quoque nichilominus precipimus, ut Guidriſium de Fornovo eidem Domno Epiſcopo juſtitiam facere cogatis, & tam ipſum Guidriſium, quamque & omnes alios, qui quondam Caſtellani & habitatores fuerunt locorum Epiſcopi, vel faciatis eos reverti & habitare in iiſdem locis, ſicut ipſi olim & anteceſſores eorum fecerunt, vel omnia que habent in eiſdem locis relinquere. Si autem nihil horum fecerint, aut ipſi Epiſcopo eos in laudamento Curie illius juſtitiam facere cogatis, aut a vobis eos omnino abjiciatis; alioquin banno Domni Regis ſubjiciemini in mille Libras auri.*

B *Ego Girardus Notarius hujus exempli autenticum vidi, & legi, & fideliter exemplavi.*

Immo & in ipſa Civitate Mediolanenſi Anno MCXLVIII. veſtigia Imperialis auctoritatis deprehendi videntur. Quum enim controverſia intercederet inter Abbatiſſam Monaſterii Majoris Mediolanenſis, & Parochianos de electione Parochi Sanctæ Mariæ ad Circulum, eaque dirimenda ad Archiepiſcopum delata fuiſſet, judicio illi interfuit *Obitius Judex ac Miſſus Domni Tertii Lotharii Imperatoris*. Attamen hoc affirmare non audeo, quum jam ab aliquot Annis poſt Lotharium II inter Auguſtos regnaret Conradus Romanorum Rex, ita ut Obitius ille indicet potius, ſe iis titulis (quod & de C Notariis fiebat) a Lothario auctum fuiſſe, non autem ſe auctoritate Cæſarum illum exercere jus pro iis in Populo Mediolanenſi. Chartam exero, quam e Collectaneis MStis celebris viri Johannis Petri Puricellii deſcripſi.

Sententia Adelardi Mediolanenſis Eccleſiæ Diaconi in controverſia de electione Presbyteri Sanctæ Mariæ ad Circulum, agitata inter Abbatiſſam Monaſterii Majoris, & Parochianos ipſius Eccleſiæ, Anno 1148.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Recordatio ſententiæ, quam Domnus Adelardus ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Diaconus juſſione venerabilis Oberti Mediolanenſis Archiepiſcopi *protulit ſuper diſcordia inter* Margaritam Monaſterii Majoris Abbatiſſam, *& Vicinos Eccleſiæ Beatæ Mariæ, quæ dicitur ad Circulum, diutius agitata. Diſcordia enim hæc erat. Prædicta ſiquidem Abbatiſſa conquerebatur, quod præfati Vicini Presbyterum ſuum Albertum, quem in ipſa Eccleſia Beatæ Mariæ poſuerat & ordinaverat, violenter & injuſte expulerant. E contra prænominati Vicini dicebant, ipſam Eccleſiam Beatæ Mariæ præſcripto Monaſterio vel ejus Abbatiſſæ per ordinationem, ſeu per aliquam diſpoſitionem nullo modo pertinere, ſed ejuſdem Eccleſiæ Sacerdotis petitionem & electionem ad ſe de jure & ex longa conſuetudine pertinere debere firmiter aſſerebant. Inde alia quæſtio orta eſt: ſcilicet quæ pars petitoris honore, aut quæ poſſeſſoris commodo in hac cauſa fungi debeat. Eadem namque Abbatiſſa dicebat, quod in ipſa Eccleſia Beatæ Mariæ Joannem Clericum poſuerat, atque de ipſa Eccleſia, ipſiuſque Eccleſiæ beneficio illum inveſtiverat; & venerabilis* Domnus Robaldus *felicis memoriæ* Archiepiſcopus *eundem Joannem ad Subdiaconatum, &* Domnus Obertus, *qui modò eſt, ad Diaconatum in eadem Eccleſia promoverant. Inſuper etiam Presbyterum Albertum de eadem Eccleſia, & ejus beneficio ſimiliter inveſtiverat: & ideo poſſeſſionem, quam tempore Presbyteri Lanfranci Prophetæ, aliorumque Sacerdotum anteceſſorum ejus habuerat, ſe continuaſſe dicebat. E contrario ipſi Vicini dicebant, quod prædictus Presbyter Lanfrancus per manum ipſius Abbatiſſæ in ipſam Eccleſiam minime intraverat, & inveſtituras, quas in prænominatos Clericum & Sacerdotem lite jam mota fecerat, eis nullo modo nocere debebat. Reſpondebat eadem Abbatiſſa, ſe ante præfati Domni Robaldi, & Domni Oberti Archiepiſcopi præſentiam juſtitiam facere paratam ſæpe fuiſſe; ipſos verò Vicinos juſtitiam facere contemnentes, prædictorum Domnorum Archiepiſcoporum præſentiam per biennium & ultra adire contempſiſſe, aſſerendo dicebat. Unde quidam ex ipſis excommunicati, & omnes interdicti fuerunt. His itaque auditis, & diligenter inquiſitis Domnus Adelardus, ut dictum eſt, hanc promulgavit ſententiam: Prænominata Abbatiſſa ipſius Eccleſiæ beatæ Mariæ ordinationis & diſpoſitionis, ſalva quæſtione principalis cauſæ, de cetero plenarie habeat poſſeſſionem.*

Data eſt hæc ſententia in Palatio Mediolanenſi, Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Quadrageſimo Octavo, Pridie Calendarum Junii, Indictione XI. Interfuerunt Vicini ejuſdem Eccleſiæ, Amizo, & Azo, atque Groguttus, qui dicuntur Butraffi, Gandulfus Calvucius, Petrus Longus, Carrolanus, Albinus de Arcu, Ottobellus Calvucius, Obizo Botta, Ambroſius Greppus, Bellane Muſca, Rolandus Lazaronis, Zeno Viduæ, Petrus Maſſarius, Maliſtreva, Lanfrancus Ferrarius, A *Laterius Vicecomes, Obizo de Palabiago, & multi alii.*

✠ *Ego* Obertus Archiepiſcopus *ſubſcripſi.*

Ego Anſelmus indignus Diaconus interfui & ſubſcripſi.

Ego Adelardus Diaconus hanc Sententiam dedi & ſubſcripſi.

Ego Wilielmus *Diaconus ſubſcripſi.*

Ego Jordanus Diaconus interfui & ſubſcripſi.

Ego Obitius Diaconus & Cimiliarcha ſubſcripſi.

Ego Otto Cauſidicus interfui & ſubſcripſi.

Otto Judex ac Miſſus Domni Quarti Henrici Imperatoris interfui & ſubſcripſi.

Ego Stephanus Archipresbyter interfui & ſubſcripſi.

B *Ego* Obitius Judex ac Miſſus Domni Tertii Lotharii Imperatoris *interfui & ſubſcripſi.*

Locus Sigilli ✠ Archiepiſcopalis.

Ego Galdinus Cancellarius, & Diaconus ſubſcripſi.

Quod poſtremo loco Lector animadvertat velim, Italicarum Urbium exemplum, quæ ſenſim e manibus Vaſſallorum, aut Magiſtratuum, (eos ante Aula Cæſarea ad regendos Populos deſtinabat) dominationem ſive regimen abſtraxere, ſibique imperium aſſeruerunt, id præſtitiſſe, ut & paullatim eoſdem animos, C idemque conſilium ſumſerint multæ ex Germanicis Civitatibus. Quæ nunc ibi Libertate fruuntur, atque a ſuis Magiſtratibus gubernantur, ſupremo tantùm Cæſaris juri obnoxiæ, variis temporibus & ipſæ, conatu omni adhibito, Reipublicæ formam ac jura arripuere. Dominabantur eis antea Duces, Marchiones, Comites, aut Epiſcopi. Sed refractarii Populi, eorum jugum dedignati, aut vi, aut pactis initis obtinuere, ut habenas imperii ipſi in poſterum regerent, & ab uno Cæſare ſuam poteſtatem agnoſcerent. Penetravit & in Gallias, atque in Belgium Italicorum exemplum; ſed longe minori audaciâ regionum illarum incolæ ſuos volatus inſtituerunt. Satis enim D habuerunt, in unum Corpus, ſive Univerſitatem ſeſe conjungere, certiſque cœtum ſuum adſtringere legibus, publicis fundis ad expenſas publicas conſtitutis: quam in rem jus coëundi, Magiſtratus habendi, & decernendi quæ opus forent pro neceſſitate, œconomia, & regimine Reipublicæ, eis datum eſt a Regibus ac Principibus, ac multa inſuper privilegia collata. *Communia*, *Communitates*, ſed ſæpius *Communiæ* appellantur ejuſmodi Univerſitates in monumentis Scriptorum Galliæ ac Belgii. Intactum autem in earum inſtitutionibus fuit non jus dumtaxat Regis, ejuſque integra dominatio, ſed & Magiſtratuum ac Vaſſallorum, ſive ii Ducis, ſeu Comitis, E Vicecomitis, aliove titulo Urbibus ac Oppidis præeſſent. Proinde omnino differebant *Communiæ* illæ a Civitatibus liberis Italiæ, eamque tantummodo honoris & auctoritatis menſuram ſervabant, quam nunc Urbium Italicarum *Communitates* ſervant, ſuis Principibus

ſubjectæ, & Regalibus ferme omnibus, ſive jurisdictione, & gladii ac dominandi jure carentes: Gallicorum *Communiis* facultas erat eligendi *Scabinos*, *Conſultores*, ac ejuſmodi Magiſtratus, anguſtâ tamen auctoritate uſuros, quum contra Civitates Italicæ Principatu, & pæne autocratiâ fruerentur. Nonnullæ etiam e Siculis Civitatibus Sæculo Chriſti Tertio decimo *Communitatem* inſtituerunt, cujus tamen vita perquam brevis fuit. Notiſſimum verò eſt, quantopere in Italia Sæculo XII. Populus Romanus, impiis conſiliis Arnaldi Brixiani allectus, nihil non tentaverit, ut ſeſe in Libertatem aſſereret, & ſummorum Pontificum antiquiſſimam dominationem excuteret. Magnus Annalium Eccleſiaſticorum parens pluribus in locis poſt Ottonem Friſingenſem, ac alios ejus temporis Scriptores, conatûs in hanc rem, & acta Romanorum deſcribit. Tunc inſtitutus fuit, aut reſtitutus, ſed immani uſurpatione Pontificiæ auctoritatis, Senatus Romanus. Tunc etiam Epocha nova procuſa, numerantibus Romanis *Annos Senatus*. Bella quoque civilia ſubſequuta ſunt, ac deinde pax, multis conditionibus intervenientibus; quæ ſæpe turbata eſt, ſuccedente bello, prout vires Pontificum aut Romani Populi prævalebant. Anno potiſſimum MCXLV. & ſubſequentibus ejuſmodi infauſta diſcordia in graviſſimos tumultus, & apertam rebellionem degeneravit, quæ vix multorum ſanguine ſublata eſt. Adfuit tunc Romanis Pontificibus Petrus nobiliſſimus Præfectus Urbi, una cum filiis ſuis: quumque ex eo bello diſpendia ac damna non pauca is retuliſſet, en qua ratione poſt aliquot annos Hadrianus IV. Papa ei ſatisfecerit, ne hunc adverſarium haberet, quum diſſidia imminerent inter Eccleſiam Romanam, & Fridericum I. Auguſtum. Ex Regeſto MSto Cencii Camerarii ego Chartam deſcripſi.

Inſtrumentum, per quod Præfecto Urbis, & ejus Coadjutoribus, Civitate Caſtellana eis oppignerata, ſatisfactum fuit de damnis, & injuriis ſibi inlatis pro Romana Eccleſia defendenda, Anno 1158.

Tibi Patri, & univerſali Domino Papæ Adriano, *ego quidem Præfectus Johannes Præfecti, & Octavianus germani fratres, Petrus Johannis, Johannes Uguicionis, & Mater mea, Petrus de Atteja, Johannes Caparrone, & nepos ejus Milo, pro nobis, & pro uxoribus noſtris, nullo cogente imperio, ſed propria & ſpontanea noſtra bona voluntate, per Chartulam conventionis atque tranſactionis, refutationem facimus pro nobis, noſtriſque heredibus vel perſonis a nobis ſummiſſis, pro duobus millibus Marcharum argenti; nominative de omni jure, ſeu actione, quam habebamus de damno Caſtrorum, Domorum, & omnium aliarum rerum mobilium & immobilium, quod nobis contigit occaſione guerræ, quam habuimus* cum Populo Romano *pro Romana Eccleſia. Ita quod nec nos, nec noſtræ uxores, aut heredes, aut alia per nos ſummiſſa perſona, ex hoc nunc exigemus aliquid a te Domino Papa Adriano, ſeu aliis Romanis* Pontificibus *præter iſtam ſummam. Eo videlicet pacto & tenore de prædicta pecunia duorum millium Marcharum in præſentiarum mille Marchas puri argenti, de reſiduis vero pignus, ſicut infra legitur, recepimus, ut nihil de prædicta pecunia in damnum, ſeu contrarietatem Romanæ Eccleſiæ aliquo in tempore malitioſe expendamus, & hanc tranſactionis Chartulam inviolabiliter obſervemus. Quod ſi præfatæ conventioni atque tranſactioni aliquis ex nobis contraire tentaverit, & commonitus infra quadraginta dies ſecundùm mandatum Domini Papæ non emendaverit, jam ſolutæ prædictæ pecuniæ partem ſuam reſtituat, & liberatis pignoribus, a reliquæ ſuæ portionis petitione cadat, & ex propria noſtra conventione publicæ excommunicationi ſubjiciatur, præfata tranſactione nihilominus in ſuo robore permanente. Pro emendatione verò prædictorum damnorum a te Domino Papa, ſicut ante legitur, tranſactionis nomine, in præſentiarum mille Marchas puri argenti recepimus: pro reliquis verò mille Marcis argenti a te Domino Papa totum jus, quod Romana Eccleſia habet in Civitate Caſtellana, & in toto ejus Comitatu, & Monte Alto, excepto eo, quod Malavolta tenet in iſta Civitate Caſtellana a Romana Eccleſia, pignoris nomine ſuſcepimus. Tali videlicet conditione, quod neque nobis, neque heredibus noſtris aliquid de iſto pignore alicui nomine pignoris concedere nec infeudare, aut aliquo modo alienare liceat. Quod ſi facere aliquis noſtrum præſumpſerit, niſi ea penitus liberaverit, Vos, ſeu Succeſſor veſter, qui pro tempore ſederit, redimet quidquid de ipſis pignoribus obligatum invenerit de reliqua pecunia, quæ nobis perſolvi debet. Sane Dominus Papa, vel ejus Succeſſores non debent auferre pignora Præfecto, ſuiſque conſortibus, niſi Præfectus vel ſui conſortes jam dictam conventionem infregerint, donec reliqua pecunia eis ſoluta fuerit. Et hominibus Civitatis Caſtellanæ præcipiet, ut jurent Præfecto, ſuiſque conſortibus, quod bona fide eos juvabunt ad Civitatem Caſtellanam, ejuſque Comitatum tenendum juxta prænominatæ conventionis tenorem. Pecuniam verò, pro qua prædicta pignora obligata ſunt, in hunc modum debebit ſolvere Dominus Papa. In ſequenti Anno quinquaginta Marcas, & in aliis proxime ſequentibus Annis alias quinquaginta vel centum Marcas ſimiliter pro duobus Annis. Et ſi plus ſolvere voluerit, in Romani Pontificis ſit poteſtate. Perſolutis verò iſtis mille Marcis, prædicti novi pignoris ſcriptum, & eadem pignora libera & abſoluta ſine moleſtia & contradictione in manus Domini Papæ reſtituent: aut licitum ſit Domino Papæ auctoritate ſua intrare prædicta pignora. Præterea convenit Dominus Papa quod Præfectum, ſuoſque conſortes ad reædificandas Domos ſuas in Urbe juvabit, ita tamen ut nec expenſas, nec guerras hujus rei causâ facere teneatur.*

Actum eſt hoc Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Octavo, temporibus Domini Adriani IV. Papæ, Anno ejus IV. menſe Julio, Indictione VI.

A Præfecto, & Johanne Præfecti, Octaviano germanis fratribus, Petro Johannis, Johanne Caparronis; Viterbii, XVI. Kalendas Auguſti, in præſentia rogatorum teſtium: Oddo de Inſula, Stephanus de Martha, Johannes de An-

Ancilla Dei, Petrus Botellerius, Malabranca, Grunterius filius quondam Leonis de Collo, Urſus de Bove, Malavolti.

A Johanne verò Ugicionis actum eſt hoc Viterbii, Anno, Menſe, & Indictione, qua ſupra, XIV. Kalendas Auguſti, in præſentia ſupradictorum teſtium.

A Milone verò, & matre Johannis Ugicionis, vel Legano abrenuntiantis, actum eſt hoc Vetrallæ, Anno Milleſimo, quo ſupra, XIV. Kalendas Auguſti, in præſentia teſtium: Malabranca, *Johannes de Ancilla Dei, Stephanus de Mirtha, Stephanus Bucano, Rainerii Panateri.*

A Petro verò de Atteſia, & uxore ejus, actum eſt hoc, Anno, Menſe, & Indictione, quæ ſupra, Nepe, XI. Kalendas Auguſti, in præſentia: Johannes Bonellus; Rainerius Panater; Teizo filius Guidonis; Johannes de Ungaro; Cenzo Buccazunca de Civitate Nepeſina: hi omnes rogati teſtes.

Ego Johannes, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Notarius, hanc Chartulam ſcripſi, & bene complevi.

Petrus Nicolai Præfectus Navalis juravit Domino Papæ Innocentio, ſuiſque Catholicis Succeſſoribus in perpetuum.

Ad eadem tempora ſpectat hæc altera Charta, quam pariter tenebris ereptam volo, quum de iiſdem Proceribus Romanis ibidem agatur.

Romanus Pontifex (fortaſſe Hadrianus IV.) oppignerat Caſtrum de Caſa-mala Petro Urbis Præfecto, Johanni, & Octaviano fratribus ejus, Petro de Attegia, Petro Johannis, Johanni Obitionis, & Johanni Caperrono, qui pro quibuſdam neceſſitatibus Romanæ Eccleſiæ triginta Marcas argenti mutuo conceſſerant, circiter Annum 1156

PRæſentibus ſcriptis notum fieri volumus, nos a vobis triginta Marchas finis argenti ad pondus Romanum pro neceſſitatibus Eccleſiæ mutuo recepiſſe: pro quibus quicquid habemus in Caſtro de Caſa-mala, cum redditibus & pertinentiis ſuis, vobis pignori obligavimus, ita quod donec a nobis, aut ab aliquo Succeſſorum noſtrorum prætaxata pecunia vobis reddatur, ad vos vel ad eum, cui vos delegaveritis, quicquid in eodem Caſtro ad jus noſtrum pertinet, velut ad nos ipſos, debeat provenire. Porrò ſolutâ pecuniâ, quod in ipſo Caſtro vobis obligavimus, libere ad nos & integre revertetur. Si verò pecuniam ipſam vel vos, vel ille, cui vos dimiſeritis, recipere fortè noluerit, nos numeratâ eidem pecuniâ, conſignatâ, & in ſacra Æde depoſitâ, nihilominus Caſtrum ipſum recipiemus. Adjicimus etiam, ut prædictum Caſtrum pignorandi, aut aliquo titulo cuilibet alienandi facultatem aliquam nullatenus habeatis.

Datum Narniæ, IV. Kalendas Septembris.

Dixi numeratos *Annos Senatus*, & pacem pluries fractam & reſtauratam: quod quamquam ex aliis monumentis conſtet, novo tamen confirmare decrevi. En ergo tabulas, quas mihi ſuppeditavit nuper memoratus Codex MStus Cencii Camerarii.

Chartula memorialis ſuper conventionibus inter Domnum Papam Cæleſtinum & Senatum, Anno 1191.

IN nomine Domini. Nos Senatores almæ Urbis, decreto ampliſſimi ordinis ſacri Senatus conſtituimus, & firmiter ſtabilimus, & per præſentem Senatoriæ dignitatis paginam ad poſterorum memoriam reducimus, quatenus Romanæ Eccleſiæ, & Domno Papæ nullatenus præjudicet neque noceat per tempora, quod Dominus Papa Cæleſtinus *de mera ſua liberalitate & gratia ad præſens largitur* Senatoribus, *qui ſunt ſupra numerum quinquaginta ſex Senatorum. Qui numerus in fine prædeceſſorum ejuſdem Cæleſtini ſummi Pontificis diffinitus continetur & legitur. Quam finem cum ſuis tenoribus modis omnibus ratam & firmam habemus & haberi in poſterum decernimus. Statuentes, ut quod Domnus Papa jam dictus de ſua ſola gratia, ſicut præſcriptum eſt, fecit, non trahatur aliquando in exemplum ab aliquo, ſed ſolummodo præfatus quinquaginta & ſex Senatorum numerus, qui in Fine inter Eccleſiam, & Urbem factâ continetur, Beneficia & Presbyteria conſueta a Romana Curia integre conſequatur.*

Actum Anno XLVII, *Senatus, Indictione IX.* A *menſe Maji die XXVIII. juſſu Senatorum Conſiliariorum, Pauli Laurentii, Pauli Franconis, Pauli Johannis Pauli, Petri Ser Leonis, Nicolai Johannis Siſſonis, Jaquinti Johannis Erri, Gregorii Farulfi, Stephani Cipharelli, Guidonis Johannis Alexandri, Nicolai Bozi, Laurentii Rogerii Cenimi, Gulferani Centii Gulferami, Stephani Petri Mainardi, Ovitionis Calidibucconis.*

Neque Roma tantùm temporibus iis in conſilia Libertatis erupit, ſed & nonnullæ aliæ ex Civitatibus, Oppidis, & Caſtellis Pontificiæ ditionis, æmulatæ ſunt Romani Populi facinus. *Urbevetanos* præſertim invenio per ea tempora quamdam Reipublicæ formam aſſumſiſſe, & B regimen Civitatis detuliſſe *Conſulibus*. Verùm Hadrianus IV. nuper laudatus, cui Roma ipſa faſces ſubmiſerat, Urbevetanum quoque Populum ad debita officia pertraxit, initâ cum iis concordiâ, in qua tamen aliquis Reipublicæ ordo & auctoritas Populo illi ſervatus fuit. Tabulas, ex prælaudato Cencii Codice depromtas, rei indices adtexo.

Scriptum conventionis inter Domnum Adrianum Papam IV. & Urbevetanos, Anno 1157.

ANno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Septimo, Indictione VI. menſe Februario, factum eſt hoc pactum inter Domnum Papam Adrianum, & Populum Urbevetanum. *Ex parte Domni Papæ, mediantibus Julio titulo Sancti Marcelli, & Bernardo titulo Sancti Clementis, & Rolando titulo Sancti Marci, & Cancellario, & Henrico titulo Sanctorum Nerei & Achillei, Presbyteris Cardinalibus, & Hiacintho Sanctæ Mariæ in Coſmidin, & Johanne Neapolitano Sanctorum Sergii & Bacchi, & Boſone Sanctorum Coſmæ & Damiani, Diaconis Cardinalibus. Ex parte verò Urbevetanorum mediantibus Rocco Priore Sancti Conſtantii, & Conſulibus* Wilelmo *Johannis Lupi, & Petro Alberici, & Nobilibus viris* Wilelmo *Beccario, & Nero. Fecerunt ſiquidem præfati Conſules ligium hominium Domno Papæ, & fidelitatem ſibi, & Succeſſoribus ſuis catholice intrantibus, ſecundùm tenorem juramenti, quod faciunt ei alii fideles ſui* de Regalibus. *Quam etiam fidelitatem præſtitit ei* Populus Urbevetanus, *ſecundùm conſuetudinem aliarum Civitatum Domni Papæ. Et hanc eamdem fidelitatem, ſi requiſita fuerit a Domno Papa, vel ſi ipſi ipſi ſponte obtulerint, eam renovabunt ei ſinguli Conſules, & ſucceſſoribus ſuis, quum novus ſucceſſerit Conſulatus in Civitate Urbevetana;* C *præſtito tamen ei beneficio decem Librarum; & quum redierint a Curia, præcipient Populo ſub tenore juramenti, quo ei tenebuntur, ut juratam fidelitatem Domno Papæ firmiter teneant & obſervent. Et quum novi ſubſtituentur in Romana Eccleſia Pontifices, Conſules & Populus Urbevetanus jurabunt eis, ſicut modò fecerunt Domno Adriano, non requiſito alio beneficio, niſi decem Librarum pro Conſulibus. In expeditionibus Domni Papæ ſervient ei a Tintiniano uſque Sutrium, & ad Tintinianum & Sutrium. Juraverunt etiam, quod ſecuritatem præſtabunt Domno Papæ, ſi aliquando voluerit accedere ad Civitatem Urbevetanam, & omnibus euntibus ad ipſum, remanentibus ſecum, & redeuntibus* D *ab ipſo. Domnus Papa præſtitis juramentis a Conſulibus & Populo Urbevetano, dedit eis pro benefico CCC. Libras Afforciatorum; & receptis fidelitatibus, ſi burgenſes Aquæpendentis voluerint redire ad mandatum Domni Papæ, ſtudeat Domnus Papa de pace reformanda inter eos, non tamen violentiâ, ſed de conniventiâ partium.*

Paria animadvertas auſos quoque fuiſſe Cornietani Oppidi Cives, quos tamen Lucius II. Papa ad juſtiora ac ſaniora conſilia compulit. Teſtantur id tabulæ, e præmemorato Regeſto Cencii non ſecus ac præcedentes deſcriptæ.

Charta reſtitutionis Cornieti Lucio Papæ II. factæ, Anno 1144.

IN nomine Domini, Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Quadrageſimo Quarto, Anno Primo Pontificatus Domini Lucii II. Papæ, Indictione VII. menſis Novembris die XX. Nos quidem Gottifridus de Pinzono, & Vezo Franconis Conſules, *una cum Ægidio Vicecomite, & Ranutio de Guittone, ex mandato & voluntate aliorum* Conſulum & Populi Cornietanæ Civitatis *tam pro nobis, quàm* pro cuncto Cornietano Populo, *hac die, propriâ, ſpontaneâque noſtrâ voluntate, renuntiamus, & refutamus, atque reſtituimus tibi* Domino noſtro Lucio ſanctiſſimo Papæ II., *& per te ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, tuiſque Succeſſoribus in perpetuum: ideſt quicquid* de Regalibus *beati Petri, quæ ſunt in Cornieto, vel ejus territorio, alienatum eſt, vel ablatum, ex quo Petrus quondam Præfectus Johannis Michini primùm habuit Cornietum; ſcilicet in domibus, terris, vineis, hortis, molendinis, & portu; & generaliter de quacumque cauſa ad Curiam pertinente alienatum eſt, ſive ex venditione, ſive ex donatione, ſive ex locatione, aut ex pignore, ſive violenter uſurpatum, ſive in novo Feudo datum, ſive aliquis tunc a conſueto ſervitio excuſatus fuerit: totum, ut dictum eſt, tam pro nobis, quàm & pro cuncto Cornietano Populo, vobis renuntiamus, & refutamus, atque libere reſtituimus, ut numquam a nobis, vel a Cornietano Populo, aut heredibus, aut ſucceſſoribus noſtris aliquam aliquando habeatis litem exinde vel moleſtiam. Et hæc omnia jure jurando corporaliter præſtito adimplere & obſervare promittimus, & ſex homines noſtrorum Civium pro toto Populo Cornietano hoc ipſum jurare facere. Et ſi aliquis ex Cornietanis contra hoc agere præſumſerit, & vos, ideſt Populus Cornietanus infra quindecim dierum ſpatium, poſtquam a Curia requiſiti erimus, emendare non fecerimus, abſque labore, vel expendio Curiæ, tunc ille, qui hunc reatum patrare attentaverit, ſit in amiſſione* A *omnium bonorum ſuorum, & omnia univerſa ejus bona ad Curiam devenient; & inſuper Cornietanus Populus componat vobis, veſtriſque Succeſſoribus pro pœna centum Libras Lucenſium Infortiatorum: & ſolutâ pœnâ hæc refutationis Chartula perpetuo firma permaneat. Quam ſcribendam rogavi Johannem Scriniarium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in Menſe & Indictione ſupraſcripta VII.*

✠ ✠ ✠ ✠ *Signa manuum ipſorum ſupraſcriptorum Gottifridi, & Vezonis Conſulum, & Ægidii, & Rainutii de Guitto, pro ſe, & cuncto Cornietano Populo, hujus Chartulæ rogatorum.*

Johannes de Petro Nicolai, teſtis.
B *Maximus de Octaviano, teſtis.*
Romanus Guidonis Vulferani, teſtis.
Romanus de Barontio.
Romanus de Emperino.
Petrus de Griſotto.
Johannes de Stephano Baronchinorum.

Præterea, quum fracta eſſet compages vetuſti regiminis apud Lombardos, non Urbes dumtaxat in Libertatem ſeſe aſſeruerunt; ſed etiam Terræ & Caſtella non pauca paribus animis ad autocratiam anhelarunt, ſuiſque Magiſtratibus a ſe conſtitutis parere cœperunt. Pars nempe dejectis antiquis Imperatorum Vaſſis, ſeu Caſtellanis, imperium arripuere; C pars ab ipſis Urbibus deficientes, legem ab eis ultra accipere detrectarunt, immo ad amplificandam ditionem propriam contulerunt quidquid virium & opum potuerunt. Hinc ſciſſa procedente tempore in pæne innumeras Communitates magna Italiæ portio. Exemplum ſuppeditabit nobis Charta, quam ex authentico exſiſtente apud Monachos Ciſtercienſes Sancti Ambroſii Majoris Mediolani deſcripſi. Ibi occurret nobis *Commune Bellaſii*, ejuſque *Conſules* ad Annum Chriſti MCLXVII.

Sententia Danielis Epiſcopi Pragenſis, qua decernit, homines de Civenna & Lemonta ſubjectos Monaſterio Mediolanenſi Sancti Ambroſii majoris, abſolvendos eſſe a juramento per illos præſtito Communi Bellaſii, Anno 1167.

IN *nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, & beatæ glorioſæ Mariæ Virginis, quæ augeat vitam* Domni Federici glorioſi Principis, *Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Sexageſimo Septimo, Indictione XV. die Martis, quæ fuit Decimo ſexto Calendas Februarii. De controverſia, quæ vertebatur inter* Abbatem Sancti Ambroſii *pro ſe, & pro Hominibus de Lemonte & de Civenna, &* Commune de Bellaſio, *quæ talis erat: quod Abbas & Homines de Civenna & de Lemonte contentebant, ſe abſolvi debere a ſacramentis, quibus tenebantur eis ſolvere pro burſa, & ſtare ſecum in vicinitate, & facere placita ſub eis, & fodrum cum eis dare. Et contra* Ribaldus Conſul de Bellaſio, *qui juravit ſe eſſe* Nuncium Communis de Bellaſio, *aſſerebat, prædictos Homines de Civenna & de Lemonte non debere abſolvi ab illis ſacramentis. Et ſic viſis utriuſque partis allegationibus,* Domno Danielle Epiſcopo Pragenſe *ſedente pro tribunali in loco, qui dicitur Campus Rimoldi, Otto de Caſſali Morano Judex Curiæ, conſilio aliorum Judicum, ejuſdem Curiæ, Guldi de Bornardo, ut Ugonis de Raſſi, & Mediipresbyteri, & Acerbi, abſolvimus Homines de Lemonte & de Civenna, ut non teneantur eſſe de vicinancia Hominum de Bellaſio, neque per Caſtellanciam, vel fodri dationem, vel placitationem, ſeu aliquam diſtrictionem; & condemnavimus prædictum Conſulem, ut abſolveret prædictos Homines de Civenna & de Limonte. Et ipſe ſtatim abſolvit. Et Dominus Abbas Sancti Ambroſii,*
A *cujus Homines illi de Lemonte & de Civenna erant, juravit, quod neque ipſe, neque prædeceſſor ſuus dedit parabulam prædictis Hominibus ſuis, ut ſe juramento aſtringerent illis de Bellaſio; & præſtito illo ſacramento, ſimiliter abſolutus eſt Abbas. Ibi fuerunt Nazarius de Aſtena, & Guglielmus de Pero, & Aliprandus Malladobatus, & Valdricus Secaltus de Cummo, & Magnus, & Albertus, & Guglielmus de Bexutio.*

Ego Morandus ſacri Palatii Notarius, juſſu ſupraſcriptorum Judicum hanc ſententiam ſcripſi.

B Non vacat inquirere, ubinam ſitum fuerit *Bellaſium*. Viſitur quidem in Novocomenſi agro ad Larium amœniſſimus ejuſdem nominis locus: ſed aliis decernendum relinquo, ibine, an alibi conquirendum ſit Oppidum, in Charta iſta memoratum. Erant etiam ex hujuſmodi ruſticanis Communitatibus, quæ Privilegia ſibi ab Imperatoribus procurabant. Suberat Monaſterio Dionyſiano Mediolanenſi *locus de Melathe*. Verùm homines loci *per obreptionem precum* a Friderico I. Imperatore auctoritatem impetrarunt *eligendi homines*, ideſt Conſules, *qui jurabant de eis regendis pro communi, vel ſpeciali negotio ſine parabola* (nunc Parola)
C *& conſilio Abbatis Sanctorum Dionyſii & Aurelii*. Teſtem rei offero Diploma ejuſdem Friderici, quod ex adverſariis Cl. V. Puricellii excerpſi.

Fridericus I. Auguſtus Monaſterio Mediolanenſi Sanctorum Dionyſii & Aurelii omnia illius jura & bona confirmat, Anno 1158.

IN *nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis.* Fredericus *divina favente clementia* Romanorum Imperator ſemper Auguſtus. *Ut publicæ rei, & ſanctarum Eccleſiarum cauſas æqua lance & juſto examine trutinemus, quæ duo maxima bona, licèt inter ſe vario ſint ordine diſtincta, ita tamen ſibi invicem juſta diſpoſitione Dei ſunt connexa, ut ſi alterum perierit, alterum præcipitium pati, non ſit ambiguum. Noverint idcirco omnes fideles tam futuri, quàm præſentes,* Domnum Guifredum Sanctorum Dionyſii & Aurelii Cœnobii Abbatem, *noſtram adiiſſe clementiam, ut præfatam Abbatiam, non longe a Civitate Mediolanenſi ſitam, cum omnibus adjacentiis & pertinentiis eidem Abbatiæ Sancti Dionyſii, quæ ſunt domicultus, prædia, molendina, prata, ſilvæ, paſcua, noſtræ auctoritatis Præcepto confirmaremus, & Imperiali vigore corroboraremus. Nos verò tam devotiſſimi Deo, & fideliſſimi nobis Abbatis amplectentes petitionem, pro remedio animæ noſtræ, parentumque, ac omnium Catholicorum refrigeratione, ut eadem Abbatia*
D *in melius creſcat, robuſtiuſque ab invaſoribus exemta diteſcat, per hujus noſtræ auctoritatis Præceptum, jam dictam Abbatiam cum Eccleſia intra prænominatam Mediolanenſem Civitatem ſita, quæ dicitur Sancta Maria in Solariolo, & cunctis rebus, quæ ad eamdem Eccleſiam pertinent, cum quatuor manſis, qui ſunt in loco Agracino, & Robiolo, ſeu Romano, Neſique, juxta Cumanum Lacum, cumque etiam terra, quæ eſt in Segradella, ſeu in Sexto, Barziago, Caſaleglo, in Quinto, in Cutiaco, Vertiago, Grugonzola, Barciano, Brettenico, Vicotodoni, Preſſiano, Neſpoletho, Montebaliate, Caſteniathe in Braida, in Burrorum,*
E *Oreliano, Faniano, Cuncuretio, Meleſo, Paule, Caſterno, Marcallo, Mardegurio, Caſſiano, Fraxanetho, Secrathe, Callugate, Surdi, Caſale-Moroni, & tertia parte Curtis, quæ dicitur Talamona, cum diſtricta, & omnibus ipſis, quæ tenet in Aromnio, ſeu omnibus concambiis Piſchallii, Imperiali auctoritate confirmamus. Præcipientes, ut jam dictum Cœnobium habeat & poſſideat diſtrictum & albergariam*

garium totius loci de Melathe, *& quicquid uſque modo in eo loco legaliter, ſeu juſte habere conſuevit*. Et ut ruſtici prædicti loci poteſtatem ulterius eligendi Homines in antea, qui jurent de eis regendis pro communi, vel ſpeciali negotio, ſine parabola & conſilio Abbatis ejuſdem Monaſterii, vel ejus ſucceſſoris, non habeant. *Jubemus quoque, ut omnes homines ſupradicti loci præſenti Abbati, & ejus ſucceſſori fidelitatem jurent. Statuimus etiam*, ut reſcriptum, quod ruſtici prædicti loci per obreptionem precum impetraverunt contra hanc noſtram munificentiam ſeriò indultam, nullo modo valeat. *Invaſionem verò illam, ſeu venditionem, quam* Adelbertus Abbas *jam dicti Monaſterii fecerat, omnibus modis irritam eſſe cenſemus, & in omnibus damnamus locis. Præterea quicquid prædicta Eccleſia juſte vel legaliter acquiſivit* ab Heriberto *bonæ memoriæ* Archiepiſcopo, *& ejuſdem Cœnobii fundatore, vel ab aliis fidelibus, ſive in poſterum aquiſitura eſt, cum rebus mobilibus & immobilibus, vel ſeſe moventibus, confirmamus & corroboramus, ſalvâ per omnia Imperiali juſtitiâ. Statuimus etiam hoc Imperiali Præcepto, ut ſi imminentibus peccatis, Cartulæ & ſecuritates de terris, aut rebus ipſius Monaſterii, igne, aut latronum*

A *incurſu, vel aliquo caſu deperierint, ex Imperiali auctoritate noſtra ejuſdem Abbatiæ Advocatus habeat poteſtatem cum duodecim Sacramentalibus jurejurando firmare, quod illo die, quo ipſæ Cartulæ perditæ fuerunt, inveſtituram haberet Abbatia de rebus, quas continebant. Et ita ſe defendat ſecundùm legem ad partem ipſius Monaſterii, ac ſi eaſdem in præſentia haberet Cartulas, omnium hominum contradictione, atque moleſtatione penitus remota. Sancimus etiam, ut de ipſa Abbatia, vel prædictis omnibus locis, neque Dux, neque Marchio, neque Comes, neque major quælibet vel minor perſona fodrum aliquod præter noſtrum Imperiale fodrum exigat. Decimæ, & ipſorum locorum*

B *diſtricta, ad ipſam Abbatiam per hujus noſtræ munificentiæ Præceptum in perpetuum pertineant. Si quis verò, quod abſit, nefario auſu hoc noſtræ confirmationis Præceptum violaverit, centum Libras auri optimi ſe compoſiturum procul dubio cognoſcat, medietatem Cameræ noſtræ, medietatem Abbatiæ. Quod ut verius credatur, diligentiuſque ab omnibus obſervetur, præſentem inde paginam conſcribi fecimus, eamque noſtræ imaginis Sigillo munitam, ſalvo Imperiali jure, approbantes confirmavimus.*

Signum Domni Frederici  *Romanorum Imperatoris invictiſſimi.*

Locus ✠ Sigilli cerei.

Ego Fridericus Colonienſis Archiepiſcopus, & Italici Regni Archicancellarius recognovi, Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Octavo, Indictione Septima, regnante Domno Frederico Romanorum Imperatore glorioſiſſimo, Anno Regni ejus Septimo, Imperii verò Quarto, feliciter. Amen, Amen.

Datum in Runchalia, Decimoquinto Calendas Decembris.

Ita reperio in monumentis Reipublicæ Mutinenſis multa Caſtella in montibus noſtris ſita, quorum habitatores Sæculo Chriſti Duodecimo Libertatem arripuiſſe dignoſcuntur, ſed paul-

C latim, aut volentes, aut inviti, Populi Mutinenſis ditioni ſeſe ſubdidere. Exemplum exero deſumtum ex antiquo Regeſto ejuſdem Reipublicæ.

Quali-

Qualiter Conſules de Pigneto jurant ſtare mandatis Conſulum Mutinæ, Anno 1179.

A HEinricus Conſul de Ponpignano, & *Lanfranchinus, jurant mandatum* Conſulum Mutinæ, *ſicuti* Homines de Montealto, & de Moceno, *qui ſacramentum fecerant, & juraverant. Et quod hoc ſacramentum facient facere alios* Homines de Ponpignano, *ſcilicet ſalvandi Homines de Mutina, & defendendi, & ſtratam cuſtodiendi, & faciendi oſtem, & dandi Boaciam Communi Mutinæ; & ſequi Conſules Mutinæ omni anno jurare, ſicuti in Carta aliorum* de Frignano, de Mozeno, & Montealto, *& aliorum continetur*.

Actum in Eccleſia Sancti Geminiani, Milleſimo Centeſimo Septuageſimo Nono, Indictione B *XII, Quintodecimo Kalendas Julii, die Dominica, in præſentia Conſulum Mutinæ, Squarzæ & Guizardi de Cortexella, & aliorum, Domini ſcilicet Gandulfi Judicis, Domini Arduini Raffachani, Lanfranchi de Saltino, & aliorum*.

Ego Blaxius, Imperialis ſacri Palatii Notarius ſcripſi.

Quod etiam animadvertas velim, eiſdem temporibus Oppida ac Terræ occurrunt, in quibus Populus *Communitatem* conſtituebat, quamquam eiſdem Princeps aliquis, ſive Regulus dominaretur. Profecto, uti ſufiſſime oſtendi in Antiquitatibus Eſtenſibus, inclyta Eſtenſium Marchionum, nunc Mutinenſium Sereniſſimorum Ducum progenies, *Eſtenſi* ſive *Ateſtino* nobiliſſimo Oppido dominabatur Sæculo Chriſti Undecimo, ac diu dominari perrexit. Attamen in eiſdem Antiquitatibus Par. I. Cap. 33. pag. 349 in Charta Anni MCLXXXII. mentio eſt *Communitas de Eſte*. Rurſus ad Annum MCCIV. invenio *Commune* Eſtenſis ejuſdem Oppidi, inter quod, & Azzonem VI. Marchionem Eſtenſem concordia pertractata fuit. Chartam accipe, quæ ex Archivo ipſius Oppidi depromta, conjungi poterit cum altera ſupra a me editâ in Diſſertatione XIX. *de Tributis*, ubi occurrit ad Annum MCXCVIII. ſimilis concordia inita ab eodem Azzone VI. cum *Syndicis Communis Adriani* (nunc *Ariano*) qui & ipſi ſuberant ditioni Marchionis ejuſdem.

Concordia inter Azzonem VI. Marchionem Eſtenſem, & Commune Oppidi Eſtenſis, Anno 1204.

IN *Dei nomine. Amen. Anno ejuſdem Nativitatis Milleſimo Ducenteſimo Quarto, Indictione Septima, die Vigeſimoſecundo exeunte menſe Novembris, in Eſte, in Sala domus* Communis, *præſentibus Domino Odorico Judice Rationis, Domino Joanne de Benetto Judice Maleficiorum, Magiſtro Januario Merciario in Eſte quondam Petri, & Magiſtro Felice de Adigerio, Aromatario in Eſte, & aliis. Ibique cum eſſet certa contentio inter* Dominum Azonem Marchionem Eſtenſem *ab una parte, &* Commune de Eſte *ab alia parte, ſuper facto executionis Teſtamenti quondam recolendæ memoriæ* Domini Opizonis Marchionis, Patris prædicti Domini Azonis: *nam dictus* Dominus D Azo Marchio *nolebat, multa bona hereditatis prædicti quondam* Domini Opizonis *dividi debere inter ipſas partes, prætextu, quod ipſa forent de ratione* Pheudi Ducum Bavarienſium, *& Imperatorum, in quo Pheudo dictus* Dominus Azo Marchio *tam ex diſpoſitione Juris communis, quàm ex paterno teſtamento ſuccedebat; ipſum autem* Commune, *ſive Boninſegna Notarius, Sindicus dicti Communis, e converſo prætendebat, multa bona dividi debere, prætextu quod fuiſſent de bonis rebellium malefactorum, & acquiſita de proprio ære Marchionatus. Et hoc vigore Inſtitutionis factæ ipſi Communi per dictum quondam* Marchionem Opizonem *in dimidia bonorum non ſubjectorum Pheu*E*do; adeo quod partes prædictæ tendebant ad extremum, nec ullo modo poterant uſque modo convenire. Propterea ab amicis communibus* C *requiſitæ dictæ partes, & maximæ a nobili Milite Domino Ugolino de Lazaris, Amico utriuſque partis, in hunc modum & formam ſeſe compoſuerunt. Quoniam viſis teſtibus aliàs examinatis per Dominum Oddolinum Cendidarium Judicem delegatum ab Henrico VI. Imperatore, ac habita fide a multis aliis de Pheudo prædicto, convenerunt amicabiliter, quod dividatur inter ſe æquis portionibus bona infraſcripta. Scilicet Frainellus, Savonaria, Vallis Scaphola, Blanzarii, Clauſura, Vidicorigie nemora Pratari, Viagnolæ, & Paluganæ, Palus mag. . . . . . verſùs ſero, & Palus Lauranti verſùs mane, uti bona de ratione hereditatis quondam* Marchionis Opizonis, *non ſubjecta Pheudo antedicto. Reliqua verò bona, ſcilicet Mores, Solexini, Ancharani, Finalis, Carmignani, Vighizzoli, Pauſi, & Gazoli, ceteraque alia bona, ubicumque poſita, pleno jure ſint prædicti* Domini Azonis, *uti bona de ratione Pheudi Ducum & Imperatorum: nec de eis ab aliquo* de dicto Communi *inquietari poſſit. Statuentes partes prædictæ terminum unius menſis proximi ad faciendum inter ſe diviſiones, & ponendum confinia bonorum prædictorum, ſorte ad brevia dividendorum, abſque aliqua contradictione. Et ſic fecerunt & concluſerunt partes prædictæ, ac promiſerunt ſemper de rato in pœnam damni, &* E *Librarum mille denariorum Venetorum, & cum obbligatione omnium bonorum &c.*

Ego Attolinus Hoſtienſis, ſacri Palatii Notarius præſens fui, & rogatus fideliter ſcripſi.

Diviſio bonorum eorumdem facta inter Azzonem VI. Marchionem Eſtenſem, & Commune Oppidi Eſtenſis, Anno 1204.

IN Dei nomine. Amen. Anno ejuſdem Nativitatis Milleſimo Ducenteſimo Quarto, Indictione Septima, die XVI. menſis Decembris in Eſte, ſub Domo Communis, præſentibus Domino Joanne Judice de Benetto, Domino Bonacurſio Judice de Romanino de Ferraria, Domino Olderico Judice, Domino Bonaventura Judice ejus filio, Domino Joanne Biccazerio, Domino Jacobo Tuſuo, Domino Aleardino de Lendenaria, & aliis. Ibique cum Dominus Azo Eſtenſis Marchio, & Commune Eſtenſe, & Boninſegna Notarius dicti Communis, Sindicus conſtitutus ad eligendum partem pro ipſo Communi, forent concordes eligere partes Nemorum Prata, Peagnolæ, Paluganæ, Paludum, & de eorum territoriis, ſecundùm quod partes erant aſſignatæ & terminatæ per amicos communes utriuſque partis in præſentibus locis. Primo de Palugana duæ partes factæ fuerunt. Prima pars versùs Treſtum a crucibus pro confinibus factis. Superius eſt una pars, in qua parte ſunt centum & ſexdecim campi. Item ſecunda pars a crucibus prædictis: inferius versùs Gazolum eſt una alia pars, in qua parte ſunt centum & ſexdecim campi. Item de Piagnola territorii menſurati factæ fuerunt duæ partes. In prima parte eſt terra cum nemore a campo Alberti de Roveredo ſuperiùs versùs Turrem cum parte nemoris, & Territorii, quæ eſt versùs Sanctam Mariam; ſumma dictæ partis eſt de centum viginti uno campo. Item ſecunda pars, quæ eſt versùs terram Martini de Joanne Bonini a Gazodendo, ſunt centum & viginti unus campus. Item de Prata duæ partes ſunt factæ. In prima parte eſt territorium & nemus a Cruce Ripæ Prata per lineam rectam uſque ad Crucem factam prope terram quondam Azonis de Aldigerio versùs Villam, & Carcaſunnicam, quod territorium videtur eſſe quingenti campi, minus decem campi. Item in ſecunda parte a crucibus prædictis ſuperiùs versùs Eſte aliud territorium cum nemore, quod eſſe videtur quadringenti & triginta quinque campi. Item de Palude tales partes factæ ſunt: videlicet pars, quæ eſt versùs foſſatum Noventæ, eſt mille & nonaginta quatuor campi. Item quarterium ſive pars Alturæ noningenti campi. Item pars Agoræ versùs Noventam eſt poſita cum parte Alturæ & foſſati prædicti. Item quarterium ſive pars, quæ eſt deſuper ab Arolis, videtur eſſe octingenti & nonaginta unus campus. Item quarterium ſive pars Campi Longhi videtur eſſe mille & ſeptuaginta tres campi. Item pars Agoræ, versùs Eſte poſita in parte Campi Longhi, & alterum quarterii Arolani. Item pars Agoræ, quæ eſt versùs Noventam, cum quarterio Alturæ debet addere partibus ſive quarteriis deſuper Arolis: videlicet a Campo Longo decem campis. Quæ partes per brevia coram Domino Marchione prædicto, & in plena concione Hominum da Eſte, & præſente dicto Boninſegna Sindico, concorditer ſic ſortitæ ſunt, videlicet. In parte & pro parte nemoris Paluganæ & ejus territorii, Dominus Marchio elegit, & ſibi per breve evenit pars, quæ eſt versùs Treſtum a crucibus ſuperiùs pro confinibus factis. Et pars a crucibus inferiùs versùs Gazolum, prædictus Boninſegna Notarius & Sindicus in parte & pro parte nomine dicti Communis elegit, & ſibi per breve evenit. Item eidem Marchioni ſimiliter per breve evenit de Peagnola territorii menſurati, & nemoris a Campo Alberti de Roveredo ſuperiùs versùs Turrim cum parte territorii & nemoris menſurati versùs Sanctam Mariam. Item eidem Sindico per breve evenit pars, quæ eſt versùs terram Martini de Joanne de Bobus, & de Gazadellis. Item dicto Domino Marchioni per breve evenit ſibi a cruce Ripæ Pratæ per lineam rectam uſque ad crucem, quæ facta fuit prope terram quondam Azonis de Aldigerio de nemore; & inferiùs versùs Carcaſunnicam, & Villam per breve nemus & territorium in parte eidem Boninſegnæ Sindico evenit. Quæ pars habere debet de voluntate diviſorum, & denuntiata fuit: in quam partem eligunt quinquaginta campos, pluſquam alia pars, pro eo quod deterius territorium erat. Item quarterium Paludis versùs Campum Longum in quarterio Arolarum cum parte Agoræ versùs Eſte uſque ad cruces pro confinibus factas & aſſignatas eidem Domino Marchioni pro parte per breve evenit. Et quarterium Paludis versùs Noventam cum quarterio Alturæ, & cum parte Agoræ versùs Noventam uſque ad cruces pro confinibus factas & aſſignatas pro parte, per breve eidem Sindico evenit. Et pactum fuit concorditer conſtitutum, ſi deceptio eſſet inter utramque partem, quod pars, quæ decepta eſſet, debeat reſtaurari de deceptione per aliam partem: ſalvo tamen omni jure & actione omnium poſſeſſiones habentium in prædictis locis.

Ego Attolinus Hoſtienſis, ſacri Palatii Notarius præſens fui & rogatus &c.

Bartolomeus Leonicenus ex autentico de membrana &c.

In nuper memoratis Antiquitatibus Eſtenſibus Par. I. Cap. 37. pag. 365. poſtremis tabulis Obizonis Marchionis Eſtenſis, aliiſque documentis fretus, ſcripſi, *Azzonem VI.* non filium, ſed ex filio nepotem Obizonis ejuſdem fuiſſe. Atqui heic habemus *Opizonem Marchionem patrem prædicti Domini Azonis.* Si vera hæc ſunt, ex Genealogia Eſtenſium expungendus erit *Azzo V.* quem patri præmortuum opinatus fui. Quid ſignificet heic *Pheudum Ducum Bavarenſium*, ſatis jam explicavi in eiſdem Antiquit. Eſtenſ. Par. I. Cap. 34. pag. 341. Atque hæc pauca ſatis ſint ad dignoſcendam originem Libertatis in Civitatibus Italicis. Si qui ſunt (& ſane non deſunt) qui Florentiam, aut alias Civitates opinentur, longe antea, immo & ſub ipſis prioribus Romanis Auguſtis, Libertate donatas Rempublicam conſtituiſſe: ii ſupine falluntur, nimiumque credulos fallunt. Immo animadvertendum eſt, Tuſciæ Civitates ſeriùs, quàm Lombardiæ ad plenam Libertatem aſſurrexiſſe. Nam Sæculo Chriſti Duodecimo Urbes non paucas in Lombardia numerare poſſumus, quibus nulli Marchiones, nulli Comites præerant, hoc eſt Imperiales Magiſtratus. Verùm Tuſciæ Urbibus ad finem uſque ejuſdem Sæculi juſtitiam miniſtrarunt, & legem dixerunt miſſi ab Imperatoribus Comites & Marchiones. Quare ibi ſuprema Libertas eo tantùm tempore invaleſcere cœpit, quo in Germania controverſiæ de Imperio inter Philippum Suevum & Ottonem IV. Brunſvicenſem, Interregnum in Italia pepererunt. Atque hæc pauca ſufficiant in hanc rem, quibuſcum conjungenda ſunt, quæ in Diſſertatione XVIII. *de Republica* antea commemoravi.

DE
CIVITATUM
ITALICARUM
MAGISTRATIBUS.

DISSERTATIO
QUADRAGESIMASEXTA.

DISSERTATIO QUADRAGESIMASEXTA.

QUum primum ſe in Libertatem vindicarunt Italicæ Urbes, reique publicæ formam aſſumſere, neceſſe fuit Magiſtratus deligere, qui tum pacis tum belli negotiis præeſſent, qui juſtitiam Populo miniſtrarent, qui domi potentes, ac ſeditioſos in officio continerent, & cum finitimis Civitatibus pro communi ſalute fœdera conſtituerent. Itaque primo, Romanæ Reipublicæ ad inſtar, *Conſules* adlecti fuere, qui clavum imperii tenerent. Neque prætermiſſum volo, etiam ineunte Sæculo Chriſti Decimo occurrere *Conſules* in Urbe Romana, quorum munus etſi longe diſpar a veterum Romanorum Conſulatu, illuſtre tamen fuerit & tunc oportet. A Panegyriſta Berengarii Auguſti Lib. 4. memoratur inter Primates Romanos *Conſulis Natus*: quæ verba indicare videntur, tunc unum *Conſulem* fuiſſe Romæ. Ad hæc apud Rubeum Libro quincto Hiſtor. Ravennatis, ad Annum Chriſti DCCCCLXIII. habentur acta Concilii celebrati *in loco ubi dicitur Martialia, territorio Mutinenſi*, quo convenit præter Epiſcopos *multitudo Ducum, Comitum* &c. *Judicum, Conſulum, Caſtaldiorum* &c. Infra memorantur *Attelianus & Gerardus germani Conſules*, *& Mauritius filius quondam Romani Conſulis*. Iſti Ravennæ Conſulis dignitate functi videntur. Et ſane eâ in Urbe Anno DCCCCXC. complures Conſules memorantur, ut conſtat e nobili Placito, quod ſupra evulgatum a me fuit in Diſſertatione XXXI. *de Placitis*. Ita ad Annum MXV. *Conſules* Ferrarienſi in Urbe nobis exhibuit alterum Placitum, quod in Præfatione ad Leges Langobardicas Part. II. Tomi I. Rer. Italicarum dedi. In Chronico quoque Farfenſi occurrunt per ea tempora *Conſules Romani*. Verùm Civitates Italicæ, jam Libertatem conſequutæ, non levem, ſed ampliſſimam ſuis Conſulibus auctoritatem tradidere. Audiendus heic Auctor graviſſimus, hoc eſt Otto Friſingenſis Lib. 2. de Geſtis Friderici I. Cap. 13. ubi mores Italicæ gentis deſcribit. *In Civitatum* (ita ille ſcribebat circiter Annum MCLVI.) *diſpoſitione, ac Reipublicæ conſervatione, antiquorum adhuc Romanorum imitantur ſolertiam. Denique Libertatem tantopere affectant, ut Poteſtatis inſolentiam fugiendo, Conſulum potius quàm imperantium regantur arbitrio*. Quot autem Conſules, & unde eligerentur, prodit idem Auctor, hæc alia ſubdens: *Quumque tres inter eos Ordines, ideſt* A *Capitaneorum, Valvaſſorum, & Plebis eſſe noſcantur, ad reprimendam ſuperbiam, non de uno, ſed de ſingulis prædicti Conſules eliguntur; neve ad dominandi libidinem prorumpant, ſingulis pæne annis variantur*. Friſingenſi ergo teſte, tres tantùm Conſules conſtituere in more fuit, eoſque ex tribus Populi ordinibus ſelectos. Verùm antiqua monumenta in hujuſmodi ſententiam minime collineant. Nihil enim conſtans certumve hac in re fuit olim Italicis Urbibus: ſed ſingulæ, prout ſibi unaquæque aut utilius aut commodius cenſebat, ideſt pro ſuo arbitrio, Conſules deligebant, modò duos, modò quatuor, modò plures, ita ut in Pace Lucenſi Anno MCXXIV. confectâ (quam B Chartam evulgatam habes in Antiquitatib. Eſtenſib. Par. I. Cap. 17. pag. 154.) numerarentur *ſexaginta Conſules* Urbis Lucenſis. In Charta Monaſterii Padolironenſis Anno MCXXVI. ſcripta occurrerunt mihi *Albertus & Azo filii Azonis, Wido filius Ugonis de Bona, Opizo de Colantono, & Albertus filius Bonacauſæ de Pergerio, Conſules Mantuæ*. Eodem Sæculo duodecim Conſules præfuiſſe Civitati Bergomenſi, in Præfatione ad Carmen Magiſtri Moyſis oſtendi Tomo V. Rer. Italicarum. Reipublicæ Genuenſi primò, hoc eſt circiter Annum Chriſti MCII præfecti fuere Conſules ſex, aut quatuor. Anno autem MCXLV. ut habetur in Annalibus Caffari, Tomo VI Rer. C Italicarum, numerabantur ibi *Conſules de Communi quatuor, & de Placitis quatuor*. Anno MCLX. fuerunt *Conſules de Communi quatuor, & de Placitis octo*. Subſequenti Anno *Conſules de Communi quinque, Cauſarum verò Conſules fuerunt octo*. Idem ſignificant *Conſules de Placitis*, ſive *Cauſarum Conſules*, atque *Conſules Juſtitiæ* alibi memorati, qui nempe jus Populo publice reddebant.

Et profectò non unus erat Conſulum ordo; ſed aliis credebatur ſupremum politicum regimen, aliis verò (Juris videlicet peritis) cura decernendi lites civiles inter Populum exſurgentes. Primi *Conſules Majores* appellantur in Statutis Piſtorienſibus, quæ infra in Differt. L. D a me edita reperies. Iidem iſti erant, atque *Conſules de Communi* apud Genuenſes. Mutinæ Anno MCXLII. ſeptem ſaltem Conſules fuiſſe invenio, quum Epiſcopus Ribaldus una cum Conſulibus Mutinenſibus liberalem ſe exhibuit erga Monachos Benedictinos Sancti Petri, uti ex ſubſequenti Charta conſtabit, quæ in Archivo ejuſdem Cœnobii habetur.

Conceſſio canalis aquæ, addita facultate conſtruendi Molendinum, facta Monachis Mutinenſibus Sancti Petri a Ribaldo Epiſcopo, & Conſulibus Civitatis, Anno 1142.

A *IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno Domini Milleſimo Centeſimo Quadrageſimo Secundo, de Menſe Madii, Indictione Quinta. Quum adeſſet* Domnus Ribaldus, *Dei gratiâ* Mutinenſis Eccleſiæ Epiſcopus, *in Palatio Domnicato, & cum eo aſſidentibus* ſeptem *ſibi* Conſulibus Urbis Mutinæ, *Guidone de Azone de Fredo, & Bernardo Medico, & Girardo de Gajo, & Manfredo de Saliceto, & Guntardo & Fredulfo de Macreta, & cum illis Ubaldus Cauſidicus, & Rolandus de Tetelmo, & Geminianum Maſſarium, & Boſchittum, & Petrum Ginbucium, & Petrum France ...... & Gandalinum, & Gambalonga, & ceteri quamplures,* B *in eorum præſentia & teſtimonio ſupradictus Domnus Ribaldus Epiſcopus cum omnibus ſupradictis Conſulibus & vicinis, conceſſit atque tradidit Monaſterio Sancti Petri Apoſtolorum Principis ſito juxta prædictam Urbem in manu* Domni Placiti Abbatis, *locum unum cum aquario, in quo Molendinum conſtruatur. Et eſt ille locus in tota poteſtate Urbis, aut in Foſſa, quæ currit inter Stradam & Cervaram, in qua melius convenit ad proficuum Monaſterii; cum introitu & exitu, & cum omni jure & uſu ad Molendinum uſualiter pertinet, ut præfatum Monaſterium perpetualiter habeat auctoritate Domni Epiſcopi, & Conſulum,* C *& vicinium, & poſſideat ad uſum & ſumptum prædicti Domni Placiti Abbatis & Fratrum, qui in eodem Monaſterio nunc ſunt, vel in ſempiternum ſervierint. Et nullum hedificium conſtruatur inter hoc novum Molendinum, & alium Molendinum Domni Abbatis, quod noceat huic novo Molendino. Et ſi Domnus Epiſcopus, vel ejus Succeſſores, aut Conſules, vel ſi qua perſona magna parvaque hoc datum rumpere voluerit, & obſervare noluerit, nomine pœne componat Libras XX. Denariorum Lucenſium prædicto Monaſterio, & Domno Abbati. Poſt penam ſolutam hoc ſcriptum ratum ab omnibus teneatur ..*

D ✠ *Ego* Ribaldus *Dei gratiâ* Mutinæ Epiſcopus *manu mea ſubſcripſi.*

Ego Sigezo Magiſter Scolarum manu mea ſubſcripſi.

Ego Presbiter Ugo manu mea ſubſcripſi.

Ego Johannes Diaconus manu mea ſubſcripſi.

Ego Johannes ſacri Palacii Notarius ſcripſi.

Attentis oculis Charta hæc conſideranda eſt; inde enim eorum temporum mos non levis momenti nobis ſe prodit. Nimirum tam Epiſcopum quàm Conſules in ejuſmodi donationem conſenſiſſe, & potiores quidem partes Epiſcopo tributas fuiſſe. Hæc, inquam, nos ad intelligendum perducunt, E in nonnullis Italiæ Urbibus Cives proculdubio in Libertatem aſſurrexiſſe, atque inter ſe diviſiſſe Reipublicæ regendæ onus atque honorem: attamen primas regiminis partes delatas fuiſſe Epiſcopo Urbis, tum quod is Civium præclariſſimus foret, tum etiam quod Populi caput cum conſtituebat Eccleſiaſtica dignitas. Accedebat, quod uti alibi commemoratum eſt, ab Imperatoribus collatus fuerat nonnullis Præſulibus ipſe etiam Comitatus, ſive regimen temporale Urbis, cui præerant jam in ſpirituali regimine. Hoſce potiſſimum par erat præſtantiorem habere locum in nuper inſtituta Republica: ac proinde cum iis auctoritatem ſuam Populus partiebatur, ſinebatque eos primam ſententiam dicere in publicis negotiis. Hiſce ipſis temporibus, hoc eſt Anno MCXLIII. uti conſtat ex Charta a Campio evulgata in Appendice ad Tomum primum Hiſtor. Eccleſiæ Placentinæ, num.123. pag. 541. *Arduinus Placentinus Epiſcopus* conceſſit *adminiſtrationem Pontis Trebiæ* Monaſterio Trebienſi, *conſentientibus viris Religioſis tam Clericis quàm Laicis, quorum nomina ſubtus leguntur.* Infra in eam donationem conſenſerunt *Nicolaus de Caſtello Alquato* (lego *Arquato*) *& Leccacorvus Conſules Civitatis* Placentinæ. Nam quod idem Campius alibi ſcribit (atque in eam rem monumentum adfert num. 95.) etiam Anno MLXIII. fuiſſe *Conſules Placentiæ*, equidem ei fidem in hoc facile adhibendam non puto, niſi certiora documenta ſuppetant. Nondum enim video, tunc in alias Urbes invectum *Conſulum* nomen & auctoritatem: & ad Placentiam quod attinet, certe ad id perſuadendum nobis informis illa a Campio allata Charta minime ſufficit. Paucis tantummodo Annis ante finem Sæculi a Chriſto nato Undecimi invecti fuiſſe videntur Conſules ad regimen Italicarum Urbium. Adeant heic Lectores velim, quæ Tomo V. Rer. Italicarum enarrantur de bello inter Mediolanenſes & Comenſes per plures annos producto, cui tamdem Anno MCXXVII. cum excidio Comenſis Urbis factus eſt finis. Ibi videas *Anſelmum Mediolanenſem Archiepiſcopum*, quamquam Coadjutor tantùm foret *Jordani Archiepiſcopi*, ingenti auctoritate illud bellum ſuſcepiſſe ac peregiſſe, ita ut ad eum referatur Novocomenſis Civitatis everſio: quam in rem doctiſſimi viri D. Joſephi Stampæ Somaſchenſis Ordinis Notas ad Poëma Comenſe pag. 408. conſulere potes. Ex eodem etiam Poëmate conſtat, *Guidoni Epiſcopo Comenſi* in temporali ſuæ Urbis regimine præcipuam fuiſſe poteſtatem. Immo, uti in antiqua Scheda ab eodem Stampa edita pag. 407. legitur, Jordanus de Clivio, nuper memoratus Archiepiſcopus Mediolanenſis, *tunc regebat Mediolanum*; & tamen iis temporibus *Conſules Mediolanenſes* paſſim occurrunt, ipſique bella gerunt.

Hæc autem dum commemoro, nolim putes, apud eoſdem Mediolanenſes Archiepiſcopos totius auctoritatis culmen fuiſſe. Illuſtri Archiepiſcoporum muneri multum deferebatur in politicis quoque rebus: at penes Populum, & Milites, hoc eſt Nobiles, erat ſupremæ ditionis atque poteſtatis exercitium. Ipſe Jordanus a Comenſi Populo læſus, teſtante Landulpho de Sancto Paulo in Hiſtor. Mediolanenſi, Tomo V. pag. 504. Rer Italic. incitavit quidem Mediolanenſem Populum contra Comenſes, ſed imperio minime ad bellum ſuſcipiendum pertraxit. *Obſeratis januis Eccleſiarum, ſuo Populo negavit introitum, niſi materiali gladio vindicaret malitiam Cumanorum.* Ita Landulphus ipſe. Porro etiam ante illa tempora, & circiter Annum Chriſti MCVI. Mediolanenſi

Rei-

Reipublicæ Conſules præerant. Nuper enim memoratus Landulphus junior ad ea circiter tempora auctor eſt, ſe fuiſſe *Conſulibus* Mediolanenſibus *Epiſtolarum dictatorem*. Contra in Patavina Republica Sæculo ſubſequenti plurimùm potuit Jordanus Prior Sancti Benedicti: iſque erat primum mobile publicorum conſiliorum atque actionum, ut ex Tomo VIII. Rerum Italicarum liquet. Non is tamen Præfectus umquam Urbi fuit. Si ergo Epiſcopi aliquot olim in liberis Urbibus plurimùm poterant, non inde ſemper conſequitur, Urbium Principatum fuiſſe eis delatum, quum acta illorum temporum omnia ſatis oſtendant, Conſules præfuiſſe Reipublicæ, & apud Univerſitatem potiora jura dominationis; juſtitiæ, bellique ac pacis fuiſſe. Nuper occurrit nobis Epiſcopus Mutinenſis, qui primas partes egit in donatione facienda. Verùm ex quo Fridericus I. Auguſtus Italiam ingreſſus novam rebus A faciem adferre, aut antiquam reſtituere, decrevit: exinde video Epiſcoporum auctoritatem in politico regimine aut nimium imminutam, aut omnino extinctam. Iis ipſis Monachis Mutinenſibus uſus alterius aquæ, *quæ fluit per Pratum de Batalia*, conceſſus eſt Anno MCLXXXVII. *Indictione V. Octavo Kalendas Februarii, Regnante invictiſſimo Imperatore Federico*. Quis eam conceſſerit, e ſubſequentibus diſce: videlicet *Dominus Manfredus Picus, Dei gratiâ Mutinenſis Poteſtas, una cum Conſulibus & Advocatis ſuis &c. voluntate & parabolâ Conſilii groſſi Mutinæ cum campanis pulſatis &c.* Nihil tamen, quod dixi luculentius confirmabit, quàm altera Charta, ubi poſt B paucos annos a Ribaldi Epiſcopi conceſſione ſupra deſcriptâ, fœdera a Mutinenſibus inita videas, & nullâ quidem Epiſcopi mentione facta. Illam ego deſcripſi è vetuſtiſſimo MSto Regeſto Communis Mutinenſis.

Pacta Societatis & Fœderis initi inter Parmenſes & Mutinenſes, Anno 1151. & 1182.

ANno Domini Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Primo in menſe Januarii. Breve recordationis, qualiter Mutinenſes homines, & Parmenſes convenere inter ſe. Juraverunt Parmenſes Mutinenſibus ſalvare perſonas & eorum bona in eorum Epiſcopatu, & ubicunque potuerint. Et juraverunt ſemel per unumquemque annum facere eis hoſtem cum Peditibus & Equitibus; cum diſpendio & perdita Parmenſium quindecim diebus permanebunt. Et hoc totum erit, niſi remanſerit datâ parabolâ majoris partis Mutinenſium Conſulum. Et per duas vices per unumquemque annum adjuvabunt eos cum Equitibus, & cum diſpendio Mutinenſium, & ad perditam Parmenſium, a loco Reni uſque ad Burgum Florenzole, & ab Alpibus uſque ad Flumen Padi; & hoc quod dictum eſt, cum Equitibus ad voluntatem Conſulum Mutinæ permanebunt. Et juraverunt adjuvare eos per bonam fidem ad Curiam Domni Pape cum ſuis Clericis & cum ſuis Laicis, diſpendio Parmenſium. Et ſi aliqua offenſio apparuerit facta a Parmenſibus adverſùs Mutinenſes, poſtquam requiſitum fuerit per Conſules Mutine, emendabitur infra quadraginta dies, niſi remanſerit pro impedimento Dei, vel parabolâ Conſulum, vel illius, cui offenſio facta fuerit caput tantum. Et de injuriis ad laudamentum Conſulum ambarum Civitatum. Et hoc totum, ut ſuperius dictum eſt, obſervabunt contra omnes homines, ſalva Fidelitate Imperatoris Eccleſie, quouſque in Longobardia erit; poſt deceſſionem Imperatoris Longobardie hoc totum obſervabitur. Et ſi Regienſes homines permanſerint in hac Societate Mutinenſium & Parmenſium ad concordiam Conſulum ambarum Civitatum, Parmenſes ſuſcipient emendationem ad laudacionem Conſulum Mutine de offenſionibus factis, aut de eis, quas in antea facte fuerint. Et ſi Regienſes homines non intraverint in hac Societate uſque ad terminum Octave Paſche Reſurrectionis proximo veniente, & voluerint emendare infra hunc terminum Octave Paſche in laudamento Conſulum Mutine, Parmenſes ſunt obſtricti recipere uſque ad predictam Octavam Paſche & non amplius. Poſtquam Mutinenſes quando inceperint facere guerram Regienſibus, infra terminum viginti annorum Parmenſes faciant guerram ſuam, & faciant guerram Regienſibus ſine fraude, neque pacem, neque treguam, neque guerram recredutam facient ſine concordia Conſulum Mutine. Et hoc jurabit ca- C *put per caſam ſine fraude, niſi remanſerit in concordia Conſulum ambarum Civitatum uſque ad viginti annos, ad renovandum in capite decem annorum per centum homines. Et totum hoc obſervabitur, ſicut ſuperius ſcriptum eſt, ſine omni fraude, & omni malo ingenio.*

In nomine Domini. Ego juro, quod bona fide ſalvabo & guardabo in habere & perſonis homines Mutine, & ejus diſtrictus, qui per Mutinam ſe diſtringunt, per totam meam terram, & per totam meam aquam, & per meam forciam, & alibi, ubicumque potero ſine fraude. Nec ſtudioſe eos offendam per me, neque cum alio in mea terra & aqua, neque in eorum, nec alibi, niſi cum Communitate Societatis Lombar- D *die. Et reverſa Communitate Societatis Lombardie domi, ſemper predicto modo tenear. Et ſi offenſio aliqua alicui ex Mutinenſibus advenerit ab aliquo Parmenſium, infra quadraginta dies, poſtquam mihi requiſitum fuerit a Conſulibus, vel Poteſtate Mutine, vel Literis Sigillo Communis ſigillatis, caput tantum, emendare faciam, niſi per parabolam Conſulum, vel Poteſtatis Mutine remanſerit, vel illius, cui offenſio facta fuerit, vel juſto Dei impedimento. Et querimonias mihi factas ab aliquo ex Mutinenſibus, Sigillo ſue Civitatis, bona fide ſuſcipiam, & rationem & juſticiam eis ſecundum jus, & bonum uſum, & more mee Civitatis, ſine fraude faciam. Et infra quadraginta dies, poſtquam* E *mihi de lite cognitum fuerit, nec fraude dimittam, quando cognoſcam per me, vel per ordinatas perſonas, ad hoc diffiniam, vel diffinire faciam ſine pena & fructibus, & ſecundum morem mee Civitatis, vel per convenientiam, ſi partibus placuerit. Et illa negocia, que Civitas Mutine fecerit ſua, vel per Commune, vel per diviſum, non contrariabo, nec offendam per me, neque cum alio per Commune, neque per diviſum, niſi cum Communitate Societatis Lombardiæ, ut dictum eſt ſuperius. Et ſi aliquis mei Diſtrictus de predictis negociis eos contrariabit, aut offendet, ad voluntatem Conſulum, vel Poteſtatis Mutine, & Conſilii, ſuper*

cum

eum vindictam faciam. Item juro, quod bona fide ſtudebo, & operam dabo per me vel per Rectores, vel Conſules hujus Civitatis Parme ad aquirendam parabolam a Rectoribus Lombardie, ſive a Conſulibus Civitatum Societatis, renovandi ſacramenta Societatis antique Mutine & Parme; & parabolâ aquiſitâ; vel ſi cognovero, quod poſſim renovare abſque parabola predictorum Rectorum & Conſulum, videlicet quod jam ſit data, vel aliter, ſacramentum predicte antique Societatis renovabo. Et ſi Conſules, vel Rectores utriuſque Civitatis Conſcilio aliquid addere, vel diminuere voluerint, idem obſervabo. Et bona fide ſtudebo, quod Cives mee Civitatis hoc idem ſacramentum antique Societatis faciant. Quod ſacramentum ſupradicte antique Societatis faciam infra unum menſem, ex quo requiſitus fuero a Conſulibus vel Rectoribus Mutine, vel ad alium terminum, quem mibi dederint, juxta quod ſuperius legitur. Et bona fide ſtudebo, ut Conſules & Rectores hujus Urbis Parme, qui per tempora fuerint, predictum ſacramentum faciant, dummodo non fecerint. Nec faciam, nec factum habeo ſacramentum per commune, vel per diviſum alicui alii Civitati adjuvandi eam, nec Societatem, nec Conventum Societatis eum aliqua alia Civitate, aliquo ingenio faciam, niſi datâ parabolâ a Conſulibus vel Rectoribus Mutine in Conſilio facto ad campanam ſonatam, ſine fraude, excepta Cremona, cum qua poſſim facere ſacramenta & ſecuritatem abſque predicta parabola Mutine, ita tamen ut Mutinam excipiam. Et ſi quid additum vel diminutum fuerit a Conſulibus vel Rectoribus utriuſque Civitatis Conſcilio, idem obſervabo. Et hoc totum attendam ab hinc in antea, tamdiu quod antiqua Societas Parme & Mutine renovata fuerit, ut ſupra legitur; renovando hoc ſacramentum in unoquoque Capite decem annorum, donec prefata Societas antiqua, ut dictum eſt, renovata eſſet, infra duos menſes, poſtquam requiſitum mihi fuerit a Rectoribus Mutine, vel per alios terminos, quos mihi dederint. Et hoc idem ſacramentum faciam facere illis Conſulibus vel Rectoribus, qui proximiori anno fuerint in Conſulatu vel regimine mee Civitatis, donec antiqua Societas fuerit renovata, ut ſupra dictum eſt. Et hoc ſacramentum faciam facere univerſo Conſilio mee Civitatis, & centum hominibus per unamquamque portam, & omnes Cataneos, & Vavaſſores, & Caſtellanos Equites mei Epiſcopatus & Diſtrictus ſine fraude per illos terminos, quos mibi Conſules Mutine dederint. Et illos omnes, qui hoc ſacramentum fecerint per ſcriptum Conſulibus Mutine, dabo infra menſem, poſtquam factum fuerit, ſine fraude, vel per alios terminos, quos mihi dederint.

Hoc equidem ſacramentum fecerunt Parmenſes Conſules, videlicet Gibertus Lombardi, Conradus Bulzoni, Uldicio Guaſtoni, Rainerius de Sancto Michaële, Albertus Tavernerii, Jacobus de Porta, Gerardus Vicedominus, & Albertus Bravus, & eorum Aſſeſſores, ſcilicet Ubertus Tebaldi, & Albertus Marſilii, in pleno Conſilio Parme, in Palatio Epiſcopi, facto Conſilio ad campanam ſonatam, & univerſi homines de Conſilio ibi preſentes, exceptis Domno Iſaccho Tebaldo Rogerii, & Arpo de Benezeto, quibus Albertus Tonſus Conſul Mutine remiſit hoc ſacramentum. Et hoc fuit coram Alberto Tonſi & Arloto Judice de Mutina, Petro Notario, & Teuzo Corerio. MCLXXXII. Quarto Kalendas Marcii, Indictione XV.

Ego Ranfredus Notarius invictiſſimi Imperatoris Frederici, & Communis Parme, interfui, & rogatus, & juſſione quorumdam ſupradictorum Conſulum Parme, ſcripſi.

Qui tunc forent Rectores Mutinenſis Urbis, hinc intelleximus, & nullus Epiſcoporum conſenſus ad acta tanti momenti acceſſit. Idem quoque in Placentina Urbe factum animadverti: quamvis enim, ut ſupra innui, Anno MCXLIII. Epiſcopus *cum conſenſu Conſulum commendarit* Monaſterio Trebienſi Pontem Trebiæ, qui ad Rempublicam ſpectaſſe videtur: attamen Anno MCLVII. Conſules Placentini ſine ulla Epiſcopi commemoratione publica ſuæ Urbis negotia peragunt, ita ut apud eos integra, aut præcipua auctoritas fuiſſe dignoſcatur. In hanc rem proferre juvat Chartam concordiæ initæ eodem Anno inter Abbatiſſam Monaſterii Brixiani Sanctæ Juliæ, & Conſules Placentinos, cujus antiquum exemplum egomet olim legi inter membranas nobiliſſimi illius Aſceterii.

Concordia inter Richildam Abbatiſſam Monaſterii Brixiani Sanctæ Juliæ, & Conſules Civitatis Placentiæ de Portu Placentino in flumine Padi, Anno 1157.

Die Mercurii, qui eſt dies . . . . . menſe Julii, Indictione V. in Caſtro Creme, in domo Gerardi Comitis, preſentia bonorum hominum, quorum nomina ſubtus leguntur: ſtetit atque convenit inter Domnam Richildam Abbatiſſam Eccleſie Monaſterii Sancte Julie de Brixia, *nec non inter Fulconem Strictum, & Boſonem Bilbum* Conſules Placentie, *per ſe & per ſuos ſocios, quod omnes ille naves, que erunt in Portu Placentino, deberent eſſe in illo Portu per ſupraſcriptam Eccleſiam, & per ſupraſcriptam Abbatiſſam: & quia ſupraſcripti Conſules deberent defendere & guarentare illas naves & Portum, Conſules ſupraſcripti deberent habere medietatem de toto hoc, quod adquiſitum fuerit per illum Portum, & concurſum fluminis Padi; & Domna Abbatiſſa, & ſupraſcripta Abbatiſſa debeat habere aliam medietatem ſine fraude, exceptis illis quatuor, que tolluntur per pethagium, & non per portum. Et debeat eligere & Abbatiſſa & Conſules duos homines, qui colligant per ſacramentum illud, quod veniet ad portum illum, & dividatur inter eos; medietatem debet dare ſupraſcripte Abbatiſſe, & medietatem Conſulibus Placentie, facto diſpendio ipſius Portus in antea. Et illi homines debent eſſe & ſtare in illo Portu per ſupraſcriptam Abbatiſſam: hoc quod ſupra legitur debet attendere & facere ab hodie uſque ad Kalendas Januarii proximas venientes, quia ſic inter eos convenit. Unde duo Brevia uno tenore fieri rogata ſunt. Anni Domini MCLVII. ſupraſcripto Menſe & Indictione.*

Ibi fuerunt Comes Liutelmus, & Girardus ejus frater; Comes Ardicionus, & Prandus de Brixia, & Obizo de Calchera, & Oprandus de Caravazo, & Albertus Antonii, & Bernardus de Cauralba, & Suzo Berundi, & Paganus de Comitatu, & Gambaxara de Oxo, & Chunradus Boniſenioris, rogati teſtes.

Eo pluris etiam facienda eſt hujuſmodi Charta, quod ad illuſtranda Acta Pacis Anno 1183. initæ Conſtantiæ inter Fridericum I. Auguſtum & Civitates Lombardiæ, inſervire & ipſa aliquantulum poteſt. Namque in iis ipſis Actis commemoratum, ſimulque confirmatum fuit jus, ad Sanctimoniales ipſas pertinens in Portum, ſive Pontem Placentinum, ita ibi loquente eodem Auguſto: *Pacta Placentinorum, ſcilicet Pactum Pontis Padi, & fictum ejuſdem Pontis & Regalium* &c. *ipſo Ponte remanente cum omnibus ſuis utilitatibus, Placentinis: ita tamen quod teneantur ſemper ſolvere fictum Abbatiſſæ Sanctæ Juliæ de Brixia* &c. Sed quando celeberrimæ Pacis, inter Imperatorem & Lombardos in Civitate Conſtantia, Anno 1183. ſancitæ, memoria recurrit, prætermittendum non eſt, ex ejus Actis etiam elucere, fuiſſe ad ea uſque tempora Civitatem aliquam in Lombardia, cujus regimen ex Imperatorum largitione ſpectabat ad illius loci Epiſcopum, atque ibi adlectos Conſules in temporalibus ab auctoritate ejuſdem Epiſcopi pependiſſe. Sunt hæc Friderici I. verba: *In Civitate illa, in qua Epiſcopus per Privilegium Imperatoris, vel Regis, Comitatum habet, ſi Conſules per ipſum Epiſcopum Conſulatum recipere ſolent, ab ipſo recipiant, ſicut recipere conſueverunt. Alioquin unaquæque Civitas a nobis Conſulatum recipiat.* Quare tametſi in publicis Civitatum Langobardicarum Actis non ſolùm Conſules occurrant, ſed iis etiam videatur commendata a Republica totius imperii ſumma: attamen caute contendendum eſt, excluſos ab eo regimine Epiſcopos fuiſſe, quum ibi Magiſtratus Sæculares Conſulatum atque auctoritatem ſuam ab ipſis Epiſcopis reciperent. Vide Tomo II. Italiæ Sacræ in Epiſcopis Parmenſibus Diploma Ottonis IV. Auguſti, datum Anno Chriſti MCCX. in quo præcipit, *ut nullus ſe intromittat de regimine Civitatis Parmenſis, antequam confirmationem & inveſtituram recipiat de manu Epiſcopi, qui eam vice noſtra dare debet. Et Poteſtas ſeu Conſul vel alius Officialis, qui contra fecerit, pro Conſule, Poteſtate, vel alio Officiali non habeatur.* Quo etiam tempore clavum Reipublicæ *Conſules* tenebant, *Majores* propterea appellati, numerabantur etiam alii *Conſules Minores*, qui Judiciis quotidianis, & dirimendis controverſiis vacabant. Vide infra in Diſſertatione L. *de Civitatum Libertate*, Statutum Populi Piſtorienſis, ubi *Conſules Majores* commemorantur, apud quos politicum regimen Civitatis fuit. Neque verò *Conſulum* appellatio & uſus intra Urbes ſeſe continuit; nam & in Oppida & Vicos pertranſiit, in quibus etiam *Conſules* reperimus. Atque id non ſero factum: hunc enim ego Magiſtratum vel Anno MCXVI. reperio in Oppido Guardaſtallæ ad Padum, cujus alibi facta eſt mentio, & in quod Monaſterio Placentino Sancti Sixti jus dominationis erat a tempore uſque Ludovici II. Auguſti. Quod inſignis illius Cœnobii Sanctimoniales extra honeſtatis ſemitam nimium exorbitaſſent, curante celebri Comitiſſa Mathilda Anno MCXII. deturbatæ violenter inde fuerunt, & locus Benedictinis Monachis fuit traditus, qui in hunc uſque diem ditiſſimum locum tueri pergunt. Primus ibi Abbas Oddo, ſive Otto, ex Padolironenſi Monaſterio accitus, ut ſibi Guardaſtallenſem Populum conciliarent, immunitates varias, atque agros incolendos ei conceſſit. Teſtem do Chartam, dignam multis nominibus quæ legatur. Complectitur enim varios eorum temporum ritus, non facile alibi occurrentes: mentio quoque ibi fit *Imildæ Abbatiſſæ* Sancti Sixti, quam minime agnoviſſe videtur Campius ſupra laudatus in Hiſtor. Eccleſ. Placent. uti neque agnovit Bacchinius in Hiſtoria Monaſterii Padolironenſis Lib. 4. ubi Abbatiſſas ejuſdem Cœnobii recenſet. Ego Chartam ipſam olim deſcripſi ex pervetuſta membrana adſervata in inſigni Archivo ſecretiori Communis Cremonenſis.

Oddo Abbas Monaſterii Placentini Sancti Sixti concedit hominibus de Guardaſtalla, ſuo Cœnobio ſubjectis, varias immunitates ac libertates cum diverſis conditionibus pro illorum gradu, Anno 1116.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Centeſimo Decimo Sexto, VII. Kalendas Auguſti, Indictione Nona. Odo Abas Monaſterii Sanctorum Sixti & Fabiani, ſitum Placencia, communicato Eccleſie fidelium conſilio Placentinorum & Warſtallenſium, pro multimoda caritatis humanitate, & ſuarum pecuniarum largitate, quam tempore Imildis Abbatiſſe ad terre Beati Sixti jamdudum perdite liberacionem exhibuerunt; ad imitationem ejuſdem prenominate Abbatiſſe beate memorie, per actum & convencionem renovavit & confirmavit & inveſtivit Homines de Warſtalla de ripatico Padi, & paludis cum portibus: & omnes Warſtallenſes abſolvit a ripatico, & toloneo, retento uſibus Eccleſie retroſcripto ripatico. Ceterum vero, quod vocatur toloneum & maltoletum concedimus Hominibus de Waſtalla in commune habendum. Inſuper ſtatuit, ut nulla injuria vel violencia a ſe, vel a ſuis Succeſſoribus, vel a ſuis hominibus inferatur alicui Warſtallenſium nec in Caſtro, nec in Burgo, non in ripa, non in Villa. Et Warſtallenſes de tabula Caſtelli annualiter ſolvant unum Ranucinum, pro tabula Burgi Denarium unum currentis Monetæ. Et ſi injuria ab altera parte allata fuerit, infra triginta dies conſilio Conſulum Terre emendetur. Si qui Curiales ſunt, ſeu Burgenſes, qui velint retinere equum convenientem armis, & arma, & tenuerit ad Terre Eccleſie, ſuique libertatem tuendam, quicquid poſſidet pro Feudo habeat cum omni honore. Ruſtici faciant braidam & vineam, dent porcum, & multonem tercium & quartum, & ſpallam, & amiſere, & plauſtrum lignorum pro unoquoque jugere, pro albergaria unum ſextarium vini, aliud grani, medietas cujus ſit frumenti, alia ſit anona, & ſtramen & lectum; & alia ſuperimpoſita eis non fiat. De navi verò ſi inventa fuerit in ripa, habeat eundi & redeundi Placenciam. Conceſſit inſuper communi utilitati Warſtallenſium omnia publica, & paludem & boſcum & paſcua beſtiarum e Poliſino ſuperiore & inferiore. Caſtrum & Curtem prenominatus Abbas nec ſui ſucceſſores habeant licenciam nec poteſtatem dandi alicui hominum ſine conſilio duodecim hominum, qui Conſules eligantur a Populo, qui etiam rem Populi, dominique gubernent & regant.

✠ Ego Abbas Oddo ſubſcripſi & confirmavi.

Ego Gaitardus Presbiter, & Monachus, interfui & ſubſcripſi.

Ego Petrus Calvus Presbiter & Monachus ſubſcripſi.

Teſtes rogati interfuerunt Berardus de Burgo, Bovo de Porta, Girardus Gaſtaldus, Rozo, item Joannes Bonus, Trufo, Graſulfus, Galeto, Omnibene, Aggo, Gando, Martinus, Bonagiſus, Grimaldus, Sigefredus.

Ego Johannes Notarius Scriptor hujus Cartule conceſſionis poſt traditam complevi.

Vides heic translatam in Guardaſtallenſes Cives portionem ditionis, quæ ad Placentinum Monaſterium ſpectabat: ſimulque habes in eo Caſtro Conſules, hoc eſt, Reipublicæ, ſeu Communi, & Populo Guardaſtallenſi Præfectos, quorum tamen auctoritas limitibus ſuis conſtringebatur, quum uti dominum Populus idem agnoſceret Abbatem Placentinum. In aliis quoque locis per eadem Sæcula reperias Conſules, & modò majorem, modò minorem in eis auctoritatis menſuram. Non mediocri functos fuiſſe Anno Chriſti MCXCVIII. Conſules Narnienſes, Charta prodet, quam ex Codice Cencii Camerarii depromſi.

Conſulum Narnienſium Inſtrumentum, per quod Aliſandæ, aliiſque confirmant Arcem Carlei, Anno 1198.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Anno ejuſdem Incarnationis Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Octavo, reſidente Innocentio III. Papa, ſummo Pontifice in Sedem Apoſtolorum Principis, Menſe Junio, Indictione Prima. Nos quidem Narnienſes Conſules univerſales Civitatis & Comitatus Narniæ, ſcilicet, Leonardus, Rodolfucius, Rapizo, Blancus, Petrus, Pelegrinus, Matthæus, Creſcentius, Tinioſolus, Johannes, Bonaguida, atque Nicola, communi voluntate, & deliberato conſilio, & in Platea ejuſdem Civitatis, nullo inducti dolo vel fraude, ſed ſolita bonitate, damus, tradimus & concedimus vobis Aliſandæ & Henrico atque Joſeph Carlei, tenimentum Arcis quondam Carlei, & ſervitia hominum proportionaliter, ſicut olim habuiſtis pro diviſo. Ideſt tibi Aliſandæ partem, quæ fuit filii tui quondam Tanſarici: & tibi Henrico & Joſeph, unicuique partem ſuam, ſicut quondam habuiſtis. Quas partes prædicti tenimenti Arcis & ſervitia hominum ejuſdem Arcis, vobis & veſtris heredibus concedimus perpetuo, ad tenendum, poſſidendum, fruendum: ſalvo quod nullam poteſtatem habeatis vendendi, pignorandi, alienandi de prædictis poſſeſſionibus dictæ Arcis, niſi pro debito, quod eſt in poſſeſſionibus ejuſdem Arcis, ſine conſenſu Conſulum Civitatis Narniæ, qui temporaliter & univerſaliter totius Civitatis erunt. Et ſi Conſules non fuerint in Civitate, ſine conſenſu totius Populi Civitatis Narniæ, vel majoris partis Populi. Et nos Conſules prædicti pro nobis, & pro noſtris ſucceſſoribus auctorizare, & obſervare, & perpetuo defendere vobis & veſtris heredibus promittimus, omni exceptione ceſſante, ut ſupra ſcriptum eſt, & non contra venire in Placitum vel extra Placitum, vel aliquo conventu in perpetuum. Et ſi hoc totum, ut ſupra ſcriptum eſt, per omnia & in omnibus exſequutioni mandare, & obſervare noluerimus, promittimus pro nobis & noſtris ſucceſſoribus vobis & veſtris here-

A *heredibus dare quingentas Libras bonorum Lucenſium nomine pœnæ. Et ſolutâ pœnâ hoc Inſtrumentum, quod non tantum ad ſolemnitatem, ſed ad hujus rei probationem, ſcribere rogavimus Deuſteadjuvet Notarium & Legiſtam, & Timotheum Notarium, in preſentia ſubſcriptorum teſtium & aliorum plurium, omni tempore in ſua firmitate permaneat. Expenſas verò Turriſino communiter dabitis.*

Gottifredus Abbatiſſæ: Olivarius filius ejus: Pelegrinus Gimundi: Rubeus Altæmentis: Caphageccus: Radulfus Johannis Caputtollus: Nicola: Capazanus: Matthæus frater ejus: Abſalon; vocati teſtes.

Ego quidem Deusteadjuvet, rogatus Tabellio & Legiſta cum Timotheo ſcripſi.

Ego Timotheus Notarius rogatus, notariâ meâ propriâ manu ſcripſi.

Et ego Ricardus Imperialis Aulæ Scriniarius hoc exemplar ex authentico Timothei Notarii fideliter ſumtum, de mandato Domini Benedicti Domni Papæ Camerarii tranſcripſi, & in publicam formam redegi, Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Ducenteſimo Trigeſimo Primo, menſe Octobri, die X. Indictione V.

Quod etiam animadvertendum eſt, etſi locis iis interdum ſui eſſent Domini, nihilominus ibi quoque *Conſules* ſtatuebantur, capita videlicet Communitatis, ejuſdemque loci Domino ſubjecta. Oppido Ateſtino, ſive Eſtenſi, cui ab antiquo dominabantur Marchiones Eſtenſes, ſuberat Villa, ſeu Curia Pauſi. Attamen ibi Anno MCCXVIII. *Conſules* reperias, uti fidem faciet Charta, quam ex Archivo Principum Eſtenſium deſcripſi.

Inveſtitura bonorum data Livaldo Priori Monaſterii Sanctæ Mariæ ad Carceres, a Bonifacio Marchione Eſtenſe, Anno 1218.

Die Dominico, VI. Calendas Junii, in broilo, qui eſt ante domum Sanctæ Mariæ ad Carceres, in præſentia Domini Botonis de Urbana, & Domini Alberici de Rocha, & Domini Lombardi illius fratris, & Conradi de Brunicardis de Verona, rogatis teſtibus: ibique Dominus Bonifacius Eſtenſis Marchio, *nomine donationis, & pro anima ſua inveſtivit Domnum Livaldum Priorem dictæ Eccleſiæ, jure & nomine illius Eccleſiæ Sanctæ Mariæ, nominative de ſua portione totius paſculi Curiæ Paulſi; ſcilicet de medietate ſuper totum pro indiviſo, ſicuti quondam* Dominus Azo Marchio *ipſum Domnum Priorem olim inveſtivit de ſupraſcripto paſculo illius Curiæ Paulſi de Vico de Eſte tali ordine, quod ipſa* C *Eccleſia Sanctæ Mariæ perpetuo habeat & poſſi-* B *deat ipſum paſculum ſuis dominicalibus pecoribus, & perpetuo dictum paſculum dicto Domno Priori pro ſua Eccleſia, & illi Eccleſiæ ſuis dominicalibus pecoribus conceſſit. Et hoc ſalvis omnibus regulis & bannis & ordinamentis ſine omni fraude factis* per Conſules, *& Commune prædictæ Ville Paulſi. Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Decimo Octavo, Indictione VI.*

Ego Conradus Palatinus & Domni Imperatoris Federici Notarius interfui, & Notarius ſcripſi.

Et quoniam heic mentio eſt ſimilis Inveſtituræ, factæ ab Azone VI. Marchione Eſtenſi, eamdem verbis paribus conceptam accipe, quæ mihi ſuppeditata fuit ex Archivo Monaſterii Eſtenſis ad Carceres.

Donatio ab Azone VI. Marchione Eſtenſi facta Monaſterio Sanctæ Mariæ ad Carceres in Territorio Eſtenſi, Anno 1197.

ANno Domini Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Septimo, Indictione Decima Quinta, die XV. intrante Menſe Junii, in præſentia Domini Piſtoris Vicentini Epiſcopi, *& Magiſtri Dominici Judicis, & Domini Gerardi Præpoſiti Sancti Georgii de Verona, & Vidonis Notarii, & aliorum; in clauſtro Sanctæ Mariæ ad Carceres. Ibi* Dominus Azo Eſtenſis Marchio *inveſtivit Domnum Livaldum Priorem Sanctæ Mariæ ad Carceres, in remiſſione peccatorum ſuorum, atque ſuorum prædeceſſorum, de paſculo in Curte Palſi de Vico, quod eſt de ſuis dominicalibus pecudibus, recipientem pro iſta Eccleſia Sanctæ Mariæ ad Carceres: perpetuo conceſſit prædictum paſculum* E *pecudibus præfatæ Eccleſiæ, ut dictum eſt habere, ſalvis omnibus regulis & bannis & ordi-* D *namentis, quæ fuerunt per* Conſules Communis prædictæ Villæ Palſi *ſine fraude. Firmiter promittens præfatus Dominus Marchio per ſe & ſucceſſores ſuos præfato Priori & ſucceſſoribus perpetuo adverſùs omnem perſonam præſcriptum paſculum defendere & varentare.*

Actum eſt hoc in iſto loco.

Ego Oldericus Imperialis Aulæ Notarius interfui, & hanc Cartam juſſu iſtius Marchionis ſcripſi.

Conſulum quoque Magiſtratus Anno MCCLXXXI. erat Civibus Beneventanis. Quum verò iſti ultra æquum poteſtatem ſibi in ea Urbe aſſererent, Martinus IV. Romanus Pontifex eorum munus abolevit, uti palam faciet altera Charta e prælaudati Cencii Codice deſcripta.

Literæ Martini IV. Papæ, per quas Conſulum Beneventanorum munus delet, Anno 1281.

IN nomine Domini : amen . Anno a Nativitate ejus Milleſimo Ducenteſimo Octuageſimo Primo , die IX. menſis Octobris , Decima Indictione . Venerabilis Vir Dominus Petrus , dictus Saracenus , Domini Papæ Capellanus & Nuntius , congregato Parlamento in Majori Eccleſia Sanctæ Mariæ de Benevento , voce præconia, & ad ſonum campanæ convocato de mandato Nobilis viri Domini Uguicionis Marzoli Civis Florentini & Rectoris in Civitate Beneventana per ſummum Pontificem conſtituti , præſentavit Populo Beneventano ibidem congregato quaſdam Literas Papales bullatas verâ Bullâ Papali plumbeâ in filo canapis pendente , quas per Bonjohannem de Florentia Notarium dicti Rectoris in eodem Parlamento facto in dicta Eccleſia , literaliter & vulgariter legi fecit , & copiam ipſarum obtulit ſe dare paratum omnibus volentibus copiam ex eiſdem . Quarum Literarum tenor per omnia talis eſt .

Martinus Epiſcopus , *ſervus ſervorum Dei , dilectis filiis Populo Beneventano ſalutem & Apoſtolicam benedictionem . Nuper non abſque plurima turbatione accepimus , quod ad enervationem juriſdictionis & pleni dominii, quod Eccleſia Romana in vobis & Civitate veſtra habere dignoſcitur , indebite aſpirantes , prætextu cujuſdam abuſus , qui dici debet meritò corruptela , quoſdam ex vobis aſſumitis ad* Officium Conſulatus, *qui regimini Terræ ſe imprudenter ingerunt , & quo minus Rector in eadem Civitate a Sede Apoſtolica deputatus commiſſum ſibi regimen liberè valeat exercere , multipliciter impediunt & perturbant, non ſine noſtra & Eccleſiæ Romanæ manifeſta injuria , gravi præjudicio & contemtu . Quum igitur noſtra interſit , ſuper hoc de opportuno remedio providere , nec velimus , ſicut nec debemus circa dominium Civitatis ejuſdem habere participem vel conſortem , Univerſitatem veſtram monemus , vobis ſub pœna excommunicationis, quam in ſingulos, qui contra hujuſmodi mandatum noſtrum in hac parte venire præſumſerint , incurrere volumus ipſo facto , diſtricte præcipiendo mandamus , quatenus hujuſmodi* Conſules, *quorum occaſione plerumque ſeditionis materia ſuſcitatur , vel aliquos alios , quocumque nomine cenſeantur, ad gerendum vel exercendum in Civitate veſtra* Officium Conſulatus , *ſeu alterius juriſdictionis, aſſumere vel creare nullatenus præſumatis, nec aſſumtis in aliquo obedire , ſed potius Rectori , qui nunc eſt in ipſa Civitate , & pro tempore fuerit a Sede Apoſtolica deputatus , parere ac intendere humiliter ſtudeatis . Nos autem ex nunc decernimus irritum & inane , ſi ſecus a vobis , vel veſtrûm aliquibus ſuper iis attentatum eſt hactenus , vel in poſterum contigerit attentari .*

Datum apud Urbemveterem , IV. Idus Septembris , Pontificatus noſtri Anno Primo .

Acta ſunt prædicta in Majori Eccleſia Sanctæ Mariæ de Benevento prædicta , die ſupradicta , præſentibus venerabilibus patribus Fratre Nicolao Abbate Monaſterii Sanctæ Sophiæ , Fratre Trajano Abbate Monaſterii Sancti Modeſti , & Fratre Johanne de Cicilia Abbate Monaſterii Sancti Lupi , Fratre Deodato de Altavilla Ordinis Prædicatorum Priore Fratrum Prædicatorum , Fratre Benedicto de Migniano Ordinis Fratrum Minorum , & Guardiano Fratrum Minorum de Benevento , Nobili viro Domino Huguicione Marzoli Cive Florentino , Rectore Beneventano prædicto , Domino Petro Abbatis Judice , & Bonjohanne Notario dicti Domini Rectoris , Clucia de Florentia Mercatore , Urſoleone Juvene , Pandulfo Jachiæ , Domino Roberto Maſculo , Milite & Judice , Laurentio Marico Civibus Beneventanis , teſtibus .

Et ego Thaddæus Jacobi de Bettona , Imperiali auctoritate Notarius, & Domini Uguicionis Rectoris prædicti Scriba, præſentationi prædictarum Literarum , lectioni ipſarum , & omnibus ſupradictis interfui , & ut ſupra legitur, ſcripſi & publicavi de mandato Domini Petri Capellani & Nuntii ſupradicti .

Ego Bonjohannes quondam Galgani Boccadebue , Imperiali auctoritate Notarius , & dicti Rectoris Scriba publicus, prædictis interfui, & ſupraſcriptas Apoſtolicas Literas mandato ſupradicti Domini Petri Saraceni in dicto Parlamento literaliter & vulgariter legi, ideoque ſubſcripſi .

Ego Paulus de Reate, Apoſtolica auctoritate, & nunc Cameræ Domini Papæ Notarius , prædictum Inſtrumentum , prout in originali inveni , de verbo ad verbum tranſcripſi, & auſcultavi fideliter , & in publicam formam redegi , & ſignum feci , apud Montemflaſconem , ſub Anno Domini MCCLXXXII. Indictione XI. menſe Novembri , XXII. die intrante , Pontificatus Domini Martini Papæ IIII. Anno Secundo .

Et profectò etiam poſt invectum ampliſſimum munus *Poteſtatum* , hoc eſt , Prætorum, adhuc nomen & officium *Conſulum* perduravit, qui videlicet Magiſtratum gerebant in re maritima, aut mercatoria; ſive judiciis præerant, aliiſque regiminis publici functionibus . In Republica Genuenſi reperio *Conſules Placitorum* , *Conſules Communis* , *Conſules Civium* , *& Foritanorum* , & alios . In Republica Lucenſi adhibitos tunc vidi *Conſules Treguanos* &c. Ita *Conſules Mercatorum* Mediolani , Mutinæ . Ferrariæ , & alibi occurrunt . Quotuplex verò Conſulum genus in Republica Piſana numeraretur Anno MCCXLVIII. quum nempe Piſano Populo facta eſt oblatio partis Corſicæ Inſulæ , e Charta intelliges , quam in calce ſubſequentis Diſſertationis invenies . Itaque per annos plures ad clavum Liberarum Urbium in Italia adhibiti ſunt hactenus memorati *Conſules* , quos etiam deligere ex ipſo Civium ſinu mos fuit . Sed ante Annum MCLXXX. diverſa invehi conſuetudo cœpta eſt . Nam uti uſuvenit , quoties inter Reipublicæ proceres diſcordia irrepit , Conſularis hujus regiminis tædere tunc nonnullos cœpit . Fortaſſis etiam ne ipſi quidem Conſules concordibus animis & calculis publicæ rei negotia expediebant . Sed quod plus etiam ad immutandum priorem ritum Civium animos accendit , tumultus fuere, quos identidem excitabat Conſularis hujus poteſtatis cupiditas , adnitentibus præcipue potentibus , ut eam adipiſcerentur in patria ſua. Satius itaque viſum eſt , ex Sociis Urbibus prudentem aliquem Virum accerſere , qui Populo præeſſet , & juſtitiam miniſtraret . Ab

ejuſmodi

ejuſmodi enim Rectore ſtudia partium abeſſe ſolebant ; atque is æquâ lance judicaturus , ac ſontes plexurus non immerito credebatur , quando ei Civitati legem dicebat , ubi neque conſanguinei , neque affines , neque alii factionum nexus in tranſverſum rapere poterant hujuſmodi Præſidis mentem atque voluntatem. *Poteſtatis* nomine donati ſunt id genus Rectores Urbium : idque nomen in eorum temporum monumentis modò maſculini, modò feminini generis invenitur . Erunt , opinor , qui appellationem ejuſmodi tunc primùm invectam arbitrabuntur . Verùm a vetuſtis Latinæ Linguæ Sæculis eadem duxiſſe originem dicendum eſt ; nam & ab antiquis uſurpabatur ad Magiſtratus Populi deſignandos . Plinius Lib. 29. Cap. 4. inquit , *Mites præſtare dominos , Poteſtateſque exorabiles* . Apulejus ait : *Sed juſſit Poteſtas Officialem ſuum magna ſeveritate coërceri* . Suetonio teſte in Cæſaris Vitâ Cap. 17. is in carcerem conjecit *Nevium Quæſtorem , quod compellari apud ſe majorem Poteſtatem paſſus eſſet* . Idem in Claudio Cap. 23. *Juriſdictionem de fideicommiſſis in Urbe delegari Magiſtratibus ſolitam , atque etiam per provincias Poteſtatibus demandavit* . Juvenalis Satyrâ Decima , Verſu 99.


Hujus , qui trahitur , prætextam ſumere mavis,
An Fidenarum , Gabiorumque eſſe Poteſtas ?

A Salvianus Lib. de Providentia, ſcribit : *Itaque tunc illi pauperes Magiſtratus opulentam habebant Rempublicam . Nunc autem dives Poteſtas pauperem facit eſſe Rempublicam* . Concilium Antiochenum Canone V. *Si quis Eccleſiam Dei conturbare & ſolicitare perſiſtit , tamquam ſeditioſus per Poteſtates exteras opprimatur* . Quid verò ſint *exteræ Poteſtates* , Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis jamdiu nobis ſignificavit , ſcribens apud Flodoardum Lib. 3. Cap. 22. *Poſtea autem per exteras , ideſt Sæculares , Poteſtates contra Sardicenſes Canones eamdem adminiſtrationem ſine mea conſcientia obtinuiſti* . Ita & in Lege 47. Codic. Theodoſian. de Epiſcop. & Cleric. legitur : *Fas enim non eſt , ut* B *divini Muneris Miniſtri temporalium Poteſtatum ſubdantur arbitrio* . Apollinaris quoque Sidonius Libro Primo , Epiſtol. 8. ad Candidianum ait : *Vigilant fures : dormiunt Poteſtates* . Denique ut cetera omittam , ſæpe in Italicorum Regum Diplomatis occurrit *Judiciaria Poteſtas* . Vide etiam , quæ ad hanc vocem Du-Cangius congeſſit : & vide ſubſequens Diploma , e Tabulario Cavenſis Cœnobii eductum , in quo *Guaimarius Salernitanus Princeps*, a Notario in fine memoratur ſub his verbis : *ex juſſione ſupradictæ Poteſtatis ſcripſi ego &c.*


Guaimarii IV. Principis Salernitani donatio facta Monaſterio Sanctæ Barbaræ ſito in Comitatu Salernitano, Anno 1035.

IN *nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Nos* Guaimarius *divinâ opitulante clementiâ* Langobardorum gentis Princeps, *pro amore omnipotentis Dei , ſalutiſque animæ, & Patriæ noſtræ ſalvationis , quàm & per poſtulationem* Purpuræ Principiſſæ *dilectæ* Conjugis noſtræ, *concedimus & confirmamus tibi* Lucæ Abbati Monaſterii Sanctæ Barbaræ , *quod dedicatum eſt in pertinentia de Nobæ finibus Salernitanis , cum omnibus rebus pertinentes ipſius Monaſterii , & cum molinum , quod ædificatum eſt in flubio de ipſa Bruci , & cum ipſo caſtanietum , quod eſt in Pede de Monte , qui vocatur de Reborio, & cum ipſa ceſina, quæ eſt ultra ipſo flubio , quod roncare fecit* Coſma Abbas *anteceſſore veſtro : Ydeo , ut diximus , inclitum ipſum Monaſterium cum omnibus terris , & vineis , ſeu ſylbis , & jam dictum caſtanie-* C *tum , & prædictum molinum vobis conceſſimus cum omnibus infra ſe abentibus , omnibuſque ſuis pertinentiis , & cum vice de biis ſuis ſecuriter vos diebus vitæ veſtræ illut habendum, dominandum , poſſidendum , & omnia de ipſo frudium faciendum , quæ volueritis . Et ha noſtris Judicibus , Comitibus , Caſtaldeis , vel a quibuſcumque Agentibus nullam exinde patiamini moleſtationem , ſed amodo , & omnibus diebus vitæ veſtræ per hoc noſtrum roboreum Preceptum predicto Monaſterio cum omnia ſubſtantia, & cum omni ſua pertinentia ſecuro nomine abere & poſſidere valeatis in jam dicta ratione .*

Quod verò Preceptum conceſſionis ex juſſione ſupra dictæ Poteſtatis *ſcripſi ego Romoaldus in* D *ſacro Palatio , in Anno Septimo Decimo Principatus ſupra dicti Domini Guaimarii glorioſi Principis , de menſe Julii , Indictione Tertia .*



Sigillum cereum Guaimarii .




Ecce igitur quàm ſæpe ab antiquis *Poteſtas* appellaretur , qui Populo præerat atque dominabatur . Eodem quoque Sæculo Undecimo floruit Sanctus Johannes Gualbertus , Vallum- E broſani Ordinis Inſtitutor . In ejus Vita ab Attone Piſtorienſi Epiſcopo ſcriptâ , Anno MLXVIII. exarata legitur Florentinorum Epiſtola ad Alexandrum II. Papam , in qua hæc

hæc verba occurrunt : *Si quis noſtrûm , his minis territus , de Civitate fugeret , ad dominium Poteſtatis adſumeretur quidquid poſſediſſet*, ideſt, a Fiſco fortunæ ejus caperentur . Dixi , ante Annum Chriſti MCLXXX. ejuſmodi Prætoribus uti cœpiſſe Italicas Civitates : nam in fœdere Mutinenſium ac Parmenſium inito Anno MCLI. hæc ſupra legimus : *Infra quadraginta dies , poſtquam mihi requiſitum fuerit a Conſulibus , vel Poteſtate Mutinæ , emendare faciam , niſi per parabolam Conſulum vel Poteſtatis Mutinæ remanſerit* . Et ſane antea nonnullæ Civitates Lombardicæ Poteſtatem ſuſcepiſſe deprehenduntur . Fridericus enim I. Imperator , teſte Radevico Lib. 2. cap. 6. de ejus Geſtis , Civitatibus Italicis Magiſtratus deſignans *Poteſtatum* quoque mentionem facit his verbis : *Præterea & hoc ſibi ab omnibus adjudicatum atque recognitum eſt , in ſingulis Civitatibus Poteſtates , Conſules , ceteroſque Magiſtratus aſſenſu Populi per ipſum creari debere &c.* Hæc in Comitiis Roncalienſibus Anno MCLVIII. pronuntiata fuere . Proinde intelligas , Triſtano Chalco Hiſtorico Mediolanenſi minime defuiſſe juſtum titulum hæc ſcribendi ad Annum MCLIX. nempe Rainaldum Colonienſem Archiepiſcopum , atque Ottonem Comitem Palatii , *vocatis Præſidibus Conſilii Civitatis Mediolani , ſuadere eis nixum fuiſſe , ut ipſi quoque Poteſtatem Cæſareum , quemadmodum aliæ Urbes fecerant , acciperent . Id verò novum erat , & manifeſte contra conventa proximæ Pacis apparebat* . Hæc ille ab Ottone Morena ſynchrono Scriptore acceperat . cujus Chronicon vide evulgatum Tomo VII. Rerum Italicarum ad Annum MCLIX. Simul etiam intelligimus ; cur Fridericus Auguſtus eodem Anno Privilegia Cremonenſibus concedens , *Poteſtates* quoque in iis numeravit . Diploma illud, multa complectens ad Hiſtoriam illorum temporum , dignum eſt , quod e tenebris educatur . Hoc ipſum deſcripſi ego olim ex autographo exſiſtente in Archivo Communitatis Cremonenſis .

Fridericus I. Imperator Cremonenſibus navibus per Padum diſcurrentibus immunitatem concedit a quorumcumque teloneo, excepto illo, quod Nuntiis Imperialibus ſolvendum eſt, Anno 1159.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis* . Fredericus *divina favente clementia* Romanorum Imperator , & ſemper Auguſtus . *Si quoslibet fideles noſtros Imperiali clementia vel tuitione dignos æſtimamus , multo magis fidelioribus noſtris victrice dextera Imperialis potentiæ porrigere debemus , de quibus majora fidelitatis argumenta certiſſima rerum exhibitione experti ſumus . Eapropter omnium fidelium tam futura , quàm præſens noverit ætas , quod Cremonam . . . . noſtram , tamquam ſpecialem & familiarem Cameram Imperii noſtri , ampliore dilectione amplectimur, quæ & magnifica & plurima ſuæ devotionis obſequia in oculis noſtris dum fecit clareſcere , maximum gratiæ noſtræ favorem præ cunctis Civitatibus Italiæ obtinere promeruit . Nos itaque memores devotiſſimi ſervitii Cremonenſium fideliſſimorum noſtrorum , petitionibus eorum benigne annuimus , volentes , & auctoritate noſtra præcipientes , quatenus ipſi Cremonenſes a Cremona deorſum in aqua Padi, & in omnibus locis & Vallibus , in quibus aqua Padi aliquo tempore derivatur uſque ad mare , ſive in Comitatu Regienſi, vel Mutinenſi , vel Bononienſi , vel Ferrarienſi , vel Ravennate , ita ſecure cum omnibus mercationibus , quaſcunque voluerint , vadant & navigent , ut nullus Epiſcopus , Dux, Marchio , Comes , Vicecomes* , vel aliqua Poteſtas , *vel Civitas, vel Caſtrum , vel aliqua perſona aliquod Teloneum , vel ſuperpoſitam , vel angariam , vel aliquam exactionem ab eis exigat , vel invitos eos , vel res eorum detineat , exceptis Nuntiis noſtris , qui in locis determinatis Teloneum infraſcriptum accipiant . Habeant quoque ipſi Cremonenſes in prædictis locis, vallibus , & aquis , vendendi & emendi liberam facultatem . Prædicti verò Nuntii noſtri accipiant in Ferraria de qualibet Navi duodecim Denarios Mediolanenſium veterum . Apud Figarolum de qualibet Soga, pro qua Navis trahitur , quæ Maſſeriam portat , octo Solidos Mediolanenſium veterum . Maſſeriam autem dicimus quamlibet Navem , quæcumque merces , præter Salem , portantem . In eodem loco de qualibet Soga , pro qua Navis trahitur , quæ Salem portat , triginta Denarios Mediolanenſium veterum . Apud Governulum ſimiliter de qualibet Soga Maſſeriæ octo Solidos Mediolanenſium veterum . Pro qualibet Soga illius Navis, quæ Salem portat , triginta Denarios Mediolanenſium veterum . Item apud Waſtallam de qualibet Soga Maſſeriæ octo Solidos Mediolanenſium veterum , & ibidem de qualibet Soga , quæ Salem fert, triginta Denarios Mediolanenſium veterum . Apud Scorzerolum de qualibet Navi duodecim Denarios Mediolanenſium veterum . Apud Luzariam ſimiliter duodecim Denarios Mediolanenſium veterum . Et præter hæc , quæ ſcripta ſunt , nec in his locis , nec in aliis in Pado a Cremona deorſum quidquam a Cremonenſibus tolli volumus , ſalvâ per omnia Imperiali juſtitiâ . Quicumque autem hujus noſtri Præcepti violator eſſe in aliquo præſumpſerit , centum Libras auri componat , medietatem Cameræ noſtræ , & medietatem prædictis Cremonenſibus noſtris fidelibus .*

Signum Domni Frederici  *Romanorum Imperatoris invictiſſimi.*

Ego

Ego Reinaldus ſacri Imperialis Palatii Cancellarius recognovi.

Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCLVIIII. Indictione VII. Regnante Domno Frederico Romanorum Imperatore glorioſiſſimo, Anno Regni ejus VII. Imperii verò III.

Datum apud Maringhum, VIII. Kalendas Martii.

Locus Sigilli ✠ cerei Imperialis.

Ita ad Annum MCLXIX. Veronenſium Præſes *Poteſtatis* titulum præferebat, ut conſtabit e Charta, quam authenticam vidi in Tabula-
A rio Monaſterii antiquiſſimi Sancti Zenonis ejuſdem Civitatis.

Examen teſtium Veronæ factum coram Comite Bonifacio ejus Urbis Prætore in cauſa agitata inter Monachos Sancti Zenonis Veronenſis, & filios Spiciani, de Decimis Hoſpitalis Sancti Zenonis, Anno 1169.

D*Ie Veneris, qui fuit X. intrante Menſe Januario, in domo* Comitis Bonifacii Poteſtatis Veronæ, *in preſentia Nerothi & Widonis de Runcho, & Alberti de Ripiclara Judicum, & Widothi, & Antiqui, & Petri Notariorum, & Lanfranchi de Domno Abbate Sancti Zenonis, & aliorum. Ibique Bonus Zeno de Lamberto, Aſſeſſor* Comitis Bonifacii Poteſtatis Veronæ, *coram Widone Rubeo, ſimiliter ejus Aſſeſſore, dixit*: Domine Comes; Domnus Ubertus Hoſpitalis Sancti Zenonis eſt conqueſtus apud nos de filiis quondam Spiciani, dicendo, eos velle auferre ſibi Decimam de terris de Hoſpitale Sancti Zenonis de Monte Dracono Nos miſimus pro illis, ut venirent reſponſuros. Ipſi venire noluerunt. Modo vult dare ſuos teſtes cauſa publicandi, ſi ipſi aliquo tempore aliquid ſupraſcripto Hoſpitali dicere voluerint, quod habeat ſuas rationes. *Et Comes dixit*: Mihi bene placet. *Teſtes Martinus de Caſali, Orlandus, Arienta, Marthonus, qui preſente ſupraſcripto Comite & prædictis Aſſeſſoribus, ſacramento dato a Bono Zenone ad ſancta Dei Euangelia juraverunt cauſa publicandi ſe dicturos totam veritatem, quam ſcirent de illo facto &c. Martinus de Caſali juratus, ut publicetur, in diſtricto ſacramenti a me Notario interrogatus, dixit*: A terremotu majori in za habeo viſum, Hoſpitale Sancti Zenonis habere & tenere Decimam ſuarum terrarum, & vinearum, & olivarum de Monte Dracono, abſque ulla contradictione alicujus hominis. Et numquam vidi, illos de Monteclaro habere eam Decimam, nec audivi dici, nec audivi illos petentes; & videbam illos de Monteclaro venientes in Monte Dracono, & colligentes ſuam Decimam: ipſi non petebant Decimam illarum terrarum de Monte Dracono de ſupraſcripto Hoſpitali Sancti Zenonis. Nec audivi eos petentes illam Decimam *&c.*

Actum eſt hoc Anno Domini Milleſimo Centeſimo Sexageſimo Nono, ſupraſcriptis diebus, Indictione Secunda.

Ego Amizo ſacri Palatii Notarius has atteſtationes ut publicarentur ſcripſi, & his interfui.

Prælaudatus quoque Fridericus I. Auguſtus Anno MCLXII. poſt excidium Mediolanenſis Urbis, eodem Ottone Morena ſynchrono teſte, pag. 1109. Tomi VI. Rer. Italicarum, dederat *Brixienſibus ac etiam Pergamenſibus in Poteſtatem* Marcoaldum de Grumbas; *Mediolanenſibus*
B *verò Dominum Epiſcopum de Legio; Placentinis autem ab initio Aginulfum, deinde Arnaldum Barbavairam; Comitem Conradum de Bellanuce præpoſuit Ferrariæ; Parmæ Azonem, qui dicitur . . . . ., Comenſi Comitatui Magiſtrum Paganum* &c. Hi Prætores, ſive *Poteſtates*, earumdem Urbium. Ejuſdem quoque Friderici I. Diploma vide Tomo IV. Italiæ Sacræ Ughellii in Epiſcopis Aſtenſibus. Is ibi Anno MCLIX. Aſtenſem Civitatem regendam tradit *tribus Rectoribus*, quos etiam *Aſtenſes Poteſtates* appellat. Immo longe antea uſurpatum invenio *Poteſtatis* nomen: hoc eſt, Anno MXXXIII. in Diplomate Conradi I. Auguſti, quod autographum inſpexi in Tabulario Canonicorum Regularium celeberrimi Ticinenſis Mo-
C naſterii Sancti Petri in Cælo Aureo. Ibi præcipitur, *ut nullus umquam Poteſtas, Miniſter, vel Miſſus* moleſtiam inferat bonis ejuſdem Cœnobii. Verùm Italicæ Civitates non omnes eodem tempore, ſed quædam citius, quædam ſerius, uſum *Poteſtatum* invexere; neque in iis perpetuo habendis conſtantes primo fuerunt. Ut enim cuique videbatur male publica res procedere ſub *Conſulibus*, tum iis abjectis eligebatur *Poteſtas*. Si verò ſub hujus regimine eadem, aut majora incommoda ac detrimenta ſentiebantur, ad priſtinum Conſulum uſum rurſus convertebantur ſuffragia Populi. Uti habent Continuatores Caffari Lib. 3. Annal.
D Genuenſ. quum Rempublicam Genuenſem complures diſcordiæ civiles Anno MCXC. dilacerarent, *Sapientes & Conſiliarii Civitatis convenerunt in unum, & de communi conſilio ſtatuerunt, ut Conſulatus Communis in futuro Anno ceſſarent, & de habendo Poteſtate omnes fere fuerunt concordes*. Tum Anno MCXCII. reſtituti ſunt Conſules; ſubſequentibus verò Annis modò Poteſtates, modò Conſules habenas ejuſdem Reipublicæ tenuere, & demum ſub Poteſtatum regimine per diuturna tempora Civitas illa conquievit. Ricordano Malaſpina, & Johanne Villanio teſtibus, Anno tantùm MCCVII. Florentia primum Poteſtatem accepit. Attamen Scipio Admiratus junior in Hiſtor. Flo-
E rentin. Prætorem ejuſdem Civitatis Gerardum Caponſaccum reperit Anno MCXCIII, & in hanc rem laudat illius temporis monumenta. Ferrariæ itidem adhuc Anno MCXC Conſulum regimen perduraſſe, indicare videtur Charta, quam ex Archivo Eſtenſi eduxi, quum nulla ibi *Poteſtatis* mentio fiat.

Sen-

Sententia Conſulum & Judicum Ferrarienſium pro Abbate Pompoſiano contra Obizonem Marchionem Eſtenſem in controverſia de fundo Graniani, Anno 1190.

IN *Dei nomine. Anno Dominice Nativitatis Milleſimo Centeſimo Nonageſimo, tempore* Clementis Pape, & Frederici Imperatoris, *die ultimo exeunte menſe Aprilis, Indictione VIII. Ferrarie in Epiſcopatu. Nos Bonus Joannes, & Donatus, & Signorellus*, Conſules, & Judices Communis Ferrariæ, *audita querimonia nobis facta a* Donno Gualfredo Abbate Pompoſie *de* MARCHIONE OPIZONE DE ESTE, *de terra, quam Abbas dicit fore de fundo Gragnani: audita confeſſione Domini Marchionis, quod terra, de qua eſt controverſia, ſi eſt de fundo Grajani, non vult eam neque per ſe, neque per alios inquietare: viſis dictis teſtium ab Abbate in hac cauſa productis: viſa etiam deſignatione facta nobis de fundo Graniani ab eiſdem teſtibus, in qua deſignatione dicunt, fundum Graniani fore a termino lapideo, qui eſt poſitus infra nemus Manentis deſcendens in directum uſque ad mediam Foveam de Curſiolis, & per mediam Foveam deſcendendo uſque ad Lacum Donnicum; poſſeſſionem rei, de qua eſt controverſia, Donno Abbati pro Eccleſia Pompoſiana pro fundo Graniani aſſignamus.*

Ad hec fuerunt teſtes Dominus Joculus, Stephanus Gabiani, Albertus Georgii, Guido Vicedomini, Roſeus Notarius, Egidius Guardinus, Rolandus Ildeprandi, Guizardus Ariberti, Guido de Samblonido, Guarduus teſtis, & hujus rei inveſtitor datus.

Ego Berardus Chriſti miſericordiâ ſacri Pallatii, & tunc Communis Ferrarie Notarius interfui, & ut audivi, & intellexi, rogatus ſcripſi.

Sed hæc non omnino certa; nam, ut ſupra innui, diu perrexere Conſulum Magiſtratus adhiberi, quamquam Reipublicæ præeſſent Poteſtates. Sed & in nonnullis Urbibus ſerius quàm in reliquis eorumdem Prætorum munus invectum eſt, atque invectum cito deſiit, adeo ut ne Anno quidem MCCXXXIV. Lucenſis Populus Conſules prorſus ejuraſſe deprehendatur. Juvat huc inferre exemplum Chartæ ad eamdem Rempublicam ſpectantis, ex qua non ſolùm conſtabit ejuſmodi Conſulum uſus, verùm etiam quæ tunc Familiæ Conſilium ſive Senatum Civitatis Lucenſis conſtituerent. Harum catalogum cum iis, quæ nunc eidem Reipublicæ præſunt, ſi quis componat, facile intelliget, quantam non minus ibi, quàm & in aliis Urbibus, Familiarum perniciem attulerint temporum edacitas, inteſtinæ diſcordiæ, & bellicus furor. En itaque Chartam ipſam e MSto Codice membranaceo Cencii Camerarii depromtam, ac præferentem titulum:

Inſtrumentum Lucenſium de cuſtodia quorumdam Caſtrorum data Magiſtro Petro de Guarzino, nomine Romanæ Eccleſiæ, Anno 1234.

IN *nomine Domini. Amen. Nos Guido Barletti, Orlandus Forteguerræ, Taliapanis Gentilis, Ægidius Fradicionis, atque Raynerius Advocati*, Lucani *Dei gratiâ* Majores Conſules, *habito majori & generali Conſilio Civitatis per præconem, & ad ſonum campanæ more ſolito coadunato in Eccleſia Sancti Michaëlis de Foro Lucano: in quo etiam Conſilio interfuerunt Capitanei Levatorum Sancti Petri Majoris, & Capitanei illorum de Sancto Chriſtophoro, & vigintiquinque Conſiliarii ſpeciales ipſius Civitatis, ſcilicet de unaquaque Porta, & invitati duodecim de Burgo, & viginti de qualibet Porta, & viginti quatuor Conſiliarii ſpeciales ipſius Civitatis, ſcilicet Lazarus Gerardini, Girardinus Judex Luterii, Opizus Moriconetti, Paſſavante Guidotti, Bonifacius Jacobi, Ricomus Pollani, Orlandus Miſſicionis, Dynaſius Rapondi, Alimarus Sciabordici, Bonajunta Tanellæ, Soffreducius Ordelaffi, Centius Bernarducii, Albertinus Roſetti, Guarſonus Gredalcii, Azus Gerardi Azi, Jacobus Peruthi, Rainucius Mataſellonis, Brunettus Niminis Caſſele, Jacobus Rapi, Guillielmus Comitis, Taliapanis Pintelli, Rodolfus Guaſconus, Bernardus Albinetti. Conſiliarii majoris Conſilii ſunt iſti: Guido Martini, Tancredus Judex, Aldibrandinus Mathapanis, Bandinus Barletti, Amicus Boncii, Lambertus Ghintellis, Ugolinus Raſcina, Cecius Marlæ, Ricominus Advocatus, Ubertus Scalacqua, Aldibrandinus Scaduclæ, Bonifacius Falſinelli, Guido Arrigi Martini, Fantinellus Aldebrandini, Fantinellus de Burgo, Ubertus Rubeus, Ugo Pinelli, Rainerius Piganelli, Bonaccurſus Lanfredi, Ubertus Alcherii, Rainerius Orlanducii, Bonaventura Guillielmi, Grettus Sarraceni, Rainerius Vulpis, Guido Baldovini, Scortialupus, Guido Gualandi, Norandinus, Opizus de Fontana, Aldebrandinus Macarii, Ubertus Creſci, Orlandinus Corbilanus, Coradus Michaëlis, Arethaſis Lamfredi, Bonifacius Disfaciati, Nicolaus Vellii, Ubaldus Guidi Roſſi, Gerarducius Jacobi, Aldebrandinus Mampilii, Boſus Lamberti, Ubaldus Guaſciuræ, Tedelgardus, Aldibrandinus Judex, Rugerius Judex, Bonotellus, Albertinus Bandini, Aldebrandinus Albertini, Ubaldus Bonifacii, Forteguerra Cathuolæ, Arigettus Comparis, Ventura Falconis, Riccardinus Arrici Roſſi, Deodatus Raucii, Arigettus Accentantis, Bartolottus Panteſæ, Hoſtiſcanus, Bonaventura Forticionis, Orlandus Bonacii, Guido Tortiani, Pandolfinus de Puteo, Gerarducius Corbolani, Ardicione Miſcii, Uſaldo de Octavo, Girardinus Ughi Guthi,*

Githi , Bencverardus , Oddone Mercati , Bonifacius Lainæ , Bonaventura Roſſus , Armannus Portantis , Bonaventura Damiani , Paganus Bandini , Jacobus Overardi , Moretinus Stregi , Datus Cecii , Rochiſcianus , Nicolaus Blavajolus , Bonaccurſus Palliæ , Albonerius de Filungo , Bonaventura Batterolo , Bonaventura Macarii , Bonvido Alegraſſe , Gerarducius Vulpelli , Orlanducius de Poſſo , Guindalfus , Francus Mirconis , Ugolinus Guaſcuciæ , Ruſticellus Orlanducii , Jacobus Cimacli , Opizanus Caſtilionis , Lazarius Saginæ , Fantolinus , Bandinus Boccamajore , Bandettus , Paganinus Chriſtofori , Albithus Scocii , Guillielmus Maji , Ingherammus , Natalinus Natalis , Baldinottus Bruni , Tegrimus Arnaldi , Lanfrancus Bandini , Uguiccio Broccori , Paganellus de Gallo , Guiſcardus Normanni , Lambertus Jonillis , Velter Roſotti , Lanfrancus Pratis , Guiſcardus Beotafani , Ugolinus Guidonis , Vivianus Gualfredi , Guido Vecli , Cecius Bernarnungerni , Lambertus Uberti , Orlandus Civettæ , Lambertus Maineri , Bonaventura Tancieri , Lanfrancus Guiducii , Bartholomæus Melioris , Anterminellus Raynerii , Saracenus Falſinelli , Guido Burelli , Tetaldus Burelli , Caſtellanus Batterolo , Orlandus Bonati . Peſtalleſe Trinciante , Bonifacius Cardie , Adjutus Faleri , Rompeliſta , Paganellus Ripæ , Boncontc Bernarducii , Lambertus Bernardi , Saracenus Gualterotti , Arrigus de Fuſo , Tedicius Gallnelli , Jacobus Garbe , Normannus Berarducii , Ruſtichellus Uguicionis , Villanus Maſſa Vitelli , Normanninus Johannis , Manſus Gallitiæ , Chriſtophanus Taliapanis , Ardicione Malapreſe , Ferrante Cuſtoris , Curſus Schiaccæ , Nicojonta Vancii , Jacobinus Notarius , Bonaccurſus Bolle , Villanus Bucca , Bonaccurſus Provincialis , Jacobus Baccari , Jacobus Laſſus , Saladinus Ronthemi , Aldibrandinus Maurini , Donatus Capoſtranthi , Bonifacius Pieri , Ubaldus Arghetti , Rainucius de Colle , Paganus Baccari , Ubertus Ardicionis , Arrigus Capeti , Gerarducius , Lanfrancus Lazari , Rainucius Stranbi , Rainucius Corſi , Roſſus Rainucii , Orlandus Malapreſa , Alcherius Thomaſi , Ugolinus Taliapanis , Arnaldus Guidicionis , Jacobus Suffredi , Aldibrandinus Bullionis , Lambertus Malamdiera , Suffreducius Guantia , Tedicius Raineri , Orlanducius Mariani , Galganettus de Sancto Juſto , Ottinellus Meliorati , Orlandus Tedeſci , Lambertus Harri , Allebrandinus Malefronte , Bonaccurſus Azi , Petrus Rogeroni , Bonajutus Campaneſe , Borgonione Bernardi , Ubaldus Rainerii , Jacobus Pontadore , Bonaventura de Liſcia , Truffa Rainerii , Arrighus Parghie , Bovone Notarius , Paganus Bandini , Marmaldus Perfede , Benvenutus de Cerbaria , Grandone Concitti , Gerardinus Maurini , Ceciarellus Fantinelli , Riccardinus Gherondellus , Malaſpina Jughiſſi , Guillielmus Notarius , Ugolinus Burnelliæ , Riccardus Tintor , Orlandus Diverſi , Orlandus Bonperii , Franceſcus Paſſi , Bongranus , Genoveſe Aliotti , Ardicione Rofredi .

Volentes obedire mandatis Domini Papæ ſuper exceſſibus , pro quibus eramus nos & Lucani excommunicationis & interdicti ſententiis innodati , ſcilicet tam pro extorſionibus , damnis , contumeliis & injuriis Clericis & Eccleſiis Lucanis irrogatis , quàm pro facto Carfangnanæ ipſis præſentibus , & de ipſorum conſilio & voluntate damus , atque concedimus vobis Domino Petro de Varcino , Dei gratiâ Domini Papæ ad
A *hoc Legato , recipienti vice & nomine ipſius Domini Papæ & Romanæ Eccleſiæ , juxta formam mandati Apoſtolici vobis facti , cuſtodiam , poſſeſſionem , & tenutam Arcis , Turris , & Caſtri Caſtelli Novi , & Arcis , Turris , & Caſtri de Aquilata : quæ Romana Eccleſia obligata tenebit hinc ad quatuor proximos annos pro quatuor millibus Marcarum argenti , pro parendo mandatis Domini Papæ pro exceſſibus ſupra dictis . Et promittimus , & convenimus pro Lucano Communi ipſam cuſtodiam & tenutam vobis prædicto Domino Petro ad hoc Legato , & cui dederitis ſeu commiſeritis eam , ut dictum eſt , recipienti pro Domino Papa & Romana Eccleſia , dicta Caſtra manutenere & defendere*
B *ab omnibus illis , qui vellent inferre moleſtiam , vel gravamen ; & ipſam cuſtodiam & poſſeſſionem dictorum Caſtrorum non inquietare vel moleſtare aliquo modo vel ingenio , nec permittere , ut inquietentur vel moleſtentur , aut auferantur contra mandatum Domini Papæ , & voluntatem , vel ejus Nuntii ſuper hoc mandatum habentis , ſeu ad ipſorum Caſtrorum cuſtodiam deputati . Et hæc omnia promittimus vobis vice ipſius Domini Papæ & Romanæ Eccleſiæ , tenere & obſervare per nos noſtroſque ſucceſſores , & contra non venire , vel facere aliquo modo vel ingenio hinc ad prædictum terminum quatuor annorum , & non ultra , niſi in quantum antea eſſet nobis & Lucano Communi a Sede Apoſtolica relaxatum.*
C *Inſuper Riccus Præco Lucani Communis , de voluntate & conſenſu & parabola prædictorum* Majorum Conſulum , *& prædictorum Conſiliariorum tunc ibi præſentium , & parabolam dantium , ad ſancta Dei Evangelia juravit in animabus eorum , prædicta omnia & ſingula firma & rata habere & tenere , & contra non venire vel facere aliquo modo vel ingenio per ſe , vel per alios , ad ſanum & purum intellectum ſupraſcripti Domini Petri . Et ſic Deus adjuvet eos , & ſancta Dei Evangelia , ſuper quibus idem Riccus manum poſuit .*

Actum eſt in Civitate Lucana in Eccleſia Sancti Michaëlis , in prædicto generali Conſilio , coram Domino Opizo Archidiacono Lucano , Magiſtro Ugone Archipresbytero Lucano ,
D *Fratre Guillielmo de Cordella Pœnitentiario Domini Papæ , Fratre Johanne , Fratre Benedicto , Fratre Cæſario , Aldebrandino Judice , Jacobo de Morino , Lucani Communis Cancellariis , & Orlando Notario , & hujus rei teſtibus rogatis . In Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Trigeſimo Quarto , Indictione Septima , VII. Kalendas Auguſti .*

Ego Brunacius Peruſinus Civis , & Apoſtolica auctoritate Notarius , iis omnibus interfui , & ut ſupra legitur de mandato prædictorum Conſulum & Conſiliariorum , & eorum parabolâ ſubſcripſi , & in publicam formam redegi .

E Hujuſmodi *Prætorum* poteſtas ſuprema fuit, qualem Principes exercere ſolent . Proindene ab ipſis quoque Principibus reſpuebatur id munus ; ad quod gerendum quicumque advocabantur , propterea dicebantur *andare in Signoria* , hoc eſt ire ad dominandum . Ob id Poteſtas in ejus ſacramento dicere conſuevit : *Toto dominii mei tempore* . Neque ultra annum protendebatur eorum auctoritas ; ipſique jurabant, ſe Præturam ultra Annum non geſturos: a quo ſacramento nemo abſolvebatur , niſi fortè eorum merita , perſpectæque virtutes ita Civium animos ſibi devinxiſſent , ut , derogando Legibus , in alterum annum eidem Prætura

ra confirmaretur. Porro quum non deeſſent, qui interdum precariâ hac dominatione abuterentur, ſuccedentibus temporibus placuit pleriſque, ne dicam omnibus, Civitatibus liberis, binos ſingulis annis deligere *Poteſtates*, quorum alter primis tantùm ſex menſibus ſuum regimen complebat, alter verò ſex poſtremis. Eâ ratione cavebatur, ne Reguli iſti, ſi fortè ſecus atque ſperabatur, ſeſe gererent, diu Reipublicæ aut inutiles, aut pernicioſi eſſe pergerent. Deligebatur autem id hominum genus ex alienis Urbibus, præcipue ex amicis & ſociis, hoc eſt, ex iis, quæ eidem factioni, ſive Guelphæ, ſive Gibellinæ adhærebant. Nimirum Guelphi nominis Urbes non alium ſibi præficiebant Prætorem, quàm qui ejuſdem profeſſionis cultor haberetur. Neque aliter ſe gerebant Gibellini inſtituti Civitates. Quem meliorem quiſque noverat, aut quem enixius exoptabat, hunc in publico Conſilio proponebat; iſque ſtatuebatur, quem plurium vota eligebant. Mos tamen fuit frequentior, paucis ex numero Civium delectis, ac prudentioribus curam & facultatem committere novi Prætoris eligendi. Plerumque verò is a fœderatis Civitatibus expoſcebatur, qui videlicet ceterorum præſtantiſſimus videretur: & præcipue qui Cingulo Militari jam foret accinctus, ideſt jam eſſet *Cavaliere*, ſive honore Militiæ decoratus. Si quiſquam deligebatur ejuſmodi ornamento nondum auctus, id Hiſtorici tamquam rem raram adnotant. Immo ii, ſi probe ſe in officio gerebant, a Civitate publicis impenſis *Milites*, ſeu *Cavalieri*, creari conſueverunt. Fuere interdum minus potentes Urbes, quæ ex pacto a vicinis Poteſtatem recipere cogebantur. Ceterùm nonniſi ex ſpectata Nobilitate ſeligere Poteſtates iiſdem temporibus mos fuit, quoſque rerum experientia & Prudentia & Fortitudo commendabat. Neque enim eorum tantummodo erat Populum regere, ac civilia pertractare negotia, ſed etiam bello præeſſe, atque exercitus in hoſtes ducere, quum neceſſitas, aliæve rationes expoſcerent. Quare quiſquis olim Prætorem, ſive Poteſtatem egiſſe invenitur in Urbibus liberis, ac præcipue in præſtantioribus, is continuo cenſendus eſt tum egregiâ ſanguinis Nobilitate, tum ingenio virtutibuſque inter Italicos excelluiſſe: idque unum loco elogii eſſe nunc poteſt. Ac propterea qui de illuſtribus Italiæ Familiis ſermonem inſtituere volunt, eis præcipue intendendi ſunt oculi in veteres Liberarum Urbium Prætores, quorum Catalogos perutiles ſemper cenſui ad diſtinguendas Italicas Familias, quæ ſeſe præ reliquis Nobilitatis gloriâ commendabant. Senenſium Hiſtorias exempli cauſsâ conſule. Poteſtates, qui ex Mutinenſi Civitate ad eam Urbem regendam acciti ſunt, iſti ſe nobis offerunt. Ad Annum Chriſti MCCXXV. *Gerardus Rangonus*. Hic idem fuit, quem Rolandinus Hiſtoricus Patavinus laudat, Lib. 3. Cap. primo ſcribens, partem Veronenſium Civium, ex Urbe illâ unà cum Comite Sancti Bonifacii expulſorum, Anno MCCXXX. *vocaſſe pro ſuo Rectore & Poteſtate Dominum Gerardum Rangonum de Mutina, virum prudentem, & ſtrenuum, ſapientem, providum, & aſtutum*. Tum Anno MCCXXVII. Senæ Prætorem egit *Inghiramus de Macreta* Mutinenſis. Anno MCCXXXI. prælaudatus *Gerardus Rangonus*: quippe licuit poſt aliquod tempus eamdem rurſus inire Præturam. Anno MCCXXXV. *Bernardus de Pio de Mutina* Senenſem Præturam geſſit. Anno MCCXXXVII. *Jacobinus Rangonus*. Anno MCCXL. *Manfredus de Saxolo de Mutina*. Anno MCCXLV. *Leonardus Buccabadata de Mutina*. Anno MCCLXIII. *Guilielmus de Gorzano de Mutina*. Anno MCCLXIX. *Rainerius del Teſta de Mutina*. Anno MCCCXL. *Gerardus de Guidonibus de Mutina*. Anno MCCCXLIX. *Albertus Boſchettus de Mutina*. Reliquos omitto. Omnes iſti e præclarioribus Mutinenſis Urbis Familiis. Ita Capitanei Senenſis Reipublicæ (de quo munere annuo infra aliquid dicam) renuntiati ſunt Anno MCCLVI. *Guilielminus de Rangonis* Mutinenſis. Anno MCCLVIII. *Bonifacius de Gorzano*. Anno MCCLXII. *Gherardinus filius Lanfranci Pii de Mutina*. Anno MCCLXV. *Inghiramus de Gorzano* Mutinenſis. Anno MCCLXVIII. *Bonacorſus de Montecuccolo* Mutinenſis. Anno MCCC. *Lanfrancus Rangonus de Mutina*. Alios prætermitto. Hæc enim ſatis ſuperque ſunt, ut videas, quot Nobiles viri ab una Civitate Mutinenſi accerſiti olim fuerint ad unam Senenſem regendam atque tuendam.

Rolandinus de Paſſageriis Bononienſis (alter a Patavino, nuper memorato, cui egregium Chronicon debemus in Tomum VIII. Rerum Italicarum a me inlatum) in *Summa Notariæ Artis* exemplum Epiſtolarum adfert, quibus invitabantur *Milites*, hoc eſt, Nobiles, ad ſuſcipiendum Præturæ officium. Inter cetera ajebant: *Perſonam veſtram ad Kalendas Februarii proxime venturi ad unum annum nobis & Civitati noſtræ in Poteſtatem, Rectorem, & Dominum* (atque hinc habes, quanti foret ejuſmodi dignitas) *electione concordi & unanimi præfecimus*. Memorantur heic *Februarii Kalendæ*: ex communi tamen uſu in reliquis Urbibus, Kalendis Januarii Magiſtratum novi Prætores inire ſolebant. Factâ verò electione novi Præſidis aliquot Menſes ante Kalendas Januarii, præter literas, Legati etiam ad eum invitandum mittebantur, atque hi apud Veronenſes ex *Religioſis viris* eſſe conſueverunt, ne Cives Sæculares, ut puto, nimium gratiæ ſibi mature conquirerent apud futurum Dominum. Audi Statuta Veronenſium Anno MCCXXVIII. promulgata, ac publici juris facta Anno MDCCXXVIII. ab accuratiſſimo, meique amantiſſimo viro Bartholomæo Campagnola Archipresbytero. Ibi Capite Primo Prætor inter cetera jurejurando hæc pollicetur: *Item tenear mittere duos viros Religioſos & ſpirituales communi opinione, in quorum præſentiâ Poteſtas ventura juret in Civitate ſua, in publico Conſilio, de veniendo, & de ſuſcipiendo regimine Civitatis Veronæ. Qui, vel alii duo Religioſi, & communi opinione ſpirituales, ducere ipſum Poteſtatem debeant, quando venturus erit ad regimen prædictum; & alios ad prædicta faciendum non mittam. Item Poteſtas electa debeat reſpondere intra quatuor dies, poſtquam ei dictum & denuntiatum fuerit per Nuntium, ſive per literas Communis Veronæ, de recipiendo regimine Civitatis* &c. Hiſce accedant Patavinæ Reipublicæ Literæ de novo Prætore electo, quas mihi ſuppeditavit Codex MStus, Patavii adſervatus penes Nobilem virum Comitem Sertorium Urſatum, nepotem videlicet celebris olim inter Eruditos viri Sertorii Urſati Equitis Patavini.

Præ-

Prætoris ac Populi Patavini Literæ, quibus Pinum de Vernaca Cremonenſem electum invitant ad ſuſcipiendum munus Præturæ Patavinæ, Anno 1308.

Militi probatæ fidei & examinatæ virtutis, Domino Pino de Vernaca de Cremona, Franciſcus de Bitonio *de Epiſcopatu Aſſiſii*, Poteſtas, Anciani, Conſilium & Commune Paduæ, *ſalutem & bonorum omnium incrementa. Quoniam de manibus cujuſcumque Rectoris & Ducis, totius ſibi commiſſi Populi pendet ſalus, eo quod univerſa membrorum compago ex diſpoſitione capitis reformatur, meritò infra ceteras ſolicitudines debet hoc eſſe, ſcilicet bonum ſibi præferre Rectorem, in cujuslibet pectore curâ majori. Hujus igitur deſiderii fervore ſoliciti Viri prudentes, ad electionem deputati, conſideratis virtutibus, quibus celebris nominis veſtri famâ docente affluitis & fulgetis (quod etiam cognovimus experientiâ manifeſtâ)* perſonam veſtram a Calendis Julii proxime venturis uſque ad ſex menſes in Poteſtatem ſeu Rectorem noſtrum, conſenſu & voluntate unanimi elegerunt, *ipſius electionis factæ de vobis approbatione & confirmatione per noſtrum majus Conſilium ſubſequuta. Quapropter cum ex ipſa electione per omnem modum ſit mirabiliter ſatisfactum affectionibus cordis noſtri, eo quod ſcimus, vos adeo Virum doctum, ut ſciatis æquâ librâ ponere judicium in pondere, & juſtitiam in menſura, & in vindictam facinorum juſtitiâ vibrare gladium temporale, Nobilitatem & Prudentiam veſtram precibus, quibus poſſumus, requirimus & rogamus, quatenus vobis placeat in hoc ſatisfacere votis noſtris, ipſumque regimen acceptare, propterea recepturos pro ſalario veſtro de noſtra uſuali Moneta Libras ſex millia Parvorum, ut noſtrorum continet Statutorum forma, pactis, conditionibus, atque familia, quibus diſcretus vir Petrus Domini Juſtignani præſens exhibitor, Syndicus noſtri Communis, ad hæc ſpecialiter conſtitutus, vobis oretenus enarrabit, ac etiam per ſcripturas plenarie patefiet. Cui poſt harum præſentationem infra tertiam diem ſine contradictione aliqua reſponſum per Inſtrumentum publicum certum detis.*

Ad hæc ſolemni pompâ, & magnifico Populi concurſu, Urbiſque apparatu, novus Prætor excipiebatur. Oratio quoque publica A in ejus laudem haberi conſuevit. Præterea eidem Prætori facultas erat (immo eidem mandabatur) ſecum ducendi *Judices*, & duos *Milites* nobiles viros, quorum primi lites & cauſſas dirimerent; alteri verò tum Prætorium cuſtodirent, tum armatam vim Poteſtati, ac Judicibus ad juſtitiam exercendam, ac reorum pœnam miniſtrarent. His omnibus de ærario publico ſalarium conſtituebatur. Peracto autem Officio, cogebatur Exprætor Syndicatui ſeſe exponere, ac tamdiu in Urbe morari, quoaduſque congruum tempus præberetur volentibus adversùs eum querelas producere. Fidejuſſores is eam ob cauſſam dare cogebatur. Sed præſtat accipere hæc a vetuſtiſſimo B Statutorum MStorum Libro, quem in Archivo ſuo adſervat Mutinenſis Communitas, ubi hæc leguntur Lib. I. Rubric. I. & VII. *Poteſtas recipiet pro ſuo feudo & ſalario ſex Menſium, MC. Libras Mutinenſium a Communi Mutinæ. Tenebit quatuor bonos Judices; & duos Milites, ſive Socios, quorum unus ſit bene Literatus; & octo Servientes Domicellos veſtitos de eodem panno* (nunc Italice *la Livrea*) *& octo equos, quatuor ſint de armis, omni ejus periculo & fortunâ. Item decem Beroarios armigeros, veſtitos de eodem panno, diſſimili a veſtibus Domicellorum; & quatuor Ragatios a ſtalla. Et quod Poteſtas, nec aliquis de ſua Familia non poſſit, nec debeat ducere vel* C *tenere in Civitate Mutinæ vel diſtrictu, Uxorem, Fratrem, nec Filium, toto tempore ſui regiminis. Et quod non habeat aliquam parentelam, ſive affinitatem, vel conſanguinitatem in Civitate Mutinæ vel diſtrictu. Nec comedere vel bibere cum aliquo Cive, vel Comitatino Civitatis Mutinæ, nec ipſe, nec aliquis de ſua Familia in aliqua domo vel loco alicujus ſingularis perſonæ vel Collegii Civitatis Mutinæ, vel Burgorum &c.* Vide, quantâ circumſpectione ageretur, ne quiſquam temporanei iſtius Domini animum corrumpere poſſet. Quæ verò de ejuſdem Poteſtatis officio habeantur in altero itidem antiquiſſimo membranaceo Libro Statutorum Reipublicæ Mutinenſis, adjicere juvat.

Populi ſeu Reipublicæ Mutinenſis decretum de officio Poteſtatis, efformatum longe ante Annum 1281.

POteſtas Mutinæ *ſecum debeat ducere & tenere toto tempore ſui regiminis duos bonos Judices peritos, & duos bonos Milites, quoslibet ipſorum Judicum & Militum, annis triginta majores, & octo Servientes, & octo Equos ad minus, quorum tres ſint de armis. Qui Judices & Milites, & omnes alii de ſua Familia ſane ſint & fuerint de parte Eccleſiæ. Et non aliquem, qui ſit vel fuerit, vel eſſe conſueverit de altera parte: ſub pœna centum Librarum Mutinæ pro quolibet. Et venire debeat, & eſſe in Civitate Mutinæ dictus Poteſtas cum tota dicta ſua Familia, per octo dies ante introitum dicti ſui regiminis. In quibus octo diebus habeat ipſe Poteſtas plenam juriſdictionem punire omnes & ſingulos Officiales electos, & alios loco eorum, qui renunciaverint, vel eſſe non poterint, eligere & jurare facere ſecundùm formam Statuti Communis Mutinæ. Et ſi de ipſis Officialibus, vel de aliquo eorum, vel ipſorum electione aliqua controverſia, vel quæſtio moveretur, quod poſſit cognoſcere ipſe & quilibet de ſuis Judicibus, & terminare & diffinire, ac ſi revera eſſet in Regimine Civitatis Mutinæ. Et inſuper Poteſtas . . . . in Kalendis Januarii infra dictos octo dies eligat, ſeu eligi faciat ſecundùm formam Statuti Conſilium Generale novum Communis Mutinæ, & locare redditus Communis ac Conſilii Generalis ad incantum plus offerenti, ſecundùm formam Statuti Communis & Populi. Et ſtare debeat ipſe Poteſtas, Judices, & Milites ad Regimen Poteſtariæ Civitatis Mutinæ faciendum in Civitate Mutinæ & diſtrictu uſque ad tempus ſui Regiminis completum. Nec alios poſſit loco eorum ſubrogare, vel ponere, vel cambiare &c.*

Et ego Johannes de Curtellinis Notarius Poteſtatis, prædictum Statutum de Libro Statutorum Communis Mutinæ extraxi & exemplavi in Milleſimo Ducenteſimo Octuageſimo Primo, Indictione Nona, die Dominico X. intrante Auguſto.

Parum diverſa ſunt, quæ Populus Ferrarienſis Anno MCCLXVIII. de electione ſui Prætoris decrevit. En ejus verba excerpta e Statutis MStis antiquis, in Eſtenſi Bibliotheca adſervatis, Lib. 2. Rubricâ 7. *Poteſtas teneatur habere quatuor Judices, & duos Milites; unus quorum Judicum ſemper debeat eſſe deputatus aggeribus, ſcurſuriis, pontibus, & viis Civitatis Ferrariæ & diſtrictus &c. Qui Judex Aggerum eligatur per Dominum Marchionem: & habeat pro ſuo ſalario de Feudo Poteſtatis in ſex menſibus quinquaginta Libras Ferrarinorum veterum.* Secundus Judex præerat mulctis, & reditibus Communis Ferrariæ, navibus, portis, ac pontibus Civitatis. Tertius maleficiis. Quartus Aſſeſſor erat Poteſtatis. Perpetuo habere jubebatur Prætor duodecim Servientes, & equos decem, e quibus tres forent ad arma idonei. Sex tantùm Menſes perdurabat ejus munus, ac *pro ſuo ſalario percipiebat a Communi Ferrariæ Mille quingentas Libras Venetorum parvorum*. Functus officio, per quindecim adhuc dies Ferrariæ permanere cogebatur, rationem omnibus redditurus, ſi quidquam deliquiſſet. Nullam cauſſam ei licebat cognoſcere, aut judicare *alicujus Civis, vel habitatoris Civitatis vel loci, unde Poteſtas erat, vel Diſtrictus ejus*. Juvat etiam addere, quæ in hanc rem olim Senenſis Reſpublica ſtatuit: teneo enim Populi illius decretum ex munere doctiſſimi olim viri Huberti Benvoglienti, qui ex Archivò Noſocomii Scalenſis illud depromſit.

Reipublicæ Senenſis conſtitutio de electione Poteſtatis promulgata ante Annum 1288.

IN nomine Domini . Amen . Infraſcripta ſunt certa Capitula Conſtituti Comunis Senenſis, que repcriuntur ſcripta in Conſtituto Novo Comunis Senenſis , publicata manu Orlandi Guillielmi Notarii .

Rubrica de Electione Poteſtatis Senenſis , & ejus officio .

STatutum & ordinatum eſt , quod per Dominos novem Gubernatores & Defenſores Comunis & Populi Senenſis & Camerarium & quatuor Proviſores dicti Comunis , & Conſules Mercatorum, & Conſules Militum Civitatis Senenſis , cum adjuncta ſapientum Virorum, quos dicti Novem ſecum habere voluerint: ſi quos habere voluerint , eligantur , & eligi debeant & nominari Poteſtates Communis & Populi Senenſis , *unus vel plures , ſicut eis videbitur . Et dicti Ordines & Sapientes dictam electionem faciant , & facere teneantur & debeant de illis hominibus & perſonis , que ſint fideles ſancte Romane Eccleſie , & amatores Comunis & Populi Senenſis; cum illis conditionibus & ſalario, & cum Sotiis & Familia & Equis , & extimatione ipſorum equorum , ſicut & qualiter ipſis Dominis Novem pro Comuni Senenſi melius videbitur convenire . Inter que pacta contineatur, quod* Poteſtas, *qui pro tempore fuerit , teneatur & debeat pro ſalario Poteſtariæ ordinando ducere ſecum ad regimen Civitatis Senenſis quinque bonos & legales Judices Juriſperitos . Qui quinque Judices per dictum Poteſtatem ponantur & ordinentur ad officium iſto modo , ſcilicet . Quod unus illorum ſtet , & ſtare debeat cum Domino Poteſtate , & legere ſibi Statuta, & intereſſe Conſiliis Campane Comunis Senenſis ; & dicta Statuta & Conſilia facere mandare executioni ; & procurare , quod Dominus Poteſtas ea mandet executioni ; & civiles queſtiones cognoſcere & diffinire ſecundùm formam juris & Statutorum Comunis Senenſis . Et duo ex dicti quinque Judicibus debeant ſtare ad Diſchum Maleficiorum , ſuper maleficiis cognoſcendis & examinandis hoc modo , ſcilicet ; quod unus dictorum Judicum cognoſcat & examinet omnia maleficia & exceſſus , que commicterentur in Civitate , & Burgis , & Maſſa & infra Maſſam Civitatis Senenſis . Alius verò Judex cognoſcat & examinet omnia maleficia & exceſſus, qui commicterentur in Comitatu & Terris Comitatus & diſtrictus & juriſdictionis Senenſis . Et dicti duo Judices debeant mutari per Dominum Poteſtatem de Civitate in Comitatu, & de Comitatu in Civitate de tribus in tribus menſibus . Qui duo Judices Maleficiorum non debeant ſe intromittere de civilibus queſtionibus cognoſcendis . Quartus verò Judex ſit & eſſe debeat ad colligendum condempnationes , datia , banna, & decimas , & pecuniam , que deberetur Comuni Senenſi , ſecundum formam Statutorum , & ordinamentorum Comunis Senenſis . Quintus verò Judex ſit & eſſe debeat ad Officium Conſulum Placiti Comunis Senenſis . Et habeat illud Officium, quod habet Judex Conſulum Placiti Comunis Senenſis : & ſit , & vocetur Judex Con-* A *ſulum Placiti Comunis Senenſis , qui eſt & eſſe conſuevit de Civitate Senenſi . Et poſſit & debeat & teneatur cognoſcere & diffinire de civilibus queſtionibus ſecundùm formam juris & Conſtituti Comunis Senenſis , ſicut tenetur Poteſtas , & Judex , & Aſſeſſor Comunis Senenſis . Qui quinque Judices debeant intereſſe condempnationibus & examinationibus condempnationum . Et teneat & debeat Poteſtas habere ſecum duos Judices , & Judicem , & Aſſeſſorem Comunis Senenſis , quando facit condempnationes & abſolutiones , & eorum conſilio facere condempnationes & abſolutiones ; & nulli alii Judices debeant intereſſe ad illas condempnationes & abſolutiones faciendas . Et dicti Judices ju-* B *rent & teneantur obſervare omnia Statuta Comunis Senenſis; & predicti quinque Judices teneantur gerere & exercere omnia & ſingula Officia , que eis & alicui eorum commicterentur exercenda & facienda per Dominos Novem, & Camerarium , & quatuor* (Proviſores) . *Et pro predictis faciendis nullum ſalarium vel remunerationem aliquam habere vel petere debeant a Comuni Senenſi, ipſi vel aliquis eorum cauſsá remunerationis vel alio modo quocumque , nec per Conſilium Novem , vel aliquod aliud Conſilium , nec per Conſules Mercatorum , nec per Conſules Militum . Et ſi quid Conſilium inde fieret, non valeat nec teneat ipſo jure . Et Conſiliarius , qui conſiliaverit , vel arrengaverit* C *contra prædicta , puniatur & condempnetur Comuni Senenſi in centum Libris denariorum Senenſium .*

Et ſic electus ſit , & eſſe debeat Poteſtas Comunis Senenſis & Populi Comitatus ejuſdem , *ſi dictam electionem receperit , & perſonaliter venerit , & continue ſteterit in Civitate Senenſi ad Officium Poteſtariæ exercendum toto tempore ſui officii . Et dicta electio Poteſtatis fiat & fieri debeat eo tempore, quo predicti Novem duxerint ordinandum , & eis videbitur convenire . Et hec obſerventur & fiant & teneant & valeant non obſtante aliquo Capitulo Conſtituti generali vel ſpeciali , per quod poſſit huic Capitulo in aliquo derogari . Et ſalarium , quod per predi-* D *ctos Novem fuerit ſtabilitum , non poſſit cauſsâ neceſſitatis , vel alio modo vel ingenio augeri vel augmentari . Et quicumque conſuleret vel arrengaret , quod dictum ſalarium augmentaretur vel augeretur, vel majus ſalarium daretur, puniatur pro qualibet vice in centum Libris denariorum Senenſium Comuni Senenſi : & ejus conſilium non valeat , nec teneat , non obſtante aliquo Capitulo Conſtituti . Et qui fuerit Poteſtas electus , ut ſupra dictum eſt , ſit & ſtet contentus ſalario ſupradicto , & feudo ſibi per dictos Novem ordinato . Quod ſalarium predictum Domini Novem teneantur & debeant ordinare , antequam faciant electionem Poteſtatis ; & plus dicto feudo & ſalario dictus Poteſtas* E *non poſſit petere & recipere vel habere per ſe , vel per interpoſitam perſonam a Comuni Senenſi, vel alio pro Comuni , nec cauſá feudi , nec cauſá donamenti ſive remunerationis , ſive aliâ qualibet cauſá . Et ſi Poteſtas contrafaceret , perdat centum Libras Denariorum Senenſium .*

Et Camerarius Comunis Senenſis tantum de ſuo ſalario teneatur & debeat retinere , & poſtea non reddere vel reddi facere ullo modo . Et quod ordinatum fuerit ſibi dari , excepto ſupradicto ſalario , non valeat nec teneat ipſo jure . Et Camerarius , & Quatuor , & Domini Novem teneantur & debeant , quod ſicut ordinatum fuerit , omnino non dare vel dari facere aut concedi ſibi Poteſtati , vel alii pro eo . Et qui contrafecerit , condempnetur & puniatur Comuni Senenſi in duplum illius quantitatis pecunie vel rei , que ſic daretur vel concederetur. Qui Poteſtas recipiat & recipere poſſit pro quolibet Menſe , pro rata temporis , feudum ſibi ſtatutum , exceptis quingentis Libris Denariorum , qui remanere debeant penes Camerarium Senenſem ſecundùm formam Capituli Conſtituti , quod loquitur de Sindicamento Poteſtatis , & ſuæ Familiæ ; quod ſic incipit : Et teneantur & debeant Poteſtas & Sotii & Judices, quos ſecum duxerit *&c. Et per predictos Dominos Novem non poſſit nec debeat provideri, quod Poteſtas licentietur ante tempus ſui regiminis : nec ipſum poſſint a Sindicatu abſolvere aliquâ ratione vel modo . Et quicumque fuerit Poteſtas , vel Capitaneus in Civitate Senenſi , non poſſit eſſe Poteſtas vel Capitaneus in ipſa Civitate ipſe vel alius de domo ſua , nec eligi vel nominari pro Poteſtate vel Capitaneo Senenſi in Anno ſequenti , nec etiam aliquis alius de Terra ſua . Et hoc idem fiat & obſervetur de Judicibus forenſibus . Et Poteſtas electus modo predicto teneatur venire perſonaliter & eſſe in Civitate Senenſi in Kalendis Decembris . Qui Poteſtas jurare teneatur , nullo modo vel ingenio recipere vel acceptare electionem de ſe factam , ſi accideret , quod Senenſes ipſum eligerent in Poteſtatem , Dominum , vel Rectorem pro Anno futuro ; nec recipere , vel eſſe permittere aliquem in Poteſtatem vel Dominum , qui eſſet electus ad clamorem . Et teneatur Poteſtas facere jurare omnes homines de Conſilio Campane , qui jurabunt ad Conſilium , quod ſic Poteſtatem vel alium Dominum vel Rectorem , qui pro tempore fuerit , non refermabunt pro alio futuro Anno , nec aliquem eligent , vel levabunt ad clamorem. Et hoc Capitulum , & omnia & ſingula ſupradicta , que in dicto Capitulo continentur , valeant & teneant , & debeant executioni mandari, non obſtante aliquo Capitulo Conſtituti . Et quod de predictis vel aliquo predictorum non poſſit fieri Conſilium Campane Comunis vel Populi , nec approbari neceſſitas, vel fieri Parlamentum . Et ſi quis contra predicta fecerit vel dixerit , ſi fuerit Camerarius , vel Quatuor , puniatur quilibet eorum in centum Libris : & ſi fuerit Conſiliarius , vel alius quilibet , qui contra predicta arrengharet vel diceret , puniatur & condempnetur in centum Libris Denariorum . Et Notarius , qui ſcriberet impoſita , vel conſilium , condempnetur in quinquaginta Libris Denariorum ; & quod factum fuerit non valeat nec teneat ipſo jure , nec executioni mandetur. Et predicti Officiales, & quilibet eorum , qui contra predicta facerent , removeantur ab Officiis .*

Rubrica de illis , quos Poteſtas poteſt ſecum ducere .

ET teneatur Poteſtas jurare , & juret , non ducere aliquem Militem vel Judicem vel familiarem , qui non ſit de amicis Comunis Senenſis , & de fidelibus & amatoribus ſancte Matris Eccleſie ; & nullum , qui ſit famoſus Ghibellinus : & non permittere, Judicem , vel Militem , vel familiares aliquos ſtare vel intereſſe in Civitate vel extra alicui Conſilio Comunis Senenſis . Et ſi Poteſtas contrafecerit , perdat pro qualibet vice de ſuo ſalario viginti quinque Libras Denariorum , & apud Camerarium Comunis Senenſis remaneant pro Comuni Senenſi . Et Sindicus Judex Comunis teneatur & debeat facere diligentem inquiſitionem de predictis . Et ſi invenerit aliquem de familia Poteſtatis , qui non ſit de amicis Comunis Senenſis , & de fidelibus & amatoribus ſancte Matris Eccleſie , vel quod ſit famoſus Ghibellinus , debeat ipſum de Civitate Senenſi expellere facere & compellere . Camerarius & Quatuor retinere de feudo Poteſtatis viginti quinque Libras Denariorum , & poſtea non reddere .

Rubrica , quod Poteſtas debeat venire & recedere ſuis expenſis , & ad ſuum riſchium & fortunam .

ET teneatur & debeat Poteſtas , venire ad Civitatem Senenſem , & recedere ſuis propriis expenſis , & ſuum riſchium & fortunam in perſonis , equis , vel rebus aliis quibuſcumque ; & non poſſit vel debeat petere , vel recipere aliquod medium reſtauramentum , vel refacimentum , vel aliquod aliud loco eorum , quocumque nomine cenſeatur .

Rubrica de vacatione Officialium Senenſium .

ITem quod nullus poſſit nominari vel recipi in Poteſtatem Senenſem , vel Judicem Comunis Senenſis , vel Populi Senenſis , vel Judicem , quem Poteſtas ſecum duxerit pro Conſtituto legendo , vel Judicem Maleſitii , vel Judicem Cabelle , vel Judicem , qui debet recolligere pecuniam Comuni Senenſi debitam, ſeu avere Comunis , vel pro Exgravatore , vel aliquod aliud Officium Comunis Senenſis , qui ſit , vel actenus fuerit in aliquo alio Officio Comunis Senenſis vel Populi a tribus annis citra . Et ſi facta fuerit aliqua nominatio vel electio de predictis contra dictam formam non teneat nec valeat ipſo jure . Et talis electio non recipiatur vel approbetur ullo modo per Conſilium Campane , neceſſitatis cauſa vel aliquo alio modo , nec per Conſules Mercantie . Et Novem non poſſint aliquem eligere vel facere in Judicem vel Officialem contra ſupradictam formam , nec etiam Tredecim Emendatores Conſtituti Senenſis . Et ſi dicti Tredecim Emendatores Conſtituti facerent aliquod Capitulum Conſtituti , vel aliquam emendationem vel aliquam novitatem de eligendo aliquem in Poteſtatem , vel Judicem , vel Officialem contra predictam formam , Poteſtas teneatur & debeat quemlibet ex dictis condempnare in decem Libris Denariorum Senenſium , & dictam condempnationem exigere , & poſtea non reddere . Et ſi quis Judex vel Officialis fuerit inventus recepiſſe aliquid ex dictis Officiis contra dictam formam , perdat feudum ſuum , & nichilominus ab Officio removeatur. Et quicquid ageretur contra ea , ſit caſſum & nullius valoris .

Rubrica de arbitrio non petendo a Poteſtate .

ET teneatur & debeat Poteſtas non petere vel recipere aliquod arbitrium per ſe vel alium , vel permittere peti ab aliquo , in ſui pre-

preſentia vel abſentia , in concione vel conſilio , vel alio modo vel loco , a Comuni vel Populo Senenſi , vel a Dominis Novem , vel a Conſulibus Militum , vel a Conſulibus Mercatorum , vel a quacumque perſona , cujuſcumque dignitatis vel conditionis exiſtat . Et ſi quis , vel ſui , dicerent vel arrengarent , vel aliquo modo attentarent dare arbitrium Poteſtati , quilibet eorum condempnetur Comuni Senenſi in centum Libris Denariorum Senenſium , & in carcerem Comunis Senenſis perſonaliter detineatur , donec debitam penam ſolverit . Et ſi dictum arbitrium dicte Poteſtatis , vel alicujus pro eo datum fuerit aut factum fuerit in aliquo contra predicta , ipſo jure ſit nullum , & non valeat , nec teneat aliqua ratione vel cauſa , & ſit pro non habito, & ipſo arbitrio Poteſtas preciſe teneatur & debeat non uti . Et ſi contra predicta vel aliquod predictorum , Poteſtas vel alius pro eo faceret , abinde in antea non ſit habitus pro Poteſtate vel Rectore , & deſinat eſſe Poteſtas vel Rector ipſo jure . Et teneatur & debeat Poteſtas facere jurare Camerarium , & Quatuor , quod poſtquam habuerit vel exceperit ipſum arbitrium , non dabunt ſibi Poteſtati vel alicui pro eo aliquem denarium pro ſuo ſalario , vel aliquid aliud ullo modo , aliqua ratione vel cauſa . Et teneatur Poteſtas facere jurare Succeſſorem ſuum , quod predicta omnia & ſingula obſervabit ſine aliqua diminutione . Et de predictis vel aliquo predictorum non poſſit Poteſtas abſolvi , vel aliquis alius Officialis Comunis Senenſis cauſâ neceſſitatis , vel aliqua evidenti utilitate per Conſilium Generale Campane Comunis Senenſis vel Populi , vel per Conſilium Dominorum Novem , vel per ipſos Novem , vel per aliquod ordinamentum , quod fieri vel excogitari poſſit , vel per Conſilium ſecretum , vel aliquos alios Officiales Comunis vel Populi Senenſis . Et hoc Capitulum ſit preciſum , ita quod mutari vel cancellari vel interpretari non poſſit in aliqua parte ſui . Et teneatur & debeat Poteſtas , & Domini Novem , & Camerarius , & Quatuor , hoc Capitulum , ſicut ſupra ſcriptum eſt, per totum mittere Poteſtatis futuro, qui fuerit electus ad regimen Civitatis Senenſis pro Anno futuro per illum , qui venerit pro eo, taliter quod ipſe Poteſtas futurus , antequam veniat ad regimen Civitatis Senenſis , juret in preſentia Sindici , qui venerit pro eo , dictum Capitulum per omnia & ſingula obſervare .

Rubrica , quod Poteſtas juret ad Statutum clauſum .

ET teneatur & debeat Poteſtas , quando venerit ad Civitatem Senenſem pro ſuo regimine faciendo jurare ad Statutum clauſum , & omnia & ſingula , que ad ſuum Officium Poteſtarie pertinent , & Capitulis Conſtituti loquentibus de ſuo Officio , continentur .

Rubrica , quod Poteſtas continue moretur in Civitate Senenſi pro ſuo Officio exercendo .

ET juret , & teneatur & debeat Poteſtas , quod , poſtquam fuerit in Civitate Senenſi , & ipſius regimen Civitatis , inde non diſcedet , nec ad Terram vel domum ſuam revertetur aliquo modo , ingenio vel cauſa , niſi diſcederet vel iret pro factis Comunis Senenſis cum conſilio, licentia , & concordia quatuor partium Conſilii Campane Comunis Senenſis . Et licentiam rece- A *dendi non poſſit nec debeat petere ab aliqua vel aliquibus perſonis , nec a Conſilio Comunis Campane Comunis Senenſis , nec in diviſo per ſe vel aliam perſonam peti faciat ullo modo vel ingenio , nec a Conſilio vel Parlamento , nec aliquo alio modo . Et teneatur Poteſtas facere jurare omnes homines de Conſilio Campane , quod exinde licentiam vel parabolam ei , vel alicui pro eo non dabunt . Et hec facere teneatur & debeat in Brevi Conſilii Comunis Senenſis apponi , & nullam interpretationem ſuper predictis admittat vel petat , vel peti faciat ab aliqua perſona Eccleſiaſtica vel Seculari . Et Novem non poſſint aliquo modo vel ingenio facere contra predicta vel aliquod predictorum . Et ſi dictus Poteſtas* B *predicta non ſervaret , & ultra quàm dictum ſit , diſcederet , abinde in antea non ſit habitus pro Poteſtate ipſo jure , & perdat totum ſuum ſalarium , quod apud Camerarium , & Quatuor pro Comuni Senenſi debeat remanere , non obſtante aliquo Capitulo Conſtituti. Et Judex Sindicus Comunis Senenſis teneatur & debeat compellere , dictos Camerarium & Quatuor dictum Salarium pro Comuni retinere , & ipſos cogere, ut non ſolvant Poteſtati dictum ſalarium . Et ſi ſolverent, compellantur per ipſum Judicem predictum ſalarium reſtituere Comuni Senenſi de eorum pecunia . Et de predictis dictus Judex non poſſit abſolvi per Conſilium Campane , vel Conſilium Novem , vel aliquos alios Officiales* C *Comunis Senenſis causâ neceſſitatis , vel alia qualibet , non obſtante aliquo Capitulo Conſtituti . Et ſi contigerit , quod dicti Novem , Conſules Militum , & Conſules Mercantie , & Camerarius , & Quatuor ſtatuerent , quod Miles Poteſtatis vadat in aliquam ambaſciatam vel Cavalcatam Senenſium , Poteſtas pro factis Comunis tantùm tunc teneatur & debeat ire, ſicut per predictos fuerit ſtabilitum , & pro eo ſalario , quod ordinaverint : quod ſalarium debeat ordinari in abſentia Poteſtatis .*

Rubrica de Sindicamento Poteſtatis & Officialium .

D *ET teneatur & debeat Poteſtas , & Sotii , & Judices, quos ſecum duxerit , & omnes de ſua Familia , finito tempore eorum officii morari in Civitate Senenſi per octo dies , nec de Civitate ipſa diſcedere , ſed ſtare ad Sindicatum , & reddere rationem adminiſtrationis ſue, & jurare ſuper facto ipſius Sindicatus in manibus Judicis Sindici ipſius Comunis , qui electus fuerit pro Anno ſequenti ; qui coram dicto Sindico reſpondebunt , & jurare parebunt Comuni Senenſi , & omnibus de ſe conquerentibus , & ſolvent & facient totum id , in quo eſſent convicti ſive confeſſi vel condempnati , Comuni Senenſi , vel illis , quibus eſſent condempnati . Quibus octo diebus elapſis poſſit diſcedere de Ci-* E *vitate Senenſi , datis prius ydoneis fidejuſſoribus de ſtando juri , & judicato ſolvendo . Et tunc teneatur dimittere in Civitate Senenſi Procuratorem , ſive Procuratores ad proſequendum cauſam inceptam , & ſententiam audiendam , & apud Camerarium & Quatuor Proviſores Comunis Senenſis quingente Libre denariorum de feudo dicte Poteſtatis debeant remanere . Qui Camerarius & Quatuor Proviſores Comunis Senenſis quingentas Libras denariorum de feudo dicte Poteſtatis debeant retinere . Qui Camerarius & Quatuor ipſas quingentas Libras denariorum teneantur & debeant aſſignare Quatuor novis ad eorum requiſitionem , vel duorum ex eis .*

eis . Et Poteſtas novus teneatur compellere dictos Camerarium & Quatuor veteres dictas quingentas Libras denariorum dare & aſſignare dictis Quatuor novis , ut dictum eſt , & eos compellere ad ſolvendum , ac ſi eſſent per Inſtrumentum guar . . . . . . obligati . Et ſi predicta non facerent dicti Quatuor veteres , quilibet eorum condempnetur Comuni Senenſi in quinquaginta Libris denariorum . Et Poteſtas teneatur dictam condempnationem exigere pro Comuni . Et Poteſtas novus teneatur dictis Quatuor novis & Sindico pro predictis omnibus complendis & faciendis , dare ſuam fortiam , auxilium , & favorem , ſicut melius fieri poterit , quod ſi non faceret , perdat de ſuo ſalario quingentas Libras denariorum Senenſium, quos Camerarius & Quatuor teneantur & debeant de ſuo ſalario retinere pro Comuni . De quibus quingentis Libris denariorum poſſint & debeant dicti Quatuor ſolvere & ſatisfacere Comuni Senenſi , ſeu illis perſonis , quibus eſſent condempnati . Et poſſint dicti Quatuor & Sindicus ab ipſis & a fidejuſſoribus ab eis datis , & quolibet eorum exigere , & quemlibet eorum compellere ad ſolvendum totum in quo ipſi vel aliquis eorum eſſent condempnati Comuni Senenſi vel alicui Univerſitati vel loco de juriſdictione Senenſi vel ſingulari perſone , ac ſi eſſent per Inſtrumentum guar . . . . . obligati . Et Novem Gubernatores & Defenſores Comunis & Populi Senenſis teneantur & debeant facere & curare ita quod Poteſtas & omnes predicti ſtent ad Sindicatum , ut ſupra dictum eſt infra dictum tempus octo dierum . Et quod nec per Conſilium Campane , nec per ipſos Novem , nec per Quatuor Proviſores Comunis Senenſis , nec per Conſules Militum , nec Conſules Mercatorum , vel aliquem alium Officialem Comunis Senenſis , nec aliquo alio modo poſſit dictus Poteſtas , vel aliquis predictorum Sociorum ſuorum & Judicum , vel aliquis de ipſius Poteſtatis familia abſolvi , quin ſtet ad Sindicatum , ut dictum eſt , vel quod de Civitate recedant ipſi vel ullus eorum . Et ſi quid Conſilium inde fieret , vel aliqua licentia de recedendo , vel de non ſtando ad Sindicatum concederetur eiſdem , ſeu alicui eorum per Dominos Novem , vel alios Officiales Comunis Senenſis , illud Conſilium & licentia non teneat , nec valeat ipſo jure . Et ſi Camerarius , vel Quatuor , vel Novem , vel aliqui alii Officiales Comunis Senenſis mitterent ad Conſilium , quod predicta non fierent , vel aliquis arrengaret contra predicta , quilibet eorum condempnetur Comuni Senenſi in centum Libris denariorum , & nichilominus predicta ſerventur per ſingula . Et Poteſtas teneatur inquirere contra illum , qui contra predicta faceret , & ipſum in centum Libris denariorum condẽpnare , & ipſam condempnationem exigere pro Comuni Senenſi . Et ſi Poteſtas eſſet negligens in predictis faciendis , perdat de ſuo ſalario ducentas Libras denariorum , quos Camerarius , & Quatuor de ſuo ſalario debeant retinere . Et per Conſilium Campane , vel aliquod aliud Conſilium , vel per Novem , vel aliquos alios Ordines , vel Officiales Comunis non poſſit , vel debeat . . . . , vel fingi aliqua ambaſciata , vel alia cauſa , per quam ipſe , vel aliquis eorum poſſint de Civitate Senenſi recedere, vel non ſtare ad Sindicatum , ut ſupra dictum eſt . Et de predictis non poſſint dicti Poteſtas , & Quatuor , & Judex Sindicus Comunis abſolvi , nec ſuper hiis poſſit aliqua licentia impetrari , vel dari a Conſilio Campane cauſâ neceſſitatis , vel alio modo quocumque , quin predicta omnia & ſingula fiant & obſerventur . Et dicti Novem , & omnes Ordines Civitatis Senenſis dare teneantur & debeant ipſis Quatuor , & Sindico auxilium & favorem , ut predicta omnia & ſingula melius fiant & obſerventur , & ut predicta omnia executioni mandentur , non obſtantibus aliquo Capitulo Conſtituti generali vel ſpeciali , precedenti vel ſubſequenti , per quod poſſit huic Capitulo in aliquo derogari . Item quod fidejuſſores , quos dederit Dominus Poteſtas pro ſe & ſuis Judicibus , ſotiis , & familia , non poſſint abſolvi per Dominos Novem, vel Curiam, Conſules Mercatorum , vel Militum , vel per Conſilium Campane Comunis ; nec poſſit , nec debeat aliqua neceſſitas approbari , vel aliquâ cauſâ vel ingenio , que dici vel excogitari poſſit , abſolvi . Et ſi quis arrengaret vel conſuleret , quod dicti fidejuſſores abſolverentur , dictus Sindicus teneatur & debeat , & ſibi liceat condẽpnare tales , qui predicta arrengarent vel conſulerent , in ducentis Libris denariorum Comuni Senenſi . Et Notarium , qui impoſitam inde ſcriberet , in centum Libris denariorum . Et ſi dictus Sindicus eſſet negligens vel obmicteret aliquod de predictis , videlicet quod dicti Poteſtas & Judex & Sotii , & Familiares ejus non ſtarent ad Sindicatum , vel abſolverentur ipſi vel eorum fidejuſſores , condẽpnetur & puniatur Comuni Senenſi in ducentis Libris denariorum , & ab ipſo Officio removeatur , & abinde in antea pro Sindico non habeatur .

Ego Orlandus Notarius , filius Dieludie , & nunc Scriba Comunis Senenſis, predicta Capitula Conſtituti, & Rubricas eorum ſcripta inveni in Conſtituto Novo Comunis Senenſis , ad quod jurare debet novus Poteſtas venturus pro anno venienti . Et ea exinde fideliter ſumpſi , & facta de predictis inſinuatione diligenti una cum Bindo Bruni Notario , fideliter & diligenter auſcultavi . Et nullo addito vel diminuto , de mandato Magnifici & Illuſtris viri Domini Guidonis Salvatici , *Dei gratiâ Comitis in Tuſcia Palatini , & nunc ſecunda vice* Senenſis Poteſtatis , *in Palatio dicti Comunis mihi facto Senis in Anno Domini MCCLXXXVIII. Indictione Prima , die Sabbati XVII. Julii , a dicto Domino Comite Poteſtate , coram Domino Garandaccio Milite Domini Comitis Poteſtatis , & Dominis Ugone Judice Maleficiorum , & Guerra Tancredi , & Cinello Guidonis , & Ruſſo Caccie , teſtibus preſentibus ſcripſi , & in publicam formam redegi .*

Vigentibus autem factionibus Guelphâ & Gibellinâ , interdum binis uno tempore Poteſtatibus Civitas regenda tradebatur . Quod Mutinæ factum fuit, Anno MCCLIV adlectis a Populo *Domino Caſtellano Domini Andaloi* , *& Domino Rambertino Domini Matthæi* . Verùm hiſce acriter inter ſe diſſidentibus , *Conſilium de Credentia* eos enixe rogavit , ut aut concorditer procederent , aut Magiſtratui renuntiarent . Poſtremum eis placuit . Interdum etiam accidebat , ut hujuſmodi Prætores ſive ex eorum vitio , ſive ex impotentia factionum, in cunctis fere Urbibus tunc vigentium in indignationem Populi , aut potentum incurrerent , atque adeo nondum termino ſui regiminis completo ſolum vertere cogerentur. Tunc in uſu plerumque fuit ſalarium iis ita ſecedentibus integrum perſolvere , niſi ea eſſet illorum culpa, quæ indulgentiam iis adhibendam mini-

me

me ſineret. Exempla proferam, quæ mihi exhibuit ejuſdem Mutinenſis Reipublicæ Regeſtum membranaceum. Anno MCCXVIII. dejectus e regimine hujus Urbis fuit Lanterius de Adelaſiis Civis Bergomas, atque in ejus locum ſubſtitutus Rambertinus de Rambertis Bononienſis. Is igitur injuſte ſe depulſum contendens, querelas ſuas detulit Ticinum ad Judices, ejus controverſiæ gratia a Friderico II. tunc Romanorum Rege delectos. En quæ ejus petitio fuerit.

Petitio Lanterii de Adelaſiis e Mutinenſis Urbis Prætura exturbati, coram Judicibus Imperialibus contra Rempublicam Mutinenſem, Anno 1219.

IN Chriſti nomine. Anno a Nativitate ejuſdem Milleſimo Ducenteſimo Nono Decimo, Indictione VII. die Mercurii XIII. intrante Novembri. Cum Dominus Fulcus Papienſis Epiſcopus, *præſentibus Domino Guilielmo Mazono, & Domino Raynerio, filio Domini Aſſaliti de Sancto Nazario, cui pater vicem ſuam commiſerat, ut per publicum inſtrumentum oſtendebat, cum Judicibus ſuis, & eorum voluntate & concordia, ut aſſerebant, interlocutus fuiſſet, non obſtantibus exceptionibus per Raymundinum Notarium oppoſitis pro Comuni Mutinæ in cauſa, quæ vertebatur coram eis ex delegatione* Sereniſſimi Regis Frederici *eis facti, inter ipſum Commune &* Dominum Lanterium Bergamenſem, *quod idem Raymundinus libellum eis oblatum a prædicto Domino Lanterio Bergamenſi recipere deberet, idem Raymundinus dixit, & proteſtatus fuit coram eis, quod ſalvis omnibus exceptionibus dilatoriis, peremtoriis, tam in ſcripto, quàm in perſonis Judicum & adverſarii tantùm pro Communi libellum, qui contra ipſum Commune per Dominum Lanterium offerebatur, reciperet. Et ipſi Judices libellum ſibi oblatum ab eodem Lanterio, in mei & infraſcriptorum teſtium præſentiá, poſt oblationem de eo ſibi factam, ſtatim ita dederunt eidem Raymundino. In quo quidem libello ita continebatur:*

In nomine Domini. Vobis Domino Fulco, *Dei gratiá* Papienſi Epiſcopo, *& Gulielmo Mazono, atque Aſſalito de Sancto Nazario, delegatis a Regia Majeſtate, conqueror ego* Lanterius de Adelaſiis, Civis Pergamenſis, *de Univerſitate & Communi Mutinæ, a quo & a qua peto*, ut me recipiant & admittant, atque reſtituant in poſſeſſionem, vel quaſi Poteſtatiæ Mutinæ, & ejus diſtrictus. *Et inſuper, ut mihi debitum obſequium, reverentiam & honorem, atque fidelitatem præſtent & obſervent per tantum tempus, per quantum præſtare juraverunt, detracto tanto tempore, quanto in ipſa Poteſtatia ſteti. Et inſuper mihi ſeptingentas quinquaginta Libras Bonon., quæ remanſerunt ad ſolvendum de feudo ipſius Poteſtatie ſolvant eá ratione*, quia dico prædictum Commune me elegiſſe & electum recepiſſe in ſuam Poteſtatem & Rectorem. *Et ſub me juraſſe Cives Mutinæ, & homines ſui diſtrictus ſequimentum regiminis & Poteſtatiæ, ſecundùm quod conſuetum eſt jurari ab ipſis Mutinenſibus, ſub ſuis Rectoribus.* Et in cujus Poteſtatiæ & regiminis poſſeſſione vel quaſi ſui & ſteti per duos Menſes & plus, quouſque turpiter, & malo modo & ordine & injurioſe ab Hominibus & Communi Mutinæ de ipſa Poteſtatia expulſus ſui. *Et quia dico, mihi conceſſum fuiſſe & conſtitutum ab ipſo Communi, ut habere deberem* pro ſalario dictæ Poteſtatiæ Libras Mille Bonon. *Inſuper peto ab eis de Communi & Univerſitate, mille Marchas argenti pro injuriis & contumeliis, quas mihi prædictum Commune & Univerſitas, ſive homines illius Communis & Univerſitatis mihi dictis & factis intulerunt & fecerunt, & ad hoc opem & conſilium dederunt, & facientibus conceſſerunt, & factas ratas habuerunt, videlicet veniendo pluries armatá manu & turbá magnâ ad Palatium, in quo ſtabam cum Familia mea pro regimine illius Civitatis, ſtrepitu vocum & equorum & armorum, & ſonitu campanarum adhibitis, oſtia illius Palatii frangendo, & Cameram illius Palatii & ſcrinea & vaſa in ipſo Palatio frangendo, & mihi res meas & Familiæ auferendo, & me ac Familiam meam de ipſo Palatio expellendo; & me expulſo, cuſtodes ibi habendo & tenendo, qui me illuc revertentem prohibuerunt, & clamando verſùs me clamore maximo:* Mora; mora: ſog; ſog. *Et me per vim in concione ducendo, & ipſa concione me licentiando; dicendo, ut deberem de ipſa Civitate recedere, nec deberem in ipſa Poteſtatia de cetero reverti.* Et Rambertinum de Ramberto de Bononia in Poteſtatem recipiendo & eligendo & habendo, *& ſub eo infra tempus mei regiminis, ſpretis ſacramentis mihi factis, jurando. Peto inſuper ne debeant habere, nec tenere, nec obedire dictum Rambertinum tamquam Poteſtatem.*

Actum in Civitate Papiæ in Palatio Domini Epiſcopi Papienſis ſolemniter, & præſentibus teſtibus, ſcilicet Johanne, Domino Stanchario, Lantellino Notario, & aliis.

Ego Petrusbonus Notarius interfui & ſcripſi.

Itidem Anno MCCLXXII. per poſtremos ſex Anni Menſes *Saracenus Lambertinus* Bononienſis (e cujus nobili Familia deſcendit ampliſſimus & doctiſſimus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis & Archiepiſcopus Bononienſis, *Proſper Lambertinus*, nuper ad Summi Pontificatus apicem evectus ſub nomine Benedicti XIV.) Saracenus, inquam, Mutinenſem Praturam agens, Novembri menſe, videlicet incompleto regimine, ſponte, minimeque pulſus, abiit, fortaſſe quod inhiantibus eo tempore Bononienſibus ad vorandum Mutinenſem agrum, ſuſpicatus eſt, ſe inopportuno tempore Mutinenſibus præfuturum. Coactum eſt eam ob cauſſam Mutinæ *Conſilium Credentiæ* cum viginti quatuor Defenſoribus Populi: decretique Legati ex parte Militum & Populi, quos inter Veneticus filius Alberti de Caccianemicis Capitaneus Populi ejuſdem, ut Caſtrum Francum adeuntes profugum Poteſtatem ad ſuum munus reſumendum hortarentur, tum ob ſuum erga Mutinenſes amorem, tum ob honorem ſuum ſuæque Familiæ. Eaque ſententia probata eſt *in Conſilio Generali Communis Mutinæ & Capitibus Artium*, (Capita hæc a Johanne Villanio appellantur *le Capitudini*) *Conſulibus*

Societatum, & de aliis, qui ex forma Statuti tenentur Conſiliis intereſſe. Sed fruſtra rationibus ac precibus egere Legati. Saracenus enim conſilii ſui tenax regredi negavit, ac deinde ob inrogatam ſibi, ut is contendebat, injuriam, & ob negatum ſibi reliquum ſalarii, ita in Mutinenſes incendit Bononienſium animos, alioqui tunc omnem cauſſam nocendi finitimo Populo captantes, ut multæ turbæ, & *Repreſaliæ* (ita enim appellantur) ſine hinc inde per aliquot annos ſequutæ. Anno demum MCCLXXVIII. dirimenda duobus Arbitris utrinque electis commendata eſt ejuſmodi controverſia. Qua occaſione quum utraque pars petitiones rationeſque ſuas exeruerit, earum fragmentum huc inferre mihi quoque liceat, ex Archivo Communis Mutinenſis decerptum, ut luculentius inde conſtet, qui ritus in aſſumendis Poteſtatibus olim ſervarentur.

Poſitiones in controverſia agitata inter Commune Mutinæ, & Saracenum de Lambertinis Ex-Prætorem, Anno 1279.

ANno MCCLXXIX. die X. Auguſti. Antonius de Policino Curator Capricini, filii & heredis Domini Saraxini de Lambertinis declarat, *quod dictus* Dominus Saracenus fuit electus per Commune Mutinæ Poteſtas ipſius Civitatis Mutinæ, ad terminum ſex Menſium: *& quod ipſe Dominus Saracenus venit ad dictum regimen honorabili comitivâ Militum, Judicum, Domicellorum, & Scutiferorum, & honorabiliter cum armis & equis, & cum dicta comitiva cepit Regimen facere &c. Quare petit, ipſum Commune & Homines Mutinæ condempnari per vos Arbitros Civitatis Bononiæ & Mutinæ in Septingentis quinquaginta Libris Mutin. pro ſallario ſex Menſium ipſius Domini Saraceni, ſibi conceſſo per Commune Mutinæ, & etiam in quatuor millibus Marchis argenti pro ſuo dampno, injuria, & intereſſe &c.*

Contra Mutinenſis Fratris Valentini Syndicario nomine pro Communi Mutinæ petiit tria millia Marchas argenti pro dampno & intereſſe & injuria Communis Mutinæ, quod & quam paſſus fuit & ſubſtinuit Commune Mutinæ, eo quia Dominus Saraxinus Poteſtas Mutinæ non fecit, nec complevit Regimen ſuum, ſecundùm quod juravit &c.

Ponit Antonius de Policino, quod Dominus Saracenus de Lambertinis electus fuit Poteſtas Communis Mutinæ a termino ſex Menſium. Item quod ad dictum Regimen duxit duos Judices, duos Milites, ſex Domicellos, octo inter Scutiferos & Cogos, octo Equos, inter quos erant duo ab armis. Item quod ipſe Dominus Saracenus erat de majoribus & potentioribus Civitatis Bononiæ. Item quod ipſe expendit in adventum, quem fecit ad dictum Regimen Civitatis Mutinæ, quingentas Libras Bononienſium. Item quod ipſe expendit in litteris & Ambaxiatoribus miſſis Communi Mutinæ centum Libras. Item quod per Commune Mutinæ pro ſervitio dicti Poteſtatis conventæ fuerunt dicto Domino Saraxino ſeptingentæ quinquaginta Libræ Bonon. Item quod per Commune Mutinæ data fuit electio Domino Marchioni Eſtenſi *vocandi unum Poteſtatem dictæ Terræ pro ſex Menſibus. Item quod dictus* Dominus Marchio *dictam Poteſtatem conceſſit Domino Saraceno pro tempore ſex Menſium*.

Ponit Johannes Pauli Syndicus Communis Mutinæ, quod quilibet, qui fuit Poteſtas Mutinæ a duodecim annis citra, debebat & debet toto tempore ſui Regiminis ſecum ducere & tenere duos bonos & peritos Judices, duos bonos & probos Milites, octo Servientes, ſex Domicellos, octo equos, tres quorum de armis &c.

Atque hæc pauca congeſſiſſe ſufficiat, ut dignoſcatur, quale olim foret, & quàm honorificum in Italia Poteſtatum munus. Corollarii autem loco, additum heic volo Opuſculum non omnino, ut ſpero, inutile, ad eamdem materiem, quam præ manibus habeo. Uti Lectorem monui in Præfatione ad Boncompagni Opuſculum *de obſidione Anconæ* Tom. VII. Rerum Italicarum, deſcripſeram ego illud ex MSto Codice ſpectante ad *Philippum Argelatum* Cæſaris à Secretis, cujus labores ac merita in eâ Collectione non ſemel a me commemorata & commendata fuere. Complectebatur autem idem Codex alterum Opuſculum, ſed mutilum, cui titulus *Oculus Paſtoralis*. Auctoris nullum ibi occurrebat nomen. Ego Eccleſiaſticæ militiæ, & alicui Regulari clauſtro addictum audire mihi videbar. Sonant enim ejus verba hominem in Scripturis ſacris verſatum ac religioſum. Suſpicari tamen liceat *Boncompagnum* ipſum iſtius quoque Libelli Auctorem. Fortaſſis adoleſcentem quempiam nobilem erudiendum ille ſuſceperat, rationem ei oſtenſurus alios regendi, munuſque Præturæ ſubeundi ac ſuſtinendi cum dignitate ac decore. aut etiam effulgendi in Conſiliis liberarum Urbium. Itaque in ejus aliorumque Nobilium uſum hunc Libellum concinnavit, ubi concionum exempla, aliaque documenta ad Reipublicæ negotia gerenda congeſſit. Scripſiſſe autem videtur circiter Annum Chriſti MCCXXII. Nam Cap. 4. primæ diviſionis hæc habet: *ad reverentiam & timorem Eccleſiæ ſanctæ Dei, & glorioſiſſimi Domini noſtri F. Romanorum Imperatoris Auguſti*. Si quid video, memoratur heic *Fridericus Secundus* Auguſtus. Ceterum ex hoc Opuſculo multa exciderunt; & quæ pauca etiam ſuperſunt, ab imperito Librario tam male habita ſunt, ut aut erroribus, aut tenebris non raro deturpentur. Sed qualiſcumque ſit merces, conſilium meum Lector æqui bonique faciat.

OCULUS PASTORALIS,

SIVE

LIBELLUS

ERUDIENS FUTURUM RECTOREM POPULORUM,

ANONYMO AUCTORE

Conſcriptus circiter Annum 1222.

EX MANUSCRIPTO CODICE

PHILIPPI ARGELATI BONONIENSIS

S. C. C. M. A SECRETIS.

OCULUS PASTORALIS, PASCENS OFFICIA, ET CONTINENS RADIUM DULCIBUS POMIS SUIS.

Incipit Prologus hujus Opuſculi.

IN hoc Opuſculo, quod rogatus quaſi invitus aggredior, ſtilo clariori & ſimplici dictamine fungar; quoniam ſimplicitas eſt amica Laicis rudibus & modice literatis, ad utilitatem quorum, ſi qui quandoque ad locorum Regimina ſint aſſumti, ſequentia componuntur, ut ex eis aliqua ſubtili ingenio & ſagaci prælibare valeant, quibus Rectorizent in ſubjectos & alios, cum occurrerit utilitas vel neceſſitas proponendi.

PRIMA DIVISIO.

De Poteſtaria, & ejus adminiculis. I.
De Pactis ſuper Salariis, & aliis. II.
Quid quum primo Civitatem ingreditur. III.
De prima Concione, quum Terra fuerit in pace. IV.
Si civilis diſcordia fuerit inter Cives. V.
Si guerram habuerit Civitas vel Locus cum extraneis. VI.
De Ambaxatoribus, qui cum Poteſtate venerint. VII
De reſponſione Poteſtatis veteris. VIII.
De comeatu, quum recedit ad propria finito officio. IX.

CAP. I.

De Poteſtaria, & ejus adminiculis.

OMnis Poteſtas a Domino Deo eſt: & illa Rectoralis, pro quâ natura provide cetera diſponens Locorum Regimina protulit, tribus eſt præcipuis vallata præſidiis, quibus feliciter adjuvatur, Juſtitiâ videlicet, Reverentiâ, & Amore. Juſtitia in Rectore, Reverentia in ſubjectis, Amor requiritur in utriſque. De Rectore vel Poteſtate dicitur: *Si Rex juſtus ſederit ſuper ſedem, non adverſabitur ei quidquam maligni*. De ſubditis ait vas electionis Apoſtolus, exhortans omnes ad reverentiam cum fidei ſinceritate præſtandam illis Rectoribus ſuis, quoſque ſibi per tempora canonicâ electione præficiunt. Illa enim ſola eſt, quæ fidei meritum poſſidet, & cenſetur etiam in victimis præponenda. Amor in utriſque reciprocus affectatur, ut Civitatem vel Locum, cui Poteſtas præficitur, & habitantes in ea & adjacentiis ſuis majores, mediocres, & minores cum omni diligentia, ſummo ſtudio, recto corde, & candore debet paternitatis amare, promovens ſtatus ſuos in omni, quo poterit, gloria & honore operibus ſtudioſis. Gens verò ſuo ſubjecta Regimini viciſſim eidem omnem reverentiam, laudes, honorem, gratiam, purum amorem, ſalubre conſilium, rectum adjutorium debet efficaciter exhibere, ut gubernatio Civitatis & Loci per ſic copulatos affectus pacatâ quiete procedat, & ſalutare ſuſcipiat incrementum. Sumam ex prædictis exordium, quod fieri debeat, quum quis ad

A alicujus Civitatis vel Terræ Regimen poſtulatur.

CAP. II.

De Pactis ſuper Salariis, & aliis.

CAutus in primis exiſtat, quum ſibi electio ſit porrecta, ut tam de Salario, quàm de conditionibus, quæ aliquando a petitoribus offeruntur Electis, ita dilucide & aperte per ſcripturam etiam publicam ſtudeat componere cum eiſdem, ne inter eos aliquod dubium exinde inſurgere poſſit in poſterum, ut avaritiæ ceſſet ſuſpicio, & hinc inde materia malignandi.
B

CAP. III.

Quid quum primo Civitatem ingreditur.

INgreſſus autem Civitatem regendam ſibi decretam, prænotet mores ejuſdem. Et ſi conſuetudo habitantium hoc expoſcat, ut in præelectorum generali Conſilio, aut in publico, ubi more ipſorum congregatur Populus univerſus, ut ex aliqua cauſa eumdem concionari inter ipſos oporteat, invocatâ Trinitate & Unitate Deitatis ab ipſo Patre cœleſti, qui replet ſperantes in ſe abundanti facundiâ affluenter, cum gratiarum actione ſecurus ſumat
C exordium in hunc modum.

CAP. IV.

De prima Concione, quum Terra fuerit in pace.

AD primum principium eloquii mei, quod erit in conſpectu virorum adſtantium tam pro ſe quàm pro Communitate ſua, omni laude dignorum, invoco cœleſtem Patrem omnipotentem, a quo cuncta bona procedunt, ut pro miſericordia ſua ſanctiſſima dignetur mihi gratiam elargiri, proponendi hodie, & toto tempore mei Regiminis inter vos ea, quæ ſpe-
D ctare debent ad glorioſum nomen majeſtatis ipſius, *& ad reverentiam & timorem Eccleſiæ ſanctæ Dei, & glorioſiſſimi Domini noſtri F. Romanorum Imperatoris Auguſti*, & ad laudem & honorem Domini veſtræ Poteſtatis pro anno præſenti, & ad incrementum & gloriam ac honorem hujus nobiliſſimæ Civitatis, & omnium ad ſe ſpectantium tam ſubjectionis quàm amicitiæ vinculo, quicumque vobis gratulentur de veſtris profectibus & honore. Si vellem formare materiam dicendorum meorum, & extendere circa laudes hujus magnificæ Civitatis, fulgentis Militiæ, & pretioſi Populi multitudinem decorare, & circa commenda-
E tionem Domini Poteſtatis, de laudandis operibus & circumſpecto Regimine ſuo, quo functus eſt hoc Anno ad maxima commoda Civitatis illius, exponens genus Nobilitatis ipſius, virtu-

virtutem facundiæ, fidei, diſcretionis, & omnium virtutum, probitatum, & potentatus ejuſdem, nec dies ſufficeret, nec animus in dicendis terminum inveniret. Ceſſabo igitur ab iis, quoniam ea ſine dictu meo patenter refulgent, ſicut Sol in conſpectu cunctorum: & breviter ad ea me transferam, quæ videntur præſentialiter proponenda. Verum eſt quod deliberantibus vobis placuit me habere in Poteſtatem & Rectorem veſtrum pro Anno futuro. Quam electionem, cum ipſa, ſicut moris eſt, mihi fuit oblata, ſuſcepi animo diligenti, & habeo in firmo propoſito mentis meæ, quantum mihi gratia divina permiſerit, portare Regimen mihi commiſſum non recuſato labore, cum omni diligentia, pura fide, continuato ſtudio, & recto opere, ad honorem, profectum, & omne commodum Terræ veſtræ, ſervando juſtitiam, cuique ſine perſonarum acceptione tribuendo jus ſuum, non declinans ad dexteram vel ſiniſtram. Vos autem, quantum poſſum, exoro, moneo pariter & exhortor, ut ſicut ab initio me propoſuiſtis curialiter honorare, cum ad Regimen veſtrum me liberaliter elegiſtis, ita conſtanter perſeveretis in eo, quod quidem tunc eſtis verè facturi, quum moribus vivetis urbanis, portantes inter vos pacem tranquillam & amorem perfectum, ceſſantes ab injuriis & malignitatibus cunctis, non inferentes offenſam majoribus, paribus, vel minoribus ullis. Quoniam tunc profecto turbaretur amor inter me & talia committentes. Non ſum illa perſona, quæ vellem ſuſtinere pudorem in vultu. Nec prætermittere volo nec debeo, quia non eſſet boni Poteſtatis, crimina impunita relinquere. Imo habeatis hoc firmum in cordibus veſtris, quod tali caſtigatione puniam delinquentem, quod pœna unius plurimorum metus exiſtet, ſicut quum expedierit (quod Deus avertat) delictorum opera declarabunt. Habeat unuſquiſque aures ad audiendum, & ânimum ad obſervandum, quod præmonetur eidem, ne incidat in id, de quo poſtea tardo tempore pœniteret. Spero de vobis, quod fiet quidquid debet ab urbanis Civibus cuſtodiri. Volens imponere finem præſenti eloquio, & non modò plura proponere coram vobis, rogito Jeſum Chriſtum Filium Dei vivi, & beatam Mariam Virginem glorioſam Matrem ipſius, & illa beata Sanctorum merita, quæ in hac Civitate celebrantur veneranter, quod ea, quæ dicta ſunt & dicentur in poſterum pro utilitate Communitatis iſtius, ſint ad ſanctum ſervitium & gloriam eorumdem, & ad honorem, exaltationem, & commodum ac felicem ſtatum Civitatis hujus, & omnium veracium amicorum, qui vobis participant, & reputant tamquam propria gaudia veſtræ proſperitatis & gratiæ.

CAP. V.

Si civilis diſcordia fuerit inter Cives.

Si civilem diſcordiam bellandi, vel aliam invenerit Rector novus inter Cives, retento principio ſuperioris eloquii, & concluſione ſervatâ, poterit inſerere, ubi competentius ſibi videbitur, quæ inferius continentur contra concitantes & fautores eorum:

Si obſervaſſetis hucuſque, quod decet homines obſervare prudentes, & memoriâ veſtrâ retinuiſſetis in mente, quod Chriſtus in Cantico voluit, cunctos videlicet homines inter ſe pacem habere bonæ voluntatis in terra, inveniſſem vos utique tam univerſos quàm homines ſingulares in tranquilla quiete & pace laudabili commorantes; unde meus gauderet animus in immenſum. Et meritò, quia congruit bono Rectori, pacatam & quietam habere, vel efficere non inventam Civitatem, quam regit, ſuo Regimini commendatam. Per quietam autem tranquillitatem & pacem ipſius excreſcit Civitas populari multitudine confluente, augmentantur divitiæ, afferuntur honores, amicitiæ circumſtantium duplicantur, ut non poſſit facile ex his proveniens computari profectus. Sed diſcordiâ perdurante poterit unico verbo ſcilicet deſtructionis, quæ exinde contingeret, enumerari defectus. Per illam verò, quæ aliquando inter Cives, domeſticos, & vicinos ex cauſa leviſſima, inſtigante Diabolo, convaleſcit, multa ſæpe diſcrimina & damna graviſſima contigerunt, utpote incendia, patrimoniorum diminutio, letalia vulnera, mutilationes, truncationes membrorum, ſtrages corporum, & quod deterius eſt, multarum pericula animarum. Propter quæ omnia Civitas olim fulgida ad nihilum fere deducta facilius enervatur, & quaſi deſolata oppreſſiones ingemit filiorum. Nec eſt, qui conſoletur eamdem, niſi illa benigna forte pars Populi, quæ nequitiis partium operam non præſtitit, vel favorem remiſerit pariter cum Rectore, ut vel Civitas in quiete reſideat, vel ſtrepitantes, & commoventes eamdem pœnis graviſſimis puniantur, ad ultimum expellendi de tecto, ſi non deſtiterint a vexationibus pravis juxta mandata Rectoris. Iis modò contentus, quæ ſuper hanc prælibavi materiam, ſtabo tempore ſuo cum viris communibus & diligentibus ſanum ſtatum Civitatis iſtius; & annuente Domino ſtatuetur, quod Civitas iſta ſolatio pacifico potietur, & ceſſabit iniquitas de cordibus malignorum, loco cujus pacata benignitas redundabit veſtro, quod ſuppliciter poſtulamus gratiâ illius veſtræ Communitatis & noſtri ſibi præſtandum in Regimine nunc aſſumto, parendo eidem in mandatis, quæ fecerit pro veſtris agendis; ut poſſit taliter cum exaltatione veſtrâ gubernare negotia, quæ ſibi ad laudem, vobis ad profectum, & utrique Terræ pariter & noſtræ ad honorem redundet & gratiam, & indiſſolubilis amicitiæ pariat incrementum.

.... (*)

....

....

....

Quamvis mens, ſatiata pluralitate verborum, ſit conſueta recuſare poſteriorum affatus, ſicut ait ſapientiſſimus Salomon, dicens: *Mens ſatiata fiſtidit favum mellis*; de urbanitate veſtra ſecure confiſus, vos ſuppliciter deprecari non deſino, quod intuitu gratiæ veſtræ, mihi quietam audientiam præbeatis. Nec ſit intentionis veſtræ, quod ego ſurrexerim correcturus, quæ dicta ſunt vobis in tanta perfectione narrandi per Dominum N. N. prudentiſſimum Virum, nobilitate & omni virtute decorum. Sed

(*) Heic titulus, exordium, & materies Cap. VI. deſunt in Codice MSto.

Sed aſſurrexi potius ſecuturus eumdem, & præſertim in veſtigiis laudum, quas veraciter protulit de Domino N N. Poteſtate veſtra, & de hac magnifica Civitate : quas teſtificor & aſſero firmiter eſſe veras ; & ſic breviter me exonero a commendationibus ſuis , quia non ſum ſufficiens ad eaſdem. Surrexi inſuper præterea, quoniam ſi centum eſſent Ambaxiatores ad vos de illa noſtra Terra venturi , placerent remanentibus domi , quia quique proteſtarentur in Populo dulcibus eloquiis & facundis , quantus amor, quantaque devotio inter utramque Civitatem ſine ullo ſcrupulo vigere dignoſcitur, & viguit ab antiquo . Oportuit inſuper ſurgere ex mandato , quo tenemur adſtricti , commendare vobis in publico perſonam Domini N. N futuræ Poteſtatis , & exorare quamplurimùm , ut taliter vos portetis circa honores ipſius , & proſperos noſtros eventus , ſupportantes eum, & reverentes in obſequiis mandatorum ipſius . Et ipſe vobis ſe talem exhibeat in omnibus , quæ imminent peragenda pro officio ſui Regiminis , quod ipſis vobis pariter laudes accreſcant & commoda , & utraque Civitas per opera hinc inde congeſta firmitatis robore concatenentur ad idem velle & idem nolle, quod demum eſt ſumma amicitia, quæ non poteſt ulla tergiverſatione convelli , & fiat utrique unum in omni genere conjungendi amoris , honoris & gratiæ ſempiternæ . (*)

CAP. VIII.

De reſponſione Poteſtatis veteris .

GRatias ago Deo meo , per quem dies deſideratus nobis illuxit exſpectantibus videre , & cum gaudio ſuſcipere Dominum N.N. in Poteſtatem Civitatis iſtius pro Anno futuro: potentia probitatis & ſcientia cujus eſt talis & tanta , quod Civitas & Populus iſte regetur & gubernabitur per eumdem ad laudem & gloriam Jeſu Chriſti , & ad honorabilem & proſperum ſtatum hujus Communitatis , & exſpectantiam ad eamdem , cum felici jucunditate omnium & ſingulorum majorum , mediocrium pariter & minorum . Intelleximus animo diligenti , quæ ſapientiſſime dicta ſunt tam per ipſum , quàm per Magnificos Ambaxiatores ſecum miſſos a Communitate ſuâ , causâ honoris & commendationis ipſius . Qui tam ornate, prudenter , & facunde, quiſquis in dictis ſuis cum tanta diſcretione, temperantia , & moderata curialitate propoſuerunt , quæ duxerunt proponenda , quod maximo redundarunt ſuarum perſonarum honori & Communitatis ſuæ, quæ direxit eoſdem . Nec mirum : ipſi enim ſunt de majoribus , nobilioribus & prudentioribus , vel quaſi præexcellentiores in omnibus, qui in Civitate ſua poterant inveniri ; quorum laudibus non inſiſtam , quæ poſtquam multæ prolatæ fuiſſent , pauciſſimæ viderentur a cunctis reſpectu multitudinum earum , quas mea prolixitas reticeret . Placuit eis admonere nos ipſos verbis gratiarum promerentibus actiones, ut ſubjecti ſimus & obnoxii Poteſtati in omni reverentia & timore , adjuvantes & conſulentes eidem in iis , quæ ſpectare ad ſuum poſſint honorem & bonum regimen conſervandum, & ad generalia & ſpecialia commoda Terræ noſtræ , ut exinde grati poſſimus exiſtere ſibi & Communitati , quæ ipſum nobis præſtitit in Rectorem . Ad quæ ſic poſſum fiducialiter reſpondere, quod iſte Populus benedictus omnem a ſe abdicat libertatem , & ſe cum tanta devotione ſuæ ſubjicit poteſtati , nihil ſibi reſervans , quantam umquam haberet ſubditus ſuo vero Domino principali . Et ſi alicui ſe perfecte ſubjecit , eſt ſe huic perfectiſſime ſubjecturus ad omnia mandata dominatus ipſius ; quoniam plus confidit , per ipſum extolli , quàm umquam eos aliquis ſublimaſſet . Quod erit , dante Domino , qui dat plenitudinem gaudiorum . Convenit circa finem mei Regiminis , ut quædam proponere debeam in præſentia gentis Communitatis iſtius , cui laudes & grates poſſum reddere valde dignas , quod me omniſariam honorarunt , & non ut temporalem Rectorem , ſed ut verum & perpetuum Dominum reputarunt . Et ego, teſte Domino, cum omni diligentia & fide ſincerâ ſtudui cuncta peragere , quæ ſibi crederem fructuoſa . Officiales aſſociati mihi, in Officiis ſuis omnem fidem & reverentiam & timorem ac purum adjutorium præſtiterunt , ita quod ſibi & mihi pro bonis actibus ſuis honorem maximum paraverunt . Unde, omnibus in mente digne retentis , *factus ſum Miles* eorum , & me *ſuum Militem* , & ſpecialem reputo Servitorem , ubicumque degam , toto tempore vitæ meæ , exponendo me ipſis ad omnia mandata & obſequia Civitatis & Civium omnium & ſingulorum , tamquam quilibet ex Civibus iſtis, quorum Socius & Civis ero , quouſque vita mea eſt in hoc Seculo duratura . Me vobis commendo , tribuo, & expono per omnia , tamquam veraciſſimis Dominis , & amicis præ ceteris peramandis .

CAP. IX.

De comeatu , quum recedit ad propria , finito Officio .

QUum finito Officio receſſerit olim Poteſtas ad propria, comitatus itinere competenti a Poteſtate nova & Militibus Civitatis exordiatur, & in deceſſu Poteſtas in hunc modum ſequentem & licentiatus revertatur cum comeatibus ſuis .

Reſponſio Poteſtatis novi .

EX debito glorioſi Regiminis , & meritis operum fœcundorum , quæ hoc Anno præterito exercuit in hac Civitate gubernatione fructiferâ veſtra laudanda probitas , Civitatem iſtam vobis exponimus omni tempore commendatam : magnitudini veſtræ grates referentes immenſas pro toto Populo Communitatis ejuſdem tam generoſis factis , quæ contuliſtis eidem cum ſuo magno profectu , & redundantiâ noſtræ commendationis & gratiæ . Rogamus dominationem veſtram , quanto efficacius poſſumus , precibus ſubjectivis , quod licèt ſeparatio corporum fiat ad loca remota propter remeationem , indemnitas tamen inſeparata remaneat animorum & cordium , deferendo ad invicem incunctanter in omnibus & ſingulis , quæ conſtiterint , beneplacita requirenti

renti

(*) Fragmentum hujuſce Concionis videtur pars eſſe Capituli VII. cujus titulum , initium, & materiem fruſtra quaeras , deperdita in Codice MSto.

LIBRARY

renti, & præveniendo etiam liberaliter noſmetipſos, ut gratius habeatur,

—— Quod venit ante preces.

Veſtra inſuper dominatio fuit hactenus temporalis, ſed erit perpetua in futurum; quia de Civitate & Civibus & bonis ipſorum per vos, & conſanguineos, & amicos veſtros poteritis quoquo tempore omnem veſtram facere voluntatem. Quum deſideremus intuitu veſtri & Communitatem illam, de qua vos aſſumſimus in Rectorem, & omnes, quos ſuos & veſtros ſperabimus eſſe fideles, reputare dilectiſſimos & Dominos ſpeciales, parati ſemper erimus ad omnia, quæ ſibi cognoverimus gratiora. Recedetis vos cum omnimoda gratiarum actione, & nos remanebimus ad omne obſequium veſtrum, attendentes, quod veſtrum ſit præcipere, & noſtrum fideliter obedire.

SECUNDA DIVISIO.

De principio Regiminis ipſius. I.
De Officialibus & Officiis eorumdem. II
De Conſiliariis præeligendis. III.
De Obſervantia Conſilii. IV.
De Obſervantia judicii, & ordine judiciorum. V.
De Bannis ſuper maleficiis, vel quaſi. VI.
De præmonendis Officialibus. VII.
De providentia ſuper Redditibus. VIII.
De Expenſis communibus. IX.
De requirenda ſæpe ratione ab Officialibus. X.
De publica concione circa principium dominatus. XI.

CAP. I.

De principio Regiminis ipſius.

SIt principium ſui Regiminis in omni timore Domini, quia *oculi Domini ſuper timentes eum, & aures ejus in preces eorum*; qui eſt protector potentiæ, firmamentum virtutis, regimen verè credentium, & oppreſſorum adjutorium opportunum. Fidem ſervet Catholicam, quam ſancta docet Eccleſia. Revereatur & Præſulem: veneretur & Clerum Civitatis, vel Terræ, quam regit; & omnes juſtas petitiones eorum admittat cum devotione benignus. Ipſorum querelas, ſi quas ullas attulerint, attentius audiat, & ſecundùm quod neceſſitas expetierit, abſque negligentia examinet, & diligenti & potenti feſtinatione dijudicet, ut eis & beatitudinis honor debitus reſervetur, & oratori affluens in defenſionibus copia largire præſtetur. Immunitatem & Libertatem pro viribus defendat Eccleſiæ, proviſurus ne incidat in laqueos, quos ſancta primum & ſecundum Lateranenſia Eccleſiaſtica, & quædam alia poſuere Concilia, quibus temere innodantur præſumtuoſi violatores eorum graviſſimâ, prout in ipſis exprimitur, ultione plectendi.

CAP. II.

De Officialibus, & officiis eorum.

OFficiales curet habere Catholicos, fidedignos, facundos, nitidos, in exercitiis ſtudioſos, amatores proſperi ſtatus ſuæ Communitatis, & cunctis in ſua juſtitia tunc æquales.

De Judice Cameræ, & de Aſſeſſore, & Exequutoribus.

CAmerarium præcipue, qui eſt Quæſtor & Cuſtos reddituum & ſumtuum, quos percipit & facit Communitas, quæ ſuper iis confidit in eum: & Aſſeſſorem, qui eſt quaſi prævius oculus Poteſtatis, cujus conſilio gerenda fere ſunt omnia, quæ in voluntaria & contentioſa jurisdictione conſiſtunt, ſtudeat habere præcipuos. Ab eo enim valde magis exigitur, cui officium præſtantius aſſignatur. Nequitiæ & malignitatis Exequutorum, qui ſecundùm Terrarum conſuetudinem cuffiis coloratis pileati diſtinguuntur ab aliis, non obliviſcatur mens experta, nec etiam formidet inveniri pro poſſe remedia, quibus eorum poſſimus aſtutiis obviare. Hoc genus hominum eſt flagellum maximum inter gentes. Ipſi namque ſicut diverſis in Jure Civili vocabulis nuncupantur, ſic diverſis verſutiis adverſantur. Hi ſunt enim, qui exactionibus graviſſimis citatos affligunt, ſpolia diripiunt egenorum, innocentes accuſant, ut debacchentur in eos, nocentes per voracitatem ſuam a pœnis liberant, & præmia ſuſcipiunt de manibus damnandorum. Quum perveniunt ad domum ruſtici, vel alicujus paupérculæ mulieris, ajunt: *feſtina, quia ſumus itinere fatigati, & ſubito affer de optimo vino cauponæ, ſi vis non carere ligone*. Hos tales eligat provida diſcretio Poteſtatis, quales jura præcipiunt eligendos, videlicet locupletes, & vitæ probatæ, ut ab his non peccetur, aut prodatur, vel maligne quidquam agatur. Non eligat pauperes & egenos, quia egeſtate compulſi juxta verbum Sapientis faciles ſunt ad furandum, & perjurandum nomen Salvatoris æterni.

CAP. III.

De Conſiliariis præeligendis.

COnſilium ſuum ſtatuat ex Sapientibus præcipue Senioribus, quorum ſapientia eſt ſpecioſa & glorioſus intellectus & ſanum conſilium. De quibus ſuaſit Sapiens, dicens: *Non te prætereat narratio Seniorum, quoniam ab ipſis plenum capies intellectum. Vir enim ſapiens liberat Urbem per ſapientiam ſuam: & eſt melior ſapientia, quàm fortitudo & arma bellica*. Nam ſapientis oculi in capite ejus, qui ſpeculatur ſubtiliter providenda; & eripit a præcipitio ſermo ſenſati. Ab his ſecernat tyrones nimis juvenes, quia qui non eſt expertus, pauca cognoſcit, quorum viam Salomon ignoraſſe teſtatur. Non enim diligere potuerunt, niſi quod placeret eiſdem. Eſt enim gravius maſſam ferream hominem portare jam lapſum, quàm veri & gravis ſenſus intellectum deducere hominem imperitum. Utrum autem paucos an multos Conſiliarios ſtatuat, conſuetudini patriæ reſervetur. Facilius tamen quod a pluribus quæritur, invenitur, & veritas per ampliores homines manifeſtiſſima revelatur, ſicut dicta civilis ſapientiæ apertiſſime proteſtantur.

CAP.

CAP. IV.

De Obſervantia Conſilii.

Conſilio utique ſic ſtatuto, Communitatis agenda cum Conſilio faciat, & poſt factum non facile pœnitebit: & difficilia maxime cum Conſiliis multis expediat, quia ubi multa conſilia, ibi ſalus, & quod cum maturitate repetitur & deliberatione firmatur, conſilium firmum dicetur & ſtabile. Provideat inſuper Rector, admittere temporibus aptis exhibitum ſibi ſervare conſilium, ut non præ feſtinatione prænimia nec præmoratâ deſidiâ Populi clamoribus increpetur. Caveat etiam Rector, quandocumque proponet thema conſilii, ut verbis rudibus & non coloratis utatur, ne fortè videatur informando Conſiliarios, in aliqua parte velle declinare conſilium, ſi vult fugere mordaces detrahentium invectivas.

CAP. V.

De Obſervantia judicii, & ordine judiciorum.

Poteſtatem judicantem oportet ſe cunctis præbere benivolum auditorem, cuncta rimari, & ordinem rerum plenâ inquiſitione diſcutere, ut actio partium illuminata ſit plenitudine. Merita namque cauſarum partium aſſertione panduntur. Nec litigantibus prius velit obviare ſententiâ ſuâ, niſi quando peractis omnibus in quæſtione nil remaneat proponendum. Nihil ex arbitrio ſuo & domeſticæ proprietate voluntatis, ſed juxta Leges & Jura pronuntiet. Et ſummatim ita jus reddere curet, ut auctoritatem dignitatis ſuo augmentet ingenio. Et ſe facilè præbeat in eundo. Contemni tamen nullatenus patiatur, nec nimiam familiaritatem admittat, nec in ſupervacuam extollentiam exardeſcat, ſed viâ regiâ incedens medio tutiſſimus eat.

CAP. VI.

De Bannis ſuper maleficiis, vel quaſi.

Eduxerunt in conſuetudinem gentes quæque in Provinciis & Terris ſuis, ſtatuere per Rectores ſuos ac alios pœnas præſertim in levioribus temporibus pro maleficiis coërcendis; & Statuta promulgantur ac præconizantur frequenter in publico, ut earum metu humana coërceatur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis formidetur, ſupplicio refrænetur audacia & nocendi facultas. Reſpicere autem debent Statutores & Judicantes, ne quid aut deterius, aut remiſſius conſtituant, quàm cauſa depoſcit; & in levioribus quidem cauſis promtiores ad lenitatem, & in gravioribus pœnis ad Legum ſeveritatem cum aliquo temperamento benignitatis Judices eſſe debent. Plane in ipſa conſtitutione Bannorum & pœnarum eſt propenſius obſervandum, ut contineant honeſtatem & juſtitiam cum manſuetudine valde diſcreta, quia hodie fragilis eſt humana natura, & ideo mitius inferendum. Sed quia ſuper hujuſmodi ſtatuendis Terrarum Rectores conſueverunt in ſuis ſenſibus abundare, hæc ſibi relinquo. Et utinam meliora reſpiciant, & quæ Deo fuerint magis accepta ſortiantur conſilio ſaniori. Statutarii verò, quorum majus eſt officium olim

A Electi conſtitutiones & jura minori pallio quibus Poteſtas habet regere Civitatem & Populum ſibi commiſſum a cunctis, excogitare tenentur, ut Lex & Conſtitutio ſua fiat honeſta, juſta, & poſſibilis, quia aliter non ligarent neceſſaria & utilia, vel ſecundùm conſuetudinem patriæ locoque conveniens nullo privato ſermone, ſed pro communi Civium utilitate conſcripta, ut in his attendatur dictum Platonis ſapientiſſimi dicentis: *Illa Civitas rectiſſime ordinata traditur, in qua unuſquiſque proprios non præponit affectus.* Ideo autem in ipſa Conſtitutione iſta ſunt conſideranda, quia quum Leges fuerint, non erit liberum judicari de ipſis, ſed oportebit judicare ſecundùm eam.
B Unde Sapiens quidem ait: *In iſtis temporalibus Legibus, quamquam de iſtis judicent homines, quum ab eis conſtituuntur, tunc quum fuerint conſtitutæ & firmatæ, non licebit Judici de illis, ſed ſecundùm ipſas poſtea judicare.* Si contingat interdum, Poteſtatem debere condemnare nocentes, condemnatio prius examinata legitime fiat in publico coram multis de ſingulis partibus Civitatis vel Loci undique convocatis, ut ſciatur a cunctis, quod maleficia puniuntur, & innocentes non inventi culpabiles abſolvuntur. Perlectis namque condemnationum & abſolutionum ſententiis, Poteſtas antequam diſcedat, admoneat convocatos, ut debeant ab illicitis abſtinere: quoniam
C etſi multum diligat Cives & Civitatem, quam regit, & quaſi invitus extorquet ab eis propter culpam commiſſam de facultatibus eorumdem, tamen ſi non poterit aliter compeſcere nequitias malignorum, non ſervabit de cetero in condemnationibus ſuis modum præſentem, in quo voluit parcere condemnatis; ſed ita exardeſcet adversùs ceteros delinquentes in poſterum, quod pœna unius metus plurimorum exiſtet, & timorem incutiet in cordibus etiam innocentium. Et hæc, & quæcumque viderit magis congrua minetur eiſdem, ut punitorum pœna ſit ceteris non delinquentibus doctrina.

D

CAP. VII.

De præmonendis Officialibus.

Antequam incipiat Poteſtas pro tribunali ſedere & audire juris ordine litigantes, Officiales ſuos congreget in ſecreto, & præmoneat ſingulos, ut in officiis ſibi commiſſis ſeduli ſint, ſtudioſi & intenti, habentes ſemper corde tenus beatiſſimum illud præconium: *Juſte judicate filii hominum; & diligite juſtitiam, qui judicatis terram.* Cum benignitate cunctos audiant proclamantes. Ceſſet acceptio perſonarum. In judiciis trutinandis venalitatem effugiant. Nullo pretio vel munere
E depraventur. Nec gratiâ aut ſorde ſint auſi perperam judicare, ut legalem effugiant ultionem. Sed de vultu, qui omnia conſpicit, judicium prodeat eorumdem, & oculi ſui videant æquitatem, non declinantes omnino ad dexteram vel ad ſiniſtram, ſed ita magnum judicantes ut & parvum; quos, ut irreprehenſibiles fiant, curam in judicando habere conſpicuam, & formidare, ſi comperti fuerint aliquando tranſgreſſores, ne cum æſtimatione diſpendii ab Officiis abſcindantur.

CAP. VIII.

De providentia ſuper redditibus.

RES Communitatum ſemper ſegniter congregantur, & prodigaliter diſperguntur. Quare Rectores Locorum eſſe convenit diligentes in requirendis & exigendis redditibus & proventibus ſingulis Terrarum, quas regunt; & circa ea tanto ſtudioſius debent intendere, quanto propenſius conſpicere, quæ per Communia quaſi generaliter negliguntur. Ordinent itaque curioſos Quæſtores, qui omni ſtudio inveniant & perquirant quoſque redditus ſua debet habere Communitas, & exactos reponant ſub fidâ cuſtodiâ conſuetâ ſervare quæſita, & quæ Communitati ſuæ fideliter theſaurizet.

CAP. IX.

De Expenſis communibus.

SI neceſſarii quandoque ſumtus occurrant, illos faciat generali deliberante Conſilio, ne fortè quum expenſarum ratio poſtulata reddetur, reprehenſione poſſit, una cum diſpenſatoribus notari condigna, quod tales ſumtus ſint eis ignorantibus in tanta quantitate profuſi, quos non præmoniti facere tentaſſent, ſi in tam gravi magnitudine ſtipendium excreſcere cognoviſſent.

CAP. X.

De requirenda ſæpe ratione ab Officialibus.

REquirantur prius & præmoneantur tam Cives, quàm ceteri de territorio Civitatis per Præcones & Nuntios, ut tali die in loco conſueto conveniant audituri, quæ publice proponentur eiſdem.

CAP. XI.

De prima concione circa principium dominatus.

ROgo & mando, audientiam mihi præſtari benignam, & ut Regem Regum, a quo cuncta procedunt, unanimiter exoremus, ut hæc convocatio fiat ad honorem glorioſiſſimæ Majeſtatis ejuſdem, & Sereniſſimi Domini noſtri Imperatoris Auguſti, & ad proſpera commoda Communitatis iſtius, & jucundum ſtatum ſuorum omnium amicorum. Cauſa propoſiti mei, propter quod vos hodie aggregari mandavimus, verſatur ſpecialiter circa tria. Primum eſt, quod vos cupio affectuoſis ſuadere contitibus, ut amicitias, quas habetis in provincia ſpeciales, *taliter & taliter &c.* conſervare velitis, qui (*). Et ideo, Domine Poteſtas, audacter poſſum dicere coram Sapientibus iſtis & Auditoribus cunctis, quod vos eſtis homo cariſſimus, magnis virtutibus inſignitus, nobilitate clarus, ſapientiâ decoratus, largitate probus, facultatibus præabundans, facundus, & aptus ad omnia virtutum genera, quibus inter gentes divina pariter & humana gratia promeretur nec poſſet de vobis tantam commendationem veraciter os loquentis exprimere, quantam in vobis tota provin-

A

cia recognoſcit. Et ſic omittam, quæ non creſcerent undique jam completa. Magnificentiam Communitatis iſtius quilibet pertimeſcit attingere, quoniam odoris ſui copia, qua redolet in nationibus per opera gratioſa, quorum nullus eſt finis, reddit inopem commendantem, pavidumque, a quo gradu incipiat, & in quem prætermiſſum majoribus finiat ſermo ſuus. Et ideo ſufficiens eſt laus iſta, quod nullus hanc Terram magnificam ſufficiat collaudare. Revertar ad materiam, pro qua venimus Dominus N. Socius meus, & ego cum eo: vir egregius, & omni probitate conſpicuus, quo nullus in Terra noſtra ſublimior, & parilitate pauciſſimi reperientur æquales. Et af-

B

ferimus vobis pro Communitate noſtra ſalutem, quam vobis tribuat Jeſus Chriſtus, qui eſt diſpenſator ipſius, ad omnia vota veſtra gratiſſima, cum vitæ gaudiis utriuſque. Quum Terra noſtra conſpicit, quantâ prudentiâ, fide, & cuſtodiâ vivitur in hoc ævo, affectat magnanimiter & proponit quantum vobis placeat hîc ubique terrarum circa mercimonia & ſecularia cuncta negotia conſervationem habere vobiſcum, aditum ſecurum deprecans & receſſum. Et ne ſcrupulus aliquis poſſet oriri, per quem converſatio ullo tempore turbaretur, alter pro altero de cetero non exigant, ſed ſolus debitor impetatur. Quæcumque inſuper poſſent hinc inde tractari ſubtiliter, utrique Com-

C

munitati fructifera, quæ ſtrictius utrorumque animos alligarent, veſtrum ſit oſtendere, & noſtrum perpeti curâ perficere, ſicut umquam pro emolumento communi videbitur convenire. Quæ autem utilitas proveniat ex præmiſſis, ſi ſortiatur effectum, manifeſte perpendent, qui fortitudinem, potentiam, & ſtatum proſperum utriuſque viderint geminare. Ille enim, qui eſt principium & finis omnium gratiarum ſuper iis, quæ breviter prælibavi, ſuam effundat gratiam & vigorem, ac pro honore utriuſque Terræ tribuat complementum, ut ſemper ſimus unanimes ad noſtra commoda communiter promovenda, & obſequium ejus ſanctiſſimi nominis glorioſi.

D

De eodem per ſecundum Socium.

CIvitas illa commendari poteſt ordinata juſtitiæ, quæ tam præclaros habet Populum & Milites habitantes, ſicut habet hæc Civitas benedicta, pretioſis moribus inſignitos, & ad omnia & ſingula naturaliter eruditos, quæ Terræ ſuæ redundare queant ad gloriam & honorem. Multum confortat animum meum ad proponendum coram vobis ſecure auditus ille pacificus, quem benivolâ patientiâ dependiſtis Domino N. Socio meo, viro prudentiſſimo, quo potentiâ, naturâ, & moribus ſpecioſis nullus in Civitate noſtra præſtantior in-

E

venitur: cujus eloquentia non ſolùm ſe ipſum, ſed etiam condignanter Poteſtatem, Conſilium, & Populum univerſum hujus nobiliſſimæ Civitatis laudibus veraciſſimis commendavit: quæ commendatio convenientiâ & approbatâ fictione tamquam a me quaſi iterum repetita & roborata credatur, quum inſufficientia ſenſus mei, quæ omiſſa fuerunt, non eſſet apta ſupplere decenter, propter infinitatem longiſſimam laudatorum. Ipſe verò, ſicut facere ſæpe ſolent viri periti, non tangendo medullam negotii, ſub quodam velamine pertractati ſunt, expe-

(*) Heic plura certe deſunt in Codice.

ſpectans fortè veſtram detegere voluntatem, antequam intentionis veſtræ ſecreta relevaret omnino, vel quod verius eſſe credo, mihi reſervare curavit, ut exinde ſumerem materiam .... meæ. Ecce enim legationis noſtræ cauſa præcipua. Miſſi ſumus, ut depoſcamus amicitiæ junctionem inter nos invicem indiſſolubili fœderis vinculo colligandæ. Hoc Sapientes non poterunt inverecunde negare. Nihil enim peti poteſt amicitiâ dulcius, nihilque beatius ipsâ præſtari. Ex ea namque communiter amantibus innumerabilia bona proveniunt. Suadent nobis modernis Sapientes antiqui, ut ipſam rebus omnibus anteponamus humanis; aſſerentes nihil eſſe tam aptum naturæ, tamque conveniens ad res proſperas, vel adverſas. Sed perſpicaciter videamus, qualiter ad res proſperas, & qualiter ad adverſas.

In primis quis poteſt eſſe mortalis in hoc Mundo, qui non in amici mutuâ benivolentiâ conquieſcat? Quid hoc dulcius, quàm aliquem habere præcipuum, cui loqui audeat omnia tamquam cum ſe ipſo ſecuriter? Quis tantus fructus in proſperis rebus, niſi haberes, qui illis æque tecum ipſe gauderet? Maximas commoditates amicitia continet, & opportunitates tantas, quantas nullus ſermo poſſet exprimere. Quocumque vadis, te ſequitur, & eſt præſto. Nullo loco excluditur. Numquam intempeſtiva: numquam moleſta comperitur. Res tibi ſecundas facit magis ſplendidiores & gratas. Quum pariter ambo congaudetis eiſdem. Adverſas verò ferre tibi difficilius videretur, ſi non inveniſſes amicum, qui illas gravius ferret, quàm tuus animus toleraret. Quum res adverſas compatienti communicamus amico, communio illa efficit leviores, & conſolatio amici fideliſſimi debilitari non patitur animum patientis: verùm amicum egentem ac imbecillem abundanter ſuſtinet & confortat. Talis enim amicitia totis viribus eſt petenda, & obſequiis amicabilibus amplectenda. Vultis apertius intelligere quanta ſit utilitas veræ amicitiæ atque perfectæ? Utamur dictis Tullii Philoſophi glorioſi, qui ait: *Si exemerint homines de rerum natura benevolentiæ junctionem, nec domus ulla, nec urbs ſtare poterit, nec ager quidem cultus permanebit. Quæ enim domus tam ſtabilis, tamque firma Civitas eſt in Orbe, quæ non ex diſſenſionibus, atque diſcordiis poſſit everti, niſi amicorum virtutibus defendatur?* Ex hoc ſolùm quantum boni ſit in amicitia, poteſt probabiliter judicari. Sed quoniam res humanæ fragiles, atque caducæ dicuntur, ſemper ſunt aliqui acquirendi, quos vere diligamus, & a quibus iidem diligamur. Habemus enim, ut noſtis, vicinos perfidos & auſteros, qui non verentur propter imminentem, quam credunt habere, potentiam, velle ſe nedum inferioribus, ſed etiam paribus dominari. Non eſt urbanum dicere, nec veſtra vellet fortè ſuſtinere benignitas, quæ poſſent de ipſorum ſuperbia recenſeri. Scitur enim publice, qualiter frequenter fremunt in alios, & confuſioni invigilant ſæpiſſime vicinorum; qui ſi fortitudinem, Domino conſulente, invenirent, congregatione ex multis, & brachio rebellis furor compeſceretur ipſorum, & eriperetur provincia ab oppreſſionibus eorum iniquis, ad quam plurimi deſideranter anhelant. Niſi velitis intendere conjurationi, quam vobis offerimus, contrahendæ, per quam fortitudo noſtra non ſolùm parificabit adverſis, verùm etiam efficiet fortiores. Attendat ad ultimum prudentia veſtra, ne requiſiti, ſicut jam multi fecere, decepti, acceptare dignemini, quæ offeruntur, reputantes ob id hos, qui conferunt, viliores. Multa namque aliquando recuſantur, quæ poſtmodum affectata non ſortiuntur effectum. Satis, ut mihi videtur, præſentem materiam perſequutus, & fortè nimium protelata cum ſint hæc omnia, vobis notiora præ cæteris, veſtræ deliberationi relinquo, & omnipotentem Deum deprecor, cujus gratiâ cuncta bona perfectum recipiunt incrementum, ut ſenſum veſtrum dirigat ad ea ſolùm, quæ nobis & vobis in hoc caſu potiora cognoſcit.

(*) Capitula, quæ ſequuntur, ſpectare puto ad Tertiam & Quartam Opuſculi hujus Diviſionem.

(*) *De reſponſione Rectoris Terræ ſuper hoc requiſitæ.*

Lingua Sapientum ornat ſcientiam, velut pretioſæ veſtes indutæ formam exornant humanam; quantumcumque primitus ſpecioſam reddunt magis acceptam quibuslibet inſpecturis per prolationem veſtram dulciſſimam & ornatum verborum ordinatiſſime porrectorum, ut ſingula teneant locum quæque ſortita decenter, eminentiſſimam in vobis fore ſapientiam oſtendiſtis. Unde tam patriam, quæ ſplendidiſſima eſt inter alias, quàm vos ipſos, conſanguineos pariter & amicos vehementiſſime decoraſtis. Nec mirum, quoniam ſapientiâ, nobilitate, moribus, & eloquentiâ præ ceteris conterraneis refulgetis, & laudis veſtræ præconia ſunt in omne ævum ſplendide duratura. Gratiſſimum ſalutationis alloquium per vos pretioſos Ambaxiatores & Cives nobis veſtra Communitas amantiſſima deſtinavit: quam ſalvet, protegat, & ſublimet in omni genere gratiarum Jeſus Salvator, qui eam generoſam omni virtutum genere procreavit. Propoſuiſtis inſuper urbanitate conſpicuâ, quod Terra veſtra deſiderat, mercimoniis & ſecularibus negotiis cum noſtratibus implicari, & depoſcit tantæ benivolentiæ junctionem, ut ambarum ſit unita pluralitas, per conjunctionis fœdera colligata, & iſtud Sapientes dicerent, evitare non poterunt, quum ex amicitiâ innumerabilia bona proveniunt & commodi ates & opportunitates tantæ, & in proſperis & in adverſis, & in defenſionibus & expugnationibus opponendis, quantas nequiret Orator explicare facundus. Admonuiſtis præterea, ne amicitia pænes nos vileſcat oblata, quod amantiſſimum reputamus: & ex eo perpendimus, quod ex motu proprio animi & amoris cupitis nos eſſe ſenſatos ad præmeditandum ſubtiliter, quid in inopinatis caſibus eligere debeamus. Et in hoc eligimus & reſpondemus audacter, quod tanto carior nobis exiſtit hæc amicitia ſic porrecta, quanto apud quemcumque prudentem „ Gratius eſt donum, quod venit ante preces. Virtutes ipſius in veſtris prænotatas eloquiis mente tenus perſcrutamur, & effectus ſuos opinamur fore venturos, ſicut umquam veſtra prudentia declaravit; quia ſi magnitudo benivolentiæ veſtræ huic, vel alteri Communitati ſtabilitate fidiſſima jungeretur, tanta eſt fortitudo

(*) Nulla ambarum Synopſis in MSto apparet.

A tudo ejuſdem , & creſceret ex adjuncto, quod non formidaret adverſos , ſed potius formidaretur ab ipſis , & ſic firmata conjunctio ſuis juribus viriliter potiretur .

Sed quoniam in dictis veſtris ſæpius feciſtis de amicitia mentionem , rogo ut gratanter & non moleſte feratis , ſi quid addendum putavero . Hæc profectò ſubtili ſtudio quærit animos ſimul invenire , quos ſimul applicet & adjungat , quia nulla res eſt , quæ tam alliciat & attrahat ad amicitiam , quàm grata ſimilitudo . Ipſa namque pariter & fides ſunt firmamentum conſtantiæ & ſtabilitatis ipſius: quoniam nihil eſt ſtabile , quod infidum ; & qui multiplex habet ingenium & tortuoſum , nec fidele nec ſtabile eſſe poteſt . B Non de vulgari vel de mediocri amicitia , quæ quamvis delectet ad tempus & proſit , eſt tamen inſtabilis ; ſed de vera & perfecta vos alloquor, in qua nobis fictum nihil eſt ſimulatum : & quidquid eſt idem unum & voluntarium , & ita commiſcet animos plurimorum , ut ex pluribus pæne unum efficiat . Talem amicitiam eſt hæc Civitas conſueta præſtare his , quas ſibi vinculo ſocietatis & benivolentiâ unitatis aſſociat . Et deinde de Civitate veſtra ſpero pro firmo contingere , ut inter tales fidiſſima amicitia rectiſſime copuletur . Verùm hujuſmodi conjurationes, quas aliquando volunt facere aliquæ Communitates ad invicem , habent certos modos C ſuos articulis multis implicitos , ut ſæpiſſime ſum expertus . In quibus ſigillatim ordinandis & ponendis neceſſarie habent deliberare, & diligenter attendere quidam ex partibus Sapientes electi , prout ordinandorum forma requirit . Unde ſi vobis videbitur , hæc eſt via , ut huic materiæ ſuperſedeamus ad præſens , & reſtringamus nos cum paucis idoneis in ſecretiori tractatu . Et ibi taliter provideri poterit, quod utraque Communitas ſucceſſus ſortietur , operante Domino , proſperos , & ſalutem . Vel ſi Poteſtas Communitatis requiſitæ perpenderit , & aliter fore concludendum putaverit , ſecundùm temporum qualitates , ſicut vir ſapiens & diſcretus , quod utilius ſenſerit , eli- D gat & ſequatur . Sed utinam patria mea cauta ſemper exiſtat in talibus Societatibus contrahendis , quoniam pluries gravibus damnis, laboribus , & expenſis immenſis fructus uberes non reſpondent . Scio tamen , quod Conſiliarii Civitatum multum diverſificant , quum ſibi talia proponuntur , aliis approbantibus , aliis reprobantibus conjurationes hujuſmodi : ſed vota hominum prona ſunt ad diſſentiendum .

De quibuſdam Conſiliariis , qui appetunt hanc contentionem .

TRiplex conſideratio eſt attendenda circa Conſiliarios eligendos , ut qui de multis E eligitur , cognoſcens , ingenioſus , & gratioſus propenſius eligatur . Cognoſcentem oportet eſſe , qui conſulit , ut quæ ipſe vel alii dixerint , unde , & quem motum habeant, & quis poterit eſſe finis , prudenter , quantùm humana natura permiſerit , intelligat & cognoſcat ; nam ſine intellectu diffuſa per quoslibet facile negliguntur. Ingenioſum , ut ſubtilitate ſui ingenii inter dubia & obſcura diſcutiat , & excogitata ratione dijudicet , ut capacitate ſui , quod honeſtius , quod fuerit utilius capiatur . Gratioſum eſſe oportet , ut gratia Creatoris , quem nullum latet ſecretum , inſpiratione ſuâ revelet eidem , quod Communitati ſuæ poſſit eſſe ſalubrius . Item ut ſibi conſulenti diligens audientia præbeatur , & ſi meliora dixerit, ſine hæſitatione credantur . Si hæc noſtra Communitas tales hodie Conſultores habuerit, procul dubio de propoſitis meliora ſumentur, circa quæ propoſita cujuſque conſulentis animus , ut conſilium præſtet uberius , ſi gliſcit prudentum amplecti doctrinas , tribus temporibus diſpenſetur, præterita recordetur, præſentia ordinet, futura caute provideat . Nam qui nihil de præteritis cogitat , obliviosus cenſetur & fatuus . Qui præſentia non diſponit , inordinatam dicitur ducere vitam . Qui nil de futuris præmeditatur , *in omnia incidit incautus* , ut bene moratus Seneca refert . Propono igitur in animo meo coram vobis de præteritis referre pauciſſima . Scitis enim quod Argolici Duces & Proceres , ineffabili multitudine congregata gentium diverſarum Trojam , urbem nobiliſſimam obſederunt , & telis inſtructâ cruentis multitudine nimiâ pugnante , ipſa dirupta Troja jacet ; & hoſtium aratro inducta deſiit eſſet Carthago .

Cur refero Thebas, & mutua vulnera fratrum?

Et quæ propter multitudines prævalentes concidere munitiſſimæ Civitates? cur Romanas Hiſtorias ? nonne Urbs illa , domina gentium , plena quaſi ſine numero multitudine bellicoſâ , legionibus , & cohortibus a ſe miſſis , cunctas Romano ſubjugavit imperio ? quis fecit hæc omnia ? An Alexander totius malleus Orbis ? non utique, ſed ſola vis major, cui minor acies reſiſtere ſuperata nequit . Heic competenter adaptatur proverbium ruſticanum , quo dicitur : *Inter unum & duos noxia pugna fuit* . His & aliis plurimis , quæ ſimilitudinarie poſſent rationibus aſſignari , puritate fidei & diligenti circumſpectione motus , breviter conſulo , quoniam tam fructuoſum munus , quod nobis offertur , verbis non indiget inductivis , ut Societatem hujus potentiſſimæ Civitatis , quam nobis fœderaliter adjungi depoſcimus , ineamus animo gratulanti , articulis conjurationis , abundantique cautelâ nobis ſagaciter primitus ordinatis. Et ſic erunt præſentia bene diſpoſita , & futura providâ meditatione proviſa . Supplico ad ultimum altiſſimo Creatori, a quo cuncta bona procedunt , ut alliget mentes noſtras ad ea ſolùm , quæ meliora nobis & utiliora fore ſolus ipſe cognoſcit .

De aliis , qui differendo recuſant .

POnderet unuſquiſque ſermones ſuos . Tempore enim indigemus, ut aliquid maturius agamus , ne præcipitemus conſilia noſtra & opera. Et non ſolùm ponderare, verùm etiam & limare conſilia jam petita monemur , antequam deducantur ad linguam , ne ſubitò prolabamur in ſententias celeri feſtinatione nocivas . Prudentis enim eſt examinare conſilia , & non facile diffinire de dubiis, ſed ſuſpenſam tenere ſententiam , donec exquiſitâ ratione quid ſit agendum , vel minime , conferendo veritas inquiratur . Et hic eſt ordo Conſilii . Nam Conſilium nihil aliud eſt , quàm aliquid faciendi , vel non faciendi , verè excogitata ratio . Conferamus igitur inter nos ſuper præmiſſo negotio , quid agere debeamus . Ecce enim qui ante me dixerunt, niſi ſunt oſtendere magnas commoditates & opportunitates tantas, quantas ſermo nullus poſſet exprimere , quæ

ex-

ex conjurationibus ſæpe proveniunt, & amicitiis prætaxatis: gaudium videlicet magnum in proſperis, & in adverſis ſolatium opportunum; fortitudo & potentia grandis promittitur ex adjunctione vicini, & fiet utique. Sed nonne æmuli noſtri hoc idem facere poterunt, & ex adjunctione fieri majores? Quum aliena vita aliis poſſit eſſe magiſtra, & ſic artes noſtras arte conſilii deludere poterunt, utique non obſtemus experti. Non ergo eſt iſtud promiſſum parilitatis perfectæ remedium, ſed eſt longe validius expetendum. Præterea ſi conjurationem inierimus ullam, magnam incurrimus ſervitutem: nam quum multum conflictum, ſtrages, & vulnera, & guerram longe productam voluerimus, pacem non permittemur ſine conſenſu conjuratorum habere. Item ſi poſt nactam fortè quietem intenderimus reparationi damnorum & diſpendii, quæ ſemper pariunt diſſenſiones & guerræ: & ſubitò vel Socii noſtri movebunt, vel guerra moveatur eiſdem, oportebit nos arma reſumere feſtinanter; & tunc quum irremiſſus labor erit in damno, quod frequenter guerræ parturiunt, periculoſa creſcet egeſtas, & multi ex noſtris debiles toleratæ guerræ ſumtus & diſpendia diſpergentur. Unde, dilectiſſimi, redeamus ad ea, quæ in primordio dicti mei, quum ſurrexi, propoſui. Tempore videlicet indigemus, quo maturius deliberemus & cautius, ne præfeſtinati præcipitemur in eum laqueum, quem forte diſſolvere, quando opus fuerit, nequiverimus inconſulte ligati. Verùm conſulo & rogo, ut amicabilem valde tractatum habeamus cum Ambaxiatoribus iſtis, dando ſibi plenam fiduciam perficiendi, quæ poſtulant, animo diligenti. Sed ut præveniamus nos, & nos non primitus præveniamur a noſtris ſagaciſſimis æmulis, qui quotidie non ceſſant inſidias ponere convicinis, viciſſim properemus, nos in partibus noſtris, & ipſi pariter in ſuis feſtinatione celeri conjunctionem iſtam accreſcere cum ſecreti tamen victoria cautione per tales & tales, & alios quoſcumque poterimus competentes: & inquiſitores poſtmodum congruo tempore ſimul conveniant in ſecreto collaturi. Et quum viderint congruentius concedere Conſiliarios Terræ ſuæ, quique certificent, ut deliberetur utrimque, quid ſuper intentis expediat ab utriſque. Et ſic annuente Eo, qui genus ſecum univit humanum, gradatim opus perficient optatum Ille verò, qui illuminavit abſcondita tenebrarum, & revelavit conſilia potiora, adaperiat nobis rectitudinis viam, qua in hoc dubio, & multis aliis, quæ ſæpe nobis inopinata concurrunt, ad melioris & ſanioris partis gaudia gradiamur. Judicio meo ſi tanta eſſet virtus & multitudo conjurandorum, ut cum ipſis poſſemus quaſi parificari rebellibus in . . . . aliter ſubſiſto.

De naufragium paſſis, & ſpoliis eorumdem.

MIſeremini. Venimus non allaturi ſalutem, qua nos & tota patria noſtra caret. Singultus & lacrymæ genas madentes & ora noſtra triſtes præpediunt, naufragium promere noſtrum. Sed pietas veſtra, quod nequit exprimere lingua, penſet, obrutas inſanis eſſe carinas aquis. Devotio pia, Terræ Sanctæ ſuccurrere volentes, accinxerat armis Milites quingentos & ultra, totidemque Plebejos: quos ardua puppis educta navalibus undis ordinibus geminis accepit in ſedibus aptos. At juvenes remigare ſueti ſubito reducunt ad fortia pectora remos, & currens ſaltu veloci ſecabat æquora navis. Quum fere per menſem navigaſſemus aurâ felici, jam mare ſub nocte quadam tumidius albeſcere cœpit, & ventus ſpirare validius quàm fecerit umquam. Tunc nauta voce ſonora clamat: *Velum deponite totum*. Sed adverſæ procellæ & fragor æquoris alti remigantium impediebant aures, & nullus patebat auditus. Sponte tamen noſtra properavimus omnes, alii ventis vela negare, alii ſubducere remos. Creſcit in immenſum Eurus, & ex omni parte carinæ bella gerunt venti feroces, & aquæ ſonant clamore. Viri currunt defendere puppim. Ut Miles egregius accenſus laudis amore expugnatæ Urbis murum occupat unus, aliis fodientibus extra, aliis trepidantibus intus: ſed ſuperavit reſolutis nubibus imber virorum vires. Viſum eſt in fretum totum deſcendere cœlum. Et æquore miſcebantur aquæ cum cœleſtibus undis. Nox cœca tenebris patebat lumine cœlum, ni quod plerumque præbebant fulmina lumen. Dant ſaltus fluctus in concava tecta carinæ. Deficit auxilium, animique fortia cadunt. Stupent tunc Magiſtri, fatentes in tanta mole mali ſe neſcire ferre juvamen carinæ fragili. Arbor rumpitur ex toto regimen, & fluctus procellarum mergunt in mare ratem, cum qua pars magna virorum fato eſt functa ſuo gurgite preſſa profundo. Evaſimus ter deni fortunâ præbente regreſſum Qui dum ſtaremus in litore feſſi admirantes cadavera mortuorum, quæ expuit unda foras, incidimus in latrones, quos poſtmodum didicimus veſtros fuiſſe Cives, qui diripuerunt gazas & ſpolia cuncta: & quod horribilius eſſe videtur, plagas impoſuere defunctis innumeras, credentes quod viverent, quum ſpoliabant eoſdem. Pro dolor! avarior fuit homo undâ. Evomuit illa. Dilaniavit homo. Quare nos devii triſteſque gementes ſecuti ſumus quæ rapuere fures: & deprecamur Poteſtatem hujus floridæ Civitatis, ut prave direpta reſtituantur in totum reddenda per nos quaſi mortis inſignia ſuis non ſpectaturis ultra intumulata cadavera ſtantium in litore maris, eſca relicta feris. Nec profit exceptio, quin ſimus qui petere poſſint, quos nova Conſtitutio juvat. Vidimus heic fures, qui in nos quaſi proverbialiter verſificantes invectivantur, non profuturis litora bobus aratris.

De excuſatione, & promiſſione ſervitii.

INopinata & diſtincta in partibus iſtis querela celeriter impulit aures noſtras, & nos reddit unanimiter condolentes de naufragio, quod tam nefando de relatione veſtra nuper audivimus in æquore contigiſſe. O magna facilitas hominis non titubantis ſe totum potius committere ventis! Audacia nulla fuit ſimilis illi, qui ligneis primitus ſecuit æquora remis, & inter lethum & vitam poſuit non medium ſolum concavum inſtabileve navigium. Poterat iſte lata terreri triſtis imagine Ponti, & trepidare ventos, quos reor valde timendos; qui poſtquam evolant emiſſi latebrarum carceribus, ubi tenentur incluſi, mare tanta qua & cœli nubila vexant, cunctis negantes parcere rebus. Sed fortè divina Majeſtas hoc voluit, ut limina ſancta Sepulcri per mare per terras viſitent devoti Chriſto fideles, qui poteſt imperare ventis & aquis, fretumque navigantibus præſtare quietum. Quod utinam præ-

præbuiſſet illis agminibus ſanctis, quæ noviter perire mari, jacentque in litore turpiter denudata per quoſdam, quos juriſdictioni noſtræ ſubjectos eſſe proponitis, & aſſeritis firmiter eſſe verum. Quod ullatenus credere non valemus: quoniam Civitas iſta tales tolerare nequiret Uno ſuſpenderet in patibulo, ſi quos inveniret, tam dira perpetrare delicta, quin & leviora. Verùm ut reſponſum congruum accipiatis, ſic breviter hæc concludo: quod Conſiliariis omnino dimiſſis, quos non eſt neceſſe fatigare (omitto enim quod ſuper iis feſtinari deſiderent) & remanebitis mecum, & cum noſtris Officialibus in ſecreto ſagaciterque inquiremus, & quantumcumque poterimus cautius, ſi quæ de illis ſpoliatoribus peſſimis poterunt inveniri, ut direpta reſtituant, & pœnas luant, quas tanta decenter requirit offenſa. Deſideramus inſuper calamitates & afflictiones veſtras, quibus triſte compatimur, affectuoſe minuere, & ſolatium qualecumque poſſumus, gratioſius impertiri.

De rapinis & debitis inique detentis.

SEcuturus veſtigia, quæ magni nominis & excelſæ famæ Sapientes ubique fere terrarum in proteſtationibus ſuis frequenter attendunt, laudum præconia Poteſtatis, & hujus ſpecioſi Conſilii Generalis omittam. Nam quantumcumque prudentiores exiſtant, tanto facilius profitentur, ſe ſufficientem non habere ſcientiam ad proferendas laudes, quibus promerentur magnificari laudandi. Verumtamen ſatis in brevi videtur laudaſſe publice faſſus ſe ſe non eſſe dignum tantam deferre molem, pro ut ego, cui curialitas veſtra parcat tamquam inſufficienti, maxime quum non expediat, me laudes exſolvere veſtras. Ni ſicut expedit oſtendere digito Solem, & quia gaudent brevitate noſtri temporis auditores. Iis exploſis expedite decurro ad ea narranda, quæ Poteſtas & Communitas noſtra in conſpectu veſtro ſeriatim proponenda mandavit. Salutat primitus & exoptat, vos ſemper & ubique ſalvari in cunctis proſperitatibus, & gratis ſolatiis gaudiorum. Adjicit conſequenter, quod iis diebus proximis ſibi gravamina maxima ſunt illata; unde non modicum admiratur, neſciens cogitare cauſam, ex qua tantam & tam deformem patiatur offenſam. Nam quidam Cives veſtri in ſilentio noctis non quaſi hoſtiliter, ſed furtive ingreſſi paſcua noſtra, omnes oves, & ut dicam, pecora campi rapide adduxerunt, & paſtores plagis impoſitis in paſcuis dimiſere ligatos. Quod tanto moleſtius eſt ferendum, quanto fiducialiter ſperabamus non offendi, ſed defendi potius tamquam ea, quæ hucuſque poteratis quaſi propria reputare. Occurrit alia cauſa dicendi, quam decet prudentiam veſtram abſque moræ diſpendio efficaciter exaudire. Ecce conſuetudo reperitur antiqua, quod Cives veſtri pariter & noſtri, quoties opportunitas exigit, ſe multum exhibent invicem liberales tam in creditis faciendis, quum ſimul mercantur & diſtrahunt, quàm aliis in mutuis contrahendis. Sed multi ex veſtris, quos ad ſolutionem ſuo tempore faciendam interpellare deberet ſola liberalitas Creditorum, inurbane ceſſant exſolvere quod debent, & vos ipſi ſæpius requiſiti negligitis ſibi juſtitiam exhibere, quare videmini litem facere veſtram, & dare

A materiam impetendi in quocumque quum vel judicare negligitis quod a veſtris improbe factum ſubditis, vel reddere quod per injurias eſt detentum. Et hæc etiam uſus approbat diutius jam obtentus. Unde noſtra Poteſtas interpellat aſſidue, præbere licentiam recolligendi, ne videatur ſine ſpe rehabendi deperdita, quæ tempore tam longe decurſo tardantur exſolvi. Quare in utroque caſu tam doloſæ rapinæ, quàm nimis moratæ ſolutionis, diſcretio veſtra, quæ valde diligere juſtitiam commendatur . . . (*) . . . .

. . . .
ad mandatum noſtræ Serenitatis Populus univerſus proſtratus, ut profert, & ſtetit, quæque de iis,
B quæ geſſerunt contra decus Imperii ante noſtrum rationem redditurí tribunal. Et examinatione factâ condignâ tunc vos opera veſtra ſequentur, & retribuetur vobis, prout inventi fueritis eſſe digni. Et ſic erit, ut ſupplicaſtis, veſtra par pœna delicto, ut forte melior, ſi hoc honor Imperii non negabit, & exemplum pernicioſum non relinquatur in poſteros.

De reſponſione facta eiſdem ab alio mandato Imperatoris.

ET ſi dedignatur eis reſpondere Imperator, & vult judicium, & non miſericordiam
C exercere, reſpondeat aliquis ab eo paratus ſic: Ut reſponſum ſecundùm præcedentia merita veſtra per me congruum accipiatis, mandavit juſtiſſimus Imperator, dicens, vos eſſe repertos in crimine læſæ Majeſtatis apertiſſime commiſiſſe molientes, & arma ſumentes contra Romanum Imperium, hoſteſque ſuos publice juvantes armis, conſilio, & theſauris, & nitentes, utque ſubjecti, & Italia maxime, multis Privilegiis decorati fierent rebelles, ſeditionem & conjurationem facerent facinoroſam contra proſperum ſtatum ſublimis ſuæ Majeſtatis. Unde, ſicut ſcire debetis, eſtis morte digni, & bona cujuſque ſunt publicanda Fiſco: & propter ſcelera nefanda parentum filii pœ-
D nas debent pati graviſſimas, & quia propter tantum ſcelus efficiuntur infames, & quia Lege prohibente nulli ſuccedere poſſunt; & reputabitur eis in præmium, quod pœnas non ſubeant capitales. Si vultis igitur, ſicut vos ipſi petiſtis, pœnam reportare condignam, veniant univerſi ad preces inclytæ Majeſtatis, recepturi, prout Leges ſeculi judicabunt.

QUINTA DIVISIO.

De Poteſtate extera mortuo in regimine. I.
De Milite indigena mortuo. II.
De Populari mortuo. III.
De mortuo in partibus remotis. IV.

E

CAP. I.

De Poteſtate extera mortuo in regimine.

VIſitavit nos hodie Dominus viſitatione terribili & amara valde, multipliciter contriſtantes de obitu tam glorioſi Militis, qui Civitatem iſtam recto juſtitiæ tramite non declinans ad dexteram vel ſiniſtram feliciter gubernabat. In adventu ſiquidem & principio ſui regiminis hæc noſtra Communitas in brevi cœpit

(*) Heic plura deſiderantur.

cœpit multimoda proſperitate potiri, confeſtim pravis pacata rumoribus & purgata malis hominibus. Effugêre namque latrones & fures & fractores locorum, raptoreſque rerum, & alii nequiter malignantes abſtinuerunt ab operibus ſuis iniquis. Receptatores talium, ſine quibus ipſi diutius latere non poſſent, exterriti in abditis ſuis eoſdem recipere non audebant. Ipſe ſedens ſuper ſedem judicandi, & in audiendo ſe cunctis facilem præbens, jus omni petenti ſine perſonarum acceptione ſervabat, jus ſuum cuique tribuens, prout poſtulat ordo juris. Cuncta hæc Terræ noſtræ, quam regebat, agenda curâ vigili promovebat, & ſtudebat extollere quantumcumque poterat ad ipſius Communitatis commodum & honorem. O utraque Civitas & quæ miſit, & quæ cum gaudio recepit eumdem, flete triſtes ambæ, & deplorate dolentes, tanto Milite deſolatæ, qui reddebat utrimque gentibus decoratam aliam natione, & aliam gubernatione laudabili! Cujus modis & moribus alii paterentur informari Rectores. Erat enim pleniſſime Regiminis officio doctus: modos & mores ibi geſtabat, quæ conveniunt præſidenti Nec mirum. Erat enim nobilitate clarus; etenim nobilitas tam res quàm animum moribus honorat. Scientiâ præditus, conſilio providus, ætate maturus, diſponens ſingula, prout loci & temporis qualitas exigebat. Unde immenſiſſime commoti ſumus ad iram & lacrymas de amiſſione tam pretioſi Rectoris. Fecimus, quod noſtrum eſt, & quod nos feciſſe decebat. Sed ſi ſtaremus heic, ſicut modò ſumus morâ longiſſimâ unanimiter congregati omnes, ſine fructu ſedulitas noſtra morandi fructum reverſurum exſpectans, qui hodie nos dimiſit omni tempore doloroſos. Recedat ergo quiſque, quum ſibi placuerit ad propria. Et licèt perſonam amiſerimus jam ſepultam, memoriam tamen viventem retineamus ipſius, quæ numquam a mentibus noſtris diſcedat, donec vixerimus ulla vice. Familiam ſuam, quam ſecum habebat bene morigeratam fidam, donec nobiſcum ſteterit, honoremus & in receſſu ſuo ſibi compl.ceamus, ut decet. Et ſi quando Concives ſui, amici vel proximi, ad partes noſtras advenerint, & ubique reperiemus eoſdem, recipiantur intuitu ſui, & Communitatis ipſius, cum omni honore & gratia, ſicut amici & domini ſpeciales: & quicumque noſtrûm plus poterit, & magis opportunus extiterit, exponat ſe ad omnia, quæ ſibi cognoverit gratioſa, & ſit tamquam noſtra conſolatio eorum frequentia & honorificentia, quam præſtare cunctis nos viderimus animo cupienti.

CAP. II.

De Milite indigena & mortuo.

M*ilitia eſt vita hominis ſuper terram.* Quiſquis vult ſubtiliter intueri, poterit incunctanter attendere, verbum iſtud eſſe verum, ſcilicet quod vita hominis eſt militia ſuper terram. Ipſa enim a ſecularibus, qui eam primitus invenerunt, his armata fuit aculeis, cuſtodiâ videlicet & pugnâ, atque victoriâ. Cuſtodiâ, ut ſagaciter ab inſidiis cuſtodiret: pugnâ & victoriâ, ut triumpharet in hoſtes. Hoſtes vitæ hominis inter multiplices alios, qui inceſſanter inſidiantur eidem, ſunt præcipue ſuperbia, inanis gloria, avaritia, & invidia. Iſta crudeliſſima vitia inſidiantur vitæ

A hominis, ut ad ſe attrahant ut capiant, perſequuntur ut perimant. Cum iſtis pugnavit viriliter, donec vixit, hic fortis Athleta, cujus memoriam modò facimus cum triſtitia & dolore. Si enim ſuperbia inſtigabat eumdem, dicens: *multos rite deſpicere potes, multis temetipſum ſuperiorem oſtendere, quum habeas paucos vel nullos æquales verbo, ſcientiâ, divitiis, & honore*, hanc expugnabat humilitate benignâ, cogitans in corde ſuo, quanto homo melior eſt, tanto debet ſe in omnibus humiliare devotius. Si inanis gloria, ut opera, quæ faceret, laude digna fierent in publico, ut extolleretur & laudaretur a cunctis, erat in animo ſuo occultandi voluntas,
B ne de oſtenſione inſurgeret maligna temeritas. Dicitur enim de hypocrytis: *Opera ſua in aperto faciunt, ut ab hominibus glorificentur in eis.* Si avaritia, ut congregaret, undecumque poſſet, & multiplicaret, ne egeret in poſterum, ſed ſplendide, quando vellet, vivere poſſet, reſiſtebat in mente dicens: *quanto quiſque amplius habere cœpit, tanto plus egebit; tamquam egenus malo qui tè modico contentus exiſtere, quàm inſatiabilis inveniri.* Si invidia, dicens: *dolere debes, ſi quis Civis temeritate ſua ſe facere tibi credit æqualem*, hanc iſtâ ratione vincebat: *qui alios virtutibus antecellit, tutius in loco infimo quàm in ſummo ſemetipſum conſervat. Semper enim pejor fit &*
C *gravior de alto ruina.* Dixi virtutes animi, quibus prætaxatæ vitæ peſſima ſuperavit. Ecce virtutes corporis, quibus inter homines cohabitando refulſit. Fuit enim nobilitate clarus, armis probus, voce facundus, manu largus, fide pudicus. Hæc geminavit cum nobilitate genus, & fuit ſplendor gloriæ domus ſuæ. Facta amicorum rogatus, & ultroneus fideliter geſſit ut propria, intentus cunctis eorum profectibus, ne rebus flecterentur adverſis, ſed propriis extollerentur in altum. Ardua Communitatis ſuæ conſilio ſaniori promovit & opere, & ubi nimis difficilia germinabant, ad exitus pronos & faciles eâ providentiâ qua poterat, reducere properavit, affectans, pa-
D triam ſuam habere ſtatum proſperum & jucundum, ut augmentaretur perſonis, facultatibus & honore, ad quæ ſine quiete pacifica non facile pervenitur. Si vellem inſiſtere ſingulis laudibus, quibus poſſet meritò commendari, jam nimis veſtram audientiam fatigarem, ſciens vos gravi mœrore depreſſos propter mortem hujus Militis gratioſi, quia a noſtra participatione ſubreptus eſt hodie, viam univerſæ carnis ingreſſus, & a ſeculo migravit ad Dominum. Verumtamen debet nos ab iſto relevare dolore communis noſtra conditio, quia cinis eſſe dicimur, & in cinerem convertemur: imitaturi antiquorum noſtrorum parentum tam veſtigia, quàm ſepulcra. Et erimus quando-
E que quod hic eſt, ſi tali neceſſitate tranſimus, ſicut manifeſto viſu quotidie fieri videmus, & certi ſumus, nos mori debere, quia diſpoſitione divinâ ſubiere aliis præcedentibus, & aliis ſequentibus præcedentes, & ſic erit uſque ad ultimum. Non debemus nimiâ triſtitiâ prægravari, quum iſta non valeamus aliquatenus evitare. Sed oportet nos in patientia ſuſtinere. Quodcumque naſcitur, moritur, & numquam in ſtatu permanet eodem. Omnes mortem quærimus. Si fugit illa, proſequimur: & quanto plus vivimus, ad ipſam tanto feſtinantius properamus. Recurramus ergo ad mentem rectam, & non addamus damnum damno,

&

& afflictionem afflictis . Non laboremus in eo , in quo poſſumus perdere , & lucrum non invenire . Vivamus . Reconſolemur præſertim in memoria probitatum ipſius , quæ nomen ejus vivere facient in æternum . Commendata ſint ſpecialiter amicis & proximis ſuæ poſteritatis agenda . Et ſicut ipſe frequenter portabat onera propinquorum , ita & ipſi retribuant ſuis , quoties cognoverint expedire . Vos autem , qui veniſtis honorifice ad obſequium ſepulturæ , recedetis amodo cum gratiarum actione , quas vobis exſolvunt propinqui pariter & vicini , exponentes ſeſe ad omne ſervitium , quod vobis crederetur opportunum , tamquam dominis & amicis amicabiliter ſervituros .

CAP. III.

De Populari mortuo .

ATtendite omnes patienter & ſinguli meritò collaudandi , qui veniſtis in multitudine copioſa , redditurі huic doloroſo funeri beneficii debitum , quod homo debet homini ſecundùm curſum naturæ divinitus ordinatum . Inter plurima namque beneficia , quæ vult ipſa natura , ut homo viciſſim conferat ipſi in terra , ſunt conſideranda potiſſima , ſcilicet flere cum flentibus, dolere cum dolentibus, & gaudere pariter cum gaudentibus . Primum inducunt humanitatis pietas & carnalitatis affectus. Secundum amor carorum & patriæ, ac mutuæ compenſatio ſervitutis . Tertium caritativa dilectio , ut de proſperis & commodis aliorum , ſicut & de propriis invicem gratulemur . In præſenti myſterio digne ad plorandum nos pietas commovit humana , & ad lamentandum cum defuncti propinquis carnalitatis affectus . Ipſum enim a primordio nativitatis ſuæ Creator generis humani edidit gentibus gratioſum . Et quanto excrevit , inter homines placidus converſatus , tanto magis profecit moribus , gratiâ , ſcientiâ , & honore . Cunctis vicinis, amicis ac proximis ſe ſemper exhibuit liberaliter ſervіturum . Nulli nocere , omnibus prodeſſe & complacere donec vixit , ſtudioſius affectavit . Proximitate conjunctis fructus uberrimus , amicis amœnus , & ſolatium dulce vicinis. Dolere ſiquidem de obitu tanti viri unanimiter poſſumus & debemus , tam ratione diſpendii ſingularis , quàm ratione Communitatis & Patriæ , cui in conſulendo ſanum conſilium , in præbendo floridum præſidium , in expendendo largum ſtipendium feſtinanter præbuit , quoties expedire perpendit . Si gravi dolore teneremur , ſi compatimur , quum damna amicorum & noſtra ſentimus , ſolvimus naturæ debitum , quod præmiſi . Quis enim tam ferreum pectus habet , cor tamve lapideum , ut gemitus non exprimat , lacrymas non fluenter effundat , quum amici vel proximi interitum intuetur , ut compatienti non compatiatur , & condolenti non condoleat ? Ipſe enim Jeſus ſemetipſum turbavit & lacrymas effudit , quum vidit alios circa monumentum Lazari deplorantes . Sed conſiderandum, cariſſimi nobis occurrit , quod fletus , dolor ac gemitus , vota partium , & quidquid pati vel clare vellemus , non reſtituent nobis illum , dulcis memoriæ dilectiſſimum noſtrum . Immitiſſima mors , quæ nulli parcit omnino , hodie a conſortio noſtro ſubtraxit . Si enim hactenus umquam memorata fuiſſet extitiſſe venalis , redimeremus utique largis opibus gaudium , quod hodie nobis mœrori miſcetur . Sed quum non ſit locus niſi conſolationi , ſolummodo commutemus in conſolatione mœrorem , ſicut a multis ſapientibus recolitur eſſe factum. Triſtitia namque damnum multiplicat , ipſa dolentis languida membra reddit , infirmitates incurabiles , & oblivionem frequenter inducit, ſenſus hebetat humanos , & virtutes deſtituit omnes , & curam rei familiaris gerere negligit , qui triſtatur . Famuli in mœſtitia deprimuntur , & omne factum videtur quaſi in deſolationem abiiſſe . Conſolatio tollit mœrorem animi , virtutes augmentat , deſtituta reparat, & in melius creſcunt ; quam facere præſidium eſt ſalutis & humanitatis officium , ſecundùm affectum , qui ab hominibus debetur in cunctis . Præterea conſolemur de meritis vitæ, & laudabili teſtimonio , quod habet a gentibus generaliter hic defunctus . Qui ſi fortè multo longius pervixiſſet , reportaſſet præconia gratiora . Ad ultimum oportet nos , dum ſtamus in Seculo , conſolationem recipere temporalem . Eſt enim commune mori . Omnes ad hoc vivimus , & in hac vita peregrinamur in corpore, ut inde tranſeamus ad patriam. *Non enim habemus heic manentem Civitatem , ſed futuram inquirimus* , majores noſtros & poſteritatem ibidem utinam cum gaudio reviſuri . Alii præcedunt , alii verò ſequuntur , ſicut navigantes in æquore . Sed hæc inter conſummabimur omnes & ſinguli, nullo relicto, quum venerit dies ejus . Jam non vos verbis prolixioribus ulterius tenebo ſuſpenſos , ſed ex parte viciniæ & conſanguineitatis defuncti grates vobis redduntur immenſæ , qui ſicut urbanitatem veſtram decuit , honorifice conveniſtis ſepulturæ mortui honorandæ . Quum vobis placuerit, cum bona gratia recedetis acturi negotia quique ſua . Vicini & proximi in domibus remanebunt, exmplum ſecuturi prudentum in conſolationibus attendendis , & vobis propterea , quæ nuper ei feciſtis , eiſdem ſtabunt omni ſervientes .

CAP. IV.

De mortuo in partibus remotis .

INſperata memor . . . . anxietas , velut au. . . . . . . terribilis impulit aures noſtras de obitu gratioſi N. N. , qui nuper in partibus Franciæ migravit a Seculo , compatriotis ſuis ibidem præſentibus relictis voce clamoſa & lamentabili derelictis . Cadaver verò ipſius multis honoribus ſecularibus celebratis religioſe fuit poſitum in ſepulcro , madefactum tamen tam patriæ , quàm viciniæ ad funus confluentium abundanti fluentiâ lacrymarum . Plorabat vicinia , & memorando morum virtutes illius , quibus converſatione domeſticâ ſe conformavit eidem , & collaudando grata ſervitia , quæ poſcentibus liberaliter conferebat , ac rectam fidem & puram honeſtatem defuncti . Amici noſtrates lugebant , ſicut fecimus & nos ipſi , detrimentum Communitatis illius, cui per mortem ſuam detracta ſunt plurima commoda, quæ quandocumque neceſſitas exigebat , de perſona & facultatibus conſequebatur ejuſdem . Item intolerabilem gravedinem parentelæ , quæ ſolatio refocillabatur illius, quibus de cetero deſtituta poteſt multitudo condolere .. Gravia damna , quæ imminere videntur vicinis pariter & amicis , in ploratu referebant amaro . Et quam-

quamvis ſit triſte, quod loquimur, triſtius tamen poſſemus repetere, & reepilogare, quæ dicta ſunt, de bonitate ſepulti, & juſtiſſime lamentari, & cum ſecuritate conqueri de tam gravi amiſſione dilectiſſimi noſtri, quam patimur, ſi ſpecialiter haberemus, de quo raptore, & qui nobis juſtitiam exhiberet. Sed de morte non habemus, quia naturale eſt mori, & mors nulli parcit homini vel honori. De Mundo non valemus, quia quouſque poſſedit & fovit, eumdem nutrivit in deliciis, & de iis, quæ ſua cenſentur patere ſibi contulit. Competentem gratiam habuit apud Gallicos & honorem. Floruit cum majoribus pariter & minori ordine conſtitutis gratiarum auctione. Sed ipſum ulterius retinere non potuit, quod non erat in ejus, ſed Domini poteſtate. De Domino Deo nequaquam querimur. Ejus exſtitit creatura. Ipſe creavit, & ſublimavit moribus, ſcientiâ, & urbanitate ſublimi, in ſe ſemper retinens poteſtatem mortis & vitæ in ſignum univerſalis dominii & adſcenſionis ad ea, ubi quiſque recipiet, pro ut geſſit in corpore, donec vixit in Seculo. Revertamur igitur ad nos, & conſulti dicamus, quod ſicut iſte fuit, erimus, quoniam & homo eſt. Hac enim viâ cuncti neceſſario gradientur, atque in conſummationem ſingulorum: quoniam ideo in Mundo venimus, ut ad aliam patriam tranſeamus. Parentes, vicini, & ſpeciales amici laudabilem conſuetudinem exſequuntur, quod hodie retinet Civitas iſta, ut luctum, qui non proficit, ſed officit, omnino dimittant. Addit enim perſeverantibus lugere damnum, & non reſtaurat: deperditis maxime ſic amicis conſoletur in Domino, & in potentia virtutis ipſius. Si enim bona ſuſcepimus de manu Domini, omnia humiliter toleremus & ſuſtineamus in pace. *Dominus dedit, Dominus abſtulit*, & ad ſe redegit. *Sicut Domino placuit, ita factum eſt. Sit nomen Domini benedictum in ſecula*. Vos autem, qui ad hanc humanitatem, ſicut decuit, honorifice conveniſtis, regratiati ab amicis & proximis, poteritis recedere, quando veſtræ placuerit voluntati.

SEXTA DIVISIO.

De Juvene cupiente guerram. I.
De alio non affectante. II.
De tertio recuſante. III.
De quarto moſtrante pericula guerræ. IV.
De Diſciplina & modeſtia Rectorum. V.

CAP. I.

De Juvene cupiente guerram.

QUum ſuper varietatibus Seculi quidam juvenes conferrent, & delectarentur ad invicem, ſurrexit unus & ait:

Ex abundantia cordis mei loquitur os meum; & meditationem intrinſecam in conſpectu veſtro totaliter aperiam & exponam, quod nihil inde aliquatenus ſubtacebo. Ego, inquam, inceſſanter affecto, ut hæc noſtra Civitas eſſet cum quolibet de vicinis proximis in conflictu, ut nos juvenes, qui tamquam feminæ ſtamus jugiter otioſi, ſi propter imminentem neceſſitatem uſu potiremur armorum, ac ſtudiis bellicis inveniremur audacter inſtructi. Et hoc ideo cupio, quia inter virtutes Seculi, quibus homines venerantur, armorum probitas præfulgens cunctas exſuperat, & prævalet univerſis. Ecce illorum, quos fama probos prædicat armis, poſt tranſitum naturalem memoria vivit, nec deperit nomen ipſorum in ſecula, ſicut Poëtarum manifeſtant hiſtoriæ, & Francigenarum commendatorum vulgaris idioma deſcribit in diverſa Volumina diutius diſfuſa per Orbem. Quibus utriuſque ſexus gratulantur corda nobilium & aliorum; qui inde leguntur a Rectoribus, vel recitatoribus auribus intentis, & animo diligenti, & qui alias quomodolibet literati perlegunt per ſe ipſos. Præterea ſi parentes viderent filios eſſe validos vel audaces in prœliis, ſeſe viriliter rebellibus opponentes, nec dantes terga fugæ, ſed facies protendentes terribiles reſiſtentibus & adverſas, tam ipſi, quàm tota progenies lætaretur in cordibus ſuis, ac in propriis domibus inter alios facies ipſos magnâ prærogativâ gauderet. Benedicunt illis, & deprecantur attente, ut benedictionibus repleantur. Commune non ſuum hujuſmodi tales aggregarat Conſiliariis prælectis tam publicis, quàm privatis, & præficit ordinibus officiorum & agminibus pugnatorum. Dat ſibi gratiam apud gentes, & locus in agendis communibus promovendis plus fortè quàm natura talium aſſumere dignaretur. Hæc & alia multa, quæ favorabiliora poſſent induci, ſi vellem protelare ſermonem, perſuadent animo meo concupiſcere, quod ſi quando hæc Civitas noſtra labetur in guerram cum exteris tempore juventutis meæ, contingeret iſtud, ut juvenes haberent materiam exercitandi ſe circa bella, & experiendi vires proprias contra oppoſitos ex adverſo: ut qui virtuoſe pugnarent, gloriam reportarent & laudem: qui verò inaniter & remiſſe, erubeſcerent inter ſuos reputari debiles & ingrati. Animemur ad arma, cariſſimi, quia laudabilius nobis exiſtet in arte bellica noſtrum ſtudium frequentare, quàm inermes dare membra quieti. Marceſcunt enim otio corpora. Audivi namque plurimos dicentes ſæpe, quod uſus cuncta docet, & uſus abeſſe nocet; & Vegetium Philoſophum de re militari tractantem referre, quod in prœliis non tam multitudo & virtus indocta, quàm ars & exercitium ſolent præſtare victoriam.

CAP. II.

De alio non affectante.

REſpondet alius. Si deſiderium tuum juſtis rationibus juvaretur, ſicut levi cupiditate deducitur, non crederem eſſe culpandum. Nemo enim exiſtimare debet, generaliter eſſe prohibitum, & maxime quum neceſſitas exigit, armis bellicis miniſtrare. In iis autem ab antiquo fuerunt non ſolùm viri Seculi, ſed etiam juſti plurimi, pro ut in Scripturis teſtimonium publicum reperitur, parati utique armis ad pugnandum, quoties expedit ſibi vel patriæ quibuslibet eſſe diebus. Cogitari tamen prius debet deliberatione prævia, antequam ad pugnandum armetur, an virum ipſum pugnare neceſſitas decernat, an voluntas. Si neceſitas, hoc non eſt reprehenſibile, quum legem non dicatur habere neceſſitas. Si autem voluntas vel cupiditate vel crudelitate nocendi, ſive feritate bellandi, & libidine dominandi & craſſandi ſuper rebus alienis, hoc juſte culpatur, & plerumque acriter punitur: quia Deus violentias abominatur injuſtas; & redundat aliquando in victorem, qui excidit improbe in oppoſitum.

Non

A Non debemus ergo affectare nos juvenes propter oſtenſionem noſtræ virtutis Civitatem noſtram cum vicinis guerram habere, quia tanta poſſet eorum eſſe de facili multitudo, quod ſibi male, vel nullatenus reſiſteret fortitudo noſtra. Nec ipſi ſunt ita viles armis, & fortitudine corporis deſtituti, quin nos viriliter debellarent, & penderet forſan victoria in eventu. Et licèt armorum probitas nulla conferat apud parentelam & Communitatem & gentes, quas in tuo eloquio per ſingula numeraſti, optarem potius eſſe probus ſcientiâ quàm armis. Eligerem utrumque, ſi divinâ gratiâ ſperarem pariter obtinere. Quæ duo tamen ſine gravi diſpendio Communitatis noſtræ poſſemus conſequi, ſi vellemus. Sed incipiat aliquis a loco

B natura ſcientiæ, ubi frequenter bella geruntur, vel ubi ſcientia manifeſtò docetur. Poterit in utroque, quamvis diverſis temporibus, & cultu diſpari, edoceri: & in altero virtutem corporis, in altero ingenium ſpiritus exercere. Militare inſuper inter nos levi valemus, ſi cupimus, & pugnare jocoſe. Et erit illa talis via nobis doctrina ſufficiens ad bellandum; & ſequemur vicinarum conſuetudinem Civitatum: & reputabitur eſſe communis induſtria noſtris, & ſuis propulſandi repugnantes in prœliis. Inter hujuſmodi autem laudes & prœlia, odioſa non eſt, quod ad uſum addiſcendi, diſcrepantia multa, niſi quod ludi baculis & bella ferro

C geruntur. Illorum, quæ diximus, etſi videantur varios intellectus habere, & aliquantulum diſſentire, unica tamen eſt intentio, & ad eumdem tendunt effectum, videlicet ad utilitatem propriam & communem. Verumtamen communis eſt præferenda privatæ, ſtatus cujus ſi, donec eſſe poterit ſine partis noſtræ ſpeciali culpa præcedente, in tranquilla pace ſervabitur, creſcet fortitudine, ſcientiâ, moribus, & facultatibus in immenſum. Si quando verò aliter contigerit, tunc juventus inſtructa prædictis operabitur vires ſuas, & affectus laboribus virtuoſis. Ille ſiquidem, qui cuncta novit, ſuppleat inſufficientiæ noſtræ defectum, & Terram noſtram ſub ſua protectione gubernet

D & augeat culmine pleni honoris & gratiæ.

CAP. III.

De tertio recuſante.

MIror admiratione non modicâ, & vehementer convincor, quum venerimus ſpatiari, quare tam improvide, quæ ſunt noſtra, dimiſimus, & adhæſimus alienis. Ecce verbis in omnibus nos multi juvenes heic præſentes tracti per devia, ardua, & valde nobis obſcura ducti ſumus ad tabernaculum ſapientiſſimi Salomonis, ubi ſapientes & ætate longa provecti flexi ſedent, & deliberant ſuper con-

E ditionibus Mundi, reminiſcendo de præteritis, de præſentibus diſponendo & de futuris, quantùm eis elargitur divina poteſtas, perſpicaciter proviſuri. Portæ Templi enim non patent juvenibus. Ipſe enim loci Dominus dixit in Proverbiis ſuis: *Viam juventutis ignoro*. Revertamur ad propria. Non eſt pro nobis dies iſta. Noſtrum namque eſt ſecularibus judiciis, non profunditate ſapientum, in qua delectantur prudentiſſimi, delectari. Non proſequamur inconvenientia nobis, nec ingrediamur terminos alienos, ne culpemur exemplo ſimiæ errantis in nemore, quæ quum deberet, ne caperetur, lucum effugere tenebroſum, reſedit in eo, & dum ſe calceamentis ligatoriis calcearet .... ſicut ut talia curæ, & tunc deprehenſa extitit & abducta, ac ſervituti ſubdita venatoris. A ſimili poſſemus ſubtiliter laqueari, ſi penſaremus conſiliorum onera ferre, quamvis aliquando poſt aſſueti & periti .... ſuſtinere. Quinimo quando ſuccumbunt depreſſi ſub pondere, & præcipitant conſilia & opera ſæpe ſua. Abjiciamus ergo cogitationes novas & lætemur delectationibus conſuetis. Habet autem hæc noſtra Reſpublica Rectorem providum, & Officiales miniſtrantes eadem, ac Conſiliarios prælectos, quibus feliciter gubernatur. Ipſi ordinent, dijudicent, & diſponant, quæ cognoverint magis utilia tranquillitati communi: & nos ſtemus parati viriliter & attenti, ut quoties opus extiterit, vires juventutis noſtræ oſtendamus taliter fore fructiferas, quod inde meritò a Communitate noſtra reportare poſſimus gratiam & honorem, & ipſa per exercitia aliorum & noſtra juvamina ſtudioſa ſublimem ſtatum obtineat inter cunctas provinciæ Civitates, & ad loca remotiora fama convolet glorioſa.

CAP. IV.

De quarto monſtrante pericula guerræ.

„ *Sumite materiam veſtris pro viribus aptam.*

JUvenes, & non apromti de peſte bellica firmare tractatum, qui pro culpis hominum ad vindictam ſæpe malorum per orbem velut plaga delabitur. Et tunc venit ira Dei ſuper filios diffidentiæ pariter & nequitiæ. Et ideo ſi quando facula diſcordiæ ex cauſa quacumque ſuccenditur inter gentes, confeſtim meditari debent attenta mente prudentes, & acuitate ingenii perpenſim perſcrutari, ut igniculus ille peſſimus omnino decreſcat & pereat, & repulſis odii ſtimulis concordia dominetur, & vigeat remedio ſaniori. Concordia namque mittit amorem. Pax bonam procreat voluntatem. Iſta exſuperat omnem ſenſum, corda & intelligentias hominum, atque divitias cuſtodit & auget. Iſtud donum tempore Nativitatis Chriſti Deus dedit hominibus, quum dixit: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*; ipſamque reliquit eiſdem, quum aſcendit in cœlum, dicens: *Pacem meam do vobis. Pacem meam relinquo vobis*. Hæc vultu benigno reſpicit ad amantes, & dirigit greſſus ſuos in ſemitis mandatorum ſuorum, & ſub umbra alarum ſuarum protegit ipſos omni jucunditate juvaminis, ac abundantiâ ditat rerum, & ubertate virtutum. Hoc nomen glorioſum tribus figuris deſcribitur. Per primam intelligitur Pater Cœleſtis, qui in terris cuncta præparavit hominibus. Per ſecundam Amor, ideſt Spiritus, qui a Patre deſcendit in Filium. Per tertiam Jeſus Chriſtus, qui mediator exſtitit inter Deum, & homines, reformans genus humanum reparationis gratiâ, quam amiſerant primi parentes per originale delictum. Dicet fortè aliquis veſtrûm. Hic homo vult nos efficere ſuaſionibus ſuis ita pacificos, ut ſi quis dederit in una maxilla, præbeatur ei altera. Fateor, inquam, non eſſe verum; immo ſecundùm diverſitates temporum, & qualitates negotiorum, volo vos fortes & lenes, ut res expoſtulat eſſe. Cupio vos tamen moderatos & lentos ad bella; atque, ſi ullâ inſtigatione contigerit, ut vos trahat neceſſitas, non volun-

luntas, tunc excuſabimini a delicto, quoniam licitum eſt unicuique vi repellere propulſantes, & juſtum movere bellum, ſi ex edicto, vel pro juſtitia moveatur, beato Auguſtino teſtante, qui ait: *Juſta bella diffiniri ſolent, quæ ulciſcuntur injurias*. Sic gens vel Civitas petenda eſt, quæ vel vindicare neglexerit, quod a ſuis improbe factum apparet, vel reddere quod per injurias eſt ablatum. Ex prædictis manifeſte redarguitur indiſcreta voluntas, & jam maxime, quod innumerabilia & immenſa pericula conſuevere ſæpiſſime ex ipſis prœliis provenire, videlicet animarum perditio, ſtrages corporum, incendium, vaſtatio, & deſtitutio honorum, diminutio rerum mobilium, fuga incolarum, incarceratio captorum, & diſpendia, quæ fiunt in vinculis, magni labores, pugnantia ſub fortuna, & timor valde ſuccumbendi, quando cum eminentioribus pares eſſe nequimus, & proverbium ruſticorum reprobat pugnam inter unum ſolum & duos, ac fabula vulgi deridet conflictum ollarum, quarum una eſt lutea, & altera ænea, nam & a quocumque fiat concurſus ad alteram, terrea ſemper eliditur, & ſuccumbit fortitudine durioris. Intellexiſtis ſub compendio prælibationes meritorum pacis & guerræ, & qui fructus ſæpe proveniant, exeantque. Altiora iſtis propinabunt, quum requiſiti fuerint Sapientes, quorum ſapientia eſt ſpecioſa, & glorioſus intellectus eorum. Ipſi utique provide cogitabunt de proſpero ſtatu Reipublicæ noſtræ, & habebunt memoriam præteritorum, ſcientiam præſentium & providentiam futurorum. Viri namque in multis experti cogitabunt multa, ponderabunt ſermones ſuos, & prius in mente depingent illos, & ter limam ſentient, antequam ad linguam deveniant. Viri ſiquidem ſapientes liberant a moleſtiis Urbem, proſapiam ſuam. Etenim melior eſt ſapientia quàm fortitudo, & arma bellica. Juvenes, qui ad hæc experti ſunt pauca, non ſunt ſufficientes ad iſta; quia inexpertus pauca cognoſcit: & ideo tractare vos vel diſponere de prædictis, quaſi inutile putaretur. Illis autem, quibus Dominus altitudinem ſcientiæ miniſtravit, oſtendat ordinare, quæ nobis utiliora perſiſtant cum augmento gloriæ ſanctæ ſuæ.

CAP. V.

De modeſtia & diſciplina Rectorum.

ATtendite Rectores Civitatum & aliorum locorum, quod vos exiſtitis ſignum poſitum ad ſagittam, cui aliquando invidi & inceſſanter oppreſſi jaciunt & fulminant jacula blaſphemiæ. Unde vos oportet armari armaturâ juſtitiæ, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias detractorum. Induite ergo pro thorace juſtitiam, accipite pro galea judicium certum, ſumite ſcutum inexpugnabile æquitatem, & portate baculum in manu dextera non arundineum, ſed ligneum & fortem, ſimilem baculo paſtorali, quem tenet Eccleſia ab . . . . Qui baculus eſt ipſa parte fertilis & acutus, ut ſtimulus, in medio rotundus & rectus, in ſummitate recurvus & purus. Per acuitatem rigor, per rectitudinem vigor, per recurvitatem manſuetudo figuratur. Rigor eſt domini, vigor eſt Populi, manſuetudo conſilii. Inſtantia ſimul congruunt cuique, & eis conjunctim habitis ibunt directe factores regiminis ipſius.

A Rigore dominus feriat delinquentes, vigore Populi conſtringat & terreat reſiſtentes, manſuetudine conſilii examinet diligentiſſime delicta nocentum, antequam dijudicet vel condemnet, & tunc geſtet ſtateram in manu, & in utroque penſo juſtitiam, ideſt rigorem, & miſericordiam; inde manſuetudinem portet. Et ſi per juſtitiam reddiderit peccati ſententiam, per miſericordiam peccati temperet pœnam, ſi umquam facti qualitas poterit moderari, ut juſto libramine quædam pro æquitate corrigat, quædam verò per miſerationem indulgeat. Circa namque ſubditos ſuos ineſſe debet Rectoribus, & inter Conſules miſericordia, & pie ſæviens diſciplina, ut nec multâ B aſperitate exulcerentur ſubditi, nec nimiâ benignitate ſolvantur. Sit pariter in Rectore diſcretio juſtitiæ, quæ feriat. Sit & conſolatio ſummitatis baculi, quæ ſuſtentet. Sit amor, ſed non emolliens. Sit rigor, ſed non exaſperans. Sit zelus, ſed non immoderate ſæviens. Sit pietas ſed non, pluſquam expediat, parcens. Et ſi ſic extiterit juſtus Rector, non adverſabitur ei quidquam mali, ſed dabit ſibi Dominus rectitudinem, & cuſtodiet ſe & Populum ſuum in magna plenitudine gratiarum. Ut iſta poſſitis, dante Domino, digne promereri, Rectores, ſint oculi veſtri ſuper pauperes & egenos, & virtus veſtra defendat ab oppreſſoribus ſuis orfanos, viduas C ac pupillos, quos miſeratio divina, & legum humanarum latores, quod miſerabiles ſunt perſonæ, magnis privilegiis munierunt, & magnificaverunt præſidiis. Sed multoties Legum miniſtri non plene miniſtraverunt eiſdem in adjutoriis præceptivis. Scitote inſuper, quod cuique jus reddenti obſervandum eſt, ut omni petenti benignum ſe præbeat auditorem, ſed contemni non patiatur Nam ex converſatione æquali contemtio naſcitur dignitatis. Sed in cognoſcendo nec excandeſcere adversùs aliquos, nec precibus calamitoſorum illacrymari oportet. Id enim non eſt recti Judicis & conſtantis, cujus animi motum vultus detegit. Si quis autem Judex latronem filiis deprecan- D tibus motus, vel lacrymis uxoris ejus flexus, abſolvendum putat, cujus adhuc latrocinandi ſpiret affectus, nonne innocentes tradet exitio, quia liberat multorum exitia cogitantem? nonne ſiquidem quum uni indulget indigno, ad prolationis contagium provocat univerſos? Scriptum eſt: *Facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi*. Præmonitus fere circa principium hujus Opuſculi repiloget heic & obſervet, quæ ibi leguntur in paragrapho *Poteſtatem judicantem* &c. Vigor Populi, ſi aliqua vice requiritur, aſſiſtat viriliter ſe regenti, & obſtet potentiſſime renitenti Rectori, ut ſuo puro & forti juvamine rigor ſibi ſubjiciat delinquentes, pro ſuis exceſſibus puniendos. Suum E favorem ſibi tribuant ad promovendas magnitudines & ſtatus proſperos Civitatis. Manſuetudo Conſiliariorum ſolicite intendat, & ſedulo ad perſuadendum ſuo Rectori, ut cum multa prudentia & deliberatione perſpicua Populum regat ſibi commiſſum, & nec nimia feſtinatione, nec tarda remoratione perficiat, quæ imminent in regimine peragenda, ſed quæcumque locum ſortiantur & tempus, prout diſcreta requirit conſideratio ſapientis. Si enorme vel deteſtabile crimen occurrerit, tunc feriat rigor Domini, & manſuetudo conſilii compeſcat: ſi verò leve, & quod modice lædit offenſum, gravem diſſuadeat ultionem. Memento tamen,

quod ſi reum morti condemnari proſpexerit, perſuadeat judicanti, ut mortis ſententiam non ferat in aliquem, niſi animadverſionem in facinoroſos ſit adeptus indultam. Et quandocumque multitudo fuerit in cauſa, cogitet ſeveritati parcendum, ne accendatur furor Populi & dilaniet quæcumque ſunt proſpere & gratioſe peracta. Duret manſuetudo ſolicita, frequenter perſuadere Rectori, ut ſtudium ſuum ſitum ſit inter cuncta præcipuum, retinere Terram, quam regit, in pace, qui beati pedes portantes eam, calcantes ſuperbiam ſeditionis iniquæ. Et commendent jugiter Civitatem ſuam Altiſſimo cuſtodiendam deprecationibus ſubjectivis; quia aliter fruſtra vigilat, qui cuſtodit eamdem, quaſcumque ponat excubias. Sitque obediens ſervitor in præceptis ipſius, & omnia ſibi proſpera cedent, atque ſui Regiminis adjutoriis ſuffultus divinis, erit exitus glorioſus. Impono finem dictis meis, *ut non delinquam in lingua mea*. Et ſodali prece depoſco Lectores, ut parcant inſufficientiæ & inſipientiæ meæ. Et ſi non invenerint coloribus rhetoricis coloratum, non ideo detrahant huic Opuſculo meo levibus verbis compoſito pro Laicis rudibus inſtruendis. Lac enim ſimpliciter per potum ſibi propinavi & eſcam, quoniam pocula fortiora, & duriores epulas pro debilitate nimia præſumſiſſent.

Invectiva juſtitiæ contra Rectores gentium.

VOs, inquam, convenio, o ſeculi Poteſtates. Reſpondete mihi, quare inanis gloriæ cupiditate frequenter, etſi non omnes, mandata Legis tranſgredimini ſecularis? quinimmo præcepta conditionis utriuſque juris tam ſeculi quàm divini dicentis? *diligite juſtitiam, qui judicatis terram: & nolite falcem in meſſem mittere alienam*. Nunc dicatis: nonne ſufficiunt vobis Leges, quæ diverſimode puniunt delicta nocentium, & jura municipalia, quibus ſeſe penſato moderamine ſtatuitur Populi cohærentia, ac etiam conſuetudines approbatæ locorum, quibus inſuper incolæ ſe patiuntur adſtringi, niſi quod arbitrio utimini multoties ſtolido, maxime quum vultis ultionem ſumere inconceſſam, dicentes: *Sic volo. Sic pro ratione voluntas?* Non reminiſcimini, quod finito officio adminiſtrationis veſtræ, publico deſtituti regimine, ibidem remanere debetis, ubi geſſiſtis, & illud non privatim in domo vel alibi, ſed publice ante ora omnium, quos rexiſtis, & quinquaginta dierum ſpatio reſpondere ſuper geſtionibus veſtris, & damnari graviter de maleficiis a vobis per illos, quos gravaſtis indebite, quum regebatis eoſdem? Item eſtis immemores juramenti, quod ſecundum Leges & Statuta præſtaſtis in initio dominatus & ſalutis propriæ, cujus nemo debet ſani capitis oblivisci? quo tenemini ſubditos & devotos veſtros paterne tractare atque illæſos undique, quantum poteritis, cuſtodire, & eos quidem, qui innoxii ſunt, undique innoxios conſervare. noxios autem in pœnæ ſupplicium ſecundùm legem & omnem communem punire juſtitiam. Videte quàm *ſtulti & tardi corde ad credendum*, quantùm erratis in officiis veſtris propter ſolummodo ſeculi vanitatem. Abſtinete itaque ab iniquitatibus & operibus pravis, & eſtote contenti præmiſſis finibus vobis datis, ut luceant opera veſtra coram hominibus, & exitus officii habeatur meritò commendandus.

Poteſtas reſpondet.

OPia mater, & lux noſtra: conſtans & perpetua voluntas, jus ſuum cuique tribuens, regni Mundi domina, cuncta ponderans, & diſponens ſingula, prout natura inclyta perſuaſit; cur nos ita acerbe tuos increpaſti Miniſtros? qui ad tua ſequenda veſtigia totis ſemper viribus anhelamus. Tu ipſa jus dicentis officium eſſe latiſſimum ſtatuiſti, & modo quum in immenſum inoleverit iniquitas, acrius ſolito punienda, & novi morbi novis indigeant medicinis, intendis coarctare licentiam corrigendi nocentes, & ampliare carcerandis viam & materiam malis in me debacchandi! Nihil aliud erit iſtud, quàm annullare, & in contemtum apud pravos quoslibet reducere Judicantes: & ſic excreſcet oppreſſio & calamitas impotentium, & orientur iræ, rixæ, diſcordiæ, diſſenſiones, æmulationes, ſeditiones, conſpirationes, & his ſimilia, & ſingulæ reparabuntur cito nocendi quæcumque per nos exſtiterant limitatæ, ſuumque perfidia properans addet opus. Parce, Domina, & perſcrutare perſpicue lapſus humanos; quibus enim ſævierint obviandum, nam facilius prolabuntur in delicta moderni, quàm fecerint vetuſti, qui hactenus tuæ degebant tempore novitatis. Corrupti ſunt mores hominum ultra modum, & abominabiles factæ ſunt ſemitæ impiorum. Si non erit qui reſpondeat ſtultis ſecundùm ſtultitiam ſuam, replebitur terra proverbio proclamantis male qui venit qui parum poterit in hunc modum. Et certe ſatis eſt credibile, quod monſtramus, quoniam poſtquam veniret prædicta judicari, non formidarent ad nefandiſſima proſilire quamplurimi, quos valde majori timore terrent miniſtri utentes arbitrio ſuo, quàm Lex ipſa, qua nos compellis eos, ſi deliquerint, commiſſo nobis regimine caſtigare.

Juſtitia dicit.

TAntus undique clamor ad me pervenit de exceſſibus Poteſtatum in ſubditos, quod illum cum ſilentio pertranſire nequirem niſi vellem nodos diſſolvi machinæ mundialis, quæ tegit ſingulas nationes, nexibus præceptorum civilis ſapientiæ colligatas. Unde vos moneo & exhortor: imitatores mei eſtote, jus ſuum cuique tribuentes, & obſervate rectos tramites, non deviantes per devia, ſicut ſæpe conſueviſtis; ut quum deficit probatio in delictum, confeſtim concurritis ad tormenta, non diſtinguentes, ut jura diſtinguunt, qui & quales & quando & quo procedant indicia, ac quibus ex cauſis cuilibet, an criminalibus torqueri debeant: nec conſiderantes, quanta talibus quæſtionibus ſit fides habenda. Et ita non caute proceditis multis horis. Nam plerique in patientiâ ſui, duritiâ tormentorum, taliter ipſa contemnunt, ut veritas exprimi nequeat ab eiſdem. Alii autem tantâ ſunt, ut potius in quovis mentiri velint, quàm brevi morâ talia ſuſtinere tormenta; & ideo confeſſiones reorum ſic extortæ non habentur a jure pro exploratis facinoribus, niſi poſtea tuti dudum perſeverent in eis. Cavete igitur ab injuſtis judiciis, & exactionibus illicitis; nec per potentiam veſtram opprimatis eos, qui non ſunt veſtræ juriſdictioni ſuppoſiti, & maxime cuſtodes rerum & villicos Jeſu Chriſti, ut quum tempus

tempus reddendæ, prout geſſiſtis, rationis advenerit, non inveniat vos reſtitutioni obnoxios: quoniam *non dimittetur peccatum, niſi reſtituatur*, vel remiſſum fuerit, *ablatum*. Dirigat Dominus greſſus veſtros in ſemitis ſuis, & perducat ad exitum Regiminis gratioſum.

De Conſilio, & Conſiliariis.

INter omnes humanas conditiones, & ſeculi varietates, nihil eſt ſalubrius deliberato conſilio. Ipſum namque animos dubitantium recreat, vota diffidentium reformat in unum, & requiem reparat in quæſtionibus dubitabilibus fatigatis. Tantam ſiquidem utilitatem reddit in gentibus pretioſum conſilium, quod varie diffinitur a multis. Seneca Philoſophus prudentiſſimus ita diffinit: *Conſilium eſt deliberationis auxilium, quod poſtulatur a viris prudentibus vel amicis, in communibus negotiis vel privatis*. Tullius præcellens: *Conſilium eſt aliquid faciendi vel non faciendi, verè excogitata ratio*. Hujus ultimæ diffinitionis ardua eſt meditatio, videlicet *vera excogitata ratio*. Oratorem itaque oportet eſſe intendentem, ingenioſum, & gratioſum. Et ita hæc & alia requiruntur, ut ſit facundus voce, in inventione ingenioſus, honeſtus moribus, in pronuntiatione ornatus, in conſiliis & inter varios negotiorum eventus aſtutus, facundus voce clara, & cum modulatione ſonora. Nec linguâ ſit balbutiens, ſed expeditâ, & habeat aptitudinem in loquendo. In inventione ingenioſus, ut attendat acutius, & circumſpecte diſquirat, ut quod ſecurius & utilius repertum fuerit per ſubtilitates & inventiones aliorum, & ſuam meditationem capiat & exponat. Honeſtus moribus, ut fidem conſervet, ſuadeat pacem, concordiam commendet, diſcordiam evellat de mentibus auditorum, ſi poterit. Geſtus & greſſus habeat moderatos, ut placidius ab auditoribus ſecundetur. In pronuntiatione ornatus, ut ſuavibus fruatur eloquiis. In prolixitate vel brevitate verborum moderatus exiſtat: ſermo enim prolixus generat confuſionem, nimis brevis ob-

A ſcuritatem. Sapientiâ terminet utrumque, pro ut tunc tempus requirit & materia dicendorum. Lingua ſapientum ornat ſcientiam, & quæ procedunt de labiis ſuis, fiunt gratiora provide in conſiliis. Aſtutus ſermonem, quem pariturus eſt, prius in mente depingat, & ter limam ſentiat, antequam ad linguam deveniat. Ad mentem reducat antiqua. Præſentia callidâ ſubtilitate diſponat, juxta temporum qualitates. Futura provideat, quantùm divina gratia permittit: & inter varios negotiorum eventus mature & ponderate deliberet, ne præcipitet conſilia & opera ſua. Nam *impetus & ratio ſunt inimica ſibi*. Inſuper Conſiliarii mementote, quod *omnes homines*, ut ait Salluſtius, B *qui de rebus dubiis conſultant, ab ira, odio, & amicitia vacuos eſſe oportet. Impedit ira animum, ne poſſit cernere verum*. Odium excæcat mentem hominis, & deducit in tenebras ne videat juſtitiam vel æquitatem. Amicitia inebriat ſenſus humanos, nec permittit diſcerni veraciter, quæ profiteri debeant, vel negari. Solius partis, quam diligit, appetit perſuadere juvamen. Nec prætermitto, quod hodie conſuetudo doctrinam antiquorum noſtrorum, a quibus ſenſum habemus, exſuperat & magiſtratum. Salomon enim docuit, & plures alii, habere conſilium cum paucis, & ſpecialiter ex ſenioribus, quia eorum ſapientia eſt ſpecioſa & glorioſus intellectus. Nec de- C bet præteriri narratio ſeniorum; nam juvenes inexperti non multa cognoſcunt. Et hæc Principes ſeculi adhuc obſervant. Ex adverſo Communitates locorum multos vocant & eligunt ad Conſilia Terræ ſuæ, inhærentes fortè regnis illis, quibus quod omnes tangit, ab omnibus comprobari debet, & ubi bonum, ibi emolumentum. Et etiam auctoritas dicit, quod omnipotens Deus aliquando *revelat humili, quod celat potenti*. Et plurimi, præſertim juvenes & divites, gloriantur intereſſe conſiliis privatis patriæ ſuæ, ut videantur præexcellere cum vicinis. Quidquid ſit, tutius & utilius eſt potenti, ut habeat conſilium peritorum .... *Cetera deſiderantur*.

F I N I S.

Verùm progreſſu temporis, ſive quod nimium poteſtatis collatum fuiſſe videretur Prætoribus iis, ſive quod Populus a Nobilibus diſcors Præfectum ſibi peculiarem voluerit (atque hæc frequentior cauſſa fuit) ſive etiam quod interdum non bene collocata crederetur in uno Poteſtate tota pæne auctoritas, & cura civilis ſimul ac militaris regiminis: cœpere Civitates liberæ præter Poteſtatem, alterum habere officium, hoc eſt *Capitaneum Populi*, exterum & ipſum. Eâdem ratione in Romana Republica invaluit Plebis Tribunus, Magiſtratus videlicet ampliſſimæ auctoritatis. Erat ejuſdem *Capitanei* munus militiam regere, & quoties exigebat occaſio, tumultuantes compeſcere, atque in eos animadvertere, prout major minorve ei auctoritas conferebatur. Proinde in

D antiquis Urbium Statutis multa habentur de ejuſmodi *Capitaneis*. Hæc etiam nomina, & munera, multis tamen immutatis, perdurant in Civitatibus, Sereniſſimæ Venetorum Reipublicæ ſubjectis. Sed & præter ejuſmodi *Capitaneos Populi*, quorum munus aut anno integro, aut ſex menſibus durare conſuevit, eligebantur interdum *Capitanei Guerræ*, quibus cura exercitus in bello committebatur, eiſque ſubeſſe conſuêrunt milites exteri, equo aut pedibus merentes. Utroque tamen officio unus plerumque fungebatur. Ego tantummodo proferam exemplum Epiſtolæ, per quam futuro Capitaneo Populi denuntiabatur illius electio. Illud nobilis vir Hubertus Benvoglientus, dum vivebat, hauſit e membranis adſervatis in Noſocomio Senenſi Sanctæ Mariæ Scalenſis.

Epiſtola Populi Senenſis invitantis Fridericum de Burgo ad munus Capitaneatus, ad quod electus fuerat, Anno 1257.

Nobili & egregio viro, Domino Frederigo de Burgo, *Honorabili Militi*, *quem fama laudabilis & honorabilis meritò recommendat*, *Brenciviene Giliotti*, *Buonaguida Chriſtofori*, *Ugo Guicciardi*, *Bartholomæus Azzolini*, *Buonincontrus Grugnoli*, *& Boſcholus Albertini*, Electores Capitanei Populi Senenſis pro Anno futuro, *ſalutem*, *& quidquid in omnibus poſſunt ſervitii & honoris. Ecce quod Nobilitati*, *diſcretioni*, *& ſapientiæ veſtræ per præſentes Literas facimus manifeſtum*, *quod nos ſequentes mandatum & auctoritatem nobis conceſſam & datum a Conſilio Campanæ Populi Senenſis*, *eligendi Capitaneum Populi Senenſis pro Anno futuro*, *ſcilicet a Kalendis Januarii proximis*, *uſque ad Kalendas Januarii alias ſequentes: confiſi de veſtra nobilitate*, *ac fama laudabili*, *& veſtro nomine glorioſo*, *nominavimus vos* pro Capitaneo & in Capitaneum Populi Senenſis *pro tempore memorato*, *pro ſalario dicti temporis mille Librarum denariorum Senenſium minutorum*, *vobis dando & ſolvendo ab Univerſitate Populi Senenſis juſta formam ordinamentorum*, *Conſtitutorum*, *& Conſiliorum Univerſitatis ejuſdem. Ita tamen*, *quod vos primo juretis*, *& promittatis Senas venire*, *& Senis eſſe in feſtivitate omnium Sanctorum proxime ventura*, *& jurare ad Conſtitutum Populi Senenſis clauſum ſine aliqua diminutione vel adjuncto*, *poſtquam Senas fueritis*, *& ſtare*, *& morari ibidem*, *ſecundùm tenorem Conſtituti præfati*, *cum uno Milite ſive Judice*, *quem vobiſcum ducere debeatis pro ſalario memorato*, *& cum tribus equis*, *ſcilicet uno deſtrario*, *uno pallafredo*, *& uno ronzino*, *ad riſchium & mendum Populi Senenſis*, *poſtquam fueritis ibi juſta formam Conſtituti præfati*, *facientes prædicta ad purum & ſanum intellectum noſtrum & Populi Senenſis*, *remoto omni ſophiſmate & malo ingenio. Ad quæ vobiſcum firmanda & facienda*, *Ranerium Zanghinum honorabilem Civem Senenſem*, *& Populi Senenſis fidelem noſtrum Procuratorem mittimus cum mandato ad hoc*, *quod prædicta vobiſcum infra terminum duorum dierum tantùm*, *cum ultra duos dies vobiſcum menamentum de prædictis tenere non poſſit*, *faciet & firmabit. Rogantes actentius Nobilitatem & diſcretionem veſtram*, *quatinus* Capitaniam *dictam* Populi Senenſis, *ad quam digne eſtis electus*, *recipere dignetur veſtra diſcretio*, *ſi de veſtra proceſſerit voluntate. Et ad majorem fidem habendam hoc Inſtrumentum noſtrorum ſigillorum munimine juximus communiri.*

Ego Orlandus quondam Orlandini Notarius, *prædictæ nominationi interfui*, *& ea de mandato mihi facto a prædictis Electoribus Senenſibus in Eccleſia Sancti Peregrini*, *ubi Conſilium Populi congregatur*, *coram Bartalomeo Bellarmati*, *& Guidone Griſſoli*, *& Buonavolta Lucardi*, *Prioribus XXIIII. & Lutteringo Currado Camerario Populi Senenſis*, *& Ranerio Toſcani Notario*, *teſtibus præſentibus*, *ſcripſi*, *& in publicam formam redegi*, *Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Quinquageſimo Septimo*, *Indictione XV. die IV. Nonas Septembris.*

Quod ſi contingebat, ut *Poteſtas*, aut *Capitaneus Populi*, ſive exercitus Imperator, in officio decederet, tunc publico ære, atque decreto ducebatur illius funus, ac ſi Princeps aut Dominus Urbis finem vivendi feciſſet. In Hiſtoria Bononienſi, Florentina, Senenſi &c. multa ejus rei proſtant exempla. Unum ego tantummodo adjiciam, quod mihi ſuppeditavit nuper laudatus Benvoglientus. Anno Chriſti MCCCXC. Sexto Kalendas Julii e vivis exceſſit Vir celeberrimus Johannes Azzonis filius, ex illuſtri Ubaldinorum Familia progenitus, tunc Senenſium Imperator militaris. Veneno ſublatum curâ Florentinorum ſibi ab eo timentium, nonnulli ſuſpicantur. En quantus honor ejus funeri ſit delatus, ut habet Codex MStus. *A dì 26. di Giugno*, *morì in Siena in caſa d'Ugo Giovanni*, *Miſſere Giovanni d'Azzo: e teneſi inſino a Martedì a dì 28. al' ora di mezo dì*, *innanzi che ſi ſoppelliſſe. E ſoppelliſſi in Duomo a lato di San Baſtiano*, *e fecielisi grandiſſimo onore. In primo al ſuo corpo ebe 210. dopieri legati nel caſtello di legname*, *204. di tre Libbre l'uno*, *e acceſi*, *mentre che ſi fecie tutto l'ufficio. Veſtì il Comuno quattro cavalli colla Balzana*, *e colle bandiere coll' arme del Popolo. E anco vi ſi veſtie da 60. huomini a bruno. Fue portato in una bara ad alto*, *coperta d'uno belliſſimo drapo d'oro*, *e ſopra il corpo uno padiglione di drapo d'oro foderato d'armellino. E 'l detto padiglione portava in quatro ſtagiuoli Cavalieri e grandi Cittadini di Siena. E furo veſtiti vinti cavagli a bruno*, *colle bandiere di ſue arme*, *cioè della teſta colle corna*, *ed uno Lione bianco nel campo azurro*, *tutte di ſciamitello: e uno huomo armato a cavallo di tutte ſue armi*, *e barbuta*, *ſpada inuda*, *e ſperoni*, *e altre armadure*, *le quali tutte rimaſero al Duomo. E fue nel caſtello di legname grande quantità di Donne ſcapigliate*, *tutte di Cittadini*, *ehe non ve n'ebe niuna foreſtiera. Anco a la detta ſepoltura furono tutti e Priori di Palazo. E furonvi tutti Frati e Preti delle Regole di Siena*, *e di Chieſe Parochiali; e furo aviſati tra Preti e Frati e Monaci intorno di 600. E ognuno d'eſſi Frati e Preti ebero torchietti di due libbre*, *e d'una libbra; e i Cherici di ſei oncie l'uno. Della qual morte ne dolſe a tutti Cittadini grandi e picholi. E per memoria del detto Corpo ſi fa una figura a la detta Capella ad alto*, *sì che qualunque andarà alla detta Chieſa*, *il Popolo potrà vedere. E attacharavviſi tutte a vintitre bandiere*, *e ſue armi.* Hæc ibi, quæ aliis exemplis confirmari facile poſſent. Atque illud duplex *Poteſtatis & Capitanei* munus originem dedit duplici in aliquot Civitatibus Palatio publico, quorum alterum appellabatur *il Palazzo del Commune*, ubi Prætorum ſedes, alterum *il Palazzo del Popolo*, ubi reſidere Capitaneus conſuevit. Vide Chronicon Piſanum in hoc Opere editum.

Ceterum quum Civitatum liberarum regimen quotidianis mutationibus obnoxium foret, Præſidum quoque, & Magiſtratuum Officia eamdem ſubibant fortunam. Ii enim interdum appellati ſunt *Priores*, ac demum *Confalonerii* a Confanono, ſive Vexillo Populi, quod ipſis tradebatur. Hos primum Anno MCCXCIII. invexere Florentini. Dati ſunt etiam Poteſtatibus delecti quidam ex Republica viri, ſine quo-

quorum conſilio ardua quæque negotia expedire Prætori nefas erat. Hi nuncupati *Conſilii rii*, *Sapientes*, *Antiani*. Præſidem quoque interdum Plebs ſibi deligebat, quem *Abbatem Populi* nuncupabant; immo & plures quandoque fuerunt *Abbates*, atque ad eos deducta eſt interdum præcipua Reipublicæ auctoritas. Potiſſimum Genuæ & Placentiæ Magiſtratus ejuſmodi fuit in uſu. Proficiſcenti Genuam Henrico VII. Auguſto Anno MCCCXI uti memoriæ prodidit Albertinus Muſſatus Lib. quincto, A Cap. primo Hiſtor. Auguſt. *Abbas*, *ſcilicet Plebejus vir*, *more patriæ Populi Præfectus*, *cum Poteſtate ac Primoribus Civitatis*, *Plebeque totâ*, *obviam proceſſit*. Idque etiam luculentius conſtabit ex Literis, Anno MCCCX. conſcriptis a Prætore & Republica Patavina ad Genuenſis Populi Magiſtratus: hunc enim Annum deſignat Prætor, qui tunc Urbem regebat. Eas hauſi e MSto Codice ſupra laudati nobilis viri Comitis Sertorii de Urſatis, Patricii Patavini.

Gratulatio Patavini Poteſtatis atque Reipublicæ Patavinæ, ſacta Genuenſi Populo, ob reſtauratam inter Cives concordiam, Anno 1310.

NObilibus *& Sapientibus viris*, Dominis Jacobo de Landriano de Mediolano, *commendabili* Poteſtati, Franciſco Caravello Abbati, *& duodecim Gubernatoribus* Populi, Communis, & Hominum Januæ, *Conſilio*, *& Communi Civitatis ejuſdem*, *amicis dilectis*, Tholomæus de Curtiſiis de Cremona Poteſtas, Anciani, Conſilium, & Commune Civitatis Paduæ, *ſalutem*, *& optatæ felicitatis continui incrementa*. *Immenſa cordibus noſtris gaudii*, *& univerſo Populo Paduano magnarum exſultationum feſtiva tripudia Literæ veſtræ placibiles attulerunt*: *quas affectuoſe recepimus*, *& earum latorem veſtrum Nuntium vobis nuntiantem jocunda vidimus jocundanter*. *Per quas nobis hæc ſcire avidis*, *clare innotuit id*, *quod jam dudum deſideranter cupivimus*, *& quod omnimoda conſonat votis noſtris*: *Pacem videlicet & concordiam ſalutarem vobis & inter vos*, *& concives veſtros totaliter firmam*, *perpetuamque cœlitus eſſe tranſmiſſam*, *diſcordiarum procul fugatâ caligine*, *omnique turbidine diſſidii civilis expulſa*, *unde tranquillitas veſtri ſtatus poterat perturbari*. *Nos itaque*, *qui pace in nobis fruimur*, *in ea ſeduli vivimus*, *pacemque diligimus*, *omnipotenti Deo*, *Regique pacifico*, *a quo hujus veſtræ deſideratæ pacis donum proceſſiſſe dignoſcitur*, *laudes & gratias referentes*, *amicitiæ quoque veſtræ regratiamus amicabiliter*, *quod veſtris Literis & Nuntio nos promtos ad veſtra beneplacita*, *alacris proſperitatis veſtræ participes*, *& gaudiorum facere voluiſtis*. *Supplicamus inſuper Deo Patri*, *a quo provenit omne datum optimum*, *& omne donum perfectum*, *& a quo deſcendit inſpiratum in vos tam ſalubre conſilium*, *ut miſericordia & pietate ſua Civitates veſtram & noſtram*, *in pacis & unionis tranquillitate florentes*, *& in mutuorum beneficiorum exhibitione paratas in ſtatu proſperitatis pacifico & quieto*, *perpetuò protegat & conſervet*.

Quum verò in maximis anguſtiis majores Civitates verſabantur, tunc in more fuit, *Ducem*, Dictatoris ad inſtar, ſibi conſtituere, idque Venetorum more; in quem transferebatur ſumma poteſtatis, Collegiis tamen, ac Ordinibus Reipublicæ intactis. Id præſertim factum difficillimis Reipublicæ temporibus a B Genuenſibus & Piſanis. Neque ſecus egere Florentini, quamquam a titulo *Ducis* abſtinuerint. Ceterum quibus Magiſtratibus regeretur Reſpublica Florentina Sæculo Chriſti Decimo quarto, dilucide explicavit Gorius Datus, tunc temporis Scriptor, cujus Dialogum, numquam antea editum, in hoc ipſo Opere a me Lector accipiet. Sed quando ex veterum Poteſtatum notitia multum lucis effluere poſſe dixi ad deprehendendam Nobilitatem Italicarum Familiarum, quæ olim ad illuſtre hoc munus adhibitæ fuerunt, evulgare heic ſtatui fragmenta nonnulla *Fulginatis Hiſtoriæ*, complectentia catalogum eorum, qui ab Anno MCXCVIII. C uſque ad MCCCXLI. Fulginatem Præturam geſſere. Hæc autem debeo doctiſs. viro Juſtiniano Pagliarino Fulginati, amico meo, qui eruditionis ſuæ nobile ſpecimen jamdiu dedit in Notis ad Quadriregium Poëma Friderici Frezzii Epiſcopi Fulginatis. Uti ille per literas certiorem me fecit, monumenta hæc olim in unum coacta fuere a *Bonaventura Benevenuti* filio. Accedunt & pauca alia ab Anno MCCCCXXIV. uſque ad MCCCCXL. Solicite quæſivi, an alicubi Scriptor iſte mentionem fecerit ſacræ Ædis Lauretanæ, in Picenum, ut ferunt, divinitus tranſportatæ, nullumque tantæ rei veſtigium inveni, quamquam D Hiſtoricus minutiora perſequatur, acta in eodem Piceno & Umbria. Ceterum Catalogus iſte Prætorum Fulginatium deſcriptus fuit ex pervetuſto Codice chartaceo, antiquis characteribus exarato, qui inter Codices Bibliothecæ publicæ Seminarii Fulginiæ adſervatur. In dorſo Libelli aliâ manu inſcriptio iſta legitur: *Scritto da Bonaventura di Maſtro Benvenuto da Foligno nel* 1300. *ſino al* 1345 Reliqua verò additamenta deſumta fuere ex altero Codice exſiſtente apud Marchionem Juſtinianum Vitelleſchium Patricium Fulginatem, cum hocce titulo: *Memoriale di me Petruccio di Giacomo di Giovanni de gli Unti*. Unctorum E Familia inter Nobiles Fulginates adhuc numeratur. Florebat autem Petruccius ille Anno Chriſti MCCCCXXIV. & quæ identidem accidebant, literis conſignabat. En itaque eadem fragmenta cum prælaudati Pagliarini Notis.

FRAGMENTA
FULGINATIS HISTORIÆ
AB ANNO MCXCVIII. USQUE AD MCCCXLI.

AUCTORE

BONAVENTURA BENEVENUTI

FULGINATE,

CUM NOTIS DOCTISSIMI VIRI

JUSTINIANI PAGLIARINI

FULGINATIS.

FRAGMENTA
FULGINATIS HISTORIÆ.

IN nomine Domini. Amen. Infraſcripti A ſunt *Poteſtates Civitatis Fulginiæ*, qui fuerunt in regimine ipſius temporibus ſubſcriptis.

Anno Domini MCXCVIII. Sanctus Dominicus incepit Ordinem Fratrum in Civitate & partibus Tholoſanis, ubi contra Hæreticos verbo & exemplo prædicabat. Eodem Anno Dominus Flaſcone Poteſtas fuit pro uno Anno.

Anno MCC. Dominus Bernardus de Tuderto pro uno anno. Fuit facta confuſio Spoletanorum & aliorum ſuorum ſequacium caſtrametantium apud Filectum: in qua confuſione de nocte venerunt in auxilium ad ſtipendium B Fulginatum quamplures Nobiles de Marchia.

MCCI. Dominus Raynutius de Lenzo.

MCCII Dominus Jacobus Cuſtodis de . . . .

MCCIII. Dominus Rodulphus Benincaſæ de . . . . . .

MCCIV. Dominus Philippus Rodulphi.

MCCV Dominus Ruſticus Raynaldi.

MCCVI Dominus Jacobus de Ramacza . . . accepit Ordinem Fratrum Minorum . . . . , . . annos converſionis ſuæ.

MCCVII. Dominus Carſedonius de Fulginio.

MCCVIII. Dominus Carſedonius prædictus.

MCCIX. Dominus Odoriſius Leonardi de Fulginio. Dominus Oddo Imperator IV. fuit C a Domno Innocentio Papa III. coronatus Romæ, non electus communiter a Principibus.

MCCX Dominus Marianus Raynutii Getii.

MCCXI Dominus Carſedonius.

MCCXII. Dominus Andreas Leonardi.

MCCXIII. Dominus Raynutius Simonetti de Florentia.

MCCXIV. Dominus Mencius de Plano Fulginii. Fuit deſtructum Caſtrum Trevii per Spoletanos Poſtea factâ ibi pace per eos a Fulginatibus rehabitum, & reparatum fuit.

MCCXV. Dominus Parentius de Roma.

MCCXVI. Dominus Parentius prædictus. Sanctus Dominicus, & Sanctus Franciſcus pro D eorum Regulis Romam iverunt. Et confirmatæ ſunt.

MCCXVII. Dominus Acto Judex de Tuderto.

MCCXVIII. Dominus Acto prædictus.

MCCXIX. Dominus Rodulphus Odoriſii Leonardi. Dominus Fredericus poſtea Imperator II expulit ſupraſcriptum Oddonem de Imperio, quia prius reſtiterat ſibi in Regno Siciliæ, & quia non fuit ab Officialibus Imperii concorditer electus, quia aliqui de Officialibus elegerunt Comitem Philippum, filium Primi Frederici.

MCCXX. Dominus Albricus de Tuderto. E

MCCXXI. Dominus Andreas Parentii. Sanctus Dominicus Inſtitutor Ordinis Prædicatorum & Magiſter, migravit ad Dominum.

MCCXXII Dominus Benincaſa de Viterbio.

MCCXXIII. Dominus Ugolinus Salomonis.

MCCXXIV. Dominus Philippus Rodulphi de Fulgineo.

MCCXXV Dominus Philippus prædictus.

MCCXXVI. Dominus Opezzinus, & Hermannus.

MCCXXVII. Dominus Oddo Petri Gregorii.

MCCXXVIII. Dominus Berlengerius Jacobi.

MCCXXIX. Dominus Andreas Parentii.

MCCXXX. Dominus Nicolaus Cuſtodis.

MCCXXXI. Dominus Raynaldus Melioris.

MCCXXXII. Dominus Thomas Petri Manentis de Trevio. Fuerunt coæquatæ Turres magnæ ad Turrem Stratæ.

MCCXXXIII Dominus Acto Judex de Tuderto. Sanctus Dominicus per Gregorium Papam IX. Reate canonizatur.

MCCXXXIV. Dominus Guillielmus de Foliano.

MCCXXXV. Dominus Matthæus Pectii.

MCCXXXVI. Dominus Andreas Thiberii.

MCCXXXVII. Dominus Bartholus Pauli. Fuerunt debellati Tudertini ab Urbevetanis, & ibi fuerunt capti quadraginta quinque Fulginates de miſſis in ſervitium Tudertinorum fugientium, & dimittentium Fulginates in campo in Contrada Lugnani.

MCCXXXVIII. Dominus Jacobus Palmerii. Fuerunt debellati Urbevetani, & facta vindicta de prædictis in pede Urbis Veteris.

MCCXXXIX. Dominus Thomas Odoriſii. Obſcuratus eſt Sol per totum Orbem de Menſe Junii, die Veneris III. circa Nonam. Et ſtetit obſcurus per horam; & fuit in renovatione Lunæ.

MCCXL. Dominus Rodulphus de Paſignano. Venit Fulginium Imperator Fredericus II. infra octavam Beati Feliciani. (a)

MCCXLI. Dominus Guillielmus Criſpus.

MCCXLII. Dominus Berardus de Leeto.

MCCXLIII. Dominus Amadore de Fano.

MCCXLIV Dominus Ceranus de Florentia.

MCCXLV. Dominus Jacobinus de Rangona de Mutina.

MCCXLVI Dominus Bernardus de Unzola. Facta fuit confuſio die Sabbati penultima Martii ante Dominicam Palmarum.

MCCXLVII. Dominus Amodeus de Caſtello.

MCCXLVIII. Dominus Don Guido de Eugubio. Fuit devaſtatum Nucerium.

MCCXLIX. Dominus Amodeus de Caſtello. Venit exercitus Aczoni.

MCCL. Dominus Rugerius de Piczis. Obiit Imperator Fredericus.

MCCLI Dominus Thomas Petri, & Dominus Paullus de Roma. Fuit factus Papa Alexander IV. natione Campanus.

MCCLII. Dominus Paullus prædictus.

MCCLIII. Johannes Magiſtri, & Bene Raynaldi, & Jacobus Angeli. Stetit exercitus Peruſinorum ſuper Fulginium pridie Idus Septembris, & mutavit curſum fluminis versùs Spellum. Et tunc apparuit aqua in Puteo Plateæ veteris ante Eccleſiam beati Feliciani, uſque ad voltam Putei. Erat plenum aquâ. Et recedente exercitu, & flumine labente versùs Ful-

(a) Ejus feſtum celebratur die XXIV. Januarii.

Fulginium, aqua Putei diſparuit, ita quod nihil aquæ erat in Puteo.

MCCLIV. Dominus Martinus de Reate, & Dominus Bonifacius de Foliano. Fuit facta pax cum Peruſinis de Menſe Augusti.

MCCLV. Dominus Bonifacius de Foliano ſupradictus.

MCCLVI. Dominus Paullus Acerbi de Peruſio. Peruſini fecerunt exercitum contra Eugubinos, cum quibus iverunt Fulginates & alii de Contrada. Et magna fuit caritudo frumenti.

MCCLVIII. Dominus Oddo de Peruſio. Fuit devaſtatum Camerinum ſine guerra & inſultu: & Cives dimiſerunt Civitatem. Et eorum Poteſtas Raynerius Comes ſine Civibus manens, Civitatem igne deſtruxit. Fuerunt debellati Florentini & Lucani a Senenſibus. Et fuit miſchia Domini Neapolionis Domini Brancaleonis.

MCCLX. Dominus Libriactus de Peruſio.

MCCLXI. Dominus Gualfreducius de Peruſio.

MCCLXII. Dominus Raynaldus de filiis Urſi. Fuit cœptum Palatium Communis.

MCCLXIII. Dominus Franciſcus de Perleonibus.

MCCLXIV. Dominus Angelus Centii de Roma. Fuit factum Caſtrum Populæ. De Menſe Septembris in fine Papa Urbanus IV. obiit.

MCCLXV. Dominus Petrus Henrici. Fuit completum Palatium Communis. Et fuit emtum Caſtrum Verelani pro duabus millibus Libris. De Menſe Februarii fuit creatus Papa Clemens IV.

MCCLXVI. Dominus Johannes Boccamacza. Venit Romam Carolus II. Obiit Rex Manfredus.

MCCLXVII. Dominus Vita de Anagnia.

MCCLXVIII. Dominus Angelus Centii. Obiit Corradinus filius Regis Corradi filii Imperatoris Frederici II. Et de Menſe Novembris in fine obiit Papa Clemens IV.

MCCLXIX. Dominus Ægidius Aconi. Fuit factum Caſtrum Collis Floriti.

MCCLXX. Dominus Simeon Boccamacza.

MCCLXXI. Dominus Veſconte Gactus.

MCCLXXII. Dominus Vaynus Palaſtrellus. De Menſe Februarii fuit factus Papa Gregorius X.

MCCLXXIII. Dominus Saracenus de Peruſio.

MCCLXXIV. Dominus Hermannus de Suppolinis.

MCCLXXV. Dominus Henricus ejus filius. Decem Milites facti fuerunt Kalendis Novembris.

MCCLXXVI. Dominus Lucas de Sabello. Fuerunt cavatæ Carbonariæ in Palude. Obiit de Menſe Januarii Papa Gregorius X. & . . . . Kalendas Februarii fuit factus Papa Innocentius V. qui obiit de Menſe Auguſti dicti Anni. Et eodem Menſe fuit factus Papa Johannes XXI.

MCCLXXVII. Dominus Oddo de Peruſio De Menſe Maji in fine obiit Papa Johannes XXI. & de Menſe Novembris fuit factus Papa Nicolaus III.

MCCLXXVIII. Dominus Ægidius de Palombara.

MCCLXXIX. Dominus Nicolaus de Monte Flaſcono pro Domino Urſo. Fuerunt magni terræmotus. Primus magnus terræmotus fuit die Dominico poſt Veſperas ultimâ Menſis Aprilis.

MCCLXXX. Dominus Paullus de Narnia. Fuerunt factæ novæ (b) Carbonariæ circa Civitatem Fulginiæ. Obiit de Menſe Decembris Papa Nicolaus III.

MCCLXXXI. Dominus Tiburtius de Reate, & Dominus Soldus de Piſtorio. Fuerunt facti Pontes ſuper flumen juxta Carbonarias. Et fuit factus exercitus per Dominum Ducam ſuper Spoletum de Menſe Septembris. Circa finem Menſis Februarii fuit factus Papa Martinus IV.

MCCLXXXII. Dominus Johannes de Soldaneriis de Florentia. Venit exercitus Peruſinorum, Spoletanorum, Aſiſinatum, Nucerinorum, & aliorum de Valle Spoleti ſupra Fulgineum die III. Junii, cum magna multitudine equitum & eorum ſequacium & ſtipendiariorum, credentes Civitatem capere. Non potuerunt venire uſque ad Carbonarias, ſedentes per quindecim dies. Nullus Fulginas fuit impeditus. Et exercitus de Nurſia ſine requiſitione miſit pedites in auxilium Civitatis, intrantes plorando, credentes in ea mori. Et læti poſtea exiverunt per Carbonarias cum quibuſdam Fulginatibus contra inimicos. Dicto Anno Dominus Conſolinus de Auximo fuit factus Capitaneus Guerræ. Et ſtetit per annum Anno prædicto.

MCCLXXXIII. Dominus Ofreducius de Fallarone. Venit ſecundus exercitus de Menſe Maji in fine. Et de Menſe Octobris fuerunt debellati ſeptingenti milites ſtipendiarii cum Spellanis in Contrada Paſianæ: & perierunt ibi octoginta ſtipendiarii. Et aliqui capti dixerunt, quod ſtatim quum viderunt Vexillum, in quo erat imago Beati Feliciani, aſportatum ibi per Presbyteros, apparuit eis maxima Carbonaria inter eos & Fulginates; & ſic terga verterunt, credentes in Carbonariam præcipitare.

MCCLXXXIV. Dominus Johannes de Urbe pro Domino Martino IV. Papa. Obiit Rex Carolus I. Rex Siciliæ, circa principium Menſis Januarii.

MCCLXXXV. Dominus Ægidius de Tuderto pro dicto Domino Papa. Venerunt Fulginium Fratres Prædicatores, & cœperunt locum juxta Plateam Sanctæ Mariæ. Deceſſit Peruſii Papa Martinus IV. de Menſe Martii poſt paucos dies De dicto Menſe electus fuit Peruſii Dominus Honorius Papa IV. Romæ coronatus, qui prius vocabatur Dominus Jacobus de Sabello.

MCCLXXXVI Dominus Jacobus Parentii de Roma pro Domino Honorio IV. Papa. Fuerunt facta Molendina rotaria per Commune juxta Pontem Cavallum. Et fuit factum Caſtrum Libræ per Dominum Matthæum de Camerino.

MCCLXXXVII. Dominus Jacobus de Capoczinis. Dominus Dux Provinciæ Ducatus ivit contra Nurſiam. Et dum ſtaret apud Caſtrum Montis Sancti Martini, miſit exercitum ſuum contra Nurſianos, ad aliam partem Comitatus Nurſiæ. Et Nurſini ſcientes venerunt ad dictum Caſtrum Domino ignorante, & Caſtrum devaſtaverunt. De Menſe Aprilis Honorius IV. Papa obiit. M-

(b) Uſque adhuc *Carbonaria* nuncupatur ampla Fovea prope mœnia Civitatis. Vide exempla collecta per Du-Cangium in Gloſſario ad Scriptores mediæ & infimæ Latinitatis, verbo *Carbonaria*, column. 833. Adi etiam, ſi lubet, Diſſertationem XXVI. *de Militia*.

MCCLXXXVIII Dominus Ferrata de Fulginio pro primis duobus Menſibus dicti Anni. A Dominus Conradus Domini Trinciæ pro decem menſibus dicti Anni. Venit exercitus die XXII. Junii. Et Tudertini ſederunt ab alia parte fluminis. Et fuit tam magna plenaria fluminis, quod bladum repoſitum prope flumen arripuit aqua, & devaſtavit Molendina rotaria; ita quod videbatur ibi numquam facta fuiſſe. Fulginates videntes tam magnam plenariam, exiverunt per Portam Contraſtanghæ; & quum veniſſent in campo juxta Sanctam Catherinam veterem, plenaria incœpit minuere, ita quod Pons Sancti Manni erat diſcopertus ab aqua. Et Peruſini venerunt per Pontem in auxilium Tudertinorum. Fulginates B non ultra acceſſerunt. Et in dicto campo fuit mortuus Dominus Jacobus Domini Matri de Tuderto, qui non multum erat potens inter Dominos Tudertinos, quem Dominus Raynaldus Domini Napoleonis fecit honorifice ſepeliri Fulginii.

MCCLXXXIX. Dominus Trincia, Dominus Bos, & Dominus Johannes. Item Dominus Monaldonus de Serrone, Dominus Vivianus, & Dominus Jacobus. Item Dominus Trincia Gualtarellus, & Benincaſa Jacobi. Item Dominus Margantes, Dominus Albertinus, & Dominus Criſcius. Item Dominus Berardus Domini Stelluti. Item Dominus Contenatius: omnes de Fulginio pro ſeptem Menſibus, & pro aliis quinque Menſibus dicti C Anni fuit Dominus Raynaldus de Monte Viridi. Venit exercitus Peruſinorum & Tudertinorum die XVII. Maji, & receſſit die V. Junii. Fuit exercitus Peruſinorum & Camerinenſium ad Caſtrum Collis Floriti, Et in fine dicti Menſis apertâ januâ Caſtri per Caſtellanum, intraverunt & deſtruxerunt. Fuit facta Pax cum Peruſinis de Menſe Auguſti.

MCCXC. Dominus Ermannus Domini Guidonis pro duobus Menſibus. Dominus Johannes Centii de Roma per Dominum Petrum de Columna Cardinalem. Iverunt Crucesignati ultra mare ad Civitatem Aconæ de Menſe Maji. D

MCCXCI. Dominus Fredericus Manzola de Piſis. Fuit capta Civitas Aconæ a Saracenis. Die XX. Julii Commune Fulginii emit Molendina.

MCCXCII. Dominus Gerardus de Buczalinis de Mutina. Die VIII. Martii, Sanctus Johannes de Caſalina venit Fulginium ad veniam (c) Beati Feliciani, & ſtetit Fulginii. Die XIV. Martii in pace requievit, & ſepultus eſt in Cemeterio Veteri. Et de Menſe Aprilis obiit Nicolaus Papa IV.

MCCXCIII. Dominus Gerardus de Mutina ſupradictus.

MCCXCIV. Dominus Fredericus de Marabottinis de Aretio. Fuit electus Cœleſtinus V. E a Cardinalibus in Peruſio de Menſe Julii. Qui Papa de Menſe Decembris apud Neapolim renuntiavit Papatum in manibus Cardinalium. Qui Cardinales elegerunt Papam Bonifacium VIII. qui fuit coronatus Romæ in die Converſionis Sancti Pauli de Menſe Januarii ſequentis.

MCCXCV. Magninus de Sancto Miniate.

MCCXCVI. Bindus Ugolini de Buſchio per ſex menſes. Fuit expulſa Pars Guelfa de Tuderto. Dominus Contes de Bononia pro aliis ſex menſibus. Die XV. Maji deceſſit Dominus Berardus Epiſcopus Fulginii.

MCCXCVII. Dominus Gualardus de Rocca Lucenſis pro ſex menſibus. Stephanus Columna abſtulit unam ſalmam theſauri Domini Bonifacii VIII. Papæ. Et Papa excommunicavit omnes de Columna, & privavit Cardinales de Columna eorum beneficiis. Et ipſi Cardinales, & filii Domini Johannis de Columna paſſi ſunt guerram Papæ. Dominus Jacobus de Aquapendente pro aliis ſex menſibus. Dominus Papa miſit exercitum contra Nepem, & Columnam, & Terras Nobilium de Columna.

MCCXCVIII. Dominus Andreas de Ceſis Judex per Dominum Petrum de Piperno Cardinalem.

MCCXCIX. Dictus Dominus Andreas per Dominum Cardinalem pro ſex menſibus. Criſius Domini Foreſis de Adimaribus de Florentia pro aliis ſex menſibus.

MCCC. Dominus Criſius pro ſex menſibus. Fuit Romæ per totum Annum pleniſſima Indulgentia omnium peccatorum. Et die XXIII. Menſis Maji fuit a Gibellinis captum Eugubium. Et die XXIII. Junii per Ducam Ducatus & Peruſinos rehabitum, & ab eis multis bonis mobilibus privatum. Dicto Anno Dominus Petrus Varani de Roma pro aliis ſex menſibus. Fulginates miſerunt in montanis in ſervitium Spoletanorum certos milites & pedites, & ſolverunt pro ſoldo ipſorum ſeptem millia Librarum denariorum Cortonenſium. Et Spoletani habuerunt pro magno bono. Et hæc obliti fuerunt Anno MCCCV. ut infra patebit dicto Anno.

MCCCI. Dominus Appilzlatera de Cingulo, quia bonus ſtetit, per annum refirmatus fuit in officio.

MCCCII. Dominus Conradus de Pitia pro ſex menſibus. Venit Carolus de Valeſio frater Regis Franciæ, & ivit mandato Domini Papæ contra Dominum Fredericum Regem Siciliæ, & captus ab eo, pacem fecit, inſcio Papa. Johannes de Appreſſatis de Podio Bono pro aliis ſex menſibus.

MCCCIII. Criſius Domini Comitis de Colle Vallis Elſæ. Jacobus de Columna & Dominus Sciarra cum quodam Milite Regis Franciæ intravit Anagniam, ubi erat Papa Bonifacius VIII. & captus Papa ſtetit ibi per tres dies. Et venit Romam, & obiit de Menſe Octobris. Et de dicto Menſe non poſt multos dies fuit electus & coronatus Romæ Papa Benedictus IX. qui Papa obiit Anno ſequenti in Civitate Peruſii.

MCCCIV. Jacobus de Cancellatis de Prato pro ſex menſibus, & Dominus Girallus de Colle Valle pro aliis ſex menſibus. Obiit Peruſii Dominus Benedictus Papa XI. de Menſe Julii,

(c) Anno 1145. Julius Cardinalis titulo Sancti Marcelli Legatus in Italia Eugenii III. Papæ, indicto Concilio Provinciali in Civitate Fulginiæ, ſolemni ritu cum Patribus dicti Concilii conſecravit Eccleſiam Cathedralem Sancti Feliciani, ejuſdem Civitatis Patroni, die X. Martii. Et Indulgentiam unius Anni, & quadraginta Dierum de injunctis pœnitentiis impertitus fuit, ſingulis annis in perpetuum viſitantibus dictam Eccleſiam anniverſario die Conſecrationis. Originale Diploma uſque adhuc aſſervatur in Archivo Capitulari. Et ex eo corrigendus venit Ughellius Italiæ Sacr. Epiſcop. Fulginat. num. 24. qui refert, Conſecrationem Cathedralis ejuſdem factam Anno 1145. Ad hanc Veniam, ſeu Indulgentiam, acceſſit Beatus Johannes de Caſalina, centum quadraginta ſeptem Annis poſt ipſam Conſecrationem.

Julii . Et dicto Menſe obiit Dominus Bartholomæus Epiſcopus Fulginiæ ; & vacavit Epiſcopatus Fulginiæ per quatuor annos .

MCCCV. Dominus Michaël de Sancto Geminiano pro ſex menſibus . Cardinales ſtantes Peruſii elegerunt de Menſe Julii in Papam Dominum Bertrandum Burdegalenſem ; & miſſo ſibi decreto , iverunt ad eum in Vaſconiam in Civitatem Burdegalæ . De Menſe Junii Peruſini & Spoletani ad auxilium Guelſorum fecerunt exercitum contra Tudertinos . Et Fulginates ad petitionem Peruſinorum miſerunt certos milites & pedites. Et euntes in exercitum, ſtatim Spoletani venerunt contra Fulginates , dicentes : *Moriantur Patareni Gibell.ni* . Et Fulginates primo loco ſe conſtrinxerunt dicentes ad invicem : *Viriliter defendamus nos , & non moriamur ſine inimicis* . Et tunc Spoletani ſteterunt ante lanceas Fulginatum, & Peruſini ſtatim poſuerunt Fulginates cum eorum exercitu ab alia parte exercitus . Item die penultima Junii Poteſtas & milites Peruſini venerunt, & hoſpitati fuerunt Fulginiæ . Et die prima Julii de mane intraverunt Plateam veterem . Et multi Fulginates ſequuti ſunt eos . Et Populus elegit in Capitaneum Populi Dominum Nallum Domini Trinciæ, & ceperunt Palatium Populi cum Turre , & ex eo expulerunt Conſules Populi circa Tertiam . Et tunc Conradus Anaſtaſii exivit Civitatem , & ivit Tudertum. Offreducius de Alviano pro aliis ſex menſibus.

MCCCVI. Dominus Philippus de Cocorano pro uno Anno . Fuit exercitus Peruſinorum & ſequacium contra Tudertinos de Menſe Junii . Et ſtetit uſque in diem XVII. Junii . Devaſtavit Caſtrum Collis Pepi. Item dicto Anno fuerunt augmentatæ Fulginiæ menſuræ bladi ad pondus triginta trium unciarum ad menſuram III. gumellis & media ad manus juſtas , videlicet ad manus juſti hominis .

MCCCVII. dictus Dominus Philippus pro ſex menſibus . Dominus Gabriel de Piccolominibus de Senis pro aliis ſex menſibus .

MCCCVIII. Dominus Caitanus de Pilglis de Florentia pro uno Anno . Die prima Junii venit Fulginium Dominus Bartholominus de Piſtorio Epiſcopus Fulginas , & deceſſit Anno Domini MCCCXXVI. die XI. Menſis Julii, ut infra patet dicto Anno .

MCCCIX. Dominus Credulus de Narnia pro ſex menſibus . Obiit de Menſe Maji Neapoli Rex Carolus II. Dominus Guctius de Raynaldinis de Senis pro aliis ſex menſibus . Die Sancti Johannis de Auguſto fuit magna pluvia, quod venit plenaria Topini prope Plateam veterem uſque ad domum Maſſori Mercati .

MCCCX. Franciſcus Domini Zafalgæ de Urbeveteri pro ſex menſibus . Fuit expulſa pars Guelfa de Spoleto die Sanctæ Mariæ de Menſe Martii . Et die ſequenti venerunt milites Gibellini de Spoleto : & intrantes Trevium , expulerunt dictos Guelſos . Die tertiâ ſequenti a militibus de Peruſio & Fulginatibus fuerunt inde expulſi . Et deprædati fuerunt Trebani , & alii Gibellini per Guelſos . Et tenuerunt poſtea Caſtrum . Et de Menſe Junii fuit exercitus Peruſinorum & ſequacium contra Spoletinos , & ſtetit (d) juxta Venas . Dominus Johannes de Sancto Vitali de Parma pro aliis ſex menſibus . Fuit exercitus Peruſinorum contra Tudertinos juxta Pontem Milium . Et milites Tudertini eundo in auxilium

A Pontis , & tenentes Turres pontis , permiſerunt Peruſinos tranſire per Pontem . Tudertini fugam ceperunt , & ibi Dux Ducatus periit , qui erat ibi , eo quod non bene tractabatur in Ducatu , quia erat cum Spellanis . Et Pons cum turribus fuit devaſtatus . Dicto Anno Imperator Henricus venit in Lombardiam, & recepit Coronam Lombardiæ in loco conſueto Comitatus Mediolani . Et quum ſtaret in Civitate Mediolani , quidam Nobiles provinciæ , ordinatâ proditione contra Dominum ; de die inſultaverunt eum ad Palatium . Equitibus Theutonicis & Populo Mediolanenſi occurrentibus fugerunt uſque Brixiam . Et Commune Brixiæ receptans & tenens eos contra Domini

B voluntatem , pluries & pluries requiſiti a Domino , in ſequenti Anno paſſi ſunt exercitum Imperatoris per plures & plures menſes . Et ſe in manus Domini totaliter poſuerunt , multam prius perſequutionem paſſi . Scilicet quod ſtetit ſupra Civitatem , & poſuit exercitum ſuum de Menſe Maji : & de Menſe Octobris mandato Domini deſtructi fuerunt muri Civitatis .

MCCCXI. Dominus Catenarius de Anagnia per Regem Robertum pro ſex menſibus primis . Et quia non venit in termino , rexerunt ut Rectores fere duobus menſibus Dominus Philippus de Puſano, Gentilis Thomæ, & Matthiolus Ermanni . De Menſe Julii quaſi omnes

C vineæ Fulginiæ fuerunt a grandine devaſtatæ ſcilicet die feſti Sancti Jacobi . Dominus Carolus de Montecchio pro aliis ſex menſibus . Peruſini fecerunt exercitum ad Caſtrum de Ulmeda , & deſtruxerunt ipſum .

MCCCXII. Dominus Ugolinus de Amelia pro primis ſex menſibus . Die XXVI. Menſis Februarii Dominus Blaſius ſtans Trevii , eripuit centum Clarillorum ad ſoldum contradæ contra Spoletanos ; iens cum ſuis & Guelfis de Spoleto contra Spoletum , malam ſtrenam prope Spoletum intulit Spoletanis Gibellinis . Item dicto Anno de Menſe Maji Imperator Henricus VI. intravit Romam , & coronatus eſt in Eccleſia Lateranenſi , die Sancti Petri

D de Junio . Item fuit exercitus Peruſinorum , & aliorum de Contrada contra Spoletanos , & ſedit juxta Beroitum . Dominus Pellarius de Sancto Geminiano pro aliis ſex menſibus . De Menſe Septembris venit Dominus Henricus Imperator Tudertum cum mille ducentis militibus Teutonicis . Et cum dictis militibus ivit per Comitatum Peruſii , & ſtetit in eo quatuor diebus . Et deſtruxit Marſianum & alia Caſtra prope ſuam viam . Et pervenit Aretium, & cum dictis militibus poſt paucos dies ivit contra Florentiam . Et poſuit ibi exercitum prope Civitatem , in qua dicunt fuiſſe triginta ſex centenaria equitum . Et cepit Montem Varchi . Et tunc crevit ejus exercitus . Dein-

E de cepit multa Caſtra in Comitatu Florentiæ . Et ſtetit in pluribus campis circa Florentiam per plures & plures menſes . De Menſe Septembris fuit reparata Carbonaria vetus .

MCCCXIII. Munaldus de Caſtro Durante de Romandiola pro primis ſex menſibus . Fuit facta Fulginiæ Cabella , & ſtetit a die prima Aprilis uſque in diem XXII. dicti Menſis; quia non placuit Popularibus , non ultra duravit . Dominus Raynutius Domini Abbrunamontis de Eugubio per ſe, & Dominum Franciſcum ejus fratrem pro aliis ſex menſibus . Die XX. Men-

ſis

(d) Scilicet Fontem Clitumni, vulgo *le Vene di Piſcignano* .

ſis Auguſti fuit expulſa pars Gibellina de Urbe Veteri. Et ibi obiit Bindus de Baſchio & multi milites & pedites utriuſque partis. Item die XXIV. Menſis Auguſti apud Montem Caſſianum de Senis Imperator Henricus VI. obiit, & Milites Theutonici portaverunt ejus corpus Piſas, & ibi modo Imperiali ſepelierunt eum honorifice cum magno fletu Piſanorum.

MCCCXIV. Ugolinus de Alviano pro primis ſex menſibus. Guaſconiæ obiit Papa Clemens V. die XXII. Menſis Aprilis, & notum fuit Fulginiæ die XVII. Menſis Maji. De dicto Menſe reintravit pars Guelfa Spoletum, facta pace cum Gibellinis. Dominus Raynerius Domini Saxi de Eugubio pro aliis ſex menſibus. Durante ſuo officio obiit Eugubii; & ejus loco rexerunt Dominus Odoriſius Domini Mergantis, Sommeus Lotherii, & Martinus Thomæ, uti Rectores Fulginiæ. Et Dominus Juſtinellus de Firmo pro duobus menſibus de ſex ultimis. Die Dominico XX. Menſis Octobris quinque de Principibus Electoribus Imperatoris elegerunt Ludovicum IV.

MCCCXV. Dominus Juſtinellus prædictus pro primis ſex menſibus. De Menſe Julii Dominus Philippus Princeps Taranti filius Regis Caroli II. ivit Florentiam cum maſnada militum contra Piſanos & Lucanos, ut Capitaneus partis Guelfæ totius contradæ. Et ſi obtinebat in bello, erat Rex Tuſciæ, & uſque Aquilejam. Et tunc regebat Florentiam Dominus Petrus ejus frater. Dominus Johannes Domini Brodani de Saxoferrato pro ultimis ſex menſibus pro ſe, & Domino Carolo ejus fratre. Die Veneris XXIX. Menſis Auguſti, dum Piſani & Lucani obſediſſent Montemcatinum cum maſnada Theutonicorum, prædictus Princeps, & Dominus Petrus ejus frater, volentes Lucanos & Piſanos de campo expellere, conflicti ſunt. Ibi periit Dominus Petrus, & filius Principis, & multi Nobiles & Milites cum campo exercitus perierunt.

MCCCXVI. Dominus Johannes de Sancto Geminiano pro primis ſex menſibus. Dominus Thomas de Suppis de Firmo pro ultimis ſex menſibus. Die Dominico XIX. Menſis Septembris fuit Fulginiæ publice in Eccleſia celebratum Officium electionis Domini Johannis Papæ XXII. factæ in Vaſconia die XXI. Menſis Auguſti.

MCCCXVII. Dominus Mannus de Eugubio pro primis ſex menſibus. Dominus Andreas de Marchis de Firmo pro aliis ſex menſibus.

MCCCXVIII. Dominus Bertus de Pellariis de Sancto Geminiano pro primis ſex menſibus. Dominus Amelinus Domini Andreæ de Maſſa pro aliis ſex menſibus.

MCCCXIX. Dominus Fumus de Buſtulis de Aretio pro tribus menſibus. Ugolinus de Alviano pro aliis novem menſibus. Peruſini poſuerunt exercitum contra Aſſiſium de Menſe Octobris. Et die prima Decembris fuit expulſa pars Guelfa de Spoleto. Et de Menſe Januarii Fulginates reinceperunt facere Carbonarias novas circa Civitatem.

MCCCXX. Ugolinus de Alviano pro primis ſex menſibus. Thomas de Suppis de Firmo pro ultimis ſex menſibus. De Menſe Septembris fuit per Peruſinos deſtructum Caſtrum Inſulæ de plano Aſſiſii.

MCCCXXI. Dominus Raynerius de Burgo pro primis ſex menſibus. De Menſe Julii in Vigilia Sancti Jacobi Apoſtoli circa horam Veſperarum fuit magna pluvia cum grandine multa, & devaſtavit vineas multarum Contradarum. Et duravit tempus pluvioſum per menſem, & ultra, ita quod multæ ſegetes in metis remanſerunt ad tritandum in Menſe Septembris. Et Fulginates deſtruxerunt Caſtrum Orzani. Andreas de Montebono de Aretio pro aliis ſex menſibus. In fine Menſis Auguſti Aſſiſinates venerunt ad concordiam Peruſinorum, & poſtea diſcordaverunt. Et tempore ſubſequentis Poteſtatis fecerunt mandatum Peruſinorum de Menſe Martii.

MCCCXXII. Dominus Johannes de Strozzis de Florentia pro primis ſex menſibus. Dominus Guaſta de Radicoſano pro aliis ſex menſibus. De Menſe Septembris Commune Fulginiæ ad Caſtrum Cammori acceſſit. Et quia in montanis noſtris offenderat, funditus eum evellit die VIII. Menſis prædicti. Fuit facta mutatio Monetæ de Cortona in Peruſinam de Menſe Martii.

MCCCXXIII Munuldus de Radicoſano pro primis ſex menſibus. Dominus Franciſcus de Nurſia pro aliis ſex menſibus. Dicto Anno de menſe Julii, die Lunæ XVIII. dicti menſis Sanctus Petrus (e) filius Petri Criſcii de Fulginia obdormivit in Chriſto: & die Martis ſequenti a Clero & Populo Fulginiæ in majori Eccleſia fuit honorifice ſepultus.

MCCCXXIV. Petrus . . . . . de Bulzena pro primis ſex menſibus. Porcellus de Roſſis de Florentia pro ultimis ſex menſibus.

MCCCXXV. Gentilis de Aquila pro primis ſex menſibus. Dominus Nicolaus de Angelo pro ultimis ſex menſibus.

MCCCXXVI. Leonellus de Interamna pro primis ſex menſibus, & pro quatuor aliis menſibus Priores Populi Fulginiæ, & pro duobus aliis ſubſequentibus Guido Poteſtas. Die XI. menſis Julii deceſſit Dominus Bartholomæus Epiſcopus Fulginiæ: & die XXII. dicti menſis fuit communiter electus in Epiſcopum Fulginiæ Dominus Paulus filius olim nobilis viri Nalli Domini Trinciæ.

MCCCXXVII. Guido de Pantaleonibus de Urbe pro primis ſex menſibus. Petrus de Monte Sancto pro aliis ſex menſibus. De menſe Januarii Ludovicus Quartus electus a Principibus in Imperatorem intravit Lombardiam, veniens versùs Romam contra voluntatem Domini Papæ.

MCCCXXVIII. Dominus Nicolaus de Aquila pro primis ſex menſibus: Dominus Johannes de Paparo de Senis pro aliis ſex menſibus. Die Dominico XVII. menſis Januarii Ludovicus IV. Romæ a Populo in Imperatorem coronatus eſt. Et de menſe Decembris ſequentis fuerunt multi terræmotus, ex quibus Nurſini magnum receperunt damnum. Et inceperunt die IV. dicti menſis de mane circa auroram, & duraverunt per menſes.

MCCCXXIX. Dominus Eugenius de Sancto Geminiano pro primis ſex menſibus. Philippus de Fortiguerris de Senis pro aliis ſex menſibus. De menſe Martii fuit incœptus murus Communis in Carbonaria nova juxta Pontem Cavallum. Fuit facta Cabella die XXIV. Aprilis.

MCCCXXX.

(e) Nobilis Fulginas, vir miræ ſanctitatis, inter patrios lares tamen in Eremo vixit, & obiit clarus miraculis. De eo Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, & Jacobillus inter Sanctos Fulginiæ.

MCCCXXX. Tillutius Domini Baldinotti de Volterra pro primis ſex menſibus. Dominus Raynerius de Morotis de Sancto Geminiano pro aliis ſex menſibus. Die XVI. menſis Julii horâ diei prope Veſperas Sol obſcuratus eſt quaſi per medium a latere Septemtrionali. Et ſtetit obſcuratus quaſi per horam. Et fuit hoc in renovatione Lunæ.

MCCCXXXI. Prædictus Dominus Raynerius pro primis ſex menſibus. Dominus Milianus de Eſculo pro aliis ſex menſibus.

MCCCXXXII. Dominus Petrus de Bulzena pro primis ſex menſibus. Nuctillus de Baſchentibus de Urbeveteri pro aliis ſex menſibus.

MCCCXXXIII. Nellus Domini Johannis de Eſculo pro primis ſex menſibus. Putius Johannis de Monteſancto pro aliis ſex menſibus.

MCCCXXXIV. Dominus Ugolinus de Trincis pro tribus menſibus primis. Lallus de Aquila pro ſex ſequentibus menſibus. Putius Petri de Monteſancto pro tribus ultimis menſibus. Die IV. menſis Decembris obiit Papa Johannes XXII., & notum fuit Fulginiæ die XVI. dicti menſis. Et die XX. ejuſdem menſis fuit electus Dominus Benedictus Papa XII.

MCCCXXXV. Putius Petri de Monte Sancto prædictus pro ſex menſibus, Nicola Nutii

A de Sancto Angelo in Pantano pro aliis ſex menſibus.

MCCCXXXVI. Dominus Raynerius Domini Conradi de Matelica pro ſex menſibus. Petrus Petri Comes de Montemarta pro aliis ſex menſibus.

MCCCXXXVII. Dictus Petrus pro primis ſex menſibus. Dominus Porcellus Domini Batimi de Roſſis de Florentia pro aliis ſex menſibus.

MCCCXXXVIII. Nicolaus Domini Guillelmi de Monte Sancti Savini de Senis pro primis ſex menſibus. Guiducius Domini Farolfi de Monte Sancti Savini pro aliis ſex menſibus.

B MCCCXXXIX. Dominus Bartholomæus de Bardis de Florentia pro primis ſex menſibus. Lætus Domini Johannis de Saxo Ferrato pro aliis ſex menſibus. Die VII. Julii fuit renovatio Lunæ in hora XIX. vel circa.

MCCCXL. Dominus Albanus de Friſcobaldis de Florentia pro primis ſex menſibus. Mannus Raccus Domini Miliaducci de Eſculo pro aliis ſex menſibus.

MCCCXLI. Dominus Conradus Nalli de Trinciis de Fulginio pro tribus menſibus. Dominus Mucata Domini Gabrielis de Piccolominibus de Senis pro novem menſibus.

FRAGMENTA

FRAGMENTA
FULGINATIS HISTORIÆ
EX ALIO MSto CODICE DESUMTA,
Ab Anno MCCCCXXIV. uſque ad MCCCCXL.
AUCTORE
PETRUCCIO DE UNCTIS
FULGINATE.

1 4 2 4.

MEmoria, che a dì 6 di Giugno venne la novella, che il Signor Braccio, che ſtava a campo all'Aquila, era ſtato ſconfitto, e morte più di quattrocento perſone da una parte e dall'altra E di lui non ſe ne ſa novella. La gente, che fu contra lui, la mandò Papa Martino Colonna, e il Duca di Milano, che furono ſe' mila perſone, e quelle di Braccio erano tre mila. Ed era ſtato a campo all' Aquila un'anno, e un meſe. A dì 8. di Giugno venne la novella certa, che era morto in Santa Maria di Coldimagro d'una ferita, che gli fu fatta nella ſconfitta, e fu una punta di ſpada entro in canna: e feceglie-la Armaleo Brancaleoni di Foligno, Conteſtabile di dugento fanti.

1 4 3 1.

Memoria, che a dì 12. di Febbraio a 21. ora, e fu il Lunedì di Carnevale, ſi ſcurò il Sole tanto, che pareva notte ſcura. e l'occhio del Sole ſi fece nero come un tizzone. E quel dì voltò la Luna. Di Marzo morì Papa Martino V. di Caſa Colonna.

1 4 3 3.

Memoria, che a dì 21. di Agoſto, e fu di Venerdì tra Nona e Veſpro, l'Imperadore Sigiſmondo della Caſata di Lucemburgo venne da Roma in Foligno, e a Roma era andato di Maggio. E fece Cavalieri a Roma molti. Tra gli altri fece il Magnifico Meſſer Gulino figliuolo del eccelſo Signor Meſſer Corrado delli Trinci. E il ſeguente Sabbato di mattina, dimorante in Foligno fece Cavaliere nella Chieſa di San Feliciano Meſſer Niccolò figliuolo del ſopradetto Signore Meſſer Corrado. Il detto Sabbato a ora di pranzo fece Cavaliere in Sala il ſopra detto magnifico & eccelſo Signore, e donò a lui, e a i due ſuoi figliuoli Cavalieri una Stola bianca per uno. E fece Conte del Palazzo il detto Meſſer Corrado de' Trinci. E fece Conte Gianni di Berardo del Palazzo. La Domenica mattina udì la Meſſa la ſereniſſima Maeſtà dell'Imperadore nella Chieſa di San Franceſco in Foligno. E tornando a caſa del ſopradetto magnifico & eccelſo Signore, paſsò di nanti alla porta di caſa mia con quattro cavalli, ovvero con cinque. Dopo pranzo fece Cavaliere uno del nome ſuo, e Candido da Perugia, benchè il Sab-

A bato ſul Veſpro avea fatti Cavalieri Franceſco di Brancuccio, Onofrio di Gianni di Ser Berardo, Atto Giovanni, Smeduccio di Meſſere Antonio da San Severino, Bonifacio di Madonna Agneſe, Agabito del Bocciarello, Pietro Giovanni di Lapa, Meſſere Onofrio, Meſſere Atto, Meſſer Giovanni Moſcatelli, e Ranaldo di Corrado di Galaſſo.

1 4 3 4.

Memoria, che a dì 12. di Settembre, e fu una Domenica mattina, venne la novella, che un Caſtello di Viſſo, il quale ſi chiama Uſſuta, ſi diede di buona volontà al Signor Meſſer Corrado de Trinci, il qual Caſtello teneva Gentile Pandolfo Signore di Camerino.

B 1 4 3 6.

Memoria, che Madonna Tanza, madre del magnifico Signore Meſſer Corrado ſi partì da Foligno a dì ultimo d'Agoſto, e fu di Venerdì, e giſſene a Roma, perchè non iſtava in grazia del detto magnifico Signore. Iddio vi metta buona pace. A dì 8 di Novembre morì la venerabile donna Madonna Coſtanza, donna che fu del magnifico Signore Ugolino di Meſſer Trince de' Trinci, e fu di Caſa Orſina. Fece di ſpeſa di cera il ſuo figliuolo noſtro Signore Meſſer Corrado Libre mille di cera, e montò a Fiorini otto e tre quarti, e il Centinajo a Fiorini ottanta ſette e mezzo. Dio faccia pace all' anima ſua, & alle altre

C anime paſſate.

1 4 3 8.

Memoria della grandiſſima avverſità, che ebbe la povera Città di Spoleto: la quale fu a dì 12. ovvero a dì 13. di Maggio; che fu meſſa a ſacco e ruba gran parte delle donne, per occaſione che ſi ribellarono al Caſtellano coloro, che erano a quel tempo della Caſata de' Tomacelli da Napoli, de' quali era l'Abate di Monte Caſino. E le genti, che lo miſero a ſacco furono queſte, che appreſſo dirò. Taliano con 1000. cavalli, Franceſco Piccinino con 300. cavalli. E fu il Popolo di Foligno e di Bevagna e di Monteſalco, che ricuperammo Monteſalco a dì ultimo di Marzo,

D e il Popolo di Nocera. E prima che foſſe gito queſta fiata a Spoleto, fu fatto un gran guaſto a Trevi. E la Domenica a mattina fu gito a Spoleto. Il Lunedì a ſera fu aſſaltata la guardia del Monte, che vi ſtava per gli Spoletini un Conteſtabile di cento Fanti, che

ſi

ſi chiamava Scancella, e il luogo dove ſi ſtavano, ſi chiamava San Giuliano. Tutti quei, che ſtavano a quella guardia, fuggirono, come furono aſſaltati da i noſtri. E i noſtri tirarono giù al Caſſaro, che furono qualche cencinquanta fanti, cioè gentame: e li conduſſe Antonello Diſperato, e Antonio Schiavo. E guadagnarono coloro mille dugento Fiorini per uno dal detto Caſtellano. E fatto queſto entrarono pel Caſſaro dentro Spoleto coll' altro sforzo delle genti d'arme. Le altre genti entrarono chi per le porte, e chi per le mura. Erano in ajuto degli Spoletini, cioè dentro nella Città, queſte genti che appreſſo diremo, cioè: Baldovino di Niccolò da Tolentino con 150. cavalli, e lo Sbardellato con 180. fanti, e 30. cavalli. Tutti fuggirono come puttane, che non vi traſſero una ſpada. Chi fuggì per gli atterrani, e chi per le Caſtella; ſalvo che furono preſi degli Spoletini circa 300. Iddio dia loro pazienza e buona volontà. E furono vituperate molte donne. Venne a dì 14. del detto Meſe di Maggio lo Stendardo de' detti Spoletini, che era di zendado vermiglio coll' Arme loro, ch'era un'Uomo armato, veſtito di bianco colla lancia in mano, con un pendoncillo bianco ſulla lancia, e a cavallo in un cavallo liardo. E più ci vennero le catene e ferrami delle Porte della detta Città. Furono riſcoſſi aſſai de' detti Spoletini pel magnifico noſtro Signore Meſſer Corrado de' Trinci, e anche pe' noſtri Cittadini. E tutti furono governati in Foligno per l'amore di Dio a ſpeſe de' Folignati. E la maggior parte dappoichè furono riſcoſſi, ſtettero, ſendo uſciti di Spoleto, per noſtri nemici in quelle Caſtella di Spoleti, & atterrami. E ci venne il martello della Campana maggiore della detta Città rubato, e fu poſto nella Campana maggiore di San Feliciano noſtro. E fu fatta pochi dì innanzi la detta Campana, la quale peſa circa a 8500. Libbre.

1439.

Memoria, come di Gennaio fu bandito nella noſtra Città di Foligno, che non foſſe alcuna perſona, che rifiutaſſe veruna delle noſtre Monete, le quali furono principiate a battere di Dicembre a dì 20. nel 1438. nel tempo che eravamo de' Priori noi, cioè Franceſco della Fede del Terziero di ſopra, *io Petruccio di Giacomo degli Unti del Terziero di mezzo*, e Mattia di Franceſco altramente Mugnetto del Terziero di ſotto; e Mattia di Niccolò di Feliciano fu Priore novello pel Terziero di San Giovanni, e di San Niccolò. E le Monete furono queſte: cioè Fiorini d'oro per bolognini 44., e i bolognini per ſoldi 2. e denari 6. e i piccioli uno a denaro, e belli quattrini. E fu meſſo bando di dieci Fiorini a chi qualunque di queſte Monete rifiutava pel detto prezzo. E il primo Zecchiere fu a battere la detta Moneta Piermatteo di Salvero di Emiliano da Foligno della Compagnia degli Spavagli. A dì 12. di Luglio venne il campo del Patriarca Aleſſandrino a Bevagna: il qual Patriarca ſi chiamava Meſſer Giovanni Vitelleſchi, il quale è nativo di Corgneto, e gli antichi ſuoi furono da Foligno. E venne con queſte genti, che quì di ſotto dirò. E quello, che ne ſeguì, apparirà quì di ſotto. Cioè, Ranaldo Orſino con 500. cavalli, e 150. fanti: il Conte d'Averſa con 300. cavalli, e 100. fanti: Simonetto nipote del detto Patriarca con 100. cavalli, e 200. fanti; e con 200. Spoletini, e con 200. Perugini; e anche Todini, Ternani, Spellani, Aſſiſani, Bettoneſi, Gualdarini, cioè di Gualdo Cattani; e con gli uſciti di Montefalco; e colle Lance ſpezzate del detto Patriarca, che furono circa a 400. cavalli, e con eſſi ben 200. fanti. Pigliarono Bevagna a patti il Giovedì; e il campo vi era gito la Domenica. E il Venerdì venne a noi colle brigate ſopradette, e con più altre, cioè Paolo della Molara con 300. cavalli, e con 100. fanti. E vi furono tutti i Trevani, e del Contado di Spoleto, Camerineſi, e Norſini, e di molti altri luoghi. E con queſti vi fu lo Sbardellato da Narni con 200. fanti, e Tartaglia di Meſſero di Buonſante da Foligno con 150. fanti. A dì 17. di Luglio e fu di Venerdì, il detto Patriarca venne a campo a Foligno con quelle brigate, che aveva menate a Bevagna, o anche con più genti, come ho detto, tanto che furono ſtimati 3000. cavalli, e da 7000. in 8000. fanti tra cerne, o fanti uſati, che vennero infino da Roma in ſu, e da Rieti in quà, e da tutto il territorio di Perugia. Vennero fanti anche da Corneto quà ſu, da Camerino, da Norſia, da Carcia, e da tutte le circoſtanze d'attorno. E fecero molto gran guaſto con mozzare di vigne, tagliare e ardere di molte chiuſe e caſe per tutto il noſtro Contado, ſalvo che a Caſale. E queſto di Caſale fu, perchè gli uomini di Caſale ſtavano a Saſſovivo, e fecero patti preſtamente. Arſero Pale, e Civitella, che erano Caſtella. Vero è che i Trevani comperarono Civitella da Angelo Vitelleſchi nipote del Patriarca per cinquanta ovvero ſeſſanta Fiorini, per arderla eſſi, e l'arſero. Et ebbe il detto Patriarca tutte le noſtre tenute, ſalvo chè Acquafranca, e Montefalco. A dì 23. di Luglio ci tolſero l'acqua della Veſcia, e quella delle Mulina, tanto che nè Carbonara, nè Fonti, nè Mulina menavano acqua. E allora ſcoprimmo il Pozzo a piè di Piazza, e facemmo una forma di fuori del Ponte Nuovo per mettere l'acqua a i Mulini di San Claudio. E cominciò a venir l'acqua, & eſſi ce la ritolſero. E fu fatta una bella ſcaramuccia, tanto che vi fu morto Frate Gaſparo di Ciano di Pilato, e vi fu preſo Lodovico Pelliciaro, & Ermanno di Marino Guercio delli Cipiſchi, e Gregorio del Ciotto delle Poelle. E fu sì fatta e ſtretta ſcaramuccia, che vennero inſino alla Portella nuova, cioè a pie' delle mura di Ponte Nuovo: e furono feriti de' noſtri proprj ſu delle mura co' ſaſſi, perchè i noſtri ſi erano miſchiati co' nimici, che non ſi riconoſcevano gli uni dagli altri. A dì 24. di Luglio fu ordinato di fare l'Arcatura al Ponte di San Giacomo, cioè ſotto il Ponte, e tra il rivellino e la ſtrada che va a Spello. E fu fatta la fineſtra nel muro della Terra, dove riſponde in Santo Antonio, e vi fu fatta la forma dentro in Santo Antonio, e venne per la metà della Piazza di San Giacomo, e uſcì a canto l'Orto de' Frati di detto Luogo, e a piè dell'Orto di Meſſer Franceſco di Brancuccio a canto al Ponte delle pietre, & entrò nella forma de' Mulini, tanto che macinavano ſei macine. Come ſentirono queſto le genti del Patriarca, avviſaronſi di togliere l'acqua: e così fecero, benchè vi buſſarono circa a venti giorni. E fecero tanto, che non ci veniva acqua dall'arcatura, che fecero eſſi in giù. E allora ci mettemmo a fare i Mulini a ſecco. E chi macinava col Macinetto da farrare, o ciaſcheduno

duno ne fece quante ne poteva fare . Con tutto ciò non ci baſtava , che fu fatta la ſtima , che eravamo dentro in Foligno circa quindici mila bocche tra grandi e piccole , maſchi e femmine . In queſto modo ſtammo fino a dì 9. di Settembre , il dì dopo Santa Maria di Loreto , che fu ſanta Maria di Martedì : e noi facemmo i patti il Mercoledì proſſimo .

A dì 9. di Settembre ſuddetto ſi accordò inſieme la maggior parte del Popol noſtro , cioè Meſſer Giacomo da Montefalco Abate di Saſſovivo con quegli uomini delle colte , Meſſer Franceſco di Brancuccio con la Compagnia de i Forti , Meſſere Atto Giovanni , e Giovanni Criſtoforo di Ser Giovanni di Lodovico colla Compagnia di Cento Carri , e con quella di Santa Maria , e con quella della Fiera , e Maſtro Giovanni di Scimiolo da Roviglieto Medico di Foligno , e molti altri Cittadini e Contadini . E ſi erano adunati inſieme al Ponte di Santa Maria , benchè più dì innanzi aveſſero trattata queſta coſa ſegretamente tutti coſtoro , e inſieme con loro Gregorio d'Ambroſino di Ser Cagno della Compagnia della Badia , e Meſſer Piergiovanni di Cagnioro di Pietro di Maſtro Armanno , e Franceſco della Fede , e Gaſpare di Mariano di Varcannante , col detto Patriarca . E la notte dopo Santa Maria di Loreto , Meſſere Atto Giovanni diede fuori un giovane fornaio della Compagnia della Spada , il quale ſi chiama Mazzetta , e mandollo al Patriarca , che ſtava di perſona ſua a Santa Maria Maggiore , le Lance ſpezzate a i Marchiſelli , Simonetto con molti fanti e cavalli , e anche cerne alla Porta di San Giacomo , cioè a Raccanati , e al Foſſato Ranaro verſo la Porta della Badia Paolo della Molara co' ſuoi cavalli e fanti , e col Popolo di Spoleto , e co' Ternani . L'altro cername , e l'altra fanteria ſtavano chi col Patriarca , e chi colle Lance ſpezzate a i Marchiſelli co' ſopradetti Cittadini : e furono i figliuoli di Ser Pietro di Bice , cioè Meſſer Niccolò e Meſſer Guidone : Più dì innanzi erano fatti aſſai cenni dentro in Foligno al campo , e non ſi ſapeva bene chi li faceſſe . E ultimamente s'accordarono inſieme Meſſer Franceſco di Brancuccio , e Meſſer l'Abate di Saſſovivo , e Meſſer Piergiovanni di Pietro di Maſtro Ermanno della Compagnia della Croce , e Meſſere Atto Giovanni della Piazza della Canape , e Giancriſtoforo di Ser Giovanni di Lodovico , e Meſſer Niccolò , e Meſſer Guidone figliuoli di Pietro di Bice della Compagnia degli Spavagli , e Meſſer Giovanni di Scimiolo Medico da Roviglieto abitante in Foligno della Compagnia della Contraſtanga . E vi fu Niccolò e Franceſco di Boccaccio da San Racchio , abitante in Foligno , e Gaſpare di Ciano dello Ricciuto . E tutti coſtoro ſollevarono una gran parte del Popolo di Foligno . E il Martedì a ſera ſegretamente tutti ſi trovarono chi alle poſte loro a canto le mura , e chi alle caſe de' ſopradetti , ciaſcheduno con quelle armi , che aveva potuto avere . E nella mezza notte ſi moſſe Meſſere Atto Giovanni con ben 200. uomini , con targoni , rotelle , lance , e baleſtre . E girono a caſa di Meſſer Franceſco . Ivi ſi adunarono tutti que' della Poſta , tanto che furono ben 400. E partironſi di lì Meſſer Franceſco e Meſſere Atto Giovanni , e gironſi a caſa di Meſſer Piergiovanni ſopradetto , & eſſo non volle ſeguirli , dicendo , che aveva male in una gamba , e che non poteva armare . E queſto fu per vedere , come andavano le coſe . Partita che fu queſta brigata , egli mandò Marinangelo di Villanuccio con due Compagnie in Piazza del Comune , che vi era Giacomo di Ser Benedetto da Gualdo con ben 400. tutti armati da capo a' piedi , e con targoni , e baleſtre aſſai . E mandarono coloro a dirgli , che volevano che egli faceſſe sì che foſſe con loro il detto Meſſer Piergiovanni . Sentendo queſto Meſſer Franceſco e Meſſere Atto Giovanni , che ſtavano alla Porta di Santa Maria , pigliarono partito tutti queſti altri capi ſopradetti di mettere dentro 200. fanti foreſtieri . Seguitiamo quì quello , che ſeguì del campo , che ci poſe il magnifico & eccelſo Padre e Signore , Meſſer Giovanni Vitelleſchi (f) , degniſſimo Patriarca Aleſſandrino , e Cardinale di Firenze , e Legato laterale della Santa Chieſa , che , benchè ſia nativo di Corneto , gli antenati ſuoi furono da Foligno : e così ſi appella egli . Come Meſſer Piergiovanni tardò alla promeſſa , e ſecondo che ſi diceva dell' ambaſciata , che egli aveva mandata in piazza a coloro , che ſtavano per Meſſer Corrado , che era Signore , ovvero Scorticatore che dirò meglio , per riſpoſta il detto Meſſer Piergiovanni ebbe , che doveſſe gire in piazza da loro . In queſto mezzo que' della Porta di Santa Maria fecero l'avviſo , e pigliarono partito di metter dentro 00. fanti di que' del campo (g) , e così fecero .

1440.

Memoria , come a dì 26 di Marzo , e fu di Sabbato , venne la buoniſſima novella , che Meſſer Giovanni Vitelleſchi da Corneto , Patriarca Aleſſandrino , fu preſo dal Caſtellano di Caſtello Santo Angelo in Roma , e furongli fatte cinque ferite , perchè volle fare diſeſa . L'occaſione , perchè fu preſo , fu a petizione di Papa Eugenio IV. noſtro ſantiſſimo Signore , per occaſione che il detto Patriarca s'era accordato con le genti del Duca di Milano , cioè col Magnifico Capitano Niccolò Piccinino , che veniſſe ſopra Firenze , come dopo certi dì fece . La novella ſopradetta venne quì in Foligno a dì 27. di Marzo di Domenica nell'ora del Veſpro .

(f) De genere ac familia Cardinalis Vitelleſchi Fulginatis , qui quum Nobiles de Trinciis Fulginio expulſi fuerunt , recognovit genus ſuum ac familiam , quæ tunc florebat in eadem Civitate , & adhuc uſque nobiliter florere pergit , conſule Obſervationes Hiſtoricas ad Quadriregium pag. 219. in fine , Dorium Hiſtor. Familiæ Trinciorum Lib. 4 pag. 225. Pellinum Hiſtor. Peruſin. part. 2. Lib 2. pag. 435. qui teſtatur , quod Scriptores Peruſini in Manuſcriptis *affermano , che gli antichi e anteceſſori del Patriarca , eſſendo ſtati originarj Cittadini di Foligno , erano ſtati ottant'anni addietro uccisi e ſcacciati da i Trinci : e che però egli ricordevole delle paſſate ingiurie aveſſe diliberato di fare ogni opera d'averli nelle mani , e di tor loro il dominio di quella Città .*

(g) Exitus obſidionis Fulginatis Urbis , atque diſperſionis Familiæ Trinciorum legitur apud Dorium Lib. 4. pag. 231. & ſeqq. Hiſtor. Trinciorum .

DE AMPLIFICATA
CIVITATUM
ITALICARUM
DOMINATIONE AC POTENTIA.

DISSERTATIO
QUADRAGESIMASEPTIMA.

DISSERTATIO QUADRAGESIMASEPTIMA.

VIx ſe ſe in Libertatem, conſentientibus, aut conniventibus Auguſtis, ut ſupra diſſerui, vindicaverunt Italicæ Urbes, quum ſingulas e veſtigio amplificandæ potentiæ, ac dilatandæ dominationis cupido inceſſit. Innatus enim hic ardor non Principum tantummodo ac Regum animos, ſed & Rerum publicarum Rectores quotidie ſtimulat ac urit; eumque tum ſolùm conquieſcere, atque in nullos erumpere conatus animadvertas, quum nullius lucri ſpes, aut metus malegerendæ rei ab invadendis vexandiſve finitimis abſterret. Itaque prima cura fuit circumſpicere, ſeduloque rimari, quouſque olim Diſtrictus, ſive Comitatus fines protenderentur. Sub Romanis, Langobardis, & Francis Principibus unicuique Civitati ſuum erat territorium, in quod jurisdictionem Præſes, ſive Judex, ſive Comes Civitatis exercebat. *Comitatum* & *Diſtrictum* poſteriora Sæcula appellavere, ſtatique erant limites, quibus unius Urbis ager ab alterius Urbis agro dirimebatur. Equidem decernere in præſentia non auſim, num ſub Imperatoribus Francis Comitatus cœpti ſint diſcerpi. Certe ſub eorum Succeſſoribus, ac potiſſimum ſub Germanicis, invecta eſt, aut amplius in dies conſuetudo invaluit, ut non ſolùm prædia (quod apud ipſos Romanos in uſu fuit) in Beneficium privatis perſonis concederentur, ſed & Villæ, Caſtella, & Oppida; eaque demum ex indulgentia Regum ſive Auguſtorum, erepta jurisdictioni Comitum, atque ab eorum poteſtate immunia, matricem ſuam Civitatem revereri, ejuſque Præſidibus ac Magiſtratibus obſequi deſinebant. Hinc autem emerſere *Comites pagenſes*, ſive *rurales*, quum nempe Pagus quiſquam, ab urbano territorio præciſus, alicui beneficiario jure tribuebatur, addito etiam titulo *Comitis*. quo pateret, Pago illi, ſive Caſtello, ſuum peculiarem eſſe Præſidem, Comiti ſive Præſidi Urbis nequaquam ſubjectum. Fuere & alia hujuſmodi complura, ſive Allodia, ſive Feuda, ab urbano agro avulſa, Comitatus tamen titulo carentia; quippe ſenſim potentes ac divites certabant, ut quamdam autocratiæ ſpeciem conſequerentur, & ab unis Regibus ſive Auguſtis pendentes, ſe auctoritati urbanorum Magiſtratuum omnino eriperent. Atque hinc paullatim imminutus diſtrictus *Civitatum*, ſive decurtata poteſtas & jurisdictio *Comitum*, hoc eſt Præſidum Cæſareorum, quibus antea integer Urbium ager ſuberat. Immo eò uſque alicubi antiqui Comitatus laceratio crevit, ut fere ad nonnullarum Urbium pomœria ſe hujuſmodi Regulorum ditio extenderet, & ad pauca circum circa paſſuum millia Civitatum earum Præſes jus diceret. Ad hæc fuit in more hiſce pagenſibus Comitibus, ſive Nobilibus, Caſtra, Arces, ſive Rochas, & Caſtella ſibi extruere in agris, Vicis, Curtibus, Podiis, aliiſque ejuſmodi locis jurisdictioni urbani Comitis ſubtractis; ac proinde ipſis *Caſtellanorum* nomen adhæſit, eo etiam titulo, quod plerique Urbibus dimiſſis perpetuo in iiſdem Caſtellis habitare conſueverunt. *Catanei* quoque, hoc eſt *Capitanei* breviato verbo, appellabantur. Auctor Anonymus Chronici Mediolanenſis MSti, cujus partem publici juris feci in Tomo XVI. Rer. Italicarum, ſcribit in parte inedita Cap. 138. diſſipatum fuiſſe a Landulpho Archiepiſcopo Mediolanenſi circiter Annum Chriſti DCCCCLXXVI. patrimonium Eccleſiæ Mediolanenſis, effuſis in Cives Caſtellis, Decimis, & aliis ditionibus ac redditibus: *Quæ per nefandam Inveſtituram roboravit, fidelitatis juramenta ab ipſis recipiens. Et iſti dicti ſunt Capitanei, ideſt Plebium, vel Hoſpitalium, vel Oppidorum Capita, qui nunc corrupto vocabulo dicti ſunt Catanei. Et tunc iſti omnes Capitanei, derelictá Civitate, Terras & nobilitates ſuas inhabitantes, numquam de cetero bene fuerunt Civitatis habitatores: unde ſe Cives non reputabant, & Communitati non obediebant. Sic Civitas fuit quamplurimum debilitata.*

Erat hæc rerum facies, quum ſe ſe in Libertatem ac ſtatum Reipublicæ erexerunt permultæ ex Italicis Urbibus. Porro Civibus hujuſmodi liberis, ſuamque rem jam peragentibus, intolerandum plane videbatur, tam arctis finibus circumſcribi agrum olim ampliſſimum, ad præſidium & decus Urbium conſtitutum, immo iis annonæ cauſſâ neceſſarium. Urebat propterea Cives iſta adeo amplificata Nobilium Caſtellanorum potentia, cui, ut opinor, tribuebant, quod attritum jam fuiſſet Civitatum robur, & incolæ deinceps rariores in Urbibus numerarentur, & ſenſim in rura & Caſtella immigraret honor & ditio per tot Sæcula Civitatibus attributa ac debita. Quid plura? concitatis animis Cives aut oblatam quamcumque occaſionem arripere, aut minime oblatam quæritare cœperunt, qua finitimis Proceribus munimenta quæque eriperent, ſuæque dominationi jure, vel injuria adjungerent. Præceſſerunt aliquæ Urbes exemplo, ſubſequutæ ſunt & aliæ, prout vires ſuppetebant, & virium experiendarum opportunitas ſuaſit. Neque fortaſſis a veritate longe abibo, ſi dixero, Mediolanenſes, qui ceteris Lombardis tum Civium numero, tum opum copiâ præſtabant, non ſolùm primos in Libertatem ſe ſe vindicaſſe, ſed etiam recuperandi priſtini territorii exemplum reliquis Urbibus præbuiſſe. Erant circum Urbem *Comites Seprii*, *Marthefanæ*, *Burgariæ*, aliique non pauci Caſtellorum aut Pagorum domini. Cunctos aut evertit, aut ſibi vectigales effecit, aut in clientelam recepit Mediolanenſium potentia, armis miniſque adhibitis, ſive etiam æquis conditionibus propoſitis. Vide Gualvaneum Flammam in Manipulo Florum, cujus verba expendi in Diſſertatione Vigeſimaprima *de Italiæ Statu*, ac multa attuli ad dignoſcendos alios veterum Sæculorum Comitatus; quippe fuerunt vel ſub ipſis Francis in Italia regnantibus regiones inter Urbes præcipuas intermediæ, quæ Comitatus honore fruebantur; ibique præpoſitus ab Auguſtis aut Regibus peculiaris Præſes, hoc eſt Comes, juſtitiam cunctis

ctis miniſtrabat. Si fides Ricordano Malaſpinæ, & Johanni Villanio, jam tum Anno Chriſti MX. Florentini Fæſulanam Urbem æmulam ſuam per proditionem ingreſſi, ſolo æquarunt, & Civibus inde abactis communes Florentinæ Urbis lares ac honores fecerunt. Quei tamen ejuſmodi bella Tuſcorum, quæ ad Urbes jam Libertate donatas ſpectare videntur, componi poſſint cum politico per ea tempora Tuſciæ ſtatu, aliis perpendendum relinquo. Conſtat enim, poſt Hugonis quoque potentiſſimi Ducis ac Marchionis mortem, alios Duces ac Marchiones, ac præcipue *Bonifacium* Mathildis celeberrimæ Comitiſſæ patrem, ipſamque Comitiſſam, univerſæ Tuſciæ diu poſtea imperaſſe. Atque hanc eamdem difficultatem ſenſit, ſibique oppoſuit Scipio Admiratus Libro I. Hiſtor. Florentin. Sed an is ipſam ſuſtulerit, ſatiſve ſaltem emollierit, aliorum judicium eſto. Illud quidem conſtat, Anno MXXVIII. in literis Jacobi Fæſulani Epiſcopi apud Ughellium *Civitatem Fæſulanam* commemorari, atque in Diplomate Conradi I. Auguſti Anno MXXVII. apud eumdem Ughellium Tomo III. Ital. Sacr. *Comitatum Florentinum* diſtinctum a *Fæſulano* adhuc fuiſſe. Tradunt autem iidem Scriptores, Florentinos Anno MCXXV. in arcem Fæſulanam ſuperſtitem, ſibique adhuc parere negantem, arma convertiſſe, eamque ad deditionem coëgiſſe. Id tunc revera factum, mihi nullo negotio perſuaſum eſt. Tum Anno MCXXXV. idem Populus ægre ferens, quod Caſtrum Montis Boni, ubi Bondelmontium nobilis Familia dominabatur, non longe ab Urbe ſitum, & ab ipſius Urbis ditione ſejunctum, quædam vectigalia a mercatoribus illac prætergredientibus exigeret, obſidione inſtitutâ expugnatum dejecit, & agrum ſuæ jurisdictioni ſubjecit. Anno quoque MCXXXVIII. uti ſcribit Admiratus junior in additamentis ad Hiſtor. Florentinam, iidem Florentini (incertum aſperis-ne an blandis verbis) Ugerium Comitem ad pacta fœderis ferienda adegerunt, quibus ad utilitatem Reipublicæ Florentinæ pignori obligavit tria Caſtella, nempe Collis Novi, Sillani, & Tremali. Sed præcipue circiter Annum MCLXXXII. Florentinorum inter ſe concordium manus fuere contra finitimos quoſque. Montem Groſſulum expugnarunt; Empolenſem Populum cenſum polliceri in poſterum coëgerunt: Caſtellum Pognæ obſidione fregerunt: Comitibus Mangonis, Certaldenſibus, Figlinenſibus, Semifontenſibus, Cataneis, ſive Capitaneis Cambiatenſibus, aliiſque non paucis, quos commemorare nihil in præſentia attinet, jugum ſervitutis, aut cenſum, aliaque onera impoſuere. En ut ſenſim alas Florentia extendere cœpit.

Neque ſegniorem eo ipſo Sæculo ſe præſtitit Reſpublica Genuenſis. Anno MCXXX. uti Caffarus Lib. I. Annalium Genuenſ. Tomo VI. Rer. Italicarum tradit, *Januenſes ad Sanctum Romulum tenderunt, & turrim ibi ædificarunt, & homines illius loci, ac de Bajardo, & de Poipano, & Communitatem Vintimilienſem Januam adduxerunt, quoniam Januenſibus reſiſtebant, & fidelitatem Sancto Syro, & Populo Januenſi in perpetuum jurare fecerunt*. Tum Anno MCXXXIII. *Caſtra Lavanienſium deſtruxerunt, & cum illis ita pacem fecerunt, quod Lavanienſes in mercede Conſulum ſe poſuerunt, & omni tempore in præcepta eorum ſtare juraverunt*. Anno quoque MCXL. *Vigintimilien-*

A *ſem Civitatem, & Caſtra totius Comitatus præliando ceperunt, & fidelitatem omnibus hominibus Civitatis & Comitatus in perpetuum jurare fecerunt*. Patientiâ legentium abuterer, ſi plura congerere vellem ex Genuenſis Reipublicæ Hiſtoria. Hoc unum meminiſſe juvabit, Comites, Marchiones, Caſtellanos, & Populos Genuenſibus conterminos, unum poſt alterum ſubiiſſe tamdem potentiſſimæ Urbis imperium: Populos, inquam; nam præter Nobiles Oppidis aut Caſtellis dominantes, fuerunt etiam, uti in præcedenti Diſſertatione memini, Pagi & Caſtella non pauca, quorum incolæ Libertatem ſive ab Auguſtis, ſive a Marchionibus, pretio precibuſve impetrarunt, aut in B perturbatione temporum animoſe arripuerunt; neque ſecus ac Urbes liberæ Magiſtratus ſuos eligebant, reique publicæ commodis fruebantur. Verùm ubi conſtitutum fuit Civitatibus Libertate fruentibus protendere fines ſuos, tunc infirmiores a potentioribus legem accipere coacti ſunt, aut ſponte etiam ad eos honeſtis conditionibus acceſſere. Sigonio teſte, Anno MCXXIII. *Rodiliani, Sanguinetani, & Capriliani, vicini Bononienſium Populi, proſperâ eorum fortunâ permoti, Civitatis Conſules adierunt, atque ædificiis quibuſdam Eccleſiæ & Communi Bononienſi donatis, ut in clientelam reciperentur, orarunt, iſque primus ad potentiam parandam ejus Civitatis gradus eſt factus*. C Deditionis hujus Chartam ſupereſſe adhuc, auctor eſt Ghirardaccius. Iſtorum deinde exemplum ſequuti ſunt & alii. Quod vero audis de una Urbe, a reliquis etiam aut tentatum, aut peractum, ſine ulla dubitatione putato: quum unaquæque ad augendam præcipue potentiam, ceterarum mores ac artes æmularetur. Ita partim vi, partim ſolertiâ ſingulæ Civitates longe lateque fines ſuos paullatim protenderunt, & juriſdictionem cum territorio amplificarunt, ita ut pauci jam eſſent e finitimis, ſive Capitanei, & Caſtellani, ſive Populi liberi, qui non earum nutibus obſequerentur. Atque hinc jam habes, cur Otto Friſingenſis circiter Annum D MCLVI. Lib. 2. Cap. 13. de Reb. Geſt. Friderici I. hæc de Italicis Urbibus ſcripſerit: *Ex quo fit, ut totâ illâ terrâ inter Civitates ferme diviſâ, ſingulæ ad commanendum ſecum Diœceſanos compulerint, vixque aliquis Nobilis, vel Vir magnus tam magno ambitu inveniri queat, qui Civitatis ſuæ non ſequatur imperium*. Paria Guntherus tradit in Ligurino. Infra addit Friſingenſis: *Guillelmus Marchio de Monteferrato, Vir nobilis, & magnus, & qui pæne ſolus ex Italiæ Baronibus Civitatum effugere potuit imperium*. Uti verò in Antiquitatibus Eſtenſibus Par. I. Cap. 41. animadverti, Patavinus Populus Anno MCCXIII. adversùs Aldevrandinum Marchionem Eſtenſem inſurrexit, E atque adeo acriter Caſtrum Eſtenſe obſidione & bellicis machinis preſſit, ut *Marchio tamquam devictus ad voluntatem Communis Paduæ venire, & ſicut Civis Communi Paduæ in omnibus obedire* fuerit coactus. Rem literis conſignatam habemus a Rolandino Lib. I. Cap. 12. a Mauriſio, atque a Monacho Patavino Libro I. Chronici. Rhodigium, aliaque Oppida tunc Ateſtinis Principibus ſubjecta ejuſmodi procellam minime ſenſere. Ipſum quoque Oppidum Eſtenſe Marchiones uni tantummodo Auguſtorum ditioni obnoxium poſſidebant. Sed Patavini ad abſorbendum vicinos intenti, conquiſitis cauſſis illud bellum ſuſcepere: quod tamen

men improbatum eſt ab Innocentio III. Papa, atque a Friderico II. Imperatore, uti in eiſdem Antiquitatibus Eſtenſibus luculenter oſtendi.

Sed quando Aldevrandinus Eſtenſis Marchio Patavinis pro Eſtenſi Caſtro *ſicut Civis* parere coactus eſt, monet me locus, ut prodam, quid olim foret ritus *Cittadinantiæ* (ita enim appellabant) aut ultro, aut propter adhibitam vim, a Nobilibus ſuſceptæ. Nimirum, ut ſupra innui, conſuevere temporibus iis plerique Potentes ac Nobiles viri Caſtella ſua inhabitare, utpote qui Principatus jura ibi exercerent, & in Regno licèt exiguo ſuo, tamen majorem caperent voluptatem, quàm in Urbibus, plurium conſilio & auctoritati ſubjectis. Eam ob cauſſam quum non paucæ e præſtantioribus Familiis perpetuo a Civitatibus abeſſent, atque aliò tranſtuliſſent ſplendorem, quem quævis Civitas ſibi debitum putabat, nihil ſtudii Cives prætermiſere, ut id Nobilium genus aut amore, aut vi ad incolendas Urbes allicerent, pertraherentve. Nonnullos ergo armis adhibitis non ſolùm ſua Caſtella ſubdere juriſdictioni urbanorum Magiſtratuum coëgere, ſed etiam ad habendam in Urbibus domum, ibique per aliquot anni menſes habitandum, reliquorum Civium more, ita ut Reipublicæ onera ſubirent, publicorumque honorum, ac fortunarum participes forent. Neque defuere, qui ſponte ſe alicui Urbi ſocios ac Cives ſe addidere; eo enim pacto plura ſibi emolumenta, & præſertim Urbis illius patrocinium atque præſidium ſibi, ſuiſque rebus, & Caſtellis comparabant. Proinde diverſis conditionibus & pactis iniri *Cittadinantia* conſuevit: quam in rem exerere nonnulla exempla nunc juvat. Et multa quidem mihi obtulit Archivum Communitatis Mutinæ, e quibus hæc pauca delibavi.

Capitanei Baiſii conſtituunt ſe Cives Mutinæ, & ejus defenſores futuros contra omnes homines, excepto Duce Guelphone. Et viciſſim Mutinenſes conſtituunt ſe illorum defenſores. Anno 1156.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno ejuſdem MCLVI. duodecima die intrante menſe Martii, Indictione IIII. Breve recordationis, qualiter Capitanei de Baiſio jurant unuſquiſque pro ſe ſalvare & adjuvare omnes homines Mutine, & eorum bona, ubicumque potuerint ſine fraude. Et omnes jurant eſſe Cives Mutine, & defendere Civitatem infra confines ab omni homine, ſalvis ſacramentis illorum, qui juraverunt DUCI GUELFONI, & ſalvis ſacramentis illorum, qui juraverunt Reginenſibus, contra quos non debent adjuvare Mutinenſes, ſi fuerint extra confines Mutine. Ceteri vero, pro ut ſupra dictum eſt, jurant contra omnes homines adjuvare Mutinenſes, ſicut ſupra dictum eſt, & omnes jurant, ſalvis eorum Dominis, quos habent, vel quos ſine fraude adquirere debent. Et jurant habitare Civitatem Mutinenſem unum in tempore pacis, & duos menſes in tempore guerre, niſi remanſerit per parabolam vel verbo Rectoris, vel Rectorum Mutine. Et jurant adjuvare de guerra uſque ad finem ſine fraude. Et jurant facere cartulam proprietatis de Podio Coſtregnani Communo Mutine, & in Feudum a Communo accipere. Et jurant facere dare boatiam omnibus eorum hominibus, quos habent in Mutinenſe Epiſcopatu, nuncio Rectoris vel Rectorum Mutine, ſecundùm voluntatem Rectoris vel Rectorum Civitatis, VI. denariorum Lucenſium de unoquoque pari boum, exceptis antiquis Caſtellanis Conſtregnani, qui cotidie erant habitaturi in predicto Caſtro, poſtquam reedificatum erit, & eorum ſervis & Gaſtaldionibus ſine fraude. Inſuper jurant ſalvare perſonas & eorum bona hominibus Mutine in Caſtro Conſtregnani contra omnes homines; & dare Rectori vel Rectoribus Mutine ad offendendum omnibus inimicis Mutine, ſive ſecundùm eorum voluntatem, ſalva Fidelitate Imperatoris in predicto Caſtro, tam ex parte Bajeſanorum, quàm ex parte Mutinenſium. Et omnes jurant jurare unoquoque anno ſequi Rectorem vel Rectores Mutine, ſi ab eis requixitum fuerit, ſequere & facere jurare hominibus eorum omnibus, quos habent in Mutinenſe Epiſcopatu in unoquoque anno deinceps, ſi requixitum fuerit ſequere Rectorem vel Rectores Mutine. Et ſi pro iſto negocio in aliquo tempore guerra Mutinenſibus apparuerit, jurant Baëſani facere eam uſque ad finem ſine fraude. Guilielmus verò de Baixio exceptat Bononiam, ſi fuerit extra confines Mutine. Jurant homines Mutine ſalvare & adjuvare perſonas Baëſanorum & eorum bona, ubicumque potuerint, ſine fraude, ſalvis eorum Dominis, quos habent, vel ſine fraude acquirere debent. Et ſi Baëſani fecerint quermoniam de Gomolenſibus de proprietate vel de Feudo, & ipſi noluerint facere juſtitiam, vel bonum uſum, vel convenientiam partibus ambabus placitando coram Rectore vel Rectoribus Mutine, jurant facere eis guerram, & adjuvare de guerra uſque ad finem, donec erunt quieti de predicta querimonia. Et adjuvare debent facere Caſtrum Coſtregnani, ſi requixitum fuerit, & dare eis in Feudum. Et in unoquoque anno debent jurare Rector vel Rectores Mutine hoc Bajeſanis firmum tenere, donec de guerra quieti erunt, niſi pro eis ſteterit, & adjuvare defendere Caſtrum Coſtregnani ab omni homine. Et ſi pro iſto negocio eis guerram in aliquo tempore apparuerit, Mutinenſes debent eam facere uſque ad finem. Inſuper ſi Rector vel Rectores Mutine cum concordia Rectorum Fregnanenſium & Baëſanorum aliquid addere vel diminuere de Brevibus iſtis voluerint, habeant licentiam faciendi ſine fraude. Unde duo Brevia uno tenore ſcripta ſunt.

Ego Gandulphus Sacri Palatii Notarius ſcripſi.

Memorata heic vides juramenta a nonnullis præſtita *Duci Guelfoni*, quæ intacta ipſi volunt. Nobiliſſimum hunc Principem conſtat fuiſſe *Welphonem*, ſive *Guelphonem* IV. ex inclyta Brunsvicenſium Ducum ſobole, quæ nunc magnæ Britanniæ ſceptrum tenet, unamque originem ſortita eſt cum Marchionum Eſten-

Eſtenſium, ſive Mutinenſium Ducum Familia. Ejus res geſtas proſequutus ſum ego Par. I. Antiquit. Eſtenſ. præcipue Cap. 30 Is autem Anno MCLII. a Friderico I. Auguſto, hoc eſt a ſororis filio, conſtitutus eſt *Dux Spoleti*, *Marchio Tuſciæ*, *Princeps Sardiniæ*, *&* *Dominus Domus Comitiſſæ Mathildis*: quo poſtremo titulo, quum in Italiam veniſſet, a Baiſienſibus quibuſdam, nunc Regienſi Co- A mitatui attributis, jusjurandum fidelitatis recepit. Illius *Ducis* mentio infra recurret. Accedant interea aliæ Chartæ, quibus nonnulli ex filiis *Manfredi*, de quorum Familia in Diſſertatione Quadrageſimaſecunda *de Cognominum Origine* factus eſt ſermo, ſe in albo Civium Mutinenſium conſcribendos curarunt.

Jusjurandum nonnullorum ex Filiis Manfredi, qui ſe conſtituunt Cives Mutinæ, Anno 1188.

In Chriſti nomine. Anno a Nativitate ejuſdem MCLXXXVIII. Indictione VI. die Dominico, VI. Kalendas Julii. „ *Ego juro eſſe Civis Mutine in perpetuum, & habitare Civitatem ſex menſibus per pacem, & uſque ad finem tempore guerre: & defendere Civitatem Mutine contra omnes homines, & contra omnem Civitatem; & Epiſcopatum & Diſtrictum Mutine defendere ſimiliter contra omnes homines*, ſalva Fidelitate Domini Imperatoris & Regis Henrici. *Et quod ſingulis annis jurabo ſequi Rectores Mutine, infra quindecim dies poſtquam a me requiſitum fuerit nuncio vel literis. Et quod nulli Civitatum ſacramentum faciam contra Civitatem & Diſtrictum Mutine, & a quo Civitatem Mutine non excipiam. Et domum in Civitate Mutine habere. Et de hoc ſacramento nullus poſſit mihi dare parabolam, excepto ſolummodo de habitantia & domo habenda; de quo Rectores, qui pro tempore fuerint in* B *concordia Conſilii ad campanam ſonatam, poſſint mihi dare parabolam, & hoc tantummodo tempore ſui regiminis; & de domo habenda, & habitantia facienda non tenear, quouſque Patrem habebo, niſi a Rectoribus, qui pro tempore erunt, mihi preceptum fuerit vel literis vel nuncio eorum.* „ *Hoc juramentum, qualiter ſuperius legitur, juraverunt Ildeprandinus filius Manfredini Pici, Girardinus filius Manfredini Fante, Ildeprandinus filius Domini Ugonis de Curtiole, & Azolini Guideti, in plena Concione Mutine, Domino Carnelvario, Alberto Peldeguerre, Domino Radaldo, & Janello Giberti Conſulibus exiſtentibus & preſentibus.*

C *Ego Johannes Sacri Palatii Notarius interfui & ſcripſi.*

Antea verò idem juramentum præſtiterant alii ex eadem Familia, ut e ſubſequentibus Chartis patebit in vetuſtiſſimo Regeſto Communitatis Mutinæ ſcriptis.

Filii Manfredi Pius, Paſſapontus, & alii ſe Cives Mutinæ futuros jurant, Anno 1178.

„ *Ego juro eſſe Civis Mutine ſemper & habitator annis ſingulis, ſex menſes tempore pacis, & uſque ad finem tempore guere, niſi parabola Conſulum de habitantia data in communi Conſilio majori ſonata per campanam remanſerint; nec mihi parabolam de habitantia dare poſſint, niſi ſolummodo tempore ſui Conſulatus. Et defendere Civitatem infra confines contra omnes homines, & habere domum in Urbe Mutine uſque ad Calendas Januarii, niſi parabola Conſulum ſub obſervatione predicti jurisju-* D *randi remanſerint.* „ *Et iſtud ſacramentum fecerunt fil i Manfredi, videlicet Pius, Paſſapontus, Manfredinus, Infans, Albertus de Borzano, Manfredinus de Pizo, & Guidetus. MCLXXVIII. Kalendis Julii, Indictione XII. Domino Martello, & Squarza, & Guizardo, & Teberiho, & Poltonirio, exiſtentibus Conſulibus: teſtibus Criſpo, Ugo de Gorzano, Girollus, Lucius, Girxonus.*

Ego Gerardus Sacri Palatii Notarius interfui & ſcripſi.

Sacramentum Cittadinantiæ Domini Guidocti de Filiis Manfredi, Anno 1180.

In Chriſti nomine. Anno a Nativitate ejuſdem MCLXXX. Undecimo Calendas Auguſti, in preſentia Domini Rolandi de Bajamontis, Domini Alberti Piliguere, & Domini Oderici, Conſules ſub Domino Girardo Rangono Mutine Poteſtate, Domini Guidonis de Papia Advocati, & Armanini Pegolocti, Domini Squarcie, & Alberti Ribaldi Maſſarii, & Sullimani, Alberti Aigi, Albertus, Albericus, Johannis Zaccagni, Domini Albrici de Cantone, & aliorum quamplurium, Dominus Guidoctus filiorum Manfredi juravit habitare Civi- E *tatem Mutine ſex menſes ſingulos, ſi non remaneret parabola Conſulum vel Poteſtatis in pleno Conſilio ad campanam ſonatam.*

Actum Mutine feliciter.

Ego Bernardus ſacri Palatii & invictiſſimi Imperatoris Federici Notarius, rogatus ſcribere ſcripſi.

Sed & ex iiſdem Manfredi filiis nonnulli antea Civitati Regii ſe ſe adjunxerant. Chartam vidi in Regeſto ejuſdem Urbis, eamque Lectori exhibeo.

Manfredus

Manfredus & Robertus ex filiis Manfredi conſtituunt ſe Cives Regii, & ejus Civitatis defenſores, Anno 1169.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Milleſimo Centeſimo Sexageſimo Nono, de Menſe Junii, Indictione II. in preſentia Domini Regini Epiſcopi Albriconis, & Reginorum Conſulum, Prepoſiti de Seſſo, Eleazari, Guizoli, Ubaldi, & aliorum, Alberti Roberti, Ugonis Siſſi, Normani, Pariſii Cambiatoris Vicarii, Guidonis Ubaldi, Muti Granderi. Manfredus Pizonis, & Robertus filiorum Manfredi juraverunt eſſe Cives & Habitatores Reginæ Civitatis duobus menſibus per annum in pace, niſi remanſerit parabola Conſulum Reginorum pro tempore exiſtentium omnium, vel majoris partis, aut unius; & per Guerram quatuor menſibus. Et de guerra uſque ad finem adjuvare & defendere Civitatem Regii & ſuburbia contra omnem hominem & ipſius Epiſcopatum contra omnes alias Civitates: & ſalvare perſonas & avere Civium Regii ubicumque poterunt bona fide ſine aliqua fraude. Et jurabunt ſequi Conſules Reginos pro tempore exiſtentes infra quindecim dies, poſtquam appellati fuerint per eos vel per illorum Miſſum; & quod facient hoſtem & iter Reginis, ubi Commune fecerit, ſine fraude ad ſuum diſpendium & perditam. Et quod omnes homines de Epiſcopatu Regii, qui ſunt de ſuo Diſtrictu, faciant jurare ſalvare perſonas & avere Civium Reginorum, & facere eis hoſtem, ubi Commune Regii fecerit, ſine fraude. Et dederunt atque conceſſerunt Communi Regii de hominibus, quos in montaneis in ſuo Diſtrictu habebant vel habuerint, & de cetero, ut omni anno habeant, firmaverunt, & facere dare in perpetuum promiſerunt ſex Lucenſes pro fumante, qui parium boum habuerit, & qui unum habuerit, tres Lucenſes, exceptis Militibus, & aſſidue in Caſtris habitantibus, Maſnaldis, & Gaſtaldionibus. De illis de plano duodecim Mediolanenſes pro pario boum, exceptis Maſnaldis, & Gaſtaldionibus. Et hoc totum bona fide ſine omni fraude imperpetuum obſervare tactis ſacroſanctis Euangeliis juraverunt.

Ego Bonus-ſenior Sacri Palatii Notarius interfui & ſcripſi.

Denique accedat & Charta Gerardi de Carpeneta in Civem Mutinenſem cooptati, quam mihi ſuppeditavit prælaudatum Regeſtum noſtræ Civitatis.

Pacta, per quæ Gerardus de Carpeneta Nobilis Capitaneus conſtituit ſe Civem & defenſorem Mutinæ contra omnes homines, excipiendo Guelphonem Ducem, Anno 1173

IN Chriſti nomine. Anno a Nativitate ejuſdem MCLXXIII. Indictione VI. undecimo Kalendas Aprilis die Jovis. Gerardus de Carpeneta juravit, quod ab illo die in antea ſtabit ſingulis annis Mutine per duos menſes per pacem, & per tres menſes per guerram. De duobus vero menſibus per pacem poſſint ei Conſules Mutine dare parabolam de uno tempore ſui Conſulatus; de alio verò non poſſint ei parabolam dare, niſi palam in Concione in concordia Conſilii. Et ſi aliqua alia Civitas ſtaret in Epiſcopatu Mutine per malum facere, vel per Caſtrum facere, ipſe Gerardus ſemper ſtabit & habitabit Mutine, donec illa Civitas ſtabit in Epiſcopatu Mutine. Et ſalvabit & guardabit omnes homines Mutine de Civitate Mutine, & omnes homines de Epiſcopatu Mutine, quos Mutinenſes voluerint, in perſona & avere in omnibus ſuis terris, & in omnibus ſuis aquis & alibi, ubicumque poterit. Et faciet jurare omnes ſuos homines ad voluntatem Conſulatus Mutine, qui habitant in ſuis terris, ubicumque habitent, ſalvare & guardare omnes homines de Civitate Mutine & Epiſcopatu, quos Mutinenſes voluerint, in perſona & in avere in tota ſua terra, & in tota ſua aqua & alibi, ubicumque poterit. Et ſi Mutinenſes dederint ei aliquid, non vendet illud, nec impignorabit, nec infeudabit, nec aliquo modo alienabit, niſi fecerit parabolam Mutinenſium Conſulum vel Poteſtatis, qui fuerint per tempora, datam in Concione palam in concordia Conſilii Mutine. Et pro amore & fiducia, quam vult habere contra homines de Mutina, de ſua propria Camera dabit quinquaginta Libras Imperialium in terra uſque ad annos quinque, circa Mutinam inter Situlam & Scultennam, vel tam de ſuperius a Mutina, vel tam de inferius, ſine fraude, vel alibi, ubi fuerit Mutinenſium Conſulum & Conſilii concordia. Et hæc omnia prædicta obſervabit, excepto contra Imperatorem, & DUCEM WELFUS, & Epiſcopum Veronenſem, & Epiſcopum Ferrarienſem, & Parmam. Et faciet ſuos homines facere oſtem & iter Mutinenſibus ad voluntatem Poteſtatis & Conſulum Mutine, perditâ & diſpendio Mutine. Et ipſe in ſua perſona faciet oſtem & iter Mutine ad ſuum diſpendium & ſuam perditam, ſicut alius Civis Mutine. Et adjuvabit per ſe, & per ſuos homines, Mutinenſes homines, & oſtem eis faciet contra omnes homines, & contra omnem Civitatem ad voluntatem Poteſtatis & Conſulum Mutinenſium, excepto contra Imperatorem & DUCEM WELFUS, & Epiſcopum Veronenſem, & Epiſcopum Ferrarienſem, & Parmam. Et non ſtudebit per ſe nec per alium, quam Imperator nec alia perſona extrahat illum de iſto ſacramento, quod non ſit diſtrictus in omnibus, que ſupra dicta ſunt. Et nullus de Conſulibus Mutine, vel Poteſtas poſſit eum abſolvere ab hoc ſacramento, nec parabolam dare, niſi tamdiu quamdiu in Mutinenſi Conſulatu ſteterit. Et hec omnia ab hinc in antea obſervabit in perpetuum. Et in Curiis omnibus & Parlamentis Communi Mutine bene ibit, & bonam fidem habebit; nec illud aliquo

modo ibi conſervabit. Si Deus illum adjuvet ad ſancta Dei Euangelia. Hoc autem jusjurandum factum eſt Mutinæ juſta Eccleſiam Sancti Geminiani in plena Contione ab ipſo Girardo in propria perſona, tactis ſacroſanctis Euangeliis. Preſentibus ibi Mutinenſibus Conſulibus, Johanne de Bonifacio, Alberto Peldeguerra, Guidocto de Rolando, Uberto de Gajo; & in teſtimonio Maladobati de Parma, Gerardi Unzole, & Gerardi de Canoſa, Bernardi Malvecii, Alberti de Godo, Manfredi Pizi, Alberti Manzini, Guidonis Judicis, & Bellonis, & Gandulfi, & Arloti, Rainerii de Buccabadata, Alberti Tonſi, Gulielmi Acti, Allamani.

Ego Martinus Domini Frederici Imperatoris Notarius, his omnibus interfui, & juſſu predictorum Conſulum ſcripſi.

Jamque ex hiſce monumentis didicimus, qualibus conditionibus & pactis nobiles olim Capitanei in Cives Urbium adſciſcerentur. Varia tamen erant pacta, per quæ potentes Nobiles, antea pendentes ab uno Rege Italiæ, ſive Imperatore, ſua ſubdebant Caſtella Civitatibus liberis. Alii ſubditos ſuos ad onera aut tributa ſuſtinenda adigebant, aut ad opem tantummodo tempore belli conferendam, nullo propterea homagio præſtito, neque juriſdictione imminutâ. Anno MCCCVIII. uti ſcripſit Johannes Villanius Lib. 8. Cap. 100. Hiſtor. *i Signori Ubaldini s'accordarono co' Fiorentini, e vennero a Firenze a fare riverenza alle comandamenta del Comune, e ſodarono la Cittadinanza di tenere il paſſaggio dell' Alpi ſicuro per buoni malevadori. E 'l Comune di Firenze perdonò loro, e dimiſe ogni misfatto; e accettogli per Cittadini, e diſtrettuali loro Fedeli, e Terre, che in ogni atto e biſogno doveſſero fare le fattioni del Comune, come Diſtrittuali e Contadini.* Ubaldini antea Vaſſi tantum Imperiales, finitimi Florentinorum erant. Ita alii aliis conditionibus *Cittadinantiam* jurabant, uti conſtabit ex diverſarum regionum exemplis. Quanta præteritis Sæculis fuerit nobilitas Familiæ *de Camino*, quæ Tarviſio quoque dominata eſt, ut omittam Tarviſinæ Hiſtoriæ Auctores, ſat Rolandinus vetuſtiſſimus Scriptor in Chronico Patavino Lib. 2. Cap. 2. Tomo VIII. Rerum Italicar. expreſſit, recenſens eam inter quatuor ceterarum nobiliſſimas ac ſplendidiſſimas in Marchia Tarviſina. Nobiles ergo viri Caminenſes, Wecello ſive Guecello, & Gabriel illius filius, incertum num coacti armis, & impellente iniqua temporum fortuna, an potius permoti blanditiis & potentiâ Tarviſinæ Urbis, ſibi honori ac utilitati duxerunt, ſi eâ Civitate donarentur: idque honeſtis aliquot conditionibus impetrarunt. Acta hujus rei in tribus membranis ſcripta feliciter oblivioni eripuit, & adhuc ſervat Archivum Eſtenſe, unde ea deſcripſi.

Juramenta & Pacta Guecellonis de Camino & Gabrielis ejus filii, per quæ conſtituunt ſe Cives Tarviſii, Anno 1183.

Hoc eſt ſacramentum & pactum, quod Dominus Wecello *& Gabriel ejus filius de Camino fecerunt hominibus & Communi Tarviſii: quod pactum & ſacramentum filii predicti Gabrielis, quando erunt ad eſtimum, niſi fuerint Clerici, debent facere.*

„ *Nos* Wecello *& Gabriel ejus Filius facimus & conſtituimus nos Cives & Habitatores Civitatis Tarviſinæ hoc modo: quod nos* Wecello *& Gabriel ejus filius juramus habitare in Civitate Tarviſii omni anno in pace per duos menſes, & per* werram *tres menſes, niſi remanſerit parabolâ omnium Conſulum, vel majoris partis, & cum Conſilio Sapientum, vel niſi remanſerit parabolâ Poteſtatis, ſi fuerit cum Conſilio Sapientum; ita tamen de habitatione, quod ſi unus noſtrûm habitationem fecerit, alter non teneatur habitare. Et juramus nos* Wecello *& Gabriel filius ejus facere rationem & juſtitiam pro Conſulibus Tarviſii, vel Poteſtati, ſi fuerit. Et juramus ſimiliter aperire omnia Caſtra in pace &* werra *hominibus Tarviſii pro faciendis* werris *ſuis inimicis*, ſalva ſecuritate Epiſcopatus Bellunenſis, *quam fecimus* Caſtro de Zumellis, *tantum quantum de Caſtro de Zumello. Et juramus bona fide & ſine fraude* wardare *& ſalvare homines Tarviſii & res eorum pro Communi in omnibus noſtris locis, in Caſtris & in Villis, & in omni noſtro Diſtrictu, & in plano & in monte, & ubicumque preſen . . . . Et juramus ſimiliter facere hoſtem & cavalcatam nos & noſtri homines, qui ſunt a Liquentia huc uſque ſine fraude Communi Tarviſii, tam liberi quam ſervi, ubicumque homines Tarviſii facient. Et juramus facere collectam de bonis noſtris, ubicumque habemus, quantum ſpectabit ad noſtras perſonas, & ad podere noſtrum, quando Conſules vel Poteſtas Tarviſii facient Collectam in Civitate pro Communi. Et ſi contingeret, quod Conſules, vel Poteſtas ſi fuerit, fecerint collectam vel boateriam extra Civitatem ſuper ruſticos, illud idem volumus quod noſtri ruſtici, qui ſunt a Liquentia hucuſque debeant facere mandato Conſulum vel Poteſtatis, ſi fuerit. Et juramus bona fide & ſine omni fraude dare operam & conſilium, ut homines de Coneclano conveniant ad concordiam cum Communi Tarviſii, & ut faciant hoc idem ſacramentum, quod nos facimus. Et juramus nos* Wecello *& Gabriel filius ejus, ſequi Conſules Communis Tarviſii, vel Poteſtatem, ſi fuerit, ſicuti alii Cives jurabunt, infra quindecim dies, poſtquam nobis requiſitum fuerit. Et juramus ſpecialiter facere jurare decem noſtros homines pro unaquaque noſtra Curia, quos Conſules vel Poteſtas elegerint, ſequi Conſules vel Poteſtatem, & rationem pro eis facere, videlicet iis Curiis viginti homines in Belluno jurabunt, decem ad Saravalle, decem in Valle de Mareno, decem ad Crudignanum, decem ad Caminum, decem ad Ceſaltum, decem ad Colenfeſcum. Viginti homines in Cadumbrio ſolummodo jurare debent tantum, quod wardabunt & ſalvabunt bona fide & ſine fraude homines Tarviſii, & res eorum.* „ *Hæc omnia, que ſuperius leguntur, juraverunt predicti, ſcilicet Dominus* Wecello *& Gabriel bona fide & ſine fraude attendere & obſervari Communi & hominibus Tar-*

Tarviſii . Et inſuper predictus Dominus Wecello, & Gabriel ejus filius fecerunt datam & inveſtituram cum Vexillo uno Domino Johanni Boneparti , & Domino Henrigetto Bu . . . . . . Conſulibus Tarviſii , accipientibus Datam & Inveſtituram vice Communis Tarviſii de omnibus, que ſuperius leguntur . Et inſuper predicti Dominus Wecello & Gabriel fecerunt Datam & Inveſtituram cum jam dicto Vexillo predictis duobus Conſulibus , accipientibus Datam & Inveſtituram vice & nomine Communis , de omnibus aliis ſuis hominibus tam liberis quam ſervis , ſecundùm quod ſuperius legitur , ut ipſi & Communi Tarviſii debeant jurare ſequi Conſules vel Poteſtatem , & rationem pro eis facere , & ut Commune Tarviſii , ſcilicet Conſules vel Poteſtas , habeant plenam poteſtatem diſtringendi eos ad hoc faciendum . Preterea predicti Conſules pro Communi Tarviſii, & Dominus Wecello & Gabriel fecerunt ſibi finem & pacem , ſecundùm quod continetur in chartula concordie facte Domino Wecelloni & Gabrieli a Communi Tarviſii .

Actum eſt hoc totum in Civitate Tarviſii in majori Eccleſia in plena Concione , MCLXXXIII. Indictione Prima , die Lunæ quintodecimo exeunte Januario .

Ego Oto Sacri Imperii Notarius ad omnia predicta , & ut ſuperius legitur , ſcripſi .

In Chriſti nomine ; Anno Domini MCCIX. Indictione XII. ego Litaldinus ſacri Imperii Notarius , hoc ex authentico Otonis Notarii ſumtum , nil addens nec minuens , exemplavi , ſignoque meo corroboravi .

In Chriſti nomine . Ego Jacobus de Varage, Imperialis Aulæ Notarius , hoc ſumtum ex authentico Otonis Notarii exemplatum & ſubſcriptum per Litaldinum Notarium exemplavi , nil addens vel minuens , quod ſententiam mutet , meoque ſigno corroboravi ; ex precepto Domini Nicole quondam Domini Zacharie de Ymola Judicis & Aſſiſtentis Domini Johannis Teupoli Comitis Aſprenſis , Poteſtatis Tarviſii , ſub MCCLXIV. Indictione VII. die Veneris XV. intrœunte Auguſto , in preſentia Hengelerii de Auniſto , Spinelli de Lavazoli , & Johannis de Liuto , Notariorum , & aliorum .

Non ignota fuere hujuſmodi pacta Johanni Bonifacio Scriptori Hiſtoriæ Tarviſinæ , qui tamen ea tantummodo innuit. Verùm ſubſequutis temporibus diſcordia atque inde bellum inter Rempublicam Tarviſinam , & Caminenſes exarſit , eâque de cauſsâ exciderunt fœdera anteacta . Sed quum Anno MCXCIX. pax iterum ſancita fuiſſet , tunc nova pacta interceſſere , & utraque pars una alteri ſeſe obſtrinxit , uti fidem faciunt geminæ Chartæ uno die conſcriptæ , & in eodem Eſtenſi Tabulario adſervatæ .

Concordia inter Guecellonem & Gabrielem fratres de Camino, & Commune Tarviſinum , conſtituentibus illis ſeſe Cives Tarviſii cum nonnullis conditionibus & pactis, Anno 1199.

IN Chriſti nomine, Anno Domini MCXCIX. Indictione II. duodecimo die intrante Junio, in preſentia Comitis Ugizonis , Vincentii Judicis de Civitate Vicentie , Comitis Rambaldi , Boniſicini de Criſpiniga , Andree de Reſiano , Torengi de Angarono , Philippi de Girardo , Abriani Notarii , Petri de Perabiago , & aliorum plurimorum Clericorum & Laycorum , preſentibus etiam Maynente , & Waldeſtino Judicibus , Gomberto , Hoſpinello Johannis Dondi , Conrado de Albertino , Andrea de Todemario , tunc Conſulibus Tarviſinis , in Civitate Tarviſii , in publica Concione talem poſtam & concordiam fecerunt Wecello & Gabriel filii quondam Gabrielis de Camino cum Domino Wilielmo de Puſterla Mediolanenſi , Poteſtate Tarviſii , recipiente nomine Communis Tarviſii.

„ *Nos Wecello & Gabriel de Camino conſti-*
„ *tuimus nos & noſtros heredes in perpetuum*
„ *Cives Tarviſii , ſicut quilibet Civis illius Ci-*
„ *vitatis . Et promittimus habitare in Civitate*
„ *Tarviſii per duos menſes per pacem , & tres*
„ *per werram , niſi remanſerit parabolâ om-*
„ *nium Conſulum Tarviſii , vel majoris partis,*
„ *vel Poteſtatis , pro ut pro tempore fuerit ,*
„ *cum Conſilio Sapientum illius Civitatis . Et*
„ *ſi contigerit , quod Conſules , vel Poteſtas fe-*
„ *cerint collectam , vel boateriam accipient , il-*
„ *lud idem extra Civitatem faciemus omnes ho-*
„ *mines noſtri Diſtrictus facere ad voluntatem*
„ *Conſulum vel Poteſtatis , qui pro tempore*
„ *fuerint , exceptis hominibus habitantibus ul-*
„ *tra Liquenciam , & hominibus habitantibus*
„ *in Cadumbrio , qui ad coltam vel boateriam*
„ *dare non debent Communi Tarviſii &c. Et*
„ *damus & concedimus plenam juriſdictionem*
„ *vobis Domino Wilielmo Poteſtati Tarviſii*
„ *nomine Communis Tarviſii cum Vexillo uno*
„ *omnium noſtrarum Terrarum & Curiarum ,*
„ *& omnium noſtrorum hominum tam libero-*
„ *rum quam ſervorum, exceptis predictis habi-*
„ *tantibus ultra Liquenciam , & exceptis ho-*
„ *minibus de Cadumbrio; de quibus ſi rationem*
„ *non fecerimus hominibus Tarviſii & ejus Di-*
„ *ſtrictus infra ſexaginta dies a tempore depo-*
„ *ſite querimonie , Conſules vel Poteſtas Tar-*
„ *viſii , qui pro tempore fuerint , habeant ple-*
„ *nam facultatem faciendi juſtitiam de predi-*
„ *ctis hominibus de Cadumbrio ; & excepto quod*
„ *viginti homines de Cadumbrio , quos Com-*
„ *mune Tarviſii elegerit , debeant jurare omni*
„ *anno ſalvare homines Tarviſii , & ejus Di-*
„ *ſtrictus , & res eorum in tota ſua forcia .*
„ *Et faciemus finem & remiſſionem vobis Do-*
„ *mino Wilielmo de Puſterla Tarviſino Pote-*
„ *ſtati nomine Communis de ſententia lata per*
„ *Veronenſes & Mantuanos inter Commune*
„ *Tarviſii ex una parte , & Biaquinum fra-*
„ *trem noſtrum ex alterâ, vel patrem noſtrum,*
„ *vel vos , ſi . . . . . . reperiemus, & ſi in ali-*
„ *quo predicta ſententia nobis prodeſſet ; &*
„ *ſpontanea voluntate omni juri , ſi quod nobis*
„ *vel hominibus noſtris ex ipſa ſententia com-*
„ *peteret , renunciamus . Inſuper facimus vo-*
„ *bis finem & pacem nomine Communis, & re-*
„ *miſſionem de omnibus maleficiis , damnis, &*
„ *injuriis datis ſeu illatis nobis vel hominibus*
„ *noſtris tam liberis quam ſervis , a tempore*

A ,, cepte werre infra , vel occaſione werre per
,, homines Tarviſii vel ejus Diſtrictus tam li-
,, beros quam ſervos pro Communi de Tarviſio.
,, Et renunciamus omni juri , quod nobis com-
,, peteret , vel competere poſſet , ſpecialiter pro
,, poſta ſive concordia, que facta fuit inter Com-
,, mune Tarviſii ex una parte , & ex altera
,, parte Dominum Wecellonem avum noſtrum ,
,, & Gabrielem patrem noſtrum . Et hec omnia
,, ſupradicta per nos & noſtros heredes & no-
,, ſtros homines tam liberos quam ſervos in
,, perpetuum firma & illibata obſervare pro-
,, mittimus . Et ſi predicta omnia per nos &
,, noſtros heredes non obſervarentur , & contra
,, veniremus , penam quatuor millia Librarum
,, Venetianarum vobis Domino Wilielmo nomi- B
,, ne Communis ſoluturos promittimus per nos
,, & noſtros heredes ; pro his omnibus ſupradi-
,, ctis obligamus vobis Domino Wilielmo nomi-
,, ne Communis omnes noſtras poſſeſſiones , &
,, damus vobis , ſive Conſulibus , vel Poteſtati-
,, bus , ſicut pro tempore fuerint , ut nomine
,, Communis Tarviſii ſua auctoritate intrent in
,, tenutam ſive poſſeſſionem noſtrarum rerum ,
,, & percipiant exinde omnes fructus, quouſque
,, predicta pena in integrum fuerit ſoluta . Et
,, ita jurare promittimus . Et promittimus re-
,, novare ſacramentum omni decimo anno infra
,, quindecim dies , ex quo requiſitum fuerit per
,, Poteſtatem vel Conſules , qui pro tempore
,, fuerint , aut eorum nuncios , & nullo modo
,, contraveniemus occaſione minoris ætatis vel
,, alia occaſione , etiam profitentes nos majores
,, eſſe vigintiquinque annorum . ,, Et ibi ita juratum fuit attendere per omnia : unde plura Inſtrumenta in uno tenore ſcribi rogaverunt .

Ego Litaldinus ſacri Imperii Notarius interfui & ſcripſi .

In Chriſti nomine . Ego Jacobus de Varage , Imperialis Aulæ Notarius &c.

Pacta, quæ Poteſtas & Conſules & Commune Tarviſii jurant Guecelloni & Gabrieli fratribus de Camino, conſtitutis Civibus Tarviſii, Anno 1199.

IN Chriſti nomine . Anno Domini MCXCIX. Indictione II. duodecimo die intrante Junio, in Civitate Tarviſii , in Concione publica , preſentia Comitis Ugicionis , Vincencii Judicis de Civitate Vicencie , Comitis Rambaldi , Bonifacini de Criſpinago , Andree de Toſano , Torengi de Engarono , Philippi de Girardo , Obrioni Notarii , Vitalis Notarii , Petri de Peribiago , & aliorum plurimorum Clericorum de Tarviſio ; preſentibus etiam Maynente , & Valfredo Judicibus, Gomberto , Hoſpinello Johannis Dondi , Conradi de Albertino , Andrea de Thodemario , nunc Conſulibus Tarviſinis , talem poſtam & concordiam fecit & obſervare promiſit Dominus Wilielmus de Puſterla , Poteſtas Tarviſii nomine Communis Tarviſini, Domino Wecelloni & Gabrieli filiis quondam Domini Gabrielis de Camino . ,, Nos Wilielmus
,, de Puſterla , Poteſtas Tarviſii , voluntate Con-
,, ſulum Tarviſii , promittimus ſalvare & manu-
,, tenere vos Wecellonem & Gabrielem de Camino
,, & veſtros heredes ; & hoc idem debent facere
,, noſtri Succeſſores , qui pro tempore fuerint in
,, regimine Civitatis , tamquam quoslibet Cives
,, Civitatis Tarviſii , bona fide & ſine fraude ,
,, & veſtra omnia Caſtra & loca , & omnes ho-
,, mines in prædictis locis & Caſtris veſtris ha-
,, bitantes , tam liberos quam ſervos . Et ſi ali-
,, quod Caſtrorum veſtrorum deſtrueretur a Com-
,, muni Tarviſii , ſeu occaſione Communis Tarvi-
,, ſii , infra annum eque bonum per Commune
,, Tarviſii , per nos & noſtros ſucceſſores reedifi-
,, care promittimus , niſi veſtrá licentiá & boná
,, voluntate datá hoc remanſerit . Et non impe-
,, diemus vos , neque noſtri ſucceſſores vos neque
,, veſtros heredes de veſtro Comitatu , ſcilicet de
,, omnibus querimoniis & cauſis , quas actor apud
,, vos vel veſtros heredes deponere voluerit ſeu
,, depoſuerit . Pugnas vero omnes in Comitatu ve-
,, ſtro ortas ante vos & veſtros heredes eſſe pro-
,, mittimus , & de his vos vel veſtros heredes per
,, nos vel per noſtros Succeſſores non impediemus ,
,, etiam partibus volentibus ante nos vel noſtros
,, Succeſſores pugnam facere . Et ſi aliquá cauſá
,, per nos vel per noſtros Succeſſores pugna judi-
C cata eſſet ſuper homines veſtri Comitatus , eos ,,
ad vos remittemus ad pugnam faciendam . Et ,,
de cauſis libertatis motis hominibus veſtri Co- ,,
mitatus nullo modo nos intromittemus . Et ſi ,,
nos intromiſerimus , ſtatim eum cognoverimus ,,
eum eſſe de veſtro Comitatu , ad vos vel veſtros ,,
heredes cauſam illam libertatis remittemus . Et ,,
facimus finem nomine Communis vobis Wecello- ,,
ni & Gabrieli pro vobis & hominibus veſtris ,,
tam liberis , quam ſervis habitantibus in locis ,,
veſtris & hominibus illis , qui ad concordiam ,,
Tarviſii vobiſcum venerunt , de omnibus male- ,,
ficiis , dampnis & injuriis datis ſeu illatis ho- ,,
minibus Tarviſii , & ejus Diſtrictus a tempore ,,
werre cepte infra, vel occaſione werre . Et fa- ,,
D cimus finem & remiſſionem de omnibus penis & ,,
duplis Communi Tarviſii commiſſis , & nomina- ,,
tim de quinque millibus Libris , quas Commune ,,
Tarviſii dedit Wecelloni de Camino Avo veſtro . ,,
Et facimus finem & pacem Nicolao , & promit- ,,
timus bona ejus pro Communi vendita ei reſti- ,,
tuere . Et facimus finem Ugeto filio quondam ,,
Salvariſis Notarii de pena Banni Communis ; & ,,
vobis nomine ipſius Ugeti & aliorum forbanni- ,,
torum omnium facimus finem & pacem de omni- ,,
bus maleficiis & bannis & injuriis & damnis ,,
datis a tempore cepte werre & occaſione werre ,,
hucuſque. Inſuper promittimus, quod non reedi- ,,
ficabimus per nos vel per noſtros Succeſſores Ca- ,,
ſtrum ſeu domum Salle . Et promittimus per ,,
E nos & noſtros Succeſſores nomine Communis , ,,
quod non diſtringemus vos Wecellonem vel Ga- ,,
brielem , vel veſtros heredes ad rationem facien- ,,
dam de aliquo maleficio vel dampno , quod We- ,,
cello vel Gabriel , aut aliquis pro eo daret vel ,,
faceret hominibus ſuis , qui fuerunt Comitiſſe ,,
Sophie , vel de quarterio , quos in vobis reti- ,,
nuiſtis , & alienati non ſunt . Et non diſtringe- ,,
mus homines veſtros habitantes ultra Liguenciam ,,
& in Cadubria , excepto ſi rationem non facere- ,,
tis de hominibus de Cadubria infra ſexaginta ,,
dies , quod poſſimus eos diſtringere ad rationem ,,
faciendam hominibus de Tarviſio & ejus Diſtri- ,,
ctus , & excepto quod viginti homines de Cadu- ,,
brio debent jurare ſalvare & cuſtodire homines ,,
,, Tar-

A „ *Tarviſii & ejus Diſtrictus , & res eorum in tota ſua fortia , ſi requiſitum fuerit , ut in poſta a vobis Communi Tarviſii facta continetur . Et hec omnia predicta firma & illibata per nos & noſtros Succeſſores in perpetuum obſervare & non contravenire promittimus ; & ſi non obſervaretur & contraveniremus per nos vel per noſtros Succeſſores , penam quatuor millia Libras Venetorum vobis nomine Communis dare promittimus, bona Communis vobis exinde pignori obligantes , ita ut veſtra auctoritate in bona Communis intrare poſſitis , & fructus ex eis percipere , quouſque in integrum predicta pena vobis fuerit ſoluta . Et ita nos & noſtri Succeſſores, qui pro tempore fuerint, jurare debent & obſervare . Et centum Milites & ducenti Pedites , quos elegeritis , jurare debeant ita obſervare : quod ſacramentum centum Militum & ducentorum Peditum omni decimo anno debeat renovari infra quindecim dies , quando per vos vel per veſtros nuncios fuerit requiſitum . „ Et juravit predictus Poteſtas ita attendere toto tempore ſue Poteſtarie , & quod faciet , cum exierit de Poteſtaria , jurare Succeſſores . Et plura inſtrumenta uno tenore ſcribi ſunt rogati .*

Ego Litaldinus ſacri Palatii Notarius interfui & ſcripſi .

Hæc etiam pacta memorantur Johanni Bonifacio , qui præterea ad eumdem Annum MCXCIX. innuit , Wecellonem de Suligo , atque alios Nobiles Marchiæ Tarviſinæ viros , immo & ipſos Cenetenſis Oppidi Cives , neceſſitate compulſos , conſilium cepiſſe ſe adjungendi B more Civium ad Rempublicam Tarviſinam . Ejuſmodi Actorum memoria in pergamenis Archivi Eſtenſis latens , ſuum heic habere locum meretur .

Charta pactorum, per quæ Wecello de Suligo, aliique Nobiles conſtituunt ſe Cives Tarviſii, Anno 1199.

C IN *Chriſti nomine. Anno Domini MCXCIX. duodecimo die menſis Junii , Indictione II. „ Nos Wecello de Suligo , & Liazarus , & Sanzanomen , pater & filii , & Naſinwerra de Fara conſtituimus nos Cives & Habitatores Tarviſii , ſecundùm quod continetur in articulis poſte facte inter Commune Tarviſii & Homines de Coneclano . Et facimus vobis Domino Wilielmo de Puſterla Poteſtati Tarviſii ad partem Communis finem & pacem & remiſſionem de omnibus maleficiis , dampnis , & injuriis , penis & duplis & ſecuritate factis vel nobis , vel hominibus noſtris a Communi, vel ab aliqua alia perſona nomine Communis , dampnis datis & illatis nobis vel hominibus noſtris ab hominibus Tarviſii pro Communi vel pro diviſo , a tempore werre cepte infra. Et promittimus obſervare poſtam factam inter Commune Tarviſii & illos de Coneclano , ſecundùm quod conſortes obſervare tenentur . Verſa vice , Nos Willelmus de Puſterla Poteſtas Tarviſii nomine Communis facimus vobis Wecelloni de Suligo & Liazaro & Sanzanomini, & Naſinwerre finem & pacem recipientibus veſtro nomine , & omnium veſtrorum hominum tam ſervorum , quàm liberorum , de omnibus maleficiis , injuriis , & dampnis datis ſeu illatis a vobis , vel ab hominibus veſtris , hominibus Tarviſii tam pro Communi vel diviſo a tempore werre cepte infra ; ita quod nos vel Commune Tarviſii propter hoc nullo modo demus dampnum vobis vel hominibus veſtris tam liberis, quàm ſervis in perſonis vel in Caſtro , aut in rebus veſtris . „ Et remittimus vobis Wecelloni & Naſinwerre bannum & penam banni , in quo clamati fuiſtis per Conſules Coneclani .*

D *Actum in Civitate Tarviſii in Concione publica , in preſentia Comitis Ugucioni , Vincentii Judicis de Civitate Vicencie , Comitis Rambaldi , Torengi de Engerano , Andree de Roſano , & aliorum plurium militum & peditum .*

Ego Litaldinus ſacri Imperii Notarius interfui & ſcripſi .

Pacta, per quæ Homines Cenetenſes conſtituunt ſe Cives Tarviſii, & viciſſim Commune Tarviſii eos recipit, Anno 1199.

IN *Chriſti nomine. Anno Domini MCXCIX.* Indictione II. die Martis XV. *intrante Junio. Preſentia Wecellonis de Camino, Gabrielis ejus fratris, Gerardini de Criſpinaga, Albergeti Panismilii, Siniforti, Inglerii de Racione, Vivioni, Wilielmi de Straſio, Federici, Nicole Blandi, Johannis Nunarii, Walpertini de Raſano, Wiviani de Bellengarda, Tomaxini de CapiteLupo, Weceli de Conſtantino, Zanegoldi, Marquardi de Caniſtro, Baldini Judicis Brage, Jacobi ejus fratris, Roberti de Elmo, Vitalis Notarii de Sancto Andrea, & aliorum plurium. Hæc concordia inter homines de Ceneta ex una parte, & ex alia Commune Tarviſii.*

*„ In nomine Domini. Nos Homines de Ce-
„ neta ſpontanea voluntate conſtituimus nos Ci-
„ ves Tarviſii, ſicut quilibet alius Civis Tar-
„ viſii; ſupponentes nos per omnia jurisdictioni
„ Civitatis Tarviſii. Et promittimus nos ſal-
„ vare homines Civitatis Tarviſii & ejus Di-
„ ſtrictus, & res eorum in tota noſtra forcia,
„ & ſtratas ſecuras facere & mercata in tota
„ noſtra forcia. Et juvabimus ſequi Dominum
„ Wilielmum de Puſterla Tarviſii Poteſtatem,
„ & Succeſſores ejus, qui erunt pro tempore in
„ regimine Civitatis Tarviſii, a quindecim an-
„ nis ſuperius, & a ſexaginta annis inferius,
„ cum requiſiti fuerimus per nuncium Tarviſii,
„ vel per Maricum noſtrum: & quod Maricus
„ teneatur facere jurare homines, ut dictum eſt
„ ſuperius, omni anno. Et collectam & boate-
„ riam dabimus ad voluntatem Poteſtatis, vel
„ Conſulum, qui pro tempore erunt in regimine
„ Civitatis Tarviſii, quando collectam vel boa-
„ teriam colligent extra Civitatem. Et quando
„ Commune Civitatis Tarviſii faciet hoſtem &
„ iter & cavalcatam, faciemus & ibimus ad
„ voluntatem Poteſtatis Tarviſii, vel Conſulum,
„ qui pro tempore erunt in regimine Civitatis
„ Tarviſii, & Rocham Cenete dabimus in vir-
„ tute Poteſtatis Tarviſii. Nec erimus in facto
„ ſeu in conſilio, quod Commune Tarviſii perdat
„ prefatam Rocham, donec etiam retinuerit; &
„ ſi ſciero aliquem, qui contra hoc facere vel-
„ let, bona fide & ſine fraude diſturbabo. Et
„ hanc poſtam ſeu concordiam bona fide & ſine
„ fraude ratam & firmam tenebo, & non viola-
„ bo. Et ſi ſciero aliquem, qui violare vel-
„ let, bona fide & ſine fraude diſturbabo. Et
„ faciemus finem & remiſſionem vobis Domino
„ Wilielmo de Puſterla Tarviſii Poteſtati, re-
„ cipienti nomine Communis Tarviſii, & pro
„ Communi Tarviſii & diviſo, de omnibus ma-
„ leficiis & dampnis & injuriis datis ſeu factis
„ a tempore werre hucuſque hominibus Cenete.
„ Et promittimus omnia predicta attendere &
„ obſervare ſub pena &c. ita tamen quod de hac
„ pena non teneamur, poſtquam Epiſcopus Ce-
„ nete non venerit ad concordiam Communis Tar-
„ viſii, & Rocha pro Communi Tarviſii eidem
„ Epiſcopo fuerit reſtituta.*

*„ Verſa vice Nos Wilielmus de Puſterla
„ Tarviſii Poteſtas nomine Communis promitti-
„ mus wardare & ſalvare homines de Ceneta,
„ qui jurabunt & obſervabunt poſtam ſeu con-
„ cordiam inter Commune Tarviſii & illos fa-
„ ctam. Et promittimus & jurabimus, quod
„ non deſtruemus Rocham Cenete, ſi nobis dede-
„ rint. Non erimus in conſilio vel facto, quod
„ deſtruatur, donec eam Commune Tarviſii
„ retinuerit. Non prohibemus homines Cenete,
„ quin Corpus Beati Ticiani, & alias ſuas ſa-
„ cras Reliquias vel ubi ſunt cuſtodiant, vel
„ alibi portent ad voluntatem ſuam; nec eis au-
„ feram Corpus Beati Ticiani. Et hoc ſacra-
„ mentum faciam poni in quaternione Communis,
„ ut Succeſſores meos de hoc ſacramento tenean-
„ tur, quouſque Commune Tarviſii predictam
„ Rocham tenuerit. Et faciam jurare quinqua-
„ ginta Milites, & decem Milites Coneclani, &
„ centum Pedites, quos illi de Ceneta eligere
„ voluerint, hoc ſacramentum facere pro Com-
„ muni. Et facimus finem & remiſſionem pro
„ Communi Tarviſii hominibus Cenete, qui hanc
„ poſtam ſeu concordiam jurabunt de omnibus
„ maleficiis & damnis &c. Et quod non vende-
„ mus nec alienabimus predictam Rocham pro
„ Communi Tarviſii alicui perſone. Et quod re-
„ ſtituemus Rocham Cenete iſto Epiſcopo, qui
„ modò eſt, vel illi, qui pro tempore erit,
„ poſtquam devenerit ad concordiam Communis
„ Tarviſii.*

*„ Et hec omnia predicta nos homines de Cene-
„ ta imperpetuum firma & rata tenere & obſer-
„ vare per nos & noſtros heredes juramus. Sannella, Walterius Notarius, Egidius filius Richerii de Scorſores, Marici de Ceneta, Vidonis filius Geli, Ardemannus Notarius, Robertus de Aldino, Robertus de Cempo, & Cluradinus nepos Lituini, nomine Communis Cenete, & ſuo nomine promiſerunt per ſe & ſuos heredes Domino Wilielmo de Puſterla Tarviſino Poteſtati nomine Communis Tarviſii, ſupradicta omnia attendere &c. & ſpontanea voluntate conſtituerunt ſe Cives Tarviſii, ſicut quilibet Civis Tarviſii &c. Et verſa vice Dominus Wilielmus de Puſterla Tarviſii Poteſtas nomine Communis juravit ſe omnia Statuta attendere & obſervare verſus ſupradictos de Ceneta, & verſus illos, qui jurabunt obſervare ſupradictam concordiam.*

Actum in Mandre in plena Concione.

Ego Litaldinus ſacri Imperii Notarius interfui & ſcripſi.

Ita nobilibus ac potentibus viris intra Urbes habitare per aliquam ſaltem cujuslibet anni partem coactis, novis inſuper confluentibus in Civitatem colonis ex gente aut profligatâ, aut in clientelam receptâ, ſingulæ Urbes liberæ novum accepere incrementum Populi, ædificiorum, majeſtatis, atque potentiæ. Auctor etiam eſt Rolandinus ſupralaudatus ad Annum MCC. Bertholdum Aquilejenſem Patriarcham factum fuiſſe *Paduanum Civem, eaque occaſione ſe poni fecit cum aliis Civibus Paduæ in Coltam ſive Datiam*. Hoc eſt, ditionem ſuam, quæ longe lateque excurrebat, tributis Reipublicæ Patavinæ conſuetis ſuppoſuit. Ejus etiam exemplum imitati ſunt Epiſcopus Feltrenſis & Bellunenſis. atque Eccelinus de Romano, crudeliſſimus deinde Tyrannus. Potentiſſimus ſane Prin-

Princeps tunc erat Patriarcha Aquilejenſis , atque ab uno Romanorum Imperatore , quod eſt ad temporalia bona , Inveſtituram recipiebat . Attamen vides , ab eo quæſitam Patavinæ Urbis *Cittadinantiam* . Et ne quis de Rolandini narratione dubitet , Acta ipſa eo tempore conſcripta exeram , quæ leguntur in Statutis MStis Civitatis illius exaratis in pergamena Anno MCCCLXIX. apud egregium virum Stephanum Vareſium Civem Patavinum , uti certiorem me fecit mei amantiſſimus vir Adamus Pivatus , mihi non ſemel laudatus in Collectione Rerum Italicarum. Non accepi *Cittadinantiam* Philippi Epiſcopi Feltrenſis & Bellunenſis. Ejus tamen loco prodibit, quæ Algerio ejus Succeſſori conceſſa fuit Anno MCCLX. quam puto non diſſimilem a præcedenti .

Bertoldus Patriarcha Aquilejenſis Civitate Patavina ſub quibuſdam conditionibus donatur, Anno 1221.

IN nomine Domini , amen : ejuſdem Nativitatis MCCXXI. Indictione IX. die XI. intrante Septembre ; in eorum preſentia quorum nomina continentur inferius . Coram Domino Bernardo Barone de Sancto Miniato , Poteſtate Padue in plena Concione , in Sala majoris Palacii ad ſonum campanarum Communis & vocibus preconum congregata . ,, Nos Bertol-
,, dus divina favente gracia ſancte Sedis Aqui-
,, legienſis Patriarcha , licèt terra noſtra , &
,, ſtatus terre noſtre perſone in meliori ſint ſta-
,, tu , quàm olim fuerint , tamen propter ni-
,, miam dilectionem , quam erga Civitatem &
,, Cives Paduanos gerimus & habemus , cupien-
,, tes prefatam Civitatem Padue , ejuſque Cives
,, pre ceteris honorare ; & illud , quod anteceſ
,, ſores noſtri fecerunt , facere amplius remini-
,, ſcentes beneficiorum receptorum ab eis , volu-
,, mus eſſe Cives Padue , & facimus nos Padue,
,, promittentes nomine Aquilegienſis Eccleſie pro
,, nobis & gente noſtra totaliter infra muros
,, emere Civitatis terram duorum hominum eſti-
,, mationem , in qua duodecim Palacia fieri fa-
,, ciemus , valentia unumquodque mille Libras
,, ad minus . Videlicet quatuor Palacia in pre-
,, ſenti Poteſtaria , & alia quatuor infra , &
,, alia quatuor in proxima tertia Poteſtaria ,
,, niſi parabola Poteſtatis vel Conſilii remiſerit .
,, Que Palacia nullo modo , vel occaſione aliquá
,, debeant alienari vel obligari , nec in feudum
,, dari : & ſi acceptatum fuerit , ipſo jure
,, non valeat , ſed libere Communi Padue rema-
,, neant . Et quod faciemus duodecim de melio
,, ribus & majoribus Militibus terre noſtre bona
,, fide ſine fraude in Civitate Padue eſſe quinde-
,, cim diebus ante feſtum Sancti Petri de Junio,
,, qui jurabunt ſequi Poteſtatem Padue , ſicut
,, alii Cives Paduani, & per nos & per noſtros,
,, quando Civitas Padue guerram habebit , quod
,, Deus avertat , juvabimus eam contra omnem
,, hominem , exceptis Domino Papa, & Rege*,*
,, cum quinquaginta Militibus per tres menſes
,, annuatim quandiu guerra durabit . Et juva-
,, bimus Civitatem Padue cum omni & tota no-
,, ſtra potencia verſus terram noſtram . Et quan-
,, documque Civitas Padue in corpore Civitatis
,, & in Comitatu ſuo communem daciam fecerit
,, pro Libris ducentis milibus , daciam ſolvemus
,, ſecundùm quod pro miliario in Civitate dabi
,, tur . Hec autem faciemus Dominum Papam ,
,, & noſtros Canonicos omnes laudare & confir-
,, mare . Petimus quoque a vobis quatenus reci-
,, piatis nos amicum & Civem Padue, & nos &
,, terram noſtram & gentem noſtram , ita quod
,, adjuvetis nos tamquam Civem veſtrum. Et ea,
,, que habet Eccleſia Aquilegienſis in omnibus lo-
,, cis , ſeu etiam juriſdictionibus ad manutenen-
,, dum . Et ſi qua ſunt admiſſa , bona fide pro
,, poſſe ad recuperandum nos adjuvabitis per ter-
,, ram Forojulii & verſus Paduam . Et hec
,, compoſitio firmabitur ſacramento noſtre gentis
,, hinc inde . Et hic contractus firmus habea-
,, tur in perpetuum, & ponatur in Statuto Com-
,, munis Padue , & numquam ſub aliqua fraude
,, vel occaſione deleatur . Hoc autem facientes
,, noſtre Aquilegienſis Eccleſie corporaliter ta-
,, ctis ſacroſanctis Evangeliis juramus omnia
,, predicta & ſingula predictorum bona fide at-
,, tendere , obſervare , & obſervari facere , &
,, nulla ratione vel occaſione ſeu aliquo ingenio ,
,, vel aliqua fraude contravenire . Et hec nos
,, Bernardus Baronus de Sancto Miniate Pote-
,, ſtas Padue de conſenſu & laudatione totius
,, Concionis , Communis Padue nomine , omnia
,, ſupradicta & ſingula predictorum promitten-
,, tes & facientes & recipientes nomine iſtius
,, Communis , attendere & obſervare bona fide
,, ſine fraude , tactis ſacroſanctis Evangeliis ju-
,, ramus , & nulla ratione vel occaſione , ſeu
,, aliquo ingenio & aliqua fraude contrave-
,, nire .

Actum fuit Padue in plena Concione in Communi Palacio . Teſtes interfuerunt , Dominus Jordanus Epiſcopus Padue , Dei graciâ , Dominus Philippus divina permiſſione Feltrenſis & Bellunenſis Epiſcopus, Dominus Florianus Archipresbyter Padue , Dominus Empellus Canonicus Padue, Dominus Jacobus de Corrado Canonicus Padue , Dominus Chriſtianus de Sancta Maria de Monte , & Veglus de Phyſico , Judices Poteſtatis : Ubertellus Miles Poteſtatis , Tyſo Padue Comes , Jacobus de Carraria , Albertinus ejus frater , Vitalianus Matthei de Limizonibus , & Patavinus de Orſato , Baxilius , & Patavinus de Medio Abbate Judices , Nicolaus Egidioli de Victo , Bernardus de Bragiola , Jacobus Falirotus , Buaquinus , Jacobus de Uliana , Lytardus Notarius , Henricus de Mazzano , Conradus de Oſſovcſt , Ottolinus juvenis de Cremona , Armannus de Precano , Ottolinus de Cucagna , Leonardus de Trecano , Erbordus de Peſtentano , Henricus de Rodegno .

Rogatus Petrus de Abbate de præſcriptis fecit Inſtrumentum .

Inſtrumentum Cittadinantiæ Patavinæ ſuſceptæ ab Algerio Feltrenſi & Bellunenſi Epiſcopo, Anno 1260.

*IN nomine Domini, amen; MCCLX. Indictione III. die IV. intrante Februario, Padue in Communi Palatio, in camera ubi fit majus Conſilium, preſente Domino Tyſone de Campo Sancti Petri, Ugolino Advocato, Petro Trapola, Pace Judice, Bonifacio a Solario, Rolando de Hengleſco, Tomaſio Cavaccia, Martino Guidoti, Lenizo Cane, Bartholomeo Alverii, Vanni de Zacho, & aliis multis in majori Conſilio Communis Padue ad ſonum campane more ſolito congregato. Dominus Guido de Monte Poteſtas Padue de voluntate, conſenſu & laudatione tocius Conſilii pro Communi Padue recepit venerabilem patrem Dominum Algerium, Dei graciá Feltrenſem & Bellunenſem Epiſcopum per ſe & ſuos Succeſſores pactis infraſcriptis videlicet. Quod ipſe Dominus Epiſcopus & Succeſſores ſui ſint Cives Padue & Habitatores, & jurent Cittadinanciam Padue, ut Dominus Patriarcha conſuevit jurare. Et quod ipſe Dominus Epiſcopus infra muros Civitatis Padue unum Palacium hedificare debeat uſque ad proximum feſtum Sancti Andree, quod conſtet mille & quingentas Libras, computato in illis MD. Libris pricium pro terre & domorum, que emerentur arbitrio duorum virorum per Poteſtatem Padue eligendorum, ubi Palacium hedificaretur. Item in Paduano Diſtrictu emere teneatur tot alias poſſeſſiones immobiles uſque ad unum annum, que conſtent Libras mille. Palacium vero & poſſeſſiones nunquam poſſint vendi in toto vel in parte, nec aliquo modo alienari vel obligari. Item quatuor Milites de terris predictis omni anno per octo dies ante feſtum Sancti Petri, & per octo dies poſt, habitare debeant in Civitate Padue, qui pro Domino Epiſcopo jurent ſequi Poteſtatem Padue, ut ſupra dictum eſt. Item Dominus Epiſcopus debeat ſolvere daciam Communis Padue pro ſeptuaginta millibus Libris, quando alii Cives ſolverint Communi Padue. Item quando Commune Padue fecerit exercitum generalem ſeu communem, Dominus Epiſcopus Feltrenſis cum tota ſua forcia & virtute exercitum generalem faciet & communem cum Communi Padue. Si vero Commune Padue aliter fecerit cavalcatam cum Militum quantitate, idem Dominus Epiſcopus teneatur ſervire eum viginti quinque Militibus, vel majori ſumma ad voluntatem Domini Poteſtatis Padue, qui pro tempore fuerit, ſecundùm quantitatem Militum Padue, qui a Communi mittentur in cavalcatam. Hec quidem omnia Dominus Epiſcopus cum tota ſua forcia & omnibus viribus facere teneatur contra omnes homines, ſalvâ fi*delitate Eccleſie & Imperii. *Item quod inimici Communis Padue ſint inimici Domni Epiſcopi ſupradicti & ſuorum.*

*Et teneatur Dominus Epiſcopus eligere ſemper vel facere eligi, & habere Poteſtates de Padua in Feltre & Belluno, ſalvo quod ſi vult ipſe habere in dictis Terris in propria perſona, vel aliquem in Poteſtatem & Rectorem, vel Conſulem, ſeu Conſules, vel Judices de dictis Terris, eligere, & habere ei liceat. Et Poteſtas Padue teneatur ei dare Electum de Padua & Paduana in Poteſtatem & Judicem infra menſem. Et quod Paduani habeant Mercatum in tota terra Domini Epiſcopi libere & abſolute abſque theloneo & pedagio. Et procurare debeat Dominus Epiſcopus bona fide, ſicut potuerit, ne aliquis illos impediat eundo & redeundo cum mercato vel ſine mercato. Et quod dictus Dominus Epiſcopus non faciet ſocietatem aliquam vel Citadinanciam cum aliqua Civitate vel homine. Hec quidem omnia ſupraſcripta prefatus Dominus Epiſcopus debeat eligere quatuor, vel plures de utraque Civitate, qui juramento teneantur facere predicta juramenta, & ſingulis quinquenniis ſimilia juramenta facere renovari. Et Dominus Epiſcopus teneatur facere Dominum Papam, & Dominum Patriarcham omnia preſcripta laudare & confirmare uſque ad feſtum Sancti Petri. Salvo quod Poteſtas Padue, qui pro tempore fuerit, de voluntate Conſilii majoris Padue poſſit dare parabolam dicto Domino Epiſcopo de quolibet capitulo ex predictis. Et predictus Dominus Epiſcopus juravit Citadinanciam Padue, & omnia ſupraſcripta attendere, & plene obſervare. Commune vero Padue teneatur ipſum Dominum Epiſcopum, & Civitates ſuas Feltrum & Bellunum, & totam terram ſuam adjuvare & manutenere, & jura ſua & Epiſcopatus ſui, & ad honorem & ſtatum ejuſdem Domini Epiſcopi & Epiſcopatum ſervare & defendere bona fide & ſine fraude in his, que poſſidet vel quaſi poſſidet contra omnes homines, ex*cepto Domino Papa, & Domino Imperatore, & Domino Patriarcha. *Item quod omnes Feltri & Belluni & tocius terre Domini Epiſcopi habeant mercatum Padue in Padua & diſtrictu Paduano libere & abſolute abſque theloneo & pedagio; & procurare debeat Commune Padue bona fide, ne aliquis eorum impediat eundo & redeundo cum mercato & ſine mercato. Item quod inimici Domini Epiſcopi ſint inimici Communis Padue. Hec quidem omnia poni debeant in Statutis Communis Padue; & juramenti Poteſtas Padue teneatur obſervare. Ibique Petrus de Ricio preco in manibus Domini Poteſtatis nominati & Populi Paduani pro ipſo Poteſtate & Populo Paduano, de laudatione & conſenſu ipſius Poteſtatis & predicti Conſilii juravit omnia hec predicta attendere & plenè obſervare.*

Zambonus de predictis fecit Inſtrumentum.

Neque tamen hiſce incrementis contenti liberarum Urbium Cives fuere: quis enim libidini dominandi modum facile ſtatuat? Quæ Civitates opibus, gente, ac viribus ſupra finitimas ſeſe pollere ſentiebant, animum quoque adjecere ad invadendos fines alienos, ſibique ſubdendas Urbes potentiâ impares. Ita Mediolanenſes Anno MCXI. inlato Laudenſibus bello, Civitatem acri obſidione preſſam ad deditionem compulere. Tum ab Anno MCXVIII. uſque ad Annum MCXXVII Comenſibus infeſti, tam pertinaci bello eorum jugulis inſtitere, ut tamdem deſperatione fractos ſub jugum venire coëgerint. Inſuper Anno MCXXX ad deficiendum a Cremonenſibus Cremenſes ſolicitatos, ſibi adjunxere: unde bella teterrima exorta maximo fuere incommodo Lombardis omni-

omnibus. Quæ dilatandi imperium ſemper irrequieta cupido denique ſingularum Urbium conterminarum odia atque iram in Mediolanenſes attraxit, potiſſimamque cauſſam eorum calamitatibus præbuit ſub Friderico I. Auguſto. Certarunt in eodem ſtadio poſtea Genuenſes, Florentini, Bononienſes, Patavini, immo quælibet alia Civitas, cui majores vires, quam conterminis, fortuna contuliſſet: contigitque nonnullis inferiores ſuo ſubjugare atque adjicere imperio: qua ex felicitate mirum in modum earum robur ac dignitas crevere. Quid inter tot armorum tumultus & Civium pro amplificanda ditione perpetuos conatus, continentemque laborem, Eccleſiaſticis Proceribus acciderit, ſatis ſignificaſſe infra mihi videor in Diſſertatione Septuageſima ſecunda *de Cauſſis imminut. Eccleſ. Poteſt.* Attamen heic etiam memoriâ repetendum duco, ne ipſam quidem Religionem obſtitiſſe, quominus liberæ Civitates antiqua Epiſcoporum, Abbatum, aliarumque Eccleſiarum Regalia uſurparint. Epiſcopis nonnullis collata fuerat Comitatus dignitas in Urbibus, hoc eſt Præfectura Civitatum. Ipſis etiam, & permultis Abbatibus, & Collegiis Canonicorum, Caſtella ſuberant & Arces, quæ ab Urbium Magiſtratibus, ditione & agro penitus præciſa, ſub jure ſeu tutela tantum erant Imperatorum a quibus eorum Inveſtitura peti conſuevit. Hos ergo ſacros viros pari ardore ſuis exſpoliare juribus aggreſſi ſunt Cives liberarum Civitatum, eoque eventu res acta eſt, ut vix pauci ab illorum impotentia evaſerint. Nam Eccleſiaſtici ipſi aut gloriam bellicam interdum affectantes, & lucra inde ſperantes, non inviti correptis armis in bella convolabant; aut neceſſitate ducti, bella gerentibus vicinis, præſidia aliena recipere, fœdera contrahere, tutores adſciſcere cogebantur. Neque deerant aliæ occaſiones rerum novandarum, nonnullis inhiantibus ad Clericorum ac Monachorum patrimonia voranda. Rem paucis exemplis expediam. Pars olim Comitatus Mutinenſis Nonantulanum Oppidum fuit, ut alibi oſtendi. Senſim celebris illius Cœnobii Abbates ditionem, ſive Imperatorum dono, ſive alia ratione, acquiſierant in Oppidum illud, atque in alias quaſdam Villas; aut certè is Populus in libertatem ſeſe aſſeruerat. Contra, contendente Republica Mutinenſi, ad ſe locum pertinere, aliiſque controverſiis de jure aquarum ferventibus: Bononienſes in omnem rem intenti Anno MCXXXI. ex hujuſmodi diſcordia profecere; nam Populum Nonantulanum ita deliniverunt; ut ſeſe iis in clientelam tradiderit, & tributum licèt leve quotannis Reipublicæ Bononienſi fuerit pollicitus. Exarſere in bellum, his intellectis, Mutinenſes, quod pluries ſopitum, pluries quoque recruduit, donec ſervatâ Abbati dumtaxat ditione ſpirituali, ac ingenti pecuniæ ſummâ perſolutâ, conquievit Oppidum in poteſtate Mutinenſium, cujus Principibus adhuc paret. Juvat heic adferre pacta, quibus Nonantulani ſeſe primo ſubdidere Bononienſi Reipublicæ; ea quippe indicata a Sigonio Lib. 3 Hiſtor. Bononienſis, integra habere cupiens, curâ præclariſſimi viri Marchionis Franciſci Zambeccarii Senatoris Bononienſis, deſcripta e Tabulario illius Urbis accepi.

Charta pactorum, per quæ Populus Nonantulanus Reipublicæ Bononienſi ſe ſubdit, Anno 1131.

De quibuſdam rationibus Communi Bononiæ conceſſis a Populo Nonantulæ.

„ *Nos quidem Populus Nonantulæ, & omnes, qui ſumus in Donicatu Abbatiæ, juramus Populo Bononiæ deinceps in perpetuum, ſemper nos eſſe & ſtare ac ſtudere ad honorem Bononiæ, quemadmodum una ex quatuor Portis Bononiæ. Et inſuper omnia facta, omneſque expenſas, ſive collectas, pro communi honore Bononienſis Civitatis nos Nonantulani facere ſemper, ut una ex quatuor Portis Bononiæ. Ceteri Caſtellani, & Villæ Abbatiæ, ut habitantes infra Comitatum ſacram quos Nonantulæ, ideſt Eccleſiarum omnium & Clericorum, qui ſunt ſub Abbatia Nonantulæ Eccleſiæ. Nos inſimul ſecundum quod habetur per decretum a ſancta Romana Eccleſia, in perpetuum damus ſanctæ Bononienſi Eccleſiæ jus quoque & facultatem dandi Chriſma & Oleum Sanctum noſtris Eccleſiis & Clericis, & prædictæ Eccleſiæ Bononienſi in perpetuum largimur. In unoquoque anno in Kalendis Decembris per unamquamque caſam Nonantulæ & totius Abbatiæ, quæ ſcilicet in Donicatu & Diſtrictu Nonantulanæ Eccleſiæ ſtare videtur, quatuor Denarios Lucenſes Populo Bononienſi dabimus. Neque in facto, neque in conſilio, quolibet modo vel ingenio deinceps erimus, quod Populus Bononiæ vel Eccleſia Bononiæ prædicta omnia in totum vel pro parte aliquo modo vel ingenio perdat. Et ſi perdiderit, per bonam fidem ſine fraude & malo ingenio id, quod perdiderit, recuperare, & recuperatum ſemper retinere adjuvabimus contra omnes homines*, exceptâ tamen perſonâ Imperatoris. *Et apud eum fideliſſimis precibus & ſupplicationibus prædictum Populum & jam dictam Eccleſiam adjuvabimus. Poſt receſſionem vero Imperatoris prædicta omnia firmiſſime ſemper obſervabimus. Item ſuper inimicos Bononiæ cum Bononienſi Populo equitabimus & ibimus cum noſtro diſpendio, ſcilicet cum nos omnes milites & pedites migraverimus in expeditionem, cum ſoli milites in ſervitio prædicti Populi ierint, qui diſpendio Bononienſis Populi veniant.* Damnum vero, *ſi quid vobis, vel veſtris amicis in noſtro ſervitio acciderit, pro quarta parte vobis infra duos menſes reficiemus. Si in veſtro ſervitio nobis damnum apparuerit, pro quarta parte nobis id imputabimus. Homines Bononienſes de Civitate & de Burgis, atque de Comitatu Bononiæ, & eorum res, ſalvos & ſecuros eſſe a nobis in omnibus noſtris regionibus juramus: & ſi quis eos offenderit, per bonam fidem offenſiones paſſos contra omnes homines adjuvabimus. Si qua diſcordia inter nos & vos, vel noſtros amicos apparuerit, in laude Conſulum Bononiæ ſtabimus. Item ſi milites Bononiæ, vel arcatores, aut pedites ſine Populo in noſtro juvamine venerint, noſtro diſpendio eos retinebimus. Similiter & Conſules, cum pro nobis venerint. Cum civibus Mutinæ nullam*

„ *treguam, nullamque finem certam ſine Bono-*
„ *nienſi Populo & ejus juſſione faciemus. Hæc*
„ *omnia obſervabimus ſemper Populo Bononienſi,*
„ *& poſt pacatam litem inter nos & Mutinenſes,*
„ *hoc ſacramentum faciemus Populo Bononiæ &*
„ *Eccleſiæ Bononienſi in omni fine decem annorum*
„ *ab ætate ſcilicet quatuordecim annorum in*
„ *poſterum.*


Quod heic animadvertas, non Abbas, non Monachi Nonantulani deditionem faciunt, ſed Populus illius Oppidi; ac proinde confirmata vides, quæ in Annalibus Veter. Mutin. Tom. XI. Rerum Italicarum ſcripta ſunt ad Annum MCXXXI. videlicet: *Nonantulani dederunt ſe per proditionem Communi Bononiæ, qui prius erant in temporalibus & ſpiritualibus Abbatiæ Sancti Silveſtri de Nonantula, de Comitatu & Diœceſi Mutinæ, & ſub ejus protectione.* Ejuſmodi verò pacta oſtendunt, non fœdus inter amicos Populos, ſed juſtam deditionem, honeſtis quidem conditionibus, peractam. Quod quantopere, & quam non immerito, Mutinenſium animos exacerbarit, atque ad arma excitarit, nemo non intelligit, quum certe Bononienſes, prolatis adeo finibus ſuis, ipſius Civitatis jugulo prope imminerent, ac pejora fata non obſcure minitarentur. Diu inſtauratum eſt ea de cauſſa bellum, idque variâ fortunâ. Et quoniam perſequendo jura ſua temperare Mutinenſes nequibant, Anno MCXLVI. teſte Sigonio, Nonantulani, ſeu potius Bononienſes ſagaci conſilio uſi, Eugenium III. ita in ſuam ſententiam, parteſque ſuas pertraxere, ut Mutinenſem Urbem Epiſcopatus dignitate privarit, atque hanc Diœceſim inter vicinos Epiſcopos partitus fuerit. An viſa fuerit inſueta, minuſque juſta hujuſmodi pœna eorum temporum mortalibus, Hiſtoriæ minime tradunt. Sane quoties Epiſcopus aut rebellionem inibat, aut Schiſmati adhærebat, mos etiam fuit pœnas ab eo poſcere, rariſſime verò ab ipſis Eccleſiis. Guntherus Lib. 2. Ligurin. de Friderici I. Auguſti geſtis hæc ſcribit:

Quin & Pontifices Halberſtadenſis, & ille,
Sub quo Brema fuit, tali Regalia jura
Amiſere notâ; perſonæ ſcilicet ipſæ,
Non tamen Eccleſiæ. Neq; enim quod Paſtor inique
Geſſerit, Eccleſiæ fas eſt in damna refundi.

Verùm heic neque Epiſcopus, neque Eccleſia Mutinenſis, quidquam deliquerant, & ſi quid erat criminis, in Reipublicæ capita rejiciendum videbatur; niſi potius dolori juſto id condonandum, quum ii antiquam ſuam ditionem in vicinorum potentiorumque manus tranſlatam dolerent, ac ferre non poſſent. Sed hiſce dimiſſis, certum rei peractæ, ſive tentatæ monumentum profero, literas videlicet archetypas, quas Mutinæ in ſuo Tabulario adſervant Monachi Benedictini Cœnobii Sancti Petri.

Eugenii III. Papæ Bulla, qua Monaſterio Sancti Petri Mutinenſis confirmat omnia illius bona, Anno 1148.

Eugenius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Placito Abbati Monaſterii Sancti Petri, quod foris Mutinam ſitum eſt, ejuſque Fratribus tam preſentibus, quàm futuris, Regularem vitam profeſſis in perpetuum. Sicut devoti & humiles filii ſunt paternæ affectionis ſolatio confovendi, ita rebelles & elati pro delictorum ſuorum merito puniendi. Inde eſt, quod Mutinenſium contumaciam, & graves exceſſus, quos diu contra mandata Sedis Apoſtolice commiſerunt, communicato conſilio Fratrum noſtrorum tam Cardinalium, quàm aliorum Epiſcoporum, Mutinenſem Eccleſiam in perpetuum Epiſcopali Dignitate privavimus, & ipſius Parochiam per vicinos Epiſcopatus diviſimus. Monaſterium beati Petri, in quo divino mancipati eſtis obſequio, in jus & proprietatem ſancte Romane Eccleſie reſervavimus. Ipſum itaque cum omnibus bonis ſuis ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſceptum, preſentis ſcripti Privilegio communimus. Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones &c. ſecundùm formam conſuetam; *in quibus hec nominatim duximus exprimenda. Terram videlicet ipſam, in qua idem Monaſterium conſtructum eſt, cum finibus ſuis, quemadmodum in ſcriptis veſtris continetur. Eccleſiam Sancti Johannis Baptiſte, & Decimas & Sepulturas, quas infra Civitatem ex antiquo habetis. Duo molendina cum aqueductibus ſuis juxta Civitatem. Eccleſiam Sancte Marie de Maſſa. Eccleſiam Sancte Marie de Muniano. Eccleſiam Sancti Geminiani de Saviniano. Eccleſiam Sancte Marie de Anbiliano. Eccleſiam Sancti Geminiani de Turre. Eccleſiam Sancte Marie juxta Caſtellum Vetus. Eccleſiam Sancte Marie de Silva. Eccleſiam Sancti Michaëlis de Palude. Caſtellum de Adiano cum Eccleſiis Sancti Michaëlis, & Sancte Marie. Curticellam, que dicitur Abrica, cum Eccleſia Sancti Georgii. Eccleſiam de Alliano. Arcem que vocatur Cornetulum, cum Eccleſia Sancti Martini. Eccleſiam Sancti Michaëlis de Sorbetulo. Terram, quam habetis in Creſpellano, & in Curte Pragatuli. Quecumque preterea habetis in Epiſcopatibus Regino, Ferrarienſi, Veronenſi, & Paduano. Decernimus ergo, ut nulli hominum liceat* &c. *ſalvâ Diœceſanorum Epiſcoporum canonicâ juſtitiâ* &c.



Bene valete.

Ego Eugenius Catholice Eccleſie Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Conradus Sabinenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Ymarus Tuſculanus Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego

Ego Hubaldus Presbyter Cardinalis tituli Sancte Praxedis ſubſcripſi.
Ego In . . . . baldus Presbyter Cardinalis tituli Sancti Johannis & Pauli ſubſcripſi.
Ego Jordanus Presbyter Cardinalis tituli Sancte Suſanne ſubſcripſi.
Ego Odo Diaconus Cardinalis Sancti Georgii ad Velum aureum ſubſcripſi.
Ego Octavianus Diaconus Cardinalis Sancti Nicolai in Carcere Tulliano ſubſcripſi.
Ego Gregorius Diaconus Cardinalis Sancti Angeli ſubſcripſi.
Ego Johannes Diaconus Cardinalis Sancte Marie nove ſubſcripſi.
Datum Viterbi per manum Guidonis Sancte Romane Eccleſie Diaconi Cardinalis & Cancellarii, ſexto Idus Februarii, Indictione XI. Incarnationis Dominice Anno MCXLVIII. Pontificatus vero Domni Eugenii III. Pape Anno IV.

Non diu tamen ſuâ Diœceſi ſpoliata jacuit Mutinenſis Eccleſia; prætereaque tempore procedente, ut ſupra innui, poſt varias concertationes. tranſactionibus tamdem initis, Nonantulana ditio a Mutinenſibus recuperata, pacifice a multis Sæculis Ateſtinorum Principum imperio ſubeſt. Spectatiſſimum quoque olim fuit ex antiquitate & opulentia *Pompoſianum Cœnobium* inter Ferrarienſes & Comaclenſes fines fundatum, cujus etiam meminit Johannes VIII. Papa in Epiſtola Anno DCCCLXXIV. A ad Ludovicum II. ſcripta, atque a Baluzio edita Tomo V. Miſcellaneorum. Toti Inſulæ Pompoſianæ, atque adeo nonnullis Vicis ex conceſſione Auguſtorum dominabatur Abbas, non minus a Comaclenſis quàm a Ferrarienſis agri limitibus excluſus. Cujus rei teſtem dabo Diploma Friderici I. Auguſti, quale mihi oblatum eſt in Archivo Eſtenſi, nempe exemplum, notis Chronologicis omiſſis olim ſcriptum.

Friderici I. Imperatoris Diploma, quo omnia jura ac Privilegia confirmat Monaſterio Sanctæ Mariæ de Pompoſia, Anno 1177.

IN nomine ſancte & individue Trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, Tranſitorii Regni dignitas Imperialis poteſtas ac ſublimitas ad hoc potiſſimum ab omnium Regum Domino conceſſa eſt, ut ſervos & milites Chriſti, quos propria voluntas propter amorem Dei omnipotentis inopes facit exiſtere, atque in preſenti Seculo abjectos remanere, hactenus debeamus defendere, & ſub noſtra Imperiali protectione condignis honoribus refovere. Hoc etenim ſi fecerimus, cum Regnum terrenum tranſeundo defecerit, celeſtis & indeficientis Regni culmina procul dubio ſublimiter obtinere non ambigimus. Quapropter omnium Chriſti, noſtrorumque fidelium univerſitatem ſcire volumus, qualiter nos ob amorem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ejus Genitricis Virginis Beatiſſime Marie, eterneque beatitudinis remunerationem, & per interventum & petitionem dilectorum Principum noſtrorum, ceterorumque fidelium noſtrorum, Monaſterium & Abbatiam ſanctiſſime & beatiſſime Theotocos Virginis Marie, ſitam in Inſula, que vocatur Pompoſiana, ab anteceſſore noſtro Imperatore Ottone a Frederico Ravennatis Eccleſie Archiepiſcopo juxta utriuſque placitum ad Imperialem ſubjectionem proprietatis concambitam, ac poſtea ab Henrico noſtro altero anteceſſore corroboratam, & ab UGONE MARCHIONE *magnifice ditatam, & in ceteris noſtris anteceſſoribus, ſcilicet Conrado Imperatore, & in tribus Henricis Imperatoribus, & in Lothario Imperatore, boneque memorie patruum noſtrum Conradum Regem ſucceſſione Imperii & legali jure hereditatam, debinc eodem jure ac ad noſtre Imperialis dominationis manus recepimus una cum omnibus ſuis pertinentiis; ipſumque Monaſterium Pompoſianum cum eadem tota ex integro Inſula Pompoſie, omnemque ejuſdem Monaſterii Pompoſiani pertinentiam, omneſque obedientias ſupradicti Monaſterii Pompoſiani intra totum noſtrum Regnum Italicum ubicumque conſtitutis, ſub noſtre auctoritatis defenſionem, & Imperialis dignitatis tuitionem & mundibur-* B *dium ſuſcipimus. Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, ſeu jura poſſeſſionum, quecumque bona in preſentiarum poſſidet, aut in futurum largitione Imperatorum aut Regum, conceſſione Pontificum, Principum, Marchionum, oblatione aliorum quorumlibet fidelium, ſeu aliis quibuslibet juſtis & legiptimis modis poterit adipiſci, noſtra Imperiali auctoritate confirmata ac roborata uſibus memorati Monaſterii Pompoſiani, & Fratribus ibidem Deo & Beate Marie pro tempore famulantibus proficiant, quicquid videlicet predicta Abbatia per aliquod munimen cartarum vel traditionum detinet, vel eidem pertinet ab Eccleſia Romana & Ravennate, aut ab aliqua alia, ſeu etiam quicquid jure proprietatis detinet, aut in futuro acquirere potuerit.* C

Quibus itaque generaliter confirmatis, futuras inſidiantium occaſiones timentes, ſpecialiter predicto Monaſterio firmiſſima & preceptali corroboratione Imperiali concedimus & confirmamus, ideſt totam Inſulam integram, que vocatur Pompoſia, cum omnibus rebus infra ſe habentem, que ad noſtram reſpiciunt functionem, & cum omnibus lateribus ſuis; a primo latere Pado percurrente in mare, a ſecundo latere Flumen Gauro percurrente in mare, a tertio verò latere mare & piſcharia, que vocatur Volana, cum portu integro a Rivo Badarino & Gaucleriam majorem ad ipſam piſchariam pertinentem cum porticellis, ſicut olim intraverunt in mare ex utriuſque partibus uſque in mare. D *Et Maſſam integram, que vocatur Lacus Sanctus, cum omnibus pertinentiis & lateribus ſuis, a primo latere Foſſam Molendini de Volta Latoni deſcendente in Aquiliolo, & a Fluvio Triba uſque Meliam, & per paludem uſque mediam Curbam, ultraque Curbam uſque Padum, & ultra Padum uſque Gazium Epiſcopii ſancte Comaclenſis Eccleſie in uſque Fluvium, qui vocatur Ceſi; a ſecundo latere Cirolo deſcendente in Concha Agatule, & per ipſam in Gaurum; a tertio latere paludem, que pergit intus Rivum Angeli, & Manſiziatichbam uſque Monticellos & Vedetoſa currente in Pado; a quarto*

latere Vaculino & Argere Malo , & Calle de Vincarito pergente Julaterdum . Et Curtem unam integram , que vocatur Huſtulatus , cum omnibus pertinentiis & lateribus ſuis , & fundum unum principalem integrum , qui vocatur Bauria , cum omnibus rebus & pertinentiis ac lateribus ſuis , a primo latere Pado percurrente ; a ſecundo latere Foſſa & fundo , qui vocatur Curlo , & Laco , qui vocatur de Berlito , & Valle , que vocatur Raginalda ; a tertio latere Rupta , que vocatur Zubianoſa , & fundo, qui vocatur Petriolo , in quo continentur Ville Catinaris & Boarie , cum omnibus rebus ac pertinentiis ſuis & lateribus ; & quintam integram partem de fundo Ruſtigano de Canario , & duodecimam partem de fundo uno integro , qui vocatur Ruſtiz ına de Ruvina , & ſeptimam partem de fundo uno principali integro , qui vocatur Ruvina , & medietatem Caſtri Ruvine ; & fundum unum principalem , qui vocatur Pavignanus , cum omnibus rebus & pertinentiis & lateribus ſuis ; & fundum unum principalem integrum , qui vocatur Gardaglana , cum omnibus rebus & pertinentiis ac lateribus ſuis . Quicquid etiam habet aut acquirere in futuro Deo annuente poterit infra Padum & Atteſin fluvium , vel infra Padum & Sandalum , & quantacumque in Apoſtolice Sedis Privilegio releguntur ; verum etiam queque habet , aut acquirere in Civitate Ravenna , & in toto Exarchatu & territorio ejus poterit , & infra totum Comitatum Comaclenſem , & Gavellenſem , & Ferrarienſem , & Mutinenſem , & Bononienſem , & Cornelienſem , & Faventinum , & Livienſem , & Pupilienſem , & Ceſenatem , & Montemferetranum , & Ariminenſem , Fanenſem , Peſaurienſem , Urbinenſem , Caſtellanum , Gubinum , Peruſinum , Mantuanum , Briſſienſem , Cremonenſem , Aſtenſem . Et nominative Curtem , que vocatur Cerri , quam olim dedit ſupraſcripto Monaſterio Berta Comitiſſa . Ac etiam quicquid habet , vel acquirere Deo annuente poteſt infra totum Comitatum Veronenſem , Vicentinum , Paduanenſem , Tarviſienſem , Cenetenſem , Concordienſem , & in omnibus quoque locis per totum noſtrum Regnum Italicum conſtitutis : cum areis , edificiis , Caſtris , Capellis , ſilvis , pratis , paſcuis , paludibus , ſalectis , olivetis , vineis , montibus , vallibus , planitiebus , aquis , aquarumque decurſibus , piſcationibus , venationibus , ſalinis , & cum omni utilitate , que vel nominari vel ſcribi poteſt , tam in Civitatibus quàm in earum partibus , ſeu quibuslibet locis perſiſtentibus , ut ſupra diximus , firmiſſima & Imperiali corroboratione conſtituimus & confirmamus.

Preterea concedimus & Imperiali auctoritate decernimus , ut ſupradicti Monaſterii Fratres liberam facultatem habeant a quolibet adipiſcendi poſſeſſiones & recuperandi , videlicet ſi poſſeſſiones quoquo modo ſibi pertinentes ab aliquo vel ab aliquibus injuſte detinentur , & tertio a Fratribus aut ab aliis ex nomine ſepe dicti Monaſterii , vel etiam uno peremptorio edicto a noſtro Judice , vel Auctoribus illius , quod petitur , fuerit commonitus , ſi juſtitiam facere noluerit , liceat Fratribus ejuſdem Monaſterii Imperiali Privilegio munitis , cum omni juſtitia , & ſive nulla lege contradicente , ipſas ingredi poſſeſſiones . Inſuper indulgemus , & Imperiali edicto ſtatuimus , ut nulla preſcriptio , niſi centum annorum eis opponatur , & ut preſcriptione quadraginta annorum ſe ab omnibus tueantur . Ad hec decernimus , & Imperiali lege inretra-

A *ſtabiliter ſancimus , ut nulli Clerici vel Monachi , nulli Laici Monaſterii Sancte Marie in Pompoſia , neque cujuſcumque ſue obedientie , per ſe vel per ſuos Advocatos de cetero in quacumque controverſia jusjurandum compellantur aliqua ratione ſubire , ſed noſtra Imperiali lege ab omni juramento omnes immunes exiſtant . Sed ipſum Monaſterium cum ſuis obedientiis ab omni infeſtatione ſeu moleſtia immune exiſtens , nec Civitati nec alicui Poteſtati , collectam , fodrum , albergariam perſolvat , ſive ad muniendam Civitatem , ſeu ad Caſtrum edificandum , ſed nec pro adventu Imperiali vel Regali , vel etiam alicujus Principis , nulla denique gravamina alicujus occaſionis obtemptu ſentiat . Nec* B *in tota Inſula Pompoſiana ſine voluntate & juſſu ac licentia Abbatis ejuſdem ſupradicti Pompoſiani Monaſterii perſona aliqua capiatur , nec res alicujus violenter auferantur , prout circumdatur a Fluminibus Pado ſcilicet & Gauro & Mari ; nec non in ipſorum litoribus & ripis , nec infra mare ad unum milliare , nec infra totam Maſſam , que vocatur Lacus Sanctus . Preterea amore ejuſdem intemerate Genitricis Dei Virginis beatiſſime Marie , per Imperialem auctoritatem atque Regalem dignitatem , conſtituimus & ordinamus , atque irrefragabiliter firmiterque precipimus , ut numquam locus ipſe aut res ad ipſum pertinentes alicujus ſubmittantur perſonæ , niſi Regiæ vel Imperiali dictioni ,* C *nullusque mortalium preter Imperialis poteſtatis culmen in prefato Monaſterio Pompoſiano , aut in Curtibus , Caſtellis ſuis , in Plebibus aut Cellis , ſeu Villis , vel omnibus rebus mobilibus & immobilibus ipſi pertinentibus , nemo in ſervis domini , aut in famulis utriuſque ſexus , ſive etiam in liberis ſuper terram ejuſdem Monaſterii reſidentibus , aliquam ordinationem aut juriſdictionem vel poteſtatem tenere , aut converſationem Monachorum impedire , ſeu moleſtiam inferre preſumat , vel in aliquibus locis ipſius diſtrictum habere ſeu placitum tenere , aut rem Monaſterii invadere , vel quovis modo alienare , aut fodrum vel paratas , ſeu aliquas publicas functiones exigere aut requirere audeat.* D *Ipſius quoque proprietatem Monaſterii , totam Inſulam Pompoſianam , in qua manet prefatum Monaſterium , & totam Maſſam , que vocatur Lacus Sanctus , & totam Curtem Huſtulati , tam a poteſtate Archiepiſcoporum Ravennatum , quàm omnium mortalium , preter Regie ſublimitatis inrevocabiliter ſubtrahimus , & liberam eſſe cenſemus , Regali tantummodo vel Imperiali ſubmiſſum ditioni vel defenſioni . Liceat igitur Johanni Abbati prefato Monaſterio Pompoſiano , ejuſque ſucceſſoribus prefatam Abbatiam regulariter regentibus , ipſum Monaſterium cum omnibus ſibi pertinentibus rebus , quo legiptimo modo voluerint tractare , omnium perſonarum contradictione remota , & nullius magne ,* E *modice vel minime perſone contradictionem timere , & nullius perſone parve vel magne , niſi noſtre de placito reſpondentes , & ab omni angaria ſive fodro tam noſtro quamque Miſſorum noſtrorum , ſeu omnium ſecularium poteſtatum cum ſuis omnibus remoti . Hec autem omnia ſepe dicta Monaſterii Pompoſiani cum ſuis obedientiis & Fratribus ibidem Deo & beate Marie pro tempore ſervientibus , omni contradictione procul remota , vobis perficere eternaliter ſtatuentes , Imperiali auctoritate jubemus , & ſub pena ducentarum Librarum auri puriſſimi prohibemus , ut nullus Archiepiſcopus , Epiſcopus , Dux , Marchio , Comes , Vicecomes , Capita-*

pitaneus , Valvaſſor , Conſul , Rector , ſed nec aliqua Civitas aut Poteſtas , nullaque Regni noſtri magna ſeu parva perſona de his omnibus aliquid infringere vel diminuere preſumat . Et ſi aliquis , quod abſit , aliter preſumpſerit , Imperiali banno ſubjaceat , & ducentas libras auri puriſſimi componat , medietatem Camere noſtre , & alteram partem ſepe dicto Monaſterio Pompoſiano . Quod ut ratum & inconvulſum omni tempore in poſterum permaneat , preſentem paginam Sigilli noſtri impreſſione communimus .

In Summario MSto Privilegiorum Pompoſiani Monaſterii duo ejuſdem Friderici I. diverſa Diplomata commemorantur , ambo data *Venetiis Anno MCLXXVII.* In altero , ut ibi legitur , *exſtat Bulla aureo Sigillo pendenti munita* . Ab altero pependiſſe olim creditur Sigillum plumbeum. Vide infra Diſſertat. LXX. *de Cleri Immunit.* ubi ejuſdem Friderici alterum Diploma producam . Verùm quum hinc inde hoſtes Pompoſianis Monachis imminerent, eorumque jura invaderent , ſatius tamdem iis viſum eſt , ſubdere Ferrarienſi Populo , ejuſque Principibus Inſulam ſuam , eo denique ſucceſſu , ut nunc uni Ferrariæ illa regio ſubſit , & illuc etiam translati ſint Monachi. nunc Monaſterium Sancti Benedicti incolentes ; ſpiritalis autem juriſdictio inter Præpoſitos Pompoſianes (quorum electio jure patronatus ad Sereniſſimos Duces Mutinæ ſpectat) & Epiſcopum Comaclenſem adhuc ſit controverſia . Cenetenſis quoque Epiſcopus olim in omnes fere terras ac homines ſuæ Diœceſis temporalem auctoritatem exercebat . Conſpicati Tarviſini finitimi opportunum tempus , nervos omnes intenderunt , quo opulentam hanc prædam ad ſe pertraherent . Itaque armorum terrore , cædibus ac rapinis Cenetenſem agrum adorti, tamdem Matthæum Epiſcopum Anno MCXC. ad concordiam adegere ; cujus exemplum Archivo Eſtenſi ego acceptum refero; mihi verò referent, quicumque legere amabunt .

Concordia Matthæi Epiſcopi Cenetenſis cum Communi Tarviſii , per quam ille Tarviſinorum juriſdictioni Terras Epiſcopatus ſui ſubjici patitur Anno 1190.

IN Chriſti nomine . Anno Domini MCXC. Indictione VIII. die Lune VIIII. intrante Julio : preſentia Widonis de Ainordo , Florii , Johannis Boni Divitis , Johannis Bonitovarii , Montenarii , Maynenti , Uberti , Magiſtri Johannis , Fulconis Judicum , Bonepartis , Capitis Lupi , Comitis Rambaldi , Bartholomei de Furlana , Aberani , Gomberti , Conſtantini de Hrirobutto , Gerardini Novelli , Philippi de Girardo , Odorici de Nordiglo , Aliati de Varda , Lazerini de Sizone , Tonſi de Porta , Leonardi Capitalis , Jacobini de Turco, & aliorum . Dominus Mattheus Cenetenſis Epiſcopus ſubſtinebit & ſubportabit , ut Commune Tarviſii exerceat ſuper omnes Terras ſui Epiſcopatus , & Terras Canonice , & habitatores ſui Epiſcopatus , & habitatores Canonice a montibus infra , & Liguencia infra , talem juriſdictionem & poteſtatem in integrum , qualem Commune Tarviſii habet in propriis , & Terris Coneclani ; & idem juris teneatur & ejuſdem ſummæ de juſtitia facienda in ſupradictis Terris coram dicto Epiſcopo , quod tenetur de Terris Coneclani , excepto hoc quod ſpiritualis perſona Epiſcopi , & ſpirituales perſone Canonicorum Cenetenſium non teneantur facere aliquam collectam , ſeu dadeam , ſeu & expeditionem vel publicum Communi Tarviſii . Ad hec memoratus Dominus Epiſcopus in plena Concione propria manu juravit , ſe omnia ſupradicta toto tempore vite ſue obſervaturum in integrum, & neque per ſe , neque per aliquam ſubmiſſam perſonam ſub aliqua occaſione contraventurum. Et ſi aliquis contra hoc ſtatum venire vellet , & Commune Tarviſii impedire , juravit bona fide obſtaturum . Vice verſa Dominus E . . . . . Tarviſii Poteſtas pro ſe & Communi Tarviſii in plena Concione juravit , regere & cuſtodire homines Epiſcopatus , Terras Epiſcopatus , & homines & terras Canonice , ſicuti jurat homines Tarviſii regere , & continetur in quaternione Communis Tarviſii , & ſpecialiter manutenere Epiſcopum Cenetenſem , & omnes ſuos in ſua juſtitia , nec contra hec venire . Et quod iſta ſacramenta fient ab omnibus Conſulibus & Poteſtatibus poſt eum venientibus ; & jurabunt omnes Conſules & Poteſtates , qui poſt eum pro tempore venient . Et faciet hoc ponere in quaternione Communis Tarviſii .

Actum Tarviſii in Curia Majori in plena Concione .

Ego Litaldinus ſacri Imperii Notarius interfui & ſcripſi .

Supra vidimus , adductos fuiſſe & ipſos Cenetenſes Anno MCXCIX ad accipiendam *Cittadinantiam* Tarviſinæ Urbis , multaque onera ſubeunda . Quum tamen aut impotentius ſe Tarviſini in novum Populum gererent , aut pacta religioſe nequaquam ſervarent, aut etiam quòd Epiſcopus quæ invitus fecerat , exinde improbaret : inter ipſum ac Tarviſinos gravis diſcordiæ ſemina pullularunt , atque iterum bello decertatum eſt . Reſiſtere non valens Epiſcopus , Anno MCCIII. novâ concordiâ initâ , finem tot turbis impoſuit . Ejus autem exemplum ex eodem Archivo Eſtenſi petitum, omnibus ſpectandum heic exhibeo .

Concordia altera inita inter Matthæum Cenetenſem Epiſcopum, & Commune Tarviſii ſuper juriſdictione Tarviſinorum in Terras Epiſcopatus Cenetenſis, Anno 1203.

Anno Domini MCCIII. Indictione VI. die Sabbati XIII. intrante Decembri. Hæc eſt poſta inter Domnum Matthæum Cenetenſem Epiſcopum ex una parte, & ex altera Dominum Nicolaum de Foro, Tarviſii Poteſtatem nomine Communis Tarviſii, ita videlicet quod Domnus Matthæus Cenetenſis Epiſcopus ſubportabit & ſuſtinebit, & non defendet, quod Commune Tarviſii exerceat talem juriſdictionem ſuper Terras Epiſcopatus Cenetenſis & Comitatus, & eorum diſtrictus, qualem exercet ſuper Terras Epiſcopatus Tarviſii & Comitatus & eorum diſtrictus, ſalvo omni Comitatu ipſi Epiſcopo, & ſalva juriſdictione, quam habebat tempore ſui receſſus & diſcordiæ inter ipſum & Commune Tarviſii, & ſalvo eo quod Commune Tarviſii poſſit exercere talem juriſdictionem ſuper Terras Epiſcopatus Cenetenſis & Comitatus, qualem dictum ſupra. Hoc excepto, quod omnes habitatores de ſuo diſtrictu habeant poteſtatem & poſſint deponere querimoniam coram Poteſtate vel Conſulibus, qui pro tempore fuerint in regimine Civitatis Tarviſii, de qualibet re & ſumma. Et quod aperiet Caſtra & Terras ſui Epiſcopatus Communi Tarviſii per pacem & werram, & quacumque hora vel Communi Tarviſii, vel alii perſonæ, quæ Communi placuerit, bona fide & ſine fraude. Et ſalvabit Commune Tarviſii in rebus & perſonis per totum ſuum Diſtrictum. Et faciet finem & pacem ac remiſſionem Domino Nicolao Tarviſino Poteſtati pro Communi Tarviſii, & toti ſuæ parti recipienti, de omnibus injuriis, maleficiis, & dampnis datis per homines Tarviſii & ſuæ partis nomine Communis; ipſi Epiſcopo vel hominibus ſui Diſtrictus. Et ſi aliqua querimonia facta fuerit de ipſo Epiſcopo & ſuis coram Poteſtate vel Conſulibus Tarviſii, qui pro tempore fuerint in regimine Civitatis Tarviſii, quod facient rationem ſub eis, ſecundùm quod Epiſcopus Tarviſinus & Cenetenſis faciunt. Et hoc totum fecit idem Epiſcopus verbo & conſenſu Domini Ugerii, Domini Ripoldi, Milidioni Cenetenſium ſuorum, & ipſis præſentibus. Quæ omnia prædicta attendere & obſervare, ut ſuperius dictum eſt, & nulla occaſione contravenire idem Domnus Epiſcopus Matthæus ſuo ſacramento firmavit, & propria manu juravit. Et vice verſa Dominus Nicolaus Tarviſii Poteſtas pro Communi Tarviſii promiſit & juravit attendere & obſervare ipſi Epiſcopo ſecundùm quod continetur in poſta facta inter ipſum Epiſcopum & Commune Tarviſii ſub Poteſtaria D. E.... ut in ipſius poſta continetur, & ut dictum eſt ſupra. Et quod promittet exercere Comitatum ſuum & juriſdictionem ſecundùm quod pro tempore diſcordiæ inter ipſum & Commune Tarviſii exercebat, ſalvo eo quod eſt detractum, & quod dictum eſt ſupra in poſta, quam Communi Tarviſii idem Epiſcopus debet ſervare. Et quod non contradicet nec prohibebit ipſum Epiſcopum exercere ſpiritualia & omnia alia, quæ ad ſpiritualia pertinent & exſpectant. Et quod reſtituet ipſum in omni poſſeſſione vel quaſi, in qua erat tempore receſſionis a ſuo Epiſcopatu propter diſcordiam inter ipſum & Commune Tarviſii, quæ conſtabat tunc poſſidere; & ſi aliqua dubitatio de ipſa poſſeſſione vel quaſi, emerſerit, tunc poſſeſſio illa remaneat apud ipſum poſſidentem, donec dictus Epiſcopus probaverit ſe poſſediſſe pro dicto tempore receſſionis, ſalvo jure pignoris vel dominii vel quaſi. Et fecit finem & pacem ac remiſſionem &c.

Actum Tarviſii in Eccleſia Majori præſentia Domini Ambroſii Tarviſini Epiſcopi, Domini Almengerii Decani, Presbyteri Martini, Presbyteri Enrici, Domini E..... de Romano, Comitis Rambaldi, Comitis Anſediſii, & Fratris Wecellonis de Camino, Biaquini fratrum, Johannis Bonepartis, O. de Nordiglo, Florii, Johannis Boni Divitis, Dapoldi, Fulconis Judicum, Michaëlis Manfredini, Petri Dectadella, Almerici, Wilielmi, Leonardi, & aliorum.

Ego Turcus Domini Friderici Imperatoris Notarius interfui, & juſſu dicti Epiſcopi ſcripſi.

Procedente tamen tempore quum nullus eſſet bellorum modus, quod reliquum ditionis erat, ereptum fuit Epiſcopo Cenetenſi. Ita nihil reverentiæ ferreis illis Sæculis habebatur ſacris perſonis & locis: ſed quiſque, utcumque poterat, ex eorum ſpoliis diteſcebat. Fuerunt ſane tunc nonnulli ex Eccleſiæ Proceribus, qui non ſecus ac Laici militarem animum induentes, dubiam ſubire bellorum aleam, & inducere in prœlium cohortes minime ſibi religioni duxerunt. Si lævam fortunam experti in prædam victoris ivere, ereptaſque ditiones non amplius recuperarunt: nil profectò mirandum. Quod tamen non ita dictum velim, quaſi victoribus licuerit quæ in jure Eccleſiarum erant, ſibi tribuere ac perpetuo retinere. Nam vel ſecundùm Leges Imperii, uti ſupra innuebam, ubi Epiſcopus vel Abbas feudum ab Imperatore ſeu Rege datum habens, ob rebellionem aliave crimina deliquerit, ei quidem dum vivit, beneficium abjudicatur; *poſt mortem vero ejus ad ſucceſſorem ejus revertitur feudum*, uti habetur Lib. II. Feudor. Tit. 40. *l. hæc ſunt capitula*. Idque non immerito, quia ut ſcribit Otto Friſingenſis Libro II. Cap. 12. de geſt. Friderici I. *Eccleſiarum feuda non perſonis, ſed Eccleſiis perpetualiter a Principibus tradita ſunt*. Verùm plerique e ſacris Præſulibus, quamquam a bello abſtinentes atque abhorrentes, neque juſtam ullam iræ cauſſam finitimis Urbibus, aliiſve potentibus viris præbentes, ſuarum nihilominus ditionum jacturam ſunt paſſi. Ea nimirum tempora currebant, quibus humana ambitio & cupiditas plus virium in cordibus mortalium habuere, quàm Religio & pius divinæ juſtitiæ metus; & tunc certe turbidi hujuſmodi affectus ultra modum publicam ſocietatem turbarunt, ſed maxime omnium Eccleſiarum patrimonia ſus deque verterunt. Quantum a bello ac turbis abeſſent ſacri Virginum religioſarum cœtus, nemo non intelligit. Olim & iſtis fuere Caſtella, Arces, & Oppi-

Oppida ex piorum hominum, aut Regum & Auguſtorum dono: ſed ne ſic quidem illæ communem calamitatem evaſere. Lectorem non pigeat accipere, quibus olim Caſtellis imperarent inſignia duo Ticinenſium Sanctimonialium Collegia. Aſceterium Senatoris antiquiſſimum, quia Anno DCCXV. Liutprando regnante conditum, adhuc ibi ſplendide floret, & nobiles virgines Ordini Benedictino addictas alit. Earum Abbatiſſæ Sinelindæ Privilegium hoc impertitus eſt Fridericus I. Auguſtus, cujus exemplum mihi Ticini olim agenti ſuppeditatum eſt.

Fridericus I. Imperator Monaſterio Monialium Ticinenſium, quod appellatur Senatoris, omnia privilegia & jura illius confirmat, Anno 1161.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Federicus divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Si religioſis petitionibus facilem præbuerimus aſſenſum, ut fidelis devotio celerem ſortiatur effectum, & ſi locis divinis cultibus mancipatis aliquod ex noſtræ liberalitatis munificentia præſidium vel beneficium impendimus, & ad Imperii noſtri dignitatem, & ad utriuſque vitæ felicitatem nobis profuturum non ambigimus. Quapropter omnium Chriſti fidelium tam futurorum quam præſentium ſolertis induſtria noverit, qualiter Monaſterium, quod dicitur Senatoris, infra Ticinenſem Urbem conſtructum & in honore beatæ Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ Deo dicatum, ob remedium animæ noſtræ, & interventu venerabilis Abbatiſſæ Sinelindæ, nec non ſedulæ perſonæ Wolfranci *Marſchalchi noſtri, noſtræ libertatis, & denuo, ſicuti ſemper Regalis fuit, reſtituimus, & more anteceſſorum noſtrorum Regum & Imperatorum eidem almæ Congregationi confirmationis & tuitionis præceptum fieri juſſimus, eo videlicet tenore & ordine, ut Sinelinda Abbatiſſa, ceteræque, quas Deus ibi ordinaverit, cum omni ſua Congregatione integram teneat Abbatiam cum omnibus ſuis adjacentiis & pertinentiis ſuis infra Regnum Italicum, cum omnibus mobilibus & immobilibus rebus, quæ dici vel nominari poſſint, liberis & ſervis utriuſque ſexus, aldionibus & aldiabus ejuſdem Senatoris Cœnobii terram habitantibus; ut nulla magna parvaque perſona noſtri Regni eoſdem homines liberos & ſervos legem facere aut diſtringere pro aliquo minus facto compellat, niſi Advocatus, cui ipſa Abbatiſſa injunxerit officium, ipſe auctoritate ex noſtro præcepto habeat poteſtatem, omnem rationem hominum ſæpe dicto Cœnobio ſubjectorum definiendi, ſicut ante noſtram præſentiam, aut noſtri Comitis Palatii, vel noſtri Miſſi, Caſtellis, Capellis, & Caſis, tam infra Civitates quàm extra, ubique locorum poſitis. In primis Eccleſias & caſas & hortos infra Ticinenſem Civitatem & de foris; reliquas quoque res jure pertinentes infra Regnum noſtrum adjacentes, videlicet Curtem, quæ vocatur Porlicia cum Alpe in Camuſia, & cum omni reliqua integritate ſua, cum piſcaria & portu: Curtem etiam Res, quæ eſt ſupra Lacum Cumanum cum omni ſua integritate: Curtem Mandina, cum omni ſua integritate ſeu obſequio, quod unquam ad partem publicam facere conſuevit, vel ibi facere viſa eſt: Curtem Ranaverſa cum Caſtro, quod dicitur Ruptaripa, cum omni ſua pertinentia: Curtem Solariolo cum Capella Sancti Johannis ſita in Monteferrato cum omni ſua pertinentia: Curtem Caſellæ cum Caſtro & cum omni ſua pertinentia, ita ut de ipſo Caſtro teloneum nullus exigat, nec diſtrictum aliqua publica poteſtas ibi faciat, ſed tantùm Miniſterialis vel Miſſi ipſius Abbatiſſæ, quæ modò eſt, vel futura eſt: Curtem etiam Caſale cum Sala, & Sancto Hilario, & Caſtro, quod dicitur Viqueria, cum omnibus illarum pertinentiis, teloneis vel diſtrictis: Curtem Sarmadas cum Semenia, & Puteoſalſo, cum omnibus earum integritatibus: Curtem Rivonigro, quod dicitur Maſſa Damiani cum omni ſua pertinentia: Partem etiam quartam Caſtri de Monte Dondono cum omni pertinentia, & cum iis, quæ in futuro legitime acquireret; adeo ut ſupradictas res cum omnibus earum integritatibus & pertinentiis præfata Abbatiſſa, ſucceſſoreſque ejus, quæ pro tempore fuerint, & ſecundùm loci utilitatem, teneant; & ſpecialiter naves & portus, & quæ neceſſaria ſunt, per Lacum Luenaſcum poteſtarie & abſque ulla inquietudine vel detentione, vel ulla alia exactione publica deſervire, vel . . . . . . liceat, ubicumque utilitatis deveniant; in quas nullus præſumat noſtri Regni incola ingredi ad hoſpitandum, paratas ſeu parafredas ſive fidejuſſores tollendas, aut ullum teloneum exigendum.*

Nec Papienſis Epiſcopus præſens, aut qui ſucceſſor ejus fuerit, prælibatæ Sinelindæ Abbatiſſæ, aut ſuis ſucceſſoribus aliquam moleſtiam inferat, nec cauſâ celebrandi aliqua Officia intra teneatur Monaſterium, ſeu ſacrationem ejus, verùm etiam aliquam ſubjectionem exquirere, niſi ſupradictæ Abbatiſſæ aut ſucceſſorum ejus petitione, aliquo modo præſumat, ſed ſicut in teſtamento Senatoris definitum eſt, inconvulſum permaneat. Volumus & jubemus firmiter, Caſis, Curtis, hortis, vineis, paſcuis, pratis, cultis & incultis, ſilvis propriis, & a noſtris Anteceſſoribus conceſſis, ut in Carbonaria, & in Gajo, ſecundùm Abbatiſſæ libitum, cædere ligna libeat, omnium hominum remota contradictione, buſcalibus, ſtallareis, viis publicis, venationibus, piſcationibus fluviorum & lacuum, præſertim in Pado, & in Ticino, & in Lacu Luanaſco, ſeu in Cumano, tam in Portu Cutio, quam in Portibus antedictorum Fluviorum aut Lacuum in cujuſvis ripis, aut ubicumque neceſſe fuerit figere naves aut conſiſtere abſque reddito & tolonatico omni tempore liceat. Confirmamus etiam eidem Cœnobio duo Vada ad piſcandum in Flumine Padi, unum quod nominatur a Cerru de fine Caput Lactis uſque in Flumine Corionæ ſimul cum ripariis, alterum verò in Kallendaſco de fine Caput Liardi uſque in finem Caput Hominis deſuper, una cum ripariis & molendinis, aquis, aquarum ductibus, fontaneis, amputatis omnium hominum fatigationibus. Confirmamus Curtem in Sala, unde jam multæ altercationes contra partem hujus Cœnobii non naturali lege exortæ fuerunt, ſed legaliter pars hujus Cœnobii victrix extitit, ac ita fruatur & potiatur, noſtra Regalis dignitas adſtipulatur, abſque inquietudine alicujus hominis aut Epiſcopi Dertonenſis, aut in circum locis poſitis, videlicet tam infra Caſtrum

ſtrum

ſtrum Vigueriæ , quàm extra in manſionibus aut aquarum ductibus , ſeu viis publicis . Præterea corroboramus tria Maſſaritia a bonæ memoriæ Majoris Ottonis dono , & Adelegide Imperatrice huic Monaſterio conceſſa , ſita in loco , qui Roncalia dicitur , integre cum omnibus pertinentiis , & ad ſe proſpicientibus , ut ſecuriter teneat omnium hominum ſublata contradictione ; eâ gratiâ , ut nullus Dux , Marchio , Archiepiſcopus , Epiſcopus , Comes , Vicecomes , aut alicujus Reipublicæ exactor , parvaque , magnaque noſtri Regni perſona inquietare , diſveſtire præſumat de ſupradictis rebus illius Senatoris Cœnobii prænominatam Abbatiſſam ſive ſucceſſores ejus , aut ſibi ſubjectos , liberos aut ſervos utriuſque ordinis , ſalvâ per omnia Imperiali juſtitiâ noſtrâ . Et ſi inventus fuerit , qui contra hoc præceptum hujus confirmationis facere ſe oſtenderit , ſciat ſe compoſiturum centum libras auri optimi , medietatem Cameræ noſtræ , & medietatem prædictæ Abbatiſſæ & ſucceſſoribus ejus . Et ut verius credatur , diligentiuſque ab omnibus obſervetur , præſentem paginam ſigilli noſtri impreſſione muniri juſſimus .

Signum Domni Federici Romanorum Imperatoris invictiſſimi .

Ego Ulricus Cancellarius vice Rainaldi Colonienſis Archiepiſcopi recognovi .


Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCLXI. Indictione IX. Regnante Domno Federico Romanorum Imperatore glorioſiſſimo , Anno Regni ejus . . . . . . Imperii verò VII.

Datum Papiæ , XIII. Kalendas Maji , feliciter . Amen .

Alterum ſacrarum Virginum Cœnobium , inſigne & ipſum , ſub regula Sancti Benedicti noſtris quoque temporibus Ticini viſitur , quod olim *Monaſterium Reginæ* , & *Sancti Salvatoris* , nunc *Sancti Felicis* appellatur . Plura illi collata fuere ab Ottone II. Auguſto ; ſed quoniam ſub oculis habui Diploma autographum , illuſtribus iis Sanctimonialibus ab Ottone III. conceſſum , atque in earum Tabulario , ut par eſt , ſolicite adſervatum , eidem in præſenti Diſſertatione ſit locus .

Donatio ſeu confirmatio multorum Caſtrorum ac Villarum facta ab Ottone III. Imperatore Monaſterio Monialium Ticinenſium Salvatoris, ſive Reginæ, Anno 1001.

In nomine ſancte & individue Trinitatis . Otto Tertius ſervus Apoſtolorum . Omnium fidelium noſtrorum tam preſentium & futurorum noverit univerſitas , quod nos ob Dei omnipotentis amorem , & anime noſtre remedium , atque ut a peccatorum nexibus abſoluti veniam mereamur eternam , Monaſterio Domini & Sancti Salvatoris , quod dicitur Regine , in quo habetur precioſum Lignum ſancte Crucis , quod temporibus glorioſi atque victorioſi Imperatoris II. Ottonis a bone memorie Benedicto Epiſcopo eterne Urbis Hieroſolimis inventum eſt , dedimus , & confirmamus medietatem de duabus partibus ex Caſtellis vel Curtis ſeu Villis , cum aldiis utriuſque ſexus , atque cum omnibus pertinentiis , nomina quorum vel quarum hec ſunt ; Quoronate , Caſtronovo , Rocca ; item Coronatem , & Caſtro Inſula , que nominatur Majore infra Lacum Majorem , Lexa , Valle Summovico , Mezanuga , Villa Bulgari , Colonaco , Sebiate , Paſſeriano , Verderio , Veduſclo , Salimputeo , Tricio , Conciſa , Ambreciaco , Ambeciaco , Bugenaco , Boſonaco , Curunaſto , Terrentiſſi , Vigueria , Pinioli , Moreniſe , & Faginaſce , Bibliano , Sparoaria , Striſxia , Bavena , Cariciano , Leocarni , Yervejam de duabus portionis medietate , ſcilicet de caſis & tribus Capellis , que ſunt conſecrate una in honore Dei & Domini Salvatoris , allia in honore ſancte Dei Genitricis Marie , tercia in honore Sancti Romani , cum curtibus vel ortibus ſeu putteis ibi habentibus , que videntur eſſe in Civitate Papia tam ad locum ubi dicitur Monaſterio Bernardi , quamque in reliquis locis infra predictam Civitatem . Item alia Curte que dicitur Stazona , ſeu Caſtelli , & Paniano , cum ſervis & aldiis utriuſque ſexus . Que omnia dedit & conceſſit nobis Liutefredus Tertonenſis Epiſcopus ob hoc , quod omnipotens Deus ſibi conceſſit victoriam , nec non propter rectum judicium , quod fecimus inter eum & Richardum atque Waldradam ex jam prenominatis rebus . Unde hec omnia in omnibus ad utilitatem donamus , ad victum ſcilicet & uſum Monacharum Deo militantium in loco , ubi ipſius Crucis Domini patrocinia haberi videntur , in quo Abbatiſſa Domna Geppa , vel ſibi ſucceſſure , preeſſe dinoſcuntur . Si quis igitur hoc preceptum violare aut corrumpere ſine legali judicio temptaverit , componat centum libras auri cocti , medietatem Camere noſtre & medietatem predicte Abbaptiſſe Domne Geppe , ſuiſque ſucceſſuris ; ipſeque violator & hujus precepti contemptor anathemate peremni ſit conſtrictus , vel cum omni maledictione , que in Novo aut in Veteri Teſtamento habetur , perhenniter interemptus . Et ut traditio firma permaneat , hanc paginam manu propria roborantes inſigniri precepimus .


Signum Domni Ottonis  *Ceſaris Invicti .*

Heribertus Cancellarius vice Wiligiſi Archiepiſcopi recognovi .

Data XI. Kalendis Decembris , Anno Dominice Incarnacionis Milleſimo Primo , Indictione XV. Anno Tercii Ottonis , Regni XVII. Imperii VI. feliciter .

Actum Ravennæ .

Pendet Bulla plumbea




Egre-

Egregium appellare mihi liceat hujuſmodi Diploma, quum adhuc ibi cernatur Bulla plumbea, in cujus antica parte occurrit effigies juvenis Imperatoris cum literis AVREA ROMA. In poſtica verò parte legitur ODDO IMPERATOR ROMANOR. Pendet ipſa Bulla ab extremo pergamenæ per vittam oblongam, ſive faſciolam membranaceam, quæ per medium plumbum tranſiens, illud connexum Diplomati retinet. Id quidem rarum mihi viſum eſt. Clariſſimus Fontaninius in Libro, cui titulus *Difeſa Seconda del Dominio temporale della Sede Apoſtolica ſopra la Città di Comacchio*, alterum Diploma Ottonis III. Auguſti, jam evulgatum ab Ughellio, Margarino, & aliis, in quo habetur *concambium* Monaſterii Pompoſiani, quantis potuit viribus exagitavit, & confictum prorſus eſſe contendit: cujus tamen vindicias dedi ego Cap. XVI. *Plenioris Expoſitionis Jur. Imperial. & Eſtenſ. in Comacl.* eaſque confirmare in præſentia non inutile fuerit. Inſolens omnino Cenſori videbatur Inſcriptio Pompoſiani Diplomatis, nempe *Otto Tertius Servus Apoſtolorum*. Antea ego alia exempla ejuſmodi depromſi; ſed omnium vice erit Diploma nunc mihi editum, in quo

A totidem literis idem titulus occurrit. Riſum quoque Cenſori movebat illud *Actum Ravennæ, X. Kal. Decembris Anno MI.* quod in Pompoſiano Diplomate legitur; non enim veri videbatur ſimile, Ottonem III. Ravennæ fuiſſe die 22 Novembris Anno MI. quum Januario menſe ſubſequentis Anni MII. Romæ verſatus fuerit, & die 23. ejuſdem menſis Paterni e vita exceſſerit. Atqui jam Lector videt, iſtud quoque Diploma datum fuiſſe ab Ottone III. *Ravennæ XI. Kalendas Decembris, Anno MI.* ideoque evaneſcere umbras ab exorbitanti cenſuræ ſtudio excitatas. Illud ſolum præterire nolim, Pompoſiano Diplomati ſubſcripſiſſe *Heribertum vice Petri Epiſcopi* Archicancellarii Italiæ: B quod aliis permultis exemplis factum oſtendi; at heic eumdem quidem Heribertum ſubſcribere, ſed *vice Wiligiſi Epiſcopi*. Temere nos plane agamus, ſi veterum quorumdam rituum atque actorum male conſcii, ideo falſi crimen Chartis inſcribimus, quod in iis explicare obſcura quæque neſcimus. Vide alterum ſimile Diploma, quod infra dabo in Diſſertatione LXVI. *de Monaſt. Monial.* Tertium addo, quod autographum in Eſtenſi Archivo adſervatur.

Donatio duorum Monaſteriorum in Urbe Polenſi poſitorum, facta Friderico Archiepiſcopo Ravennati ab Ottone III. Auguſto, Anno Ch. 1001.

I*N nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis*. Otto *Tertius*, Servus Apoſtolorum, *Imperator Auguſtus Romanorum. Noverit omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque fidelium univerſitas, qualiter nos piæ petitioni dilectiſſimi noſtri, ſcilicet* Friderici Ravennatis Archiepiſcopi, *aſſenſum præbentes, quoddam Monaſterium intus Civitatem Pola, in honore Sanctæ Mariæ ſemper Virginis conſtructum, ſimul cum Monaſterio & Abbatia Sancti Andreæ Apoſtoli, foras eandem Civitatem in Inſula maris ſita, per noſtram Imperialem munificentiam in regimen perpetuum Ravennatis Archiepiſcopi, pro ut juſte & legaliter poſſumus, ad Altare Eccleſiæ ſanctæ Reſurrectionis donavimus, atque per hanc noſtri Præcepti auctoritatem, cum omnibus prefatæ Abbatiæ & Monaſteriorum legalibus pertinentiis in integrum, confirmamus: ut illam poteſtatem prefatus Fridericus Archiepiſcopus, ſuique Succeſſores in perpetuum habeant in jam predictis Monaſteriis, quam habent in Monaſteriis Sanctorum Apollinaris, Vitalis, & in aliis Monaſteriis. Confirmamus videlicet cum ſervis & ancillis, agris* C *cultis & incultis, ſilvis, venationibus, pratis, paſcuis atque compaſcuis, aquis, aquarumque decurſibus, paludibus, piſcationibus, Cellis, Capellis, colonis, manſis, atque maſſariciis, & cum omnibus rebus mobilibus & immobilibus, quæſitis & inquirendis, ſive aliis, quæ juſte dici poſſunt appendiciis. Precipientes igitur precipimus, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Archiepiſcopus, Epiſcopus, Abbas, Prepoſitus, Caſtaldio, Sculdaſius, ſive Villicus, ſeu aliqua Imperii noſtri magna parvaque perſona, preſcriptum Archiepiſcopum Fridericum, ſuoſque Succeſſores, vel eorum Miniſteriales, de rebus predictæ Abbatiæ, & Monaſteriorum pertinentiis, in nullo inquietare, nec ſine legali judicio audeat moleſtare.* D *Quod ſi quis violare & hanc noſtri Precepti auctoritatem temerare preſumpſerit, ſciat ſe compoſiturum auri cocti Libras centum, dimidium Cameræ noſtræ, dimidium ſupra memorato Archiepiſcopo, ſuiſque Succeſſoribus. Quod ut melius credatur, ac diligentius obſervetur, hanc cartam noſtræ traditionis propria manuſcriptione roboratam noſtra bulla ſubter juſſimus inſigniri.*

Signum Domni Ottonis  *invictiſſimi Imperatoris Auguſti.*

Heribertus Cancellarius vice Petri Cumani Epiſcopi recognovi.

Data II. Idus Decembris, Anno Incarnationis Domini MI. Anno Domni Ottonis Tertii, Regni XVII. Imperii VI. Indictione XV.

Actum Ravenne.

Foramen chordulæ, cui appenſa erat Bulla Imperialis deperdita.

Interim ex geminis Diplomatis, nunc a me juris publici factis, intelligere licet, ad jus Sanctimonialium Ticinenſium pertinuiſſe plura Caſtella & Vicos, quorum nonnulla noſtris quoque temporibus vigent, immo & a multis celebrantur ob eorum ſplendorem. Verùm Novocomenſes, in quorum finibus ea ſita fuere, ſuæ cupiditati temperare non potuerunt, quominus hæc etiam manſuetiſſimis Virginum cœtibus erepta, ſuæ tamdem poteſtati adjungerent. Ita Civitatum Liberarum Populi in Italia, quacumque occaſione oblata, ſive juſta ſive injuſta, dum vires ſuppeterent, in vicinos, ſuoſque etiam fratres, debacchati ſunt; & ex eorum ſpoliis publica res crevit; donec & ipſi inteſtinis bellis attriti aut ſponte adſcivere, aut coacti accepere novos Dominos: qua de re infra in peculiari Diſſertatione erit mihi ſermo. Nuper verò monui, indicatos a me fuiſſe in Diſſertat. XXI. *de Statu Ital.* Comitatus aliquot, inter nobiles Urbes antiquiſſimis etiam temporibus conſtitutos. Nunc addendum eſt, eos poſt Annum Chriſti Milleſimum aut in unius Familiæ illuſtris dominatione conſtitiſſe, aut in plures Toparchias diviſos, ceſſiſſe in ditionem *Capitaneorum* (quos *Cataneos*, aut *Cattaneos* etiam appellarunt) *Vavaſſorum*, *Caſtellanorum*, aliorumque hujuſmodi nobilium virorum illius ævi; denique verò ſingulos hoſce minores Comites ac Regulos, aut vi aut ponte, colla ſenſim ſubmiſiſſe Civitatum liberarum majori potentiæ. In ea Diſſertatione præ ceteris commemoratus eſt mihi Comitatus *Feroniani* in montibus, nunc *il Frignano*, ſive *il Fregnano*, ad meridiem Mutinenſis agri ſitus, & conterminus Bononienſi, Piſtorienſi, atque Lucenſi. Jam Anno MCL. univerſa illa regio, Caſtellis fortiſſimis, Oppidis, Villis, ac Arcibus abundans, varios dominos acceperat, ſive ii Populorum deditione voluntariâ, ſive armorum calore, ſive Imperatorum munere atque Inveſtiturâ locis illis dominarentur. Obortâ verò inter eos Caſtellanos diſcordiâ Mutinenſis Reſpublica, quæ fortaſſe contendebat, non ſecus atque Epiſcopalis Diœceſis, Comitatum quoque Urbis olim illuc ſe protendiſſe, non ſegnis ad incendium accurrit, factionemque eorum præcipuam (*Corvulorum* nomen ii aſſumſerant) adduxit, ut ſeſe Cives Mutinæ conſtituerent, ipſiuſque Civitatis dominationi ſubderent. En Chartam ex antiquiſſimo Regeſto MSto Communis Mutinæ deſcriptam.

Pacta, per quæ complures Nobiles Capitanei Provinciæ Friniani conſtituunt ſe Cives Mutinæ, excipiendo contra omnes homines Guelphonem Ducem, Anno 1156.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno ejuſdem MCLVI. duodecima intrante Menſe Martii, Indictione IV. Breve recordationis, qualiter Capitanei de Fregnano, videlicet omnes illi, qui appellantur Corvuli, *jurant unuſquiſque pro ſe ſalvare & adjuvare homines Mutine & eorum bona, ubicumque potuerint, ſine fraude. Et jurant omnes eſſe Cives Mutine, & defendere Civitatem infra confines ab omni homine*, exceptis tamen illis, qui juraverunt Fidelitatem DUCI GUELFONI, ſi venerit in Longobardiam, & habebit dominium Poſſeſſionis Comitiſſe Matildis, *quo dominio amiſſo, contra omnes homines. Poſtea & exceptis illis, qui ſunt Cives Bononie, qui non debent adjuvare Mutinenſes a Bononienſibus, ſi erunt extra predictos fines Mutine. Que nomina ſunt Henricus, & Raffacane, & Rainaldinus, & Radaldus cum ſuis filiis. Omnes vero alii jurant ſalvis eorum Dominis, quos habent vel ſine fraude acquirere debent, & eorum Vaſſallis, quibus non debent facere guerram cum Mutina. Et ſi Mutinenſes ad eorum domos eos inquietaverint, non teneantur, quominus eis ſuffragium parare non poſſint. Et jurant habitare Civitatem Mutine abſque Uxoribus unum menſem in unoquoque anno tempore pacis, & duos in tempore belli, niſi verbo Rectoris vel Rectorum Mutine remanſerit. De guerra vero adjuvare jurant uſque ad finem ſine fraude. Et inſuper jurant jurare in unoquoque anno omnes ſequi Rectorem vel Rectores Mutine, ſi ab eis requixitum fuerit. Et jurant facere jurare omnes eorum homines ſine fraude ad voluntatem Rectorum vel Rectoris Mutine, vel ad voluntatem certi nuncii predicti Rectoris vel predictorum Rectorum in unoquoque anno deinceps. Et jurant ſtradam Mutinenſibus per totam eorum terram ſine fraude ad voluntatem Rectoris vel Rectorum Mutine. Et jurant facere dare boatiam denarios ſex Lucenſis ex unoquoque pario boum omnibus eorum hominibus, exceptis illis Caſtellanis, ſine fraude, qui ſemper cotidiano uſu habitant per Caſtella, & exceptis eorum ſervis & Gaſtaldionibus ſine fraude, in unoquoque anno ſic debent dare boatiam, ut ſupra dictum eſt, omnes eorum homines. Et jurant facere cartulam proprietatis de Caſtro Saxi Marcii & de Curte & de Caſtro Galliadi & Curte, Communo Mutine, excepta parte Scaculini, & Falculini, quam ſi acquixierint, ſimiliter dare debent per cartam Rectori vel Rectoribus Mutine, qui pro Communo accipiant. Et ſi Communum Mutine aliquod in predictis Curtis acquixierit, eis in feudum dare debet omnibus. Predicta vero Caſtra debent dare Rectori vel Rectoribus Mutine ad offendendum omnibus eorum inimicis contra omnes homines ad voluntatem Rectoris vel Rectorum Mutine, ad hoc, ut eorum culpâ Caſtra non amittant. Et jurant ſalvare & adjuvare perſonas & eorum bona omnibus hominibus Mutine in predicta Caſtra contra omnes homines. Et ſi pro iſto negocio Mutinenſibus guerra in aliquo tempore apparuerit, Fregnanenſes jurant facere eam ſine fraude uſque ad finem.*

Jurant Mutinenſes ſalvare & adjuvare perſonas & eorum bona Fregnanenſibus, ubicumque potuerint, ſine fraude, ſalvis eorum Dominis, quos habent, vel quos ſine fraude aquirere debent, vel aquixituri erunt. Et ſi Fregnanenſes fecerint querimoniam de Gomolenſibus de Feudo, vel de proprietate, & ipſi facere noluerint juſtitiam, vel bonum uſum, vel convenientiam partibus ambabus placitam coram Rectore vel Rectoribus Mutine: tunc Mutinenſes debent facere guerram & adjuvare eos uſque ad finem, donec predicti Fregnanenſes erunt quieti de predicta querimonia ſine fraude. Et Galliadum & Curtem, & Saſſum Marcium & Cur-

A *Curtem dare debent eis in feudum, & adjuvare, defendere & retinere ab omni homine ſine fraude. Et guerram Gualandorum debent facere & adjuvare eos uſque ad finem. Et poſtquam quieti erunt de predicta guerra, ſi de predicta Caſtra aliam eis apparuerit guerram in aliquo tempore, uſque ad finem ſimiliter eos adjuvare debent ſine fraude. Et denarii illi, quos Mutinenſes habuerint de predicta Fregnanenſium boëtia uſque ad annos ſex debent dare in terram juxta Mutinam, & de eorum propriis nummis tot quot erunt illi de boacia, cum illis nummis de boacia in terram dare; & debent eos nummos deponere apud Abbatem Sancti Petri. Quam terram non debent vendere, nec pignori alicui dare ſine voluntate Rectoris vel Rectorum Mutine.* B *Et ſi Fregnanenſibus pro iſto negocio in aliquo tempore guerram apparuerit, Mutinenſes jurant facere eam uſque ad finem. Inſuper etiam ſi Rector vel Rectores Mutine concordiâ Rectorum Fregnanenſium & Baïſinorum aliquid addere vel minuere de Brevibus iſtis voluerint, habeant licentiam ſine fraude. Et in unoquoque anno debent jurare Rector vel Rectores Mutine, & hoc pactum Fregnanenſibus firmare, donec de guerra quieti erunt, niſi pro eis ſteterit. Unde duo Brevia uno tenore conſcripta ſunt.*

Ego Gandulfus Notarius Sacri Palatii ſcripſi.

Iterum heic nobis occurrit *Guelpho Dux*, cui videlicet ob Caſtra aliquot ad hereditatem Comitiſſæ Mathildis pertinentia Nobiles ii ſacramentum fidelitatis præſtiterant. Hoc ab aliis quoque eo tempore, & ſubſequutis annis factum, uti ſupra innui, & non paucis exemplis ante a oſtendi Par. I Cap XXX. Antiquitat. Eſtenſium. Novam nunc adtexo Chartam ex Archivo Eſtenſi deſcriptam, in qua de ipſo *Guelphone Duce*, ejuſque filio altero *Guelphone Duce* agitur, qui duos ante annos in obſidione Romæ finem vivendi fecerat. Atque heic noris, ſpectare iſta ad hereditatem Comitiſſæ Mathildis, quam non minus Romani Pontifices, quàm Imperatores ſibi tribuebant. Tunc autem in deterius iverant res Friderici I. Auguſti, ita ut Lombardi, & qui cum eis fœdere juncti erant, ſecundâ fortunâ ſuâ uterentur.

Hildeprandi S. R. E. Cardinalis, & Apoſtolicæ Sedis Legati Sententia ſuper controverſia Sortis de Fano, quam Guelfo filius Guelfonis Ducis Monaſterio de Marola conceſſerat, cum examine teſtium, Anno 1169.

C *Notum ſit preſentibus & futuris, quoniam nos Ildebrandus, Dei gratia ſancte Romane Eccleſie titulo Sanctorum duodecim Apoſtolorum Presbiter Cardinalis, & Apoſtolice Sedis Legatus, Mandatum ſpeciale & Literas Domni Pape Alexandri, cujus legatione in tota Lombardia fungimur, ſuſcepimus, ut cognoſceremus de Terra que dicitur Sors de Fano, ſi DUX GUELFO minor conceſſerit Monaſterio de Marola, & DUX GUELFO* Pater ejus *poſt parvum tempus contulit Monaſterio Canoſino, utroque facto per eundem Domnum Papam in irritum revocato, predictam Terram Monaſterio de Marola ſub annua penſione concederemus, & Canoſinum Abbatem ab ejus infeſtatione omnimodo prohiberemus.* D *Quod ut cunctis clarius fieret, ipſas Literas Domni Pape noſtre ſcripture inſeruimus.*

„ Alexander Epiſcopus Servus Servorum Dei, „ dilecto filio Ildebrando, Baſilice duodecim „ Apoſtolorum Presbytero Cardinali, Apo- „ ſtolice Sedis Legato, ſalutem & Apoſtoli- „ cam benedictionem. Pervenit ad nos, „ quod *GUELFO Filius Nobilis Viri DUCIS* „ *GUELFONIS*, Monaſterio de Marola Ter- „ ram Sortis ſitam in Curia Bibianelli receptâ „ pecuniâ triginta Librarum conceſſit. & poſt „ modicum intervallum eamdem Canuſino Ab- „ bati pariter ſub definito precio contulit. „ Unde quoniam predictus *Dux* non niſi tem- „ pore ſuo preſcriptam Terram, quam a no- „ bis tenebat, concedere potuit vel largiri; „ nos utramque donationem caſſamus, & ir- „ ritam eſſe decernimus. Verum quia tam „ Abbas quam Fratres predicti Monaſterii de „ Marola pluribus indigent, & majoris Reli- „ gionis habentur, volumus & mandamus, ut „ ſi ita eſt, pro ut ſuperius diximus, tum „ obtentu devotionis, tum etiam intuitu Re- „ ligionis ſue, eis prenominatam Terram „ ſub certa penſione auctoritate noſtra conce- „ das, & Abbati Canoſino ex parte noſtra & „ tua interdicas, ne ipſis eamdem Terram „ impedire vel diſturbare preſumat. Datum „ Beneventi, Nonis Julii. „ *Unde utrimque parte in noſtra preſentia propter hoc conſtituta, Inſtrumentum publicum ex parte Monaſterii de Marola inductum vidimus & legimus; in quo continebatur quomodo* Dux minor *conceſſerat predictam Terram Monaſterio Marole, & ad majorem fidem teſtes, qui nominabantur in Inſtrumento, Nobiles viros preſente utraque parte juratos accepimus, videlicet Guilielmum de Baiſe, Guidotum de Baiſe, & Albertum de Baiſe, & Rolandum de Canoſſa, & Enricum Notarium, qui compoſuit Inſtrumentum; nec pars Abbatis Canoſini in aliquo teſtibus contradixit. Ex quibus omnibus manifeſte cognovimus, quod ita erat, ſicut Domnus Papa in ſuis literis ſcripſerat. Mandatum ergo Domni Pape obſervantes, Monaſterium de Marola a petitione Abbatis Canoſini abſolvimus, & predictam Sortem de Fano ſub penſione quinque Solidorum Lucenſium annuatim Summo Pontifici ſolvenda jam dicto Monaſterio de Marola conceſſimus. Nec non Abbati Canoſino ex parte Domni Pape & noſtra interdicimus, ne de cetero Fratribus de Marola predictam Terram impedire vel diſturbare preſumeret. Et ut verius credatur,* E *& ab omnibus illeſe conſervetur, ſigillo noſtro proprio Cartam iſtam inſigniri juſſimus, & auctoritate noſtra conſcribi precepimus. Quod factum eſt Anno Domini Milleſimo Centeſimo Sexageſimo Nono, V die intrante Menſe Madio, Indictione II. Bononie in clauſtro Sancti Salvatoris.*

Guilielmus de Baiſe juratus dixit, quod numquam audivit, quod Abbas Canoſinus habue- rit

rit aliquod jus in iſta Terra, que dicitur Sors, unde controverſia eſt, ante iſtum contractum. Et Abbas Canoſinus erat in Curia Ducis, quando contractus fiebat, & mediante & preſente me Guilielmo, dedit Dux totam & integram Sortem de Fano Monaſterio de Marola, hoc modo quod predictus Abbas de Marola daret ei trigintas Libras Imperialis, que ſibi tunc erant neceſſarie pro eadem Terra recuperanda, & pro alio ſuo negotio, & quinque Solidos Imperialis annuatim ſolveret in Nativitate Domini, vel infra Octavam ejus; quam penſionem & fructus eidem Eccleſie donavit, qui ſupereſſent a quinque ſolidis pro remedio Anime ſue, ſuorumque predeceſſorum. Requiſitus de Manſo de Fano, quod continetur in Privilegio Abbatis Canoſini, reſpondit, quod Abbas Canoſinus habet Manſum in Fano, quem credit Manſum illum quod Abbas hodie tenet, & dicit, quod eo preſente Dux precepit Notario ſuper his publicum Inſtrumentum facere Monaſterio de Marola. Et dicit, quod Dux ſibi reſervavit, quod ſi aliquando vellet predictam Terram recuperare, debebat triginta Libras ſolvere, & hanc Terram non debebat iſtis auferre, ut alii daret, ſed ſibi retinere. Addidit, quod dicebat Dux, ſive recuperaret Terram illam, ſive non, tamen volebat reddere iſtam pecuniam Monaſterio. Tamen antequam contractus iſte compleretur, dixit Dux, quod ſi Rolandus de Canoſſa vellet eam recuperare, ſolutis triginta Libris poſſet. Sed in completione contractus nihil dixit, ſecundùm quod credit. Et dicit, quod Dux precepit Prepoſito de Caſtellarano & Guidoni de Mandra, ut eſſent cum Notario ad Cartam dictandam. Et Dux dedit Rolandum de Canoſſa, ut mitteret Monaſterium in poſſeſſionem predicte Terre, & defenderet contra omnem hominem.

Guidottus de Baiſe juratus dixit idem quod Guilielmus, excepto de Manſo, qui continetur in privilegio, quod nihil ſcit. Et addidit, quod Dux dixit ei, ut portaret Literas ſuas Abbati Canoſino, in quibus continebatur, ne infeſtaret Abbatem de Marola de predicta Terra. Et ipſe reſpondit: Ego ſum Vaſſallus Abbatis Canoſini, & ideo, ſi placet vobis, nolo deferre. Et Dux dedit eas Alberto, & ipſe detulit.

Albertus de Baiſe juratus dixit idem quod Guidotus, & addidit, quod Dux poſt mortem Filii miſit Literas ad Abbatem Canoſinum, quas ipſemet detulit, & dedit eas Nuncio Ducis, qui erat apud Bibianellum, reddendas Abbati Canoſino. In quibus literis Dux mandabat eidem Abbati, nullam moleſtiam facere ſuper Terram, que vocatur Sors, quam Filius ejus dederat Abbati de Marola, uſque ad adventum ejus in partes has.

Rolandus de Canoſſa juratus dixit idem quod Guilielmus, excepto quod dixit, quod audivit Abbatem Canoſinum multo tempore ante contractum iſtum dixiſſe, quod niſi eſſet timore Guidonis de Canoſſa, ipſe daret operam ad iſtam Terram recuperandam; & audivit, & credit Literas miſſas a Duce, quas Albertinus detulit Abbati Canoſino.

A Enricus Notarius juratus dixit, quod Dux precepit ei, ut Inſtrumentum publicum faceret, quomodo ipſe conceſſerat totam Sortem de Fano Monaſterio de Marola; & quia aliquantulum ipſe Notarius erat infirmus, dedit ei in adjutorium Guidonem de Mandra & Prepoſitum de Caſtellarano. Ipſe autem cum conſilio & adjutorio iſtorum compoſuit Cartam iſtam, quam Abbas de Marola producit, ſecundùm quod Dux precepit ei bona fide, & bene recognoſcit Cartam iſtam ſua manu conſcriptam.

Que autem atteſtationes facte ſunt ex juſſione Donni Ildebrandi Presbiteri Cardinalis Baſilice Sancti Petri duodecim Apoſtolorum, in preſentia Magiſtri Petri de Sancto Gemini, & Donni Ubaldi de Piſis, & Egidii de Novis, in
B Civitate Bononie in clauſtro Sancti Salvatoris, Anno Domini MCLXIX., quarto die intrante Menſe Madio, Indictione II.

Ego Albertus Imperatoris Frederici, nunc quoque Communis Bononie Notarius interfui & ſcripſi.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, amen. Anno Dominice Incarnationis MCLXIX. tempore Alexandri Pape, Frederici Imperatoris, die V. intrante Menſe Madii, Indictione II. Actum Bononie in clauſtro Sancti Salvatoris. Breve recordationis pro futuris temporibus ad memoriam retinendam, qualiter Donnus Ildeprandus Dei munere ſancte Romane
C Eccleſie Cardinalis, dum reſideret in judicio de litigio cujusdam poſſeſſionis, quod erat inter Donnum Jeronimum Priorem Eccleſie de Marola vice Abbatis ſui Johannis, & Donnum Manfredum Abbatem Canoſinum; viſis hinc inde rationibus utriuſque partis, & auditis, Donnus Ildeprandus Cardinalis, quia Dominus Papa Alexander ei per ſuas literas mandavit, auctoritate Domini Pape & ſua, quia ex Literis Donni Pape cognovit, conceſſit poſſeſſionem iſtam ſitam in Curte Bibianelli, que Sors vocatur, de qua erat controverſia, Donno Priori Jeronimo vice Abbatis ſui Johannis. Et Donnus Ildeprandus Cardinalis ex parte Domi-
D ni Pape & ſua Abbati Canoſino interdixit, ne Donno Abbati Eccleſie de Marola ſupradictam Terram ſitam in Curte Bibianelli, que Sors vocatur, impedire vel diſturbare preſumat, & nullam violentiam ei inferat. Notitia & nomina teſtium ſuper hec, qui interfuerunt, Donnus Guido Prior Sancte Marie de Reno, Magiſter Petrus Sancti Gemini Romane Curie Subdiaconus, Prepoſitus Eccleſie de Ferraria, Petrus Prepoſitus Caſtellarani, Conradus Cremone Capellanus Donni Ildeprandi Cardinalis, Ugolinus ſerviens Donni Abbatis de Fenonica, Presbiter Guido Sancti Barbatiani, Manfredus Camerarius Donni Cardinalis.

Et ego Petrus divina gratia Ficariolenſis
E Notarius, juſſu Donni Ildeprandi Cardinalis, ibi preſens ſicut audivi, ſcripſi & dedi.

Attamen renovata fuerit paullo poſt eadem controverſia oportet, quando Acta alia ſubſequentis Anni in eodem Eſtenſi Archivo ſe mihi obtulere, quæ lucem & ipſa a me petunt.

Examen

Examen quorumdam teſtium pro lite Sortis de Fano inter Abbatem Canoſſæ & Priorem Monaſterii de Marola, Anno 1170.

DOnnus Ardicius juratus dicit, ſe fuiſſe coram Apoſtolico Adriano, & petiſſe ex parte Abbatis Canoſſe & Fratrum, quod concederet Monaſterio Terram, que dicitur Sors de Fano. Ipſe interrogatus, ſi erat Curie pro ſe, reſpondit: Non. *Et prece predicto Donno Ildeprando, ut poneret in Privilegio hanc Terram, ſicuti aliam, que in eodem continetur. Interrogavimus eum, ſi poſſet tenere. Reſpondit:* Poterimus bene; & numquam vidi Eccleſiam Canoſſe tenere hanc Terram.

Tignoſus juratus idem dicit; ſed de tenuta dicit, quod fuit ibi, ubi miſerunt nuncium ad Imperatorem petendo hanc Terram. Et ipſe dedit nuncium & eredem, qui deberet Abbatem mittere & tenuit. Sed non fuit, ubi daretur; & credit, quod jam data fuerit poſſeſſio Comitiſſe Duci *ab Imperatore. Et ambo dicunt, quod Privilegium firmatum fuit ab Apoſtolico.*

Rolandinus juratus dicit, quod fuit, ubi Sigibotus ex parte Ducis *miſit Abbatem in poſſeſſionem hujus Terre in uno loco prope Eccleſiam, & ibi pro tota, nec prius ea nec ante vidit tenere.*

Lazarus juratus dicit ſe fuiſſe, ubi Lodoicus Maſſarius Ducis *miſit Abbatem in tenuta hujus Terre* a la Prugna *pro tota alia; & vidit partem hujus Terre pro Abbate arari, nec vidit Abbatem fructus hujus terre. Interrogatus de tenuta a Sigiboto data, idem quod Rolandinus, & dicit, quod fuit, ubi* major Dux *dedit hanc terram Monaſterio Canoſſe, & precepit Cartam, quam Abbas habet, fieri; & cum Lodoicus dabat poſſeſſionem Abbati, vidit boves Marole arantes ſupradictam terram, & fecit eos expellere. Nec antea nec poſtea vidit Abbates aliter tenere.*

Tholomeus juratus dicit idem, quod Rolandinus, quod vidit quemdam Nuncium, qui dicebat ſe eſſe Nuncium Imperatoris, mittere Abbatem in tenutam hujus terre in uno loco pro tota, & pro terra & arbore, nec ante nec po- A *ſtea vidit Monaſterium aliter tenere.*

Dominicus juratus idem dicit, quod Tolomeus.

Presbiter Lanfrancus juratus dicit, ſe fuiſſe ubi Nuncius Ducis *Lodoicus miſit Abbatem in tenutam hujus terre in uno loco pro tota, & partem eſſe, ubi dicitur* la Prugna . . . . . *fecit & juravit verum mihi preſenti dixit quod hoc faciebat parabolam* majoris Ducis & minoris; *& Cartam idem fieri fecit.*

Donnus Julianus juratus idem dicit, quod Presbiter Lanfrancus, & . . . . . dicit, quod contradixerit Priori, & Donnus Julianus Abbati & Conventui . . . . . . Presbiter Lanfrancus . . . . . ſed . . . . . . fuerint a minore Duce B *Marolenſes, ſed credit quod pecuniam nondum ſolverint.*

Actum preſentia Prepoſiti Carpineti, & . . . de Mandra. MCLXX. de Menſe Junii, Indictione III.

Redeo nunc ad Chartam, in qua Corvuli Friniates, in Civitatem Mutinenſem adſciti, multa polliciti fuere. Erunt quibus videatur concordia illa ſpeciem referre potius Fœderis, quàm ſubjectionis. At certum eſt, ea illic interſeri, quæ veram ſuperioritatem ac jus imperii translatum in Mutinenſem Rempublicam evincunt; & præſertim tributum *Boatiæ*, hoc eſt obligatio quotannis ſolvendi aliquot C Solidos pro quocumque jugo boum, more Civium reliquorum. Quum verò alii Friniatis ſive Feronianenſis regionis Caſtellani eſſent, qui nondum ſeſe tradiderant dominationi Civitatis, ſenſim & ipſi deducti ſunt ad reliquorum conditionem, ut ex aliis Chartis in eodem Regeſto Communis Mutinæ exaratis patet. Unam tantummodo adjiciam, quòd in ea ſermo ſit de Clariſſima Montecuculorum Familia, cujus ſpectata nobilitas jam tum multis opibus ac ditione in aliquot Feroniani Caſtella florebat.

Jusjurandum Gerardi de Montecuculo, aliorumque Feroniani Caſtellanorum, per quod ſe Cives Mutinæ conſtituunt, Anno 1173.

„ *Ego juro eſſe Civis Mutinæ ſemper & Habitator per unum menſem omni anno tempore pacis, & duos tempore guerre, & abſque Uxore ſi voluero, niſi parabolâ Conſulum Mutinæ, qui tunc erunt ſolummodo tempore ſui Conſulatus remanſerit. Et defendere Civitatem Mutine & homines Mutine, & eorum bona infra confines Mutine ab omni homine; & extra confines, ubicumque potero, ſalva fidelitate Dominorum, quos nunc habeo, vel quos in antea non in fraudem Civitatis acquiſivero; & ſalvo ſacramento, quo teneor illis de Carfagnana; & adjuvare homines Mutine de guerra, ſi quam habuerint uſque ad finem ſine fraude: & hoſtem facere ad voluntatem Conſulum Mutine, qui per tempora erunt: & omni anno jurare ſequi Conſules Mutine, ſi ab eis vel eorum Miſſo requiſitus fuero, ſicut homines Mutine: & guardare ſtratam omnibus Mutinenſibus ſine fraude ad voluntatem Conſulum Mutine; & facere jurare meos homines, qui jurabunt ſalvare & guardare homines Mutine & eorum bona, ubicumque pro poſſe ſemper; & omni anno jurare ſequi Conſules Mutine, poſtquam requiſiti fuerint; & dare boëtiam Mutine ſex Denarios Lucanos omni anno pro unoquoque pari boum, exceptis Caſtellanis, qui cotidie habitant in Caſtris, ſine fraude, & ſervis & Gaſtaldionibus ſine fraude, ſolummodo in boëtia. Et ſi voluero ut Conſules Mutine uſque ad ſex annos dent denarios boëtie ſupradicte in terra prope Urbem Mutine tot itidem dabo ſecundùm quod mihi contingerit. Quam terram juro nemini vendere, nec alienare, nec obligare, nec infeudare, niſi parabolâ Conſulum omnium vel majoris partis ad campanam ſonatam in Conſilio remanſerit. Et totidem Denarios ut dixi de meis propriis in terra non dedere. Civitas Mutine habeat boëtiam, ſicut ſuperius legitur .... & ſic obſervabo, ut hic ſuperius integre legitur, ſi Deus me adjuvet, & hec ſancta Dei Euangelia.*

Actum in Mutinenſi Concione in preſentia Domini Henrici Mutinenſis Epiſcopi, *MC-*
A *LXXIII. Indictione VI. Regnante invictiſſimo Imperatore Frederico, XI. Kalendas Auguſti, die Dominico. Hoc ſacramentum fecerunt Gerardus de Montecuculo, Albertus frater dicti Domini Epiſcopi, & Rainucinus, Ubaldus de Cavelcula, Arduinus, Rhafachanus, Gerardus & Frater ejus Albertinus, & Arduinus de Cordatis. Item illud juravit Ildeprandinus de Ozano, ſed exceptavit habitantiam. Item illud idem juraverunt Albertus de Redaldo, Wido Baji, Grimaldus & Raphanellus, quod Gerardus de Montecuculo, & habitantiam facere; ſed exceptaverunt Bononiam, quod non debent adjuvare Mutinenſes a Bononienſibus extra confines Mutine. Teſtes interfuerunt ......*
B *& Conſules Mutine, Bernardus de Malvezo, Gerardus ..... Bernardus de Matheo, Teuzo de Gorghato, Squarcia & Ubertus de Pergenario, & Judices Ugo de Panciano, & Bellonus. Item ſequenti die Lune in pleno Conſilio Mutine coram ſupradictis Conſulibus illud juravit Benefaldus, quod Albertus de Redaldo* &c.

Ego Blaſius Imperialis ſacri Palatii Notarius interfui & ſcripſi.

Longum eſſet recenſere, quantis artibus & conatibus Bononienſes moliti ſint poſtea, ut Provinciam eamdem Mutinenſibus eriperent. Et eam quidem non ſemel invaſere; ſed hæc tamdem a Sæculis non paucis ſub Mutinenſium
C Ducibus conquieſcit. Igitur hoc unum adjiciam, videlicet, Bononienſes vim intuliſſe Mutinenſium finibus ineunte Sæculo Tertiodecimo, ac multa eis loca abſtuliſſe. De pace tamdem actum eſt, ac boni Mutinenſes in Prætorem Bononiæ controverſiam de finibus compromiſere. Et ille impiger ſententiam protulit, per quam Bononienſis Reipublicæ agrum mire amplificavit, Mutinenſem verò antiquâ complurium locorum poſſeſſione ſpoliavit. Chartam Laudi illius a Ghirardaccio quoque in Hiſtoria Bononienſi commemoratam juvat exerere, ex Archivo Civitatis Mutinenſis deſcriptam.

Sententia

Sententia Uberti de Vicecomitibus Prætoris Bononienſium in controverſia de finibus inter Populum Bononienſem & Mutinenſem, Anno 1204.

A

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen. Cum queſtio ſive controverſia vel diſcordia aut lis inter Mutinenſes & Bononienſes & Commune Mutine diutius perduraſſet de Locis quibuſdam ſuperius a Strata & inferius a Strata poſitis, & per Dominum Guilielmum de Puſterla olim Poteſtatem Bononie pro Communi Bononie a Communi Mutine petitis, que ſunt hec. Illa videlicet ſuperius ſunt iſta: Sanctus Andreas, Mandria, Serla, Golzanum, Montalognum, Parvianum, Vallis Sancti Ampolonaris, & Caſola. Ea vero, que ſunt inferius a Strata, ſunt hec: Mediumfolium, medietas Plebatus Cocini, Sanctus Martinus de Sico, Sanctus Joannes de Portoleare, & Sancta Maria de Porto.

B

Factâ commiſſione, compromiſſione, & promiſſione a Domino Aimerico Dodono Poteſtate Mutine pro Communi Mutine de omnibus ſupraſcriptis in Dominum Ubertum Vicecomitem Poteſtatem Bononie, & ipſi Domino Uberto, ſicut in Inſtrumento publico per manum Joannis Pileti Notarii noſtri confecto, iis ſacramento ejuſdem Poteſtatis Mutine & aliorum Nobilium ejuſdem Civitatis, qui ſecum erant Bononie tempore commiſſionis, in Concione Bononie firmatis, atque poſtmodum Mutine Conſilio ejuſdem Civitatis his & omnibus, que Dominus Ubertus Poteſtas inde diceret vel ordinaret, juramenti religione firmatis, ſicut continetur in alio Brevi, ſuper quem idem Conſilium Mutinenſium de ipſorum voluntate juravit

C

ad majorem cautelam & firmitatem omnium ſupraſcriptorum: Memoratus Dominus Aimericus Dodonus Mutine Poteſtas nomine Communis Mutine promiſit Dominis Docto de Carbonenſibus, Guidoni Tantidenario Procuratoribus Communis Bononie ſtipulantibus nomine ipſius Communis Bononie, ſe & ſuos ſucceſſores nomine Communis Mutine, & ipſum Commune Mutine ſervaturum & ſervaturos omnia predicta, & omnia inſuper, que Dominus Ubertus Vicecomes Bononie Poteſtas de lite & diſcordia predicta & ejus occaſione dixerit, arbitratus fuerit, diffinierit, ſtatuerit, laudaverit, ordinaverit, preceperit, & legi fecerit. Et ſi contraventum

D

fuerit, nomine pene promiſit pro Communi Mutine quinque millia Marchas argenti eiſdem Procuratoribus Bononie dare, ſtipulantibus pro Communi Bononie; & penâ ſolutâ totum, quod dixerit, ſtatuerit, laudaverit, diffinierit, preceperit, & legi fecerit, ſit firmum & inconcuſſum, ratum ſemper & in perpetuum, & inviolatum. Econtra infraſcripti Procuratores Bononie voluntate & parabola Populi Bononie ibidem eis data in Concione a Populo, & conſtituti ad hanc ſecuritatem Mutine faciendam, & recipiendam ab eis pro Communi Bononie, promiſerunt ipſi Domino Aimerico Mutine Poteſtati, ſtipulanti nomine Communis Mutine, ſe pro Communi Bononie, & Commune Bononie,

E

totum, quod dictus Ubertus Poteſtas Bononie de infraſcriptis omnibus & eorum occaſione dixerit, arbitratus fuerit, ſtatuerit, diffinierit, laudaverit, ordinaverit, preceperit, & legi fecerit, obſervaturum & obſervaturos; alioquin pro Communi Bononie promiſerunt eidem Domino Aimerico Poteſtati Mutine, ſtipulanti pro Communi, dare nomine pene quinque millia Marchas: & penâ ſolutâ totum ſit firmum & inconcuſſum, ratum ſemper & in perpetuum, & inviolatum, quod dixerit, ſtatuerit, diffinierit, laudaverit, ordinaverit, preceperit, & legi fecerit.

„ *His itaque ordine premiſſis, viſis etiam oculata fide Locis predicte queſtioni ſuppoſitis, & ex utraque parte Inſtrumentis & Privilegiis quampluribus, habitâ cum maximâ diligentia ſuper his deliberatione: Ego Ubertus Vicecomes Bononie Poteſtas dico, laudo, diffinio, ſtatuo, arbitror, atque precipio in primis ſuper prememoratis Locis a Strata inferius; quod ſicuti via vel limes, qui vel que per Folium vadit, & a Bononienſibus Mutia appellatur, extenditur per directum vel mirat uſque ad viam de Beſſis inferius a Roncolamberto, a mane ipſa via ab ipſo Roncolamberto, ſcilicet Roncolamberto remanente a ſero, quam viam de Beſſis Bononienſes Mutiam appellant, & ab illa via de Beſſis tranſeundo in aliam viam, que vadit ſuperius a Domibus Sancti Martini de Sico, & per illam viam uſque ad voltam ſive galonem Panarii; & eadem via, ſicuti vadit ab eadem Eccleſia Sancti Martini de Sico a ſero, eâdem Eccleſiâ remanente a mane; & extenditur eadem via uſque in aliam viam a mane; & tranſeundo in aliam viam, que vadit ad domum Teuzonum a ſero, & per illam viam, uſque ad Paludes, inde uſque ad flumen Lucidum; & quidquid eſt in his confinibus verſus Bononiam, ſit de diſtrictu & juriſdictione Civitatis Bononie: nec inquietetur de cetero a predicto Domino Aimerico Poteſtate Mutine vel ejus ſucceſſoribus nomine Communis Mutine, neque a Communi Mutine, ratione juriſdictionis vel diſtrictus, vel poſſeſſionis aut quaſi poſſeſſionis ejuſdem juriſdictionis vel diſtrictus: & ipſum Commune Bononie ſecundùm predictam deſignationem libere & quiete juriſdictionem & diſtrictum, & poſſeſſionem & quaſi poſſeſſionem ejuſdem juriſdictionis & diſtricti habere & tenere & exercere permittat jam dictus Poteſtas Mutine, & quilibet ejus ſucceſſor, & ipſum Commune Mutine. E contra quicquid in memoratis confinibus eſt verſùs Mutinam, ſit de diſtrictu & juriſdictione Civitatis Mutine; nec inquietetur de cetero ab aliquo Rectore Bononie, vel Rectoribus nomine Communis Bononie, vel ab ipſo Communi Bononie, ratione juriſdictionis & diſtrictus habere & tenere & exercere permittat Commune Bononie Communi Mutine, & ipſi Domino Aimerico Poteſtati Mutine & ejus ſucceſſoribus nomine Communis Mutine. Alia vero prenominata loca ſuperius a Strata poſita cum eorum territoriis, Curia, guardia, pertinentiis, ſint de diſtrictu & juriſdictione Civitatis Bononie; nec inquietetur de cetero a Communi Mutine, ratione juriſdictionis vel diſtrictus, aut poſſeſſionis vel quaſi poſſeſſionis ejuſdem juriſdictionis & diſtrictus. Et ipſi Communi Bononie ſupradictorum locorum a Strata ſuperius exiſtentium juriſdictionem & diſtri-*

„ *ctum*

A „ *ctum & quaſi poſſeſſionem ejuſdem juriſdi-* „ *ctionis & diſtrictus libere quiete habere &* „ *tenere & exercere permittat Dominus Aime-* „ *ricus Poteſtas Mutine, nomine Communis Mu-* „ *tine, & quilibet ejus ſucceſſor, & Commune* „ *Mutine. Reſervato in me Uberto Vicecomite* „ *Bononie Poteſtati ponere terminos inferius a* „ *Strata in illis deſignamentis, & per illa,* „ *que ſuperius continentur, & ponere terminos* „ *ſuperius a Strata in confinibus infraſcripto-* „ *rum locorum, ſuperius a Strata exiſtentium,* „ *non obſtante, neque hoc, quod modo dixi,* „ *nocente, ſeu prejudicium faciente, quin bene* „ *poſſin, ſi inde videbitur exigere, confines il* „ *los diminuere de illis confinibus predictorum*
B „ *Locorum, & infra illos confines terminos* „ *ponere, ut rectiores fines permaneant, & Mu-* „ *tinenſibus relinquere.*

Et in eadem Concione, antequam Laudum fieret, Dominus Aimericus Dodonus Mutine Poteſtas pro Communi Mutine abſolvit omnes illos homines predictorum Locorum inferius & ſuperius a Strata exiſtentium, qui ex Laudo memorati Domini Uberti Vicecomitis Poteſtatis Bononie in partem Bononienſium pervenirent, Domino Aimerico Dodone Mutine Poteſtate pro Communi Mutine verbis, & poſtmodum concionando, nemine ex Mutinenſibus preſentibus contradicente, & Dominis Docto de Carbonenſibus & Guidone Tantidenario Procuratoribus Com-
C *munis Bononie preſentibus, & iſta omnia Laudo facto & nuntiato approbantibus. Et Dominus Ubertus Vicecomes Bononie Poteſtas, & ab initio Laudi ſupraſcripti & in ipſo Laudo & poſtea, precepit ambabus partibus ita, ut ſuperius legitur, in omnibus integraliter obſervari. Quod autem ſupra legitur in Capitulo de terminis ponendis, quod ſic incipit;* Reſervato in me Uberto Poteſtati &c. *idem Dominus Ubertus Vicecomes Bononie Poteſtas ore proprio dixit. Cetera verò ab inde ſupra, a me Johanne Pilete Notario in Concione plena Bononienſium ad campanam coadunata, partibus preſentibus legi fecit.*

Actum eſt hoc Anno Domini noſtri Jeſu Chriſti MCCIIII. Indictione VII. in plena Concione Bononie, Curiâ Palatii Communis ad campanam coadunata, die XIX. Menſis Madii, coram Dominis Azone & Ugolino Presbiteri Doctoribus Legum, Radaldo Rubeo, Domino Alberto Sicce, Rodulpho Petriboni, Obertino Henrigeti, Joanne Paulo, Alberto Sineratione, Egidio Domine Volande, Olderico Domini Guarini, Arimondo Rolandi de Guarino, Egidio Pipionis, Henrigeto de Gariſendis, Rolandino Domine Taudiſce, Gerardo de Guarinis, Guidone Albrici de Scanabecho, Jacobo Alberti Urſi, Gerardo Rolandini, Arpinello, Petro de Lovello Bononie, Domino Vicecomite, & Johanne Confanonerio Placentinis, & in preſentia Domini Guidonis de Papia, Radaldi de Ganazeto, Cazaguera de Macreta, Jacobi de Gorzano, Rolandi de Guidoto, Alberti Paſſapontis, Domini Guilielmi Rangonis, Boniſacii Judicis Guidonis, Lamberti Omneboni, Cornacloni Guilenzonis Notarii Dominorum de Mutina, rogatis.

Ego Joannes Pileti, Notarius ſpecialis Domini Uberti Vicecomitis Poteſtatis Bononie, his omnibus interfui, & juſſu ejuſdem hanc Cartam inde ſcripſi.

Iniqua viſa eſt Mutinenſibus ejuſmodi ſententia, uti etiam adnotat Auctor Annalium veterum Mutinenſium, Tomo XI. Rer. Italicar. ſcribens ad Annum MCCIV. *Mutinenſes compromiſerunt ſe in Bononienſibus, qui tulerunt iniquum Laudum de confinibus Mutinæ*. Verùm exuberans Bononienſis Populi potentia Mutinenſes coëgit inanibus tantum querelis dolorem ſuum levare, donec re ad Fridericum II. Auguſtum delatâ, is æquiori judicio, quantum potuit, rei Mutinenſium conſuluit, dato Diplomate, quod in Tabulario ejuſdem Reipublicæ adſervatum, heic ad eruditionem temporum illorum publici juris facio.

Decretum Friderici II. Imperatoris, per quod irritam pronuntiat ſententiam Anno MCCIV. prolatam de finibus inter Mutinam & Bononiam, Anno 1226.

FRedericus Dei gratiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hieruſalem & Siciliæ Rex. Per præſens ſcriptum notum facimus univerſis fidelibus noſtris tam præſentibus quam futuris, quod nos attendentes integritatem fidei & devotionis ſinceræ, nec non & accepta ſatis ſervitia, quæ Mutinenſes Cives fideles noſtri nobis ſemper & Imperio exhibuerunt, & jugiter exhibere non ceſſant; ut fides probabilis eorumdem de bono ſemper creſcat in melius, & ad devotionem & fidem noſtram multi trahantur alii per exemplum: de plenitudine poteſtatis noſtræ & ſpeciali gratia, quam habemus ad ipſos, Compromiſſum factum inter Bononienſes & ipſos Mutinenſes in Ubertinum tunc Poteſtatem Bononiæ de quibuſdam Terris & Locis & confinibus, & Laudum ab eo factum, & confirmationem a quocumque de prædictis, & deſignationem factam ab eodem, & poſitionem terminorum, & omnia, quæ facta fuerunt de prædictis Locis & Terris & confinibus, & pro prædictis locis occaſione dicti Compromiſſi, vel alia occaſione, cum prædicti Mutinenſes poſſederint vel quaſi, & Bononienſes ab eis peterent: caſſamus & in irritum deducimus, ita quod prædictum Compromiſſum, vel aliquod prædictorum nullius ſit momenti. Reſtituentes eis Rocham de Corneta, quam dicti Bononienſes eiſdem Mutinenſibus abſtulerunt. Conſtituentes etiam ipſum Commune Mutinæ poſſeſſorem de prædictis locis & terris omnibus, & Rocha, ut poſſint uti locis ipſis & terris & Rocha & eorum poſſeſſionibus, ſicuti Domini ſuæ rei.

Confines autem & terminos inter Bononienſes & Mutinenſes ſtatuimus & ordinamus inviolabiliter obſervari & teneri, videlicet a ſummo Alpis Magnæ, ubi dicitur ad calas a cornu orientali ipſius Alpis, & inde per Vallem Guſſonariam deſcendendo & veniendo per montes & colles rectos uſque in Zabrimo per medium Zibrianum, & per medium collinum, veniendo ad Voltitium, & inde per collinas ad Senecellium, tenendo collinas per mediam Stanchatoriam & per Podium de Coſtornio; & inde per collinam eundo per Podiolum Roſignanum, veniendo joſum a mane Canevatiæ, & per collinam a mane Paulate uſque ad Fontanam Lombardeſem. Et iſta collina fuit antiquitus nominata Alpis Maxima. Et a dicta Fontana tendunt juſum, ſicut ſtrata currit per Hoſpitale Presbyteri Paxuti, & per Lamam Azonis de Fregnano, & inde per Silvam Monteſanam, ſive per Canolam Rofregnanam ad Sanctam Luziam, & Altare Sanctæ Luziæ eſt terminus. Et a Sancta Luzia deſcendunt per ſtratam juſum uſque ad Crucem de Torileto, & per ipſam ſtratam ad Crucem Pipini, & inde ad montem de termino, eundo per Montem Lulianum, & per Podium de Spincola, & per Molendinum de Rivo de Scamlia, & uſque ſuper montem prædictum terminum aſcendendo; & per medium ipſum montem deſcendendo juſum per rivum, qui eſt inter Stantianum & Tiguentem;

A *& inde aſcendendo ad Montem Acutum, & a Monteacuto in Caſtaneolo, & a Caſtaneolo ad Lavacletum, & ad Montem Caputium; & inde ad Rivum de Vidiclis, & per ipſum Rivum uſque ad Cluſam; & inde verſùs ſero eundo per terminum fixum ad montatas de Cruxello, & ab eo termino ad Rivum de Cercletulo, & inde ad Borram, quæ eſt a domo Manganorum, ita quod ipſæ domus ſe colligunt a parte Mutinenſium. Et inde ad terminum fixum juxta Domum Favatiorum, & inde veniendo per Caſſolum, quæ venit a Gaudiano per Ciſſolanum tendit juſum a Boſcho Cereti in rivo, & per rivum uſque ad Salſam de Lavarolo, & juſum per ipſum rivum inter Montem Calvulum &* B *Mongenarium; & ſicut diſcurrit idem rivus uſque ad ſemitam, quæ eſt, & quæ aſcendit ſurſum deſuper Domum de Pelaochis de Granarolo uſque ad viam, quæ inde vadit; & per ipſam viam comprehendendo infra dictos confines Mandriam & Sanctum Andream in Corniliano, deſcendendo ad foſſatum de ſubtus Granarolo inter Bondianenſes & Baruſaldos factum de ſupra de Splagiis. Et eundo verſùs mane uſque ad viazolam de Podio Bellii, & inde eundo recto fine per viam & campos uſque ad locum, ubi fuit Molendinum de Bellio, & inde a mane glaream tranſeundo uſque ad Codonias & ad Campum Saxonum, & inde paſſando viam & Lamazetum & Campum Johannis Lupi, &* C *per medium uſque ad viam de ſurſum colligendo Campum ad Foſſadatum, eundo uſque ad Braidam Marociam, ipſâ Braidâ remanente a parte Mutinæ; eundo juſum per Rivolum de Medio de Fontana de Aplo uſque ad buchum Rioli de Sancto Ruffino, ſicut idem rivus currit inter Braidam Baruſaldonis & Terram Sancti Ruffilli uſque ad aliam viam de ſubtus, redeundo per illam viam uſque ad braidam Archipresbyteri de Montebellio, quæ remanet a latere Mutinæ & Bazani. Et inde eundo uſque in Carubiellum de Piganzolis, & eundo per viam uſque ad Albarellum Marini. Et inde per Viazolam, quæ quondam fuit inter Bonlianum & illos de Sancto Columbino uſque ad* D *foſſis & ad Campum de Miſiſtis, qui remanet a latere Mutinæ & Badiani. Et inde ad Sambugellum inter illos de Badiano & de Sancto Columbino; & inde ad Flopis Guirixii de Sancto Marco in ripa Samazolæ; & tranſeundo Samazolam uſque ad Pollonetum recto fine: inde eundo juxta Campum Poltonerii de Sancto Marco, & inde eundo uſque ad Viazolam & Carubiellum, quod eſt a mane clauſuræ Andruzoli Ferrarii: & inde juſum per viazolam uſque ad Viam de la Pazaneſe a ſero dictæ clauſuræ Andruzoli uſque ad Caxolam, & per eam Caxolam juſum uſque ad Cluſam de Maganis, & inde juſum eundo per Beſſencullum uſque ad Brudiacos; & inde ad cantonem de* E *Pratis de Paule, & inde uſque ad Foſſatum novum, & ab eo foſſato recto fine uſque ad Stratam Claudiam; & in ipſa Strata uſque ad Lazanrioli ultra pontexellum ſitum in Strata*

A *juxta domum Pontis Sancti Ambroxii de Campore Majore. Et ultra ipſum Pontem per ſex tornaturas in loco, in quo fuerunt Furches, uſque ad viam Lavarezam, quæ eſt a Raſtellino ab inde inferius uſque ad Foſſam Mattam inter Panzianum & diſtrictum Bononiæ. Et a diſtrictu Panziani inferius per Caxarellos a mane roborum de Portis; a ſero Gizoli, prope ipſum Gizolum, & ab inde inferius uſque ad Caſumarium a mane Pontis Ducis uſque ad Podium Pallate, & ab ipſo Podio a mane Zepe Donni Silveſtri, quæ eſt de ſubtus a Sancta Maria de Porto, perveniendo a mane dictæ Villæ Sanctæ Mariæ per Sparatam Abbatis Nonantulæ uſque ad Eccleſiam Sancti Anthonii de Prechariis; & ab ipſa Eccleſia ut currit alveus Panarii uſque ad Colzinum. Remanendo Eccleſiam de Folio in diſtrictu Mutinæ, & inde a mane uſque ad Cluſam factam in Panario a mane, ſive a mane ipſius Cluſæ; ſicut taliter ab antiquo per Mutinenſes detempti ſunt, & per Mutinæ Comitatum.*

* *Ipſa etiam loca & terras ſub Imperiali protectione recipientes, damus licentiam Communi Mutinæ ingrediendi poſſeſſionem prædictarum rerum Imperiali auctoritate. Et hæc omnia ex certa ſcientia ſtatuimus & decernimus in perpetuum obſervari; ex certa ſcientia derogantes omni juri & privilegio ſpeciali vel generali in hac parte adverſanti. Statuentes & præſentis ſcripti auctoritate firmiter injungentes, ut nulla omnino perſona magna vel parva, ſecularis vel Eccleſiaſtica, jam dictos Mutinenſes Cives fideles noſtros de prædictis omnibus aliquo advenienti tempore temerario auſu perturbare ſeu moleſtare præſumat. Quod ſi præſumſerit, in ſuæ temeritatis vindictam indignationem noſtram, & pœnam quingentarum Librarum auri puri ſe noverit incurſurum, quarum medietas Cameræ noſtræ, reliqua paſſis injuriam perſolvatur. Ad hujus autem rei evidentiam & ſtabilem in perpetuum firmitatem, præſens ſcriptum fieri, & ſigillo majeſtatis noſtræ juſſimus communiri. Hujus verò rei teſtes ſunt Albertus Magdeburgenſis, H. Mediolanenſis, & L. Reginus Archiepiſcopi, Curienſis, & Abbas Sancti Galli, Cicenſis, Baxilienſis, Wuarienſis, C. Yldeſenſis, J. Taurinenſis, Brixienſis, & Imolenſis, Epiſcopi, L. Lantgravius Thuringiæ, Dux Saxoniæ, Raynaldus Dux Spoleti, Comes G. de Vienna, & alii quamplures.*

Data apud Burgum Sancti Donini, Anno Domini Incarnationis MCCXXVI Menſe Junii, XIV. Indictione, imperante Domino noſtro Frederico II. Dei gratiâ invictiſſimo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, Hieruſalem & Siciliæ Rege, Anno Romani Imperii ejus VI. Regni Hieruſalem I. Regni Siciliæ XXIX. feliciter. Amen.

Ego Albertus de Saſſis Notarius hoc exemplum ex authentico, ut in eo vidi & legi, in
B *quo ſicut continebatur, ut in hoc exemplo legitur, nil addens vel minuens, præter literam per ignorantiam forte vel ſyllabam, bona fide extraxi & exemplavi de mandato Domini Petri de Boſticho Mutinæ Poteſtatis in MCCXLV. Indictione III. Menſe Auguſto, Domino Frederico Imperatore regnante.*

Reſtabat olim a Comitatu Mutinenſi ſejuncta altera montanæ regionis pars ad Auſtrum poſita, quam interfluunt Dolus & Draco fluvii, ſive torrentes, & cujus fines uſque ad celebre Xenodochium Sancti Peregrini protenduntur. Antiquis Sæculis an iſtum Pagum complecteretur Comitatus Mutinenſis, incer-
C tum plane fateor. Conſtat quidem Monachos Monaſterii Fraxinorenſis (quod in iis montibus Beatrix, vidua Bonifacii Marchionis ac Ducis Tuſciæ, una cum filia Mathilda celebri Comitiſſa circiter Annum MLXV. a fundamentis excitavit, magnificeque dotavit) Monachos, inquam, eorumque Abbatem, Sæculo Duodecimo ſubſequenti dominatos fuiſſe Burgo Fraxinorii, aliiſque Terris ac Villis in eo Apennini tractu poſitis. Quis tantam Monaſterio illi ditionem largitus fuerit, monumenta, quæ indicent, nulla mihi præſto ſunt, niſi quod mihi ſe obtulit in Archivo Archiducali Mantuæ Diploma autographum, luce dignum, unde innoteſcet, quàm late olim dominaretur illius Cœnobii Abbas.

Diploma

Diploma Friderici I. Auguſti, quo confirmat omnia bona & jura Willelmo Abbati Monaſterii de Fraxinorio in montibus Mutinenſibus, Anno 1164.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Fredericus divina favente clementia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus. Si honeſta loca & religioſas perſonas in ſinu pietatis noſtre protegimus, eiſque gratie noſtre patrocinium clementer impendimus, in eterna nobis vita majorem gloriam provenire indubitanter ſperamus & credimus. Proinde univerſis Imperii noſtri fidelibus per Ytaliam conſtitutis, preſentibus & futuris, notum eſſe volumus, quod nos eterne retributionis intuitu Monaſterium Sancti Claudii de Fraxinorio, & venerabilem ejus Abbatem nomine Willelmum, & omnia bona & poſſeſſiones, quas modo habet juſte, vel in poſterum Domino largiente rationabiliter adipiſci poterit, ſub noſtram Imperialem protectionem atque tutelam ſuſcepimus. Ad augmentum quoque gratie noſtre omnia, que nunc juſte habet, vel in futuro legitime habuerit, ei auctoritate Imperiali concedimus & corroboramus: videlicet Curtem de Metula cum Rocha & Eccleſia, & Curtem de Runco Sigifredi cum Caſtro & Eccleſia, Curtem de Vitriaula cum Caſtro & Eccleſia, Curtem de Iſola cum Caſtro & Eccleſia, Curtem de Aligonte cum Rocha, & tredecim Manſos de Curte Antoniani, & Caſtrum Montis Aſte, & Caſtrum Pizegoli fere totum cum Eccleſia, & Caſtrum de Maſſa, & partem Caſtri Laguxoli cum his, que ad eandem partem pertinent. Et Eccleſias Sancti Michaëlis, & Sancti Johannis, & Sancti Donnini de Monte Baronzione cum ſuis poſſeſſionibus, & Eccleſiam de Gabiata cum ſuis poſſeſſionibus, & Eccleſiam & Hoſpitale Sancti Reguli de Monte Perperi, Hoſpitale & Eccleſiam Sancti Geminiani de Alpe Gloze cum ſuis poſſeſſionibus, Eccleſiam Sancti Blaſii de Monzone cum ſuis pertinentiis, Curtem de Razolo cum piſcaria & Eccleſia, Curtem de Campagnola cum Caſtro & duabus Eccleſiis Sancti Johannis & Sancti Andreæ, Curtem de Butrione cum Caſtro & Eccleſia, Curtem de Cannitulo cum parte Caſtri, Curtem de Montirune cum parte Caſtri, cum omnibus ad eaſdem Eccleſias & Roccas & Caſtella pertinentibus, cultis & incultis &c. cum omnibus ſuis utilitatibus; & mercatum ſupra Roccam de Metula in ſecundo Sabbato uniuſcujuſque menſis, & widam ſtrate a Ponte Cornelii uſque Glozam, & ſi ultra juſte habere potuerit. Statuentes igitur jubemus, ut de cetero predictum Monaſterium, & ejus Fratres in hac noſtra conceſſione nullus Archiepiſcopus, non Epiſcopus &c.

Signum Domni Frederici  *Romanorum Imperatoris invictiſſimi.*

(Adeſt Sigillum cereum cum effigie Imperatoris.)

Ego Chriſtianus Curie Cancellarius, vice Domni Rainaldi Colonienſis Archiepiſcopi, & Ytalie Archicancellarii recognovi.

Actum quoque eſt Anno Dominice Incarnationis MCLXIIII. Indictione XII. Regnante Domno Frederico Romanorum Imperatore ſereniſſimo, Anno Regni ejus XII. Imperii verò X.

Datum apud Sanctum Salvatorem juxta Papiam, II. Nonas Auguſti.

Verùm eo ipſo Sæculo, ſive quòd Mutinenſis Reſpublica ægre ferret, ceſſiſſe tot Caſtella ſub Monachorum Imperium, ſive quòd Monachi ipſi impares ſe ſentirent ad tutandam adverſus Caſtellanos conterminos ſibi infeſtos ejuſmodi locorum poſſeſſionem, præſertim fervente tunc bello inter Sacerdotium & Imperium, & Mutinenſibus pro Pontifice ſtantibus: illud exploratum eſt, ſponte eumdem Guillielmum Abbatem Fraxinorii, ejuſque Monachos ſubdidiſſe Mutinenſibus integram illam ditionem. Tabulas teſtes effero, ex Regeſto Mutinenſis Communis depromptas.

Willelmi Fraxinorienſis Abbatis Charta qua Reipublicæ Mutinenſi ſubdit homines Abbatiæ ſuæ ſubjectos, Anno 1173.

IN Chriſti nomine, amen: Anno a Nativitate ejuſdem MCLXXIII. Indictione VI. Domino Imperatore Federico regnante, IV. Kalendas Auguſti, die Dominico. Dominus Wilielmus Monaſterii Sancti Claudii de Fraxinorio venerabilis Abbas, ſpontanea voluntate, ſuorum Fratrum ejuſdem Cenobii Monachorum conſilio, conceſſit per ſe & ſuos ſucceſſores Conſulibus Mutinenſibus recipientibus, & eorum ſucceſſoribus, homines de terra Abbatie de Fraxinorio facere jurare omni anno ſequi Conſules Mutine; ſicuti homines Mutine jurant, ſi requixiti fuerint a Conſulibus, vel ab eorum Miſſo, ſine fraude in perpetuum; & ſalvare & defendere homines Mutine & eorum bona ubicumque potuerint; & hoſtem facere ad voluntatem Conſulum Mutine: & dare boatiam ſex Lucenſium pro unoquoque pari boum omni anno ſolummodo in boatia, exceptis Caſtellanis, qui cotidie habitant in Caſtris ſine fraude, & militibus, & Maxenadis, & Miniſtris ejuſdem Monaſterii, exceptis his qui habitant in Burgo de Fraxinorio ſine fraude. Et hoc totum promiſit dictus Domnus Abbas per ſe & ſuos ſucceſſores ſupradictis Conſulibus ſic obſervare ſub pena centum Librarum eis promiſſa, & poſt pene ſolutionem pactum hoc ſic firmum permaneat.

Actum Mutine feliciter, Domno Brochardo Priore dicti Monaſterii, & Domno Bernardo de Montecuculo, & Domno Rozo Priore clauſtrali preſentibus & conſentientibus. Et tunc erant Conſules Mutine Dominus Gerardus Rangonus, Dominus Bernardus Malvezo, Bernardus Mateus, Rainerius de Buccabadata, Squarza, Dominus Teuzo de Gorgatello, & Ubertus Pergenarius, & Dominus Arlotus: & Advocati erant Dominus Ugo de Panzano, & Dominus Bellonus. Hujus conceſſionis & pacti teſtes fuerunt Dominus Gerardus de Carpeneta, Wido de Gomola, Bernardus de Curviago, Johannes de Bonefacio, Albertus de Varana, Wido Judex de Mandra, Dominus Pius, Guido Adigerii, Ugo de Pallagana, Monachus de Vidriola, Albertinus de Grugnola, Molinus de Bonefacio, Malvulti, & alii quamplures.

Ego Blaſius Imperialis ſacri Palatii Notarius, voluntate Magiſtri Bruni Notarii, ſicut ex authentico ejus cognovi, ut ſchedas ab eo factas complerem, feliciter ſcripſi.

Tum Anno MCXCVII. (uti alia Acta produnt) arctius loca & homines ejuſdem Fraxinorienſis Abbatiæ ſeſe poteſtati Mutinenſis Reipublicæ ſubjecerunt, ac fidelitatis ſacramentum præſtitere *contra omnem hominem, excepto contra Imperatorem, & Abbatem Fraxinorii*. Ibi verò enumerantur, qui *iſtud ſacramentum jurarunt*, ſcilicet *homines de Vidriola, de Monte Stephano, de Maſſa, de Rubiano, de Laguxolo, de Medula, de Caſula, de Fraxinorio, de Arcovolto, de Runco Sigifredo, de Bacaxolo, de Paligana, de Savonerio, de Caſtregnano*. Alia ejuſmodi Acta prætereo, uno verbo omnia concludens, videlicet cuncta Monachorum jura tamdem ſublata fuiſſe per concordiam, non levi pecuniæ pondere a Mutinenſibus perſoluto. Quouſque verò ſe protenderet ditio illa, nuper innui. hoc eſt uſque ad Hoſpitalem domum Sancti Peregrini, eamque complectebatur; atque ibi adhuc eſt finis inter Poteſtariam Montis Floreni & Garfagnanam, ideſt inter Lombardiam & Tuſciam. Proinde quum Anno MCCXVI. Mutinenſes obviam ituri eſſent Henrico Regi Friderici II. Romanorum Regis filio, per Tuſciam venienti, atque in Germaniam profecturo, uſque ad idem Sancti Peregrini Xenodochium ſolemni apparatu proceſſerunt, atque in eo, uti ditionis ſuæ loco, puerum Regem nemine contradicente exceperunt. Cujus etiam rei monumentum perenne poſteris reliquerunt in antiquiſſimo Regeſto Communis exaratum, quod tamquam non inutile ad eorum temporum hiſtoriam editum heic volo.

Frogerii

Frogerii Prætoris Mutinenſis proteſtatio de Henrico Rege excepto a Mutinenſibus in Hoſpitali Sancti Peregrini, hoc eſt in ditione & finibus Comitatus Mutinenſis, Anno 1216.

Confines Epiſcopatus Mutinæ uſque ad Sanctum Pelegrinum.

IN *Chriſti nomine . Anno a Nativitate ejuſdem MCCXVI. Indictione IV. die Sabbati , VII. die intrante Octubri .* Cum Dominus Frogerius Mutinæ Poteſtas *cum Ambaxatoribus Mutinæ , videlicet Dominus Girardus Rangonus , Dominus Aldeprandinus de Pizo , Dominus Bartholomæus de Nonantula , Dominus Richerius de Bocadelucio , Dominus Uliverius de Bocabadata , Dominus Thomaxius de Saxolo , Dominus Arlicionus de Tunſis , Dominus Guido de Lovoleto , Dominus Petrus de Sancto Marcho , omnes pro Communi Mutinæ , proficixerunt* Regi Henrico filio Romanorum Regis Frederici , *convocato cœtu virorum , Militum , & Arcatorum , Alpes Mutinæ diſtrictus & Epiſcopatus axendidit , & pro Communi Mutinæ & Epiſcopatu & diſtrictu cum illa quantitate militum , qui cum eo erant , per ipſos Alpes* uſque ad Hoſpitale Sancti Peregrini *profectus eſt , ut prædictum* Regem Henricum *ibi pro confine & termino Epiſcopatus & diſtrictus Mutinæ ſecure reciperet, & ab inde versùs Mutinam ſecure & libere pro Communi Mutinæ conduceret & cuſtodiret :* ideoque in Hoſpitale prædicto prædictum Regem ab Archiepiſcopo Palermitano *ſibi oblatum pro Communi recepit , cuſtodiendum & conducendum per Alpes & Alpibus versùs Mutinam , ſicut ire voluerit per Epiſcopatum & diſtrictum Mutinæ . Proteſtatus fuit igitur* Dominus Frogerius *alta voce & palam , & coram omnibus audire volentibus pro Communi Mutinæ , quod* terminus & confinis erat & eſt Epiſcopatus & diſtrictus Mutinæ uſque ad dictum Hoſpitale Sancti Peregrini . *Et dicit, quod ideo recipiebat prædictum Regem, & recepit conducendum & cuſtodiendum ad honorem Civitatis Mutinæ , & ad ejus periculum & ejus guardiam ipſum & omnes , qui cum eo erant , per Alpes &* a Sancto Peregrino *versùs Mutinam , uſquequo protendebatur Epiſcopatus & diſtrictus Mutinæ . Unde ivit per Epiſcopatum & diſtrictum Mutinæ* a Sancto Pellegrino *per Alpes & ab Alpibus uſque ad Pontem de Guiliguis , in medio alvei fluminis : in quo alveo Ambaxiatoribus Parmæ & Regii , qui ibi erant , quia ulterius non protendebatur Epiſcopatus & diſtrictus Mutinæ , voluntate Archiepiſcopi eis Ambaxiatoribus conduxit & tradidit , præſentibus teſtibus rogatis fuerunt , ſcilicet ſu-*
A *præſcriptis Ambaxatoribus , & Amiralio de Miſina , & alii plures .*

Ego Guillielmus de Caneparia ſacri Palatii Notarius interfui , & juſſu Domini Frogerii Poteſtatis Mutinæ , & rogatus ſcribere ſcripſi .

Tam certa verò atque explorata erat Mutinenſis Populi ditio in eodem Sancti Peregrini loco antiquis etiam Sæculis , ut vel ipſa Lucenſis Reſpublica rem lubens agnoverit , ac palam confeſſa fuerit . Anno Chriſti MCCLXXXI. actum eſt inter Mutinenſes & Lucenſes de ſecuritate viarum ad Mercatorum aliorumque hominum quietem ; ac Mutinam pro-
B fectis Lucenſis Populi Legatis ſive Syndicis , ſtabilita ſunt , quæ utriuſque Civitatis utilitas expoſcebat . Ejus concordiæ Acta authentica e pervetuſto Communis Mutinæ Regeſto ſupra evulgavi in Diſſertatione XXX. *de Mercat. & Mercatura* . Ibi ſtatutum fuit , ut præter alias vias agri Mutinenſis , *Strata , quæ vadit per territorium de Fraxinorio , ab HOSPITALI SANCTI PEREGRINI versùs Civitatem Mutinæ , uſque ad Civitatem Mutinæ , & per ipſam Civitatem , aſecurari debeat , & ſecura teneri per Commune Mutinæ . Et e converſo per Commune Lucanum aſecurari debeat & ſecura teneri Strata ſive caminum a prædictis locis , videlicet a Zovo Alpis* (ideſt a jugo Apenni-
C ni , quo perveniebat altera Mutinenſium via ante memorata per Fregnanum ducta, & unde incipiebant Lucenſium fines) *& HOSPITALI SANCTI PEREGRINI versùs Lucam uſque ad Civitatem Lucæ &c* Acta iſta per opportuna ad confirmandam Reipublicæ Mutinenſis , quod eſt ad ejus fines uſque ad *Hoſpitale Sancti Peregrini* , antiquam ac legitimam ditionem , conjunge nunc cum Actis ſubſequentium Sæculorum . Certum eſt , Mutinenſes , atque Ateſtinos Principes Mutinæ dominantes, ad hunc uſque diem illæſam ſervaſſe loci illius poſſeſſionem , & conſtanti jure eidem loco imperaſſe . Quippe Rectores ipſi Xenodochii Sancti Peregrini ab Hercule I & Alphonſo I.
D Ferrariæ ac Mutinæ Ducibus jus habendi illic Nundinas , aliaque Privilegia petierunt atque impetrarunt . Diplomata illa ex authenticis Regeſtis Archivi Eſtenſis deſcripta apponere juvat.

Herculis I. Ferrariæ &c. Ducis Privilegium conceſſum Rectori Hoſpitalis Sancti Peregrini, Anno 1482.

HErcules Dux Ferrarie, Mutine & Regii, Marchio Eſtenſis, Comeſque Rodigii &c. Sereniſſime Lige Locumtenens generalis. Non minus gratus, non minuſque carus nobis ſemper fuit ſpectabilis Eques & clarus Juriſconſultus Dominus Jacobus olim Benedicti de Nobilibus, Civis Lucenſis, & Rector ac Gubernator Hoſpitalis Sancti Peregrini in Alpibus noſtris Mutinenſibus, quàm fuerit vir preſtantiſſimus & venerabilis Dominus Leonellus olim ejus patruus, & in ipſo Rectoratu immediatus prædeceſſor. Nam licèt univerſe familie ſue ſincera fides ac devotio in nos, ac Illuſtriſſimam Domum noſtram Eſtenſem apertis ſemper documentis, & verâ, ut dici ſolet, experientiâ continue dignoſci potuerit; ipſe tamen Dóminus Jacobus ſuos omnes nedum equare ſed etiam ſuperare miro affectu & precipua in nos, ſtatumque noſtrum fide ac devotione aſſidue ſtuduit. Quamobrem nos etiam votis ac deſide riis ejus facile inclinamur, arbitrantes, verum quemlibet ac magnanimum Principem decere eos, eorumque preces exaudire, quos ſibi benivolentia ac fide & devotione deditiſſimos noverit. Cum ergo ſuperioribus annis ad preces prefati olim Domini Leonelli tunc Rectoris & Gubernatoris Hoſpitalis Sancti Peregrini predicti, nonnullas immunitates atque conceſſiones in honorem ac beneficium & commodum devotiſſimi Sancti Peregrini, ac domus & Hoſpitalis ſui predicti, & annue Solemnitatis ejus fecerimus, ut conſtat noſtro ſolemni Decreto ſub die XXI. Octobris Anni MCCCCLXXI. quas omnes non ſolùm ſervari, & illeſas ex omni parte manuteneri intendimus pro tempore ac perſona, & ſeu in perſonam ejuſdem Domini Jacobi preſentis Rectoris & Gubernatoris, ſed etiam augeri & ampliores reddi, ut infra dicetur: Idcirco preſentium noſtrarum patentium Literarum, & Decreti ſerie atque tenore, ex certa ſcientia, animoque deliberato, in primis eidem Domino Jacobo Rectori antedicto, & in perſonam ejus propriam, ac pro ejus propria perſona, predictas omnes conceſſiones ac immunitates, prerogativas, & exemptiones, per nos alias conceſſas prefato olim Domino Leonello, & ſeu in perſonam, aut pro perſona ejus, approbamus & confirmamus, ac etiam, in quantum expediat, de novo concedimus, volentes ipſas omnes hic pro expreſſis haberi, proinde ac ſi de ipſis de verbo ad verbum facta eſſet, ac fuiſſet mentio ſpecialis. Preterea cum per aliud Decretum noſtrum ſupra nominatum liberas & exemptas ab omnibus Datiis & Gabellis fecerimus Nundinas celeberrimas, que annuatim in Alpibus predictis fiunt Kalendis Auguſti, die ſcilicet Feſtivitatis ejuſdem Sancti, & die precedenti ac ſequenti, ut in futurum ipſe Nundine celebriores reddantur, & tutior ac liberior ad viſitationem ejuſdem Sancti devotiſſimi, & Corporis ejus ibidem jacentis, perſonarum acceſſus & concurſus pateat, prefato Domino Jacobo concedimus, atque ſtatuimus, volumus, & mandamus, quod ipſe Nundine ſint libere, & franche, ac immunes, & exempte ab omni impedimento, novitate, ac moleſtia reali & perſonali, que pro debitis & obligationibus cujusvis nature & qualitatis, etiamſi ad Cameram noſtram ſpectarent, A *alicui perſone inferri poſſet; ita & taliter quod pro aliquo debito, ſive obligatione (exceptis tamen iis, que ibidem contraherentur tempore dictarum Nundinarum) nemo capi, nec realiter nec perſonaliter gravari aut moleſtari poſſit quovis modo tempore dictarum Nundinarum in domibus & Hoſpitali predictis, nec in aliquo loco, ubi dicte Nundine celebrantur. Salva etiam ſemper manente in perſonam dicti Domini Jacobi immunitate & prerogativa preceſſori ſuo predicto conceſſa pro domibus & Hoſpitali predictis, pro ut ultimo Capitulo alterius Decreti noſtri uberius declaratur.*

Item volumus, ſtatuimus, & mandamus, quod ipſe Rector & Gubernator dicti Hoſpitalis, B *vel ejus Locumtenens, ſit ille, qui omni anno tempore dictarum Nundinarum, curam, arbitrium, & facultatem habeat diſtribuendi, ordinandi, & locandi ibidem terrenum & poſtas pro ſtationibus, logiis, & apothecis, quibuſcumque mercatoribus, artificibus, & aliis perſonis confluentibus ad ipſas Nundinas, ſecundùm eorum exigentiam ac neceſſitatem, & prout eidem Rectori, vel ejus Locumtenenti melius videbitur & placuerit; & omne lucrum, ac emolumentum ex ipſis percipiendum, ad dictum Rectorem & Hoſpitale predictum pleno jure ſpectet & pertineat, tamquam ex rebus, & bonis dicti Hoſpitalis. De quibus terreno, poſtis, ſtationibus, logiis, & apothecis, Poteſtas noſter Montisfloreni, vel ejus Locumtenens, &* C *ſucceſſores ejus, vel alii quicumque Officiales ſe nullo modo impediant, nec intromittant; & ſic ipſis omnibus expreſſe mandamus. Item quia nonnulli ex hominibus deputatis cum armis ad cuſtodiam dicte Feſtivitatis & Nundinarum predictarum ſepe numero dictis armis abutuntur, ea portantes, atque tenentes in Eccleſia ibidem cum modica ſacre Domus, & illius venerandiſſimi Corporis reverentia, vagantes inſuper, ac diſcurrentes per omnes domos & habitationes dicti Hoſpitalis, & interdum ſine ullo pudore volentes diſponere de bonis, & rebus dicti Hoſpitalis pro libito eorum, & contra voluntatem dicti Rectoris & Factorum ſuorum: idcirco* D *hujuſmodi audacie & preſumptioni omnino providere intendentes, ſtatuimus, ordinamus, ac volumus & mandamus, quod dicti deputati cum armis ad cuſtodiam predictam diligenter & accurate vacare debeant cuſtodie ſue, nec aliquo modo audeant ſtare vel morari in Eccleſia ibidem, nec etiam in domibus dicti Hoſpitalis, niſi horis debitis deputatis per ipſum Rectorem, & ſuos ad cibum recipiendum juxta conſuetum. Quibus horis deputatis ut ſupra honeſte & moderate ſe habeant in ipſis domibus, eâ fruentes liberalitate, qua erga eos uti videbitur ipſi Rectori & ſuis Factoribus; & ultra id in aliquibus rebus vel bonis dicti Hoſpitalis ipſum Rectorem aut ſuos turbare vel moleſtare non audeant* E *ſub pena noſtre indignationis. Mandantes Poteſtati noſtro Montisfloreni predicto, & ſucceſſoribus ejus, ut omni diligentia ac ſtudio faciant predicta inviolabiliter ſervari tam per dictos Deputatos ad cuſtodiam dictarum Nundinarum, quàm per alios quoſcumque Officiales, & cujuſcumque generis perſonas: exhibendo etiam omnibus aliis bonum exemplum, & ordinem hunc noſtrum*

noſtrum pre ceteris ſervando, ut alii bono ipſorum Poteſtatum exemplo ullam domeſticam moleſtiam, aut bonorum diſſipationem ipſi Rectori inferre non audeant.

Ulterius quia ſepe numero reperiuntur aliqui Queſtuantes falſo nomine S. Peregrini abſque ſcientia dicti Rectoris, propterea volumus, & expreſſe mandamus, quod nulla perſona cujuſvis gradus aut conditionis exiſtat, audeat queſtuare in aliquibus terris & locis dominii noſtri nomine dicti Hoſpitalis Sancti Peregrini ſine expreſſa licentia & Literis prefati Domini Jacobi Rectoris antedicti, ſub pena perdendi omnia queſtuata, ac beſtias ipſorum Queſtuantium, & ſtandi tribus menſibus in carcere. Et ſic ipſi falſo Queſtuantes puniri poſſint & debeant ad omnem inſtantiam & requiſitionem prefati Rectoris & nuntiorum ejus per quoſcumque Rectores & Officiales tam noſtros, quam Nobilium noſtrorum, in quorum jurisdictione queſtuare comperti fuerint. Item pro ſuſtentatione domus ac Hoſpitalis predicti, & alimento pauperum ibidem reſidentium, nec non peregrinorum & advenarum illac tranſeuntium, concedimus eidem Domino Jacobo Rectori antedicto, quod omnes fructus & redditus percipiendi ex poſſeſſionibus, terris & bonis dicti Hoſpitalis, & omnes eleemoſyne queſite, ſive queſtuate, & queſtuande nomine dicti Hoſpitalis, undecunque deferri & conduci poſſint ad ipſum Hoſpitale libere & ſine aliqua ſolutione tracte, Datiorum & Gabellarum, A *per omnes terras & loca dominii noſtri. Poſtremo ut coloni & laboratores poſſeſſionum, terrarum, & bonorum dicti Hoſpitalis, culture ipſorum diligentius & accuratius vacare poſſint, volumus & mandamus, quod ipſi coloni & laboratores ubique locorum dominii noſtri, in omnibus benigne & favorabiliter tractentur, prout tractantur & tractari conſueverunt laboratores & coloni aliorum Hoſpitalium, & venerabilium ac piorum Locorum ipſius noſtri dominii. Mandantes quibuſcumque Rectoribus & Officialibus, ac ſubditis noſtris, & quorumcumque Nobilium noſtrorum tam preſentibus, quam futuris, quatenus preſens noſtrum Decretum, & omnia & ſingula in eo contenta, ſingula ſingulis debite* B *& congrue referendo, inviolabiliter ſervent, atque ſervari faciant, ſub pena noſtre indignationis, & alia qualibet noſtro arbitrio imponenda: non obſtantibus aliquibus legibus, ſtatutis, ordinibus, Decretis, proviſionibus, edictis tam noſtris, quam Locorum noſtrorum quorumcumque in contrarium diſponentibus. Quibus omnibus & ſingulis, quantum eſt pro premiſſis & reſpectu premiſſorum, ex certa ſcientia derogamus. Ad quorum omnium robur & fidem preſentes noſtras Literas, & Decretum predictum fieri juſſimus & regiſtrari, noſtrique majoris Sigilli conſueti appenſione muniri.*

Datum Ferrarie in Palatio Curie noſtre, Anno Dominice Nativitatis MCCCCLXXXII. Indictione XV. die III. menſis Januarii.

Alphonſi I Ducis Ferrariæ &c. Decretum, quo idem Privilegium confirmatur, Anno 1506.

ALfonſus Dux Ferrariæ, Mutinæ, & Regii, Marchio Eſtenſis, Rodigii que Comes &c. Apparet Illuſtriſſimum Principem & Excellentiſſimum Dominum, Dominum Herculem Ducem Ferrariæ &c parentem noſtrum colendiſſimum conceſſiſſe ſpectabili Equiti & claro Juriſconſulto Domino Jacobo de Nobilibus Lucenſi, Rectori & Gubernatori Hoſpitalis Sancti Peregrini in Alpibus noſtris Mutinenſibus Decretum tenoris infraſcripti, videlicet. „ Hercules Dux Ferrariæ, Mutinæ, & „ Regii, Marchio Eſtenſis, Comeſque „ &c. *(Vide ſupra deſcriptum Herculis Privilegium, quod ab Alphonſo heic repetitum exſcribitur.) Quum autem nobis pro parte dicti Domini Jacobi ſupplicatum fuerit, ut velimus eidem Decretum præfatum approbare; & conſiderantes ejus virtutes ſingulares, & præcipuum amorem, quo proſequutus eſt prælibatus inclytus parens noſter: quòd nobis plurimùm afficitur pro ſua optima natura; decrevimus ipſi ſatisfacere. Harum igitur noſtrarum patentium Literarum tenore, & Decreti ſerie, ex certa ſcientia, & animo deliberato, ac de plenitudine poteſtatis noſtræ, omnique alio meliore modo, quo magis & melius poſſumus, præfato Domino Jacobo Rectori antedicto, & in perſonam ejus propriam, & pro ejus propria perſona, Decretum antedictum, & omnia in eo contenta approbamus & confirmamus, & ubi opus ſit, concedimus & impertimur. Volumuſque, edicimus ac jubemus ſub pœna noſtræ indignationis, & alia quavis graviore arbitratu noſtro imponenda, per quoſcumque Officiales & ſubditos noſtros præſentes & futuros, quorum intererit, inviolabiliter ſub pœna indignationis noſtræ, & alia* C *quavis graviore arbitratu noſtro imponenda, prorſus obſervari, quibuſcumque in contrarium quovis modo facientibus non obſtantibus. In quorum robur & teſtimonium præſentes noſtras Literas & Decretum fieri juſſimus & regiſtrari, noſtrique majoris Sigilli conſueti appoſitione muniri.*

Datum Ferrariæ in Palatio noſtro, Anno Nativitatis Dominicæ MDVI. Indictione IX. Calendis Decembris.

Ad iſta acceſſit ipſius Maximiliani I. Auguſti Inveſtitura. Is enim in Diplomate Anni MDIX. Alphonſo I. Ferrariæ ac Mutinæ Duci inter alia confirmat *Territorium vocatum Sancto* D *Peregrino, poſitum in Alpibus inter Civitatem Mutinæ & Civitatem Lucæ.* Quæ Inveſtitura totidem verbis a ſubſequentibus Auguſtis ad hunc uſque diem confirmata fuit Ferrariæ ac Mutinæ Ducibus. Quod denique controverſiam omnem eliminat, ut alia omittam ab antiquiſſimo ac immemorabili tempore, Mutinæ Duces quotannis Prætorem Montis Floreni, ſub quo locus eſt, ad Feſtum ac Nundinas Sancti Peregrini mittunt. Et is quidem (uti commemoratum quoque eſt in ambobus Decretis nuper evulgatis) eò accedit copioſâ militum turmâ ſtipatus, & in Xenodochio Sancti Peregrini hoſpitium ſumit, reos capit ac punit, ibi jus dicit, & Chartas per Notarios E ſcribit datas in Territorio ac diſtrictu Montis Floreni: milites etiam ad cuſtodiam Templi, ceteraſque excubias diſtribuit, honorificeque in ſacra illa Æde uti Miniſter ſupremi Principis excipitur. Hæc autem pacifice a tot Sæculis peraguntur, ut jam vel indocti manifeſte

ſte agnoſcere queant, nullam juſtam de hujuſmodi ditione litem poſſe amplius excitari.

Quod autem de amplificato agro Mutinenſi antiquis Sæculis a me dictum eſt, vix ulla eſt Civitas, quæ tantumdem aut plura de agro ſuo referre non poſſit. Quod ſolùm adjicere juvat, præter voces *Comitatus* & *Diſtrictus*, quibus deſignabatur territorium integrum Urbi ſuppoſitum, in uſu etiam fuiſſe *Forciam* & *Podere*. His tamen vocabulis plerumque Veteres uſi videntur, quum Reſpublica ultra antiqui ſui Comitatus fines dominationem protendebat in alienos Comitatus, ne ſi unum vocabulum *Comitatus* uſurpatum fuiſſet, dubitatio suboriretur, an lex aut obligatio reſpiceret, quæ ad ipſum Comitatum adjecta fuerant. Ita *Podere Comitiſſæ Mathildis* complectebatur A univerſa Caſtella, quæ in variis Comitatibus ſparſa illius ditioni ſuberant. Hujus vocis ſignificatio fugit doctiſſimum Du-Cangium in Gloſſario Latino. Denique præter vim, qua pæne omnes Italicæ Civitates ſunt uſæ ad eripienda potentibus Caſtella ac Arces, & amplificandam ditionem ſuam, auctoritas etiam Imperatorum eſt adhibita. Nimirum per nova ab eis conſcripta Privilegia aut veteres prædæ juſtiore titulo poſſideri cœptæ ſunt, aut facta eſt etiam nova ditionis acceſſio. En quid a Friderico I. Auguſto poſt Pacem Conſtantienſem Mediolanenſis Populus impetrarit. Diploma exſcripſi e MSto Puricelliano, exſiſtente in Archivò Monachorum Ciſtercienſium Sancti Ambroſii Majoris Mediolani.

Friderici I. Imperatoris Diploma, per quod Reipublicæ Mediolanenſi concedit complura Caſtella ſita inter Abduam & Olium, Anno 1186.

IN nomine ſanctiſſime & individue Trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Imperatoriam majeſtatem decet eſſe non ſolum legibus & vigore juſtitie reverendam, verùm etiam largiſtatis Imperialis munificentie beneficiis commendandam. Cujus nimirum in rebus agendis hec debet eſſe providentia diſcretionis, ut proſpectâ ſingulorum fidelitate, unicuique pro qualitate & quantitate ſervitiorum ad eorum merita digne reſpondeat. Illos autem precipue familiaritatis ſue gratiâ dignetur, quos fidei conſtantia Principis favore dignos facit, & inperterriti ſtrenuitatis alacritas reddit acceptos. In quorum numero ſecure computantes, imo quamplurimis anteferentes dilectos ac fideles noſtros Poteſtatem & Conſules, nec non & Commune Civitatis Mediolani, ipſi Communi jam dicte Civitatis ex mera liberalitate Imperialis gratie concedimus Rivoltam, Caxiratem, Agnianellum, Pandinum, Mixanum, Varate, Calvenzanum, Ardagum, Paradinum, Turnium, Comazanum, Gardellam, Diveram, Roncadellum, Pradam, Vidalengum, Pagazanum, Caravatium, Potenzo, Bregnanum, & omnia alia his adjacentia loca, que Commune Mediolanenſe quondam habuiſſe & tenuiſſe inter Aduam & Olium dinoſcitur, & ut ab hinc in antea in eis omnem juriſdictionem & conſuetudines, boniſque uſantias habeat tam in fodris quam in coltis & munitionibus, aliiſque rationibus & oneribus ad res & perſonas pertinentibus; ſicuti in aliis locis Mediolanenſis Comitatus habere conſuevit & tenere, ſepe dicto Communi Imperiali auctoritate confirmamus. Et nullus Dux, nullus Marchio, nullus Comes, neque Capitaneus, nulla Civitas, nullum Commune, nullave Poteſtas, nulla denique perſona humilis vel alta, ſecularis vel Eccleſiaſtica, hanc noſtre majeſtatis paginam audeat violare, nec B *predictos Fideles noſtros aliquibus injuriis ſive damnis preſumat aggravare. Quod qui fecerit, in ultionem temeritatis ſue componat centum Libras auri puri, quarum medietas Imperiali Camere, reliqua vero injuriam paſſis perſolvatur. Hujus rei teſtes ſunt Rodulphus Treverenſis Electus, Willelmus Aſtenſis, Bonifacius Novarienſis Epiſcopi, Fridericus Prepoſitus Sancti Thome in Argentina, Bonifacius Marchio Montisferrati, Marchio Morcellus, Rodulphus de Rapraëtbis Wilre, Albertus Ferrarienſis, Ottobellus Mediolanenſis Judices Curie noſtre, Guido de Sancto Nazario, & Reinerius frater ejus, Rodulphus Camerarius & alii quamplures.*

C *Signum Domini Friderici Imperatoris invictiſſimi.*

Ego Gotefredus Imperialis Aule Cancellarius vice Philippi Colonienſis Archiepiſcopi & Italie Archicancellarii recognovi.

Acta ſunt hec Anno Dominice Incarnationis MCLXXXVI. Indictione IV. Regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore glorioſiſſimo, Anno Regni ejus XXXIV. Imperii vero ejus XXXII.


Datum in Territorio Cremonenſi in deſtructione Caſtri Meinfredi, V. Idus Junii feliciter, amen.

Neque ſegniores fuere Cremonenſes ſub D Friderici I. filio & ſucceſſore Henrico inter Auguſtos Quincto: nam & ipſi ab eo conquiſierunt ſibi nobile Oppidum, nunc Civitatem *Cremæ*, atque *Inſulam Fulcherii*: unde poſtea tot ſimultates & bella exarſere inter ipſos & Rempublicam Mediolanenſem, uti Sicardus in Chronico, atque alii teſtantur. Ejus rei monumenta vidi in antiquis apographis, quæ adſervat in ſuo Tabulario Reſpublica Cremonenſis, eaque uti luce digna ſubjicio.

Henricus

Henricus VI. Rex & Imperator V. Cremonenſibus concedit Inveſtituram & decernit poſſeſſionem Caſtri Cremæ & Inſulæ Fulcherii, Anno 1192.

A *IN nomine ſancte & individue Trinitatis. Henricus Sextus divina favente clementia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus. Eminentia majeſtatis Imperatorie cum omnium ſibi famulantium obſequiis digna ſemper beneficiorum impenſione conſuevit reſpondere, ad eos tamen uberiorem liberalitatis ſue munificentiam conſuevit extendere, quos pre aliis purioris fidei ac ferventioris devotionis conſtantia ſibi propenſius & intenſius reddit commendatos. Ea propter noverit univerſorum fidelium Imperii tam preſens etas quàm ſucceſſura poſteritas, quod nos fidem puram & devotionem ſedulam dilectorum fidelium noſtrorum Civium Cremonenſium noſtre ac Patris noſtris Friderici felicis memorie Romanorum Imperatoris invictiſſimi exhibitas celſitudini, diligenti circumſpectionis oculo intuentes, eis & Communi eorum damus & concedimus & confirmamus omnia jura, que habemus, & nobis & Imperio pertinent in Caſtro, vel pro Caſtro Creme & ejus pertinentiis, ſive in cenſu Libre auri, ſive in expeditionibus ſive in juriſdictione ſeu diſtrictu, & in aliis quibuſcumque, & loca univerſa & jura, que habemus & ad nos pertinent in Inſula Fulkerii, & in aliis locis & pertinentiis, quæ habebat vel habuit, tenebat vel tenuit prememoratum Commune Cremonenſium & Cremonenſes ante reedificationem Creme citra Serium & ultra Serium: & ea, que tenuit ſecundùm quod prememoratus Pater noſter illa eis dedit & conceſſit per ſuum Privilegium: que omnia loca inferius ſcripta ſunt, ſive predicta jura conſiſtant in placitis, bannis, fodris, collectis, molendinis, vadis molendinorum, piſcationibus, venationibus, aucupationibus, paſcuis, herbaticis, terris, aquis, redditibus terrarum, vel aliis obventionibus, ſive in expeditionibus faciendis, & ſicut antedictus Pater noſter per ſe habuit, vel per ſuos Nuntios, ſive in quibuſcumque aliis. Item damus eis, cedimus & mandamus omnia jura & actiones, que habemus, & nobis & Imperio pertinent nomine predictorum omnium. Et damus eis licentiam & parabolam auctoritate noſtra intrandi in tenutam, Privilegia omnia apud Papienſes depoſita, pertinentia ad Cremam, Inſulam Fulkerii, & ad alia loca infraſcripta, que eis reddi fecimus, Privilegio noſtro ut eamdem vim habeant & firmitatem, quam ab initio habuerunt, confirmamus, caſſantes ſcriptum, quod Cremenſes ſe de predictis habere dicunt; proponentes & confitentes, neque nos, neque ſepe dictum Patrem noſtrum eis hoc unquam conceſſiſſe. Ad hec prememoratis Cremonenſibus licentiam damus in predictis locis Caſtra & munitiones facere ubicumque voluerint inter Aduam & Oleum, & incepta reficere & meliorare. Nomina locorum, de quibus mentio prehabita eſt, ſunt hec. Azanum, Farinatum, Capralba, Campeſego, Terzolaſcus, Seregnanum, Albernegum, Pianengum, Vageranum: & hec ſunt ultra Serium. Gabianum, Vidolaſcus, Caſale Runcengum, Camiſianum, Botajanum, Oſſanengum unum & aliud, Joſanum, Suave, Madegumum: hec ſunt citra Serium verſus Cremonam. Hec autem ſunt loca in Inſula Fulkerii conſtituta, Palazum, Pignanum, Montes, Vajanum, Bagnoli, Clevus, Cauregnanega, Palazanum, Credaria, Roveretum, Muſcazanus, Montodanus, Rivoltella, Rivol-* B *ta, Umbrianus: hec ſunt in Vaure. Cremoſianus, Treſcore, Caſaletum, Bordenacium, Quintanus, Piranega, & Torlinus. Hec omnia loca, & eis pertinentia cum aliis, que preſcripta ſunt, predictis Cremonenſibus, & eorum Communi damus, concedimus, & preſentis pagine ſcripto roboramus. Statuentes, & Imperiali edicto ſancientes, ut neque Archiepiſcopus aliquis, neque Epiſcopus, neque Dux, neque Marchio, neque Comes, neque Capitaneus, nec Valvaſſor, neque Rector aliquis, aut Poteſtas aliqua, aut Commune Civitatis aliquod, aut aliqua denique perſona parva vel magna, Secularis vel Eccleſiaſtica huic Pragmatice ſanctioni noſtre obviare, aut aliquo temeritatis* C *auſu infringere preſumat, aut ſepius dictos Cremonenſes & eorum Commune in omnibus, que dicta ſunt, aliquo leſionis modo perturbare aut moleſtare attemptet. Quod qui fecerit, in ultionem temeritatis ſue ſexaginta Libras auri puri componat, medietatem Camere, partem reſiduam perſonis injuriam paſſis. Ceterum ad majorem hujus rei evidentiam, ac firmius & ſtabilius hujus donationis, conceſſionis & confirmationis munimentum, fideles noſtros Oddonem de Comite, & Albertum Struxium de univerſis, que prememorata ſunt, nomine Communis Cremone inveſtivimus, & hoc ipſum ſcriptum noſtrum autenticum majeſtatis noſtre Bulla aurea juſſimus communiri. Cujus rei teſtes ſunt* D *Cunradus Maguntine Sedis Archiepiſcopus, Henricus Wormacienſis Epiſcopus, Bertramus Metenſis Epiſcopus, Hermannus Monaſterienſis Epiſcopus, Baldewinus Trajectenſis Epiſcopus, Conradus Dux de Rotemberc, Comes Albertus de Tagesberc, Comes Sigebertus de Alſatia, Bertoldus de Kunegesberc, Robertus de Durne, Marquardus Dapifer de Annewilre, Heinricus Pincerna de Lutra, & Conradus de Pizowithono.*

Signum Domini Henrici  *Sexti Romanorum Imperatoris invictiſſimi.*

Acta ſunt hec Anno ab Incarnatione Domini MCLXXXXII. Indictione X. Regnante Domino Henrico Romanorum Imperatore ſereniſſimo, Anno Regni ejus XXXII. Imperii vero Primo.

Dat. apud Hagenove per manum Sigeloi Imperialis Aule Protbonotarii, III. Nonas Marcii, vacante Cancellaria.

Henrici VI. Regis & Imperatoris V. Diploma, quo confirmat Inveſtituram Caſtri Cremæ & Inſulæ Fulcherii, Cremonenſibus, eoſque in poſſeſſionem immittendos ſtatuit, Anno 1195.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno Dominice Incarnationis MCXCV. die Martis, qui fuit ſextus intrante Menſe Junii, Indictione XIII. in Civitate Cumana, in Foro Communis predicte Civitatis, non multum longe a Palacio Cumani Epiſcopi, ſeu juſta ipſum Palacium, & in preſentia Alberti de Carcano, & Jacobi de Turri, & Bertari de Carrobio, & Martini Fice, & Arialdi de Rivo, Cumanorum Civium, & Anzelii de Burgo, & Roberti Johannis Majoris de Cremona: Dominus Henricus, Dei gratiâ Romanorum Imperator, & Rex Sicilie, & ſemper Auguſtus, dixit aperto hore, Inveſtituram, quam fecerat de Crema cum Vexillo & Lancea, ipſa die extra Portam de Turri predicte Civitatis Cumane, in manum Girardi de Johannebono, & Talamacii de Gaiboldis, & Oddonis de Medolago, Conſulum Civitatis Cremone ad partem Epiſcopatus & Communis de Cremona, ſe ipſam Inveſtituram feciſſe de Crema & Inſula Folcherii cum omnibus locis & territoriis & juribus & pertinentiis eorum in integrum, pro ut continetur in Privilegio de Cremona. Et ibi continuo dixit, ſe precipere Miſſo ſuo, ut vice ſui ponere debeat ſupraſcriptum Girardum, vel alium Nuntium recipientem ex parte Epiſcopatus & Communis de Cremona, in poſſeſſionem de Crema & Inſula Folcherii, & cum omnibus locis & territoriis & juribus & pertinentiis eorum, pro ut ſupra legitur, quia ſic ei placuit.

A *Et ibi interfuerunt quamplures homines Cumane Civitatis, & aliarum Civitatum Italie, & aliarum Provintiarum.*

Ego Amizo Notarius & Judex interfui & ſcripſi.

Vide & aliud monumentum ad hanc ipſam rem ſpectans in Diſſertatione XI. *de Allodiis*. Neque in continenti dumtaxat Italiæ ſtetit imperium quarumdam Civitatum Italicarum, ſed etiam in Inſulas illuſtres, atque in Orientem eſt propagatum. Loquor de Venetis, Genuenſibus & Piſanis, olim terrâ marique potentibus, & majori quàm nunc ditione fruentibus. Delmatiam ſibi & Croatiam, aliaſque Adriaci B litoris Urbes Veneta Reſpublica ſub finem Sæculi a Chriſto nato Decimi ſubjecit. Tum Anno MCCIV. captâ Conſtantinopoli a Latinis, diviſoque inter eos Orientali Imperio, Venetis ipſis ingens terrarum tractus in Oriente contributus fuit; propter quod mirum in modum amplificata eſt Venetorum potentia. Dandulum vide in Chronico edito Tom. XII. Rerum Italicarum. Quum verò controverſiæ obortæ fuiſſent inter ipſos Venetos & Francos Conſtantinopoli dominantes ob diviſionem præmemoratam Terrarum Imperii Orientalis, Arbitri electi ſunt, qui omnem ſubmoverunt cauſſam diſcordiæ, ſententiâ promulgatâ, cujus exemplum ſuppeditavit mihi Bibliotheca Eſtenſis, luce non indignum.

Sententia Judicum a Francis & Venetis electorum pro componenda diſcordia de Caſalibus quibuſdam inter ipſos dividendis in Imperio Conſtantinopolitano. Circiter Annum 1205.

NOſcant omnes tam preſentes quam futuri, quod nos Gaufridus tocius Imperii Romani Mareſcalcus, & Milo de Bravate Imperialis Buticularius Francigene ex parte Domni Henrici Conſtantinopolitani Imperatoris, Bartolotus Aldibrandus, & Andrea Benbo Judices Veneti ex parte Domni Marini Zeni Venetorum Poteſtatis jur. . . . conſtituti per ſacramentum ad difiniendum omnes queſtiones & diſtantias; que erant inter diviſiones Terrarum omnium Francigenarum & Venetorum, in primis irrevocabiliter & firmiter judigamus inter eos, ſecundùm quod veraciter coram nobis per ſacramentum fuit teſtificatum ab hominibus regionis, ut iſta Caſalia, que dicuntur Lambudi, Paliromi, Icaminus, Vaticopo, Taclepeto, & Tacriſpo, debeant dominari a Venetis tenentibus Gallipoli & ejus pertinentia, quia ſunt de ſua racione. Et Caſalia, que dicuntur Charſianito, & de Amigdalea, ſimiliter a Venetis dominentur, que ſunt de pertinentia de Muntinianis. Et iſta Caſalia, que dicuntur Takena, & Reocomi, Venetis concedimus, que ſunt de racione de Sigopotamo. Cetera vero ſubſcripta Caſalia, ſcilicet Ikydonea, Calamidia, Iptelea, Ileuki, Tadecamena, Taſcopa, Toypakedeo, Jagiaana, Ivomaſtea, & Tabatino, judicamus Francigenis, qui tenent pertinentia plagie, C *quia pertinet in racionem de Plagia. Similiter enim eis conceſſimus & iſta alia Caſalia, Tolotro, Sitanea, Tajordano, Iſpartina, Iblomikiano, Toxiropotamo, Candidi, Taichuli, Tofarangi, Tacatocalama, Tagliato, Jerenea, Iconchi, Tomeſagridi, Toagiaſmatos, & Ruſtiari, quia ſunt de pertinentia de Potamia. Caſale verò, quod dicitur Tacuſa, pertinet in pertinentia de Siſto. Omnia verò, que judicavimus ex parte Domni Imperatoris, & Domni Poteſtatis, precipimus, ut ab utraque parte firmiter debeant obſervari.*

✠ *Ego Bartolotus Aldivrando Judex manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Andreas Bembo Judex manu mea* D *ſubſcripſi.*

Eâdem ratione tum Genuenſes, tum Piſani, Inſulas Sardiniam & Corſicam variis concertationibus ac variâ fortunâ ſibi compararunt. Diuque Piſani in Sardinia dominati ſunt, donec Aragonenſium viribus cedere coacti ſunt. Immo & Corſicæ pars aliquandiu illorum imperio paruit: quod etiam intelligas e ſubſequenti Charta, quam olim nobilis vir Octavius Anglus de Abrahamo Canonicus Primatialis Piſanæ, e membranis ſuæ Civitatis deſcriptam ad me miſit.

Oblatio

Oblatio Alberti & aliorum Nobilium de Bangnaria de Corſica facta Reipublicæ Piſanæ, Anno 1248.

IN *nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.*
Amen . ,, Ego Albertus de Bangnaria de
,, Corſica quondam Domini Cacciabatis de
,, Bangnaria per me inſolidum, & pro Tedicio
,, germano meo , & pro Domino Rainerio
,, de Bangnaria quondam item Rainerii, & pro
,, Domino Ildebrando quondam item Ildebran-
,, di , & pro Domino Mezolombardo de Ban-
,, gnaria quondam Guidonis , & pro Domino
,, Orlando de Furiano quondam Johannis ,
,, fidele meo , & ſupraſcriptorum omnium de
,, Bangnaria , & pro Dominis Landulfino , &
,, Johanne germanis, filiis quondam Idelbrandi
,, de Furiano , ſimiliter fidelibus meis, & pre-
,, dictorum omnium de Bangnaria, & pro Do-
,, minis Saraceno de Luciano , & Orlando &
,, Paganello germanis , filiis quondam Joannis,
,, & pro Domino Uberto de Montechiaro
,, quondam Guglielmi de Montechiaro, & pro
,, Dominis Guidone de Rojo , & Pagano &
,, Guiduccio & Guillino germanis quondam
,, Venture de Rojo , & pro Dominis Riſta-
,, gno & Guilielmino de Lonca germanis ,
,, filiis quondam Simonis de Lonca , & pro
,, Orlandino & Henrighetto germanis , filiis
,, quondam Domini Guillielmi de Lonca , &
,, pro Dominis Guillelio & Venaldio germanis
,, quondam Orlandi de Cruce , & pro Domi-
,, nis Ugone & Orlandino de Cruce germanis,
,, filiis quondam Arringherii , & pro Guillelio
,, de Cruce quondam Domini Bogis de Cruce,
,, ſimiliter fidelibus meis , & ſupraſcriptorum
,, omnium de Bangnaria , & etiam pro omni-
,, bus aliis fidelibus meis , & ſupraſcriptorum
,, omnium de Bangnaria, & etiam pro omni-
,, bus fidelibus omnium Militum predicto-
,, rum inſolidum : pro quibus omnibus pro-
,, mitto de rato , & me ſpecialiter meo nomi-
,, ne proprio obligo ad infraſcriptam penam .
,, Per ſolemnem ſtipulationem convenio , &
,, promitto vobis Domino Marino de Ebulo
,, Dei & Imperiali gratiâ Piſanorum Poteſtati
,, pro Communi Piſano & Civitate Piſana reci-
,, pienti , quoniam ab hac hora in antea Ego
,, & ſupraſcripti Nobiles omnes , & eorum &
,, cuicumque eorum , & mei fideles, & eorum
,, & cuicumque eorum mei heredes & prohe-
,, redes maſculini & femminini ſexus in perpe-
,, tuum erimus & erunt fideles Piſano Archie-
,, piſcopatui & Piſane Civitati . Et quod non
,, ero , nec ipſi Nobiles , vel aliquis eorum
,, neque fideles mei , vel fideles ipſorum No-
,, bilium erunt, vel aliquis eorum erit in con-
,, ſilio , vel facto , conſenſu vel aſſenſu , ut
,, Piſana Civitas Archiepiſcopatum amittat ,
,, nec Primatum , nec Legationem de Sardi-
,, nea & Corſica , nec aliquem Epiſcopatum
,, de Sardinea & Corſica , aut dignitatem ſeu
,, honorèm aut honores , quem vel quos , nec
,, Piſana Eccleſia vel Piſana Civitas , aut Piſa-
,, ni Cives , ſeu fideles Piſani Communis nec
,, habent , aut diſponente Domino in antea
,, conſequentur . Et ſi ego prefatus Albertus
,, aut aliquis predictorum Nobilium Piſane Ci-
,, vitatis fuero , vel fuerit habitator , vel alibi
,, morabor , ſeu morabitur , totum & quid-
,, quid a Piſanorum Poteſtate vel Rectore aut
,, Rectoribus vel Conſulibus , qui pro tempore
,, fuerint in Civitate Piſana , vel ab aliquo
,, Miſſatico vel Miſſaticis, Capitaneo vel Capi-
A ,, taneis de honore vel pro honore Piſane Ci-
,, vitatis de perſona vel rebus michi vel eis ,
,, vel alicui eorum per ſe vel per ſuum Nun-
,, tium , aut Literas injunctum fuerit , faciam
,, ego pro me & obſervabo , & contra non
,, veniam vel faciam per me , vel per alium
,, aliquo modo vel jure . Et predicti Nobiles
,, & quiſque eorum , & eorum fideles , &
,, cuique eorum , & etiam fideles mei facient
,, & obſervabunt , & contra non venient vel
,, facient per ſe vel per alium aliquo modo
,, vel jure ſive ingenio . Si vero novero , aut
,, aliquis predictorum noverit aliquem Piſane
,, Civitatis honorem velle minuere, aut aliquid
,, velle facere vel operari contra predicta, vel
B ,, aliquid predictorum , ipſum ſine magno
,, gravamine expenſarum pro poſſe impediam ,
,, & ſupradicti Nobiles & quiſque eorum im-
,, pedient & impediet , & ne ipſi propoſitum
,, ſortiantur effectum , ſtudio , cura , & omni
,, ſollicitudine procurabo , & ipſi & quiſque
,, eorum procurabunt & procurabit . Et ſi hoc
,, non poſſem , aut ſi hoc aliquis predictorum
,, non poſſet effectui mancipare , ei, qui fuerit
,, in regimine Civitatis Piſane per tempora
,, conſtituto , vel alicui memoratorum , per
,, me vel per alium , quamcitius potero , reſe-
,, rabo, & quiſque predictorum per ſe vel per
,, alium reſerabit .
,, Cunctos Piſanos , & qui cenſentur aut
C ,, cenſebuntur vocabulo Piſanorum , in perſo-
,, nis & rebus , terrâ & mari ſalvabo , atque
,, defendam ; & quiſque predictorum ſalvabit
,, & defendet , ne ullam jacturam in aliquo
,, patiantur . Credentias omnes impoſitas mihi
,, vel alicui predictorum Nobilium , vel ali-
,, quod ſupraſcriptorum ſub nomine ſacramenti
,, in credemptiam tenebo, & quiſque predicto-
,, rum Nobilium tenebit , & nulli ad dannie-
,, tatem credemptiarum aliquid pandam vel
,, manifeſtabo , aut aliquis predictorum pandet
,, vel manifeſtabit conſilium , quod aliquis
,, predictorum, vel aliquis Civis Piſanus a me
,, vel ab aliquo predictorum Nobilium petie-
,, rit , quo melius cognovero , vel aliquis
D ,, predictorum Nobilium cognoverit pro ho-
,, nore , & utilitate Piſane Civitatis , &
,, Piſanorum Civium ei dabo , & quiſque
,, predictorum Nobilium dabit . Et quod de
,, Terris , poſſeſſionibus & Caſtris & Villis &
,, jurisdictionibus & locis , & fidelibus & ho-
,, minibus & perſonis , quos ego prefatus Al-
,, bertus , & ſupraſcripti alii Nobiles de Ban-
,, gnaria , & quiſque eorum , & ſupraſcripti
,, fideles eorum , & mei , habeo & teneo per
,, me & per alium quoquo modo vel jure , &
,, ipſi vel aliquis predictorum habent & tenent
,, quoquo modo vel jure per ſe vel per alium
,, in Corſica , in Epiſcopatu Marane , & ejus
,, confinibus , & in Epiſcopatu de Nebbio , &
E ,, ejus confinibus , & in Epiſcopatu Ampugna-
,, gni & in ejus confinibus , quas terras , poſ-
,, ſeſſiones & Caſtra & Villas & jurisdictiones
,, & loca & fideles & homines & perſonas ,
,, ego ſupraſcriptus Albertus pro me & ſupra-
,, ſcriptis Nobilibus omnibus , confiteor eſſe
,, Communis Piſani . Et quod ea omnia ego
,, ſupraſcriptus Albertus & predicti Nobiles ,
,, & quiſque eorum & mei & eorum & cujuſ-
,, que eorum majores & anteceſſores , habui-

,, mus ſemper & tenuimus in feudum & jure
,, feudi a Communi & pro Communi Piſano ;
,, & nominatim Caſtrum dictum Bigullia cum
,, omnibus ſuis Villis & pertinentiis & homi-
,, nibus & perſonis ; & Palatium de Burgo
,, cum turribus & domibus & omnibus perti-
,, nentiis ſuis ; & Caſtrum dictum Stella cum
,, omnibus ſuis Villis & pertinentiis & homi-
,, nibus & perſonis ; & Caſtrum de Monte-
,, chiaro cum omnibus ſuis Villis & pertinen-
,, tiis , & perſonis & hominibus ; & medieta-
,, tem Caſtri de Furiano cum omnibus ſuis
,, Villis & pertinentiis & hominibus & perſo-
,, nis ; & Caſtrum de Cruce cum omnibus ſuis
,, Villis & pertinentiis & hominibus & perſo-
,, nis ; & etiam partem Caſtri dicti Patrimo-
,, gni cum tertia parte Villarum & pertinen-
,, tiarum & hominum & perſonarum ſupra-
,, ſcriptarum . Cujus ſupraſcripti Epiſcopatus
,, de Marana confines comprehenduntur hoc
,, modo , videlicet a loco dicto Lavaſina uſ-
,, que ad Limone , & a fauce de Gaulo uſque
,, ad locum dictum Locca ſive Loccia. Faciam
,, ego & ſupraſcripti Nobiles , & quiſque eo-
,, rum faciet pacem & guerram cum omnibus
,, hominibus meis & ipſorum meis & eo-
,, rum & cujuſque eorum propriis expen-
,, ſis contra omnes perſonas & loca ad volun-
,, tatem Piſani Communis in tota & per totam
,, Corſicam , & ejus fortia & diſtrictu, con-
,, tra omnes inimicos Piſani Communis pre-
,, ſentes & futuros . Et quod ſalvabo & pre-
,, dicti Nobiles ſalvabunt , & quiſque eorum
,, ſalvabit omnes homines & perſonas & eo-
,, rum bona Piſane Civitatis & diſtrictus , &
,, que cenſentur & cenſebuntur vocabulo Pi-
,, ſanorum , in perſonis & havere . Et quod
,, de ſupradicta Terra, & de predictis Caſtris
,, & hominibus ipſius Terre & ipſorum Ca-
,, ſtrorum , & hominibus , quos habeo , &
,, predicti Nobiles habent , ut dictum eſt, in
,, ſupraſcriptis Epiſcopatibus , & quolibet eo-
,, rum faciam , & predicti Nobiles facient ho-
,, ſtem & cavalcatam contra omnem perſonam
,, & locum in tota Inſula Corſice, & in qua-
,, libet ejus parte ad voluntatem & mandatum
,, Piſani Communis .

,, Et quod patiar ego ſupraſcriptus Alber-
,, tus , & predicti Nobiles omnes patientur ,
,, & pati & permitti faciam, & ipſi facient ab
,, omnibus hominibus meis & ipſorum , Com-
,, mune Piſarum , & homines ſingulares Piſani
,, Communis, & qui cenſentur & cenſebuntur
,, vocabulo Piſanorum , habere refugium , ſa-
,, nos & naufragos , in proſperitatibus & ad-
,, verſitatibus eorum in dicta Terra; & facere
,, guerram ſtando & non ſtando in dicta Ter-
,, ra omnibus inimicis Piſani Communis . Et
,, eos & quemque eorum ſalvabo & juvabo ,
,, & predicti Nobiles & quiſque eorum , ſal-
,, vabunt & juvabunt, ſalvabit & juvabit , &
,, ſalvari & juvari faciam & facient ab omni-
,, bus & ſingulis perſonis meis tam in mari
,, quàm in terra . Et quod ego prefatus Al-
,, bertus , & predicti Nobiles omnes, & quiſ-
,, que eorum , & heredes & proheredes mei,
,, & cujuſcumque predictorum in perpetuum
,, habebimus & tenebimus in feudum & pro
,, feudo & jure feudi a Communi & pro Com-
,, muni Piſano Terras & poſſeſſiones & Caſtra
,, & Villas & juriſdictiones & loca & homi-
,, nes & fideles & perſonas predictas . Et quod
,, tempore guerre de terra , quam Commune
,, Piſanum haberet cum aliqua perſona vel

A ,, loco , ego prefatus Albertus cum predictis
,, Nobilibus de Bangnaria habebo & tenebo ,
,, & ipſi omnes mecum habebunt & tenebunt,
,, & mei & eorum heredes & proheredes ma-
,, ſculini & femminini ſexus in perpetuum ha-
,, bebunt & tenebunt in Civitate Piſana tem-
,, pore guerre unum Militem fornitum equis
,, & armis neceſſariis , meis , & predictorum
,, Nobilium , noſtrorumque heredum & pro-
,, heredum expenſis omnibus , pro faciendo
,, ſervitia Piſane Civitati ad voluntatem Piſani
,, Communis. Et quod ego cum predictis No-
,, bilibus de Bangnaria annuatim dabo & por-
,, tabo & offeram , vel dari & portari vel of-
,, ferri faciam , & ipſi Nobiles de Bangnaria
B ,, mecum mei & eorum heredes & proheredes
,, maſculini & femminini ſexus in perpetuum
,, dabunt , & portabunt & offerent , & dari
,, & portari & offerri facient in Feſto Sancte
,, Marie de Auguſto , videlicet in Vigilia fe-
,, ſtivitatis ejuſdem apud Eccleſiam Sancte Ma-
,, rie Piſane majoris Eccleſie unum Cereum
,, ſive Candelum Librarum vigintiquinque
,, cere, ubi & ſicut alii Piſani Cives dare &
,, portare & offerre Candelos ſive Cereos con-
,, ſueverunt . Et inſuper ego Albertus vobis
,, ſupraſcripto Domino Marino de Ebulo Piſa-
,, rum Poteſtati pro Communi Piſano & Civi-
,, tate Piſana recipienti , convenio & promit-
,, to meo nomine proprio principaliter me fa-
C ,, cturum & procuraturum ita quod ſupraſcri-
,, pti Nobiles de Bangnaria , & ſupraſcripti
,, eorum fideles omnes , & quiſque eorum ,
,, & mei & cujuſque eorum heredes & prohe-
,, redes maſculini & femminini ſexus in perpe-
,, tuum , hec omnia ſupraſcripta & ſingula ſu-
,, praſcriptorum firma & rata habebunt & te-
,, nebunt , & facient & obſervabunt ; & con-
,, tra predicta vel aliquid predictorum non ve-
,, nient vel facient ipſi vel aliquis eorum ali-
,, quo modo vel jure . Et quod ſic faciam &
,, curabo, quod ſupraſcripti Nobiles omnes de
,, Bangnaria , & ſupraſcripti eorum fideles, &
,, quiſque eorum inſolidum , predicta omnia
,, & ſingula predictorum , ſicut dicta ſunt, fa-
D ,, cient & adimplebunt & ratificabunt & pro-
,, mittent & convenient & confitebuntur & ju-
,, rabunt, & ſe & ſuos heredes, & bona inde
,, Communi Piſano inſolidum obligabunt ad
,, infraſcriptam penam, ſcriptura publica inter-
,, veniente ad voluntatem & inquiſitionem Pi-
,, ſani Communis ſeu Miſſaticorum aut Amba-
,, xiatorum , vel Miſſatici vel Ambaxiatoris ,
,, iturorum vel venturorum . ituri vel venturi
,, in Corſicam nominatim & ſpecialiter pro
,, hac cauſa vel pro hoc facto .

,, Hec omnia ſupraſcripta & ſupraſcripto-
,, rum ſingula , ſicut dicta ſunt , ego prefatus
,, Albertus per ſolemnem ſtipulationem conve-
,, nio & promitto vobis ſupraſcripto Domino
E ,, Marino Piſarum Poteſtati pro Communi Pi-
,, ſano & Civitate Piſana recipienti , ſic facere
,, & obſervare & adimplere , & fieri & adim-
,, pleri & obſervari facere , & ratificari &
,, confiteri & promitti & jurari & obligari fa-
,, cere a predictis Nobilibus de Bangnaria &
,, eorum fidelibus omnibus , & a quolibet eo-
,, rum in omnibus & per omnia , ut ſupra-
,, ſcriptum eſt . Que omnia & ſingula predi-
,, ctorum , ſicut dicta ſunt , ſi non fecero &
,, obſervavero , & fieri & obſervari & adim-
,, pleri & ratificari & confiteri & promitti &
,, jurari & obligari a predictis Nobilibus de
,, Bangnaria , & eorum fidelibus omnibus &

,, a quo-

,, a quolibet eorum in omnibus & per omnia,
,, ut ſupraſcriptum eſt, non fecero, aut ſi ita
,, factum & obſervatum non fuerit, vel ſi
,, contra predicta vel aliquid predictorum
,, aliquo tempore, ullo modo vel ingenio fa-
,, ctum fuerit, convenio & promitto & com-
,, pono dare & ſolvere vobis ſupraſcripto Do-
,, mino Marino Piſano Poteſtati pro Communi
,, & Civitate Piſarum recipienti penam dua-
,, rum millium Marcarum argenti. Qua pena
,, ſoluta ſemel vel pluries, hec omnia ſupra-
,, ſcripta maneant firmitate, obligando me &
,, meos heredes, & omnia mea bona habita
,, & habenda, que bona me pro Communi Pi-
,, ſarum conſtituo poſſidere: renuntiando omni
,, juri & auxilio & exceptioni & conſtitutioni
,, & privilegio fori, quibus me tueri vel ju-
,, vare poſſem, & nominatim a prefata pena;
,, ſalvis omnibus honoribus Marchionum de
,, Maſſa, huic contractui, vel alicui aut ali-
,, quibus in hoc contractu comprehenſis, in
,, nullo contrariis vel nocivis, ita videlicet
,, quod ſi aliqua contraria vel nociva inveni-
,, rentur, illos contractus, & omnia & ſin-
,, gula in hoc contractu comprehenſa ſervent,
,, & non illa in aliquo.

,, *Quapropter nos memoratus Dominus Ma-*
,, *rinus de Ebulo Piſanorum Poteſtas, habito*
,, *majori & generali Conſilio Piſane Civitatis*
,, *de Senatoribus, & Capitaneis militum, &*
,, *Conſulibus maris, & Conſulibus Mercato-*
,, *rum, & Conſulibus quatuor Artium, & Con*
,, *ſulibus & Capitaneis portuum Sardinie, &*
,, *de centum bonis & ſapientibus Viris de uno*
,, *quoque Quarterio Civitatis Piſane, per ſo-*
,, *num campane, & etiam voce preconia more*
,, *ſolito, in Eccleſia Sancte Marie Piſane ma-*
,, *joris Eccleſie congregato; ſequentes formam*
,, *ipſius Conſilii Generalis, devotionem fidei tue*
,, *ſupraſcripti Alberti, & ſupraſcriptorum No-*
,, *bilium omnium de Bangnaria, & eorum fide-*
,, *lium predictorum, plenius attendentes, rece-*
,, *pto etiam pro Communi Piſarum & Civitate*
,, *Piſana a te ſupradicto Alberto ſacramento*
,, *fidelitatis conſueto, in ipſo generali Conſilio,*
,, *ut in Carta inde rogata per Bonaccurſum*
,, *quondam Henrici Cancellarii Piſani Commu-*
,, *nis continetur, pro Communi Piſarum & Ci-*
,, *vitate Piſana, & ſupraſcripto Alberto reci-*
,, *pienti pro te & tuis heredibus & proheredi-*
,, *bus maſculini & femminini ſexus in perpe-*
,, *tuum, & pro ſupradictis Nobilibus de Ban-*
,, *gnaria, & unoquoque eorum, & cujuſque*
,, *eorum heredibus & proheredibus maſculini &*
,, *femminini ſexus in perpetuum, dummodo ipſi*
,, *& quiſque eorum ſupraſcripta omnia & ſin-*
,, *gula predictorum faciant & obſervent &*
,, *adimpleant & ratificent & promittant &*
,, *conveniant & confiteantur & jurent, & ſe*
,, *& ſuos heredes & bona in Communi Piſano*
,, *inſolidum obligent ad eamdem penam ſupra-*
,, *ſcriptam ſcriptura publica interveniente, ſi-*
,, *cut in omnibus & per omnia dictum eſt ſu-*
,, *pra: Damus, concedimus, & largimur in*
,, *Feudum omnes ſupraſcriptas Terras & Poſ-*
,, *ſeſſiones & Caſtra & Villas & Loca & Ju-*
,, *riſdictiones & Fideles & Homines & Perſo-*
,, *nas ſupranominatas & nominata, ſcilicet tibi*
,, *ſupradicto Alberto ea, que tu inde habes &*
,, *tenes, ſeu que ad te pertinent, & cuique*
,, *predictorum Nobilium ea, que inde habet &*
,, *tenet, ſeu habent vel aliquibus eorum perti-*
,, *net; promittentes pro Communi Piſano & Ci-*
,, *vitate Piſana, te predictum Albertum, &*
A ,, *predictos Nobiles, & quoſque eorum, & tuos*
,, *& eorum & cujuſque eorum heredes & pro-*
,, *heredes maſculini & femminini ſexus in per-*
,, *petuum, predictas terras & poſſeſſiones &*
,, *Caſtra & villas & loca & juriſdictiones &*
,, *fideles & homines & perſonas, ſi dicti No-*
,, *biles predicti fecerint, ut dictum eſt, defen-*
,, *dere & manutenere ab omnibus perſonis &*
,, *locis inferentibus vel facientibus injuriam*
,, *vel gravamen, excepto quod a Domino noſtro*
,, *Imperatore. Salvo tamen in predictis, quod*
,, *ſi guerra vel diſcordia eſſet inter aliquos ſu-*
,, *praſcriptorum Nobilium vel fidelium eorum,*
,, *vel inter homines eorum vel aliquorum eorum*
,, *& aliquos Piſanos Cives ſive fideles Piſani*
B ,, *Communis, quod Commune Piſanum non te-*
,, *neatur juvare aliquem ipſorum ab altero nec*
,, *alteri ipſorum contra Cives & fideles ſuos*
,, *de predictis, ſed poſſit ſe ad concordiam in-*
,, *terponere inter eos tamquam inter Cives Pi-*
,, *ſanos & fideles Piſani Communis, & deinde*
,, *inter conſortes rationabiliter cognoſcere &*
,, *ſententialiter diffinire, non præjudicando,*
,, *nec obſtante quod pro Piſanis poſſint ſemper*
,, *juris ordine conveniri. Et quod Commune*
,, *Piſanum recipiet omnes & ſingulos Nobiles*
,, *predictos & Cives Piſanos & eos & eorum*
,, *homines ſalvabit & cuſtodiet in perſonis &*
,, *rebus, ſanos & naufragos tamquam Cives.*

,, *Et ſalvo quod aliquis de terra ſupraſcrip-*
C ,, *torum Nobilium de Bangnaria non ſtaſiat, ne*
,, *bona alicujus eorum ,, niſi fuerit principalis*
,, *in debito vel fidejuſſor ex pacto appoſito inter*
,, *eos. Et ſalvo quod ſi aliquis exierit de ter-*
,, *ra ſupraſcriptorum Nobilium de Bangnaria,*
,, *& pro eundo ad aliquam aliam partem ad*
,, *habitandum, & nollet ſervire Communi Pi-*
,, *ſano, & dictis Nobilibus, & dicti Nobiles*
,, *vel aliquis eorum podere ſuum alicui alii lo-*
,, *carent, predicti Nobiles non teneantur inde*
,, *ſibi facere rationem; nec etiam ille, qui di-*
,, *ctum podere habuit, cogatur a Communi inde*
,, *facere rationem. Et ſalvo in predictis omni-*
,, *bus directu Degathie conſueto Civitatis Piſa-*
,, *ne. Hec omnia ſupraſcripta & ſupraſcrip-*
D ,, *torum ſingula, nos ſupraſcriptus Dominus*
,, *Marinus de Ebulo Piſanus Poteſtas pro Com-*
,, *muni Piſano & Civitate ſequentes formam*
,, *ſupraſcripti Generalis Conſilii convenimus &*
,, *promittimus tibi ſupradicto Alberto recipienti*
,, *pro te, & tuis heredibus, & proheredibus*
,, *maſculini & femminini ſexus in perpetuum,*
,, *& pro dictis Nobilibus omnibus de Bangnaria,*
,, *& eorum & cujuſque eorum heredibus &*
,, *proheredibus maſculini & femminini ſexus in*
,, *perpetuum, ſi ipſi ſupraſcripta omnia fecerint,*
,, *ut dictum eſt ſupra, ſic facere & attendere &*
,, *obſervare ad penam duarum millium Marca-*
,, *rum argenti per ſtipulationem promiſſam; qua*
,, *pena ſoluta ſemel vel pluries, hec omnia in*
E ,, *ſua maneant firmitate. Obligando nos & no-*
,, *ſtros ſucceſſores pro Communi Piſano, &*
,, *ipſum Commune Piſanum, & tibi ſupraſcri-*
,, *pto Alberto recipienti pro te & ſupraſcriptis*
,, *Nobilibus, & ipſis Nobilibus, ſi predicta*
,, *fecerint, ut dictum eſt, & tuis & eorum*
,, *heredibus. Renuntiantes omni juri, auxilio,*
,, *& exceptioni & conſtitutioni, quibus nos pro*
,, *Communi Piſano, & Commune Piſanum tue-*
,, *ri & juvari poſſent, & nominatim a pena.*

,, *Et ſic dictus Dominus Marinus Piſanorum*
,, *Poteſtas pro Communi Piſano & Civitate Pi-*
,, *ſana dictum Albertum recipientem pro ſe &*
,, *ſuis heredibus & proheredibus maſculini &*
,, *fem-*

,, *femminini ſexus in perpetuum, & pro ſu-*
,, *praſcriptis Nobilibus de Bangnaria, & eorum*
,, *& cujuſque eorum heredibus & proheredibus*
,, *maſculini & femminini ſexus in perpetuum,*
,, *dummodo ipſi predicta omnia faciant, ut di-*
,, *ctum eſt, de ſupraſcripto Feudo, & de predi-*
,, *ctis omnibus per Vexillum Sendadi vermilii*
,, *inveſtivit.*

,, *Actum Piſis in Curia ſupraſcripta Pote-*
,, *ſtatis, in qua fuerunt Conſilia Senatus, que*
,, *eſt intra Dodor. . . . . . de Cantone; preſenti-*
,, *bus Boccio Judice, & Rainerio de Curte*
,, *Judice, & Tondato Judice, & Rainerio*
,, *Bottacci, & Contingo Torpetis Marzucci, &*
,, *Sigerio Conecte Judice & Advocato Piſani*
,, *Communis, & Bonaccurſo de Biati Cancella-*
,, *rio Piſani Communis, & Jacobo quondam*
,, *Bonaccurſi, & Matteo quondam Salvii, No-*
,, *tariis Cancellarie Piſani Communis, & aliis*
,, *teſtibus ad hec rogatis. Dominice Incarna-*
,, *tionis Anno MCCXLVIII. Indictione VI.*
,, *Nono Kalendas Decembris.*

,, *Ego Bonajunta Adjuti Coltellarii filius,*
,, *Domini Frederici, Dei gratiâ, ſereniſſimi*
,, *Romanorum Imperatoris, Hieruſalem & Si-*
,, *cilie Regis, Notarius, hec omnia, ſicut in*
,, *Actis Cancellarie Piſani Communis inveni,*
,, *ita ſcripſi & firmavi &c.*

Ad hæc ipſi Piſani, potiſſimum verò Genuenſes, multa commoda, jura, atque etiam dominia conquiſierunt in Regno Hieroſolymitano, atque in Imperio Græcorum, uti earum Urbium Hiſtoriæ a me editæ certos nos faciunt. Sunt etiam hac de re monumenta aliqua infra mihi evulganda in Diſſertatione XLIX. *de Civitat. Italicar. fœder.* Sed antequam hoc argumentum dimittam, monitum Lectorem volo, perturbatis iis temporibus non defuiſſe Nobiles viros, qui quum ſibi imminere ſentirent potentiam Italicarum Civitatum, omnia videlicet ſibi finitima invadentium, opportuno ſibi ſubſidio conſulebant. Scilicet quod non pauci e Populo faciebant, ut publicis oneribus prædia ſua ſubducerent, donando ipſa Eccleſiis, eaque ſubinde recipiendo ab illis titulo Emphyteuſis: idem præſtitere Nobiles viri, ſua nempe Caſtella donando Romanæ Eccleſiæ, atque illa rurſus ab ea recipiendo Emphyteutico, aut alio titulo. Multa moris hujus exempla præbebit hoc Opus; ſed ne locus hic teſte careat, tabulas dabo e Regeſto MSto Cencii Camerarii excerptas. Fervebat Anno MCXLIV. bellum inter Piſanos & Lucenſes, ac propterea Guido S. R. E. Cardinalis, ejuſque frater Ubaldinus, ut *Caſtellum Montisalti* decertantium violentiæ eriperent, illud Apoſtolicæ Sedi dono dederunt, a qua poſtea in Feudum acceperunt.

Inſtrumentum conceſſionis & donationis factum Lucio Papæ II. ſuper Caſtro Montis Alti, Anno 1144.

IN nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis, Milleſimo Centeſimo Quadrageſimo Quarto. Anno primo Pontificatus Domni Lucii II. Papæ, Indictione VII. menſis Martii die XVIII. Nos quidem Dei gratiâ Guido *ſanctæ* Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis, & Ubaldinus, *germani fratres*, filii quondam Ugonis de Caſtro Ficherclæ, *hac die propria noſtra voluntate concedimus, donamus, atque offerimus, & per hanc Chartulam ad veram proprietatem corporaliter tradimus tibi Domno noſtro Lucio, venerabili Papæ II., & per te beato Petro Apoſtolo, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ, tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum: ideſt totam & integram noſtram portionem, quæ nobis competit de* Caſtello, *qui vocatur* Mons Altus, *per emtionem, quam fecimus ex eo a* Gandulfo de Bibone*; ſimul & alias duas partes ejuſdem emtionis, quas mihi Ubaldino conceſſerunt* Ubichio & Ranutius *germani mei, ſicut in ipſius conceſſionis Chartula, quam & tibi tradidi, continetur: ſicut ipſæ quatuor noſtræ partes dictæ emtionis ſunt mixtæ cum quinta parte Torpini, filii quondam Rollandi bonæ memoriæ fratris noſtri. Poſita in Epiſcopatu Lucenſi juxta Arnum, una cum terris, vineis, cultis & incultis, ſilvis, rivis, fontibus, paludibus, & pantanis, & cum omnibus ad ipſas quatuor noſtras partes præfatæ noſtræ emtionis intus & de foris generaliter & in integrum pertinentibus. Qualiter nobis pertinent jure hereditario, ſeu quolibet modo, ita tibi & beato Petro, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ, veſtriſque ſucceſſoribus ad uſum & utilitatem beati Petri donamus in perpetuum pro amore Dei omnipotentis & beati Petri, & animarum noſtrarum & parentum noſtrorum; ut a præſenti die liceat vobis exinde facere quicquid volueritis in perpetuum. Nos igitur & noſtri heredes defendere promittimus ab omni homine ſi neceſſe fuerit. Quod ſi contra hæc, quæ dicta ſunt, quolibet modo venire tentaverimus, & cuncta, quæ dicta ſunt, non obſervaverimus, & ſi ea defendere noluerimus, aut non potuerimus tam nos, quàm noſtri heredes componamus tibi & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ pro pœna decem auri Libras; & ſolutâ pœnâ hæc donationis Chartula perpetuo firma permaneat. Quam ſcribendam rogavimus Johannem Scriniarium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in Menſe & Indictione ſupraſcripta VII.*

✠ ✠ *Signum manuum præſcriptorum Guidonis Diaconi Cardinalis, & Ubaldini fratris ejus, hujus Chartulæ rogatorum.*

Iſti ſunt teſtes: Hiacynthus Dapifer Domni Papæ; Docibilis; Stephanus Theophilacti; Johannes Bonus Coneſtabulus; Rogerius de Lettulo.

Alterum exemplum ex eodem Regeſto deſumtum addo, videlicet *Caſtri Moriciclæ in Ducatu Spoletano* ſiti, quo tempore Ducatui illi præerant Duces ab Imperatoribus electi,

Donatio Caſtri Moriciclæ facta Romanæ Eccleſiæ a Marrone Gisleri filio, Anno 1078.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno VI. Pontificatus Domini Gregorii Papæ VII. Menſe Novembri, die XVII. Indictione II. Romæ. Ego Marro Gisleri filius, habitator in Ducatu Spoletano, pro redentione animæ meæ & parentum meorum, dono, trado atque offero beato Petro Apoſtolorum Principi, & ſuper Altare ejus, omnia, quæ mihi pertinent de Caſtro, *quod vocatur* Moricicla, *poſitum inter Muricem & Clarignanum: quod conquiſitum habeo per concambiatio-* A *nem a Litaldo & Hugone nepotibus Hugonis filii Aſcari, in Plebe de Luzzano, reſervato uſufructu diebus vitæ meæ, & Brittuli filii mei & filiorum Brittuli, ſi maſculi fuerint de legitimo conjugio procreati.*

Ita in Hiſpania, atque in Regno Legionis, ſpectaſſe olim ad Eccleſiam Romanam *Caſtrum Toraph*, diſcimus e ſubſequentibus literis Regiis, quas idem Regeſtum mihi ſuppeditavit.

Literæ Ferrandi Regis Caſtellæ Domino Papæ Gregorio deſtinatæ ſuper reſtitutione Caſtri Toraph Fratribus Militiæ S. Jacobi, nomine Romanæ Eccleſiæ reſtituendi, Anno 1272.

SAnctiſſimo Patri & Domno Gregorio divinâ providentiâ ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici, Ferrandus Dei gratiâ Rex Caſtellæ & Toleti, Legionis, & Galliciæ, ſalutem cum obedientia tam debita quàm devota. Notum ſit Sanctitati veſtræ, & omnibus aliis præſentem paginam inſpecturis, quod ego Ferrandus Dei gratiâ Rex Caſtellæ & Toleti, Legionenſis & Galliciæ, recognoſco, & promitto, quod decedentibus ſororibus meis Domina S. & Domina D. vel intrantibus Religionem, aut nubentibus, ſeu recompenſationem aliquam accipientibus, Caſtrum Toraph *Fratribus Militiæ Sancti Jacobi in priſtino ſtatu nomine Eccleſiæ Romanæ tenendum libere reſtituam, ſine omni contradictione. Confiteor etiam & recognoſco, quod non fuit intentionis meæ, nec eſt, per verba donationis & conceſſionis poſita in Inſtrumento compoſitionis factæ inter me & ſorores meas prædictas ſuper Regno Legionis aliquod Sedi Apoſtolicæ matri meæ* B *præjudicium generare. Et ideo volo, quod illa verba in prædicto Inſtrumento compoſitionis inter me & dictas ſorores meas poſita,* damus & concedimus, *quantùm ad hoc pro non appoſitis habeantur. Proteſtor tamen, quod per hoc nullum juri Regio præjudicium generetur, quod ei in prædicto Caſtro competit, vel competere debet. Et ut hoc ſcriptum firmum ſit & authenticum, meo Sigillo ipſum munio, roboro & confirmo.*

Facta Charta apud Reg . . . . Exp . . . . . . IV. die Octobris, Erâ MCCLXXII.

Burgi quoque *Dolenſis*, celebris nunc in Gallia loci, ditionem pertinuiſſe olim ad eam- C dem Eccleſiam Romanam, ſubſequens Charta nos edocebit, e Cencii Regeſto pariter deſcripta. Num verò per Abbatem Dolenſem, an alio titulo, dominaretur loco illi Romana Eccleſia, aliis decernendum relinquo.

Juramentum fidelitatis, quod præſtitit Nobilis Vir Willelmus filius quondam Andreæ de Calviniaco Dominus Caſtri Rodulfi pro Burgo Dolenſi, cujus cuſtodiam ab Eccleſia Romana recepit. Fortaſſe circiter Annum 1075.

EGo Willelmus filius quondam *Andreæ de Calviniaco, Dominus Caſtri Rodulfi, ab hac hora in antea fidelis ero beato Petro, Domino meo Papæ Gregorio, & ſucceſſoribus ejus canonice intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ. Non ero in facto, neque in dicto, neque in conſilio, ut vitam perdant aut membrum, aut mala captione capiantur. Conſilium quod per ſe vel Nuntium aut literas ſuas mihi crediderint, ad eorum damnum me ſciente nulli pandam. Si eorum certum damnum ſcivero, ſi potero, remanere faciam; & ſi non potero, ſignificabo eis per me vel per literas, aut nuntium meum, aut dicam tali perſonæ, quam eis credam pro certo dicturam. Patrimonium & alia Regalia beati Petri, quæ nunc habet, vel in antea acquiſierit, & ſpecialiter* D Burgum Dolenſe, cujus cuſtodiam ab Eccleſia Romana teneo, *adjutor eis ero, & Abbati Dolenſi, qui pro tempore fuerit, quo ad Burgi cuſtodiam, ad defendendum: quæ non habet, recuperandum: recuperata ad retinendum, & defendendum contra omnes homines. Legatos & Nuntios Eccleſiæ Romanæ honorifice ſuſcipiam, & benigne tractabo, & per totam Terram meam, & alibi, ubicumque per me aut meos potero, ſecurum eis pro meo poſſe præſtabo conductum. Hæc omnia obſervabo bonâ fide ſine fraude & malo ingenio. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.*

Nos nunc aliis moribus vivimus; at jocundum eſt diſcere, quibus viverent & Majores noſtri.

DE SOCIETATE LOMBARDORUM,

ALIISQUE

CIVITATUM ITALICARUM,

SERVANDÆ LIBERTATIS CAUSSA,

ET

DE PACE VENETA ET CONSTANTIENSI.

DISSERTATIO QUADRAGESIMAOCTAVA.

DISSERTATIO QUADRAGESIMAOCTAVA.

UTi jam in ſuperioribus oſtendi, complures e Civitatibus Italicis ſeſe in libertatem erexerant Sæculo Chriſtianæ Æræ Undecimo, ſed præcipue Duodecimo. Et nulla ex iis fortaſſis erat, quæ Imperatoribus ſubeſſe, eorumque ſupremam dominationem agnoſcere nollet. Singulæ hoc minime moleſtum ſibi, immo pergratum eſſe fatebantur. Sed Cæſareis Præſidibus, hoc eſt Marchionibus, Comitibus &c. amplius parere, & ab iis ſinere ſeſe in poſterum regi, id ſane tota animi contentione detrectabant. Interim tanta rerum converſio nondum, uti videtur, ullis Auguſtorum Privilegiis generalibus probata, nedum conſtabilita fuerat. Tacebant, connivebant Imperatores, atque ex ipſo eorum ſilentio multum juris ſibi acceſſiſſe Civitates putabant; conſuetudo enim vim legis ac privilegii interdum ſibi in politicis negotiis conciliat. In eo ſtatu res Italicæ erant, quum Anno MCLIV. Æræ Chriſtianæ, in Italiam deſcendit Romanorum Rex electus Fridericus I. vir alti animi, acris ingenii, multarumque virtutum conſenſu ornatus; quæ ipſum ad ſublime culmen gloriæ efferre potuiſſent, niſi nimia ira ambitioni immoderatæ conjuncta eximium virum in præceps tamdem egiſſent. Adducebat ille ſecum prægrandem cupiditatem reſtituendi Romano Imperio antiquam faciem, & recuperandi jura Italicorum Regum & Cæſarum, quæ inter ſeditiones & bella præcedentium temporum peſſum pleraque ierant. Neque deſiderata eſt opportunitas, ut voti compos fieret. Inclytæ Urbis Mediolanenſis potentia ac fama tum propriis opibus, tum Civium multitudine, ac artium bellicarum ſtudio, ſupra ceteras Longobardiæ Civitates aſſurgebat. Neque ſuis finibus contenti Cives (quod fieri ſolet, ubi vires ſuas homines ſentiunt) ſibi Novocomenſes, Laudenſes, alioſque conterminos Populos, inflicto bello, ſibi obtemperare coëgerant. Ticinenſibus etiam, Cremonenſibus, aliiſque finitimis Urbibus, & Marchioni Montisferrati minitabantur, ac bellum inferebant: quæ res multorum odium & iram in ipſos convertit. Vix ergo Fridericus formidando exercitu ſtipatus Italiam intravit, quum conjuratæ Civitates nonnullæ, & aliquot Principes adversùs Mediolanenſem Populum animos Regi addidere, alioqui jam irato, quod male a Mediolanenſibus accepti nuntii ſui antea fuiſſent. *Tunc Mediolanenſes* (ut verbis Radulphi, ſive Sire Raul, utar Tomo VI. pag. 1174. Rer. Italicar.) *cum Papienſibus erant in guerra. Venit ergo Fridericus, ut Longobardos miro modo ſubjugaret. Et quum ſibi videretur neceſſarium alteram partem eligere, utilius duxit parti Papienſium adhærere, ne ſi Mediolanenſium partem amplexus eſſet, alterâ parte Longobardiæ ſubjugatâ, Mediolanenſes, qui fortiores erant, rebelles exiſterent.* Quæ Fridericus eâ tempeſtate egerit, quæve fuerit molitus, ut arduum opus impleret, non eſt hujus loci pluribus perſequi. Ottonis Friſingenſis, Radevici, Ottonis Morenæ, aliorumque Scriptorum monumenta proſtant, quæ Lector per ſe conſulat, quotieſcumque velit. Illud mihi adnotandum, ubi denique ſuſpicio intravit, nihil minus cogitaſſe Auguſtum, quàm de Italia univerſa ſibi ſubjicienda, eâque ad illam ſervitutem redigendâ, quæ ſub Carolo Magno, aut Ottone I. in uſu fuit, cœpiſſe Italicarum Urbium fortiſſimas ac potentiſſimas, ſimulque Principes præſtantiſſimos, ſibi conſulere, ne partâ libertate exuerentur, atque ut commoda illa, quæ a majoribus acceperant, retinerent. Illorum etiam animos urebat Friderici crudelitas, qui Urbes ad ſibi parendum ſegnes debellaſſe non contentus, omni abjectâ miſericordiâ, ad ſolum proſterni jubebat. Timebant ſibi omnes, & in alieno exitio ſuum unuſquiſque contemplabatur. Quare non Mediolanenſes tantùm, Brixiani, Veronenſes, Bononienſes, aliæque Urbes, ſed etiam Hadrianus IV Papa, & Guilielmus Apuliæ & Siciliæ Rex, ſecreta miſcere conſilia, & occultis fœderibus ſe contra artes ac impetum Friderici præmunire cœperunt. Hadrianum exacerbaverant injuriæ Legatis ſuis, iiſque ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, inflictæ in Germania, tum ipſius Friderici minæ, aliæque ſimultates inter eos obortæ. Præterea videbatur Imperator, ſibi in ipſam Romanam Urbem plus tribuere aut arrogare velle auctoritatis ac dominatus, quàm ejus Prædeceſſores feciſſent. Nam quum Romani adversùs ipſos Summos Pontifices ſeditione motâ, ab Arnaldo Brixiano antea faſcinati, Senatum inſtauraſſent, expuliſſent etiam Præfectum Urbi, qui Magiſtratus Romæ pro Imperatoribus ab antiquo tempore ſedebat, ſeditque deinde uſque ad tempora Innocentii III. Papæ, ut in ejus Vita habetur: Fridericus Anno Chriſti MCLIX. receptis Senatus Populique Romani Legatis, cum eis egit non ſolùm de recipiendo Præfecto, ut Radevicus Lib. 2. Cap 41. ſcribit, ſed etiam *de ſtabiliendo Senatu*: qua ex re nimium lædebantur jura ac Privilegia Romanorum Pontificum. Ad hæc Guilielmus Siciliæ Rex non immerito potentiam & conſilia Friderici Auguſti formidabat. Ipſo enim Anno, quo is Imperialem coronam Romæ ſuſcepit, hoc eſt Anno MCLV. jam ad Guilielmi perniciem Imperator anhelarat, & ab exercitu in ipſum deducendo non longe fuit, uti teſtatur Otto Friſingenſis Lib. 2. Cap. 25. de Reb. geſt. Friderici. Verùm pauci adhuc palam ſe prodere hoſtes fortiſſimi Imperatoris audebant. Uni Mediolanenſes, cedentibus aut latentibus pæne ceteris præ metu, obſiſtere non ſemel apertâ facie non dubitarunt, bellumque ſuſtinuere, quamdiu potuerunt. At quum Populi multi nullum non moverent lapidem, ut Mediolanum, conterminorum nempe, uti ajebant, *malleum* contunderent atque deprimerent, & victori Auguſto ſeſe aliarum Urbium copiæ volentes noleentesve acceſſiſſent: Anno tamdem MCLXII. deditionem fecere Mediolanenſes Friderico, pactis intercedentibus, quæ ab ipſo violata iidem poſtea contenderunt. Barbarico more

excisa tunc eſt ampliſſima Civitas, mœnia, ædes, vetera monumenta dejecta, foveæ ſolo æquatæ; ne ipſa quidem Templa iram victoris effugerunt. Populus verò hac illac diſperſus innumeras calamitates diu vorare coactus eſt, quas Radulphus Mediolanenſis in ſuo Commentario enumerat.

Concuſſit univerſam Italiam tam potentis ac ſplendidæ Urbis miſerabile excidium, & ſubſequuta Brixiæ aliarumque Civitatum deditio. Jamque videbatur Fridericus omnia ad ſuum libitum componere poſſe, & manum poſtremam impoſuiſſe operi, quod præcedente Anno MCLVIII. feliciſſimo ſucceſſu inchoarat. Tunc enim ſolemnibus comitiis univerſarum fere Lombardicarum Civitatum ac Principum Ronchaliæ habitis, *ſuper juſtitia Regni, & de Regalibus, quæ longo jam tempore ſeu temeritate pervadentium, ſeu neglectu Regum Imperio deperierant, ſtudioſe diſſerente Friderico, quum nullam poſſent invenire defenſionem excuſationis, tam Epiſcopi quàm Primates, & Civitates uno ore, uno aſſenſu, in manum Principis Regalia reddidere, primique reſignantium Mediolanenſes exſtitere.* Ita Radevicus Lib. 2. Cap. 5. Paria habet Otto Morena in Hiſtoria Laudenſi pag. 1017 Tomi VI. Rer. Italicar. Quid verò nomine *Regalium* ſignificaretur, ipſe nobis Radevicus ediſſerat. *Adjudicaverunt*, inquit, *Ducatus, Marchias, Comitatus, Conſulatus, Monetas, Telonia, Fodrum, Vectigalia, Portus, Pedatica* &c. Fridericus ipſe, quæ *Regalia* forent *Jura* prodidit in Diplomate, per quod Aſtenſi Populo ejuſque Rectoribus Anno MCLIX. privilegia aut largitus eſt, aut confirmavit. Editum fuit hoc Diploma ab Ughellio Tomo IV. Ital Sacr. in Epiſcop. Aſtenſibus. Et quamquam ibi nomina vitiata pro more ſint, non deſinent lucem miniſtrare præſenti argumento. *Hæc itaque*, ait Fridericus, *Regalia eſſe dicuntur: Moneta, Viæ publicæ, Aquatica, Flumina, publica Molendina, Furni, Fureſtica, Menſuræ, Banchatica, Portus, Argentaria, Pedagia, Piſcationis reditus, ſextaria vini & frumenti, & eorum quæ venduntur, Placita, Batalia, Rubi, Reſtitutiones in integrum, & alia omnia, quæ ad Regalia jura pertinent.* Nulla heic gladii poteſtas memorata. Sed quando ſupra is concedit Aſtenſibus, eorumque Poteſtatibus *Diſtrictum*, idem jus hoc nomine conceſſiſſe mihi creditur. Ad Radevicum redeo, atque ad Annum MCLVIII. Tunc Fridericus, ut gloriam liberalitatis ſibi conquireret, odiumque Italicæ gentis aliqua ex parte a ſe amoliretur, *his omnibus in Fiſcum adnumeratis, tantâ circa priſtinos poſſeſſores uſus eſt liberalitate, ut quicumque donatione Regum aliquid horum ſe poſſidere inſtrumentis legitimis edocere poterat, is etiam nunc Imperiali beneficio & Regni nomine, id ipſum perpetuò poſſideret.* Eximiâ hac Friderici I. felicitate fervente, Genuenſes antea reluctantes, ejuſque ſe ſubmittere voluntati renuentes, in mitiorem opportunioremque tempori ſententiam Anno ipſo MCLXII. inclinarunt. Teſtatur Caffarus Auctor Synchronus Lib. I. Annal. Genuenſ. pag. 278. Tom. VI Collection. hujus, *Fridericum præ cunctis Cæſaribus intendendo ad reintegrationem Imperii, ſub jugo triumphationis ſuæ univerſorum colla ſubjeciſſe.* Tum poſtquam retulit horrendum Mediolanenſis Urbis excidium, hæc ſubdit: *Sicque factum eſt, ut omnes Civitates & Loci Lombardiæ, & maritimarum partium uſque Romam, nimio timore perterriti & commoti, in omnibus Imperatori obedientes fuerunt.* Itaque Genuenſes ad Fridericum Auguſtum Legatos miſere, ut coram ipſo jurarent *fidelitatem Imperii; quibus ille cuncta Regalia Civitatis & poſſeſſiones, quas tenebant, & multa alia concedendo, per Privilegium aureo ſigillo ſignatum in perpetuum ſignavit & confirmavit.* Non ingratum Lectoribus futurum puto, ſi eorum oculis Privilegium ipſum exhibeam, honorificum ſane inclytæ illi Reipublicæ, ex quo elucere quodammodo poſſit, quid aliis etiam Civitatibus liberis indultum eo tempore fuerit, niſi quod multis ex eis Auguſtus Poteſtates ſive Prætores dedit, Genuenſibus autem jus eligendi ſibi Conſules intactum reliquit.

Friderici I. Imperatoris Diploma, quo Conſulibus & Communi Genuæ illorum jura confirmat & auget, & multa Privilegia concedit, Anno Chriſti 1162.

FRidericus *divina favente clementia* Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus. *Licet ad decorem & honorem Imperii, & ad noſtram ſimul gloriam ſpectet, univerſos Imperii noſtri fideles confovere & tueri, diligere & amplecti; ad illorum tamen præcipue tutelam propenſius ſtudium & vigilantiorem curam meritò debemus adhibere, de quorum devotione, de quorum ſervitio & labore circa exaltationem noſtræ Coronæ melior ſpes nobis incipit ſincere & fiducia provenire. Congruum igitur & rationabile videtur, nos eorum fidelia obſequia cum largiflua benignitate & Imperiali munificentia ad ſervitium & honorem Imperii benignius applicare, quorum induſtria & virium potentia ad conſervandum Reipublicæ ſtatum præ ceteris glorioſum conferre poteſt incrementum. Unde quia Januenſium Civitatem a prima ſui fundatione caput ſuum inter alias Civitates maritimas altius extuliſſe, & perſpicuis virtutum atque multarum probitatum operibus terrâ marique omni tempore præpollere veraciter audimus: placuit noſtræ Majeſtati tantorum virorum, omnium videlicet* Januenſium *fidelitatem eligere, tenere, & cum omni benevolentia præ aliis conſervare, eoſque in commune congruis honoribus & amplioribus beneficiis ſemper honorare, præſertim cum nos ipſorum ſervitiis & ſtrenuis laboribus gratanter uti, maxime in mari navalibus bellis velimus, juxta illud noſtræ voluntatis propoſitum, quo non ſolùm in terra, ſed etiam in mari gloriam & honorem Romani Imperii dilatare modis omnibus & corroborare intendimus ac deſideramus. Ea propter cognoſcant univerſi fideles Imperii præſentes & futuri, quanto gratiæ noſtræ & honoris titulo, quanta omne beneficiorum collatione, quanto dilectionis emolumento* Civitatem Januæ *exaltandam digne duximus & honorandam. Concedimus enim & donamus* Conſulibus & Communi Januæ *in Feudum, ut quoties hoſtem vel expeditionem aut exercitum facere voluerint, ſalvâ tamen fidelitate Imperiali, habeant totam maritimam a Portu Monachi uſque ad Portum Venerii in illo hoſte, exercitu, vel expeditione: ſane hoc ſtatuentes, ut propter hoc in ceteris juſtitia Comitum aut Marchionum non minuatur. Item donamus & concedimus in Feudum Conſulibus & Communi Januæ liberam poteſtatem eligendi ex ſe ipſis, firmandi & habendi Conſules, & eis utendi, qui habeant jus & facultatem liberam faciendi juſtitiam & puniendi maleficia in Civitate & diſtrictu ſuo, bona fide, legitime, & ſecundùm bonos mores ipſius Civitatis, & eis aliàs Poteſtatem non imponemus. Præterea Ciſtra omnia, Portus, Regalia, poſſeſſiones, jura, & res univerſas, quas in Ciſtramarinis vel Ultramarinis partibus tenent, habent, vel poſſident, aut alius eorum nomine, eis concedimus & donamus in Feudum, & de gratia noſtra in perpetuum Imperiali auctoritate modis omnibus confirmamus. Proprietates autem & Allodia eorum eis libere concedimus. Item concedimus & damus eis in Feudum Syracuſanam Civitatem cum pertinentiis ſuis omnibus, & ducentas quinquaginta Cabellarias ter- A ræ in Valle Nothi ad Caballariam illius terræ. Et ſi fortè ibi deerit, in terra Comitis Simonis quod defuerit compleatur. Præterea concedimus & damus eis in Feudum in unaquaque Civitate maritima, quæ propicia divinitate a nobis capta fuerit, vel nobis reddita deinde, Rugam unam, eorum Negotiatoribus convenientem cum Eccleſia, balneo, fundico & furno. Concedimus quoque eis, ut in aliqua Terra, quam de cetero Deo auctore conquiſierimus eorum auxilio aſſiſtente, nullum drictum, nullum pedatium, dacitam quamlibet, uſantiam, vel impoſitionem dent hominibus eorum, etiamſi abhinc nobis reddita fuerit. Concedimus quoque & damus Conſulibus & Communi Januæ liberam B poteſtatem expellendi Provinciales Francigenas, euntes per mare & redeuntes a negotiatione totius Siciliæ & totius Maritimæ, & Calabriæ, & omnis Principatus Venetorum etiam, niſi ipſi Veneti gratiam noſtram & bonam voluntatem fuerint conſecuti. Et damus eis, quod in Terris, quibus negotiatum iverint, homines eorum habeant unum vel duos vel plures Januenſes, qui inter eos juſtitiam faciant & rationes. Et quod Mercatores eorum ubique libere poſſint habere ſuum pondus & ſuam menſuram, quibus inter ſe res, merceſque ſuas recognoſcant.*

Item concedimus & damus eis, quod ſi quis ad ipſius Judices aliquem Januenſem, vel ho- C minem diſtrictus eorum, qui ſit Januenſis, vel in Terris, quas eis conceſſimus, querimoniam fecerit non teneatur Januenſis, vel homo diſtrictus eorum conquerenti facere rationem, niſi ante Januenſes Judices. Ibi quidem ſecundùm Leges noſtras Romanas & bonas Conſuetudines eorum juſtitiam faciant conquerenti. Et ſi nos præceperimus, alicui faciendam eſſe juſtitiam, infra terminum convenientem ei juſtitiam faciant Januenſes Judices ſecundùm quod prædictum eſt. Quod ſi noluerit, ante nos ipſa juſtitia fiat. Et concedimus eis, ut omnium mobilium, ſicut eſt in auro, argento, monetis, & pannis ſericis præter inciſos, quæ ceperint ipſi Januenſes, medietatem nos & alteram medietatem habeant D ipſi Januenſes. Ita tamen quod Conſules bona fide laborent, ut ipſa mobilia in ipſorum veniant poteſtate, & ſic diſponatur. Reliqua omnia ex noſtra liberalitate eis concedimus. Præterea quartam partem totius pecuniæ Palatii, præter gemmas, quæ ad nos pervenerit, & reddita fuerit, ipſis Januenſibus Imperiali liberalitate concedimus, & bona fide ſtudebimus, ut in noſtram poteſtatem deveniat ipſa pecunia, & ſic diſponatur ſine fraude. Item voluntarie concedimus eis, ut ſi a proxime præterito Feſto Paſchæ, ex quo die de gratia noſtra adipiſcenda Januenſes ſtuduerunt, eorum pecunia capta vel detenta eſt a Siculo vel aliqua perſona per eum terra vel mari deinceps capta fuerit vel im- E pedita, habeant ipſi Januenſes viceſimam totius captæ pecuniæ, quæ ad nos & eos pervenerit, ſi damnum tantùm fuerit. Si verò minus fuerit, pro ratione amiſſæ pecuniæ reſtitutio minuatur. Ita tamen quod damnum amiſſæ pecuniæ per juramentum illorum, qui damnum paſſi fue-

fuerint, cognoſcatur, vel Conſulum ſub ſua credulitate hoc juramentum facientium ſine fraude. Item generali Edicto & Banno, ſpeciali auctoritate Imperatoria ſanctiemus, ut nulla perſona major, minor, vel media, aliquos Januenſes, vel illos, qui cum eis fuerint, in rebus vel perſonis offendat. Et ſi quis temerario auſu contra facere præſumpſerit, vindictam inde faciemus, & juſtitiam ſecundùm quod in Edicto & Banno expreſſum fuerit; niſi quantum per parabolam non coactam illius, qui injuriam paſſus fuerit, aut Januenſium Conſulum remanſerit. Nec cogemus exercitum Januenſium alio ire, niſi nominatim ad Terras inter nos & eos expreſſas & nominatas, abſque eorum bona voluntate. Nec cogentur Januenſes facere nobis hoſtem vel expeditionem aliam præter iſtam. Niſi ſi perdiderimus (quod abſit) Civitatem aliquam de maritimis, aut maritimam ab Arelate uſque ad Montem Sancti Angeli, & in Apulia atque Calabria vel Sicilia, quatenus ad eas partes poterunt navigio pervenire, tunc bona fide adjuvabunt nos perdita recuperare. Nec diſtringentur amodo Januenſes dare obſides, vel pecuniam ipſi, vel homines eorum diſtrictus contra ſuam voluntatem. Et faciemus juvare Conſules Papiæ, Placentiæ, Terdonæ, & Aſt, ſive Poteſtatem earum Civitatum, & Marchionem de Monteferrato, & Henricum Guercium Marchionem, & Marchiones de Buſcho, & Marchionem Malaſpinam, quod quamdiu Januenſes fuerint in expeditione noſtra, nullam offenſionem vel injuriam facient Januenſi Civitati, vel in ejus diſtrictu, vel hominibus de Januenſi diſtrictu, aut in rebus eorum in aliqua parte, ubi habeant poteſtatem. Et ſi quis contra facere præſumpſerit, bona fide eos defendent, & adjuvabunt. Et hoc totum in debito fidelitatis eis injungemus: & ſi ipſi offenderint, quod hoc bona fide emendent. Noſtro quoque Privilegio firmamus, quod nullus Archiepiſcopus, nullus Epiſcopus, nullus Dux, nullus Marchio, nullus Comes, nullus Gaſtaldio, nulla magna vel parva Imperii noſtri perſona, in iis, quæ Januenſibus Conſulibus & Communi Januæ conceſſimus, tam in Civitate Januæ, quàm extra, vel quæ Deo auctore in futurum concedemus, inquietare, moleſtare, offendere, vel diſveſtire præſumat. Et ſi quis contra facere præſumſerit, pœnam mille Librarum auri puri componat, medietatem Cameræ noſtræ & alteram medietatem ipſis Januenſibus inferendam. Et ab hac die in antea non faciemus nec conſentiemus fieri pacem, finem, treugam, aut Guerram recruditam cum Wilielmo Siculo*, vel ſucceſſore ejus, aut aliquo alio ſine parabola non coacta omnium Januenſium Conſulum vel majoris partis, quæ tunc temporis fuerit. Ut autem auctore Domino iſta ſint perpetuo valitura, Wilielmus Advocatus Aquiſgrani per noſtram parabolam, & per noſtrum præceptum juravit ſuper nos, quod hæc omnia obſervabimus.*

Hæc ſunt nomina Teſtium, in quorum præſentia hæc acta ſunt. Reinaldus Colonienſis Archiepiſcopus, Henricus Leodienſis Epiſcopus, Hordiel Baſileenſis Epiſcopus, Hermannus Conſtantienſis Epiſcopus, Hermannus Ferdenſis Epiſcopus, Uto Nurimburgenſis Epiſcopus, Hermannus Hildenſchemenſis Epiſcopus, Garſendonius Mantuanus Epiſcopus, Udalricus Augenſis Abbas, Hermannus Hensfeldenſis Abbas, Henricus Protonotarius, Cunradus Palatinus Comes Rheni frater Domini Imperatoris, Henricus Dux Auſtriæ patruus Domini Imperatoris, Theodericus Marchio, Otto Palatinus Comes de Witelinesbac, Comes Albertus de Saxonia, Comes de Theto de Saxonia, Comes Rodulphus de Phalendors, Comes Udalricus de Lenhebach, Burcardus Caſtellanus de Magdeburgh, Comes Emecho, Wilielmus Marchio Montisferrati, Marchio Obizzo Malaſpina, Henricus Wercins Marchio, Comes Wido de Blandrato, Udalricus de Hurnins, Gebeardus de Luggemberge, Marquardus frater ejus, Cunradus de Ammebech, Henricus Mariſcalcus, Beltrordus Triſ...... Camerarius, Cuno Camerarius, Wilielmus Advocatus Aquiſgrani, Hartmannus Camerarius, Ubertus de Olevalchus, Wico de Sancto Yabano, Allo Vexillifer, Gilio de Duvara, Otto de Perſico, Obizo Bucaſol..... & alii quamplures.

Signum Domini Friderici Romanorum Imperatoris invictiſſimi.

Ego Udalricus Cancellarius vice Reinaldi Colonienſis Archiepiſcopi & Archicancellarii recognovi.

Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Menteſimo Sexageſimo Secundo, Indictione Decima, Regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore invictiſſimo, Anno Regni ejus Decimo, Imperii verò Septimo.

Datum Papiæ apud Sanctum Salvatorem in Palatio Imperatoris poſt deſtructionem Mediolani, & deditionem Brixiæ & Placentiæ, V. Junii feliciter. Amen.

Ferrarienſis quoque Populus, Ottone Morena teſte, circiter hæc tempora ab ipſo Auguſto Prætorem accepit. Verùm perturbatis iterum rebus, ut Ferrarienſes ſibi benevolos, & auxiliares efficeret, nobili Privilegio eorum libertatem ac jura confirmavit. En illud, quale mihi ſe obtulit in vetuſtiſſimo Regeſto, quod Archivum Eſtenſe adſervat.

Privile-


Privilegium Friderici I. Imperatoris conceſſum Ferrarienſi Civitati, Anno 1164.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Fredericus *divina favente clementia* Romanorum Imperator ſemper Auguſtus. *Ex quo ſumma Dei providentia terreni Imperii gubernacula regenda nobis commiſit, hæc fuit intima cordis noſtri voluntas, & ſpeciale propoſitum, ut illos, quorum fides ſincera & devotio pura circa nos & Imperium laudabiliter eniteſcunt, congruis honoribus & beneficiis decoremus, & de ipſorum puritate ac fidei conſtantia, talem eis retributionem reddamus, ut minus fidelium corda ad ſerviendum Imperio alacrius provocentur. Quia verò* Ferrarienſis Civitas *in pura fide perſeverans, plurima præclara & honeſta ſervitia ſemper nobis & Imperio fideliter contulit, & quia pro motione & guerra Venetorum, Paduanorum, Vicentinorum, & Veronenſium, qui cornua rebellionis & ſuperbiæ contra nos & Imperium erexerunt, dampnis fortaſſis & laboribus ſubjacebunt, & in conducendo nobis forum tranſitu navium, aliiſque ſervitiis noſtris plurimas difficultates tolerabunt, & ad hoc ut de fidelibus fideliores reddantur, & debitum ſervitium Imperio devotius exhibeant: Notum facimus univerſis Imperii noſtri fidelibus præſentibus & futuris, quod nos mediante & auctore dilecto & Illuſtri Principe noſtro Chriſtiano, ſacri Palatii Cancellario, qui eorum fidem & puritatem nobis approbavit, hanc benignitatis noſtræ gratiam Ferrariæ Conſulibus, Alberto videlicet de Aldigerio ſacri Palatii Judici, Joculo Lenguette, & Guidotto Judici, qui ad nos venerunt pro toto Populo, & ut in ſolita & debita fide circa nos, & Imperium perſeverent, conceſſimus & confirmavimus, ut de cetero habeant liberam facultatem eligendi Conſules, & dimidium ripæ, dimidium quoque fori Sancti Martini,* Widas, *& tanſas omnes a flumine Tartari uſque ad Mare, & tertiam partem portus Salis; & omnes habitantes in Epiſcopatu & diſtrictu obediant Civitati in facienda expeditione, & aliis neceſſariis Civitati, & redditus molendinorum; & quod Conſules habeant facultatem exercendi juſtitiam intus & extra, & tam in civilibus cauſis, quàm in latronibus, ſtrateriis, falſariis, & aliis maleficiis, & in menſuris, & in*

A *aliis cauſis. Et quod nullum theloneum, aut ripaticum in ſuo Epiſcopatu vel diſtrictu dabunt. De placitis extraneorum dimidiam partem, & præterea omnes bonas conſuetudines, quas conſueverunt habere ſive in Arimaniis, ſive in aquis, ſive in ripis, aut in terris, vel uxoribus, vel filiis, vel villanis, vel ſervis, aut in aliis rebus a flumine Tartari uſque ad Mare, & per omnes alios terminos, qui in autenticis Prædeceſſorum noſtrorum Regum Romanorum & Imperatorum Privilegiis continentur, vel quos hactenus per ſe habere conſueverunt, vel per noſtros Nuntios, qui ibi fuerint. Inſuper concedimus eis omnes bonas conſuetudines, quaſcumque in toto Epiſcopatu ſuo*

B *& diſtrictu habere conſueverunt. Hæc omnia prædicta eis indulſimus & corroboravimus, ſalvâ eâ Imperiali juſtitiâ, quam nobis reſervamus. Prædictos quoque redditus molendinorum concedimus eis a flumine Tartari uſque ad Mare. Statuentes igitur firmiter jubemus, ut de cetero nullus Archiepiſcopus, non Epiſcopus, non Dux, vel Marchio, non Comes, vel Capitaneus, nulla Poteſtas, vel Civitas, non Rectores vel Conſules, nullaque perſona magna ſive parva, Secularis vel Eccleſiaſtica eos in hac noſtra conſtitutione moleſtare vel inquietare præſumat. Si quis verò hanc noſtram auctoritatem violare preſumpſerit, centum Libris auri puriſſimi pro pœna ſe compoſiturum cognoverit,*

C *dimidium Fiſco noſtro, & dimidium prædictis fidelibus noſtris Ferrarienſibus. Hujus autem rei teſtes ſunt Conradus Maguntinus Archiepiſcopus, Rainaldus Colonienſis Archiepiſcopus, Henricus Leodicenſis Epiſcopus, Chriſtianus Curiæ Cancellarius, Hermannus Hereſvellenſis Abbas, Albertus de Aldigerio, Joculus filius Lenguette, Guidottus Conſules, Turchus frater Lenguette, Mainardus de Marchiſio, Henricus filius Henrici de Bonovicino, Bonusjohannes Judex, Petrusbellus, Rodulfus Donaldi, Aſdratus de Aitingo, Ottolinus de Marchione Mainardi, Albertus de Luſia, Johannes Baruani, & alii quamplures. Ut autem hæc verius credantur, & ab omnibus inviolabiliter obſerventur, præſentem inde paginam ſcribi, & ſigillo noſtro juſſimus premuniri.*

Signum Domni  *Frederici Romanorum Imperatoris invictiſſimi,*

Ego Chriſtianus Curiæ Cancellarius, vice Domni Rainaldi Colonienſis Archiepiſcopi, & Ytaliæ Archicancellarii recognovi.

Actum eſt Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Sexageſimo Quarto, Indictione XII. Regnante Domno Frederico Romanorum Imperatore glorioſiſſimo, Anno Regni ejus XII. Imperii verò VIIII.

Datum apud Sanctum Salvatorem juxta Papiam IX. Kalendas Junii.

Subſequenti quoque Anno Mantuanum Populum ad ſe adtraxit, initis cum eo pactis, & Privilegio conceſſo, quod ex Archiducali Archivo ejus Urbis deſcripſi.

Friderici

Friderici I. Auguſti Privilegium, quo Regalia & alia jura Mantuano Populo concedit, Anno 1165.

FRidericus *Dei gratia* Romanorum Imperator Auguſtus. *Tante clementie noſtri Imperii dignitas ſemper fuit, quod fidelium ſuorum votis & precibus aures benignitatis numquam negavit, ſed cum omni favore, & plena gracia atque dilectione ad omnimodam ipſorum voluntatem benignum omni tempore inclinavit aſſenſum. Sicut ipſarum rerum effectus frequenter declaravit. Nos enim conſtantiam fidei & favorem amoris fidelium noſtrorum omnium* Mantuanorum *circa honorem Imperii, & noſtrum diligentius conſiderantes, eorumque multa & præclara ſervicia in memoria & præ oculis noſtris habentes, quod ipſi bona fide & alacri devotione ſemper Imperio exhibuerunt, quod eciam a noſtra fidelitate nec precio nec promiſſionibus umquam receſſerunt. Ex noſtra Imperiali largitate & clementia, interventu eciam & petitione venerabilis atque dilecti noſtri* Epiſcopi Mantuani Garſendonii, *quem circa nos ſemper fidelem invenimus, ea beneficia, quæ in ſequentibus declarantur, prædictis fidelibus noſtris Mantuanis cum omni benevolentia concedimus & donamus: Fictum regalium centum Librarum, & ipſa Regalia eis remittimus, & amplius non repetemus: Expeditionem Romanam, Apulie, Sicilie, & Calabrie ſimiliter eis remittimus: Expeditionem quoque & guerram contra Veronenſes, & Venetos, Paduanos, & Vicentinos ſimiliter eis remittimus. Promittimus eciam, quod nec nos noſtri habitationem faciemus in Civitate Mantue vel in Epiſcopatu ad faciendum guerram ſupradictis Civitatibus contra voluntatem Communis Mantue. Statum quoque & honorem Mantue, & bonas conſuetudines, quas habebant ante introitum in Italiam ſeu poſſeſſiones ab eis poſſeſſas eis conſervabimus. Civitatem Mantue & ſuburbia non deſtruemus, nec deſtrui permittemus, ſed illeſa conſervabimus. Et ſi aliquando contigerit ipſos Mantuanos intrare guerram pro nobis contra Veronenſes, & contra prædictas Civitates, eos juvabimus, ſicut bonos fideles, nec ſine ipſis pacem vel concordiam cum illis faciemus. Et hæc tria extrema capitula inferiora Colonienſis Archiepiſcopus Reinaldus & Otto major Palatinus ſacramento ſuper Euangelia firmari fecerunt, quod a nobis debeat obſervari. Hujus rei teſtes ſunt R. Colonienſis Archiepiſcopus, & Henricus Leodienſis Epiſcopus, Otto major Palatinus, Henricus Marſcalcus, Marquardus de Grumbac, Conradus Pincerna, Rodingerius Camerarius, Rodulfus Mantuanus Imperialis Camere Judex, Ugo Azonis Henrici, Sigifredus de Sancta Agatha.*

Data Papie apud Sanctum Salvatorem, VI. Kalendas Junii. Sicut Raynaldus Colonienſis Archiepiſcopus juravit, ita Chriſtianus Imperialis aulæ Cancellarius juravit, preſentibus Comite Lantelmo, Malvitio, & Agnello ſacri Palacii Judice, & Adhelardo, Anno Milleſimo Centeſimo Sexageſimo Quinto, Indictione XII.

Verùm Friderico I. diuturna quies non fuit. Inſcio ipſo, ut par eſt credere, illius Præſides, Legati, ac Magiſtratus nihil non licere ſibi putabant in ſubjectam gentem, Populoſque jam profligatos, quos ubique intolerando faſtu, contumeliis, atque avaritia opprimebant, numquam profectò recogitantes celebris Lucani Poëtæ effatum: *Spoliatis arma ſuperſunt & furor*. Itaque Anno MCLXVII. impotentiam victricis Germanicæ gentis non diutius ferentes, & truculentum regimen peroſi, iterum in conjurationes ſecretas, tum in aperta fœdera ac bella erupere. Teſtem do Acerbum Morenam, qui licèt Friderico Auguſto addictiſſimum ſe ubique prodat, attamen in Hiſtoria Laudenſi pag. 1133. Tomi VI. Rer. Italicar. poſtquam tradidit, Procuratores Imperatoris ultra quam ſoliti fuerant, ſævire cœpiſſe in Langobardos, & multis ac diverſis injuriis eos oppreſſiſſe, hæc ſcripta reliquit: *Mediolanenſes quum multo magis quàm alii Langobardi ita opprimerentur, quod nullo modo evadere, aut vivere poſſe putarent, tamdem cum Cremonenſibus & Pergamenſibus atque Brixienſibus ſeu Mantuanis ac Ferrarienſibus colloquium fecerunt. Qui omnes quum inſimul coadunati fuiſſent, ac mala & incommoda a Procuratoribus Imperatoris & Miſſis ſibi illata viciſſim inter ſe retuliſſent, melius eſſe cum honore mori, ſi oporteret, & aliter fieri non poſſit, quàm turpiter, & cum tanto dedecore vivere ſtatuerunt. Quapropter illi ſtatim fœdus omnes inter ſe inierunt, & concordiam* &c. *ſalva tamen, ſicut dicebatur palam, Imperatoris fidelitate*. Antea quoque, hoc eſt Anno MCLXIV. Veronenſes, Patavini, Vicentini, Tarviſini, aliique ejus Marchiæ Populi iiſdem de cauſis ab Imperatore defecerant. Acceſſerunt ergo & iſti ad reliquos Langobardiæ Populos, & fœdus concordibus animis percuſſere contra Fridericum. Nervos etiam belli, hoc eſt pecuniam, teſtante eodem Acerbo Morena, Veneti iis conferebant, nimium ſibi a victore, ac tanta moliente Auguſto & ipſi metuentes. Majora etiam Langobardis polliciti ſunt, ac præſtitere Guilielmus Siciliæ Rex, immo & ipſe Græcorum Imperator Manuel, quem Anconitani tutorem ſibi adſciverant; ac demum Alexander III. legitimus Pontifex, quando Fridericus nefarium ſchiſma in Eccleſia Dei, & Pſeudo Pontifices, pertinaciter fovere pergebat. Hinc ergo nata celeberrima *Societas Lombardorum*, in quam ſenſim confluxere Veneti, Bononienſes, Mutinenſes, Regienſes, Parmenſes, Placentini, Cremenſes, Cremonenſes, Comenſes, Novarienſes, Vercellenſes, Aſtenſes, Opizo Marchio Malaſpina, aliique Proceres ac Populi, immanem ſuperbiam Friderici, ejuſque Præfectorum impotentiam ac rapacitatem non diutius toleraturi. Quibus autem pactis inter ſe hujuſmodi Civitates fœdus inierint, tabulæ in Archivo Reipublicæ Bononienſis adſervatæ nobis ſignificabunt. Has debeo una cum aliis id genus inde deſcriptis generoſo animo, benignæque erga me benevolentiæ inſignis Proceris Bononienſis, hoc eſt Marchionis Franciſci Zambeccarii, qui hæc monumenta ad gloriam ſuæ patriæ, atque ad utilitatem rei literariæ mihi ſuppeditavit.

Societatis

Societatis Lombardiæ rudimenta prima, & ſacramenta Civitatum in eam conſentientium, Anno 1167.

EGo juro, quod adjuvabo Venetias, & Veronam, & Caſtrum, & ſuburbia, & Vincentiam, & Paduam, Trivixium, Ferrariam, & Brixiam, Bergamum, Cremonam, Mediolanum, Laudum, Placentiam, Parmam, Mutinam, Bononiam, & omnes homines, & omnia Loca, quæcumque fuerint in hac Concordia, cum his prædictis auctoritatibus & ceteris, qui in concordia fecerint nobiſcum hoc ſacramentum, contra omnem hominem, quicumque nobiſcum facere voluerint guerram aut malum, contra quod velit nos plus facere quàm fecimus a tempore Henrici Regis *uſque ad introitum* Imperatoris Frederici. *Et non ero proditor alicujus ſupraſcriptorum Locorum, vel alterius, qui nobiſcum fuerint in hac concordia. Et ſi ſcivero aliquam perſonam, quæ velit hoc facere, vel ſi quis me de hoc interpellaverit, quamcitius potero in communi concione vel Conſilio manifeſtabo. Et ſi qua gens venerit ſupra aliquam ſupraſcriptarum Civitatum vel Locorum vel hominum, & ibi damnum advenerit, nos illud damnum reficiemus, aut per concordiam, aut ſicut illi jactaverint per libram hoc damnum, ſcilicet in equis aut in armis, ſi per commune Conſilium cujuſcumque Civitatis aliquam Civitatum, vel Caſtrum prœliabunt, & inde damnum advenerit, ſimiliter reficiemus. Præterea ſi amodo de inimicis aliqui capti fuerint ab his Civitatibus, aut ab aliis, quæ erunt nobiſcum in concordia, & de noſtris ab inimicis capti fuerint, ſimiliter cambientur ſine contrarietate, bona fide. Studioſe non offendam perſonas vel res eorum, qui hoc ſacramentum fecerint, exceptis hominibus meæ Civitatis. Et ſi fecero infra triginta dies, poſtquam mihi requiſitum fuerit ſigillo illius Civitatis, caput cauſæ reſtituam, niſi parabolâ illius, qui damnum paſſus fuerit, vel Rectoris illius Civitatis remanſerit. Et præceptum & præcepta omnia, quæ Rectores meæ Civitatis mihi fecerint, & diſ . . . . . ſacramenti ſuper attendam his negotiis ſine fraude, niſi remanſerit parabolâ alicujus Rectoris meæ Civitatis, & niſi fuerint pecuniâ corrupti, vel timore ſuarum perſonarum, vel propter captionem hoc fecerint. Vel ſi aliquid ſupraſcriptorum acciderit vel ſi exierit de ſua adminiſtratione, ego ero operator eligendi alios infra quindecim dies, & eorum præcepta attendam. Similiter neque pacem, neque concordiam, aut guerram recredutam aut treguam faciam ſine communi conſenſu & conſilio ſupraſcriptorum Locorum & adjuvabo omnes homines, qui fecerint hoc ſacramentum, contra omnem hominem, qui hac occaſione voluerit eos offendere. Et jurare faciam omnes homines maſculos mecum habitantes, quatuordecim annos habentes uſque ad ſexaginta, infra menſem, poſtquam juratum habuero, exceptis Clericis, Commiſſis, Aſideratis, Mutis, Cæcis. Et hæc omnia a proxima Paſcha ventura uſque ad Annos viginti. Non fraudulenter dimittam, quin totum adimpleam bona fide, ſine fraude, & malo ingenio, & quæ prædicta ſunt, omnia obſervabo Civitati prædictæ. Et omnes, qui fuerint ſecum in concordia hac, exceptis Veneticis, qui ita debent juvare ſcilicet cum navibus uſque in Brentam & uſque in Civitate Nova, ſi opus fuerit, & uſque in Meſtrem & Baledello, & per mare & per Padum, & per alias aquas dulces, ubi poſſunt ſine fraude. Similiter & tu non teneris venire mecum per aquam in aliqua parte ſine tua voluntate, ſi nos juvabimus Venetiis, ſicut circumdat antiquus Fluvius, & uſque Lacuetum & uſque Liquentia. Præterea ſi aliquid havere aliunde advenerit, aut ab Imperatore Conſtantinopolitano, aut a Rege Siciliæ, ſalvo nobis Veneticis hoc, quod nos Marchianis dedimus, & eo diſpendio ſalvo, quod fecimus in legatione prædicti Imperatoris aut Regis pro hac re bona fide omnia partiemur, & ſine fraude erimus ſtudioſi operari omnia ad communem voluntatem. Et quidquid Rectores prædictorum Locorum vel aliorum, qui nobiſcum fuerint in hac concordia omnium vel majoris partis, addiderint vel minuerint, vel ſi de aliqua re concordaverint, bona fide & ſine fraude obſervabo. Omnes Conſules Longobardiæ iſtarum Civitatum, & Marchiæ, Venetiarum, & Ferrariæ in concordia remiſerunt ſacramenta Scholarium & Mercenariorum, ſeu ſuorum, ſeu habitantium, niſi fuerint Milites. Ego juro, quod faciam me caput & guidam ad defendendum Civitatem Venetiarum, Veronam & Caſtrum, & ſuburbia, Vincentiam, Paduam, Triviſiam, Ferrariam, Brixiam, Bergamum, Cremonam, Mediolanum, Laudum, Placentiam, Parmam, Mutinam, Bononiam, & aliarum Civitatum & Locorum, quæ in concordia ſupraſcriptarum Civitatum fecerint hoc ſacramentum. Bona fide ero operator communis commodi & utilitatis ſupradictorum locorum, & ad retinendas rationes illorum, qui fecerint hoc ſacramentum ſub præcepto Rectorum illius Civitatis, ubi moratur reus, vel ſub præcepto Judicis, quem ipſi elegerint. Et ſi aliquod commodum mihi evenerit cauſsâ alicujus Civitatis nobis adjungendæ, ſeu alicujus gentis vel hominis, ſervabo illud ad communem utilitatem omnium ſupraſcriptorum Locorum. Et hoc attendam, donec ero in hoc meo præſenti regimine.*

Milleſimo Centeſimo Sexageſimo Septimo, Primo die Menſis Decembris, Indictione XV.

Continuator Acerbi Morenæ ad Annum MCLXVIII. teſtatur, novis ſociis, ac præcipue *Novocomenſibus*, roboratum fuiſſe Langobardorum Fœdus. Tunc etiam acceſſit *Obizo Marchio Malaſpina*, vir providi conſilii, magnæque potentiæ, cujus in primis habita fuit ratio in difficillimis iis negotiis. Quibus ille conditionibus Societatem iſtam inierit, tabulæ prodent, quas ego depromſi ex antiquiſſimo Regeſto exſiſtente in Archivo Reipublicæ Regienſis. Eaſdem quoque apud Bononienſes offendi, ex quorum Codice MSto variantes nonnullas lectiones heic ſubjiciam.

Pacta inter Opizonem Marchionem Malaſpinam, & Civitates Societatis Lombardiæ pro communi ſecuritate & defenſione, Anno 1168.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Centeſimo Sexageſimo Octavo, III. die Madii, Indictione Prima. Breve recordationis, qualiter Marchio Opizo Malaſpina, & Conſules Cremonæ, & Mediolani, Veronæ, & Paduæ, & Mantuæ, & Parmæ, & Placentiæ, & Brixiæ, & Pergami, & Laudæ, & Cumarum, & Novariæ, & Vercellarum, & Aſti, & Terdonæ, & Alexandriæ novæ Civitatis, atque Bononiæ, habito (a) laudamento, communi conſilio unanimiter laudaverunt; at ne quis ſupraſcripti Marchionis hominum, vel ſupraſcriptarum Civitatum, vel aliarum, quæ modò ſunt vel erunt in hac Societate, alium pro alio de alia Civitate pignoret, vel vindictam ſumat occaſione contractus vel maleficii, ſed ſibi imputet, ſi non idoneo debitori crediderit. Et qui contra fecerit, a ſuis Conſulibus coherceatur. Et ſi ſui Conſules (b) antiqui contra fecerint, infra quadraginta dies, poſtquam eis requiſitum fuerit a Conſulibus illius, qui pignoratus fuerit, vel injuriam paſſus, (c) non cogatur ad reſtitutionem pignoris, vel ad emendanciam, vel rationem de alia re faciendum; ſi de ſuo vicino querimoniam faciat: tunc Conſules illius Civitatis, cujus homini præda vel maleficium factum fuerit, vel pignus ablatum fuerit, vel de alia re rationem conſequi non potuerit vicinus ejus habeant poteſtatem accipiendi de avere illius Civitatis cujus homo pignoraverit, vel maleficium contra ſtatutum fecerit, vel rationem de alia re facere noluerit; & teneant, quod acceperint, donec eis vel vicino ſuo ſatisfactum fuerit. Item decreverunt, ut nulla Civitas vel ſupraſcriptus Marchio aliquem a ſuis (d) Civibus bannitum recipiat; & ſi receperit, vel in ſua virtute venerit, infra quindecim dies, poſtquam a Conſulibus vel Marchione, a quibus bannitus fuerit, eis requiſitum fuerit, de ſua poteſtate & virtute eum ejicient, nec de cetero eum recipient, nec de Banno tractus fuerit a ſuis Conſulibus. Inſuper laudando ſtatuerunt, ne aliquis, vel Civitas in ſua virtute novum pedagium ſeu tolloneum accipiat. Novum dicimus ſtatutum a triginta annis infra ſive inzaë. Præterea nulla Civitas vel Marchio ullo modo aliquod pactum faciat, ineat, vel ſacramentum ſubeat contra commune pactum vel concordiam Civitatum. Item ordinaverunt, ſi ſupraſcriptus Marchio vel aliqua Civitatum, concordiam inter ſe & alias Civitates factam fregerit, vel juſtitium alii Civitati facere recuſaverit, tunc omnes aliæ Civitates teneantur adjuvare illam Civitatem, quæ juſticiam poſtulaverit, vel injuriam paſſa fuerit, donec ad pacem & concordiam, vel ad juſtitiam pervenerit. Item ſtatuerunt & convenerunt, ut nulla Civitatum, vel homo ædificet forticiam ſuper jurisdictionem alterius Civitatis contra voluntatem illius Civitatis, in cujus jurisdictione habuerit, niſi ſpeciali concordia aliud apparuerit. Illum quoque, quem aliqua Civitatum, vel Marchio, de terra proditorem decreverint, nec ipſa Civitas vel Marchio de cetero teneat in ſua virtute, nec alia eum ſciens recipiat, & ſi receperit, intra quindecim dies, poſtquam eis requiſitum fuerit a Conſulibus illius Civitatis, cujus proditor fuerit, ut ſupra, inventus, de ſua virtute, eum de cetero non recepturus, expellet. Præterea firmiter ordinaverunt, ut nulla Civitas, vel Marchio, aliquem Caſtellanum, ſcilicet Caſtelli Dominum, infra alterius Civitatis jurisdictionem, ideſt qui ſit infra terminos jurisdictionis ejusdem, contra voluntatem illius, de cujus jurisdictione fuerit, recipiat; vel ſi reciperit, infra quindecim dies, poſtquam ei requiſitum fuerit a Conſulibus Civitatis illius, eum de ſua virtute, de cetero non recepturus, ejiciet. Alexandria tamen Civitas hoc extremo decreto non teneatur. Item decreverunt, ut appellatio ad Federicum facta non valeat, ſalvo in omnibus majoris partis Civitatum conſilio. Et de ſupraſcriptis omnibus obſervandis jurejurando tenentur ſupraſcriptæ Civitates propter concordiam Civitatum, ſalvis in omnibus ſpecialibus pactis, quæ ſupraſcriptæ Civitates fecerunt inter ſe in principio concordiæ vel poſt.

Affuerunt (e) de Cremona Albertus Bocha de Torelo, Trenibellus de Ante-Dominum, Ancellerius de Be-aqua, Guiſcardus de Pla lena, Conradus de Giroldis. De Mediolano Manfredus de Surixina, Gerardus Caga-peſto, Brochus Ogerius, Judex de Yſola. De Novaria Ugo Boxardo. De Vercellis Conradus Salimbene, Bonconventus, Albertus de Cume, Andriotus de la Cruce. De Padua Bonifacius Judex. De Verona Amabertus. De Bononia Miſſus de Aſenella, Oxardus. De Alexandria Obertus de Fodro, Rodulphus Nebia, Aledrame de Marego. De Laude Oldevrandinus Galfredi. De Placentia Rolandus de Landetho, Albertus Mantegacius. De Parma Yſac, Obertus Baſulus, Gerardus de Ynzola. De Mantua Uguizonus Brina, Oldratus Mundalinus. De Aſti Ottobellus Caxola, Arlottus. De Briſia Ghiroldus de Boxadro, Fredulfus de Conceſa. De Pergamo Albertus de Maſello, Albertus Albertoni. De Cumis Bertrame, Guillielmus Calvis. De Terdona Aruerius de Buxena. Affuerunt & multi alii de ſupraſcriptis Civitatibus. Ego

(a) Codex Bononienſis MStus habet: *habito Laude*,
(b) Idem Codex: *Conſules eum, qui contra*
(c) *non coëgerint*
(d) *Conſulibus*,
(e) In Codice Bononienſi: *Affuerunt* de Cremona *Albertonus Boccadetorgio, Angelerius de Beaqua, Guiſcardus de Pladena, Gerardus Cagapeſto, Bonconventus, Albertus de Cara, Bonifacius Judex.* De Brixia *Gerardus de Boxadro, Rodulfus de Conciſa* De Cummis *Bertramme, Broccus, & Ogetius Judex de Inſula.* De Verona *Amabertus.* De Bononia *Aldebrandus Gualfredi.* De Placentia *Gerardus de Lamdetho, Albertus Mantegacius.* De Novara *Ugo Boxadra.* De Vercellis *Corracus Salimbene, & Medardus Edeaſti, Guillielmus Calvus.* De Laude *Uſenazonus Britta.* De Parma *Iſaac, Obertus, Baffolus, Gerardus Unzolæ.* De Mantova *Arlottus.* De Terdona *Alverius de Buxeda.* De Alexandria *Obertus de Fodro, & Rodulphus Nebia, & Aldramus de Marengo, Oldradus Mundalini, & Ottobellus, & multi alii de ſupraſcriptis Civitatibus.*

Ego Guidoctus Notarius , ac Domini Frederici Romanorum Imperatoris Judex ordinarius interfui & rogatus ſubſcripſi , & ſubtus nominatum Martinum ſcribere juſſi .

Ego Martinus ſcriptor juſſu iſtius Guidocti hanc Cartam ſcripſi .

Succedente demum tempore tot vires accrevere Societati huic , ut appellata fuerit *Societas Lombardiæ , Marchiæ , Romaniæ , [illegible] & Venetiæ* . Nimirum Civitates fœderatæ ſtabiles in propoſito novis ſeſe obſtringebant vinculis , ne quiſquam ex neceſſaria animorum atque armorum conjunctione recederet . Huc ſpectant tres aliæ Chartæ , quas nobis ſervavit prælaudatum Bononienſe Archivum .

Sacramenta Populorum , qui Societati Lombardorum nomen dedere , circiter Annum 1170. & ſequentem .

IN *nomine Domini : amen . Ego juro ad ſancta Dei Euangelia , quod non faciam neque treguam neque guerram recredutam , nec aliquam aliam concordiam cum* Federico Imperatore , *neque cum filiis ejus , nec cum Uxore ejus , neque cum alia quacumque perſona ejus nomine , nec per me nec per aliam quamcumque perſonam , & ab alio homine factam non habebo ratam . Et bona fide pro meo poſſe operam dabo juribus* (*) *quibuſcumque potero , ne aliquis exercitus modicus vel magnus de Alamannia , vel de alia Terra Imperatoris , quæ ſit ultra montes , intret Italiam . Et ſi prædictus exercitus intraverit , ego vivam guerram faciam Imperatori , & omnibus illis perſonis , quæ modò ſunt ex parte Imperatoris , vel quibus pro tempore fuerint , per quas prædictus exercitus debeat exire de Italia , donec prædictus exercitus de Italia exeat . Et ego bona fide per me & per omnes perſonas totius meæ virtutis ſalvabo & guardabo perſonas & res omnium hominum* Societatis Lombardiæ , Marchiæ , & Romaniæ , *& nominatim* Dominum Marchionem Malaſpinam , *& omnes perſonas , quæ modò ſunt in Societate vel extra . Et ego nullam concordiam feci , nec faciam cum* Imperatore Conſtantinopolitano , *vel ejus Miſſo aliquo modo per me nec per meum Miſſum ſine communi conſilio credentiæ cujuſque Civitatis . Et ſi cum mea parabola vel mei Miſſi , Societas jam dicta fecerit concordiam cum Imperatore Federico , vel ejus filio , & Imperator vel ejus filius vel ſua pars ruperit Societati conventionem , ego pro omnibus ſupraſcriptis tenebor juramento . Et hæc omnia prædicta bonâ fide attendam ſine fraude uſque ad quinquaginta annos continuos . Et ſi quid additum vel diminutum fuerit communi conſilio Domini Ducis & Rectorum Societatis ſupraſcriptæ vel majoris partis , dato in Conſilio credentiæ illarum Civitatum , ſalvo Capitulo Imperatoris Conſtantinopolitani , ſicut ſupra legitur , attendam . Et filios meos , qui ſunt in ætate quatuordecim annorum , infra duos menſes , poſtquam eos cognovero eſſe in prædicta ætate , & tot de meis , & tales , & quot & quales placuerit Rectoribus Societatis , faciam jurare omnia prædicta & attendere .*

Alterum Sacramentum .

IN *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti . Amen . Concordias* Civitatum Lombardiæ , *&* Marchiæ , *&* Romagnæ , *& locorum & omnium , qui ſunt vel erunt in hac Societate & juramenta , quæ ad invicem præſtiterunt , bona fide & ſine fraude & malo ingenio , ex mea parte obſervabo . Et guerram vivam faciam* Imperatori Federico , *ſi intraverit Longobardiam , &* Marchioni Montisferrati *& Comitibus* Blanderatæ , *& filiis Malparlerii de Caſtello & ceteris , qui ſunt vel erunt in Italia in parte Imperatoris , & bona fide & ſine fraude depellam illos , qui ſunt proceſſi ad Imperatorem , de Civitate & de burgis , & de omnibus illis locis , in quibus virtutem habuero . Et eorum bona deſtruam & deſtrui faciam . Et milites & pedites bandizatos a ſua Civitate non recipiam in mea Civitate , nec in illis locis , in quibus virtutem habuero , poſtquam requiſitum fuerit a Conſulibus , vel a ſigillo publico ſuæ Civitatis . Hoc attendam contra eos , qui ſunt vel erunt extra Longobardiam , ſecundùm quod Rectores Civitatis vel Conſules Civitatis omnes vel major pars præceperint vel ordinaverint . Nec faciam pacem nec treguam nec guerram recredutam cum Imperatore Federico , vel cum Marchione Montisferrati , nec cum aliis inimicis , abſque communi parabola & manifeſta omnium Civitatum . Et Caſtrum Montarani dabo Conſulibus Civitatum præelectis , ad tenendum , & ad ſalvandum ad honorem totius Societatis , infra octo dies , poſtquam requiſitum fuerit a prædictis Conſulibus Civitatum . Et hoc ſacramentum faciam jurare omnes homines Civitatis Papiæ & ſuburbiorum bona fide & ſine fraude a quatuordecim annis ſupra uſque ad ſeptuaginta . Et hæc ſacramenta faciam compleri uſque ad proximas Kalendas Martii . Hæc omnia attendam bonâ fide excogitata .*

Tertium Sacramentum .

IN *nomine Domini . Ego juro , quod bonâ fide adjuvabo* Bononienſes , Mutinenſes , Reginos , Parmenſes , *&* Mantuanos , *de facto & guerra Imperatoris & ſuorum Nuntiorum , & eorum , qui pro Imperatore prædictis Civitatibus , vel alicui earum guerram fecerit . Nec dabo conſilium nec auxilium in havere & in perſonis aliquibus , qui pro facto Imperatoris prædictis Civitatibus vel alicui earum guerram vel malum fecerint . Immo bona fide contrariabo . Et prædictas Civitates bona fide juvabo cum perſonis & Mercato per commune vel diviſum , prout requiſitus fuero , infra octo dies , poſtquam fuero requiſitus ab aliqua prædictarum Civitatum per Rectorem , vel per Conſulem Civitatis , vel ſuum Nuntium , vel ad alios terminos , ſi mihi dederint . Nec dabo Mercatum Imperatori , nec ſuæ Parti , & bonâ fide vetabo eis , qui dare voluerint . Et non faciam pacem nec finem nec treguam cum Imperatore vel aliquo de ſua parte , ſine communi conſilio & parabola omnium prædictarum Civitatum .* Guarſedonium *quondam* Mantuanum Epiſcopum *nec juvabo nec manutenebo per me nec per aliquos de*

(*) ſcribendum : *viribus*

de meo diſtrictu , & eum contrariabo , & guerram ei bona fide faciam & omnibus illis ſine fraude de meo diſtrictu , qui eum juvaverint , uſquequo ad præceptum Eccleſiæ , vel Rectorum Lombardiæ palam redierit . Et ſi aliqua iſtarum Civitatum opus fuerit ad diſtringendum ſuos , ne conſilium vel adjutorium prædicto Guarſendonio dent , bona fide juvabo . Nec de aliqua Civitate vel alterius diſtrictu prædictarum Civitatum pro hoc facto expulſum , vel a ſua Civitate ſeparatum , vel a ſua Civitate guerram paſſum , recipiam & de meo diſtrictu , ſi venerit , expellam , uſquequo ad præceptum Conſulum ſuæ Civitatis pro prædictis factis redierit . Et ego Conſul boná fide diſtringam homines meæ Civitatis a quindecim annis ſurſum & a ſexaginta annis deorſum , hoc ſacramentum facere ; & ei , qui hoc ſacramentum facere noluerit , domos ſuas deſtruam , & poſſeſſiones deſtruam & devaſtabo boná fide & ſine fraude . Et omnes illarum prædictarum Civitatum ſalvabo in havere & in perſonis in eundo , ſtando, & redeundo cum perſonis , quæ in prædictis factis conſilium & auxilium mihi dederint . Et Stratam bona fide ſalvabo & guardabo omnibus Lombardis per meum Comitatum & Epiſcopatum , qui mihi per totum Epiſcopatum Stratam juraverint . Et ſi damnum alicui de prædictis factum fuerit , bona fide recuperabo . Et ſi quis in Strata de meo diſtrictu offenſionem fecerit , vindictam mihi fieri faciam . Et hoc totum bona fide obſervabo , & ſine fraude , niſi quantùm remanſerit juſto Dei impedimento, vel per concordiam omnium Conſulum Civitatum , qui hoc ſacramentum fecerint , uſquequo diſcordia durabit Imperatoris & prædictarum Civitatum . Et homines de meo diſtrictu , qui ſunt in vim & conſpirationem contra Societatem Lombardiæ , ſi fuerint appellati , quod veniant ad Societatem : & ſi venire noluerint , guerram eis faciam , & non de guerra faciam pacem nec A *treguam ſine parabola prædictarum Civitatum , & boná fide ſine fraude eos interpellabo . Et illi Civitati de his quinque Civitatibus , quæ hoc ſacramentum facere noluerit , guerram faciam ſine fraude , bona fide , uſquequo hoc ſacramentum fecerit . Et ſi ſacramentum fuerit renovatum per Longobardos , & per eorum Societatem , hoc ſacramentum tenebo his , qui mihi juraverint , & ſicuti mihi juraverint , & quamdiu diſcordia durabit inter Fredericum Imperatorem dictum ex una parte , & ex altera parte Venetiarum , & Civitates Marchiæ , Lombardiæ , & Romaniæ , & omnes quæ ſunt in hanc concordiam & ſocietatem vel erunt . Et non ibo ad ipſum Imperatorem Fredericum ,* B *nec ad alium pro eo , ſine conſilio & parabola omnium Rectorum prædictæ Societatis vel majoris partis . Nec de cetero jurabo me eſſe caput alicujus Compagniæ , nec ſub Capite jurabo ſine conſilio & parabola omnium Rectorum , vel conſenſu Communis meæ Civitatis , vel majoris partis . Et ſi factum habeo , ultra non procedam ex eo juramento contra præceptum jam dictorum Conſulum mihi per debitum ſacramenti factum . Nec ero in conſilio vel facto, ut aliquid ſupradictorum niſi prædicto modo fiat . Et ſi ſcivero , aliquem facere vel feciſſe contra hoc ſtatutum , boná fide prohibebo , ne fiat , & quod factum erit , infra octo dies , poſtquam factum ſcivero , ipſis Conſulibus maniſeſtabo omnibus vel majori parti , qui tunc* C *erunt in Civitate .*

Eligebantur autem Præſides , ſive Rectores iſtius Societatis , qui juncti in una Urbe reſidebant , uti nunc mos eſt in Ratiſponenſibus Comitiis . Eorum præceptis unuſquiſque parere ac ſeſe attemperare jubebatur. Quale autem ſacramentum ii præſtiterint , e ſubſequenti Charta intelliges , ex eodem Archivo Bononienſi depromta .

Juramentum

Juramentum præſtitum a Rectoribus Societatis Lombardorum, Anno 1176.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno Milleſimo Centeſimo Septuageſimo Sexto, Indictione IX. Menſe Januarii. Ego juro ad ſancta Dei Euangelia, quod boná fide & ſine fraude regam Civitates hujus Societatis, & Societatem univerſam locorum & hominum, videlicet Societatem Lombardiæ, Marchiæ, Romaniæ, *&* Venetiæ, *atque* Alexandriæ, *ad quorum defenſionem boná fide operam dabo, & eas Civitates vel Loca vel Homines, qui in hanc Societatem venerint, poſtquam accepti, receptæve fuerint, ſecundùm quod ſciero vel credidero magis expedire Societati ſupraſcriptæ. Et ego per fraudem non evitabo, quominus interſim Parlamentis, quæ conſtituta fuerint a Rectoribus jam dictæ Societatis per me vel per unum de Conſulibus jam dictæ Societatis, Et ego non recipiam aliquod havere ad meam propriam utilitatem pro hoc regimine per me, vel per interpoſitam perſonam, niſi ad communem utilitatem præfatæ Societatis. Et ſi recipero pro prædicto regimine vel deſignabo prædictæ Societati, vel expendam ad communem utilitatem ipſius Societatis bona fide & ſine fraude. Et lamentationes illas, quæ mihi vel ſociis meis factæ fuerint fraudulenter recipere non mittam, & receptas, poſtquam ſecuritates factæ fuerint, arbitrio Rectorum, infra ſexaginta dies per me vel per alium diffiniam vel diffinire faciam, ſecundùm rationem vel bonum uſum, vel ſecundùm quod majori parti Rectorum viſum fuerit, niſi remanſerit parabolá partium, vel qualitas negotii dilationem poſtulaverit, vel juſto impedimento, & hoc inſtante alterâ parte vel utrâque. Ita tamen quod non ſim adſtrictus ſuſcipere appellationem factam ab aliquo appellante a Conſulibus ſuæ Civitatis. Et boná fide operam dabo, ut alii Rectores eligantur, qui regant prædictam Societatem. Et quem magis credidero de meis ſociis, utilem eligam, antequam de meo regimine exeam, infra octo dies, & ut jurent, ut ſupra, vel ſecundùm quod ſtatutum fuerit. Et ſi aliquid injunxero vel præcepero ſuper rebus vel perſonis alicujus Civitatis prædictæ Societatis, vel ſuper ipſis Civitatibus, boná fide tam meæ quàm aliis imponam, & hoc meam Civitatem boná fide attendere faciam, & alias Civitates hoc idem attendere pro poſſe compellam. Et ſi de his, quæ neceſſaria fuerint ad defenſionem Alexandriæ, diſcordia fuerit orta inter Rectores, partem illorum ſequar, cui Rodulphus adhæſerit, excepto de exercitu vel hoſte, quo non tenear, niſi omnes, vel major pars Rectorum in concordiam fuerint. Hæc omnia bona fide obſervabo omnibus in præfata Societate ſtantibus, & præfatis vel futuris Rectoribus obedientibus, ſalvis pactis & conventionibus & juramentis factis* Cremonæ, *&* Laudo, *&* Bergamo, *& univerſæ Societati.*

Redeo ad Annum MCLXVII. quo reſtituta ac reſtaurata fuerat Mediolanenſis Civitas, & conſcriptæ copiæ in Fridericum. Ipſe ſub Romano cælo a teterrima peſtilentia fractus, & inde fugâ ſeſe ſubducens, quamquam vires non ſemel refecerit, ipſoſque Langobardos diuturno bello per aliquot etiam annos vexarit, numquam tamen adeo ſecundam fortunam expertus eſt, ut eos profligarit; immo ab ipſis Anno MCLXXVI. in prœlio Lignanenſi acriter percuſſus, pacem denique expoſcere coactus fuit. Et eam quidem clam petiit ab Alexandro III. Pontifice Maximo, qui tamdem Venetias profectus, illic Anno MCLXXVII arduum illud opus cum ipſo Friderico feliciſſime peregit, conſtitutâ reconciliatione & pace adhuc celebratiſſimâ, quam deſcribunt Acta ipſius Alexandri Papæ Tomo III. Rer. Italicar. Viſus eſt tunc Pontifex ſolicite Langobardorum quoque negotia, non ſecus ac ſua, cum Friderico tractare. Eventus tamen docuit, ſublatas quidem penitus fuiſſe illius ſtudio controverſias ad ſe ſpectantes, & inter Sacerdotium ac Imperium a tanto tempore vigentes; Langobardis autem nihil aliud impetratum, niſi inducias, ad ſexennium tantummodo duraturas, hoc eſt ipſos adhuc novis bellis & calamitatibus obnoxios fuiſſe derelictos. Proinde Radulphus Mediolanenſis pag 1192. hæc ſcribit: *Statuerunt colloquium apud Venetiam, publice ſimulantes ſe velle componere inter Langobardos & Imperatorem.* Tum ſubdit, Pontificem *deſeruiſſe fidem, quam Langobardis promiſerat.* Hoc eſt, conqueritur, exiguum ſane fructum Langobardis tunc ab eo, in rem ſuam intento, procuratum fuiſſe, quum tamen illi conſtantiſſimi in fœdere Pontificio pondus diei & æſtus portaſſent, tot ærumnas vorando, tantumque ſanguinis & auri inſumendo, ut Fridericum ad honeſtas pacis conditiones ſibi quoque profuturas impellerent. Nobis nunc inveſtigandum, quid Civitates Italicæ eâ occaſione ab Imperatore expeterent; hinc enim ſimul elucere poterit, qualis tunc eſſet rerum ſtatus, & in quo potiſſimùm verſaretur diſcordia inter Fridericum ipſoſque Langobardos, e qua tot bella pullularunt. Et plurimum quidem lucis Carolus Sigonius, Mutinenſium decus, ejuſmodi inquiſitioni attulit Lib. 14 de Regno Italiæ. Sed quum mihi antiquum Tabularium Reipublicæ Mutinenſis aliquot integra monumenta heic ſuppeditarit nondum luci reddita, ea heic in publicæ eruditionis augmentum evulgare opportunum ac utile duxi. Et primò quid *Lombardorum Societas* ſibi agendum propoſuerit adversùs Auguſtum Fridericum, ex tabulis in conventu Mutinenſi Anno MCLXXIII. ſcriptis Lector intelliget, quibus additas volo variantes quaſdam Lectiones, quæ in Bononienſi Codice occurrunt.

Juramentum Conſulum quarumdam Civitatum Lombardiæ, Societatem ineuntium in Mutinenſi conventu contra Fridericum I. Imperatorem, Anno 1173.

IN Dei nomine. Anno ejusdem MCLXXIII. Indictione VI. die Mercurii, VI. Idus Octubris. Ego juro ad Sancta Dei Euangelia, quod bonâ fide ſine fraude operam dabo ad obſervandas Societates & concordias factas inter homines Lombardiæ, & Marchiæ, & Veneciæ, *ſi hoc ſacramentum fecerint, &* Romaniæ, *& eorum, qui in hanc concordiam venerint, & recepti fuerint communi conſilio omnium Rectorum Civitatum, vel majoris partis. Et ſi aliqua Civitas, vel ulla perſona adhæſerit parti Imperatoris* F. *ita quod ſit contra hanc noſtram Societatem, ego dabo operam bonâ fide ad eum expellendum de ſuo habitaculo, & res ejus devaſtandas. Nec ultra ero in conſilio, ut a nobis ſit receptus, niſi communi conſilio omnium Rectorum Civitatum vel majoris partis. Et ſi erit de mea Civitate, bonâ fide operam dabo, ut domus ejus, quam habuerit in Civitate, deſtruatur, & de Civitate expellatur. Et legationes, vel literas Imperatoris* F. *ſcienter non recipiam fraude. Et ſi aliquo modo ad me venerint* (a) *pro damno Societatis bonâ fide Rectoribus oſtendam, vel oſtendere faciam. Et nullam concordiam faciam cum Imperatore* F. *aut filio ejus vivente* F. *Imperatore, niſi communi conſilio omnium Conſulum omnium Civitatum Societatis, vel majoris partis Conſulum, niſi forte aliqua Civitas Pacem vetare voluerit. Nec ero in conſilio, ut mea Civitas faciat ſacramentum contra hanc concordiam; & ſi facta ſit, vel facta fuerit, bonâ fide operam dabo ut frangatur; & ego bonâ fide operam dabo, adjuvare generaliter ſine fraude homines meæ Civitatis & mei Diſtrictus, quos ſine fraude videbitur mihi expedire. Vel faciam jurare Conſules meæ Civitatis, quod facient jurare homines ſuæ Civitatis & Suburbiorum, ei Civitati conjunctorum, hoc ſacramentum infra duos menſes, poſtquam* (b) *intrabit in Conſulatu, a ſeptuaginta annis infra. Et a quindecim annis ſupra ſine fraude. Nec ero guida, nec ſpia ad damnum noſtræ Civitatis ad utilitatem hoſtium; & hoc attendam bonâ fide. Ego non accipiam aliquod avere pro privata mea utilitate pro facienda conventione cum Imperatore* F. *vel aliqua perſona, vel Civitate recipienda in noſtra Societate. Et quamdiu diſcordia durabit inter Imperatorem* F. *dictum ex una parte, & Veneciam & Civitates Marchiæ & Lombardiæ & Romaniæ, & omnes, qui ſunt in hac Societate, vel erunt ex altera. Non ibo ad ipſum Imperatorem* F. *vel ad alium pro eo, nec nuntium nec literas mittam vel mitti faciam, niſi conſilio vel parabolâ omnium Rectorum jam dictarum Civitatum vel majoris partis. Nec de cetero jurabo, me eſſe caput alicujus Companiæ, nec ſub capite jurabo, niſi parabolâ & conſilio omnium Conſulum meæ Civitatis, Communis, vel majoris partis. Et ſi factum habeo, non ultra procedam ex eo contra præceptum ſupraſcriptorum Conſulum mihi per debitum ſacramenti jam factum. Nec in conſilio ero vel facto, ut aliquid ſupradictorum fiat, niſi prædicto modo. Et ſi ſcivero aliquem facere velle vel feciſſe contra hoc ſtatutum, bonâ fide prohibebo, ne faciat; & quod factum erit, infra octo dies, poſtquam ſcivero, ipſis Conſulibus manifeſtabo omnibus illis vel majori parti, qui erunt in Civitate.*

Taliter jurat Comes Azo Conſul Brixiæ, *& Rector Societatis Civitatum: Albertonus Conſul* Cremonæ *& Rector Civitatis: Maladobatus Conſul* Parmæ *& Rector Civitatis: Ugucion Poteſtas* Mantuæ *& Rector Civitatis: Jantonus Mantecacius Conſul* Placentie *& Rector Civitatis: Rocerius Marzellinus Conſul* Mediolani *& Rector Civitatis: Albertus Malberti Conſul* Regii *& Rector Civitatis: Arloctus Conſul* Mutinæ *& Rector Civitatis: Hoſpinellus Conſul* Bononiæ *& Rector Civitatis: Septivivi Conſul* Arimini *& Rector Civitatis. Hi omnes juraverunt pro ſe & Communi ſuarum Civitatum cuſtodire & conſervare, & ab omni homine defendere ſtatum & honorem & rationes & bonos uſus Civitatis Cremonæ & ejus Epiſcopatus. Hæc omnia jurant Cremonenſes aliis Civitatibus, & aliæ Civitates inter ſe, exceptis his quæ dicuntur pro Caſtro Cremæ, quæ non jurant aliæ Civitates inter ſe, ſed Cremonenſibus tantùm jurant. Et inſuper homines ſupraſcriptæ Civitatis Cremonæ, & eorum poſſeſſiones in ſuo Epiſcopatu & noſtro ſimiliter obſervare & defendere bonâ fide & ſine fraude. Et ſimiliter juraverunt, quod ſi quis homo, vel ſi qua gens Caſtrum Cremæ, vel municionem aliquam inter Aduam & Olium ſine permiſſu omnium Conſulum Civitatis Cremonæ, qui tunc erunt, & ſine permiſſu totius Credentiæ, quæ tunc erit, vel majoris partis Credentiæ ſupraſcriptæ Civitatis, & parabolâ datâ ab omnibus his in publica Concione Cremonæ, & publice edificare voluerit, nos ſecundùm eorum voluntatem, & noſtram poſſibilitatem, ſi ſupraſcriptum Caſtrum ædificatum fuerit, ipſis Cremonenſibus adjutorium dabimus, ut deſtruatur, & ne fiat, omnino prohibebimus. Et ſi ſupradictum Caſtrum vel municio aliqua fuerit ædificata aliter, quàm ſupra legitur, nos ſine fraude vivam guerram faciemus, nec pacem faciemus ſine permiſſu & parabola nobis eodem modo datâ, ut ſupra legitur. Et non recipiemus aliquem hominem, qui fuerit de Caſtro Cremæ vel qui per Cremenſes diſtringebatur, vel aliquem, qui ſit de Epiſcopatu Cremonæ, vel qui per Cremonam diſtringebatur. Et ſi in ea Civitate vel Diſtricto eſt vel erit, & a Conſulibus Cremonæ nuncio vel ſigillo publico mihi requixitum fuerit, de mea Civitate & meo Diſtricto infra quindecim dies poſtquam requixitum fuerit, expellam, nec ibi habitare amplius permittam. Et ſi aliqua offenſio inter nos & ipſos Cremonenſes evenerit, vel* (c) *a decem annis retro venit per aliquem noſtrorum infra quadraginta dies dampnum ſi evenerit, vel evenit, reſtau-*

(a) *Tria hæc vocabula* pro damno Societatis *deſunt in Codice MSto Bononienſi.*

(b) *In Codice Bononienſi:* priuſquam intrabunt in Conſulatu,

(c) *Codex Bononienſis habet:* vel a viginti annis retro evenit

reſtaurare faciemus, caput tantùm, poſtquam nobis requixitum fuerit a Conſulibus ſupraſcriptæ Civitatis vel Nuncio vel ſigillo publico, ſacramento ejus diſcernendo, qui dampnum paſſus fuerit; & ſecundùm omnes terminos & parabolas datas dampnum reſtaurari faciemus, vel niſi remanſerit juſto Dei impedimento: quo tranſacto infra octo dies attendere faciemus. Nec offendemus vos vel res veſtras per nos, nec eum aliqua perſona, nec cum rebus vel perſonis: vel ſi aliqua perſona vel gens vos offendere voluerit per noſtram terram, vel per noſtram aquam, bonâ fide & ſine fraude prohibebimus. Et ſi de poſſeſſione vel debito querimonia nobis evenerit, prædicto modo & prædicto ordine attendere faciemus de debito ſine uſuris, de poſſeſſione ſine fructibus. Et hanc pacem & concordiam tenebimus uſque ad quadraginta (d) *annos, & in omni decimo anno prædicta ſacramenta renovare faciemus, ſi requixitum fuerit a Conſulibus ſupraſcriptæ Civitatis Cremonæ, qui tunc erunt. Et omnes homines noſtræ Civitatis omnia ſupraſcripta jurare faciemus a quadraginta annis infra, & a quindecim ſupra uſque ad duos menſes. Et hæc omnia ſupraſcripta bonâ fide & ſine fraude obſervabimus. Et omnes ſupraſcripti juraverunt Societatem Marchionis tenere & obſervare & bonâ fide guerram facere inimico vel inimicis ſupraſcriptæ Societatis ſecundùm preceptum omnium Rectorum Civitatum vel majoris partis. Et jurant ſervare, ſi quid additum fuerit conſilio Cremonenſium Rectoris, & communi conſenſu omnium aliarum Civitatum Societatis, vel majoris partis Rectorum.*

Actum Mutinæ in Dominorum Cardinalium *præſentia* Ildebrandi *videlicet &* Tudini, *&* Albergoni Regini Epiſcopi, *Petri* (e) *de Malagula, Johannis Forceluti, Martini Permanecli de Cremona, Guilielmi Siccamelega de Placentia,* (f) *Raimondini de Magreta, in plena Concione.*

Scribit Sigonius, Mutinenſi huic conventui interfuiſſe *Hildebrandum Craſſum Epiſcopum Mutinenſem*, & *Albergonum*, *Cardinalem utrumque*, Legatos huc ab Alexandro III. miſſos. At heic Sigonium meum diligentia ei alioqui familiaris defecit. Duos ille Cardinales A in hiſce Actis memoratos vidit, ſed quales ii forent, minime animadvertit. Siquidem præter Hildebrandum revera Cardinalem, *Albergonum* quoque, ſive *Albriconum* Regienſem Epiſcopum, quem *Albericum* perperam Ughellius appellat, Cardinalium Romanorum catalogo incaute inſcripſit. Sed excidit ei hoc in lôco TUDINUS, diſerto vocabulo in ipſa Charta memoratus, nempe *Theodinus Cardinalis* tituli Sancti Vitalis, vir eo tempore celebratiſſimus, cujus mentio eſt in Spicilegio Ravennate Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 540. & apud alios Hiſtoricos. Hic alter fuit e duobus Pontificiis Legatis Cardinalibus, non autem *Albriconus* Regienſis Epiſcopus, B qui & ipſe aderat, ſed numquam Cardinalitiam dignitatem cum Epiſcopali conjunxit. Et ne illud quidem, quod Sigonius habet de Hildebrando *Mutinenſi Epiſcopo*, ſat certis fundamentis niti opinor. Eo enim Anno Eccleſiæ Mutinenſi præfuit *Henricus Epiſcopus*; quem aut e vivis ſublatum, aut oneri cedentem, aut abjectum, proxime excepit *Hugo Epiſcopus* eodem Anno, aut ſubſequenti electus. Hildebrando illi Cardinali, durante Schiſmate cura quidem & regimen Mutinenſis Eccleſiæ commiſſa fuit; at illum revera Epiſcopum Mutinenſem fuiſſe nulla, quæ adhuc viderim, monumenta teſtantur. Ceterum antea *Societas Lombardorum* propriam tantummodo tutelam C in ſuis fœderibus præferebat, volebatque illæſam *fidelitatem Imperatoris*. At heic ſine ulla tergiverſatione ab eo diſcedit, atque ipſum ejurat, hoſtemque decernit. Eum nempe uti depoſitum, atque anathemate perculſum ab Alexandro III. Papa jam tamdem omnes exſecrabantur. Poſt duos annos, Anno videlicet MCLXXV. ab obſidione Alexandriæ repulſus Fridericus, & ſubſequenti a Mediolanenſibus viriliter repreſſus, quum res ſuas difficili in loco eſſe perſpiceret, ſive ſincero, ſive fraudulento conſilio uſus, Cremonenſium Conſulibus inter ipſum & Langobardos pacis ſemina ſpargentibus, conſiliis concordiæ aures præbere viſus eſt. Itaque de arbitris deligendis ad D agendum de pace convênit inter ipſum Auguſtum, & fœderatas Urbes. Acta verò nobis ſervavit vetuſtiſſimum Regeſtum Mutinenſis Reipublicæ, quæ nunc lucem expoſcunt.

(d) ad ſexaginta annos. *Ita & infra*.
(e) de Malongula,
(f) Teuzuni Aurificis,

Compro-

Compromiſſum Friderici I. Imperatoris & Civitatum Langobardicarum, in arbitros ad pertractandam pacem atque concordiam, Anno 1175.

De Compromiſſo facto inter Dominum Imperatorem Fredericum & Lombardos in certo numero hominum.

IN *nomine Domini . Talis concordia facta eſt inter* Dominum Federicum Dei gratia Romanorum Imperatorem & Lombardos & Marchianos & Venetos atque Romaniam , & omnem eorum Societatem *tam locorum quàm perſonarum , quod tres perſone debent eligi a parte Domini Imperatoris , & tres ex parte Civitatum , que perſone viſis litteris miſſis ab Imperatore Conſulibus Cremone , & litteris a Conſulibus Civitatum datis Conſulibus Cremone Poncio vel aliis ſociis de pace & concordia Imperatoris & ejus partis & Civitatum omnium & earum partis , debet jurare , quod bona fide & ſine fraude viſis ſupradictis litteris concordiam facient inter Imperatorem & ejus partem & Lonbardos & eorum partes , neque amore neque timore neque odio vel ullo alio modo permittent , quin ex utriuſque litteris extrahentur ea , quæ eis videantur ſuperflua & incongrua ; adjungent ea , quæ eis videantur neceſſaria & magis utilia & congrua ad pacem & concordiam inter Dominum Imperatorem & Lombardos & Civitates , & omnem ſuam Societatem confirmandam & tenendam . Et Imperator & ejus Curia & Civitates , & eorum partes , debent facere ſecuritatem in arbitrio prædictorum ſex electorum ſtare ; & ſi diſenſerint in aliquo , arbitrio Conſulum omnium Cremonæ ſimiliter ſtare. Et iſti ſex debent arbitrari predicta uſque ad medium Madium . Et ſi diſenſerint in aliquo , tunc Conſules omnes Cremone debent predicta arbitrari de eo , de quo diſenſerint uſque ad quindecim dies ; & Imperator ſtatim debet facere pacem omnibus Civitatibus , & earum Societati oſculo pacis interveniente , & ut ita firmum teneatur a Civitatibus , decem homines de unaquaque Civitate debent jurare , quod ita firmum ſit , & habeant ab ipſis omnibus Civitatibus : & ipſi decem tales , quales Imperator elegerit , debent eſſe & facere fidelitatem Domino Imperatori , & filio ejus* Henrico Regi : *Vaſſallus ſicut Vaſſallus , Civis ſicut Civis . Et* Comes Savoje , *& ceteri Principes Imperatoris , concordes fuerunt cum* Domino Ecilino *& cum Conſulibus Civitatum & aliis Sapientibus Civitatum ibidem exiſtentibus , quod quidquid juretur aut fiat a parte Lombardorum & ejus Societatis non debent eſſe alicujus momenti , nec debent obeſſe alicui , niſi concordia & pax facta fuerit ab Imperatore & ejus parte omnibus Civitatibus & locis & perſonis* Societatis Lombardie , Marchie , Venecie , Romanie . *Et iſti tunc de unaquaque Civitate juraverunt ita attendere & firmum tenere .* De Mediolano *Ubertus de Landriano* : de Brixia *Albricus de Cauriano* : de Verona *Vivianus Advocatorum* : de Placentia *Gulielmus* : de Terviſio *Gerardinus de Campo Sancti Petri* : de Vicentia *Guazo filius Guazonis Poteſtas* : de Bergamo *Ubertinus de Carcere Poteſtas* : de Parma *Niger Craſſus Poteſtas* : de Laude *Lanfrancus* : de Vercello *Johannes Benedictus* : de Tertona *Caſſianus* : de Novaria *Petrus Cavallacius* : de Regio *Albertus de Bonezo* : de Ferraria *Guidoctus* : de Alexandria *Succus de Strata Conſul , & Dominus Ecilinus, & Dominus Anſelmus de Dovaria , Rectores Lombardie . Et hec omnia facta ſunt & ordinata in concordia Principum Electorum a Domino Imperatore : hii ſunt* Colonienſis Archiepiſcopus *frater Imperatoris* , Comes Savoje , Otto Palatinus Comes , Enricus Guertius , Cancellarius Imperatoris . *Ipſi verò , qui capti ſunt ab utraque parte , debent reddi . Et hoc actum & patratum & ſtatutum fuit die Mercurii , qui fuit XV. exeunte Aprili , in territorio Papie , in campo ſubtus Muntebellum inter exercitum Imperatoris & Lonbardie .*

Alterâ verò die Jovis , qui fuit XIV. exeunte Aprili , in Curia Imperatoris , Ubertus de Clemento Conſul Papie per ſe , & verbo Ranerii de Sancto Nazario & Carboni Truvamal , Conſulum Papie per ſe omnes & pro aliis ſuis ſociis Conſulibus Papie , & toto Communi Papie juravit tenere & habere firmam treuguam in perſonis & rebus omnium Alexandrinorum , ideſt illius loci , quem Paleam *vocant , hinc uſque ad medium Menſem Junii . Hoc idem juravit* Marchio Gulielmus Montisferrati *per ſe & per ſuos filios , & omnes perſonas , quas mittere aut trahere ſine fraude poteſt . Teſtes qui aderant , fuerunt* Otto Comes Palatinus de Guitilibach , Marchio Enricus Guercius , Ubertus de Inciſa , *Dominus Ecelinus de Arnaria , Marcius de Caſtello , Vivianus Advocati Conſules Veronæ , Male-adobatus de Parma, Sylus Judex Papie, Adam Fantolinus Notarius in campo exercitus Imperatoris : erat enim ſub Caſtro Montisbelli in territorio Papie. Item in eorumdem preſentia , &* Archiepiſcopi Colonienſis, & Treverenſis Archiepiſcopi, Comitis Uberti de Savoja , *& Garzapanis, Capitis-lupi de Terviſio & Cancellarii* , Comitis Schenelli , *Girardini de Campo Sancti Petri , & aliorum multorum in Curia Imperatoris , idem Dominus Imperator fecit pacem oſculo interveniente* Domino Ecilino , & Anſelmo de Dovaria , *vice & nomine omnium Civitatum , & Locorum , & perſonarum Societatis Lonbardiæ , Marchie, Venecie , & Romanie : & ita ut ſupraſcriptum eſt , treugam Alexandrie conſtituit . Negocium Alexandrie , & de tota ea diſcordia , que inter Lombardos , & ipſum Imperatorem eſt , & de emendatione , debet remanere in arbitrio illorum ſex Electorum , qui electi ſunt vel electi erunt . Et ſi diſenſerint in aliquo , arbitrio omnium Conſulum Cremone de eo , de quo diſenſerint* . . . .

Factum in territorio Papie infraſcriptis locis, Anno a Nativitate Domini Milleſimo Centeſimo Septuageſimo Quinto , Imperante Federico, Anno Imperii ejus Vigeſimo , Indicione Octava .

Ego

Ego Fintolinus Notarius Domini Guelfonis Ducis, *& ab Imperatore Federico confirmatus poſtea, rogatus prædictis interfui, & juſſione Conſulum & Rectorum Lombardie & Marchie & Romanie ſc ipſi.*

Ego Petrus Domini Federici Imperatoris Notari. autenticum hujus exempli vidi, legi, & ſic in eo continebatur, ſicut in hoc legitur exemplo preter literas plus minuſve, & hoc exemplum ſcripſi.

Enricus Guercius *fecit ſecuritatem per manum & oſculum, quod* Imperator Federicus *tenebit firmam treuguam* Alexandrinis *uſque ad medium Junium. Et illud idem fecit* Comes Savoje: *& ita ſi non tenuerit Imperator, quod venient & mittent ſe in carcerem ad Vercellas in poteſtate Lonbardorum.* Otto Palatinus Comes, & Cancellarius *illud idem fecerunt de treugua tenenda ab Imperatore oſculo & pace, excepto quod non debent ſe mittere in carcerem Lombardorum.*

In irritum brevi abiere ejuſmodi experimenta concordiæ: neque enim a propoſito vel tantillum ſe dimoveri ſinebat Imperator, vir imperterriti & conſtantiſſimi ubique animi. Fortaſſis etiam animo non ſatis ſincero negotia Pacis pertractabat, quum ſubſidia a tempore atque ab amicis ſperaret, ut reluctantes populos attereret. Verùm proxime ſequenti Anno MCLXXVI fractus, ut dixi, a Mediolanenſibus, eorumque fœderatis, tantâ ærumnarum procellâ concuſſus eſt, ut ad Pacem tandem conquirendam adactus fuerit, poſtea Anno MCLXXVII. Venetiis celebratam. Ad eam invitati Langobardi, quæ pacta ab Imperatore peterent, quive tunc uno fœdere contra ipſum decertarent, palam faciunt Acta ſubſequentia in Tabulario Mutinenſis Reipublicæ adſervata. Sigonius, cui ignota minime fuerunt, ea pertinere arbitratus eſt ad Annum MCLXXXIII. & ad Pacem Conſtantiæ eo tempore firmatam. Sed quum aperte fœderati heic ſe optare fateantur, ut Fridericus *habeat pacem & concordiam cum ſacroſancta Romana Eccleſia, & ejuſdem Eccleſiæ Pontifice Alexandro*, nemo non videt, referenda hæc eſſe ad Annum MCLXXVII. & conſtituta fuiſſe, antequam Pax Veneta concordiam invexerit inter Alexandrum III. Papam & Fridericum I. Auguſtum. Accedit, Pontificem ipſum Anno MCLXXXI. diem clauſiſſe extremum, ac propterea reluctante Chronologiâ hæc trahi ad Annum MCLXXXIII. Sed en tandem Acta ipſa.

Fœderatorum contra Fridericum I. Auguſtum petitiones præviæ ad pacem cum eo poſtea Venetiis ſtabilitam: Anno 1177.

Petitio Rectorum Lombardiæ & Marchiæ atque Veneciæ & Romaniæ a Domino Imperatore.

IN *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Societas Lombardiæ & Marchiæ & Romaniæ & Veronæ & Veneciæ optat atque deſiderat habere pacem & concordiam & gratiam Domini F. Imperatoris, *hoc modo, videlicet; ut* Dominus Imperator habeat pacem & concordiam cum ſacroſancta Romana Eccleſia, *omnium fidelium matre*, & ejuſdem Eccleſiæ ſuo Pontifice Domno Alexandro. *Et nos Civitates, ſcilicet* Cremona, Mediolanum, Lauda, Pergamum, Ferraria, Brixia, Mantua; Verona, Vicentia, Padua, Tarviſium, Venetia, Bononia, Ravenna, Ariminum, Mutina, Regium, Parma, Placentia, Bobium, Terdona, Alexandria, Vercelle, Novaria, Opizo Marchio Malaſpina, Comes de Bertenore, Ruffinus de Trino, *& omnes Caſtellani & perſone, qui ſunt in unitate Eccleſie Dei & noſtrâ, volumus facere Domino Imperatori F. acceptâ ab eo pace*, omnia, quæ anteceſſores noſtri a tempore mortis poſterioris Henrici Imperatoris anteceſſoribus ſuis ſine violentia vel metu fecerunt. *Si de hoc orta fuerit queſtio, quod predicte Civitates, Marchio, & Comes, & ſingule perſone omnes hujus Societatis, vel loca, vel anteceſſores noſtri ejus anteceſſoribus a prædicto tempore fecerint ſine violentia vel metu, hoc declaretur ſub juramento per Conſules illius Civitatis, cum qua queſtionem habuerit. Si cum Marchione, vel Comite, vel alia perſona ejuſdem Societatis nominata vel non nominata, vel loco contentionem habuerit, hoc declaretur per Conſules illius Civitatis, de cujus Comitatu vel Epiſcopatu fuerit. Et ſi de cetero ambe partes ſuper his contente, & totum hoc, quod prefate Civitates & loca & Marchio & Comes & cetere perſone modo tenent, ut a ſuprascripto tempore tenuerunt, liberè & quietè teneant. Et nominatim Conſulatum more ſolito habeant, ſub quo homines cujuſque Civitatis vel Comitatus ad juſticiam faciendam ſe diſtringant. Et fodrum & coltam preſtent & omnia alia more Civitatum faciant. Et reſtituat ipſe Dominus Imperator omnes poſſeſſiones & omnia jura Civitatibus & locis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus, & ceteris Clericis noſtræ partis, & Marchioni, & Comiti, & Ruffino, & omnibus aliis perſonis Societatis quæ habuerunt. Caſſatis omnibus privilegiis & Cartis & Datis & Inveſtituris in aliquam Civitatem vel locum, ſeu perſonam, de his collatis. Et hec ab ipſo Domino Imperatore perpetuò ſerventur; & caſſatis omnibus conventionibus & datis & cartulis, quæ aliqua ſupraſcriptarum Civitatum vel perſonarum, ſeu aliquis locus cum eodem Imperatore vel ejus Nuntio fecit, niſi Civitas ulla vel locus ſive perſona conventionem vel datum ſeu cartulam ſponte ſervare voluerit. Item Dominus Imperator remittat & remittere faciat omnes offenſas, omnia maleficia, que aliqua predictarum Civitatum, vel aliquis locus vel Marchio ſive Comes, aut aliquis Clericus vel Laicus quocumque tempore, quacumque occaſione, ei vel Imperio vel alicui ſue partis fecerit. Et liceat predictis Civitatibus & locis & perſonis munitio-*

tiones Civitatum & Caſtrorum, & eadem Caſtra habere & tenere & meliora facere, & nova edificare & reficere, ſalvis conventionibus & concordiis Cremone, & aliarum Civitatum & perſonarum & locorum inter ſe factis; & Alexandriâ in ſuo ſtatu, reſtitutis poſſeſſionibus Oberto de Foro, & ſuis convicinis omnibus, perpetuò permanente.

Denique Civitates petunt ſuper omnibus in perpetuum obſervandis, quod Dominus Imperator cum omnibus, qui in exercitu ſunt, eiſdem Civitatibus & locis & perſonis univerſis Societatis tam Clericis quàm Laicis pleniſſimam ſecuritatem faciat. Et ut liceat Civitatibus, Domini Imperatoris permiſſu, & aliis omnibus Societatis, eamdem Societatem firmam tenere; & juramenta quæcumque voluerint inter ſe facere & renovare, & ſemper in unitate Eccleſie permanere. Ut ſi quando Imperator vel ejus Succeſſor, aut alius contra hanc concordiam venire tentaverit, poſſint Eccleſiam manutenere, & ſe viciſſim adjuvare & defendere. Item volumus, ut ſententiæ uſque modo a Conſulibus Civitatum ſeu locorum ſive a predictis perſonis vel Rectoribus late, nec appellatione ſuſpenſe, vel ſi ſuper cauſam appellationis late fuerint, firma permaneant: & ut de criminibus jam commiſſis criminalis accuſatio non fiat. Captivi quoque hinc inde abſolvantur & reddantur. Hec ſunt ea, que intelligimus, Dominum Imperatorem habere debere, & anteceſſores ſuos habuiſſe: ſcilicet Fodrum Regale & conſuetum, & conſuetam Paratam, cum vadit Romam, gratiâ accipiendæ Coronæ. Et debet habere quietum & conſuetum tranſitum, & ſufficiens mercatum. Et tranſeat pacifice, ita ut in Epiſcopatu vel Comitatu aliquo fraudulentam moram non faciat: & fidelitatem a Vaſſallis recipiat, omni offenſione remiſsâ. Vaſſalli etiam expeditionem ei faciant, ſecundùm quod ſoliti ſunt, & eſt antiqua conſuetudo, cum pergit Romam, cauſâ accipiendæ Coronæ. Regalia verò, que per eum vel anteceſſores ejus tam a Clericis quàm Laicis fuerunt detenta, vel per ipſum ſeu anteceſſores ejus inveſtita, quietè dimittat, nec de cetero impediat. Conſuetudines etiam & comoditates, quas Civitates & omnes de Societate habere conſueverunt in paſcuis, piſcationibus, molendinis, furnis, tabulis Cambiatorum & Negociatorum, macellis domibus, quas habent edificatas in viis publicis vel ſupra vel juxta vias publicas, & eternas conſuetudines antiquas eiſdem Civitatibus & omnibus de Societate quietè habere & tenere permittat. *Si autem de ſupradictis aliqua contentio inter Imperatorem & Civitates vel loca ſive perſonas Societatis orta fuerit, per Conſules Civitatis, cum qua contentio habuerit, vel loca ſeu perſonas ſui Comitatus, ſecundùm mores & conſuetudines Civitatis & loci decidatur, jurejurando præſtito ab ipſis Conſulibus, quod mores & conſuetudines tam Imperatori quàm Civitati vel loco ſeu perſone ſervabunt.*

In nomine Domini noſtri Iheſu Chriſti. Archiepiſcopus Colonienſis, *& Gualfredus de Plozaſca, & Rainerius de Sancto Nazario ex parte Imperatoris F. & ex parte Societatis Albertus de Gambara Brixienſis, & Gerardus Piſtus Mediolanenſis, juraverunt ad ſancta Dei Euangelia, quod ſecundùm brevia Imperatoris & Societatis, firmando, addendo, abſtrahendo ſecundùm quod melius eis viſum fuerit, bonâ fide & ſine fraude ad honorem Dei concordabunt ſe,* per quod melius Pax fieri poſſit & teneri inter ipſum, & Lombardos, & Marchiones, atque Veneciam, & illos de Romagnola, *qui ſunt de Societate, dehinc uſque ad medium Madium, vel ad alium terminum, conſenſu utriuſque partis datum. Illud idem jurare debet unus de Verona.*

Quod ergo præcipue Langobardicæ Civitates ac Principes tunc inſtabant, ut ſibi Fridericus Cæſar indulgeret, in hoc ſitum erat: nimirum ad nihil aliud præſtandum Imperatori ſe obligatos in futurum eſſe, quàm ei *omnia facere, quæ Anteceſſores noſtri a tempore mortis poſterioris Henrici Imperatoris* (hoc eſt Quarti, qui inter Reges Quinctus fuit) *Anteceſſoribus ſuis ſine violentia vel metu fecerunt,* atque ut ſibi illæſæ ſervarentur *conſuetudines & commoditates, quas Civitates, & omnes de Societate habere conſueverunt.* Quæ verò Imperatori debita in poſterum forent, apertioribus verbis infra explicant; *ſcilicet Fodrum Regale & conſuetum: conſuetam Paratam, quum vadit Romam gratiâ accipiendæ Coronæ: conſuetum Tranſitum: ſufficiens Mercatum: Fidelitatem a Vaſſallis, & Vaſſallorum Expeditionem.* Porro quod eſt ad *Conſuetudines*, quas ſibi conſervandas petunt Langobardi Populi a Friderico Auguſto, jam vidimus in Diſſertatione XLV. *de Aſſumti* &c. Henricum inter Auguſtos Quartum Anno Chriſti MCXVI. confirmaſſe Mantuano Populo eam *Conſuetudinem bonam & juſtam, quam quælibet noſtri Imperii Civitas obtinet.* Ita idem Auguſtus *bonos uſus* Cremonenſis Populi ratos habuit. Neque dubito, quin inter haſce Conſuetudines principem locum teneret mos jamdiu invectus regendi Urbes per Conſules, alioſque Magiſtratus a Populo electos, Comitibus excluſis olim ab Imperatore electis; & juriſdictione, meroque & mixto Imperio fruendi: nam hæc omnia invecta jam fuerant ſub Henrico III. Auguſto illius patre. Vide Acta ſubſequentia, & agnoſces quid nomine *Conſuetudinum* ſignificaretur. Et de iiſdem *Conſuetudinibus* mentio quoque eſt in Diplomate Ottonis IV. Auguſti, quod e Regeſto MSto Reipublicæ Bononienſis depromtum, publici juris nunc facio.

De

De Imperatore Ottone confirmante & approbante Bononienſibus eorum antiquas juriſdictiones & Conſuetudines, Anno 1210.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.* Otto Quartus, *divina favente clementia* Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus. *Conſuevit Imperialis excellentia fidelium ſuorum affectionem, pariterque ſinceram devotionem providâ metiri conſiderationis acie, & juſtis ipſorum inclinata poſtulationibus, multimoda ejus & præclara ſuæ liberalitatis beneficia cum plenitudine gratiæ favorabiliter impertiri. Eapropter univerſis fidelibus Imperii tam præſentis ævi quàm futuri duximus innoteſcendum, quod nos præ oculis habentes puræ fidei conſtantiam & dilectionis fervorem, quàm erga nos ſemper habuerunt fideles noſtri,* Ubertus Vicecomes Bononienſium Poteſtas, & ejuſdem Civitatis Commune: *animadvertentes quoque magnifica, quæ pro commodo & honore Imperii nobis præſtare poſſunt obſequia, de Imperiali clementia prædictæ Univerſitati damus, concedimus & confirmamus quæcumque habuit & tenuit in juriſdictionibus tam civilium cauſarum quàm criminalium, tam ordinariorum quàm extraordinariorum, & in Officialium creatione, &* ceteris bonis Conſuetudinibus *& tenutis, habitis vel detentis temporibus Anteceſſorum noſtrorum* Friderici *&* Henrici Romanorum Imperatorum, *quæve nunc habet & tenet dicta Univerſitas in Civitate Bononiæ vel extra in ejus Epiſcopatu. Salvis in ceteris non conceſſis juſtitiis & rationibus tam Imperii, quàm ipſius Civitatis. Statuimus itaque, & Imperiali firmiter ſancimus edicto, ut nulla unquam perſona humilis vel alta, Eccleſiaſtica ſive Secularis, auſa ſit contra hanc Majeſtatis noſtræ donationem, conceſſionem atque confirmationem venire vel prædictam Univerſitatem Bononiæ in tenutis ſuis aliquatenus moleſtare. Qui auſu temerario facere præſumſerit, in vindictam ſuæ transgreſſionis, auri examinati Libras centum componat, dimidium Cameræ noſtræ, reliquum paſſis injuriam. Ad cujus rei certam in*

A *poſterum evidentiam præſens exinde Privilegium conſcriptum, ſigilli noſtri impreſſione juſſimus communiri. Hujus rei teſtes ſunt* Jacobus Taurinus Epiſcopus, Aliprandus Vercellenſis Epiſcopus, Willielmus Marchio Montisferrati, *Willielmus Præpoſitus Aquenſis, Comes Geriorius de* Wuirden, *Comes Hermannus de Harciſpurc, Rodulphus de Lunſio, Tedericus de Stambic, Cono de Milia, Henricus Camerarius de Tavinſpin, Conradus Pincerna de Schinpſen, Monachus de Villa Paſſaguerra, Albertus Structius, Johannes de Pado, Judices Curiæ, & alii quamplures.*

Signum Domini Ottonis Quarti Romanorum Imperatoris invictiſſimi.

B *Ego Conradus Spirenſis Epiſcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius ad vicem Domini Tederici Coloniæ Archiepiſcopi, & totius Italiæ Archicancellarii recognovi.*

Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Duceнteſimo Decimo, Indictione XIII. regnante Domino Ottone IV. Romanorum Imperatore glorioſo, Anno Regni ejus XII. Imperii verò I.

Datum apud Vercellas per manum Gualterii Imperialis Aulæ Protonotarii III. Kalendas Julii.

Quæ petierint Langobardi, jam vidimus. Verùm Fridericus in ſuo propoſito conſtans C tantâ arte negotia cum Alexandro III. Summo Pontifice pertractavit, ut cum ipſo Pacis pacta Venetiis percuſſerit, & Inducias tantùm Lombardis eorumque Fœderatis conceſſerit. Quam ob cauſſam de Alexandro Papa non leviter conqueſti ſunt Populi iidem, ut ſupra ajebam. Accipe nunc monumentum pertinens ad ejuſmodi Induciarum negotium, quod Bononienſis Chartophylacii membranis acceptum refero.

De Tregua pertractata inter Imperatorem & filium ejus Henricum ex una parte, & omnes Lombardos ex altera, Anno 1177.

INter Dominum Imperatorem *& partem* ſuam, Cremonam, Papiam, Januam, Terdonam, Aſti, Albam, Taurinum, Ypoream, Vintimiliam, Savonam, Albingam, Caſale Sancti Euaſii, Montem Velii, Imolam, Faventiam, Ravennam, Forum Livii, Forum Pompilii, Ceſenam, Ariminum, Caſtrocarum, Marchionem Montisferrati, *& filios ſuos, & cum omni Terra, quam tenent* Comites de Blanderato, *cum omni terra ſua, quam tenent* Marchiones de Vaſto, *cum omni terra ſua, quam tenent* Marchiones de Buſco, *cum omni terra ſua, quam tenent* Comites de Lomello, *cum omni terra ſua, quam tenent, & cetera Loca nominata & innominata, & ceteras perſonas nominatas & innominatas, quæ ſunt in parte Imperatoris, &* Societatem Lombardorum, *videlicet* Venetiam, Tarviſium, Paduam, Vincentiam, Veronam, Brixiam, Ferrariam, Mantuam, Bergamum, Laudum, Mediolanum, Cumas, Novariam, Vercellas, Alexandriam, Carſinum, & Belmontem, Placentiam, Bobium, Opizonem Malaſpinam, Parmam, Regium, Mutinam, Bononiam, Homines de Sancto Caſſiano, & Docciam, *& cetera loca & perſonas Epiſcoporum, Clericorum & Laicorum* Lombardiæ, Exarchatus, Romagnolæ, *quæ ſunt in Societate Lombardiæ, cum omnibus quæ habent & tenent, Treuga conſtituta eſt ab iſtis Kalendis Auguſti uſque ad ſex annos, quæ ſic firmabitur. Dominus Imperator faciet jurari in anima ſua, & filius ſuus* Henricus Rex *ſimiliter, & Principes Alamanniæ jurabunt, qui præſentes ſunt, &* Guarſendonius, *& Marchio Montisferrati & filii ſui, & Marchiones de Vaſto, & de Buſco, & Comites de Blandrato, & de Lomello, & Conſules Cremonæ, & Papienſes, & Credentiæ ipſorum, & unus in publica concione, in animabus Populi ex mandato ipſius Populi. Idem fiet in aliis Civitatibus, quæ ſunt ex parte Domini Imperatoris, quod videlicet bonâ fide, ſine fraude & malo ingenio prædictam Treugam obſervabunt prædictis Civitatibus & locis & perſonis nominatis & non nominatis prædictæ Societatis: ita quod uſque ad ſex annos non offendent eos per ſe vel per alios in perſonis vel rebus quas habent vel tenent. Continebitur etiam in juramento, quod Homines Societatis & eorum res, ſecuri ſint in terra Imperatoris ſicut tempore pacis: & e converſo Cremonenſibus quoque & Papienſibus cum aliis Civitatibus, locis, & perſonis de parte Imperatoris eadem fiet & obſervabitur ſecuritas a Societate Lombardiæ. Securos autem tempore pacis ſic intelligimus, ut bona fide abſtineant Imperator & ſui ab injuriis perſonarum Societatis & damno rerum. Similiter Societas abſtinebit ab injuriis perſonarum & damno rerum Partis Domini Imperato-* A *ris. Similiter Conſules Civitatum Societatis & credentiæ earum, & quinquaginta homines Civitatis, in quantum erunt credentiæ, & Poteſtates Civitatum, in quibus erunt Conſules, & unus ſimiliter in anima Populi cujuſcumque Civitatis, & Opizo Malaſpina & filius ejus jurabunt, ſe obſervaturos prædictam Treugam Domino Imperatori & Civitatibus & locis & perſonis, quæ ſunt ex parte Imperatoris. Ad obſervationem autem Treugæ,* de *ſingulis Civitatibus utriuſque partis, & de terra Marchionis Montisferrati, duo eligentur, qui jurejurando firmabunt, quod bona fide dabunt operam ad obſervandum Treugam, etſi qua Civitas vel perſona infregerit. Et quod bonâ fide dabunt* B *operam efficacem ad emendandum intra quadraginta dies, niſi prorogaretur de conſenſu partium. Juramento autem Conſulum credentiarum Populi & Poteſtatum, & quinquaginta bonorum hominum, qui jurabunt, Marchionum & Comitum, continebitur, quod bonâ fide & efficaciter jurabunt ad hæc ut Treuga emendetur infra prædictum tempus, ſi contigerit, quod aliqua prædictarum Civitatum vel locorum vel perſonarum, quæ ſunt ex parte Societatis offenderit aliquam Civitatem, locum, vel perſonam, quæ ſunt ex parte Imperatoris, & non fuerit emendatum per Treugarios, qui ad hoc electi ſunt, Imperator vel alii, qui ſunt ex parte ſua, non propterea frangant Treugam,* C *ſed Civitates Societatis & alii de Societate ponant ea ſub banno juxta arbitrium Treugariorum. Si verò Civitas, locus, vel perſona ex parte Imperatoris fregerit Treugam adversùs Civitatem vel locum vel perſonas Societatis, non ob hoc Treuga frangatur, ſed ſimiliter emendabitur. Si verò aliqua Civitas, locus vel perſona offenderit aliam Civitatem, locum, vel perſonam ejuſdem Civitatis, Imperator vel ſui non ſe intromittent. Idem ſervetur in Parte Imperatoris. Imperator verò uſque ad ſex annos prædictos non compellet aliquem Clericum vel Laicum prædictæ Societatis jurare ſibi fidelitatem, nec ſententiam dabit, nec faciet dari in aliquem prædictæ Societatis pro fidelitate &* D *ſervitio ſibi non exhibito, vel Inveſtitura ſibi non petita infra prædictum tempus Treugæ. Præterea nullum locum vel perſonam prædictæ Societatis trahet ad judicium tempore Treugæ pro præteritis negotiis.*

Deinde Fridericus haſce Inducias ſe ſervaturum ſacramento pollicitus eſt, quod ſecundùm morem juſſit pro ſe præſtari per Henricum Comitem de Dedo. Hæc omnia Auctor Vitæ Alexandri III Summi Pontificis Tomo III. pag. 471. Rer. Italic. commemoravit. Ego verò tabulas proferam ex eodem Bononienſis Reipublicæ Archivo depromtas.

Friderici

Friderici I. Auguſti jusjurandum de obſervandis in ſexennium Induciis Societati Lombardorum, Marchiæ, & Romaniæ, Anno 1177.

ANno a Nativitate Domini Milleſimo Centeſimo Septuageſimo Septimo: imperante Imperatore Frederico, *Anno Imperii ejus vigeſimo tertio, Indictione X. die Lunæ, qui fuit Primus Auguſti, in Palatio Gradenſis Patriarchæ, in præſentia* Cardinalium, *videlicet* Domini Willielmi Epiſcopi de Porto, Epiſcopi Hoſtiæ Domini Hiacynthi, Domini Petri de Bona, Johannis de Neapoli, Arditionis de Pladana, Domini Conradi, Domini Manfredi de Lavagna, *& aliorum Cardinalium multorum*, Domini Raynaldi Cardinalis Epiſcopi de Salerno, *&* Comitis Rogerii de Apulia, *&* Dominici de Brici Patriarchæ de Aquileja, Domini Patriarchæ de Grade, Epiſcopi Paduæ, Johannis Epiſcopi Mantuæ, Epiſcopi Brixiæ Papiæ, Domini Albericonis Epiſcopi de Regio, Domini Bonifacii Epiſcopi de Novaria, Domini Walæ Epiſcopi de Aqui, Epiſcopi de Taurino, Electi de Aſte, Epiſcopi de Ramene, Epiſcopi Placentiæ, Oderici Epiſcopi de Tarviſio, Epiſcopi de Ceneda, Domini Salomonis Epiſcopi de Tridento, *Grunde de Verona, & Henrici de Aicarda, & aliorum multorum. Coram* Domno Alexandro ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifice Comes Henricus Dedens, *præſente* Domino Frederico Romanorum Imperatore, *& ejus verbo juravit in anima Imperatoris, quod ipſe Dominus Imperator obſervabit Treugam Lombardis, cunctis & omnibus perſonis de* Societate Lombardiæ, Marchiæ, *&* Romagnolæ, *ſecundùm quod ordinatum & diſpoſitum eſt a mediatoribus utriuſque partis, & ſecundùm quod continetur in ſcripto, quod apud Cardinales eſt & apud Lombardos in concordia: tenor cujus ſcripti ſuperius legitur. Et quod bona fide daret operam, ut ita ſecundùm quod in eo ſcripto continetur, Treuga attendatur. Et quod faciet Principes Alamanniæ, qui cum eo ſunt, jurare illam Treugam, pro ut ſtatutum eſt, tenere, & filium ſuum* Henricum Regem, *& homines Civitatum Lombardiæ, & alios, qui ſunt in ejus parte, de partibus Lombardiæ faciet jurare, ipſam Treuguam firmam, pro ut in eo ſcripto Treuguæ continetur, tenere; & quod bonâ fide dabunt operam, ut teneantur infra hos quadraginta dies: niſi concordiâ Rectorum Lombardiæ remanſerit, parabolâ videlicet communiter datâ. Præterea* Dominus Wicomannus Magdeburgenſis Archiepiſcopus, Dominus Philippus Archiepiſcopus Coloniæ, Chriſtianus Moguntinenſis Archiepiſcopus, Arnoldus Treverenſis Archiepiſcopus, Conradus Electus Wormatiæ, Gottifredus Imperialis Aulæ Cancellarius *jurarunt unuſquiſque pro ſe bonâ fide obtinere Treuguantibus de Societate Lombardiæ, Marchiæ, & Romagnolæ, prout per mediationes utriuſque partis ordinatum eſt eo in ſcripto, quod apud Lombardos eſt, & apud Cardinales continetur; tenor cujus ſcripti ſuperius legitur. Et ita per bonam fidem ſervare, & quod bonâ fide darent operam, ut ſervaretur.*

Factum in Venetiis ſupraſcripto loco.

Ego Fatolinus Notarius Domini Welphonis Ducis, *& ab Imperatore Friderico confirmatus, poſtea rogatus, prædictis omnibus interfui & ſcripſi.*

Ad hæc quia non ſatis ſibi caverant Lombardi pro Inveſtituris Feudorum, quæ durantibus Induciis expetendæ forent, ab Imperatore deinde impetrarunt cautionem de crimine nemini eam ob cauſſam deinceps inferendo. Itaque hoc etiam monumentum addo, ex eodem Tabulario Bononienſi deſcriptum.

De

De Friderico I. Imperatore, qui promiſit Lombardis & omnibus de ſua parte, ſe non judicaturum eoſdem, nec Feudum accepturum eiſdem propter fidelitatem & ſervitium non præſtitum, & Inveſtituram non petitam, Anno 1177.

IN nomine Domini : amen . Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Septuageſimo Septimo , die Veneris , qui eſt XI. Kalendas Novembris , Indictione X. In præſentia Domini Magiſtri de Palatio , Dei gratiâ ſanctæ Brixienſis Eccleſiæ Canonici , & Guillielmi Oriani Judicis ejuſdem Civitatis , & Oprandi de Sancto Alexandro Pergami , & Guillielmi Burri , & Ariprandi Judicis , Mediolani Conſulum , & Guillielmi Graſſi ejuſdem Civitatis , & Jannoni Buttæmattæ , Conſulum Placentiæ , Bogorii & Sacci & Ribaldi de Gezo , Conſulum Alexandriæ , & Uberti de Fodro ejuſdem Societatis . Dominus Albertus de Summa , Dei gratiâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus & Apoſtolicæ Sedis Legatus , ſicut in Literis ejuſdem Apoſtolici Alexandri, *a me viſis , datis Venetiis in Rivoalto, VI. Idus Octubris continebatur : dedit in manibus Apoſati Advocati Brixiæ , & Alberti de Carate de Mediolano , & Guiſcardi Mugani Placentiæ, & Ruffini de Fodro Alexandriæ , Rectorum ſuarum Civitatum , & totius Societatis Lombardiæ ad ſuam Partem & ad Partem omnium Eccleſiarum & Civitatum , & omnium Hominum & locorum prædictæ Societatis , Literas ſigillatas ſigillo Domini* Frederici Imperatoris, *quarum tenor talis eſt :*

„ Nos Fredericus Dei gratiâ Romanorum Im-
„ perator ſemper Auguſtus . Pro interventu ve-
„ nerabilis patris noſtri Domni Alexandri Papæ
„ & fratrum ſuorum Cardinalium , promittimus
„ tam Lombardis quàm Marchianis , & illis de
„ Romania , & reliquis de Societate ipſorum ,
„ Vaſſallis noſtris , & iis , qui debent eſſe Vaſ-
„ ſalli noſtri , quod pro fidelitate nobis non præ-
„ ſtita , vel ſervitio non exhibito , aut de Inve-
„ ſtitura non petita , quamdiu Treugæ durave-
„ rint , nullum de Societate ipſorum poſt Treu-
„ gam judicabimus , nec judicari faciemus , nec
„ propter hoc cuilibet de Societate Feudum au-
„ feremus .

A *Hoc actum in Civitate Parmæ in Canonica Sanctæ Mariæ , unde complures chartas fieri uno tenore juſſit .*

Ego Albertus de Summa , ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus , & Domini Papæ Alexandri Nuntius , harum Literarum authenticum , ſigillatum ſigillo Domini Imperatoris , a Domino Papa accepi , & ejus mandato Rectoribus ſupradictis tradidi & ſcripſi .

Ego Oprandus de Sancto Alexandro Cauſidicus , authenticum harum , ſigillo Domini Frederici Imperatoris ſigillatum vidi & legi, nullo addito vel diminuto , & ſicut in eo continebatur , ita & in iſto ſcripſi .

Ego Manfredus qui vocor Benbonus , Judex B *ſacri Palatii , exemplar hujus authentici & tenorem vidi & legi , & ſicut in eo continebatur, ſic in iſto legi & præter literas plus minus ſcripſi & ſubſcripſi, & rogatu ſupraſcripti Domini Alberti & ſupraſcriptorum Rectorum hanc chartam ſcripſi .*

Peractâ Venetâ Pace tranquillitas per omnem ferme Italiam ſubſequuta eſt : ac durante ſexennio pertractatum eſt de Pace ſtabili tamdem inſtituendâ inter Fridericum & Lombardos , eorumque Socios . Sed potiſſimùm in id negotii nervos omnes intenderunt ipſe Auguſtus , iique Populi Anno MCLXXXIII. antequam Induciarum finis eſſet . En ergo Acta C prævia ad illam celeberrimam Pacem , quæ Anno eodem conſtabilita fuit Conſtantiæ . Et primo animadvertendum eſt , ante illam Pacem nonnullas Lombardiæ Civitates pro ipſo Friderico ſemper ſtetiſſe , quales præ ceteris fuere Ticinenſes . Alias verò ab eo in gratiam fuiſſe receptas , priuſquam Comitia Conſtantienſia inſtituerentur . Inter poſtremos hoſce Populos *Dertonenſes* enumero , uti conſtabit e tabulis , ad me ex ea Civitate miſſis .

Chartâ

Charta reconciliationis Friderici I. Auguſti cum Populo Dertonenſis Urbis, Anno 1183.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Hæc eſt forma reconciliationis, qua Civitas Terdona *& ejus habitatores ad gratiam Domini Imperatoris redierunt.* Dominus Imperator *per interpoſitam perſonam, ſcilicet per Conradum de Belalus, ſuper animam ſuam fecit jurare, quod Civitas Terdona de cetero non deſtruetur nec per ſe nec per aliquem ſuorum: ſed potius habet eam ſalvare & cuſtodire, necnon perſonas & res eorum Civium bonâ fide & ſine fraude, ad honorem & utilitatem Imperii, & ipſius Civitatis Terdonæ. Nec ipſam Civitatem dabit alicui homini: & ſuos Caſtellanos permittet & conſentiet ſubjacere Civitati Terdonæ, ſicut Caſtellani Papienſes ſubjacent Civitati Papiæ; nec habet eos Caſtellanos Civitati Terdonæ auferre nec per ſe nec per alium. Majores exactiones non exiget a Civibus Terdonæ & ab Oppidanis, ſed quomodo ipſe exiget a Papienſibus, & eorum Caſtellanis ſecundùm quantitatem perſonarum & æris. Et hoc bonâ fide & ſine fraude. Privilegia verò & donationes, quæ quiſve fecit de Civitate Terdonæ, vel de Caſtris & Villis & poſſeſſionibus ipſius Epiſcopatus, præſertim de Serravalle & de aliis, ſine fraude bonâ fide revocat & caſſat, & caſſata non confirmabit. Poſſeſſiones Eccleſiæ Terdonæ, quas nunc habet & tenet, ſive per ſe ſive per alium non habet auferre. Et faciet Marchionem de Monteferrato quieſcere de Oppido Statiani, ne Epiſcopus de cetero inquietetur a Marchione occaſione dictæ pecuniæ. Et habet jubere Papienſibus, ut de cetero teneant Pacem Terdonenſibus, & ut juvent ſe cum eis de omnibus guerris eorum ſuis ſumptibus, & faciant vivam guerram inimicis Terdonæ. Et præcipiet Papienſibus, quod remittent omnes ſupraſcriptos Caſtellanos Terdonenſibus, quos noſtrâ remittimus & confirmamus auctoritate. Caſtellanos verò eos intelligimus, qui in montanis & planis habitant, præſertim illos de Copara, de Azano, de Caſtro Novo, de Bagnolo, de Pontecurono, de Puzolo, de Monte Merlino, de Vipegolo, de Bagnara, de Monte Legali, de Belignano, de Faurega, de Gremiaſco, de Monte Acuto, de Dernice, de Monte Ebore, de* A *Merlaſino, de Boligo, de Bruſa-moneca, de Liprando, de Monte Jardino, de Monte Jaro, de Savignone, de Grondona, de Perſio, de Pobleto, de Monte Alto, de Arquada, de Monte Cuco, de Præcipiano, de Serravalle, de Caſſiano, de Statiano, de Brion, de Nova, de Boſco, de Villa, de Oliſca, de Sarzano. Et facit finem de omnibus maleficiis, quæ Terdona Domino Imperatori vel ſuis militibus vel prædictis fecerunt; & malum meritum non reddet Terdonenſibus. Marchias, quas olim dabant Terdonenſes, remittit, nec de cætero eas exiget. Et faciet hominibus de Serravalle finem de omnibus maleficiis, quæ erga Dominum Imperatorem vel ſuos fecerunt. Et permittit hominibus* B *Terdonæ habere Conſulatum & Macella & Molendina & vias publicas habere & tenere, ſicut permittit Papienſibus, ſicut Conradus Belalus juravit pro Domino Imperatore, & pro ſe, ſic & Principes & Nobiles ſubſcripti juraverunt pro ſe.*

Theodoricus Marchio de Landesbe, Florentinus Comes Hollandiæ, Bernardus Comes Saxoniæ, Conradus de Monteferrato, Recherius Comes de Blanderan, Conradus de Boresbe, Conſtantinus de Berga, Cono de Nunxeberc, Henricus Marſcalcus, Walterius Dapifer, Conradus Pincerna. Inſuper juravit Archiepiſcopus Colonienſis Cancellarius Imperialis, Gotefredus Comes, Henricus de Ditze. In hac C *autem conventione comprehendit Dominus Imperator, quod Civitas Terdona, & ejus diſtrictus non recipiat aliquem vel aliquos homines, qui de octo Villis infraſcriptis apud Paleam collecti ſunt. Si verò recepti fuerint infra octo dies ab eo die, quo ab Imperatore Federico, vel a Marchione de Monteferrato vel eorum certo Nuntio requiſiti fuerint, vel a Rege vel a ſuo Nuntio certo eos dimittant vel reſtituant. Sunt autem hæ Villæ Marenge, Gamondi, Oville, Four, Bergul, Solere, Vagent, Rovere.*

Actum Anno Domini MCLXXXIII. Indictione I. Regnante Domino Federico Romanorum Imperatore invictiſſimo, Pridie Nonas Februarii.

Sacramentum fidelitatis a Dertonenſi Populo præſtitum Friderico I. Imperatori, Henrico Romanorum Regi ejus filio, & Beatrici Auguſtæ, Anno 1183.

IN *nomine Domini Jeſu Chriſti . Hoc eſt Sacramentum fidelitatis , quod juraverunt* Conſules Dertonenſes *Ido* , *Ubertus* , *&* *Buſcho* , *Cives Dertonenſes* Domino Federico Imperatori , *& filio ejus* Regi Henrico , *&* Dominæ Beatrici Romanorum Imperatrici Auguſtæ ; Ego juro ad ſancta Dei Euangelia , quod ab hac die in antea ſemper ero fidelis Domino Federico Imperatori , & Domino Henrico Regi Romanorum , & Dominæ Beatrici Imperatrici Auguſtæ . Nec ero in facto, quod perdant vitam vel membra vel honorem. Et bona fide & ſine fraude juvabo , eos tenere Regnum Italiæ & honorem Coronæ ; & nominatim Civitatem Dertonæ , & Epiſcopatum & Comitatum ; & dare eis Civitatem ad offenſionem & defenſionem . Et ſi perdiderint Regnum Italiæ vel Civitatem, & Epiſcopatum & Comitatum Dertonæ , bona fide & ſine fraude juvabo eos recuperare , & recuperata tenere . Et Credentias , quas ipſi per ſe, vel per certos ſuos Nuntios mihi inſinuaverint, vel per literas , ſecretas tenebo , nec pandam ad detrimentum perſonarum , vel honoris eorum . Et pacem faciam omnibus amicis eorum & ſervabo ; & guerram vivam faciam omnibus inimicis eorum ; nec guerram recredutam faciam hoſtibus eorum & Imperii , ſecundùm mandatum Domini Imperatoris , vel Domini Regis , vel Dominæ Imperatricis , vel Legati, A quem ipſi ad hoc factum deſtinaverint . Et nos operam dabimus bonâ fide & ſine fraude, quod omnes homines Civitatis Dertonæ fidelitatem in hac eadem forma jurent Domino Imperatori Federico, & ſuo filio Regi Henrico, & Dominæ Beatrici Auguſtæ Imperatrici .

Anno Domini MCLXXXIII. Indictione I. Pridie Nonas Februarii .

Hæc a Dertonenſibus acta ante Pacem Conſtanſienſem , Friderico curante , ut quoſcumque poſſet a Societate Lombardorum divelleret , ſibique jungeret . Propterea in Capitulis ejuſdem Pacis infra legendis , ab ipſo Auguſto inter Civitates ſibi antea adhærentes enumerantur *Papia* , *Cremona* , *Cuma* , *Terdona* , *Aſta* , *Cæſarea* , *Janua* , *Alba* , *& aliæ* B *Civitates & perſonæ* , *quæ ſunt & fuerunt ex parte noſtra* . *Cæſarea* heic eſt *Alexandria* Civitas , ut infra oſtendam . Quid verò ceteræ Urbes eidem Friderico adverſantes præſtiterint, ut ad eamdem Pacem & Concordiam honorifice pervenirent , Acta ipſa prodent , quæ hauſi e Tabulario Communitatis Mutinenſis , omniumque intereſt Eruditorum , ut tenebris erepta in publica tamdem luce verſentur . Nunc ubi de Pace inter Reges reintegranda agitur, mille præliminaria , ut ajunt , & Acta præcedere conſueverunt . Sed nec Sæculo quidem XII. artem pertractandi politica negotia Majores noſtri ignoraſſe videntur .

Colloquium primum Placentiæ habitum inter Nuntios Friderici I. Auguſti & Langobardos , eorumque Fœderatos, de Pace inter eos inſtituenda, Anno 1183.

A*Nno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Octuageſimo Tertio* , *Indictione Prima* , *die Sabbati* , *Pridie Kalendas Madii* , *in Civitate Placentiæ*, *infra Eccleſiam Sancti Antonini* , *in præſentia* Domini Tebaldi Placentini Epiſcopi , *& Cleri ejuſdem Civitatis* , *&* Marchionis Opizonis Malaſpinæ, *& Rectorum & Conſulum & multorum Sapientum* Societatis Lombardiæ , Marchiæ , *&* Romaniæ , *& magnæ partis Populi Placentiæ* . Dominus Gulielmus Aſtenſis Epiſcopus , *&* Marchio Henricus Guercius , *& Frater Teodoricus & Rodulfus Camerarius* , *fecerunt legi Literas ſigillatas ſigillo* Domini Imperatoris Federici , *in quibus continebatur : Quod Dominus Imperator dederat licentiam prædictis Aſtenſi Epiſcopo & Marchioni Henrico & Fratri Theodorico* , *tractandi verbum Pacis inter ipſum Dominum Imperatorem*, *nec non & Lombardos* ; *& totum* , *quod ipſi acceptarent vel juramento vel aliâ promiſſione ratum haberent* . *Quibus Literis lectis* , *prædicti Aſtenſis Epiſcopus* , *& Marchio Henricus & Rodulfus tale fecerunt juramentum* :

C IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti . Juro ego , quod faciam , Dominum Imperatorem Federicum , & filium ejus Regem Henricum habere ratam & firmam concordiam Pacis inter Nuntios Imperatoris , ſcilicet Dominum Guillielmum Aſtenſem Epiſcopum , & Marchionem Henricum Guercium , & Fratrem Theodoricum , & Rodulfum Camararium , & Rectores Lombardiæ, & Marchiæ atque Romaniæ ſcriptam . Et eos juramento firmare faciam , ſicut in præſenti ſcripto Pacis continetur . Hoc totum adtendam & adimplere faciam uſque ad Octavam Pentecoſte proxime venientis , niſi remanſerit juſto Dei impedimento . Quo tranſacto infra octo dies ſimili- D ter attendam & adimplere faciam , ut ſuperius dictum eſt , niſi remanſerit per parabolam Nuntiorum vel Rectorum Societatis ſponte datum , & per omnes terminos mihi datos ſic obſervabo . *Deinde Frater Theodoricus in ſuo ordine* , *bonitate* , *& legalitate promiſit* . *quod illi juraverunt* ; *& facere Dominum Imperatorem ſic adimplere & attendere* . *Huic facto interfuere teſtes Dominus Armannus & Guilliel-*

mus

mus de Cario, *Capo*, *Petrus Viceconies Placentiæ*, *Arnaldus Strictus*, *Gunerius Co-deporco*, *Robertus Maglarius de Civitate Placentiæ*, *& multi alii de Civitatibus & Societate Lombardiæ*. (Sequuntur Literæ Imperatoris.)

„ FRidericus Dei gratiâ Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus dilectis ac fideli-
„ bus ſuis Aſtenſi Epiſcopo, Marchioni Henrico Guerce, & Fratri Theodorico, gratiam ſuam & bonam voluntatem. Quia veſtræ devocionis ac ſtudii fidem in multis rerum experimentis probatam nobis & cognitam habemus, magna Imperii negocia induſtrie veſtre ſinceræ fidelitate tractanda committere non dubitamus. Itaque verbum tractandæ pacis & concordiæ inter nos & Lombardos eos, qui rebelles ſunt A Imperio, ſinceritati veſtræ proponendum & conſummandum committimus, plenam vobis noſtræ auctoritatis poteſtatem conferentes, ut quæcumque vos acceptaveritis, nos quoque acceptemus, & quæ promiſſione vel juramento firmaveritis, nos rata habeamus & exſequamur. „

Hic primus ad pertractandam Pacem gradus fuit, & ut nunc loquimur, *l'apertura del Congreſſo*. Pridie Calendas Majas, quo die peracta iſta fuerunt, convenere utriuſque partis Legati, atque eo ipſo in aliquas pacis conditiones concordi animo itum eſt, quæ etiam literis conſignatæ fuerunt. Id patebit ex altero Inſtrumento, quod proxime ſequenti die, hoc eſt Calendis Maji, conſcriptum fuit, atque ex Archivo Mutinenſi depromtum.

Rectorum Langobardiæ ac ſociorum jusjurandum de accipiendis ac ſervandis quæcumque in Pace cum Imperatore ſtabilienda decreta fuerint, Anno 1183.

Qualiter ſacramentum a Rectoribus Lombardiæ & Marchiæ fuit factum de concordia inter ſe firma tenere.

ANno *Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Octuageſimo Tercio*, *Primo die Menſis Maji*, *Indictione Prima*, *in Civitate Placencia*. *Ego juro omnibus Civitatibus* Societatis Lombardiæ, Marchiæ, *&* Romaniæ, *& locis*, *&* Domino Marchioni Opizoni Malaſpinæ, *& omnibus perſonis prædictæ Societatis conceſſiones & promiſſiones atque pacta*, *ſicut in ſcripto Pacis inter Nuntios Domini Imperatoris & Rectores & Nuntios Civitatum Societatis facto continetur*, *firmas tenere. Nec in facto ero vel conſilio*, *ut aliquid prædictorum alicui de Societate minuatur*. *Et ſi qua perſona vel Civitas aut locus alicui Civitati vel loco*, *aut perſonæ præfatæ Societatis*, *aut jam dicto Marchioni auferre vel diminuere voluerit*; *eas vel eos manutenere & defendere bonâ fide & ſine fraude contra omnes adjuvabo. Et omnia præcepta*, *quæ Rectores concorditer omnes vel major pars mihi fecerint*, *ſine fraude obſervabo*. *Et omnia ſupradicta attendam a præſentibus Kalendis Madii uſque ad triginta annos*: *& in capite uniuſcujuſque quinquennii*, *ſi per majorem partem Rectorum requiſitus fuero*, *renovabo*. *Et hoc totum ſine fraude jurare faciam omnes homines meæ Civitatis a decem & octo annis uſque ad ſeptuaginta*. *Et hæc omnia faciam jurare Conſules & Poteſtates meæ Civitatis*, *& Credentiam uſque ad quindecim dies*. *His omnibus ita demum adſtrictus ero hoc juramento*, *ſi Pax fuerit finita*. *Præterea juro ego*, *qui Conſul*, *vel Poteſtas ſum*, *quod faciam* B *bonâ fide omnes focos mei diſtricti in ſcriptis redigi*, *& eorum quantitatem Rectoribus Civitatum Societatis bonâ fide in ſcriptis dabo tam in Civitate quàm extra*, *Clericis & Converſis inde exceptatis & Servis*. *Et hoc faciam uſque ad Octavam Sancti Petri proximi venientis*. *Et hoc juramentum infra octo dies*, *poſtquam domi rediero*, *faciam ſocios meos*, *vel Poteſtates ſine fraude jurare*.

Hoc ſacramentum fecit de Mediolano *Adobatus Butraffus Rector*. De Brixia *Oprandus Rector*. De Placentia *Gerardus Ardicionis Rector*. De Mantua *Alexander Rector*. De Laude *Aldricus de Sala Poteſtas Laudenſis*. De Bononia *Antonius de Andito Poteſtas & Rector*. De Pergamo *Atto Ficiane Rector*. C De Vicentia *Oprandus Rector*. De Novaria *Robertus Vicedominus Rector*. De Mutina *Arlottus Rector*.

Quum verò Placentiæ inter Legatos de multis conditionibus ad pacem ſtabiliendam pertinentibus conveniſſet, & utraque pars ad concordiam ſinceris animis anhelare jam videretur, ad Fridericum Auguſtum Conſtantiæ agentem cuncti ſe contulere: atque ibi ceteris, quæ adhuc dubia reſtabant, diſcuſſis, omnes tamdem in ſententiam pacis coiverunt. Illic ne, an Placentiæ Acta prævia, quæ nunc ſubjicio, fuerint ſcripta, decernere non auſim. Hæc autem ex pervetuſto Regeſto MSto Reipublicæ Mutinenſis deſcripſi.

Pacta pacis ſtabiliendæ inter Fridericum I. Auguſtum & Langobardos, eorumque Socios, ex utraque parte oblata, Anno 1183.

Qualiter peticio Domini Imperatoris fuit facta a Rectoribus Lombardiæ.

IN Chriſti nomine. Super queſtione Regalium ſic reſpondemus. Factâ vobis Civitatibus Societatis & perſonis conceſſione Regalium & conſuetudinum veſtrarum in perpetuum tam in Civitate quàm extra Civitatem, videlicet, ut in ipſa Civitate & ſuburbiis ſeu cohærentibus edificiis, veluti in Caſtro Veronæ, & Brixiæ, omnia in integrum habeatis, ſicut hactenus habuiſtis vel habetis per commune & diviſum, ceu tenetis; & ſi quid in ea amplius, ad Imperium pertinet. Extra verò omnes conſuetudines ſine contradictione Domini Imperatoris F. *& ſucceſſorum ejus exerceatis, quas quidem quondam exercuiſtis, vel modò exercetis, ſcilicet in Fodro, in Exercitu, in Munitionibus Civitatum, & in Juriſdictione plena, in Paſcuis, Molendinis, in Aquis, aquarum Uſibus, in Pontibus, Toloneis, & Communanciis, & in ceteris, que ad commoditatem Civitatum & perſonarum Societatis ſpectant: ita ut unaquæque Civitas predicta habeat in ſuo Epiſcopatu & Comitatu ſeu Diſtrictu, niſi conſuetudo, aut pacti tenor reſtiterit. Et ita ut ex preſenti conceſſione Imperiali nullum prejudicium juri aut conſuetudini alicujus Civitatis, nec aliquod jus acquiratur ſuper his, de quibus diſcordia eſt. Volumus, ut alia Regalia in hunc modum cognoſcantur. Homines tam de Civitate quàm de Epiſcopatu eligantur viri bone opinionis, & qui ad hoc idonei eſſe credantur, tales qui nec contra Civitatem nec contra Imperatorem privato vel ſpeciali odio teneantur. Qui jurent bonâ fide, & ſine fraude perquirant, & inquiſita conſignabunt ea, que ſpecialiter ad Imperatorem ſpectant: & quod concorditer dixerint, obtineat. Si autem huic inquiſitioni ſuperſedendum eſſe putaveritis, cenſum duarum mille Marcharum per ſingulos annos petimus, ita tamen quod competenti moderamine moderetur etiam quantitas iſta, ſi enormis viſa fuerit. Si quis autem ſuper his, quæ vobis conceſſa ſunt, vel promiſſa, ſive in Civitate ſive extra Civitatem querimoniam apud Imperatorem vel ejus Nuntium depoſuerit, ejus querimoniam Dominus Imperator non admittet, nec ejus Nuntius, ſed ſilentium eis imponet. Hoc, quod Dominus Imperator, vel ejus Anteceſſor Rex, vel Imperator, vel alius, qui pro eo tenebat, Epiſcopis, Clericis, vel aliis quibuſcumque perſonis Clericis vel Laicis ante tempus guerre dedit, vel quolibet conceſſionis titulo conceſſit, firmum & ratum Dominus Imperator habeat, nec poſſeſſionem de predictis inquietabit, ſalvis ſuperioribus conceſſionibus & promiſſionibus Civitatibus factis in integrum, & pro eo ſolita ſervicia exhibeantur, ſed Cenſus non preſtetur, ſentenciis, tranſactionibus, refutationibus, privilegiis in dampnum alicujus Eccleſiæ, vel Civitatis, perſone, Societatis, datis vel factis, caſſatis. Regalia & commoditates, quas pro bono pacis Civitatibus vel perſonis Societatis*

A *perius conceſſimus ſeu promiſimus in Civitate vel extra, liberas ab omni preſtatione Cenſus eſſe ſtatuimus. Privilegia omnia, & data, & conceſſiones, que in prejudicium Eccleſiarum vel Civitatum vel locorum vel perſonarum Societatis occaſione guerræ vel diſcordiæ Eccleſiæ, vel in injuriam alicujus predictarum a Domino Imperatore vel Nuntiis ejus indulta ſunt, caſſentur, & in irritum deducantur. In Civitate illa, in qua Epiſcopus Apoſtolicus habet Comitatum, Cives illius Civitatis non teneantur ab Imperatore Conſulatum recipere. In Civitate verò, in qua Epiſcopus per Privilegium Imperatoris Comitatum habet, ſi Conſules per ipſum Epiſcopum auctoritatem Conſulatus recipere ſo-*
B *lent vel volent, ab ipſo recipiant, ſicut recipere conſueverunt. Alioquin ab Imperatore vel Nuntio ejus gratis in Lombardia recipiant vel requirant. Ita quod Inveſtitura uni Conſuli vel pluribus facta omnium nomine vel requiſita ſine fraude, ſufficiat: nec cogatur ipſe vel ejus Succeſſor, denuo ab eo Inveſtituram recipere vel requirere, donec Imperator idem vixerit. Cum autem Imperator defunctus fuerit, vel Regnum filio ſuo conceſſerit, ſimili modo in Lombardia a filio ejus, vel Succeſſore Inveſtituram recipiant vel requirant. In Cauſis Appellationum ſi quantitas Centum Librarum Imperialium exceſſerit, appellatio ad Imperatorem licite fiat: ita tamen quod non cogantur in Alamanniam ire; ſed Im-*
C *perator habeat proprium Nuntium in Civitate vel Epiſcopatu, conſilio Conſulum Civitatis electum, qui de ipſa appellatione infra Civitatem illam vel Epiſcopatum cognoſcat & diffiniat. Conſules, qui in Civitatibus conſtituuntur, tales ſint, qui fidelitatem fecerint Domino Imperatori, vel faciant ſicut Cives in ipſa Civitate, antequam Conſulatum recipiant. Vaſſalli Imperatoris ab eo Inveſtituram recipiant & fidelitatem faciant ſicut Vaſſalli. Cives verò ſecundùm conſuetudinem obtinentem ante Regnum Domini Federici. Vaſſalli tam Clerici quàm Laici, qui Inveſtituram tempore guerræ non poſtulaverunt, vel debita ſervicia Imperatori non exhibuerunt, vel occaſione Societatis eum offenderunt, hac oc-*
D *caſione Feudum non amittant, nec propterea in jus vocentur.*

Libellarie & Precarie in ſuo ſtatu permaneant ſecundùm conſuetudinem uniuſcujuſque Civitatis, non obſtante Domini Federici Imperatoris ..... niſi in ea Civitate, que ſponte eam ſervare voluerit. Dampna omnia & injurias, quas Dominus Imperator per ſe vel per ſuos ab Univerſitate Societatis vel ab aliquo de Societate vel coadjutoribus Societatis ſuſtinuit, gratis remittet, & remitti faciet a ſuis, qui dampna ſunt paſſi, & plenitudinem gratie ſue eis dabit. Moram ſuperfluam in Civitate vel Epiſcopatu pro dampno Civitatis non faciet. Civitates munire, & extra munitiones facere alicui de Societate, qui non ſit

in

in Comitatu vel Epiſcopatu vel diſtrictu alicujus Civitatis vel de Societate ; Caſtrum vel Civitatem , vel ullam munitionem facere vel reficere liceat abſque conſilio & voluntate ipſius Civitatis. Item Societatem , quam nunc habent, tenere , & quociens voluerint , renovare eis liceat . Pactiones timore Imperatoris vel per impreſſionem Nuntiorum ejus extorte in irritum deducantur . Pacta Placentinorum & Epiſcopi Paduani & Veronenſium & Vicentinorum *Civium : & ſi que ſunt ſimiles , & ſi quid ex his pactionibus debetur , remittatur . Sententie quoque , que de jure ſecundùm leges contra aliquem , vel aliquos de Societate late ſunt , teneant; ſi tamen contra eos tenerent , ſi gratiam Imperatoris haberent. Que vero contra aliquem de Societate vel aliquos late ſunt occaſione guerre vel diſcordie Eccleſie vel Societatis , in irritum deducantur . Poſſeſſiones quas quiſque de Societate a tempore Regni ejus tenebat , ſeu tenuit , ſi ablate ſunt ab his , qui non ſunt de Societate , reſtituantur ; vel ſi eas recuperaverit , quiete poſſideat , niſi per electos arbitros ad cognitionem Regalium Imperii aſſignentur , ſalvis ſuperioribus conceſſionibus ſeu permiſſionibus .* Alexandria , *Dei gratiâ , miſericordiâ Imperialis benevolentie , Civitas remaneat , & ſtatum Civitatis obtineat , & omni privilegio Civitatum Societatis gaudeat intra & extra , & earum conſuetudinibus libere utatur . Amplius eam juriſdictionem , quam Mediolanenſes exercere conſueverunt in Comitatibus Seprii & Marciane & Burgarie & in aliis Comitatibus modò exercent , libere & quiete habeant & poſſideant ſine contradictione Domini Imperatoris Federici & ſucceſſorum ejus : ſalvis pactis, datis & conceſſionibus , & in ſuo robore durantibus , que Mediolanenſes per commune fecerunt Civitatibus* Pergami , Novarie , Laude , *nec propter hanc conceſſionem ledendis .* Opizoni Marchioni *omnem offenſam , quam cum Societate vel per ſe vel per aliquam aliam perſonam contraxit , Imperiali clementia remittet , & in plenitudinem gratie ſue eam recipiet . Nec per ſe , nec per interpoſitam perſonam pro preteritis offenſis ſibi vel parti ipſius aliquam inferet* A *leſionem , nec ad rationem faciendam eam compellet ; & poſſeſſiones , quas habet in Tertona & Epiſcopatu , ei reſtituantur . Omnes de Societate , qui fidelitatem Domino Imperatori jurabunt , in ſacramento fidelitatis adjicient, quod poſſeſſiones & jura , que Dominus Imperator in Lombardia habet & poſſidet extra Societatem , jurabunt , eum bona fide manutenere , ſi opus fuerit . Et ſuper hoc , ſi per Imperatorem vel ejus Nuntium requiſiti fuerint ; & ſi amiſerit , recuperare, ita videlicet quod finitime Civitates obnoxie ſint principaliter ad hoc faciendum ; & ſi opus fuerit , alie teneantur ad competens auxilium preſtandum . Civitates Societatis , que ſunt extra Lonbardiam in ſuo confinio , ſimiliter* B *teneantur facere . Si qua Civitatum ea, que in conventione pacis ex parte Imperatoris ſtatuta ſunt , omnino non obſervaverit , cetere Civitates ad id obſervandum bonâ fide compellent . Imperatori intranti in Lombardiam causâ ſuſcipiende Corone fodrum conſuetum, & Regale , qui ſolent & debent , parabunt . Vias & pontes bona fide & ſine fraude & ſufficienter reficient in eundo & redeundo. Mercatum ſufficiens ſibi & ſuis eunti & redeunti bonâ fide & ſine omni fraude parabunt . Si qui ex parte Imperatoris de poſſeſſionibus ſuis expulſi ſunt , reſtituantur ſine fructibus & damno dato, & offenſe remittantur : ſalvis prioribus omnibus conceſſionibus ſeu permiſſionibus , & ſalvâ compoſi-* C *tione, de qua actum fuit inter Papienſes & parentes Egidii de Prando pro morte ejus , niſi poſſeſſor munitus fuerit privilegio , vel inveſtiturâ Imperatoris vel Regis , ſeu alio jure , & niſi Civitas teneatur juramento , ut non reſtituat . Quo caſu arbitrio boni viri volumus pro reſtitutione ſuccedere , pactis inter Civitates factis , preſertim ante Imperium Domini Imperatoris , in ſuo robore durantibus , veluti quod factum fuit inter* Bononienſes *&* Faëntinos *&* Imolenſes. *Si quando controverſia de Feudo orta fuerit inter Dominum Imperatorem & alium qui ſit de Societate , per pares illius Civitatis & Epiſcopatus , in qua diſcordia agitur , ſecundùm conſuetudinem Lombardie in eodem Epiſcopatu & Civitate terminetur .*

Concordia pactorum inter Fridericum I. Auguſtum & Langobardos, eorumque ſocios ad ſtabiliendam utrinque Pacem, Anno 1183.

De exemplo Laudi inter Dominum Imperatorem & Lombardos.

A *IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Amen. Nos ſumus in concordia, quod Civitates & perſone, que ſunt in Societate Lombardie, & eſſe intelligimus, ſine fraude talem Pacem & concordiam habeant cum* Domino Imperatore Federico, *recuperatâ ejus gratiâ: ſcilicet ut Imperator habeat omnia illa, que ſui Anteceſſores habuerunt a predictis Civitatibus & perſonis, vel ſuis Anteceſſoribus, ſine manifeſto metu & violentia a tempore poſtremi* Henrici Imperatoris: *videlicet Fodrum Regale & conſuetum, ſive conſuetam Paratam, & conſuetum Tranſitum, & ſufficiens Mercatum. Et debet tranſire pacifice, ita quod in Epiſcopatu vel Comitatu aliquo fraudulentam moram non faciet.* B *Vaſſalli quoque fidelitatem Imperatori, & filio ejus* Henrico Regi *faciant, & expeditionem, & faciant ſecundùm quod ſoliti ſunt, & eſt antiqua conſuetudo, remiſsâ omni offenſione. A Civibus quoque ſecundùm mores Civitatum fidelitatem ſuſcipiat ipſe & filius ejus, remiſsâ omni offenſione. A Civibus quoque ſecundùm mores Civitatum fidelitatem ſuſcipiat ipſe & filius ejus, remiſsâ omni offenſione; & ſimiliter remiſsâ omni offenſione Civitatibus & Locis & perſonis, que ſunt vel fuerunt ex parte Imperatoris. Regalia verò, que per eum vel Anteceſſores ejus tam Clericis quàm Laicis fuerunt detenta, & per ipſum ſeu Anteceſſores ejus inveſtita, quietè dimittat, nec de cetero impediat. Cetera verò Regalia conſueta, que fuerunt detenta ab Anteceſſoribus ejus, ſine manifeſto metu & violentia a tempore poſtremi Regis Henrici, habeat & teneat.* C *Sin autem de prediĉtis rebus vel aliis quibuſcumque orta fuerit contentio inter Imperatorem & Civitates & Loca & perſonas, eligantur ſex boni viri & idonei, tres ex parte Imperatoris, & tres ex parte Civitatum vel Civitatis vel Locorum vel perſone, cum quo vel cum qua Civitate Imperator contentionem habuerit: qui ſex jurejurando preſtito cauſam illam examinent, & in veritatem, prout melius poterint, inquirant; & illam cauſam bonâ fide & ſine fraude diffiniant: & quod dixerint, ab utraque parte teneatur & firmetur.* D *Et nominatim liceat prediĉtis Civitatibus & perſonis ſingulis habere Conſulatum vel Poteſtatem more ſolito; ſub quo homines ejus Civitatis & ejus Epiſcopatus & diſtricti ſe conveniant & diſtringant ad juſtitiam faciendam & punienda delicta, ſecundùm quod a Civitatibus ſtatutum eſt vel fuerit: ita quod prediĉte Civitates & perſone ab Imperatore, qui pro tempore eſt vel erit, vel ab ejus Miſſo in Lombardia, pro ipſo Conſulatu vel Poteſtate ſemel Inveſtituram accipiant pro Communi Civitatis. Et liceat prediĉtis Civitatibus & perſonis vel Rectoribus earum colligere Fodrum, & facere Coltam, & omnia alia, ſicut conſueverunt ſine prohibitione Imperatoris vel ejus Miſſi, ſalvo Domino Imperatori jus Appellationum & ordine. in ſententiis.*

Conſuetudines quoque & commoditates, quas Civitates & homines de Societate habere conſueverunt in paſcuis, piſcationibus, molendinis, furnis, tabulis Cambiatorum & Negociatorum, macellis, domibus, quas habent edificatas in viis publicis, & ceteras conſuetudines antiquas eiſdem Civitatibus & omnibus de Societate quietè habere & tenere permittat.

Præterea Dominus Imperator nullam exactionem pecuniariam habeat in Civitatibus Societatis vel ſuburbiis Civitatum vel in Civibus. Item Dominus Imperator remittat & remitti faciat omnes offenſas & maleficia, que aliqua prediĉtarum Civitatum, vel aliquis Locus, vel Marchio, vel Comes, vel aliqua perſona hujus Societatis quocumque tempore, quacumque occaſione ei vel Imperio vel alicui ſue partis fecerit. Et liceat prediĉtis Civitatibus, Locis, & perſonis munitiones Civitatum & Caſtrorum, & eadem Caſtella habere & tenere & meliora facere & nova edificare & reficere, ſalvis conventionibus & concordiis Cremone & aliarum Civitatum & perſonarum & locorum, inter ſe factis, & nominatim ſalvis conventionibus & pactis de Crema non reſtauranda; & de municionibus & Caſtris inter Oleum & Aduam non faciendis, ſicuti continetur ſine fraude in Privilegiis & Cartis Cremonenſium, & a Civitatibus & ab Imperatore ſibi factis. Item ſententiæ uſque modo a Conſulibus Civitatum ſeu locorum ſive a prediĉtis perſonis vel Rectoribus latæ, nec Appellatione vel aliâ legitimâ contradictione ſuſpenſæ, vel ſi ſuper cauſam Appellationis vel contradictionis latæ fuerint, firmæ permaneant; & ut de criminibus jam commiſſis criminalis accuſatio non fiat. Item Dominus Imperator reſtituat omnes poſſeſſiones & omnia jura Civitatibus & Locis & omnibus perſonis, que ſunt de Societate, que habuerunt & tenuerunt, ſi per Imperatorem vel ejus Nuntium, vel per interpoſitam perſonam occaſione ſui banni vel ſue malivolentie, vel aliter malo ordine amiſerunt. Similiter Civitates & Loca & perſone Societatis reſtituant omnes poſſeſſiones & jura Imperatori vel alicui Civitati vel hominibus ſue partis ablatas prediĉto modo, caſſatis omnibus privilegiis & datis & cartis & inveſtituris in aliquam Civitatem vel Locum ſeu perſonam de his collatis: ſalvis datis & privilegiis & cartis Communis Cremone de Crema factis: & caſſatis omnibus conventionibus & datis & cartis, que aliqua ſupraſcriptarum Civitatum vel perſonarum, ſeu aliquis Locus cum eodem Imperatore vel ejus Nuntio fecit, niſi Civitas illa vel Locus ſeu perſona conventionem vel datum ſive Cartulam ſponte ſervare voluerit. Denique prediĉte Civitates & Loca & perſone debent habere plenam & idoneam ſecuritatem & ſufficientem ſuper his omnibus obſervandis tam ab ipſo Imperatore quàm ab omnibus Principibus, qui ſecum ſunt in exercitu. Et

debet

debet licere Civitatibus & aliis hominibus Societatis ſine prohibitione Domini Imperatoris eamdem Societatem firmam tenere & juramenta, quandocumque voluerint, facere inter ſe & renovare. Et ſi quando Imperator vel ejus ſucceſſor contra hanc concordiam venerit, liceat Civitatibus & perſonis hujus Societatis ſe viciſſim, non obſtante ſacramento aliquo, adjuvare & defendere. Et e contrario ſi Civitas aliqua vel Locus vel perſona Societatis voluerit infringere hanc concordiam Domino Imperatori, poſſint alie Civitates vel Loca vel perſone adjuvare Imperatorem & debeant, non impediente ſacra- A *mento Societatis. Captivi quoque ab utraque parte abſolvantur & reddantur. Semper in unitate Eccleſie permanere liceat: nec cogat Dominus Imperator predictas Civitates vel Loca vel perſonas Societatis, Cleros vel Laicos aliqua ratione de his, que ſpectant ad obedientiam vel obſervationem Eccleſie vel Apoſtolici, nec eâ occaſione debeat eis offendere in rebus vel in perſonis. Item Dominus Imperator permittat habitatores Alexandrie redire ad ſua loca propria cum perſonis & rebus cum pleniſſima ſecuritate, & habitent & morentur, ſicuti ſui Anteceſſores fecerunt.*

Qualiter Dominus Imperator Fredericus, & ejus filius Henricus proferebant concedere Lombardis Regalia & conſuetudines, Anno 1183.

IN *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Dominus Imperator Fredericus, *& filius ejus Henricus, concedent vobis Civitatibus, Locis, & perſonis Societatis Regalia & Conſuetudines veſtras tam in Civitate quàm extra Civitatem in perpetuum, videlicet, ut in ipſa Civitate omnia in integrum habeatis, ſicut hactenus habuiſtis vel habetis. Extra verò omnes ſine contradictione exerceatis Conſuetudines, quas ab antiquo exercuiſtis vel exercetis, ſcilicet in Fodro, & nemoribus, & paſcuis, & pontibus, aquis, & molendinis, ſicut ab antiquo habere conſueviſtis vel habetis in exercitu, in municionibus Civitatum, in juriſdictione, tam criminalibus quàm in pecuniariis intus & extra, & in ceteris, quæ ad commoditatem ſpectant Civitatum. Volumus, ut Regalia, quæ vobis conceſſa non ſunt, in hunc modum cognoſcantur. Epiſcopi loci & homines tam de Civitate quàm de Epiſcopatu eligantur viri bonæ opinionis, & qui ad hoc idonei eſſe credantur, tales, qui nec contra Civitatem nec contra Imperatorem privato vel ſpeciali odio teneantur, qui jurent, quod bona fide & ſine fraude perquirent & inquiſita conſignabunt ea, quæ ſpecialiter ad Imperatorem ſpectant. Si autem huic inquiſitioni ſuperſedendum eſſe putaveritis, cenſum duarum millium Marcharum per ſingulos annos petimus. Si quis autem ſuper his, quæ vobis conceſſa ſunt vel permiſſa, ſive in Civitate ſive extra Civitatem ſpectant, querimoniam apud Imperatorem depoſuerit, ejus querimoniam Dominus Imperator non admittet, & ſilentium ei imponet. Hoc, quod Dominus Imperator vel ejus anteceſſor Rex vel Imperator, Epiſcopis, Eccleſiaſticis, Civitatibus, vel aliis quibuſcumque perſonis Clericis vel Laicis ante tempus guerræ dedit, vel quolibet conceſſionis titulo conceſſit, firmum & ratum Dominus Imperator habeat, ſalvis ſuperioribus conceſſionibus. Et pro eo ei ſolita ſervicia exhibeantur, ſi Cenſus non præſtetur. Commoditates, quas pro bono pacis Civitatibus conceſſimus in Civitate vel extra, illorum Regalium nomine non intelligimus, pro quibus Cenſus debeat præſtari. Privilegia omnia & data & conceſſiones, quæ in præjudicium vel damnum Civitatum vel Locorum vel perſonarum Societatis, occaſione guerræ vel injuriâ alicujus predictorum a Domino Imperatore vel a Nuntiis ejus indulta ſunt, caſſantur, & in irritum deducuntur. In Civitate illa, in qua Epiſcopus per Privilegium Impera-* B *toris vel Regis Comitatum habet, ſi Conſules per ipſum Epiſcopum auctoritatem Conſulatus recipere ſolent, ab ipſo recipiant, ſicut recipere conſueverunt. Alioquin unaquæque Civitas a Domino Imperatore Conſulatum recipiat. Conſequenter prout in ſingulis Civitatibus Conſules conſtituentur, a Nuntio ipſius, qui ſit in Civitate vel Epiſcopatu, inveſtituram recipient. Et hoc uſque ad quinquennium. Finito quinquennio unaquæque Civitas mittat Nuntium ad Dominum Imperatorem pro recipienda Inveſtitura. Et ſic in poſterum videlicet, ut finitis ſingulis quinquenniis ab ipſo recipiant infra quinquennia, & a Nuntio ejus, ſicut dictum eſt, niſi Imperator in Lombardia fuerit: tunc* C *enim ab ipſo recipiant. Eadem obſerventur in Succeſſore ipſius. Et omnes Inveſtituræ gratis fiant. Cum autem Imperator defunctus fuerit, vel Regnum filio conceſſerit, ſimili modo a filio vel ejus ſucceſſore inveſtituram recipient. In cauſis Appellationum, ſi quantitas viginti quinque Librarum Imperialium exceſſerit, Appellatio ad ipſum licitè fiat, ſalvo jure & moribus Brixienſis Eccleſiæ in Appellationibus, ita tamen, quod non cogantur in Alamanniam ire. Si Imperator habeat proprium Nuntium in Civitate vel Epiſcopatu, quod de ipſa Appellatione cognoſcat & juret, quod bonâ fide cauſas examinabit & diffiniet ſecundùm leges & mores illius Civitatis infra duos Menſes a conte-* D *ſtatione litis, vel a tempore appellationis receptæ, niſi juſto impedimento vel conſenſu utriuſque partis remanſerit. Conſules, qui in Civitatibus conſtituuntur, tales ſint, qui fidelitatem fecerint Imperatori, vel faciant, antequam Conſulatum recipiant. Vaſſalli, qui tempore guerræ vel treuguæ non poſtulaverint inveſtituram, vel debita ſervitia non exhibuerint Imperatori, hac occaſione Feudum non amittant. Libellariæ & Precariæ in ſuo ſtatu permaneant ſecundùm conſuetudinem uniuſcujuſque Civitatis, non obſtante Lege Domini Imperatoris Frederici. Vaſſalli Imperatoris ab eo Inveſtituram recipiant, & fidelitatem faciant, ſicut Vaſſalli. Ceteri omnes, ſicut Cives, a ſexdecim annis uſ-* E *que ad ſeptuaginta, niſi ſint tales perſonæ, quibus debeat & poſſit ſacramentum remitti. Damna omnia, & ablata, & injurias, quas Dominus Imperator per ſe vel per ſuos ab univerſitate Societatis, vel ab aliquo de Societate, vel ab aliquo de adjutoribus Societatis ſuſtinuit, per ſe vel per ſuam partem gratis remittet & pleni-*

plenitudinem gratiæ ſuæ eis dabit. Moram ſuperfluam in Civitate vel Epiſcopatu pro damno Civitatis non faciet. Civitates munire, & extra munitiones facere eis liceat. Item Societatem, quam nunc habent, tenere, & quoties voluerint, renovare eis liceat.

Pactiones timore Imperatoris, vel impreſſione Nuntiorum ejus factæ, pro infectis habeantur, nec pro eis aliquod exigatur, puta Placentinorum, ſcilicet pactum Pontis Padi, & fictum ejusdem Pontis & Regalium, & datum & pactum, quod Epiſcopus Ugo *fecit de Caſtro Arcuato, & ſi qua alia facta ſunt ſimilia ab ipſo Epiſcopo, vel a Communi, vel a ſuis de Societate cum Domino Imperatore vel ejus Nuntio, ipſo Ponte remanente cum omnibus ſuis utilitatibus Placentinis: ita tamen quod teneantur ſemper ſolvere fictum Abbatiſſæ Sanctæ Juliæ de Brixia. Et ſi quæ ſunt ſimiles. Sententiæ quoque, quæ jure & ſecundùm leges & conſuetudines contra aliquem vei aliquos de Societate latæ ſunt, teneant, ſi tamen de jure contra eos tenerent, ſi gratiam Imperatoris haberent. Quæ verò contra aliquem vel aliquos de Societate latæ ſunt, occaſione diſcordiæ Eccleſiæ, in irritum deducantur. Poſſeſſiones, quas quiſque de Societate ante tempus guerræ juſte tenebat, ſi per vim ablatæ ſunt ab his, qui non ſunt de Societate, ſine fructibus & damno reſtituantur: vel ſi eas recuperaverint, quietè poſſideant, niſi per electos Arbitros ad cognitionem Regalium Imperatoris aſſignentur.* Obizoni Marchioni *omnem offenſam, quam Domino Imperatori vel alicui ſuæ partis fecit, poſtquam in Societate fuit, ipſo, vel per aliquam perſonam cum Societate, vel defendendo aliquem de Societate, Imperiali clementia, & per ſuam partem remittet, & in plenitudinem gratiæ ſue eum recipiet, nec per ſe nec per interpoſitam perſonam pro præteritis offenſis ſibi vel parti ipſius, aliquam inferat læſionem vel occaſionem. Amplius eam jurisdictionem, quam Mediolanenſes exercere conſuevere in Comitatibus Seprii & Martianæ & Bulgariæ, & in aliis Comitatibus, exceptis Locis, quæ Pergamenſes per Commune modò tenent inter Adduam & Oleum, & excepto Rumano Veteri & Bariano, & eam, quam modò exercent, libere & quietè habeant & poſſideant, & ſine contradictione Domini Imperatoris Friderici, & ſucceſſorum ejus. Salvis pactis & datis & conceſſionibus, & in ſuo robore durantibus, quæ Mediolanenſes per Commune fecerunt Civitatibus Pergami, Novariæ,* Laudæ, *nec propter hanc conceſſionem lædendis. Nec ullum præjudicium fiat juri aut conſuetudini alicujus Civitatis Societatis, nec aliquod jus acquiratur in detrimentum alicujus Civitatis propter prædictas conceſſiones. Et propter prædictas conceſſiones pacta inter Civitates Societatis quædam facta, nihilominus firma & rata permaneant; nec aliquid intelligatur acquiſitum Mediolanenſibus in Epiſcopatu Laude propter prædictas conceſſiones. Salvo jure Mediolanenſibus aquæ Lambri & in pedagio, ſi quod habent. Omnes de Societate, qui fidelitatem Domino Imperatori jurabunt, in ſacramento fidelitatis adjicient, quod poſſeſſiones & jura, quas Dominus Imperator in Lombardia habet & poſſidet, extra Societatem jurabunt ea bonâ fide manutenere, ſi opus fuerit, & ſuper hoc per Imperatorem vel ejus certum Nuntium requiſiti fuerint, & ſi amiſerit, recuperare: ita videlicet quod finitimæ Civitates obnoxiæ ſint principaliter ad hoc faciendum, & ſi opus fuerit, aliæ teneantur ad competens auxilium præſtandum. Civitates de Societate, quæ ſunt extra Lombardiam, in ſuo confinio ſimiliter teneantur facere. Si qua verò Civitatum, quæ in conventione Pacis ex parte Imperatoris ſtatuta ſunt, non obſervaverit, ceteræ Civitates ad id obſervandum bonâ fide compellent, Pace nihilominus in ſuo robore permanente. Imperatori intranti in Lombardiam Fodrum conſuetum & regale, quod ſolent & debent, & quando ſolent & debent, præſtabunt; & Vias & Pontes bonâ fide & ſine fraude ſufficienter reficient in eundo & redeundo. Mercatum ſufficiens ſibi & ſuis eunti & redeunti bona fide & ſine fraude præſtabunt. In omni decimo anno fidelitates renovabunt in his, qui Domino Imperatori eas non fecerint, cum ipſe petierit per ſe vel per ſuum Nuntium. Si qui ex parte Imperatoris de poſſeſſionibus ſuis juſtis expulſi ſunt, reſtituantur ſine fructibus & damno, niſi in cauſa principali ſuæ proprietatis jure poſſit ſe tueri poſſeſſor. Salvis prioribus conceſſionibus; & omnes offenſæ eis remittantur. Eodem jure ſervando his, qui ſunt ex parte Imperatoris circa reſtitutionem, niſi Civitas teneatur juramento, ut non reſtituat, quo caſu arbitrium boni viri volumus pro reſtitutione ſuccedere. Et ſi qua controverſia de Feudo orta fuerit inter Dominum Imperatorem & alium, qui ſit de Societate, per pares illius Civitatis vel Epiſcopatus, in quo diſcordia agitur, ſecundùm conſuetudinem illius Civitatis in eodem Epiſcopatu terminetur, niſi Dominus Imperator in Lombardia fuerit: tunc enim apud ipſum, ſi ſibi placuerit, cauſa agitabitur. Item volentibus venire contra pacta non per violentiam facta, & juramenta firmata inter Civitatem & Civitatem Societatis, vel Civitatem Societatis & alias p . . . . . Dominus Imperator audientiam negabit,*

Item Dominus Imperator reſtituet Stratam Veronenſibus, & nominatim recipiet Dominum Icilinum *in plenitudinem gratie ſue, & omnem offenſam ei remittet. In cauſis, que terminate ſunt ante tempus pacis, Dominus Imperator appellationes ad ſe factas non recipiet. Ecce nomina Principum & Militum, qui jurare debent. Archiepiſcopus de Maganza: Archiepiſcopus de Colonia: Archiepiſcopus de Salſeburgo: Epiſcopus de Panbergis: Epiſcopus de Guarmaſia: Epiſcopus de Straſeburgo: Epiſcopus de Baſelea: Epiſcopus de Spira: Epiſcopus de Renesburgo; & Cancellarius Imperatoris: Abbas de Volt: Dominus Imperator F. & Rex Henricus ejus filius, & alius ejus filius, qui eſt Dux de Saxonia: Bernardus Dux: & Dux Guelphus: & Dux de Zarengo: & Dux de Bajoëria: & Dux de Auſtorico: & Dux de Stira: & Dux de Boëmia: Dux de Carantana: & Marchiones de Saxonia, ſcilicet Marchio Tiris, & frater ejus Comes Dede; & Landegrandi, qui ſunt Imperatoris Nepotes: & frater Imperatoris Comes Henricus de Decio: & Comes de Savolia: Comes Palatinus de Doënga: Guarnerius de Balenda: Cona de Miciborgo: Enricus Mareſcalcus: Conradus de Scainke: Rodulfus Camerlengus: Albertus de Grognengo: Albertus de Adelburgo; & omnes qui habent aminiſtrationem ab Imperatore in Lonbardia & Marchia & Romania, infra menſem ex quo ceperit aminiſtrare. Hec ſunt nomina Civitatum, que debent jurare ex parte Imperatoris, ſcilicet* Cremona, Pavia, Aſte, *&* Terdona. *Nomina Civitatum & Locorum & perſona-*

A *ſonarum Societatis, cum quibus Dominus Imperator facit concordiam, & que debent jurare ex parte Societatis, hę ſunt* Vercelle, Novaria, Mediolanum, Laude, Pergamum, Brixia, Mantua, Verona, Vicentia, Padua, Tarviſium, Ferraria, Bononia, Inmola, Faëntia, Caſtrum Sancti Caſſiani, Mutina, Regium, Parma, Placentia *cum* Bobio, Plebs de Grabadona, Marchio Opizo. *Dominus Fredericus Dei gratia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, & filius ejus Rex Henricus jurare debet per ſe, aut per aliam perſonam, cui nominatim parabolam dabit, ut juret in anima ſua, quod ipſe Dominus Imperator bonâ fide & ſine fraude ſervabit concordiam Pacis ſcriptam per* Dominum Guilielmum Aſtenſem B Epiſcopum, & Marchionem Henricum, *qui dicitur* Guercius, *& Fratrem Tedericum & Rodulfum Camerlengum; qui mandatum Pacis habuerunt ab Imperatore. Et ex altera parte Nuntios Civitatum & Locorum & perſonarum Societatis, & quod bonâ fide & ſine fraude faciet jurare prædictos Principes tam Clericos quàm Laicos, & Milites & Conſules & Poteſtates predictarum Civitatum, quod ipſi facient omnes homines ſue Credentie, & unum hominem in publica concione in anima Populi jurare pro ſua Civitate, quod bonâ fide ſervabunt Pacem & concordiam quantum ad eos pertinebit, Civitatibus, Locis & perſonis Societatis, ſicut con-* C *tinetur in ſcriptis factis in Epiſcopum Aſtenſem & Marchionem Henricum, & Fratrem Tedericum, & Rodulfum Camerlengum; & ex altera parte Rectores & Conſules Civitatum Societatis. Dominus Imperator jurabit, & duo predicti filii ejus & Principes, qui preſentes erunt in colloquio, quod ſtatutum eſt per predictos Nuntios Imperatoris uſque ad Octavam Pentecoſten proximam. Et ſic alii Principes & Milites ſupra nominati, qui abſentes erunt, uſque ad Kalendas Septembris proximas jurabunt, & Conſules predictarum Civitatum infra tres menſes jurabunt, & facient jurare, ſicut ſuperius dictum eſt; ex quo requiſitum fuerit a Nunciis Civitatum Societatis poſt reditum, niſi remanſerit juſto im-* D *pedimento, aut per parabolam parcium, quouſque data fuerit. Alioquin ponet in bannum illam Civitatem, que noluerit predictum juramentum facere infra duos menſes, poſtquam inde ex parte Societatis requiſitus fuerit. Nec extrahet eam de banno, niſi compleverit hoc, pro quo in banno poſita fuerit. Rectores cum Conſulibus, qui ſunt hic, jurabunt, quod Pacem iſtam, ſicut in ſcripto continetur, bonâ fide & ſine fraude obſervabunt erga Dominum Imperatorem Fridericum & filium ejus Regem Henricum; & ea, que in Inſtrumento Pacis continentur, bonâ fide & ſine fraude adimpleri fa-*

cient. Inſuper quod Credentias, & ceteros Conſules, vel Poteſtates de ſingulis Civitatibus in eundem modum jurare facient. Item quod pecuniam, quam Domino Imperatori debent ſcilicet quindecim millia Librarum Imperialium, & mille Libras Imperiales, quas debent Aſtenſi Epiſcopo & Marchioni Henrico Guercio & Rodulfo Camerlengo, & Propoſito Sancti Antonini, bonâ fide conſtitutis terminis perſolvent Mediolani pro porcione ſibi a ſociis concorditer injuncta. Item convenit inter predictos Nuntios Domini Imperatoris, Rectores, & Conſules Societatis, quod ſi qua Civitas aut Locus Societatis non juraverit ad terminum, quo alie Civitates jurabunt, & in terminis ſtatutis de pecunia paranda non ſolverit, Dominus Imperator ponet eam vel eum in bannum infra duos menſes, ex quo requiſitus fuerit, neque extrahet eum de banuo, donec duplum ſolverit ejus, quod parare debuerit. Ceteri verò de porcione ejus non teneantur, ſed ad competens auxilium parandum ad id recuperandum teneantur. Hanc Pacem jurabunt Rectores & alii homines de Societate: ita ſi placuerit Civitatibus Ferrarie, Imole, Faventie, & Epiſcopatibus videlicet Feltre, Bellune, & Cenete: *ſalvis pactis & datis inter homines predictorum Epiſcopatuum & Civitatis Tarviſii, jurare ſimiliter a proximo die Mercurii uſque ad tres ſeptimanas; alioquin que videbuntur per fraudem Pacem recuſare, teneantur Rectores & alii, qui juraverunt, exinde preciſe.*

Rebus ita compoſitis, fauſta denique dies adfuit, qua poſtremo decreto Fridericus Imperator Pacem Langobardis Civitatibus earumque ſociis in Urbe Conſtantienſi dedit. Dies Septimus ante Kalendas Julias delectus tantæ celebritati fuit. Acta Pacis illius inter Cæſareas Leges, quibus Italia utitur, relata, ac ſæpe typis æneis conſignata, nota adeo ſunt, ut ab iis heic inferendis abſtinere potuiſſem, niſi edita omnia exemplaria deprehendiſſem multis ſcatere erroribus, & medicam plane manum expoſcere. Uſus ſum ergo ad ea germanæ lectioni reſtituenda non ſolùm vetuſtiſſimo Regeſto Communitatis Mutinenſis, ſed & altero non minoris antiquitatis, quod in Archivo ſuo adſervat Civitas Regienſis. Præſto etiam mihi fuit pervetuſtus Codex Romanus, ubi Acta eadem ſcripta reperi. Sed & doctus atque amicus vir Philippus Garbellius Brixianus, Abbas Pontis Vici, e Tabulario patriæ ſuæ, atque ex membranaceo vetuſto Apographo Monaſterii Brixiani Sanctæ Juliæ, exemplum eorumdem Actorum ad me humaniſſime miſit. Atque ex his plura emendavi. Quæ verò variantia erant, adjeci.

Acta Pacis Conſtantiæ inter Fridericum I. Imperatorem, & Henricum VI. Regem ejus filium ex una, & Langobardos, eorumque fœderatos ex altera parte, Anno 1183.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Fridericus (a) divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus, & (b) filius ejus Henricus Sextùs Romanorum Rex (c) Auguſtus. Imperialis clementiæ manſueta ſerenitas eam ſemper in ſubditis ſuis (d) diſpenſationem favoris & gratiæ habere conſuevit, ut quamvis diſtrictâ ſeveritate exceſſum delicta debeat & poſſit corrigere, (e) magis tamen ſtudeat propitiâ tranquillitate pacis, & piis affectibus miſericordiæ (f) Romanum Imperium regere, & rebellium inſolentiam ad debitam fidem & debitæ devotionis obſequium revocare. Ea propter cognoſcat univerſitas fidelium Imperii tam præſentis ætatis, quàm ſucceſſuræ poſteritatis, quod nos ſolitâ benignitatis noſtræ gratiâ ad fidem & devotionem Lombardorum, qui aliquando nos, & Imperium noſtrum (g) offenderunt, viſcera nobis innatæ pietatis aperientes, eos & Societatem & fautores eorum in plenitudinem gratiæ noſtræ (h) recepimus, offenſas omnes & culpas, quibus nos ad indignationem provocaverant, clementer eis remittentes, eoſque propter fidelia (i) devotionis ſuæ ſervitia, quæ nos ab eis credimus certiſſime recepturos, in numero dilectorum (k) noſtrorum fidelium computandos cenſemus. Pacem itaque noſtram, quam eis clementer indultam conceſſimus, præſenti paginâ juſſimus (l) ſubterſcribi, & auctoritatis noſtræ Sigillo communiri. Cujus hìc eſt tenor & ſeries.

I. Nos Romanorum Imperator Fridericus, & filius noſter Henricus (m) Romanorum Rex, concedimus vobis Civitatibus, Locis, & Perſonis Societatis, Regalia & Conſuetudines veſtras tam in Civitate, quàm extra Civitatem, videlicet Veronæ & Caſtro (*) ejus, & ſuburbiis, & altis Civitatibus, Locis, & Perſonis Societatis in perpetuum: videlicet ut in ipſa Civitate omnia habeatis; extra verò omnes Conſuetudines ſine contradictione (n) noſtra exerceatis, quas (o) ab antiquo exercuiſtis vel exercetis, ſcilicet in (p) Fodro, & nemoribus, & paſcuis, & pontibus, aquis, & molendinis, ſicut ab (q) antiquo habere conſueviſtis vel habetis, in exercitu, in munitionibus Civitatum, in juriſdictione tam in criminalibus cauſis, quàm in pecuniariis intus & extra, & in ceteris, quæ ad commoditatem ſpectant Civitatum. Volumus, ut Regalia, quæ (r) vobis conceſſa non ſunt, in hunc modum cognoſcantur. Epiſcopus Loci & Homines tam (ſ) de Epiſcopatu, quàm de Civitate eligantur, viri bonæ opinionis, & qui ad hoc idonei eſſe credantur; tales, qui nec contra Civitatem, nec contra noſtram Majeſtatem privato vel ſpeciali odio teneantur: qui jurent, quod bonâ fide & ſine fraude perquirent, & inquiſita conſignabunt ea, quæ ſpecialiter ad noſtram ſpectant Excellentiam. (t) Si autem huic inquiſitioni ſuperſedendum eſſe putaverint, Cenſum duorum millium Marcharum argenti per ſingulos annos petimus. Attamen competenti moderatione moderabimur etiam quantitatem iſtam, ſi enormis viſa fuerit.

II. Si quis autem ſuper his, quæ vobis conceſſimus vel permiſimus ſive in Civitate, ſive extra Civitatem querimoniam apud Majeſtatem noſtram depoſuerit, ejus querimoniam non admittemus, & ſilentium ei imponemus.

III. Hæc, quod nos, vel noſter anteceſſor Rex vel Imperator Epiſcopis, Eccleſiis (u), vel Civitatibus, vel aliis quibuſcunque perſonis Clericis vel Laicis ante tempus Guerræ dedit, vel quolibet (x) conceſſionis titulo conceſſit, firmum & ratum habemus, ſalvis ſuperioribus conceſſionibus; & pro eo ſolita (y) nobis ſervitia exhibeantur, ſed (z) Cenſus non præſtetur. Commoditates, quas pro bono pacis Civitatibus conceſſimus in Civitate vel extra, illorum nomine (a) non intelligimus, pro quibus Cenſus debeat præſtari.

IV. Privilegia omnia & data & conceſſiones (b) in præjudicium & damnum Civitatum vel Locorum, vel Perſonarum Societatis occaſione Guerræ in injuriam alicujus prædictorum a nobis, vel a Nunciis noſtris indulta, (c) caſſentur, & in irritum deducantur.

V. In Civitate illa, in qua Epiſcopus per Privilegium Imperatoris vel Regis, Comitatum habet, ſi Conſules (d) per ipſum Epiſcopum Conſulatum recipere ſolent, ab ipſo recipiant, ſicut recipere conſueverunt. Alioquin unaquæ-

que

(a) Codices Brixianus, & Romanus: *Fredericus.*
(b) Apographum membranaceum Sanctæ Juliæ Brixianæ, *& Henricus Sextus filius ejus.* Codex Brixianus: *Et Henricus Sextus filius, Romanorum &c.*
(c) Codex Romanus: *Romanorum Rex. Imperiali &c.*
(d) Codices Romanus & Brixianus: *in ſubditis diſpenſationem.*
(e) Codices iidem: *tamen magis.* In Codice Brixiano deſiderantur ea: *tamen magis* uſque ad *regere*
(f) Codex Romanus: *& Romanorum Imperium.*
(g) Apographum Sanctæ Juliæ: *offenderant.*
(h) Apographum idem: *recipimus.*
(i) Codex Brixianus & Regienſis: *devotæ ſinceritatis ſuæ.*
(k) Codex Brixianus. & Apographum Sanctæ Juliæ: *dilectorum Fidelium noſtrorum.*
(l) Codices Romanus & Brixianus: *ſubſcribi*
(m) Codex Romanus; *Henricus Rex Romanorum.*
(*) Cod. Brixianus: *& Caſtro & ſuburbiis.*
(n) Apographum Sanctæ Juliæ, & Cod. Romanus: *ſine contradictione exerceatis.*
(o) Idem Apographun: *quas ab antico.*
(p) Codex Brixianus: *in Frodro.*
(q) Apographum Sanctæ Juliæ: *ab antico.*
(r) Codices Romanus & Brixianus: *quæ vobis non conceſſimus.*
(ſ) Codices iidem: *tam de Civitate, quàm de Epiſcopatu.* Apographum Sanctæ Juliæ: *in hunc modum eligantur.*
(t) Verba hæc *Si autem*, uſque ad *viſa fuerit*, non leguntur in Codicibus Romano, Brixienſi, & Mutinenſi.
(u) Codex Romanus & Apographum Sanctæ Juliæ: *Eccleſiis, Civitatibus.*
(x) Codex Brixianus: *quolibet occaſionis titulo.*
(y) Codex Romanus, & Apographum Sanctæ Juliæ: *ſolita ſervitia nobis.*
(z) Codex Romanus: *Si Cenſus non præſtetur.* Apographum Sanctæ Juliæ: *præſtentur.*
(a) Cod. Romanus: *nomine noſtro non.*
(b) Codices Romanus, Brixianus, & Apographum, *conceſſiones quæ in præjudicium.*
(c) Iidem Codices: *indulta ſunt, caſſentur.*
(d) Codex Romanus: *per ipſum Conſulatus recipere.*

quæ Civitas a nobis Conſulatum recipiat . (*)

VI. Conſequenter prout in ſingulis Civitatibus Conſules conſtituentur , a Nuntio noſtro , qui ſit in Civitate vel Epiſcopatu , (e) Inveſtituram (f) recipiant . Et hoc uſque ad quinquennium . Finito quinquennio , unaquæque Civitas mittat Nuntium ad noſtram præſentiam (g) pro recipienda Inveſtitura ; & ſic in poſterum , videlicet ut finitis ſingulis quinquenniis a nobis recipiant , & infra quinquennia a Nuntio noſtro , ſicut dictum eſt , niſi in Lombardia fuerimus : tunc enim a nobis recipient . Eadem obſerventur in Succeſſore noſtro . Et omnes Inveſtituræ gratis fiant . Cum autem nos Imperator divina (h) voluntate deceſſerimus , vel Regnum filio noſtro conceſſerimus , ſimili modo a filio noſtro , vel ejus Succeſſore Inveſtituram recipietis .

VII. In cauſis Appellationum , ſi quantitas viginti quinque Librarum Imperialium ſummam exceſſerit , Appellatio ad nos fiat , ſalvo jure & (i) moribus Brixienſis Eccleſiæ in Appellationibus : ita tamen , ut non cogantur in Alamanniam ire ; ſed nos habebimus proprium Nuntium in Civitate vel Epiſcopatu , qui de ipſa Appellatione cognoſcat , & juret , quod bonâ fide & ſine fraude cauſas examinabit & definiet ſecundùm (k) mores & leges illius Civitatis infra duos menſes a conteſtatione litis , vel a tempore Appellationis receptæ , niſi juſto impedimento vel conſenſu utriuſque partis remanſerit .

VIII. Conſules , qui in Civitatibus (l) conſtituentur , tales ſint , qui Fidelitatem nobis fecerint vel faciant , antequam (m) Conſulatum recipiant .

IX. Vaſſalli (n) noſtri a nobis Inveſtituram (o) accipiant , & Fidelitatem faciant , ſicut Vaſſalli . Ceteri omnes , ſicut Cives , (p) a XV. annis (q) ad LXX. niſi (r) ſint tales perſonæ , quibus debeat & poſſit (ſ) ſine fraude ſacramentum remitti . Vaſſalli , qui tempore Guerræ vel (t) Treugæ non (u) poſtulaverunt Inveſtituram , vel debita ſervitia nobis non (x) exhibuerunt , hac occaſione Feudum non amittant .

X. Libellariæ & Precariæ in ſuo ſtatu permaneant ſecundùm conſuetudinem uniuſcujuſque Civitatis , non obſtante Lege noſtra , quæ dicitur Imperatoris Frederici .

XI. Damna (y) omnia & ablata & injurias,

A quas nos per nos & per noſtros ab Univerſitate Societatis , vel ab aliquo de Societate , vel a Coadjutoribus Societatis ſuſtinuimus per nos (z) & noſtram partem gratis remittimus , & plenitudinem noſtræ gratiæ eis damus .

XII. Moram ſuperfluam in Civitate vel Epiſcopatu pro damno Civitatis non faciemus .

XIII. Civitates munire , vel extra munitiones eis facere liceat .

XIV. Item Societatem , quam nunc habent , tenere , (a) & quoties voluerint , renovare eis liceat .

XV. Pactiones timore noſtro , (b) vel impreſſione Nuntiorum noſtrorum factæ (c) caſſentur , & pro infectis habeantur , nec pro
B iis aliquid (d) exigatur .

XVI. Pacta Placentinorum , ſcilicet pactum Pontis Padi , & fictum ejuſdem Pontis , & Regalium , & datum , & pactum , quod (e) Epiſcopus Hugo fecit de Caſtro (f) Arquato , & ſi quæ alia ſimilia (g) ſunt facta ab ipſo Epiſcopo , vel a Communi , vel ab aliis de Societate , nobiſcum , vel Nuntio noſtro , ipſo Ponte remanente cum omnibus ſuis utilitatibus Placentinis : ita tamen quod teneantur ſemper ſolvere (h) fictum Abbatiſſæ Sanctæ Juliæ de Brixia , & ſi quæ ſunt ſimiles .

XVII. Sententiæ quoque , quæ de jure , & ſecundùm leges & conſuetudines contra aliquem , vel aliquos de Societate latæ ſunt , teneant , ſi
C tamen de jure contra eos tenerent , ſi gratiam noſtram non habuiſſent . Quæ verò contra aliquem vel aliquos de Societate latæ ſunt (i) occaſione Guerræ , ſeu diſcordiæ , in irritum (k) deducantur .

XVIII. Poſſeſſiones (l) omnes , quas quiſque de Societate ante tempus (m) Guerræ tenebat juſte , ſi per vim ablatæ ſunt ab his , qui de Societate non ſunt , ſine fructibus & damno reſtituantur : vel ſi eas (n) recuperaverit , quiete poſſideat , niſi per electos arbitros ad cognitionem Regalium nobis aſſignentur .

XIX. Opizoni Marchioni omnem offenſam , quam nobis vel alicui (o) noſtræ partis fecit , (p) poſtquam in Societate fuit , per ſe vel per
D aliquam perſonam cum Societate , vel defendendo aliquem de Societate , Imperiali clementiâ per nos (q) & noſtram partem remiſimus , & in plenitudinem noſtræ gratiæ eum (r) recepimus : (ſ) nec per nos , nec per interpoſitam perſonam pro

---

(*) Apographum Sanctæ Juliæ : *a nobis Conſolatum recipiet .*
(e) Codex Romanus : *Inveſtituram percipiant .*
(f) Apographum : *recipient .*
(g) Cod. Romanus : *pro Inveſtitura recipienda .*
(h) Codices Romanus & Brixianus & Apographum : *divinâ vocatione .*
(i) Codex Brixianus : *jure & more .*
(k) Idem Codex : *ſecundùm leges & mores .*
(l) Idem : *conſtituuntur .*
(m) Idem : *fidelitatem nobis fecerint , vel faciant , antequam Conſolatum recipiant .*
(n) Idem : *Vaſſalli tantùm a nobis .*
(o) Idem : *accipient .*
(p) MStum Eſtenſe , & Codices Brixianus & Romanus : *a XVI. annis .*
(q) Iidem Codices , & Apographum Sanctæ Juliæ : *uſque ad LXX.*
(r) Codices iidem : *niſi tales perſonæ ſint .*
(ſ) Iidem Codices , & Apographum : *poſſit ſacramentum ſine fraude remitti .*
(t) Codex Romanus : *Treugæ .* Apographum : *Treguæ .*
(u) Codex Brixianus : *poſtulaverint .*
(x) Idem Codex : *exhibuerint .*
(y) Apographum , & iidem Codices : *Dampna omnia & ablata & injurias , quas .*

(z) Codices Romanus & Brixianus : *& per partem noſtram .*
(a) Apographum : *& quociens .*
(b) Codex Eſtenſis & Romanus : *vel permiſſione .* Apographum : *per impreſſionem .*
(c) Idem Apographum & Codex Romanus : *factæ pro infectis habeantur .*
(d) Cod. Romanus : *aliquod .*
(e) Codices Romanus & Brixianus : *quod fecit Epiſcopus Ugo .*
E (f) Codex Brixianus : *Arcoato .* Romanus : *Arcuato .*
(g) Uterque Codex : *ſimilia facta ſunt .*
(h) Codex Brixianus : *ſolvere fictium .*
(i) Idem Codex : *in occaſione werræ .*
(k) Idem : *deducuntur .*
(l) Codices Romanus , Brixianus , & Apographum Sanctæ Juliæ : *Poſſeſſiones , quas quiſque .*
(m) Codex Brixianus : *guuerræ .*
(n) Idem Codex , & Romanus : *recuperaverint , quietè poſſideant .*
(o) Ambo Codices : *alicui partis noſtræ .*
(p) Apographum Sanctæ Juliæ : *priuſquam .*
(q) Idem Apographum : *& per noſtram partem .* Codex Romanus : *remittimus .*
(r) Codex Brixianus : *recipimus .*
(ſ) Cod. Romanus : *recepimus , nec per interpoſitam perſonam .*

pro præteritis offenſis ſibi , vel parti ipſius, aliquam inferemus (t) injuriam , læſionem , vel coactionem .

XX. Amplius eam juriſdictionem, quam Mediolanenſes exercere conſueverunt in Comitatibus Seprii , (u) & Martexanæ, & Burgariæ , & in aliis Comitatibus, exceptis locis , quæ Pergamenſes (x) pro Commune (y) modò tenent inter Abduam (z) & Ollium , & excepto Romano Veteri , (a) & Bariano , & eam, quam modò exercent , liberè & quietè habeant & poſſideant ſine contradictione noſtra & Succeſſorum noſtrorum , ſalvis (b) datis & pactis & conceſſionibus , in ſuo robore durantibus , quæ Mediolanenſes (c) pro Commune fecerunt Civitatibus (d) Pergami, Laude , & Novariæ , nec propter hanc conceſſionem lædendis . Nec ullum præjudicium fiat juri, (e) aut conſuetudini alicujus Civitatis Societatis ; nec aliquod jus (f) acquiratur in detrimentum alicujus Civitatis Societatis propter prædictas conceſſiones .

XXI. Pacta inter Civitates Societatis quondam facta , nihilominus firma & rata permaneant . Nec aliquid intelligatur acquiſitum (g) Mediolanenſibus in Epiſcopatu Laudenſi propter prædictas conceſſiones , ſalvo jure aquæ Lambri , (h) ſi quod habent , & in pedagio .

XXII. Omnes de Societate , qui Fidelitatem nobis jurabunt , in ſacramento Fidelitatis adjicient , quod poſſeſſiones & jura , (i) quæ nos in Lombardia habemus & poſſidemus (k) extra Societatem , juvabunt nos bonâ fide manutenere , ſi opus fuerit , & (l) cum ſuper hoc per nos , vel per certum Nuntium noſtrum (m) requiſiti fuerint , & ſi amiſerimus , recuperare : ita videlicet , quod finitimæ Civitates obnoxiæ ſint principaliter ad hoc faciendum , & , ſi opus fuerit, aliæ teneantur ad competens auxilium præſtandum. Civitates (n) de Societate, quæ ſunt extra Lombardiam , in ſuo confinio ſimiliter teneantur facere . Si qua verò Civitatum ea , quæ in conventione Pacis ex parte noſtra ſtatuta ſunt , non obſervaverit , ceteræ Civitates (o) eam ad id obſervandum bonâ fide compellant , Pace nihilominus in ſuo robore permanente .

XXIII. Nobis intrantibus in Lombardiam , Fodrum conſuetum & Regale , qui ſolent & debent , & quando ſolent & debent , præſtabunt . Et Vias & Pontes bonâ fide & ſine fraude , & ſufficienter reficient in eundo & redeundo. Mercatum ſufficiens nobis & noſtris euntibus & redeuntibus bonâ fide & ſine fraude præſtabunt.

XXIV. In omni decimo anno Fidelitates renovabunt , in his , qui (p) eas nobis (q) non fecerunt , cum nos petierimus vel per nos , vel per noſtrum (r) Nuntium .

XXV. Si qui ex parte noſtra de ſuis juſtis poſſeſſionibus expulſi ſunt , reſtituantur ſine fructibus & damno , niſi in cauſa principali , ſeu proprietatis jure (ſ) poſſit ſe tueri poſſeſſor , ſalvis prioribus conceſſionibus . Et omnes offenſæ eis remittantur , eodem jure ſervando iis , qui ſunt ex parte noſtra circa reſtitutionem , niſi Civitas teneatur juramento ut non reſtituat . Quo caſu arbitrium boni viri volumus pro reſtitutione ſuccedere . (t)

XXVI. Et ſi qua controverſia (u) de Feodo orta fuerit inter nos & alium , qui ſit de Societate , per Pares illius Civitatis vel Epiſcopatus, in (x) quo diſcordia agitur , ſecundùm (y) illius Civitatis conſuetudinem , in eodem Epiſcopatu terminetur , niſi nos in Lombardia fuerimus : tunc enim in audientia noſtra , ſi nobis placuerit , cauſa agitabitur .

XXVII. Item volentibus venire contra pacta , non per violentiam facta , & juramento firmata inter Civitatem & (z) Civitates Societatis , (a) vel Civitates & alias (b) Perſonas , nos audientiam denegabimus . (c)

XXVIII. Item nos (d) reſtituimus Stratam Veronenſibus .

XXIX. Et nominatim recipimus (e) Ezelinum in plenitudinem gratiæ noſtræ , & omnem offenſam ei remittimus.

XXX. Hanc igitur Pacem , ſecundùm formam præſcriptam , & (f) per mediatores Pacis , videlicet (*) Willelmum Aſtenſem Epiſcopum , (g) Henricum Marchionem (h) Saonenſem , (i) Thidericum de Silva Benedicta , & Rodulphum Camerarium noſtrum , una cum eis

---

(t) Cod. Romanus, Brixianus , & Apographum : *aliquam inferemus laſionem vel coactionem .*

(u) Cod. Romanus : *Sceprii & Martianæ .* Apographum : *Marctiane & Burgarie .*

(x) Codices Romanus & Brixianus : *Pergamenſes modò tenent per Commune .*

(y) Apographum : *per Comune modò tenent .*

(z) Codex Brixianus. *Adduam , & Oleum .* Romanus : *inter Addam, & Oleum .* Apographum : *Aduam .*

(a) Codex Regienſis : *Luriano* : Codex Eſtenſis, & Romanus : *Buriano .*

(b) Codices Romanus, & Brixianus : *ſalvis pactis, datis , & conceſſionibus .*

(c) Apographum , & Codex Romanus : *per Comune .*

(d) Apographum : *Pergamo .* Codex Brixianus : *Pergami , Novarie , Laudis .* Romanus : *Laudæ .*

(e) Apographum : *juri vel aut conſuetudini .*

(f) Codex Brixianus : *acquiratur & detrimentum .*

(g) Idem Codex : *acquiſitum a Mediolanenſibus .*

(h) Codices Romanus, & Brixianus : *aquæ Lambri , & in pedagio , ſi quod babent .*

(i) Codex Brixianus : *quæ & quas babemus in Lombardia .*

(k) Cod. Romanus : *extra Civitatem .*

(l) Idem Codex : *& ſuper boc per nos , vel certum Nuntium noſtrum ſi requiſiti fuerint .*

(m) Apographum : *per nos , vel noſtrum Nuntium certum requiſiti fuerint , & ſi amiſerimus .*

(n) Codices Romanus & Brixianus : *Civitates , quæ ſunt de Societate extra Lombardiam .*

(o) Cod. Brixianus : *Civitates ad id obſervandum .*

(p) Cod. Romanus : *in iis qui nobis non fecerint .*

(q) Codex Brixianus : *in bis , qui eas nobis non fecerint .* Apographum : *quæ nobis non fecerint*

(r) Codices Romanus , & Brixianus : *vel Nuntios noſtros .*

(ſ) Apographum , & ambo Codices : *jure ſe poſſit tueri .*

(t) Codex Romanus : *ſuccedere ; ſalvis prioribus conceſſionibus ; & omnes offenſæ eis remittantur .*

(u) Uterque Codex, & Apographum : *de Feudo .*

(x) Codices ambo : *in qua .*

(y) Uterque Codex : *ſecundùm conſuetudinem illius Civitatis .*

(z) Codex Romanus , & Apographum : *inter Civitatem & Civitatem Societatis .* Ita & Brixianus .

(a) Apographum : *vel Civitatem .*

(b) Ambo Codices , & Apographum , & Codex Eſtenſis : *& alias Perſonas Societatis .*

(c) Cod. Brixianus : *delegabimus .*

(d) Cod. Romanus : *reſtituemus .*

(e) Cod. Eſtenſis. *Izillinum .* Ita & Romanus . Brixianus verò *Ezilinum .*

(f) Cod. Romanus : *& ſicut per mediatores .* Sic & Apographum .

(*) Codices Romanus , & Brixianus : *VVilielmum Haſtenſem Epiſcopum .*

(g) Ambo Codices : *& Henricum .*

(h) Brixianus Codex : *Scaonenſem .* Apographum : *Savonenſem*

(i) Codices Eſtenſis, & Regienſis, & Romanus, & Apographum : *Fratrem Tidericum .* Apographum : *Fridericum .*

eis (l) *bonâ fide intellleximus*, (m) *& ſecundùm tenorem, quo eamdem Pacem* (n) *& Concordiam jurari fecimus, & ſecundùm quod* (o) *Lombardi eam bonâ fide intellexerunt, in perpetuum ratam haberi, &* (p) *conſervari ſtatuimus. Et ut firma permaneat,* (q) *& inconcuſſa, præſentem paginam* (r) *noſtri impreſſione Sigilli fecimus* (ſ) *communiri.*

XXXI. *Nomina verò Civitatum, quibus & gratiam* (t) *noſtram reddimus, & præſcriptam facimus conceſſionem, ſive* (u) *permiſſionem, hæc ſunt:* Vercellæ, Novaria, Mediolanum (x) Lauda (y) Pergamum, Brixia, Mantua, Verona, (z) Vicentia, Padua, (a) Triviſium, Bononia, Faventia, Mutina, Regium, Parma, Placentia *Iſtis autem Civitatibus & Locis Pacem* (b) *firmam ſervari volumus, & gratiam noſtram* (c) *reddimus.*

XXXII. *Præſcriptam autem conceſſionem ſeu permiſſionem eis* (d) *non facimus, videlicet,* Imolæ, Caſtro Sancti Caſſiani, Bobio, Plebi de (e) Grabedona, Feltræ, Belluno, (f) Cenetæ. Ferrariæ *autem gratiam noſtram reddimus, & præſcriptam* (g) *conceſſionem facimus* (h) *ſeu permiſſionem, ſi infra duos menſes poſt reditum Lombardorum a Curia noſtra de Pace præſcripta cum eis concordes fuerint.*

XXXIII. *Hanc itaque Pacem & Concordiam,* (i) *ſicut ſupra ſcriptum eſt, tam nos, quàm filius noſter Henricus* (k) *Romanorum Rex, per Camerarium noſtrum Rodulphum* (l) *jurari fecimus in animam noſtram.*

XXXIV. *Hi* (m) *autem ſunt Principes & Nobiles Curiæ, qui præſcriptam Pacem* (n) *& Concordiam per ſe firmam tenere juraverunt. Hermannus* (o) *Monaſterienſis Epiſcopus: Henricus* (p) *Cracienſis Electus:* (q) *Thitelmus Augienſis Abbas:* (r) *Godefridus Imperialis Aulæ Cancellarius: Otto Dux* (ſ) *Bawariæ: Fridericus* (t) *Dux Suaviæ filius noſter: Bertoldus* (u) *Dux de Zaringen: Bertoldus* (x) *Marchio Yſtriæ: Hermannus Marchio* (y) *Veronenſis:* (z) *Comes Henricus de Dietſe: Comes Thepoldus de Leſchemunde: Comes Ludwicus frater Cancellarii* (a) *de Holfeſten:* (b) *Rodulphus Camerarius: VVernerius* (c) *de Bonlandia: Cono* (d) *de Nuncenberc: Conradus Pincerna.*

XXXV. *Hi autem ſunt Nuntii, qui ex parte Lombardorum Pacem præſcriptam, & Concordiam receperunt, & in præſentia noſtra juramento* (e) *confirmarunt.* De Mediolano *Guido de Landriano,* (f) *Pinamundus de Vicomercato,* (g) *Adubatus Bultraphus,* (h) *Willelmus Burrus, Guercius* (i) *de Buxolo,* (k) *Ardericus de Bonate, Rogerius Marcellinus,* (l) *Loterius Medicus.* De Brixia (m) *Opbrandus de Martenengo,* (n) *Gezo de Turbiaco, Deſiderius Judex, Rudulphus* (o) *de Conciſio,* (p) *Bocaſius de Minerbio,* (q) *Albricus de Capriano.* De Placentia (r) *Gerardus*


(l) Codices Romanus, & Brixianus: *unà cum eis intelleximus bonâ fide.*
(m) Cod. Brixianus: *ſecundùm tenorem.*
(n) Apographum, & ambo Codices: *quo eamdem Pacem jurare fecimus.*
(o) Cod. Romanus: *quod Longobardi.*
(p) Idem Codex: *& confirmari ſtatuimus.*
(q) Apographum, & Codices Romanus, Brixianus, ac Eſtenſis: *& inconvulſa.*
(r) Cod. Romanus: *noſtræ juſſionis Sigillo.* Brixianus: *& noſtræ impreſſionis Sigillo.*
(ſ) Apographum: *communiri.*
(t) Codices Romanus, & Brixianus: *quibus & gratiam reddidimus.* Apographum item: *reddidimus.*
(u) Ambo Codices & Apographum: *ſeu permiſſionem.*
(x) Cod. Romanus: *Laude.*
(y) Idem: *Bergamum.*
(z) Cod. Romanus: *Vincentia.*
(a) Apographum Sanctæ Juliæ: *Tarviſium.*
(b) Codices Romanus, & Brixianus, atque Apographum: *Pacem ſervari.*
(c) Apographum: *reddidimus*
(d) Codex Romanus: *eis non fecimus.*
(e) Idem: *de Gabadona.*
(f) Codices Romanus, & Eſtenſis: *Cenetæ, Ferrariæ. Gratiam noſtram.*
(g) Codex Romanus: *præſcriptam eis conceſſionem, ſeu permiſſionem facimus*; ita & Brixianus.
(h) Apographum: *ac præſcriptam ejus conceſſionem facimus, ſeu permiſſionem.*
(i) Cod. Romanus: *ſicut dictum eſt.*
(k) Codices Romanus, & Brixianus: *Henricus Rex Romanorum.*
(l) Codex Brixianus: *in anima noſtra jurari fecimus.* Ita & Romanus. Apographum: *in animam noſtram.*
(m) Ambo Codices: *Hi ſunt Principes.*
(n) Ambo Codices, & Apographum: *Pacem per ſe firmam*
(o) Codex Brixianus: *Moneſtarialis Epiſcopus.*
(p) Cod. Romanus: *Curienſis.* Cod. Regienſis: *Corrienſis.* Ita & Brixianus. Apographum verò: *Corienſis.*
(q) Cod. Brixianus: *Thiecbelmus Abbas Augienſis.* Romanus: *Thocetbelmus Abbas Augenſis.*
(r) Cod Romanus: *Gotteſridus Cancellarius Imperialis Aulæ.* Codex Brixianus: *Bontifredus.* Apographum. *Gotifredus.*

(ſ) Apographum: *Dux Baiguarie.* Cod. Brixianus: *Dux Baivario.* Romanus: *Dux Bavariæ.*
(t) Cod. Brixianus: *filius noſter, Dux Suavie.* Apographum: *Suevie.*
(u) Cod. Romanus: *Dux Xareze.* Alterum exemplar: *Dux Zarmengen.* Cod. Brixianus: *de Zarenge.*
(x) Cod. Romanus: *Marchio Hiſtriæ.* Brixianus: *Bertoldus Yſtrie.*
(y) Cod. Romanus: *Marchio Veronæ.*
(z) Cod Romanus: *Henricus de Decio: Comes Thebaldus de Elmoldo: Comes Ludovicus &c.* Cod. Brixianus: *Henricus de Decio: Comes Tebaldus de Lebelmond. Comes &c.*
(a) Apographum: *de Helfenſten.* Cod. Romanus: *de Helfeſtein* Brixianus: *de Helfenſtn.* Regienſis: *de Belfeſtin.*
(b) In Codice Romano deſiderantur, *Rodulphus Camerarius*, cum aliis ſequentibus.
(c) Apographum: *Guarnerius de Holandia.* Cod. Brixianus: *Bolandia.*
(d) Idem Apographum: *Cuno de Nunzenberg.* Cod. Brixianus: *Cuvone de Munzinberc.*
(e) Idem: *confirmaverunt.*
(f) Codices Romanus, & Regienſis: *Pinamonte.*
(g) Codex Regienſis: *Adubatus Butrufus* Romanus: *Adobatus Butrafus.* Apographum: *Butraffus.*
(h) Cod. Romanus: *Guilielmus.* Apographum: *VVilielmus Borrus.*
(i) Apographum: *de Uxolo* Romanus: *de Uſtiliolo.* Brixianus: *de Uſtiolo.*
(k) Brixianus: *Ardericus de Iponate.* Romanus: *Aldericus de Bonago.*
(l) Apographum: *Lotberius.*
(m) Romanus: *Ordibrandus de Martinengo.* Apographum: *Oprandus.*
(n) Codex Regienſis: *Guerius.* Romanus: *Guetius de Turbiazo* Brixianus: *de Turbio.* Apographum: *de Turbiato.*
(o) Apographum: *Rodulphus de Conceſcio.* Brixianus: *de Concella.* Romanus: *de Conzeſa.*
(p) Apographum: *Bocaccius de Manervio.* Brixianus: *de Manervia.* Romanus: *Boccatius de Menerva.*
(q) Brixianus: *Albericus de Cabriano.* Apographum: *de Capriano.*
(r) Romanus: *Girardus Arditionis.* Sic & Brixianus.

dus de Ardicione, *Jacobus Strictus*, (ſ) *Hermannus de Cario*, (t) *Caupo Judex*. De (u) Pergamo *Albertus* (x) *de Mapello*, *Atto* (y) *Ficianus*, *Johannes* (z) *de Prago*, *Lanfrancus* (a) *de Monacha*, *Albertus Attonis*, *Albertus* (b) *Albertonus*. De Verona *Gozus* (c) *Judex*, *Ubertinus* (d) *de Carcere*, *Valerianus de Caſtello*, *Thebaldinus* (e) *de Naſcenwerre*, *Marcius de Caſtello*, *Tebaldinus Raymondi* (f). De Vicentia *Pilius* (g) *Judex*; *Ubertinus* (h) *de Fonteviva*, (i) *Karnevarius*, *Marcus* (k) *de Pauliano*. De Padua (l) *Janſus*, (m) *Ezelinus Judex*, (n) *Engleſcus de Funtegliva*. De (o) Triviſio *Florius Judex*, (p) *Gombertinus*. De (q) Mantua *Alexandrinus*, *Jacobus* (r) *de Amica*, (ſ) *Angelus Judex*, *Henricus* (t) *de Angelo* De Faventia *Bernardus* (u) *Judex*, *Ugulinus de* (x) *Azo*. De Bononia (y) *Antoninus Poteſtas*, *Rolandus* (z) *Guarini*, *Matthæus Rodulphi*. De Mutina, (a) *Arlottus Judex*, *Rainerius* (b) *de Buccabadata*. De Regio *Albertus Cambiator*, (c) *Rolandus de Caritate*. De Parma *Jacobus* (d) *Petri Bavæ*, *Maladobatus* (e) *Judex*, (f) *Vetulus Judex*, (g) *Chonradus Bulzoni*. De Lauda *Vincentius* (h) *de Fiſſiraga*, *Anſelmus* (i) *de Summaripa*. De Novaria (k) *Opizo de Bona*, *Thediſius* (l) *Kavalarius*, *Guido* (m) *de Boniprando*. De Vercellis (n) *Meardus* (o) *& Vercellinus*.

XXXVI. *Hæc* (p) *autem ſunt Civitates, & Loca*, (q) *quæ Pacem præſcriptam ſub juramento Lombardorum nobiſcum* (*) *receperunt*: Papia; Cremona; Cuma (r); Terdona; Aſta: (ſ) Ceſarea; Janua; Alba, *& aliæ Civitates & Loca & Perſonæ, quæ ſunt & fuerunt ex parte noſtrâ*.

XXXVII. *Hæc autem ſunt nomina Conſulum & Nuntiorum, qui Inveſtituram Conſulatus* (*) *a nobis Civitatum receperunt*. De Mediolano *Adobatus*. De Placentia *Gerardus Ardicionis*. De Lauda *Vincentius*. De Verona (t) *Cozus*. De Vincentia *Pilius*. De Padua (u) *Janſus*. (x) De Triviſio *Florius* (y) *Judex*. De Mantua *Alexandrinus*. De Faventia *Bernardus* (z) *Judex*. De Bononia (a) *Antoninus*. De Mutina (b) *Arlotus*. De Regio *Rolandus* (c) *de Caritate*. De Parma (d) *Jacobus Petri Bavæ*. De Novaria (e) *Opizus de Briona*. De Vercellis (f) *Meardus*. De Bergamo *Atto Ficianus*. (g)

Signum Domini  *Friderici Romanorum Imperatoris invictiſſimi*.

Ego Godefridus Imperialis Aulæ Cancellarius, vice Chriſtiani Maguntinæ Sedis Archiepiſcopi & Archicancellarii recognovi.

Acta

(ſ) Brixianus: *Armannus Cano*.
(t) Idem: *Cauponus Judex*. Romanus. *Cauponus*. *De Pergamo*.
(u) Romanus: *de Bergamo*.
(x) Brixianus: *de Marello*.
(y) Apographum: *Facianus*. Brixianus: *Ticianus*. Romanus: *Fitianus*.
(z) Romanus: *de Piringo*. Apographum: *de Poteringo*. Brixianus: *de Peringo*.
(a) Brixianus: *de Monache*. Apographum: *de Monaca*.
(b) Romanus: *Albertonis*.
(c) Apographum: *Cotius Judex*. Romanus: *Chotius Judex*. Brixianus: *Uberius Judex*.
(d) Apographum: *Ubertinus de Carceræ*. Brixianus: *Ghibertinus de Carceræ*. Romanus: *Hubertinus de Carcere*.
(e) Romanus: *Tibaldinus Naſcinguerra*. Apographum: *Tebaldinus de Naſcinguerra*.
(f) Apographum: *de Raymundo*. Brixianus: *de Raymundini*.
(g) Brixianus: *Pilius*, *Ubertinus* &c.
(h) Romanus: *de Fontana*. Regienſis & Eſtenſis: *de Fontaniva*. Sic & Apographum.
(i) Apographum, & Codices Brixianus, Romanus, & Eſtenſis: *Carlaxarius*.
(k) Romanus & Brixianus: *de Paulano*.
(l) Apographum: *Gnanſus*.
(m) Brixianus: *Eczilinus Judex*.
(n) Romanus: *Janſus*, *Engleſcus*, *Ezelinus Judex*. *De Triviſio*
(o) Brixianus: *De Tarviſio*.
(p) Apographum: *Gumbertinus*.
(q) Brixianus: *De Mantuana Alexandrinus*.
(r) Romanus: *Jacobus Amize*. Brixianus: *Amice*.
(ſ) Brixianus: *Augnellus*, *Henricus &c.* Regienſis & Eſtenſis cum Romano: *Agnellus Judex*.
(t) Eſtenſis, Regienſis, & Brixianus: *Henricus Angeli*. Alterum MStum: *Angelli*.
(u) Romanus & Brixianus: *Bernardus Sapiens*.
(x) Brixianus: *Ugolinus Azoli*. Romanus: *Ugolinus Azzi* Apographum: *Ugolinus de Azone*.
(y) Regienſis & Eſtenſis: *Anthonius*.
(z) Apographum. *Rolandus Rodulfi Guarini*. Ita & Codex Romanus. Eſtenſis *Rolandus Guariani*.
(a) Brixianus: *Arloctus Judex*. Romanus: *Arletus Judex*
(b) Apographum: *de Boccabadada*. Brixianus: *de Boccabadate*. Romanus: *Boccabadatæ*.
(c) Apographum: *Cambiator & Rolandus &c.*
(d) Romanus: *Jacobi Petri Balbi*. Sic & Brixianus Codex.
(e) Brixianus: *Maladobatus*, *Conradus &c.*
(f) In Codice Brixiano deeſt *Vetulus Judex*.
(g) Romanus, & Brixianus Codices: *Conradus Bulzonum*.
(h) Apographum: *de Fulſiraga*. Romanus & Brixianus: *de Fuxiraga*
(i) Eſtenſis: *de Summavia*, *Manfredus de Soldano*. *De Novaria &c.* Sic & Romanus.
(k) Brixianus: *Opizo de Briona*. Ita Romanus, & Apographum.
(l) Apographum: *Caballatius*. Brixianus: *Cavallatius*. Romanus: *Cavallarius*.
(m) Romanus: *Guido Boniprandi*. Brixianus: *Guido Smaragdi*.
(n) Romanus: *Medardus*.
(o) In Brixiano: *Meardus Vercellinus*.
(p) Romanus Codex: *Hæ autem*. In Brixiano deeſt *autem*.
(q) Codices Eſtenſis & Romanus: *Civitates & Loca & Pars, quæ &c.*
(*) Apographum Sanctæ Juliæ: *receperunt*, & *eamdem per ſe juraverunt*. *Papia &c.*
(r) Brixianus Codex: *Cume*, *Acqui*, *Terdona &c.*
(ſ) Romanus: *Cuma*, *Aſte*, *Terdona*, *Ceſtria*. Cod. Regienſis: *Ceſana*. Eſtenſis: *Ceſtria*.
(*) Brixianus: *a nobis receperunt nomine Civitatum*.
(t) Romanus: *Chotius*. Apographum: *Cocius*.
(u) Apographum: *Gnanſus*. Romanus: *Guanſus*.
(x) Romanus: *De Triviſio Florius*. *De Mantua &c.*
(y) Apographum: *De Terviſio Florius*. *De Mantua &c.*
(z) Cod. Romanus & Apographum: *Bernardus*. *De Bononia &c.*
(a) Romanus: *Antolinus*. Eſtenſis: *Anthonius*.
(b) Romanus: *Arlottus*. Brixianus: *Arloctus*.
(c) Brixianus, Romanus, & Apographum: *Rolandus*. *De Parma &c.*
(d) Romanus & Brixianus: *Jacobus*. *De Novaria &c.*
(e) Iidem Codices: *Opizus*. *De Vercellis &c.*
(f) Uterque Codex: *Medardus*.
(g) In Apographo & Codice Romano hæc adduntur: *Et iſti ſimiliter ex parte Imperatoris juraverunt, Cona, Conradus Pincerna, Guarnerius, Rodulfus Camerarius pro ſe*.

Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis (h) *MCLXXXIII. Indictione* (i) *Primâ*, *Regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore glorioſiſſimo*, *Anno Regni ejus XXXII. Imperii verò XXIX.*

Datum (k) *apud Conſtantiam in ſolempni* (l) *Curia*, *VII. Kalendas Julii*. (m)

Deſiderantur ſequentia in Codice MSto Mutinenſi.

IN *Chriſti nomine. Juro ego, quod amodo ero fidelis Domino Imperatori Friderico, & ejus filio Regi Henrico. Non ero in conſilio vel facto, quod ipſi perdant vitam, vel membrum, aut mentem, ſeu Coronam Imperii vel Regni, vel caput. Et ſi ſcivero, aliquem feciſſe, vel facere volentem per ſe vel per alium, Domino Imperatori, vel Regi, vel Nuncio ejus, ſine fraude manifeſtabo eis. Et adjuvabo honorem Coronæ tenere, & ſi perdiderit, recuperare bona fide in exercitu & Comitatu adjuvabo. Inſuper Pacem Domini Imperatoris Friderici & filii ejus Regis Henrici, & ſuæ partis, factam cum Societate Lombardiæ & Civitatibus ejus Societatis, ſicut ſcriptum eſt inde, ſine fraude intra quindecim dies poſt jurata bono intellectu, & Sigillo Imperatoris ſigillata, obſervabo bonâ fide & ſine fraude. Et hoc jurare faciam omnes maſculos, mecum habitantes, a quindecim annis ſupra uſque ad ſeptuaginta, infra quindecim dies, poſtquam juratum habuero, exceptis Servis. Et qui per me jurare noluerint, intra tertiam diem Imperatori, vel Regi, vel ſuis Nuntiis manifeſtabo per breve.*

MCLXXXIII. Indictione Prima.

In Catalogo Civitatum, quæ in hiſce Actis nominantur, occurrit *Cæſarea*. In Regeſto Senatus Mutinenſis legitur *Cæſaria*. Codex Eſtenſis habet *Ceſtria*. Regienſis verò *Ceſana*. Sed revera legendum *Cæſarea*. Ut enim antea Sigonius recte animadverterat Lib. 14. de Regno Italiæ, inter cetera pacta, per quæ Alexandrini Cives Anno MCLXXXIV. gratiam Friderici inierunt, illud etiam fuit, *ut Urbem ſuam poſthac conſtanti nomine Cæſaream appellarent*. Hoc tamen antea inter Imperatorem & Alexandrinos ſtabilitum fuiſſe, ipſius Pacis Conſtantienſis acta teſtantur. Supra in Compromiſſo, facto inter Auguſtum eumdem & Lombardos, mentio eſt loci, *quem Paleam vocant*, nempe Alexandriæ ipſius novæ Civitatis, quam per contemtum Ticinenſes appellabant *Paleam*. Adhuc etiam *Aleſſandria della Paglia* in ore hominum verſatur. Fridericus verò Alexandri Papæ nomen Civitati illi eripiens, *Cæſaream* e ſuo nomine appellandam juſſit. Quàm inani ſucceſſu tempus deinde oſtendit. Atque ita per nobiliſſimam Pacem finem habuere teterrima diſſidia, quæ per tot annos exercuere conſtantiam Friderici & Langobardorum: qua occaſione Civitatibus, Principibuſque Italicis legitimo perpetuoque titulo Libertas & Regalia collata, ſive confirmata fuere. Quod graviſſimum negotium præcipue locum ſibi poſcit in Italicorum eruditione atque Hiſtoria temporis illius. Diſertis autem verbis in Pace Conſtantiæ conſtitutum fuit §. XII. ut Civitatibus Italicis Societatem, *quam nunc habent, tenere, & quoties voluerint, renovare eis liceat*. Atque hoc potiſſimùm petiere Lombardi, quum non aliam proſpicerent tutiorem viam ſalutis ac Libertatis ſuæ, quàm arma ſemper habere parata, ſtabilique unione publicam cauſſam deinceps quoque tueri. Quare Anno MCLXXXV. eamdem *Societatem* novis ſacramentis firmarunt: cujus rei teſtem habeo Chartam in Tabulario Reipublicæ Bononienſis adſervatam, & in membranaceo Senatus Mutinenſis MSto Codice itidem exaratam. Hanc accipe.

(h) Apographum Sanctæ Juliæ, & Codex Brixianus habent: *MCLXXXIIII.* Sed perperam.

(i) Cod. Brixianus: *Indictione III.* Apographum: *Indictione Tercia*. Sed corrupte.

(k) Cod Brixianus: *Data ſunt apud &c.*

(l) Codices Romanus, & Brixianus: *in Curia ſolemni*.

(m) *In eodem Apographo immediate ſequuntur authentica Notariorum ſubſcriptiones hujuſmodi*: „ In Chriſti nomine. Ego Johannes Cariboni, ſacri Palatii Notarius Brixienſis, authenticum hujus exempli vidi & legi, cum Sigillo, ſeu Bulla ceræ cum ſetha ſerica pendente Domini Frederici Imperatoris. Et ſicut in illo continebatur, ita & in iſto ſcripſi & exemplavi, verbo & præcepto Domini Ramberti de Ramberto de Bononia Poteſtatis Communis Brixiæ, & verbo totius Conſilii Communis Brixiæ, more ſolito campanâ ſonati & congregati. Nil addens vel minuens, quod ſenſum, vel ſententiam mutet. Et ad confirmationem me ſubſcripſi.

„ In Chriſti nomine. Ego Zufredus Prandi, Domini Ottonis Imperatoris Notarius Brixienſis, authenticum hujus exempli vidi & legi, cum Sigillo, ſeu Bulla ceræ cum ſetha ſerica pendente Domini Federici Imperatoris. Et ſicut in illo continebatur, ita & in iſto ſcriptum & exemplatum inveni; nil addito vel diminuto, quod mutet ſenſum vel ſententiam. Et verbo & præcepto Domini Rambertini Ramberti de Bononia Poteſtatis Communis Brixiæ, & verbo totius Conſilii Communis Brixiæ, more ſolito campanâ ſonati & congregati: & ad confirmationem me ſubſcripſi.

„ In Chriſti nomine. Ego Bonaventura de Vanzago Notarius Domini Ottonis Imperatoris, Brixienſis Civis, authenticum &c. *ut ſupra*.

„ In Chriſti nomine. Ego Bonapax Dom........ Notarius &c

„ Ego Bellacattus, Notarius Communis Brixiæ, authenticum &c.

„ Ego Johannes de Savalo, Notarius Communis Brixiæ, authenticum &c. *ut ſupra*.

Confirmatio Pacis Conſtantiæ & Societatis Lombardiæ, facta a Rectoribus Civitatum Italicarum, Anno 1185.

EGo *juro omnibus* Civitatibus Societatis Lombardiæ, Marchiæ, & Romaniæ, & Locis, & Domino Opizoni Marchioni Malaſpinæ, & omnibus Perſonis prædictæ Societatis, *conceſſiones & promiſſiones atque Pacta, ſicut in Scripto Pacis continetur, inter Nuntios Domini Imperatoris, & Rectores & Nuntios Civitatum Societatis* (a) *facto, firmas tenere. Nec ero in facto* (b) *vel conſilio, ut aliquid prædictorum alicui de Societate minuatur. Et ſi qua Perſona vel Civitas aut Locus alicui Civitati vel Loco aut Perſonæ* (c) *præfatæ Societatis, aut jam dicto Marchioni auferre vel diminuere voluerit* (d) *eas vel eos manutenere & defendere bonâ fide & ſine fraude contra omnes adjuvabo. Et omnia præcepta, quæ Rectores* (e) *concorditer omnes, vel major pars mihi fecerint, ſine fraude* (f) *ſervabo. Et omnia* (g) *ſupraſcripta attendam a præſentibus Kalendis Maji uſque ad triginta Annos. Et in capite uniuſcujuſque quinquennii, ſi per majorem partem Rectorum requiſitus fuero, renovabo. Et hoc totum ſine fraude jurare omnes homines meæ Civitatis ab octodecim annis uſque ad ſeptuaginta annos faciam. Et hæc omnia faciam jurare Conſules vel Poteſtates meæ Civitatis, & Credentiam ad illum terminum qui mihi conſtitutus* (h) *erit per Rectores Lombardiæ & Marchiæ & Romaniæ in hoc conloquio.*

Die lunæ XI. (i) *Kalendas Januarii, Placentiæ in Eccleſia Sanctæ Brigidæ, in præſentia* (k) *Vivianelli,* Willielmi *Giruini Notarii, ibique in eorum præſentia Rectores Lombardiæ, & Marchiæ & Romaniæ fecerunt prædictum ſacramentum; nomina quorum hæc ſunt:* De Brixia *Aldericus* (l) *de Sala*: De Verona *Cocius Judex*: De Bononia *Prendeparte Poteſtas*: De Novaria *Ruzerius* (m) *Marcellinus Poteſtas*: De Padua *Nazocus*: De Tarviſio *Odericus* (n) *de Mantello*: De Mutina *Guil liclmus* (o) *de Atto*: De Placentia (p) *Homizo Judex*: De Bergamo *Albertus de Oſa Poteſtas*: De Plebe (q) *Grabadona Petrus Calvus*: De Faventia (r) *Willielmus Burzus Poteſtas*: De Mediolano *Petrus Vicecomes*. (ſ) *Et hæc ſunt nomina illorum, qui ita juraverunt, ut ſuperius legitur, & ut prædicti* (t) *juraverunt Rectores, eo excepto, quod non ſunt diſtricti facere jurare homines ſuæ Civitatis.* De Brixia *Deſiderius Judex*, (u) *Martinus Pectenalupus, & Pax Confalonerius*. De Padua *Gnanſus, & Gerardus* (x) *de Calaone*. De Verona (y) *Vivianus Avocatorum, & Carlaxanius Creſcentinorum*. De Tarviſio *Tarviſius de* (z) *Walberto*: De Bergamo *Lanfrancus de Monacha, Oprandus Judex, Johannes de Petrengo*. De Novaria (a) *Fredericus, Opizo de Banno, Michaël Capra*: De Mutina *Rolandus de Bajamonte*: De Bononia *Rolandus de Rodulpho* (b) *Guarino, Buvalellus de Andrea, Oſpinellus de Carbonenſibus*: De Plebe Grabadona *Gregorius Conſul juravit, ut ſuus Rector*: De Mediolano *Ugo* (c) *de Canerario ſimiliter, ut ſuus Rector*: De Faventia *Aureus Judex*. *Anno a Nativitate Domini MCLXXXV. Indictione III.*

Et poſtea ſequenti die Martis (d) *exeunte Kal. Januarii, Armannus* de Parma *Rector, prædictum ſacramentum fecit, ut prædicti Rectores* (e) *fecerant, & Albertus de Tebaldo.* (f) *Similiter die ſtatutâ VI. Kalendis Januarii juravit Prendepars Poteſtas* Bononiæ, *Rolandus Rodulphi de Guarino, Buvalellus, Oſpinellus Walberti Eliazarii, Attonis, & ·inibaldi, & Ildrevandi Oddonis Taſcarii. Idem juraverunt alii Rectores.*

Ego Odolinus, ſacri Palatii Notarius, & a Domino Imperatore Frederico confirmatus poſtea, interfui, (g) *& ſcripſi.*

Verùm plures deinde fluxerunt anni, quibus inter Imperium & Civitates Italicas nulla grandis diſſenſio pullulavit, cujus cauſsâ Societati arma exerere opus fuerit. Attamen Tuſciæ Populi, in Pace Conſtantienſi minime comprehenſi, & Imperialibus Miniſtris diuturniori tempore obnoxii, tandem Anno MCXCVIII. ad imitationem Lombardorum, Societatem & ipſi inierunt. Cujus rei mentio eſt in Vita Innocentii III. Papæ Tomo III. Rer. Italicar. pag. 488. ubi hæc verba: *Civitates autem Tuſciæ, quæ propter importabilem Alemannorum tyrannidem, quaſi gravem incurrerunt ſervitutem, Societatem invicem inierunt, præter Civitatem Piſanam, quæ numquam potuit ad hanc Societatem induci. Et obtinuerunt a Summo Pontifice, ut & Civitates Eccleſiæ, quæ ſunt in Tuſcia & Ducatu Spoleti, ſe illis in hac Societate conjungerent.* Id verò factum *ad honorem & exaltationem Apoſtolicæ Sedis; & quod*

(a) Codex MStus Mutinenſis: *Societatis Lombardiæ facto.*
(b) Idem: *Nec ero in conſilio vel facto, ut.*
(c) Idem: *Perſonæ prædictæ Societatis.*
(d) Idem: *eos vel eas.*
(e) *Rectores omnes concorditer, vel.*
(f) *obſervabo.*
(g) *Et omnia prædicta attendam a Kalendis Maji.*
(h) *fuerit.*
(i) *Die Lunæ XI. exeunte Januario, in Placentia, in Eccleſia Sanctæ Brixidæ*
(k) *in præſentia Mirabelli, Guilielmi, Giruni Notarii.*
(l) *Aldricus de Sala.*
(m) *Rogerius.*
(n) *Odelricus.*
(o) *de Acto.*
(p) *Bonizo Judex.*
(q) *De Plebe de Grabadona*
(r) *Guilielmus Burrus.*
(ſ) *Hæc autem ſunt nomina.*
(t) *prædicti Rectores juraverunt, eo.*
(u) *Martinus Petena-lupum.*
(x) *Gerardus de Calaono.*
(y) *De Verona Carlaxarius Crexentinorum, & Vivianus Advocatorum. De Tarviſio.*
(z) *Tarviſio de VValperto.*
(a) *Federicus, Opizo de Briano.*
(b) *de Rodolfo Guarino.*
(c) *de Camarario.*
(d) *Martis Decimo exeunte Januario, Armannus*
(e) *fecerunt.*
(f) *Albertus de Tebaldo ſimiliter.* Reliqua deſunt in Codice MSto Mutinenſi.
(g) Idem Codex: *& ſubſcripſi.*

quod poſſeſſiones & jura ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ bonâ fide defenderent : & quod nullum in Regem , vel Imperatorem reciperent , niſi quem Romanus Pontifex approbaret . Quæ vires huic Societati fuerint , paullo poſt effectus oſtendit . Nam evectus ad Imperium , & Romanâ Coronâ donatus *Otto Quartus* Anno MCCX. quum in ſe concitaſſet iram & fulmina Innocentii ipſius Papæ, etſi pro eo ſtarent Mediolanenſes aliæque Urbes , ceteri tamen Populi ſententiam Romani Pontificis probantes , atque Ottonem ejurantes , ipſum ex Italia A abire coëgerunt . Emerſere deinde graves controverſiæ inter Pontifices Romanos , & Fridericum Secundum hujus nominis Auguſtum . Tunc Mediolanenſes , quòd Friderici Primi ſobolem ob præteritorum memoriam nimiùm averſarentur, *Societatem Lombardorum* ex parte reſtituerunt , ſive adhuc vigentem novis ſacramentis confirmarunt . Paria præſtitere & alii Populi , uti conſtabit e ſubſequentibus Chartis , quas ex Archivo Sereniſſimæ Familiæ Eſtenſis depromſi .

Sacramentum Societatis Vicentiæ, & aliarum Civitatum, Anno 1231.

Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Trigeſimo Primo , Indictione IV. die Primo intrante Julio , in Palatio Communis Vicentiæ , præſentibus Domino Ruzerio de Caſtegnanega , Judice & Aſſeſſore Poteſtatis infraſcriptæ , & Dominis Drudo de Suriſino , & Olderico de Ruzerio , Militibus ejuſdem Poteſtatis , & Jacobino Bonijudæi , & Viviano Benzii , Judicibus & Conſulibus Communis Vicentiæ , & aliis multis ibidem in Conſilio Tergentorum , ad ſonum campanæ , more ſolito , coadunato , Dominus Guido de Raude , Vicentiæ *Poteſtas , de voluntate & parabola totius Conſilii , &* pro Communi Vicentiæ , & omnes de Conſilio , *fecerunt & ordinaverunt Dominos Craſſum de Ronco & Andream Bravium Judicem ſuum , & ſuos Nuntios , Syndicos , Acto-* B *res, & Procuratores,* ad faciendam , complendam , contrahendam , ſeu diffiniendam Societatem inter Commune Paduæ, Veronæ, Mantuæ, Brixiæ, & Ferrariæ , *ſecundùm quod Padua , & dictæ Civitates facient , & ſecundùm* quod Anciani , ſeu Rectores Lombardiæ , Marchiæ , & Romagnæ , *quibus commiſſum eſt hoc negotium , ſeu committetur , ordinare voluerint: eo ſalvo , & ſpecialiter ad reformationem pacis, & boni ſtatus Veronæ , & ad ſpecialem utilitatem, commodum & bonum ſtatum tantummodo illius Veronæ , Paduæ , Mantuæ , Brixiæ , Vicentiæ , & Ferrariæ ſolummodo . Et quidquid neceſſe fuerit facere circa dictam Societatem tantùm , promittentes de rato .*

Ego Arpulinus Mutius , ſacri Palatii Notarius interfui , & hoc ſcripſi .

De Societate Paduæ, Anno 1231.

In nomine Domini Dei æterni . Anno ejuſdem Nativitatis Milleſimo Ducenteſimo Trigeſimo Primo , Indictione IV. die X. intrante Julio . Dominus Guifredus de Lucino , Paduæ Poteſtas , de voluntate Conſilii Quadringentorum, Gaſtaldionum , & Frataliarum Paduæ , *ad ſonum campanæ more ſolito congregati , pro ipſo Communi , & ipſum* Conſilium univerſum , *ore ad hæc interrogatum , fecerunt, conſtituerunt & creaverunt Albertum Corvum, Syndicum , Procuratorem , & Actorem* ad faciendam , contrahendam , & complendam pro ipſo Communi Societatem cum Civitatibus Brixiæ, Mantuæ, Veronæ , Ferrariæ ac Vicentiæ, *ad voluntatem & præceptum Rectorum & Ambaxatorum , quibus commiſſum eſt hoc negotium. Et ad faciendum circa Societatem prædictam quidquid neceſſe fuerit : promittentes de rato . Eo tamen ſalvo , & expreſſim acto , & tali conditione , quod* Rectores Societatis Lombardiæ , Marchiæ, & Romagnæ, *qui ſunt, vel pro tempore fuerint , non poſſint , vel poſſit , nec Ambaxiatores vel alii , quibus hoc commiſſum ſit vel fuerit , poſſint vel poſſit , nec debeat ſe intromittere , vel imbrigare , vel præceptum facere unum vel plura , nec Syndicus recipiens de aliqua vel ſuper aliqua Societate , vel Cittadinantia , quam Commune Paduæ habeat cum ali-* C *qua Civitate vel Loco vel aliqua Perſona , & ſpecialiter* de Cittadinantia & Societate contracta cum Domino B. *Dei gratiâ* Patriarcha Aquilejenſi , & Domino O. *Dei gratiâ* Epiſcopo Feltrenſi & Bellunenſi , & Commune & Hominibus Vicentiæ & Mantuæ . *Nec de aliquibus juriſdictionibus vel honoribus, vel poſſeſſione , vel quaſi , quas Commune Paduæ , vel aliquis Civis Paduanus habeat , teneat , vel poſſideat, vel quaſi . Nec de aliquibus expenſis per Commune Paduæ faciendis , ſeu aliqua reſtitutione damnorum in his exceptatis , niſi Syndicus Communis Paduæ aliquod mandatum habeat ſuper iis .*

Actum fuit hoc in Palatio Paduæ . Teſtes D *fuerunt Magiſter Cazolus , & Dominus Alamannus Judices Poteſtatis , Dominus Jacobus ejus Miles , & Dominus Nicolaus Ægidioli de Vito , & alii multi .*

Ego Magiſter Rolandinus Notarius , exiſtens in Officio Sigilli , coram dicto Domino Guifredo Poteſtate Paduæ , juſſu ipſius & Conſilii , hoc ſcripſi .

Acceſſerunt Ferrarienſes & Mantuani ad idem Fœdus eo ipſo Anno , qua de re certiores nos faciet Inſtrumentum in eodem Eſtenſi Archivo adſervatum .

Ferrarienſium

Ferrarienſium & Mantuanorum pacta, per quæ Societati Lombardiæ, Marchiæ, & Romaniæ adhærent, Anno 1231.

IN Dei æterni nomine. Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Trigeſimo Primo, tempore Gregorii Papæ, *&* Frederici Imperatoris, *die Sabbati, XII. intrante Menſe Julii, Indictione IV. in Civitate Mantuæ, in Palatio Communis ejuſdem Civitatis, in pleno Conſilio coadunato ad ſonum campanæ, ſicut conſuetudo eſt Civitatis prædictæ: in præſentia horum teſtium, Domini Bonifacii de Bonoconſilio, Domini Guidonis de Boncambio, Juriſperitorum, Domini Aldi Judicis de Verona, Oldradi Faſioli Notarii de Mediolano, Arpinelli Notarii de Vicentia, Bernardini Notarii de Bononia, & aliorum multorum. Quum Dominus Opizus Salvaticus de Civitate Placentiæ, & Dominus Guido de Bilieni de Civitate Bononiæ, tunc Antiani Rectorum* Societatis Lombardiæ, Marchiæ, & Romagnæ, *dediſſent in mandatis* Domino Lauderengo Poteſtati Mantuæ *pro ipſa Civitate, & toti Conſilio, & Dominis Albertano Judici, & Lanfranchino de Rodengo*, Syndicis Civitatis Brixiæ, *& Dominis Craſſo de Runco, & Andreæ Bravo Judici*, Syndicis Communis Vicentiæ, *& Domino Alberto Corvo*, Syndico Paduæ, *& Domino Bono Judici*, Syndico Civitatis Veronæ, *& Dominis Papazono de Aldigeriis, & Naximbeni Judici*, Syndicis Civitatis Ferrariæ, *nomine & vice ſupradictarum Civitatum, quatenus Societatem dictarum Civitatum ordinatam per prænominatos Antianos, & tunc temporis Rectores, & ſcriptam per Oldradum Faſiolum Notarium tunc Rectorum Societatis Lombardiæ, jurare deberent; ad hæc ſurrexerunt in pleno Conſilio dicti Domini Papazonus & Naſcimbene Judex, Syndici Communitatis Ferrariæ, & ante aliquod juramentum per eos factum coram præfatis Antianis & Rectoribus, proteſtati fuerunt, dicentes nomine & vice Civitatis Ferrariæ, quod parati erant jurare Societatem & omnia facere ſecundùm tenorem Inſtrumenti Syndicatus eorum & ſecundùm formam Literarum tranſmiſſarum* Poteſtati & Communi Ferrariæ *ab Antianis & Rectoribus Societatis prædictæ, eo ſalvo, quod quidquid contineatur, vel ſcriptum ſit in ipſa Societate, non præjudicet, nec nocere poſſit Communi Ferrariæ, ne Antiani, qui ſunt, vel per tempora erunt vel Rectores Civitatum, aliquod gravamen haveris vel perſonarum Communi Ferrariæ imponere poſſint occaſione Societatis jam dictæ. Ad hæc in continenti ſurrexit Dominus Lauderengus* Poteſtas Mantuæ pro ipſa Civitate, *& primo juravit, Societatem dictam in omnibus, ſicut in ea per Oldradum Faſiolum ſcriptum eſt, & pacem Veronæ manutenere, & operam dare toto ſuo poſſe, quod obſervetur. Et omnia prædicta jurantibus Syndicis prælibatis Civitatum dictarum, juraverunt etiam Domini Papazonus & Naſcimbene*, Syndici Ferrariæ, *inſertâ tamen in eorum juramento condictione prædicta, quod Commune Ferrariæ occaſione dictæ Societatis vel concordiæ, nullum onus ſolvendi haveris aliqua occaſione debeat tolerare. Remittente & abſolvente dicto Loderingo Poteſtate Mantuæ pro ipſa Civitate ſub vinculo ſui ſacramenti, & Conſilio univerſo, quod omnes ſigillatim tunc*

A *juraverunt expreſſim, Dominis Carvolo & Bonanocte Ygillini de Muſto, Syndicis & Procuratoribus partis Comitis, & eorum, qui tunc habitabant apud Sanctum Bonifacium & Montem Sambanum, & pro parte dicti Comitis, eorum nomine & vice, & Procuratoribus Comitis, Guillielmi de Lendenaria, Pegorarii, Leonis de Carceribus, & aliorum quatuordecim, qui cum eo capti erant, eorum nomine & vice, & Domino Bono Syndico partis intrinſecus Veronæ, nomine ipſius partis, ſtipulantibus omnia juramenta, pactiones, promiſſiones, vincula, obligationes perſonarum vel bonorum, quæ retro inter Commune Mantuæ intus vel extra cum Comite Rizardo, & tota ſua parte paruiſſet* B *feciſſe, vel cum aliquo vel aliquibus de ſua parte ejus occaſione, remoto omni ſophiſmate & ingenio. Et nullum Inſtrumentum vel Inſtrumenta exinde facta deinceps obtineant vigorem & nullam habeant firmitatem; ſed penitus ſint caſſata & in irritum redacta. Et in ipſo eodem juramento continetur, quod deinceps in æternum nullum ſacramentum, nullam conſpirationem, nullum vinculum facient cum Comite dicto, vel aliquo ſeu aliquibus de ſua parte. Et verſâ vice dicti Syndici remiſerunt & abſolverunt dictum Lauderengum Poteſtatem Mantuæ pro ipſo Communi, & totum Commune Mantuæ a dicta promiſſione & obligatione & pacto inter eos hactenus facto, & Inſtrumenta* C *omnia exinde facta, caſſa & inutilia, & nullius momenti ſint vel valentiæ. Promittentes dicto Lauderengo Poteſtati, ſtipulanti nomine ipſius Civitatis, ſe cum dicto Commune Mantuæ in æternum ullam pactionem, conſpirationem, juramentum, vel Societatem aliquam non facturos.*

Sub eodem Milleſimo, die Dominico, XIII. intrante Julio præſentibus dictis teſtibus in plena concione coadunata in Platea, ubi Mantuani ad concionem conveniunt in ipſa Civitate Mantuæ, Cogoza præco de mandato Domini Lauderengi Poteſtatis Mantuæ ſub animabus omnium Mantuanorum concionis, licentiâ ab eis habitâ eo tenore, quo juraverunt Mantuani & D *Poteſtas eorum in Conſilio, ſicut ſupraſcriptum eſt, omnia dicta attendere & obſervare corporaliter juravit.*

Sub prædicto Milleſimo & Indictione, die Martis XV. intrante Julio, præſentibus teſtibus prædictis, Dominus Salinguerra Poteſtas Veronæ *in pleno Conſilio coadunato, ſicut mos eſt & conſuetudo illius Civitatis, ſuper animabus omnium de Conſilio Veronenſium, licentiâ ab eis habitâ & parabolâ*, Societatem & Concordiam Brixiæ, Mantuæ, Paduæ, Vicentiæ, Ferrariæ, ac Veronæ, *ſicut in ipſa concordia ſcriptum eſt per Oldradum Faſiolum Notarium Rectorum, & eorum mandato, & Pacem Veronæ attendere, obſervare & firmam tenere* E *corporaliter juravit.*

Et ego Zacharias, Dei gratiâ ſacri Palatii Notarius, ut audivi & intellexi, his omnibus præſens fui & ſcripſi.

Acta hæc Anno MCCXXXI. Sed ante Annum illum monumenta ab Odorico Raynaldo in

in Annalib. Eccleſiaſtic. evulgata indicant, Societatem Lombardorum in Fridericum II. pro Pontifice inſurrexiſſe, quum Anno MCCXXVII. & MCCXXX. pax inter eos reſtaurata deprehendatur. Rolandinum quoque habeo teſtem Anno MCCXXXI. iterum coaluiſſe Societatem Lombardorum. En ejus verba Lib. 3. Cap. 6. Chronici: *Quum electus fuiſſet Wilffredus de Lucino in hoc MCCXXXI. Anno, adhuc in XXXII. poteſtabatur in Padua. Ivit ergo in Lombardiam, Ambaxiatoribus de Padua honorifice ſociatus; & inſtitit tam fideliter & prudenter cum Poteſtatibus & Rectoribus Lombardiæ, quod renovata ſunt Sacramenta, & Lombardorum Societas eſt firmata.* Dubitare tamen cogor, an ſatis recte Odoricus Raynaldus concordiam inter Fridericum II. & Civitates Fœderatas initam retulerit ad Annum MCCXXX. Equidem novi, Anno MCCXXXII compromiſſum fuiſſe in Papam quamlibet eorum controverſiam, qui revera Laudum tulit Anno ſubſequente. Hujus rei teſtes adſero tabulas, quas ex Eſtenſi Archivo depromſi.

Sententia vel Laudum Gregorii Papæ IX. inter Fridericum Auguſtum hujus nominis II. & Civitates Lombardiæ, Marchiæ, & Romaniæ, Anno 1233.

GRegorius *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei dilectis filiis* Rectoribus Societatis Lombardiæ, Marchiæ, & Romaniæ, *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum jam dudum inter cariſſimum in Chriſto filium noſtrum* Fredericum *illuſtrem* Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum, Hieruſalem & Siciliæ Regem *ex parte una, & Vos ex altera, ſuper quibusdam articulis exprimendis inferius, inimico homine ſuperſeminante zizania, gravis diſcordia orta eſſet, Nos attendentes animarum pericula, ſtrages corporum, damna rerum, & Eccleſiarum ac religioſorum Locorum exitia, quæ poſſent ex hujuſmodi diſcordia obvenire, & quod res, niſi obſiſteretur principiis, multum eſſet allatura diſcriminis, & in malum alterius progreſſura, cœpimus inter Vos, & eumdem Imperatorem pacis conſilia cogitare. Quapropter futuris obviare periculis cupientes, dilectos filios noſtros, I. Peneſtrinum Electum, & O. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, ad partes Lombardiæ, commiſſo eis plenæ Legationis officio propter hoc providimus deſtinandos. Quibus ad bonum pacis interponentibus efficaciter partes ſuas, poſt labores multiplices, utraque pars in Cardinales eoſdem Eccleſiæ Romanæ nomine ſolemniter compromiſit. Forma verò compromiſſi hæc eſt.*

In nomine Domini. Amen. Anno ejuſdem Milleſimo Ducenteſimo Trigeſimo Secundo, Indictione V. die Jovis XIII. intrante menſe Madii, temporibus Domini Gregorii Papæ IX. & Domini Sereniſſimi Friderici *Dei gratiá* Romanorum Imperatoris ac ſemper Auguſti, Hieruſalem, & Siciliæ Regis, *in Civitate Paduæ apud Epiſcopatum in Sala domus Domini Landolfi Canonici Paduæ, præſentibus teſtibus rogatis, ſcilicet* Domino Jacobo *Dei gratiá* Epiſcopo Paduæ, Domino Nicolao *eádem gratiá* Regino Epiſcopo, *Domno Jordano Priore Sancti Benedicti de Padua, Magiſtro Raynaldo Capellano* Domini Jacobi Peneſtrini Electi, *Cive Placentiæ, Magiſtro Ægidio Scriptore Domini Papæ, Cive Romano, Domino Oddone de Fontana, Cive Placentiæ, Magiſtro Cazolo de Laudo, Domino Allamanno de Creſcenzano, Judicibus Poteſtatis Paduæ, & Magiſtro Cognoſcente de Florentia. Ad honorem omnipotentis Dei, beatorum Apoſtolorum ejus Petri & Pauli, & ſanctiſſimæ matris noſtræ Eccleſiæ,* Domini Papæ, *venerabilium* Dominorum Cardinalium Jacobi Peneſtrini Electi, & O. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconi Cardinalis, *Apoſtolicæ Sedis Legatorum, & ſereniſſimi* Domini Frederici *Dei gratiá Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, Hieruſalem, & Siciliæ Regis, &* Societatis Lombardiæ, Marchiæ, & Romaniæ: *quum venerabiles Cardinales Domini Jacobus Peneſtrinus Electus, & O. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legati; ſicut in ſuæ Legationis literis plenius continetur, jam diu requiſiſſent, quod Dominus Fridericus Dei gratiá Romanorum Imperator ex una parte, & Rectores & Ambaxatores infraſcripti Civitatum infraſcriptarum Societatis Lombardiæ, Marchiæ, & Romaniæ, & ipſæ Civitates & Societas ex altera ſuper diſcordia, quæ inter Dominum Imperatorem prædictum & ipſam Societatem verti videbatur, ſe committerent & compromitterent: ipſe Imperator ex una parte & ipſi Rectores & Ambaxatores, nomine ſuæ Civitatis ſinguli, & nomine Societatis univerſi, in ipſos Dominos Legatos, ſecundùm formam articulorum, ſive capitulorum inferius adnotatam, nomina quorum Rectorum & Ambaxatorum & Civitatum ſunt hæc ſcilicet:* pro Mediolano *Domini Ruffinus de Mandello,* Lampugnanus *Marcellinus Rectores,* Wiſredus *de Puſterla, & Henricus Gambaro Judex, Ambaxatores Communis Mediolani:* pro Brixia *Dominus Ognabene de Peſazio Judex & Rector:* pro Bononia *Dominus Aimericus Arpinelli* Legum, *& Dominus Urſolinus de Urſis Rectores:* pro Placentia *Dominus Lanfrancus de Lando Rector:* pro Padua *Dominus* Wiſredus *de Lucino, Cumanus Civis, Poteſtas Paduæ, Domini Nicolaus Matthæi de Flabiano Judex, Henricus de Manfredis, Rectores:* pro Ferraria *Domini* Wido *Viſdominorum, Menaboi, Rectores:* pro Faventia *Domini Gerardus Arcolanus Judex, Guido de Marzano, Rectores:* pro Cumis Petrus *de Roma, Nuntius & Procurator ipſius Communis de Cumis:* pro Mantua *Domini Uguitio Advocatus, Martinus de Bonacoſis, Rectores; qui ambo Rectores de Mantua conſenſerunt & compromiſerunt in dictos Dominos Legatos, ſecundùm formam ſuperius & inferius denotatam in omnibus, & per omnia, ſequenti die Veneris immediate XIV. intrante Madio, in Sala Palatii Domini Epiſcopi Paduæ, quæ eſt verſùs meridiem, præſentibus teſtibus rogatis, ſcilicet Domino Nicolao Epiſcopo Regino, Domino Jordano Priore Sancti Benedicti de Padua &c.* (ut ſupra.) *Forma autem articulorum. ſive capitulorum hæc eſt.*

Cum Dominus Fredericus Imperator graviſſime a Societate Lombardiæ Marchiæ & Romaniæ aſſerat ſe offenſum, pro eo videlicet, quod Curiam ſuam, quam Ravennatibus indixerat pro ſuccurſu Terræ Sanctæ, diſpoſitione Imperii, & aliis quibuſdam neceſſariis & honeſtis impedierint, ut dicit, non permittendo venire filium ſuum & Principes Alamanniæ per vias, ſive ſtratas Imperiales ad ipſum, nec adhuc permittant, quinimmo ſibi & ſuis tranſitum impediant, ut proponit. E contrario verò Societas dicatur timere de ipſo, ne velit malum, & gravamen inducere ſuper eos, & ideo ſi qua faciunt vel fecerunt, pro defenſione ſua ſe facere aſſerunt & feciſſe. Et Dominus Papa cum fratribus ſuis attendens, quod ex hoc talis & tanta poſſet diſcordia ſurgere, & jam eſſe immanis videbatur, quæ poſſet toti Chriſtianitati grave diſpendium irrogare, præcipue propter impedimentum ſubſidii Terræ Sanctæ: ac volens tantis periculis præcavere, Dominum Jacobum Peneſtrinum Electum, & O. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconum Cardinalem ad partes iſtas cum plenæ Legationis officio deſtinarit, ſicut in ſuæ Legationis Literis plenius continetur; requirunt præfati Cardinales, tamquam Legati Sedis Apoſtolicæ, & propter factum pacis ſpecialiter deſtinati, ut ſuper diſcordia ſupra dicta ipſis Legatis nomine ſuo & nomine Romanæ Eccleſiæ Dominus Imperator, & præfata Societas, & Civitates ejuſdem Societatis taliter ſe committant, ſcilicet quod de ſatisfactione idonea Imperatori præſtanda, de ſecuritate eidem Societati facienda & firmanda, & modo adhibendo idoneo, ſi Imperator velit, filio ſuo & Principibus Alamanniæ venientibus ad ipſum, a dicta Societate liberum tranſitum exhiberi; primo tractetur per ipſos Legatos inter Imperatorem & Societatem præfatam. Et ſi de communi conſenſu poterit negotium expediri, Deo gratiæ referantur. Sin autem iidem Legati habeant poteſtatem, ut expoſitis omnibus, quæ difficultatem habeant, Domino Papæ, & Fratribus ſuis, juxta ipſius mandatum & conſilium percipiant, ordinent, & diſponant quidquid ad ſedandam diſcordiam & pacem firmandam viderint pertinere ſuper articulis ſupraſcriptis. Et ſi inter Imperatorem & memoratam Societatem aliqui etiam articuli apparerent, ex quibus poſſet diſcordia generari, vel foveri concepta, placeat ut eodem modo & ordine ſopiatur. Ideoque venerabilis Magiſter Hermannus Hoſpitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum in Hieruſalem Nuntius & Procurator ſereniſſimi Domini Imperatoris præfati, ſicut in Literis Imperialibus Bullâ aureâ bullatis ſui mandati dignoſcitur plenius contineri, ibidem viſis & lectis, procuratorio nomine Domini Imperatoris ejuſdem, & pro ipſo Imperatore ex una parte, & ſupraſcripti Rectores & Ambaxatores nomine dictarum Civitatum, & pro ſuis Civitatibus, ac pro ipſa Societate ex alterâ, ſicut erant quilibet a ſua Civitate ſuper hoc ſpecialiter deputati, ut oſtendebant Rectores & Ambaxatores cujuslibet Civitatis per publica Inſtrumenta, nomine ſuæ Civitatis, cujuslibet Civitatis Rectores & Ambaxatores, & nomine Societatis prædictæ inſimul univerſi, ita tamen quod pro illis Civitatibus, quæ licèt ſint vel fuerint de Societate, quæ huic tamen commiſſo & compromiſſo non conveniunt cum eis, nullatenus teneantur, conſenſerunt & compromiſerunt in præfatos Dominos Legatos: ſcilicet ipſe Magiſter Hermannus pro parte Imperatoris ex una parte, & A ipſi Rectores & Ambaxatores ex altera, ſicut erant deputati a ſuis Civitatibus per dicta publica Inſtrumenta, tamquam in Judices Ordinarios vel Arbitros ſeu arbitratores, ſive amicabiles Compoſitores, ſicut res melius valere poterit, ſecundùm formam & articulos ſupradictos ſuper negotio memorato.

Solemniter promittentes Dominis Legatis præfatis tam dictus Magiſter Hermannus pro Domino Imperatore, quam præfati Rectores & Ambaxatores nomine ſuarum Civitatum & Societatis præfatæ, & invicem inter ſe ſtare de prædicto negotio eorum ſententiæ, arbitrio ſive laudo, ſive amicabili compoſitioni, ordinationi, ſive dicto, mandato, voluntati, ſive præceptis B in articulis ſupradictis. Et generaliter eorum omnimodæ ordinationi factæ ſemel vel pluries, præſentibus partibus vel abſentibus, ſimul vel per partes, ſicut ipſis Legatis melius videbitur expedire. Salvâ ſemper ſubſtantiâ formæ ſuperius adnotatæ. Item promiſerunt eodem nomine, ſcilicet Magiſter Hermannus præfatus nomine Domini Imperatoris, ex parte ipſius Imperatoris, & pro ipſo Domino Imperatore, & ipſi Rectores & Ambaxatores nomine Societatis, ipſis Legatis pro ſe & Romana Eccleſia recipientibus, pœnam viginti millium Marcharum argenti pro qualibet parte ſi contra facerent aut venirent, quæcumque pars contra faceret, vel veniret. Quam etiam pœnam promiſerunt pars C parti viciſſim ſtipulanti ſolemniter, ſcilicet idem Magiſter Hermannus nomine Imperatoris & pro ipſo Imperatore, & præfati Rectores & Ambaxatores nomine præſcriptarum Civitatum & Societatis præfatæ, ita quod qualibet Civitas pro rata teneatur ad pœnam, ſi dictus Imperator pareret arbitrio, & Societas non pareret. Si autem una Civitas tantùm, vel plures arbitrio non parerent, illa vel illæ, quæ contra facerent, aut venirent, pro ſua portione tantummodo teneantur; aliæ verò, quæ ſervarent arbitrium, nihil propter hoc ſuſtineant oneris. Quod ſi idem Imperator Societate parente arbitrio non pareret, aut contra faceret vel veniret, promiſit idem Magiſter Hermannus nomine Imperatoris, D & pro ipſo Imperatore ipſis Legatis, & adverſæ parti, dictam pœnam ſolvere ac præſtare parti ſervanti, pœnâque commiſsâ exactâ, ſolutâ vel non, ſervare arbitrium utraque pars nihilominus teneatur. Poſſint etiam dicti Legati & Romana Eccleſia dictum Dominum Imperatorem & Civitates ipſas & Societatem compellere per Cenſuram Eccleſiaſticam ad ipſum arbitrium obſervandum, quoties a parte vel a partibus fuerit contra factum. Hoc autem commiſſum & compromiſſum receperunt dicti Legati nomine ſuo & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ita quod ſi non poſſet per eoſdem negotium terminari, Dominus Papa cum Fratribus ſuis, ſicut ei placuerit, de ipſo diſponat, receptis & E factis eiſdem promiſſionibus in perſona Domini Papæ licèt abſentis, ſub eodem modo, pœnis & forma, quæ ſuperius & inferius eſt notata. Inſuper promiſerunt utraque pars ipſis Legatis ſuo nomine, & nomine Romanæ Eccleſiæ recipientibus, & inter ſe viciſſim ſervare dies & terminos ſibi datos pro negotio pacis proſequendo & terminando uſque ad finem negotii conſumati, ſub pœna arbitrio ipſorum Cardinalium, & arbitrio Romanæ Eccleſiæ imponenda. Item promiſerunt utraque pars eiſdem Legatis ſuo nomine & nomine Romanæ Eccleſiæ recipientibus, & ſibi viciſſim per ſtipulationem ſervare omnia mandata, quæ illis facient, ſcilicet utrique

parti

parti vel alteri, in articulis ſupraſcriptis, & eorum acceſſoriis circa ipſos articulos occaſione iſtius pacis proſequendæ, firmandæ, & conſummandæ, ſive prohibendo, ne aliquod fiat, ſive præcipiendo, ut fiat, quod ad Pacis negotium viderint pertinere. Et hoc poſſint præcipere ſive prohibere ſub qua pœna viderint expedire: reſervatâ eiſdem Legatis & Domino Papæ poteſtate interpretandi, ſi aliquod dubium fuerit, ad ſuam voluntatem omnia ſupradicta. Hoc acto in ipſo compromiſſo voluntate ipſorum Legatorum, & voluntate utriuſque partis, ſcilicet, quod illæ Civitates, Loca, vel Caſtra, aut Perſonæ, quæ ſunt de Societate, ſi volunt, admittantur & recipiantur ad ſimile commiſſum & compromiſſum in omnibus & per omnia hinc ad octo dies poſt feſtum Sancti Johannis de menſe Junii, proxime venturi. Inſuper prænominatus Magiſter Hermannus procuratorio nomine Domini Imperatoris, & pro ipſo Domino Imperatore promiſit ſtipulatione ſolemni ipſis Legatis, ſuo nomine & nomine Romanæ Eccleſiæ recipientibus, & ipſis Rectoribus & Ambaxatoribus, nomine dictarum Civitatum, & nomine Societatis præfatæ Lombardiæ, Marchiæ, & Romaniæ recipientibus ſub dicta pœna viginti millium Marcarum argenti, quod Dominus Imperator firmum & ratum habebit quidquid promiſſum eſt ſupra per dictum Magiſtrum Hermannum. Et quod Dominus Imperator faciet filium ſuum Dominum Henricum illuſtrem Regem Romanorum firmum & ratum habere quidquid ſupra per ipſum Magiſtrum Hermannum promiſſum eſt in omnibus & per omnia ſub dicta pœna. Quâ ſolutâ vel non, prænominata omnia & ſingula in ſua ſemper maneant firmitate.

Ego Magiſter Rolandinus Notarius de Padua prædicto commiſſo & compromiſſo, aliiſque omnibus ſupraſcriptis interfui, mandatoque ipſorum Dominorum Cardinalium Legatorum, & rogatu partium ſcripſi, & publicavi.

Procuratoribus igitur partium propter hoc in noſtra præſentia conſtitutis ex parte Imperatoris fuit propoſitum coram nobis, quod eumdem Imperatorem Societas Lombardiæ, Marchiæ, & Romaniæ graviſſime offendiſſet, pro eo videlicet quod Curiam ſuam, quam Ravennæ indixerat, pro Terræ Sanctæ ſuccurſu, diſpoſitione Imperii, & quibuſdam neceſſariis & honeſtis aliis, impedivit, non permittendo venire filium ſuum & Principes Alamanniæ per vias ſeu ſtratas Imperiales ad ipſum: Procuratoribus Societatis ejuſdem e contrario proponentibus, Societatem ipſam dicto Imperatori nullas offenſas, nullaſque injurias intuliſſe; ſed ſi qua fecerint, dicebant eos ob propriam defenſionem feciſſe. Nos itaque iis & aliis, quæ fuerunt hinc inde propoſita, plenius intellectis, communicato Fratrum noſtrorum conſilio, de prudentia ſic duximus ordinandum. Ut videlicet Imperator ſuo & filii ſui ac Imperii nomine iis, qui ſunt de Societate prædicta, & univerſaliter ſingulis, & ſingulariter univerſis Civitatum & Locorum, quorum nomina in compromiſſo ſpecialiter ſunt expreſſa, & quæ poſtea infra tempus ibidem proviſum per ſe ſimile compromiſſum noſtro arbitrio commiſerunt, remittat omnem rancorem, malivolentiam, injurias, & offenſas; omnia quoque banna, conſtitutiones, ſententias, & ordinamenta, quæ occaſione hujus diſcordiæ fecit vel impoſuit per ſe vel per alium, aliuſve pro eo Societati, vel alii de Societate jam dicta, Civitatibus, Locis, & Perſonis de ipſa Societate, & quæcumque ex eis vel ob ea ſequuta ſunt, penitus revocet; univerſos, & ſingulos, qui occaſione alicujus prædictorum læſi videntur, reſtituens in integrum in omnibus & per omnia ſuo ſtatui atque famæ. Remittendo nihilominus infamiam omnem & pœnam, quæ ſecutæ ſunt ex aliquo præmiſſorum, ita quod ea, quæ medio tempore per eos acta ſunt, non obſtantibus ſupra dictis, robur obtineant, quod aliàs debuerant obtinere. Ad hæc Civitates, Loca, & Perſonas de ipſa Societate in compromiſſo contentas in plenitudinem gratiæ ſuæ recipiat, & eis faciat firmam pacem. Specialiter nobili viro Marchioni Montisferrati, Mediolano, Brixiæ, Bononiæ, Placentiæ, Paduæ, Cumis, Mantuæ, Ferrariæ, Faventiæ, *aliiſque Locis & perſonis quibuslibet Societatis ejuſdem. Faciat etiam fieri patentes Literas ex parte filii ſui, quod pacem & concordiam iſtam ratam habebit & firmam, & remittet illis de Societate omnem rancorem, malivolentiam, injurias & offenſas. Ii autem, qui ſunt de Societate præfata, ad honorem Dei omnipotentis & Eccleſiæ ſuæ ac ejuſdem Imperatoris, dent pro ſubſidio Terræ Sanctæ in expenſis Societatis prædictæ per biennium Milites quingentos in termino, quem Romana Eccleſia duxerit præfigendum; quos in eundo, morando & redeundo, Eccleſia Romana ſub ſpeciali protectione ſuſcipiet cum omnibus bonis ſuis. Ac Civitatibus, Locis, & Perſonis, Imperiali excellentiæ adhærentibus tam Eccleſiaſticis quam mundanis, firmam pacem inviolabiliter ſervent, remittentes eis omnem rancorem, malivolentiam, injurias, & offenſas. Ac revocent omnia banna, conſtitutiones, ſententias, & ordinamenta, quæ diſcordiæ occaſione præmiſſæ fecerunt vel impoſuerunt Civitatibus, Locis, & Perſonis, Imperiali celſitudini adhærentibus, & quæcumque ex eis ſequuta ſunt, vel ob ipſa. Ceterum alia, quæ in ejuſdem compromiſſi ſerie continentur, noſtræ providentiæ reſervamus. Ideoque Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, & ſub prædicta pœna præcipimus, quatenus præmiſſa omnia pro parte noſtra inconcuſſa ſervetis, ac ſuper hoc nobis juxta tenorem, quem vobis tranſmittimus, veſtras patentes Literas uſque ad feſtum beati Michaëlis proximo futurum mittere procuretis, per manum publicam ſcriptas, veſtri & quarumlibet Civitatum de ipſa Societate ſigillorum munimine roboratas.*

Datum Laterani Septimo Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Ego Bonaventura Magiſtri Petri filius, ſacri Imperii, Ferrariæque Notarius, hanc formam concordiæ ſive Laudi bullatam, & firmatam Bullâ Domini Papæ, in hoc Libro exemplavi: & ſicut in ipſo authentico vidi & perlegi, ita exemplavi & ſcripſi, nihil addens vel minuens me ſciente, niſi forſan literam vel ſyllabam, nec hoc quod mutet ſenſum vel ſententiam. Currente Milleſimo Ducenteſimo Trigeſimo Tertio, Indictione VI. die VI. intrante Septembri, tempore Poteſtariæ Domini Johannis de Boccaſſio Civis Brixienſis, Poteſtatis Ferrariæ.

Legiſti compromiſſum, de quo rogatus fuit *Magiſter Rolandinus Notarius de Padua*. Num ille idem, qui Hiſtoriam Patavinam, Tomo VIII. Rer. Italicar. a me recuſam, literis conſignavit poſt annos octo & viginti? Literas etiam habeo, quas eâ, ut opinor, occaſione Rectores Societatis ad Romanum Pontificem conſcripſere. Deſideratur in his Annus: ſed poſt Laudum ipſum ſubſequutæ videntur; quare & eas profero ex eodem Eſtenſi Chartophylacio excerptas.

Literæ Rectorum Societatis Lombardiæ ad Gregorium IX. Papam, Anno, ut videtur, 1233. vel 1234.

SAnctiſſimo Patri & Domino Gregorio, Dei gratiâ ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo & univerſali Pontifici, Rectores Societatis Lombardiæ, Marchiæ, & Romaniæ, & Univerſitates & Communia, & ſinguli prædictæ Societatis, oſcula pedum, & promtum in omni genere famulatum. Quæ pro bono Pacis ſunt a Compoſitore amicabili ordinata, & maxime a tanto Domino, qui præeſt in juſtitia debita univerſis, approbari, rataque haberi debent, & inviolabiliter obſervari. Literas, quas veſtra nobis Sanctitas deſtinavit ſuper Pace & Concordia, per veſtram clementiam factâ & præceptâ inter Miſſos & Procuratores Domini Friderici Romanorum ſereniſſimi & ſemper Auguſti, & Regis Hieruſalem & Siciliæ ex una parte, & Procuratores & Syndicos Societatis prædictæ, & ſingulos illius Societatis ex altera, devotione & debita reverentia recepimus; earumque tenore plenius intellecto, habito quoque ſuper his deliberato conſilio & tractatu, & de voluntate & conſilio Communium & Univerſitatum ſingularum prædictæ Societatis, ſigillis quorum Literæ iſtæ ſunt corroboratæ, Pietati veſtræ voluntatem & reſponſionem noſtram taliter ſuper his duximus exprimendam, videlicet, quod Pacem illam ratam habemus, ipſamque volumus obſervare.

A Remittimus inſuper omnem rancorem, malivolentiam, injurias, & offenſas, & revocamus omnia banna, conſtitutiones, ſententias & ordinamenta, quæ occaſione præmiſſæ diſcordiæ ſi quas vel ſi quæ fecimus vel impoſuimus Civitatibus, Locis, vel Perſonis, Imperiali Celſitudini adhærentibus, & quæcumque ex eis vel ob ipſa hactenus ſunt ſequuta. Et has Literas juſſimus per manum infraſcripti Notarii ſcribi cum ejuſdem ſubſcriptione & teſtium confirmatione, unde plures chartæ uno tenore ſcriptæ ſunt.

Ego Guillielmus de Sexto, qui & Abbas dicor, filius quondam Alberti de Sexto, Civis Mediolanenſis, publicus Notarius ſcripſi ex B mandato prædictorum Rectorum mihi facto, in Palatio Communis Brixiæ, ubi prædicti Rectores convenerant. Et hoc præſentibus teſtibus ibi rogatis, Petro de Lanzano Notario de Placentia, & Beraldo de Coa-lunga Notario de Padua, & Petro Franzigena, Notario de Cario.

Anno deinde MCCXXXV. acceſſere ad prædictum Fœdus Ferrarienſes: quod mirere, quum Ferrariæ primas partes adhuc teneret Salinguerra, addictiſſimus Friderico II. & Eccelino de Romano. Accipe tabulas ex eodem Archivo Eſtenſi hauſtas.

Renovatio Societatis Ferrarienſium cum Societate Lombardiæ, Anno 1235.

IN Chriſti nomine. Anno ejuſdem Nativitatis Milleſimo Ducenteſimo Trigeſimo Quinto, Indictione VIII. Brixiæ, tempore Gregorii Papæ, & Federici Imperatoris, die Lunæ V. intrante Novembri, præſentibus Domino Bona-paxe Milite Domini Johannis de Porta Poteſtatis Ferrariæ, Chriſtofaro Notario Mediolanenſi, & Johanne de Sala Notario de Bononia, teſtibus rogatis & vocatis, in camera Salæ Domini Gualæ Epiſcopi Brixiæ. Ibique Dominus Johannes de Porta Civis Brixiæ & Ferrariæ Poteſtas, & Dominus Guizardinus Contrarius, & Dominus Naſcimbene Judex, Ambaxatores & Rectores Communis Ferrariæ, nomine & vice dicti Communis, proteſtati fuerunt, & expreſſe dixerunt Dominis Bartholomæo de Naſcinturre, tunc Antiano Societatis Lombardiæ, Urſulino de Bari, Guala de Libida, Alberto Boniperti de Novara, Spitio Incoardo, Ruffino de Mandello de Mediolano, Gerardo Ercolano, Napuliono de Laërdo de Faventia, & Griffolino de Griffis de Brixia, tunc Rectoribus Societatis prædictæ, quod parati erant pro Communi Ferrariæ, reformare Societatem prædictam ſecundùm antiquum modum & formam, ita quod dictæ Poteſtati Ferrariæ, & ipſi Communi reſerventur omnes bonæ conditiones, quæ fuerunt ſtatutæ & promiſſæ Communi Ferrariæ eo tempore, quando dictam Societatem primo juraverunt. Et quod dicta Poteſtas & Commune Ferrariæ non tenean- C tur pro dicta Societate vel occaſione dictæ Societatis ſubire aliquod onus expenſarum vel ullam tagliam militum vel peditum, aut aliquod aliud onus, quod imponi poſſet per prædictos Rectores, aut eorum ſucceſſores, cum dicta Civitas Ferrariæ ſit gravata hactenus multis oneribus impenſarum propter civilem diſſenſionem, & propter inundationem aquarum, & propter alias graves & intolerabiles gravitates, quæ paſſa fuit & eſt dicta Civitas & ſpecialiter propter ſervitia hactenus facta Societati prædictæ. Sed prædicta Poteſtas & prædicti Rectores & Ambaxiatores dicunt & aſſerunt & volunt, quod Civitas Ferrariæ ſit de Societate prædicta in hunc modum, ſcilicet in dando vias, & in D aliis, quæ circa hæc fuerint opportuna ſecundùm poſſibilitatem dictæ Civitatis Ferrariæ, & in vetando Teutonicis & eorum fautoribus, ne per vias & aquas Ferrariæ vadant & veniant ad offenſionem & detrimentum Societatis Lombardiæ. Qui Dominus Bartholomæus Antianus una cum ſupradictis Rectoribus præfatum Poteſtatem Ferrariæ & dictos Rectores pro Communi Ferrariæ ſecundùm ſupradictum modum, & ſicut prædixerunt, ad Societatem prædictam receperunt, affirmaverunt, & approbaverunt, & eos jurare fecerunt.

Et ego Aribertus Dei gratiâ ſacri Palatii Notarius his omnibus interfui, rogatus ſcribere ſcripſi & complevi.

Poteſtas Ferrarienſis cum aliis Poteſtatibus jurat Societatem Lombardorum, Anno 1235.

IN *Chriſti nomine . Anno ejuſdem Nativitatis Milleſimo Ducenteſimo Trigeſimo Quinto , Indictione VIII. Brixiæ , tempore* Domini Gregorii Papæ , *&* Federici Imperatoris, *die Mercurii VII. intrante Novembri , in publica concione Brixiæ , præſentibus Domino Bonapace Milite Poteſtatis , Guidone de Raule , Tederico de Villa de Mediolano , Bonaventura Notario de Faventia , Griſtoforo Notario de Mediolano , & aliis , ubi Dominus Umbertus Saccus* Mediolani Poteſtas , *Dominus Ubertus de Mandello* Poteſtas Laude , *Dominus Florius de Caſtelletto* Poteſtas Novariæ , *Dominus Reſonatus Putei-Bonelli* Poteſtas Alexandriæ, *Dominus Conradus de Conceſo* Poteſtas Cumi, *Dominus Rainerius Zeni* Poteſtas Triviſii, *Dominus Octus de Mandello* Poteſtas Paduæ, *Dominus Carnelvarius de Uzine* Poteſtas Bononiæ , *Dominus Paganus de la Turre* Poteſtas Brixiæ, *& Dominus Andreas Domini Aldrevandini , nomine & vice* Poteſtatis Faventiæ , *juraverunt & reformaverunt* Societatem *prædictam. Et præfatus* Dominus Johannes de Porta Ferrariæ Poteſtas, *nomine & vice* Communis Ferrariæ *in dicta concione juravit dictam* Societatem Lombardiæ , Marchiæ , & Romaniæ , *ſecundùm modum & formam & conditionem , quam dixerat & propoſuerat Dominis Bartholomæo Antiano & Urſulino Judici , Rectoribus Bononiæ , & eorum ſociis . Proteſtatus fuit , quod in nullo alio vult teneri pro Communi Ferrariæ , nec ipſum Commune ipſis Rectoribus vel Societati prædictæ , niſi ſecundùm quod prædixerat , & cum ſupradictis Antianis & Rectoribus fuerat & eſt in concordia , & ſcriptum reperitur per me Aribertum Notarium . Qui Rectores ſecundùm modum ſupradictum receperunt eum & jurare fecerunt in dicta concione.*

Et ego Aribertus , Dei gratiâ ſacri Palatii Notarius, his omnibus interfui, & quæ audivi & intellexi , rogatus ſcribere ſcripſi .

Munus autem fuit Rectorum Societatis Langobardicæ intercedere , ne in ſingularia bella erumperent finitimæ Civitates , aut ut diſcordiæ jam pullulantes inter eas , quàm citò fieri poſſet , componerentur . Exempla proſtant in Hiſtoriis eorum temporum . Unum tamen ego proferre ſtatui , deductum ex ſupra laudato Archivo Eſtenſi .

Petitio facta a Societate Lombardorum Conſulibus Ferrariæ, ut tranſitum per aquas Padi aperiant, & apertum teneant, Anno 1177.

IN *Chriſti nomine . Anno Dominice Nativitatis MCLXXVII. tempore* Alexandri Papæ , *&* Federici Imperatoris , *die VII. intrante Menſe Madii , Indictione X. retro Altare Sancti Georgi Epiſcopatus Ferrariæ ante Tertiam . Cum veniſſent* Rectores Lombardiæ *&* Nuntii Venetiæ , *ſcilicet Johannes Michaël, Johannes , & alii Lombardi Ferrariam, & dicebant Conſulibus Ferrariæ , ut jurarent aquam Padi aperire , & apertam tenere , ſcilicet Albertus de Gambara* de Brixia, *Adubato* de Mediolano , *Maladubitus* de Placentia , *Pio* de Mutina , Rectores Societatis Lombardorum : *Reſpondebant Conſules Ferrariæ , ſcilicet Petrusbonus Pagani , Guido Judex, Iſnardus, & alii , quod non facerent , niſi prius ſcirent eorum intellectum pro ſacramento . Quod prædicti Rectores juraverunt per Dei Euangelia , quod eorum intellectus , & intellectus Ducis Venetie, & ſuorum Nuntiorum talis erat ; & ita erant concordes , quod ſi Ferrarienſes jurarent tenere aquam Padi apertam , & alii non tenerent aquam Padi apertam eis , quod Ferrarienſes non tenerentur aliis tenere aquam Padi apertam, ſed liceret eis reſeratam tenere : & quod de cetero nullum præceptum ab eis , vel a Nuntiis Venetie haberent . Hoc facto Conſules juraverunt in concione .*

Teſtes Comes Azzo, Aldruvandinus Magiſtri Gafredi , Albertus de Bergamo , & alii , Johannes Duſdeus , Rambertus Judex , & multi alii .

Et ego Magiſter Presbiterinus tunc Ferrarie Notarius hanc Cartam ſcripſi .

Explicatio

Explicatio Juramenti a Conſulibus Ferrarienſibus facti Rectoribus Lombardiæ, de aperiendo libero tranſitu per aquas Padi, Anno 1177.

I*N Chriſti nomine . Anno Dominice Nativitatis Milleſimo Centeſimo Septuageſimo Septimo , tempore* Alexandri Pape , *&* Federici Imperatoris , *die Septimo introëunte Menſe Madii , Indictione X. in Civitate Ferrarie . Breve recordationis ſive poſteritatis ad memoriam retinendam , qualiter Guido Judex , Petrusbonus de Pagano , Aldigerius de Bereo , & alii Ferrarienſes Conſules juraverunt per Sancta Dei Euangelia* Rectoribus Lombardiæ, *ſcilicet Alberto de Gambara* de Brixia , *Adubato* de Mediolano , *Malo-nepoti* de Placentia , *Pio* de Mutina : *quod cum preceptum fuerit eis a Rectoribus Lombardiæ in reverſione eorum de Venetiis aperire aquam Padi & apertam tenere, & hoc facere jurare omnibus ſuis Conſulibus & cuncto Conſilio, & hec omnia ſine fraude: quod ſacramentum ſic fuit expoſitum a Rectoribus & Sapientibus Lombardie & intellectum ; quia ſicuti Ferrarienſes debent aperire aquam Padi , & apertam tenere eis omnibus , ſic & omnes debent aperire aquam Padi & apertam tenere eis . Et ſi quis eam reſeraverit , habeant Ferrarienſes licentiam reſerandi eis , qui eis Ferrarienſibus reſeraverint . Et ſi contigerit , Cremonenſes ad Societatem redire , & aquam Padi aperire , & aliqua occaſione ſumpta reſerare vellent , liceat predictis Ferrarienſibus eis reſerare , & reſeratam tenere , donec reſipuerint ; & ſic omnibus aliis deſipientibus eis reſerare liceat . Et ſi qua Civitas vel Civis vel Caſtellanus , vel aliqua Perſona publice forum dederit Cremonenſibus , vel tenentibus aquam Padi apertam omnibus , liceat Ferrarienſibus eis reſerare & reſeratam tenere . Et hoc precipue dicimus Mantuanis , quod non liceat eis Mantuanis forum dare Cremonenſibus , non tenentibus aquam Padi apertam prius reſeratam . Et ſi Ravennates non dimiſerint Ferrarienſibus deorſum ire , & eis non dabunt totum ſuum forum , non teneantur Ferrarienſes alios dimittere ire deorſum : & ſic de aliis omnibus . Hec autem omnia fuerunt ſcripta in concordia Rectorum Lombardie , ſcilicet Adubati de Mediolano , Alberti de Gambara de Brixia , Malinepotis de Placentia , Pii de Mutina , Pinamonte de Vimercato , qui eſt* Poteſtas Bononie, *& aliorum Rectorum Lombardie , in Eccleſia Sancti Georgii Epiſcopatus Ferrarie . Que omnia ſupraſcripta a Rectoribus Lombardie intellecta , ſimiliter a Conſulibus Ferrarie intelliguntur , & ſacramentum eodem modo exponitur .* Mantuani verò *Agnellus , & Henricus de Alberto Azzi de Henrico , Aſurbinus , Ugo Advocatus ,* Mantuæ Conſules *juraverunt Rectoribus Lombardie , quod , cum preceptum fuerit eis a Rectoribus Lombardie in reverſione de Venetiis , poſtquam Ferrarienſes juraverunt, aquam Padi aperire & apertam tenere, jurare ad Breve , quod fuit ſcriptum Verone , & totum , quod in eo continetur , firmum tenere . Et quod hoc totum facient jurare ſuis omnibus Conſulibus & toto Conſilio infra octo dies , & totam Civitatem infra quadraginta dies , ſicuti in Breve continetur factum Verone . Et hec omnia facient ſine fraude .*

Ad hæc omnia preſentes fuerunt teſtes , Accius de Brixia , Aldeprandus de Bononia , Albertus de Bergamo , Johannes de Brixia .

Et ego Magiſter Presbiterinus , Dei gratiâ ſacri Palatii , & Ferrarie Notarius , ad hæc omnia preſens ex mandato Rectorum Lombardie , hanc Cartam ſcripſi atque complevi .

Denique animadvertendum eſt , Civitates Tuſciæ , ineunte Sæculo Chriſti Tertiodecimo pro ſua Libertate ac tutela *Societatem* iniiſſe, ſeu potius initam confirmavere ; nam (uti jam monui) præiverat earum confœderatio Anno MCXCVIII. inſtituta. Hujus rei teſtes habemus tabulas Anni MCCV. a Clariſs. quondam Benvogliento productas in Notis ad Statuta Piſtorienſia , in hoc Opere edenda . Conveniebant unum in locum *Rectores Societatis* hujus, quorum *Prior* erat *Epiſcopus Volaterranus* , ſcilicet Florentini, Lucenſes , Senenſes , Peruſini, Arretini : ibique de communibus negotiis agebatur . Quoto autem tempore *Societas* iſta *Tuſciæ* perdurarit, aliis inquirendum relinquo.

DE
CIVITATUM
ITALICARUM
FŒDERIBUS AC PACIBUS.

DISSERTATIO
QUADRAGESIMANONA.

DISSERTATIO QUADRAGESIMANONA.

HActenus vidimus Civitates Italicas arto amicitiæ & Societatis vinculo copulatas & fœderatas, ut partam Libertatem unanimi ſtudio, viribuſque conjunctis tuerentur. Attamem vel ipſo tempore, quo Lombardorum Societas viguit, non defuere Civitates aliæ, quibus aut Imperialis partis ſtudium, aut ſperata aliqua utilitas, aut metus obſtitit, quominus in idem fœdus convenirent, aut etiam ipſas ab eo abſtraxit. Ad hæc multorum animos urebat ambitio, familiaris comes potentiæ, dilatandi imperii cupido, ita ut quæcumque Civitas potentiorem ſe finitimis ſentiebat, facile contra eos belli gerendi occaſio- A nem emendicaret. Præterea de finibus, de injuriis, de damnis illatis, aliiſque hujuſmodi rebus non levis interdum contentio fuit. Proinde hinc nata eſt ſingularium Fœderum & pactorum neceſſitas: unuſquiſque enim quibus poterat artibus ac præſidiis ſuæ Libertati & incolumitati cavebat; aut ſervandæ pacis & concordiæ cauſsâ cum ſuis conterminis pactiones faciebat. Acceſſit etiam Mercaturæ & Commercii cauſſa, curantibus quibuſcumque propriæ patriæ utilitatem. Quid Bononienſis Reſpublica Anno MCLXVI. cum Mutinenſi pro utriuſque Populi quiete, & ſecuritate Commercii ſtatuerit, tabulæ indicabunt, quæ in Eſtenſi Archivo cuſtodiuntur.

Pacta concordiæ initæ inter Bononienſes & Mutinenſes, Anno Chriſti 1166.

NOs Bononienſes juramus ſalvare & cuſtodire perſonas Mutinenſium, & eorum bona, & perſonas omnium habitantium in toto Comitatu, & Epiſcopatu Mutinæ, & eorum bona in toto noſtro Diſtrictu, & Stratam, & Treguam tenere inter nos, exceptis latronibus & falſatoribus & inimicis Imperatoris. Et ſi quis de noſtris Civibus, vel de noſtro Epiſcopatu, vel Comitatu debitor eſt ex quacumque cauſa, ſolvere faciemus, ſi habeat unde ſolvat: ſi verò non habeat unde ſolvat, de Civitate & noſtro diſtrictu expellemus, bonis ablatis & deſtructis. Si plures ſint fidejuſſores de Bononienſibus & Mutinenſibus, quorum unuſquiſque inſolidum ſit obligatus, pro parte eos ſolvere compellemus. Predas in preteritum a duobus annis factas a noſtris hominibus tam de Civitate, quàm de Epiſcopatu ſimpliciter reſtituere faciemus. In futurum verò factas uſque ad quinquennium ſimiliter reſtituere faciemus. Et ſi reſtituere non poſſint, de Civitate & toto noſtro Diſtrictu expellemus, B *bonis ablatis & deſtructis, bonâ fide infra triginta dies, poſtquam requiſiti fuerimus. Et ſi neceſſarium fuerit, inter nos ad ſupradictos malefactores puniendos invicem inter nos auxilium dabimus. Et ſi aliquis de veſtris in Civitatem noſtram vel Epiſcopatum & Comitatum confugerit, ſimiliter ut noſtros puniemus. Hæc omnia obſervabimus bonâ fide & ſine fraude ab hinc uſque ad Feſtivitatem Sancti Michaëlis, & a Feſtivitate Sancti Michaëlis uſque ad quinque annos finitos, ſalvâ Fidelitate Imperatoris.*

Anno Domini MCLXVI. Decimo tertio Kalendas Auguſti, Indictione XIV.

Actum in Roſtiliolo.

C *Romanæ Legis ego Wido Tabellio Regis.*

Repetita eſt par concordia inter utrumque Populum Anno MCLXXVII. ut conſtabit ex altera Charta, quæ in Regeſto Reipublicæ Mutinenſis legitur.

Charta renovatæ concordiæ inter Mutinenſes & Bononienſes, Anno 1177.

IN nomine Domini. Nos Pius & Pinamons, Poteſtates Mutinæ & Bononiæ, juramus bonâ fide, & ſine omni fraude tenere Stratam & Treguam inter Mutinam & Bononiam, & facere tenere hominibus totius noſtræ fortiæ, omnibus perſonis & rebus inde tranſeuntibus, exceptis furibus, latronibus, falſatoribus, & inimicis utriuſque Civitatis vel alterius tantum, & eorum rebus. Et quicumque de noſtris Epiſcopatibus vel Civitatibus Stratam ruperit, & ad arbitrium Poteſtatis ſuæ non emendaverit, ſub banno meo erit, de cujus Civitate vel Epiſcopatu fuerit, & in ſuis rebus bonâ fide eum damnificabo. Et ſi adjutorium ad puniendos eos, D *qui Stratam ruperint, invicem nobis neceſſe fuerit, infra octo dies, poſtquam nos requiſierimus, unus ſcilicet alium, adjutorium dabimus, ſecundùm quod ille, cui neceſſe fuerit, requirere ſine fraude voluerit per Literas vel Nuntium, niſi conſenſu ejus remanſerit, differendo ad alium vel ad alios terminos vel remittendo. Et ſi terminum vel terminos ille, cui expedierit, dare voluerit, ad eos terminos ita ſervabimus. Hæc autem omnia uſque ad finem noſtri regiminis bonâ fide & ſine fraude ſervabimus, & in concione faciemus jurare per Nuntium ſuper animam Populi eorum parabolâ ita ſervare. Et per noſtras Terras, in quibus viſum*

ſum fuerit nobis expedire, Stratam & Treguam iſtam jurare faciemus. Hoc autem ſacramentum fecerunt prædictæ Poteſtates Anno Domini MCLXXVII. Undecimo Kalendas Septembris, Indictione X. in præſentia Ugonis de Ceula, Manfredini de Lugarello, Tiberti de Falſabrina, Matthæi de Mutina, Oderici Buccadeluccio, Radaldi de Gorgadella, & aliorum multorum.

Actum ad Sanctam Mariam in Stratam, Indictione prædicta.

Ego Lambertus Communis Bononiæ Notarius interfui & ſubſcripſi.

A Hæc inter ambos Populos conſtituta ad unius commercii tutelam. Nunc Fœdus inſpiciamus inter eos percuſſum, ut alter alteri militaret, prout neceſſitas ferret. Exſtat ejus concordiæ Charta in Regeſto novo Reipublicæ Bononienſis; & quamquam annus deſideretur, quo ſcripta fuit, antiquus Index eam refert ad Annum MCLXXII. Sigonius verò in Hiſtor. Bononienſ. uti & Ghirardaccius Lib. 4. Hiſtoriar. Bononienſ. conventionem hanc adnectunt Anno MCLXXXI. Nihil verò dubitandum, quin & Mutinenſes pari ſacramento ſeſe Bononienſibus obſtrinxerint.

Pacta Fœderis inter Bononienſes & Mutinenſes initi Anno 1172. vel 1181.

IN nomine Domini. Placuit Mutinenſibus & Bononienſibus hujuſmodi concordiam inter ſe facere, quod Bononienſes debent adjuvare Mutinenſibus in toto Epiſcopatu Mutinæ, & infra confines Epiſcopatus Mutinæ contra omnem mortalem hominem, & contra omnem gentem, & contra omnem locum, qui locus ſit de Epiſcopatu Mutinæ vel infra confines Epiſcopatus Mutinæ, excepto contra Nonantulanos, & excepto contra Civitates Societatis Lombardiæ, contra quas non debent eos adjuvare; ſed nec aliquam Civitatem Societatis debent adjuvare contra Mutinenſes infra fines Epiſcopatus Mutinæ, niſi fieret præcepto Rectorum Societatis pro communi facto Societatis. Et Bononienſes duas Hoſtes in anno facient Mutinenſibus C *infra fines Epiſcopatus Mutinæ, ſemel cum militibus & peditibus per commune, ad diſpendium & perditam Bononienſium, & alia vice cum militibus & ſagittariis, ad diſpendium ſimiliter & perditam Bononienſium. Et has Hoſtes facient infra octo dies, poſtquam requiſiti fuerint a Mutinenſibus Nuntio vel Litteris, vel infra alium ſeu alios terminos, quos Mutinenſes eis dederint, niſi Mutinenſes eis remiſerint; & poſtquam eis fuerint adjuncti, octo diebus ſtabunt in eorum ſervitium, ubi Mutinenſes voluerint infra confines Epiſcopatus Mutinæ, excepto contra Nonantulanos, niſi per Mutinenſes ſteterit: Et Bononienſes debent ſalvare, cuſtodire, & defendere Mutinenſes &* D *eorum bona in Civitate Bononiæ, & in tota ſua fortia, & alibi ubicumque poterunt. Item Bononienſes non debent imbrigare Mutinenſibus quidquid in ſuo Epiſcopatu Mutinæ, vel infra Epiſcopatum Mutinæ, & nominatim non debent eis imbrigare Nonantulam. Et ſi quis de Bononienſibus contra Bononienſes Nonantulam iverit, Bononienſes in eum bannum ſtatuent, & auferent pro arbitrio Rectorum vel Rectoris Mutinæ, qui pro tempore fuerint; & quoſcumque de ſuo Epiſcopatu, vel infra confines ſui Epiſcopatus habitantes Mutinenſes ſuos inimicos fecerint, Bononienſes ſuos inimicos facient infra octo dies, poſtquam a Mutinenſibus eis denuntiatum fuerit Nuntio vel Litteris. Nec in-* E *amicos nec in Cives eos recipient, nec adjutorium, nec mercatum eis dabunt, nec homines ſui diſtrictus dari permittent, niſi cum Mutinenſibus primo reconciliati fuerint. Et ſi aliquis de Epiſcopatu Mutinæ, vel infra confines Epiſcopatus Mutinæ fuerit Civis Bononiæ, liceat Mutinenſibus conſtringere eum de bonis, quæ habet in Epiſcopatu Mutinæ, ſicut quemlibet alium de ſuo Epiſcopatu, ſine contra-*

B *dictione Bononienſium, dum tamen non fiat ei malum in odium Bononienſium. Præterea Bononienſes facient rationem Mutinenſibus de querimoniis ſibi ab eis delatis his modis, quod res ſubreptæ vel vi raptæ ſimpliciter reſtituantur, poſſeſſiones verò per violentiam ablatæ ſimiliter reſtituantur ſimpliciter, nemine a ſuo jure cadente, quod ſua auctoritate præſumpſit invadere, vel dampnum propterea alicui dederit, vel res aliquas abſtulerit; debita ſolvantur uſuraria cum uſuris; quæ verò ſine uſuris conventis ſunt, reſtituantur ejuſdem bonitatis, cujus fuerunt tempore dationis. De Manentibus, & Aſcriptitiis, & Arimannis Bononienſes conſuetudinem ſuæ Civitatis Mutinenſibus ſervabunt. Penſiones autem emphiteoſis debitas in duplum præſtare facient ſecundùm morem ſuæ Civitatis. Et hæc obſervabunt Bononienſes Mutinenſibus. De his quæ evenerunt a decem annis retro ante hanc concordiam, & querimonias ſuſceptas Bononienſes infra triginta dies difinient ſine fraude, ſi poterunt, ſi de cauſa liquebit, niſi conſenſus partium paciſcentium vel diferentium intervenerit. Hanc autem concordiam Bononienſes & Mutinenſes a quindecim annis ſupra, & a ſexaginta annis infra, ſcilicet capud hominis per domum jurabunt inter ſe ſervare bonâ fide uſque ad viginti & unum annum expletum, & in omni capite ſeptem annorum hanc concordiam ſacramento renovare in omnibus qui inventi fuerint habitatores utriuſque Civitatis tempore renovationum, capud videlicet hominis per domum.*

Uti in antiquis Mutinenſium Annalibus in Collectione Rerum Italicarum a me evulgatis Tom. XI. legitur, Anno MCXXXI. *Nonantulani dederunt ſe per proditionem Communi Bononiæ*. Idem pariter teſtantur Hiſtorici Bononienſes, atque ego ſupra confirmavi in Diſſert. XLVII. Rem ægro animo tulere Mutinenſes, in quorum agro & Comitatu ab antiquis Sæculis ſitum erat Oppidum Nonantulanum, uti & nunc eſt. Hinc ergo inter utrumque Populum belli occaſio coorta, & Nonantulani tamdem coacti parere Mutinenſium mandatis. In hôc ergo fœdere conventum eſt, ut Bononienſes nullam quidem opem Mutinenſibus præſtarent adversùs Nonantulanum Populum, ſed ſimul ſeſe in poſterum ab illo protegendo abſtinerent. *De Manentibus, & Aſcriptitiis* heic nominatis illud tantùm monebo, deſignari iis vocabulis colonos agrorum, non proprie ſervos, ſed aliqua conditione Dominis obnoxios, de quibus mihi ſermo fuit in Diſſertatione XIV. *de Servis*. *Arimannorum* nomine ſignificantur ingenui homines: atque inter-

interdum etiam Nobiles, qui nulli arti ſervili dabant operam, de quibus quidem egi in Diſſertatione XIII. *de Arimannis*. Neque tantùm cum Civitatibus Liberis pacta inire mos fuit, ſed etiam cum Caſtellanis, ſive Militibus, & Nobilibus, e quibus non pauci olim Caſtellis imperabant, a Civitatum dominatione ſoluti. Inter hos olim numerabatur illuſtris Familia *filiorum Manfredi*, unde Piorum, Picorum, Papazzonum, Fantium, Manfredorum, aliarumque familiarum lineæ exierunt: qua de re mihi ſermo ſupra fuit in Diſſert. XLII. *de Cognomin. orig.* In Regienſis Senatus Archivo Charta legitur ad eos ſpectans, quam huc inferre placuit.

Manfredinus & Bernardus Conſules Domus filiorum Manfredi, nomine quoque ſuorum conſortium, ſocietatem ineunt cum Regienſibus, Anno 1174.

In nomine Domini. Milleſimo Centeſimo Septuageſimo Quarto, V. exeunte Menſe Martii, Indictione Decima. Breve recordationis pro futuris temporibus ad memoriam habendam & retinendam, qualiter in præſentia Domni Alberti Regini Epiſcopi, *& Gerardi Canonici de Regio, & Presbiteri Johannis de Sancto Silveſtro, & Alberti Clerici de Maſſenzatico, & Guidocti filiorum Manfredorum, & Gerardi de Guinzolo, & Pildeguera, & Siragoti Alexandrini, Ordelafi, & Bondeni de Bondeno, & Guizoli filii Monarii, Bernardi de Novis, & Petri Burdi:* Manfredinus filius Bernardi, & Bernardus frater Roberti Conſules Domus filiorum Manfredorum, *præſtito juramento firmaverunt, quod bona fide ſine fraude Stratam, quæ per Quarantulas & per Sanctum Martinum in Spinis Ferrariam vadit, per terram & aquam ſecuram facient & tenebunt, & homines de Regio & Epiſcopatu, & res ſuas, & omnes homines per eam tranſire volentes, in virtute ſua pro poſſe ſalvabunt. Et hoc idem juramentum a toto Caſali ſuo, videlicet ab eis de Domo Guidonis, & Manfredini filii Bernardi, & Pizonis, & Manfredi, & a Pio, cum de Poteſtate & regimine Mutinæ exiverint, ſi exi facient, & ab eis hominibus de Sancto Poſidonio, & Sancto Stephano, & Quarantulis, & de Sancto Martino, & de Gavelo, quos ad Stratam melius tenendam, & ſecurius tuendam utiles eſſe cognoverint. Et ſi aliquando Conſules Regini ad tempus fuerint, filios iſtorum requiſierint de hoc juramento, præfactus Bernardus & Manfredinus Conſules & ceteri, qui hoc juramentum fecerint, ab eis fieri facient. Et ſi quo tempore pro aliqua diſcordia alicui Civitati, excepto Civitate Regii, & Epiſcopatui per ſe vel per Conſules Reginos, & non veniant per Strata poſt duodecim dies tranſactos renunciaverint, niſi concordiam fecerint, eis juramento non teneantur: homini autem de Regio & Epiſcopatu juramento ſemper teneantur. Altemannus Conſul Regii vero ſuo firmavit juramento, quod ſi aliquo tempore Domus Filiorum Manfredorum propter cuſtodiam & defenſionem Stradæ cum aliqua Civitate vel Terra diſcordiam ſeu ſeditionem haberent, ipſe Altemanus debeat eos ad ſuum ſpendium, & perditam ſuam bona fide & ſine fraude adjuvare, & poſtquam eos adjuvare inceperit, nullum pactum vel concordiam ſine ipſis cum eis faciet; nec eis Manfredis abſque Reginis Conſulibus facere liceat. Et hoc idem juramentum a Sotiis ſuis Conſulibus fieri faciet, & Conſilio Reginorum bona fide ſine fraude. Et ſi aliquo tempore Conſules eligerentur, qui hoc juramentum non feciſſent, ſi Conſules Manfredorum eos inde requiſiverint, Conſilium Reginorum ab eis fieri faciet.*

Actum in Caſtro Nove feliciter, in camera Domni Albriconis Epiſcopi Regini.

Signum manus ſupradicti videlicet Manfredinus, & Bernardus, & Altemanus, qui hoc ſcriptum firmare rogaverunt, ut ſupra.

Ego Rodulfus Notarius ſacri Pallatii rogatus hoc ſcriptum feci.

Hujus Manfredini Pici filius Anno poſtea MCLXXXVIII. conſtituit ſe Civem Mutinæ, ut nuper oſtendi in Diſſertatione XLVII. *de amplificata Civitatum Italicarum dominatione*. Hæc autem peracta videas *in præſentia Domni Alberti Regini Epiſcopi*, qui & *Albriconis* nomine appellatur. Infra quippe additur, eadem fuiſſe acta *in Caſtro Nove in camera Domni Albriconis Epiſcopi Regini*, de quo etiam eſt mentio in Charta præcedentis Anni, quam evulgavi in Diſſertatione XLVIII. *de Societatibus Lombardorum*. Itaque *Albertus*, *Albriconus*, *Albergonus* vocabula quidem diverſa fuere, ſed unum tamen Regienſem Epiſcopum indicabant. Ex his Ughellius juvandus in Italia Sacra. Mercimonii cauſſa frequens olim erat commercium Piſanis cum Populo *Graſſæ*, quæ Civitas Galliæ eſt, ſita in Provincia, ſeptem leucis a Nicea diſtans. Quin libera olim Civitas fuerit, vix dubitare nos ſinet Charta hæc, quam accepi a quondam Nobili viro Octavio de Abrahamo, Primatialis Piſanæ Canonico, ubi quid inter utriuſque Civitatis Conſules conventum fuerit, Lector animadvertere poterit.

Pacta inter Conſules Reipublicæ Piſanæ, & Conſules Civitatis Graſſæ, conventa pro pace & ſecuritate commercii, Anno 1179.

IN nomine ſancte & individue Trinitatis. Amen. Cum pacis memoriam, tum propter labilem hominum mentem, tum propter brevem vitam facile labi poſſibile ſit, ut ſtabilis permaneat, litterarum notabulo duximus commendandam. Itaque nos Petrus Galcus, & Caucerandus Rolandi, & Raimundus Gajoli, atque Barreria, Dei gratia Conſules Graſſe, & nos ſimiliter Malusvicinus & Raimundus . . . . & Raimundus Garcinus eadem gratia Anni futuri Conſules, facimus Conſulibus Piſanis, & Civitati Piſane, & omnibus Piſanis, & omnibus Perſonis Piſani diſtrictus, firmam pacem, & convenimus pro nobis, & omnibus hominibus noſtri diſtrictus, tenere firmam pacem in Perſonis & havere, terra, & aqua, Conſulibus Piſanis, & omnibus hominibus eorum diſtrictus, & omnes ſanos & naufragos in perſonis & rebus per totam fortiam noſtram ſalvare & defendere & non offendere eos, nec offendere facere. Et ſi offenſio facta fuerit de perſonis, infra quadraginta dies, ex quo inde reclamatio facta fuerit, convenientem vindictam facere. Si verò de rebus fuerit offenſa, ſecundùm rationem & bonum Graſſe uſum juſtitiam fieri faciemus ſimiliter infra quadraginta dies, niſi per reclamatorem remanſerit, vel cauſa teſtium, vel inſtrumentorum, hoc intellectu, ut de pena pro rebus ablatis, vel de injuria non teneamur facere rationem, niſi ſicut ſuperius dictum eſt, nec jus ſuum amittat, qui jus ſibi dixerit faciendo injuriam, vel ſua auctoritate aliquid accipiendo. Promittimus etiam, quod ſi perſenſerimus, Regem Aragonum vel Comitem Provintiæ, vel ejus Bajulum, vel Nuntium velle offendere Piſanos, citius, quàm poterimus, ſignificabimus Piſanis Conſulibus, & eos, ſi potuerimus, defendemus & adjuvabimus precibus, & querendo mercedem. Et ſi havere Piſanorum, qui tempore pacis Graſſe, vel in eorum diſtrictu fuerit, ipſe vel alius pro eo abſtulerit, vel damnificaverit, reddemus de noſtro Communi, & Populo, & emendabimus paſſis & eis, quibus ablatum fuerit. De havere Piſanorum, quod Graſſe adductum fuerit, Graſſenſes ſolitam directuram tollant, & nemo aliam. De mercationibus & ceteris contractibus intra Piſanos & Graſſenſes Graſſe habitis, Piſani, ſi voluerint Graſſenſes, Graſſe conveniri poterunt, & ad rationem cogi: hoc tamen ſalvo, ut ſupra illis factis, que jam preterierunt, unde ratio a Piſanis contra Graſſenſes, vel Graſſe Commune exigitur, videlicet ab Ildebrando Belaſte, & aliis Piſanis, & omnibus, qui cum eo erant, & omnibus aliis Piſanis, Judices ſuper hoc jurare deberent diffinire per rationem & bonum uſum infra quadraginta dies, ex quo inde reclamatio facta fuerit, & teſtes, quos predicti reclamatores petierint, cogemus ad teſtimonium reddendum, & eos jurare cogemus dicere veritatem totam pro utraque parte, niſi, ut ſuperius dictum eſt, remanſerit; & quod nullum ſacramentum vel ordinamentum fecerunt, quominus ita diffinire debeant, nec propter aliquod ordinamentum, vel preceptum, vel comtagniam omittent, ut non cognoſcant, vel diffiniant per rationem vel bonum uſum. Et ſententiam & laudamentum inde datum executioni mandabimus, exceptis Libris quatuorcentis uſque in Libris quingentis Melgorum, ſi tot fuerunt, quas Rex Aragonenſis Piſanis auferri fecit, de quibus non teneamur facere juſtitiam. Eodem habito intellectu, ut de pena non exigenda, & de injuria & de jure non amittendo, ſicut ſuperius dictum eſt, in venturis offenſis ut inde non teneamur. Predicta verò pax & conventio debeat obſervari ab hodie uſque in viginti ſex annos. Et ſic ad ſancta Dei Euangelia juravimus, quod hæc omnia iſta ſine fraude, & malo ingenio obſervabimus toto tempore hujus Conſulatus. Et ſequentes Conſules hoc idem jurare faciemus, & quod non recipient Conſulatum, qui hoc idem non jurent. Et ſi forte, quod abſit, aliquid predictorum, ut dictum eſt, non fuerit obſervatum, propterea pax non rumpatur, & id quod non fuerit obſervatum, infra viginti dies ab inquiſitione inde facta emendetur.

Hec pax & conventio facta fuit in Eccleſia beate Marie in preſentia Fulconis, Dei gratia, Antipolenſis Epiſcopi, & Ugonis Riperti, Sicardi de Torretis, Guilielmi Longi, Guilielmi Aimini, Fulconis Boni filii, & Calverie, & Iſnardi Garcini, Guilielmi Joannis Petri de Claromonte. Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti MCLXXVIIII. menſe Novembri, Indictione XII.

Ego Bernardus Notarius Conſulum Graſſe mandato ipſorum Conſulum hanc cartam ſcripſi.

Artiſſima quoque olim Societas fuit inter Mutinenſes ac Parmenſes, pluries quoque renovata. Quum enim ſæpe Regienſes intermedii diſcordiarum ac bellorum ſemina excitarunt, hujuſmodi fœdus Regienſem Populum in officio ac metu continebat. Contra fuit Regienſibus ſæpe Societas cum Bononienſibus, ut & ipſi ad reprimendos Mutinenſes eorum ope ac patrocinio uterentur. Vide Memoriale Poteſtatum Regienſium Tomo VIII. Rer. Italicarum. Quod Populis iſtis in uſu fuit, idem quoque a ceteris ferme Civitatibus Liberis factum eſt, ut a finitimis ſibi caverent, eaſque inſuper debellarent, ſi fortuna arrideret. In Tabulario Communis Mutinenſis exſtat formula ſacramenti, eam ob cauſſam a Parmenſibus præſtandi, cujus hæc ſunt verba.

Charta Fœderis initi inter Parmenſes & Mutinenſes, Anno 1188.

IN nomine Domini. Ego Parmenſis juro guardare & ſalvare Mutinenſes, ubicumque ſemper in rebus & in perſonis, & adjuvare & defendere ubicumque, & expedicionem ubicumque voluerint per Commune ad meum diſpendium & perditam facere, cum a Conſulibus vel a Poteſtate Mutine, qui per tempora fuerint, requixitus fuero litteris vel nuncio, cum Militibus & Peditibus bis in anno, & cum Militibus & Sagittariis quater, ſecundùm quod requixitus fuero. Et poſtquam eis adjunctus fuero in expedicione, per octo dies ſtabo, niſi parabola Poteſtatis vel Conſulum Mutinæ remanſerit, & eos bona fide adjuvabo. Epiſcopatum quoque & Comitatum Mutine & Terras Epiſcopatus & Comitatus, quas habent, & omnes tenutas, ubicumque habent, ſive ſint in ſuo Epiſcopatu vel Comitatu, ſive extra, dum tamen non ſint in meo Epiſcopatu vel Comitatu, alibi etiam conſtitutas, tenere & defendere adjuvabo. Et Terras, ſcilicet Villas, & Caſtra ſui Epiſcopatus & Comitatus, & infra confines Epiſcopatus aquirere juvabo, & aquiſitas tenere, & defendere juvabo. Cives quoque eorum & alios in eorum territorio habitantes, & qui habitabunt, fructus univerſos, quos ſuper ſuo ſolo & poſſeſſionibus & tenutis habuerint, vel ex ſuis redditibus perceperint, in ipſorum Civitatem & Epiſcopatum portare non vetabo. Et quoſcumque Mutinenſes de ſuo Epiſcopatu banniverint, qui ſint utriuſque Civitatis Cives, de poſſeſſionibus in eorum territoriis conſtitutis eis non nocebo. Proprium Civem Mutinæ bannitum non recipiam, poſtquam de his requixitus fuero a Conſulibus vel a Poteſtate Mutinæ, qui per tempora erunt, niſi primum cum Mutinenſibus reconciliatus fuerit. Et ſi diſcordia inter Mutinenſes & Reginos apparuerit, ſi Conſul vel Poteſtas fuero, inter eos bona fide componam. Et ſi Conſul non ero, bona fide ut id fiat a meo Conſule vel Poteſtate, operam dabo, ſi requixitus fuero. Quod ſi compoſitio non poſſet fieri ſub amico vel amicis duobus de ipſis Civitatibus litigantibus, litigare, & eorum arbitrio ſtare cogantur, qui juramento præſtito, inter eos ſecundùm rationem & bonum uſum dividant. Et juro, quod guerram Mutinenſium meam faciam, & uſque ad pacem factam eos meis ſumptibus & perditis, ſi requixitus fuero, inde adjuvabo. Et ſi quis de Epiſcopatu vel Comitatu Mutinenſi vel Parmenſi, vel infra eorum Epiſcopatum vel Comitatum erit Civis Parmæ, liceat Mutinenſibus de bonis, quæ habent in ſuo Epiſcopatu vel Comitatu diſtringere. Conſules autem Parmæ vel Poteſtas, qui per tempora erunt, ſic obſervabunt; & quod facient jurare ſuos Succeſſores in ſuo regimine ita attendere, ut ſupra dictum eſt. Et facient renovare ſacramenta ſingulis ſex annis, cum a Conſulibus vel Poteſtate Mutinæ requixitum fuerit. Et qui erunt a quindecim annis ſupra uſque ad ſeptuaginta annos, omnes ſine fraude jurare teneantur in perpetuum. Quicquid autem additum fuerit in concordia tantum Conſiliorum ad campanam ſonatam Parme, Regii, & Mutine, vel quicquid detractum, ſit firmum, & obſervare teneantur. Et hec omnia predicta attendam, & obſervabo in perpetuum bona fide & ſine fraude, ſalva Fidelitate Imperatoris, & filii ejus Regis Henrici, & ſalva Societate Lombardie, *ita tamen quod propter hoc & propter dictam exceptionem Societatis Lombardie nihilominus tenear obſervare omnia ſupradicta & ſupradictis.*

Actum Regii in Platea Monaſterii Sancti Proſperi feliciter, Anno a Nativitate Domini MCLXXXVIII. Indictione Sexta, Kalendis Auguſti, die Lunæ. Qui hoc ſacramentum, ceu perlegitur, juraverunt, hii ſunt, Dominus Jacobus de Gorzano, & Rolandus Pergenarius Conſules Mutine, & alii homines, Dominus ſcilicet Guido Papienſis, Dominus Matheus, Guillelmus de Acto, & ego ipſe Blaſius. Et quod idem ſacramentum facient fieri ab hominibus ſue Civitatis hinc ad exitum menſis Auguſti ſine fraude. Hujus rei teſtes fuerunt Dominus Maladobatus, Dominus Albertus Rubeus, Gerardus Flordebelle &c.

Percuſſum vides hoc Fœdus, *ſalva Fidelitate Imperatoris, & Filii ejus Regis Henrici, & ſalva Societate Lombardorum*. Ita & obſequio erga Principem, & Fœderi pro communi ſalute inito ſatisfactum. Viciſſim verò & Mutinenſes ſuum conceperunt jusjurandum, cujus formam ex Codice MSto prælaudati Archivi depromtam ſubjungo.

Qualiter Mutinenſes juraverunt adjuvare homines Parmæ. Anno 1188.

A *IN nomine Domini . Ego juro , quod bona fide ſalvabo & guardabo in abere & perſonis homines Parmæ , & ejus diſtrictus , qui per Parmam ſe diſtringent , per totam meam Terram , & per totam meam aquam , & per meam fortiam , & alibi , ubicumque potero , ſine fraude . Nec ſtudioſe eos offendam per me neque cum alio in mea Terra & aqua , neque meorum , nec alibi , niſi cum communitate Societatis Lombardiæ . Et reverſa communitate Societatis Lombardiæ domi, ſemper predicto modo tenear . Et ſi offenſio aliqua alicujus ex Parmenſibus evenerit ab aliquo Mutinenſium , infra quadraginta dies , poſtquam mihi requiſitum fuerit a Conſulibus vel Poteſtate Parmæ , vel literis Sigillo Communis ſigillatis , caput tamen emendare faciam , niſi per parabolam Conſulum vel Poteſtatis Parmæ remanſerit, vel illius , cui offenſio facta fuerit , vel juſto Dei impedimento . Et querimonias mihi factas ab aliquo ex Parmenſibus Sigillo ſue Civitatis, bona fide ſuſcipiam , & rationem & juſtitiam ei ſecundum jus & bonum uſum & morem mee Civitatis ſine fraude faciam ; & infra quadraginta dies , poſtquam mihi de lite cognitum fuerit , nec fraude dimittam , quin cognoſcam per me, vel per ordinatas perſonas ad hoc diffiniam vel diffinire faciam ſine pena & fructibus , & ſecundum morem mee Civitatis , vel per convenientiam , ſi partibus placuerit . Et illa negocia , quæ Civitas Parme fecerit ſua , vel per commune , vel per diviſum , non contrariabo , nec offendam per me neque cum alio per commune , neque per diviſum , niſi cum communitate Societatis Lombardie , ut dictum eſt ſuperius . Et ſi aliquis mei diſtrictus de predictis negociis eos contrariabit , aut offendet , ad voluntatem Conſulum vel Poteſtatis Parme & Conſilii ſuper eum judicatam faciam . Item juro , quod bona fide & ſine fraude ſtudebo & operam dabo Parme , vel per Rectores & Conſules hujus Civitatis Mutine ad aquirendam parabolam a Rectoribus Lombardie , vel a Conſulibus Civitatum Societatis renovandi ſacramentum Societatis antique Mutine & Parme ; & parabolâ aquiſitâ , vel etiam ſi cognovero , quod poſſim ea renovare abſque parabola predictorum Rectorum & Conſulum , videlicet , quod jam ſit data , vel aliter , ſacramentum predicte antique Societatis renovabo . Et ſi Conſules vel Rectores utriuſque Civitatis conſilio aliquid addere vel minuere voluerint , idem obſervabo & ſtudebo , quod Cives mee Civitatis hoc idem ſacramentum antique Societatis faciant . Et ſacramentum ſupraſcripte antique Societatis faciam infra unum menſem , ex quo requiſitus fuero a Conſulibus vel Rectoribus Parme , vel alium terminum , quem mihi dederint juxta quod ſuperius legitur . Et bona fide ſtudebo, ut Conſules & Rectores hujus Urbis Mutine , qui per tempora fuerint , predictum ſacramentum faciant , dummodo non fecerint . Nec faciam , nec factum habebo ſacramentum per commune vel per diviſum alicui Civitati adjuvandi eam, nec Societatem nec conventum Societatis cum aliqua alia Civitate aliquoingenio faciam, niſi datâ parabolâ a Conſulibus vel* B *Rectoribus Parme in Conſilio ad campanam ſonatam ſine fraude , exceptâ Bononiâ , cum qua poſſim facere ſacramenta & Societatem abſque predicta parabolâ Parme . Ita tamen ut Parmam excipiam . Et ſi quid additum vel diminutum fuerit a Conſulibus vel Rectoribus utriuſque Civitatis Conſilio idem obſervabo . Et hoc totum attendam ab hinc in antea tandiu , quod antiqua Societas Parme & Mutine renovata fuerit , ut ſupra legitur . Renovabo hoc ſacramentum in unoquoque capite decem annos , donec predicta Societas antiqua , ut dictum eſt , eſſet renovata , infra duos menſes , poſtquam requiſitum fuerit a Rectoribus Parme , vel per alios terminos , quos mihi dederint . Et hoc idem* C *ſacramentum faciam facere Conſulibus vel Rectori , qui proximiori anno fuerint in Conſulatu vel regimine mee Civitatis , niſi ab eis factum fuerit , donec antiqua Societas fuerit renovata , ut ſupra dictum eſt . Et hoc ſacramentum faciam facere univerſo Conſilio mee Civitatis , & centum hominibus per unamquamque Portam , & omnes Captaneos & Valvaſores & Caſtelanos , equites mei Epiſcopatus & diſtrictus ſine fraude per illos terminos , quos mihi Conſules Parme dederint , & illos omnes , qui hoc ſacramentum fecerint per ſcriptum , Conſulibus Parme dabo infra menſem , poſtquam factum fuerit ſine fraude , vel per alios terminos , quos mihi dederint .*

D *Anno MCLXXXVIII. Indictione VI.*

Subinde verò confirmata fuere ejuſmodi Fœdera , Anno MCCXVIII. uti conſtabit ex aliis tabulis , quas mihi ſuppeditavit Tabularium Eſtenſe .

Renovatio Fœderis inter Mutinenſes & Parmenſes, Anno 1218.

IN nomine Domini. Milleſimo Ducenteſimo Decimo Octavo, die X. intrante Octubri, Indictione Sexta. Breve recordationis ad memoriam retinendam, qualiter Mutinenſes in pleno Conſilio, ſacramentum ſocietatis Parmenſibus renovaverunt, facto & cohadunato in Palatio Communis Mutine ad ſonum campane, ſecundùm quod continetur in Carta facta per manum Blaſii Notarii Mutinenſis, tenor cujus ſacramenti talis eſt.

Ego Mutinenſis juro guardare & ſalvare Parmenſes ubique ſemper, in rebus & in perſonis adjuvare & defendere ubique, & exſpeditionem, ubicumque voluerint per commune, ad meum diſpendium & perditam facere, cum a Conſulibus vel a Poteſtate Parme, qui per tempora fuerint literis vel nuntio requiſitus fuero cum militibus & peditibus bis in anno, & cum militibus & ſagittariis quater &c. (*)

Hoc ſiquidem ſacramentum, ceu prelegitur, fecerunt ibi hi infraſcripti, videlicet, Gerardus de Ronco Judex Communis Mutine: Willielminus Luſchi Advocatus, & Jacobinus de Bonafante, & Mutinenſis Gerardi Gusba, Judices Communis Mutine: Bernardinus de Paſſaponte, & Squarciolinus Milites Juſtitie, & Monruellus, & Ubertinus de Gagio Procuratores Communis Mutine: Blaſiolus Notarius: Andreas Armanetti: Guido Johannis Miliole: Geminianus Gumberti: Barufaldus: Guizardus de Colurnio Judex: Johannes Bellincini: Giliolus de Gorzano: Raimondinus Rebellerii: Marchexinus Colunbi: Gerardus Orrioni: Guillielmus Luſci: Jacobus Richelmi: Ubertus Ambroſii Tezani: Johannes Palmerius: Ubertinus Bucebadade: Albertonus Veneticus: Albertus Bravius: Bonacoſa de Parma: Ubertinus Petri Romane: Janbonus Pellafoſſatus: Petrusbonus de Trepo: Jacobinus Citadine: Boninſegna Guidonis Blanci: Ubertinus Bernardi Poltonerii: Aimericus Jacobini de Ramicis: Rainucinus Pariſus: Yſenbardus Guatus: Armannus de Ventura: Bonifacius de Bazoara: Albertus de Pazano: Bonifacius Doſii: Guidoctus de Savignano: Martinus de Prezenario: Albertus de Fredo: Conradus Munarii: Jacobus de Bazoaria: Nicolaus Adellardo: Guido Guidonis: Jacobinus de Herbera: Pipionus de Balugola: Johannes de Zugno: Henginulfus de Cerctulo: Ottonelſus de Borazolo: Rainerius Alexandriæ: Jacobinus de Portalione: Bernus Piſcator: Paganellus de Saltino: Nicolaus de Prezenario: Cazzaguerra de Bartholomeo: Lanfranchinus de Balugola: Jacobinus Pacifici: Ubertus de Gicio: Johannes Uberti Oprandini: Johannes Stancarius: Janbonus de Curlo: Petrobonus de Blanco: Sigizus de Cagarabiis: Bonaccurſus de Conrado: Ubertus de Breda: Paſſavanza: Gandulfinus Magiſtri Bernardi: Guidinarius Notarius: Rainucinus Albrigetti: Janellus de Bonzano: Pelligrinus de Ravolato: Janellus de Guidocto: Bernardus de Rocca: Gibertinus de Strada: Karandulus de Porta Bazoaria: Johannes de Boſo de Achariſie: Gandulfinus de Ferrario: Johannes Ferrarius de Vignola:

A *Gerardus de Guiriſio: Rolandinus Xiſiverus: Uſervertus: Rubeus de Villalonga: Michaël de Amico: Jacobinus de Solera: Johanninus de Beccariis: Andreas Clavarius: Proſperinus Pelliparius: Gerardus Johannis Bellincini: Rainerius de Gajo: Rodulfinus de Roncalie: Jacobinus Mantilis: Barius de Magiſcola: Guidobonus Ranfredi: Albertus Petri Tadi: Jacopinus de Spezzano: Omnebonum de Lizaria: Ardizonus Pinelli: Guidonus Pelligrini: Gerardinus de Stazoneria: Gerardinus de Bocaſaba: Lambertus de Grippo: Gerardus Borgexane: Ventura Ferrarius: Martinus Guidonis: Rodulphus Notarius: Petrus de Sancto Marco: Albertus de Sigizo: Leonardus Compagnoni:* B *Armannus Coradi Munarii: Rolandinus Guidoni Rolandi: Jacobinus Armanni Pegolotti: Guido Doſii: Tebertus Seclarius: Odericus Lepegoſii: Johannes Canus: Richerius de Buccadeluzo: Dominicus de Carpo: Thomaſius Golferame: Ottonellus Columbi: Zacharias de Balugola: Palmerius Brenderii: Gerardinus Gerardi Gratiani: Aldeprandinus Orioni: Buccabadata: Bertolottus de Guidone: Fantebonus: Albertus de Bozallo: Marcheſinus Gandulfi: Jacobinus de Beneincaſa: Albertus de Verona: Anſelmus Strazarolus: Johannes Pelizarius: Bonhomo Lanfranchi Scudarii: Ubertinacius: Gerardinus de Muſano: Rainerius Bovetti: Guido Biaqua: Guido Rabatonus: Johannes Tezanus:* C *Gerardinus de Gmaceto: Ubertinus de Sancto Marco: Garimundus de Curtatono: Jacobinus Tholomei: Nicolaus Ferrarii: Bernardinus Calzolarii: Guido de Tavernario: Nicolaus Spadarius: Rainerius Ferrarius: Gerardus Johannis Maltrui: Ribaldinus Ribaldi: Bartholomeus Preſali: Gerardus de Savignano: Andriolus: Daneſe Piſcator: Ubertinus de Caſale: Pelligrinus de Burſa: Sylettus Judex: Manfredus Judex: Petrus Ganbuzolus: Raimondus Baptizatus: Bernardinus Domini Pii: Albertus de Boccadelucio: Petrus de Gorzano: Guido de Olivetto: Bartholomeus de Nonantula: Janellus Zacangnus: Gerardinus Rangonus: Gerardinus Boſchetti: Gerardinus Girſonis:* D *Rolandinus de Boſco: Ardezonus Ganbuzolus: Ubertinus Scutinellus: Guiriſius Spadarius: Ugolinus Buccadeferro: Canbius de Gualdino: Pizolus de Romiolo: Guizardinus Donnini: Odericus de Savignano: Guillielminus Alexandriæ: Spinellus Notarius: Guillielmus de Gajo: Conradinus Venture: Petrus Yſcèrius: Bonusmartinus de Porta.*

Actum Mutine feliciter. Ibi vero teſtes fuere Jacobus Notarius Communis, Johannes Maluſatus, & Johannes Longus Correrii Communis Mutine, Delayta de Albangero, Simon Johannis Maltradi, Bartholomeus de Scarlato, Zanfrugninus Pelizarius, Gibertus de Vignola, Jacobus de Limite, Petrus de Prividino, & alii E *multi.*

Ego Jacobus Carelli Notarius ſacri Palatii his omnibus interfui, & hanc Chartam, qualiter ſuperius legitur, rogatus ſcripſi, & in publicam formam redegi.

Dignæ

(*) Quæ ſequuntur omitto legenda in præcedenti Juramento Fœderis initi Anno 1188. inter Parmenſes & Mutinenſes.

Dignæ ſunt, quæ tenebris eripiantur & aliæ tabulæ, præliminares, ut nunc ajunt, ad nuper evulgata Pacta inter Mutinenſes & Parmenſes, in quæ etiam convenere Regienſes: tunc enim Civitates iſtas jungebat felix concordia. Chartas ejuſmodi acceptas refero Re- A geſto MSto Communitatis Mutinæ. Atque illas accipere Lectorem minime tædebit, quum id genus monumenta in tot aliis Civitatibus fruſtra perquirantur, nimium ab incendiis, a temporis ac murium edacitate, atque ab aliis calamitatibus attrita.

Qualiter juratum fuit de Societate Parme, Regii, & Mutine. Anno 1188.

Montanarius Conſul Mercatorum Regii juravit ſacramentum Societatis Parme Regii, & Mutine, Dominus Maladobatus, Dominus Villanus, Dominus Albertus Rubeus, Dominus Muſſonus, Dominus Rogerius Sigifredus, Vernacius, Iſaac Girardi de Enzola, Ranfredus Notarius, Dominus Jacobus de Gorzano, & Rolandus Percenarius Conſules, Dominus Guido Papienſis, Dominus Mattheus, Guilielmus de Acto, Blaxius, Dominus Lucas, Ugutio Piroli, Gualbertus Eleazarii, Ugo Conradi, Petrus Vernacii, Guidoctus Marſilii, Petrusbonus Scoti, Gerardinus Flosdella, Aribertus de Gruzolis, Parixius de Taeulis, Petrus Manganus, Rolandus Pelagii, Jamboninus Petri Buzetaliate, Cunradus Strurgidi, Dominus Ubaldus Vicecomes, Dominus Arduinus de Seſſo, Dominus Acto de Seſſa, Rolandus de Caritate, Albertus Cambiator, Lombardus Notarius, Aſalutus, Acto Eleazarii, Arditio Albrici, Rogerius de Flordebella, Guido Defenſoris, Ugo B *Baſiliani, Guido Guarianus, Fantenacius, Henricus Folconi, Gerardus Clarellus, Bernardus Martini, Jacobus Goſiorum, Peregrinus Rubei, Guido de la Porta, Gerardus Tignoſi, Mattheus Pagani, Tebaldus Guizardi, Rodulphus Zaphrognini, Jordanus Taculorum, Parixius, Guidotinus Guizoli, Tebaldus Petri de Criſtina, Rainaldus Armani, Guido Lombardi, Dominus Ildiprandi, Gualcius Patarini, Albertus Romanelli, Mercatus, Ugutio Ildeprandi, Jordanus Ambroxii, Rambertus Eleazarii, Jacobinus Muſſi, Paganus Palearius, Jacobinus Cambiator, Raimondus de Baiſio, Conradus Guizoli, Albertinus Ambroxii. Albertus Mutti, Jacobus Ildeprandi, Alber-* C *tus Redaldi, Petrus Caritatis, Guido Prepoſiti, Janellus Auberti, Albertus de Gipſo, Rolandinus Zobuli, Janellus Bulloni, Ugo Guilielmi.*

Actum Regii MCLXXXVIII. Indictione VI. Kalendis Auguſti, die Lune. Omnes ſupraſcripti juraverunt,

Qualiter juratum fuit facere ſacramentum concordiæ inter Parmam, Regium, & Mutinam, Anno 1188.

Ego juro, quod faciam fieri ſacramentum concordiæ Parmæ, Regii, & Mutinæ per Civitatem Regii & per Burgos hinc ad ejitum Menſis Auguſti ſine fraude a quindecim annis uſque ad ſeptuaginta, niſi fuerit Scholaris, vel Servus, vel alicujus Serviens, ſtans cum quolibet Domino, vel Converſus; niſi parabolâ Conſulum Parmæ & Mutinæ remanſerit, ad terminum vel terminos ſub obſervatione dicti jusjurandi. Qui hoc jurarunt, hi ſunt: Guidoctus Marchixii, Bocabadata, Gualfredus Florioni, Guido Danielis, Aginulfus, Albertus Tebaldi, Petrus de Caritate, Gerardus Tignoſus, Soldanus Fulconum, quiſque per ſuam Portam: Donus de Sancto Rafaële, Henricus Spilimani, Peregrinus Rubei, Petrus Pixacurte, Montanarius Marxilii, Petrus Manganellus, Barnabas, Raynaldus Armani, Albertus de Gavaſſa, Guido Columbanus, Guido de Præpoſito.

C *Actum Regii in Palatio Epiſcopi, Domino Petro Epiſcopo præſente, & aliis de Conſilio, Tertio Idus Auguſti, die Jovis. De Porta Sanctæ Juſtinæ de Parma qui hoc idem ſacramentum fecerunt, hi ſunt, Albertonus de Henzola, Johannes de Prando, Conradus Bulzoni, Ugolinus Arottus, Guillielmus Dominæ Acerbæ. De Porta Procloſa, Olditio Guaſconi, Baldus Raynerii, Ildebertus de Oliveriis, Bernardus de Giname, Fulcus Calegarius. De Porta Parmæ, Baldachinus, Ubertus de Poëſe, Rolandus de Burgo, Albertus de la Porta, Jacobus Gondoini. De Porta Benedicta Rodulfus de Puſterna, Albertus Bravus, Guilielmus Arloctus, Acharixius de Sancto Mattheo.*

D *Actum Parmæ in pleno Conſilio in Domini B. Epiſcopi preſentia, Secundo Idus Auguſti die Veneris MCLXXXVIII. Indictione Sexta.*

Qualiter

Qualiter Mutinenſes jurant Reginis, eorum bona & perſonas ſalvare. Anno 1188.

A *IN nomine Domini. Ego Mutinenſis juro guardare & ſalvare Reginos ubique ſemper in rebus & in perſonis, & adjuvare & defendere ubique, & expeditionem ubicumque convoluerint per Commune, ad meum diſpendium & perditam facere, cum a Conſulibus vel a Poteſtate Regii, qui per tempora fuerint, Literis vel Nuntio requiſitus fuero, cum militibus & peditibus bis in anno, & cum militibus & ſagitariis quater, ſecundùm quod requiſitus fuero. Et poſtquam eis adjunctus fuero in expeditione, per octo dies* &c. (*)

Actum Regii in Platea Monaſterii Sancti Proſperi Anno a Nativitate Domini MCLXXXVIII. Indictione VI. Kalendis Auguſti, die Lune. Qui hoc ſacramentum, ceu perlegitur, ibi fecerunt, hi ſunt, Dominus Jacobus de Gorzano, & Rolandus Prezenarius, Conſules Mutine, & alii homines, Dominus ſcilicet Guido Papienſis, Dominus Matheus & Gullielmus de Acto, & ego ipſe Blaxius. Et quod hoc idem ſacramentum facient fieri ab hominibus ſue Civitatis hinc ad eſitum Menſis Auguſti ſine fraude. Hujus rei teſtes fuerunt Dominus Maladobatus, Dominus Albertus Rubeus, Dominus Villanus, Dominus Rogerius Sigifredi, Vernacius, Dominus Iſaac Gerardi de Henzola, & Dominus Ranfredus Notarius, & ex Reginis Domini de Seſſo Acto & Arduinus, Montenarius Conſul Mercatorum, Dominus Lucas, Dominus Ubaldus, Ugo Conradi, Rolandus de Caritate &c.

Ego Blaſius, Imperialis ſacri Palatii Notarius interſui & ſcripſi.

Qualiter Regini jurant, Mutinenſes & eorum bona & perſonas ſalvare. Anno 1188.

B *IN nomine Domini. Ego Reginus juro guardare & ſalvare Mutinenſes ubique ſemper in rebus & in perſonis, adjuvare & defendere ubique, & expeditionem ubicumque convoluerint per Commune, ad meum diſpendium & perditam facere, cum a Conſulibus vel Poteſtate Mutine, qui per tempora fuerint, Literis vel Nuntio requiſitus fuero, cum militibus & peditibus bis in anno, & cum militibus & Sagittariis quater, ſecundùm quod* &c. (**) *Et ſi de Epiſcopatu Regii aliqui liberi homines Cives Mutinæ fieri voluerint, non vetabo. Homines collectam, & boaciam Mutinenſibus preſtantes, ut in alium locum Epiſcopatus, vel territorio Regii, tranſeant, propter quæ Civitas Mutine ſolitis ſervitiis, & jam dictis defraudaretur & privaretur, non recipiam. De diſcordia Saxoli & Curiæ, Mutinenſes & Regini in uno communi amico vel in duobus ambarum Civitatum Civibus, quomodo Civitas unaquæque ſuum elegerit, compromittere teneantur, qui juramento preſtito ſecundùm rationem & bonum uſum cauſam terminent. Et hec omnia predicta attendam & obſervabo in perpetuum bona fide & ſine fraude, & ſalva fidelitate Imperatoris, & filii ejus Henrici Regis, & ſalvo ſacramento Mantue, & ſalva Societate Lombardie, ita tamen quod propter hoc, & propter dictam exceptionem ſcilicet Lombardie, nihilominus tenear obſervare omnia ſupradicta & ſupradictis.*

D *Actum Regii in Platea Monaſterii Sancti Proſperi feliciter, Anni a Nativitate MCLXXXVIII. Indictione VI. Kalendis Auguſti, die Lune. Qui hoc ſacramentum, ceu prælegitur, ibi fecerunt, hi ſunt: Montenarius Conſul Mercatorum Regii, Dominus Lucas, Ugutio Piroli, Gualbertus Eleazarii, Ugo Conradi, Petrus Vernacius, Guidoctus Marcheſii, Petrusbonus Scoti, Gerardinus Flordebelle, Aribertus de Guizolo, Pariſius de Taculis, Petrus Mangonus, Rolandus Bellagii, Jamboninus Petri Bucetaltate, Albertus Cambiator, & Lombardus Notarius. Et quod hoc ſacramentum facient fieri ab hominibus ſue Civitatis hinc ad eſitum Menſis Auguſti ſine fraude. Hujus rei teſtes fuerunt Dominus Maladobatus, Dominus Albertus Rubeus, Dominus Villanus, Dominus Iſaac Gerardi de Enzola, Dominus Rogerius Sigifredi, Dominus Vernatius, & Ranfredus Notarius. Ex Conſulibus Mutine Dominus Jacobus de Gorzano, & Rolandus Pergenarius, & alii, videlicet Dominus Guido Papienſis, Dominus Mattheus & Gullielmus de Acto. Eadem die in Palatio Regini Epiſcopi dicti Parmenſes & Mutinenſes, qui ſupraſcriptum ſacramentum, ceu prelegitur, fecerunt,* C *hi ſunt: Vicecomes, Aſalutus, Acto Eleazarii, Arditio Alberici, Rogerius de Flordebella, Guido Defenſoris, Ugo Baſiliani, Guido Garianus, Fantenacius, Henricus Falconis, Girardus Clarellus, Bernardus Martini, Jacobus Goſiorum, Peregrinus Rubei, Guido da la Porta, Girardus Tignoſi, Matheus Pagani, Tebaldus Guizardi, Rodulfus Zanfrognini, Jordanus Taculorum, Pariſius juvenis, Guidotinus Guizoli, Tebaldus Petrixini, Raynaldus Armani, Guido Lombardi, Dominus Ildeprandi, Jordanus Ambroxii, Robertus Eleazarii, Gualterius Patarini, Albertus Romanelli, Mercatus, Ugutio Ildeprandi, Jacobus Muſſi, Paganus Palearius, Jacobinus Cambiator, Raimondus de Baiſio, Coradus Guizoli, Albertinus de Ambroxio, Albertus Muti, Jacobus Ildeprandi, Albertus Tebaldi, Petrus Caritatis, Guido de Prepoſito, Janellus Ariberti, Albertus Girardi de Gypſo, Rolandinus Zoboli, Janellus Bulloni, & Ugo Gullielmi.*

Item eodem Anno & Menſe pridie Idus Auguſti, die Veneris in dicti Domni Epiſcopi Regini Palatio in pleno Conſilio, Domno Petro Epiſco-

(*) Quæ heic omiſi, ſunt eadem ac illa, quæ ſupra deſcripta habes in Charta Fœderis initi inter Parmenſes & Mutinenſes Anno 1188.

(**) Uti ſupra in Fœdere Parmenſium & Mutinenſium Anni 1188.

Epiſcopo Regino , *Domino Gerardo de Henzola , Domino Alberto Rubeo , Domino Barcillo , Jordano , & Johanne Notario , Domino Jacobo Conſule Mutine & Domino Matheo , preſentibus , electi Homines per unamquamque Portam dicte Civitatis , qui ſupraſcriptum juramentum ab aliis hominibus de Civitate Regii & Burgis fieri facere ibidem in pleno Conſilio jurarunt , videlicet Guidoctus Marcheſii, Bocabadata , Gualfredus Floriani , Guido Danielis, Arnulfus , Albertus Tedaldi , Petrus de Caritate , Gerardus Tignoſus , Soldanus Fulconum, Bonus de Sancto Rafaële , Henricus Spilimani , Peregrinus Rubei , Petrus Pixacurte , Montenarius Marxilii , Petrus Manganellus , Barnabas , Raynaldus Armani , Albertus de Gavaſſa, Guido Columbanus , & Guido de Prepoſito, qui ſic jurarunt* : Ego juro , quod faciam fieri ſacramentum concordie facte inter Parmam & Regium & Mutinam , ut in inſtrumentis ſacramentorum concordie cujuſque Civitatis continetur , ab omnibus in Civitate Regii & Burgis habitantibus , hinc ad exitum Menſis Auguſti , ſine fraude , a quindecim annis ſupra , & a ſeptuaginta annis infra , niſi fuerit Scolaris vel Servus vel Converſus vel Serviens alicujus , ſtans cum quolibet Domino . Et hoc obſervabo , niſi parabolâ Conſulum Mutine & Parme ad terminum vel terminos ſub obſervatione dicti jurisjurandi remanſerit . *Et ſic quiſque in ſua Porta & Burgo bona fide & ſine fraude , ceu prelegitur , obſervare juravit .*

Ego Blaſius , Imperialis ſacri Palatii Notarius interfui & ſcripſi .

Hæc vetera inter Parmenſes , Regienſes, & Mutinenſes pacta . Accedant nunc Ferrarienſes , nobiſque indicent , quibus conditionibus olim confirmarint cum Venetis rationem judiciorum in cauſſis ac litibus inter utriuſque Republicæ Cives in poſterum futuris . In Analibus MStis Peregrini Priſciani , viri doctiſſimi Ferrarienſis, quos Bibliotheca Eſtenſis adſervat , Chartam legi , eamque omnibus communem nunc volo .

Pacta inter Venetos & Ferrarienſes, Anno 1191.

IN Chriſti nomine . Amen . Anno Dominice Nativitatis Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Primo, tempore Celeſtini Pape, & Henrici Imperatoris , die Sexto , exeunte Menſe Octubris , Indictione Nona , Ferrarie . Quia decet univerſos Civitatum Rectores dilectionem & amicitiam aliarum Civitatum , cum quibus familiaritatem habent , manutenere , & juſtitiam & rationem inter ſe conſervare , ideo ut Civitas Ferrarie & ejus Comitatus atque Diſtrictus quiete & pacifice dilectionem Venetorum diu habitam manutenere valeant : Nos Conſules Ferrarie infraſcripti in ſervandis juſtitiis & rationibus , cum Nobilibus & ſapientibus Viris Henrico Dandulo , & Petro Fuſcarini Delegatis ab Aurio Maſtropetro , *Dei gratiâ* Venetiarum , Dalmatie atque Croatie Duce , *hunc ordinem invenimus, placita utriuſque partis declarantem . Si Venetus de Ferrarienſe depoſuerit queſtionem , non habeat Ferrarienſis niſi unum preceptum . Et factâ querelâ debet Ferrarienſis confiteri , vel ſe tueri per ſacramentum. Quod ſi fortè facere noluerit , condemnetur ſecundum depoſitam contra eum querelam . Et ſi vocatus ad placitum non venerit , per Venetos debet ſacramento condemnari . Quod ſi de queſtione facta fuerit Inſtrumentum, per manus Tabellionis confectum , & Reus minus paratus ad cauſam fortè acceſſerit, liceat ei quindecim dierum inducias poſtulare . Et ſi per teſtes monſtraverit , quod ex parte vel totum ſit debitum, quod continetur in Inſtrumento , ſolutum , non valeat teſtimonium , quod Ferrarienſis induxerit, ſi Venetus juraverit contra . Si verò Cartam ſecuritatis factam per manum Tabellionis de Inſtrumento ipſo monſtraverit , tunc irritum teneatur Inſtrumentum Veneti . Item Inſtrumentum Veneti , factum a Ferrarienſe per Notarium Ferrarienſem , firmitatem obtineat . Et e converſo Inſtrumentum , a Veneto factum Ferrarienſi per Notarium Venetiarum , valeat ſimili modo . Verùm Inſtrumentum a Veneto factum Ferrarienſi per manum Tabellionis Ferrarienſis non teneat , niſi in eo ſubſcripſerint habentes Regimen Civitatis Ferrarie . Ita & Inſtrumentum a Ferrarienſi Veneto factum per manum Tabellionis Venetiarum non teneat , niſi in eo ſubſcripſerint nomen Rectoris Civitatis , ſcilicet Viſdominus. De Inſtrumentis vero quondam inter nos & vos factis , illud exinde nos Ferrarienſes facere diſpoſuimus , quod Venetis erit gratum & acceptum . Item ſi de preda fuerit contra Ferrarienſem querela prolata , & res notoria erit : ſuper hoc licebit Veneto jurare , vel dare ſacramentum Ferrarienſi . Et ſic facto preda reddatur . Si verò notoria non erit , pendet ſacramentum defenſionis in Ferrarienſis voluntate . Quod ſi facere noluerit , jurante Veneto , Ferrarienſis condemnetur . Item ſi Ferrarienſis cauſa pignorandi , Veneto aliquid ſine verbo Conſulis & Rectoris abſtulerit , reddat ablata per ſacramentum. Si verò de conſenſu Rectorum facta fuerit pignoratio , ſtabit pignoratio illa , quouſque Ferrarienſis vadat Venetias ad ſuam juſtitiam pro pignoratione facta querendam . Quam ſi habere potuerit , pignoratio tunc facta reddatur . Si verò juſtitiam conſequi non poterit , faciat Ferrarienſis rem ſibi ablatam per ſacramentum , & ſic rerum ſuarum de pignoratione facta ſolutionem recipiet . Et ſi aliquid reſiduum fuerit , dabit Veneto . Item de pignoratione facta ſine verbo Rectoris, & preda, liceat Veneto ſe tenere ad quem voluerit de his, qui ad ipſam predam vel pignorationem fuerint faciendam . Item ſi Venetus habitando Venetiis fecerit aliquod debitum vel maleficium , & fuerit inventus Ferrarie , ſi ſuper hoc Dominus Dux Venetiarum Ferrarienſibus ſuas literas deſtinarit , remittent eum ad preſentiam Domini Ducis , ſufficienti ſecuritate accepta , quod ad ejus preſentiam erit ſecure deductus . Simili modo de fugitivo Servo & Ancilla fiat , ſi fuerint inventi Ferrarie . Item de omnibus ſententiis datis ſuper Ferrarienſem , ſi ſolutio facta non fuerit , aut non habebunt judicati , unde finem exequantur , dabuntur perſone eis , quibus judicate fuerint , in loco tuto . Et idem per omnia , ut continetur ſuperius de Venetis, debet Ferrarienſibus a Venetis obſervari . Volentes itaque , ut quod ſtatutum eſt , robur & firmitatem obtineat , ſcriptum preſens noſtro Notario facere deſtinavimus . Et viros Nobiles Ferrarie , Jacobum Guidonis Turcli , Ottolinum Maynardorum , ad cauſas Venetorum audiendas*

&

& definiendas per hec tempora jurare fecimus. Et hec omnia conſilio Sapientum Ferrarie in pleno Conſilio cum predictis Nuntiis confirmavimus. Conſules, qui tunc erant, hi ſunt: Jacobus Trotte, Petrobonus Pagani, Bonjoannes Judex, Genetialdus, Girardus Tortus, Signorellus, Ubaldinus Fontanenſis, Menabos, Iſnardus Otolinus Maynardi, Donatus Judex, Leutius.

Ego Magiſter Presbyterinus, Imperialis Aule Notarius voluntate Conſulum Ferrarie & Conſiliariorum, ſicut ſupra legitur, hanc Cartam ſcripſi.

A Sed paucis poſt hæc annis quum novæ inter eoſdem Venetos & Ferrarienſes controverſiæ emerſiſſent, novam inire concordiam opus fuit, quam pertractavit Raynerius Henrici Danduli Venetiarum Ducis filius, quum ejus pater temporibus illis in Oriente verſaretur, ubi cum aliis Latinis Conſtantinopolitana Civitate potitus eſt. Acta hæc etiam debeo Annalibus MStis ſupra laudati Priſciani, ex quorum Libro Septimo depromta heic exhibeo.

Pacta novæ concordiæ initæ inter Henricum Dandulum Ducem Venetiarum, & Commune Ferrariæ, Anno 1204.

IN *Chriſti nomine. Anno Dominicæ Nativitatis Milleſimo Ducenteſimo Quarto, tempore Innocentii Papæ, die VII. intrante menſe Aprilis, Indictione VII. in Palatio Ducis Venetiarum. Quia nihil humano pectori ſic inhæret, cum inter partes conſtituatur aliquid perpetuitate ſtabili obſervandum, vera mentis interpres litera ad hoc ſatis neceſſaria, quæ facti ordinem exigente tempore repræſentat. Per iſtius Scripturæ continentiam clareat:* Quod inter Dominum Rainerium filium Domini Henrici Dandalo *inclyti* Ducis Venetiarum, *cujus vice fungitur dignitatis, ſuoſque ſapientes Conſilii pro Communi Venetiarum, & Nobiles Viros Guidonem de Turclo Conſulem Ferrariæ, & Ottolinum de Maynardis, & Signorellum, Nuntios Communis Ferrariæ ad ipſum Dominum Rainerium deſtinatos pro Communi Ferrariæ, facta concordia talis eſt. Quod Ferrarienſes debent facere rationem Venetis coram Judicibus Ferrariæ a Venetianis ipſis electis, & diffinire ſecundum quod continetur in Carta Concordiæ facta inter Venetos & Ferrarienſes de juſtitiis faciendis. Et ſententiæ quæ modò in antea datæ fuerint, infra quindecim dies, ex quo datæ fuerint, debeant executioni mandari. Sententiæ verò, quæ jam datæ fuerint, infra quindecim dies, ex quo per Dominum Ducem Venetiarum, vel Dominum Raynerium, qui vices fungitur Patris ſui, literæ miſſæ fuerint ad Conſulatum Ferrariæ, vel Poteſtatibus, qui per tempora fuerint, aut Nuntii, debent complementum habere. Tenutæ & Poſſeſſiones ablatæ Venetis a Ferrarienſibus retro ab annis decem, debeant reſtitui ſine placito infra dies quindecim, ex quo literæ Domini Ducis prædicti, vel Domini Raynerii, dicti ſui patris vicem gerentis, Poteſtati vel Conſulatui Ferrariæ fuerint præſentatæ, vel ad hoc Nuntii Venetorum venerint; nec impediri eis debent, niſi prius ratione cognita. Hæc, quæ dicta ſunt de Rationibus faciendis & Sententiis exequendis, & de Poſſeſſionibus & Tenutis, obſervari debent hinc ad Feſtum Sancti Michaëlis per Ferrarienſes. Et alia quæ inferius ſunt ſcripta de facto aquæ Padi, ſub pœna Librarum quinquaginta Imperialium, ita quod pœnâ ſolutâ maneat firma promiſſio in perpetuum. Et a Feſto Sancti Michaëlis in antea in perpetuum obſervetur ordo de Rationibus & Sententiis & Tenutis ſine pœna. De facto aquæ Padi cum pœna quinquaginta Librarum Imperialium. Hæc au-*

B *tem, quæ dicta ſunt de concordia obſerventur ex parte Venetorum, quæ obſerventur per Ferrarienſes. Præterea promiſerunt Guido Turcli Conſul Ferrariæ, & Ottolinus de Maynardis, & Signorellus Nuntii prædicti: quod Ferrarienſes ab hinc in antea tenebunt aquam Padi apertam omnibus volentibus Venetias ire, & redeuntibus de Venetiis, ſecundùm continentiam ſacramentorum, quæ facta fuerunt coram Nuntiis Venetorum, & coram Lombardis & Rectoribus Lombardiæ a Ferrarienſibus in Ferraria, ſub pœna quinquaginta Librarum Imperialium, & pœnâ ſolutâ ſit firma promiſſio & pactum in perpetuum.*

C *Conſtitutum eſt præterea, quod ſi Ferrarienſis ab hinc in antea aliquid alicui Veneto vendiderit, mutuaverit, vel aliquo modo dederit, vel Venetus alicui Ferrarienſi, non alius niſi debitor, vel ejus heres debeat impediri in perpetuum. Hæc autem ſupradicta debent firmari a Conſulibus Ferrariæ & Conſilio. Poſt hæc autem venit* Dominus Petrus Bembo Venetus Vicedominus *Ferrariam in Mercato Olivarum in eodem menſe Aprilis, & fecit coadunare Conſules Ferrariæ inferius ſcriptos Conſiliatores, qui omnes pro Communi Ferrariæ hanc Cartam firmaverunt: ſcilicet Marcheſinus de Maynardis Conſul, Jacobus de Fontana Conſul, Gulielmus Jacobi Conſul, Peregrinus de Donna Raja, Jacobus de Pagano, Rolandus Bonus, Carne-* D *varius de Miſoto, Menabos, Partimes, Dominus Andreas Judex, Guozius, Jacobus Trotte, Ziliolus de Guizardo, Suſinellus, Conſules Ferrariæ. Conſiliatores fuerunt, qui confirmaverunt prædictam concordiam, ſcilicet Ubaldinus Fontane, Bazalerius, Saracenus, Petrus Canis, Guido Aliprandi Judicis Advocatus, Guidobonus, Joannes Donite, Lanfrancus Judex, Cocus de Maynardis, Signorellus, Rubus Deudo, Pellagallus, Martinus, Jacobinus de Jacobo, Boſcarinus de Gattaris, Rubeus de Miſoto, Pinze, Henrigetus Stortus, Paſcalis, Azzolinus, Cavatulus, Amberinutus, Manfredinus, Jenarolus, Bonmartinus, Albertus Imolenſis, Paganus, Ugutio, Vivinus, Henricus* E *de Bellio, Petrus Lavizolus, Joannes Vacca, Rubeus de Mantica, Petrus de Gifredo, Quintavalle, Gandolfinus Miſoti, & multi alii de Conſilio. Verſa vice Veneti debent facere rationem Ferrarienſibus ſub Judicibus Venetorum, qui ſunt pro eis, & aliis Foreſteriis, & diffinire ſecundùm quod continetur in Carta Concor-*

diæ facta inter Venetos & Ferrarienſes de Juſtitiis faciendis. Et Sententiæ, quæ modò in antea datæ fuerint per Ferrarienſes, infra quindecim dies, ex quo datæ fuerint, debeant executioni mandari. Sententiæ verò, quæ jam dictæ ſunt per Ferrarienſes, infra quindecim dies, ex quo per Conſules vel Poteſtatem Ferrariæ miſſæ fuerint ad Dominum Ducem Venetiarum vel ad Dominum Raynerium, qui vice ſui patris fungitur, aut Nuntii, debent complementum habere. Tenutæ & Poſſeſſiones ablatæ Ferrarienſibus retro ab annis decem debent reſtitui ſine placito infra quindecim dies, ex quo literæ Conſulum Ferrariæ vel Poteſtatis ad Dominum Ducem Venetiarum, vel Raynerium ſuum filium officium gerentem, fuerint præſentatæ, vel venerint. Nec impediri debeant, niſi prius cognita ratione. Hæc, quæ dicta ſunt de Rationibus faciendis & Sententiis exequendis, & de Poſſeſſionibus & Tenutis, obſervari debent hinc ad Feſtum Sancti Michaëlis cum pœna quinquaginta Librarum Imperialium, ita quod pœnâ ſolutâ maneat firma promiſſio. Et a Feſto Sancti Michaëlis in antea in perpetuum obſervetur ordo de Rationibus & Sententiis & Tenutis ſub pœna.

Ego Magiſter Presbyterinus, Dei gratiâ Imperialis Aulæ Notarius, ad hæc præſens, præſentem Cartam ſcripſi.

Occurrit heic *Dominus Petrus Bembo Venetus Viſdominus* Ferrariæ exſiſtens. Ejuſmodi Magiſtratus in maritimis Civitatibus *Conſul* nunc appellatur. Major tamen Veneto *Vicedomino* Ferrarienſi in Urbe auctoritas tunc fuiſſe videtur. Porro quanta hæc foret, ignorare me fateor. Hoc autem adnotavi, quia ſubſequutis temporibus, & poſt ereptam Salinguerræ Ferratiam, Anno ſcilicet MCCXL. prærogativæ multæ huic Venetorum Magiſtratui apud Ferrarienſes additæ fuere, quæ Sæculo XV. bellum peperere Eſtenſibus Principibus perniciosum. Ad hoc idem ſpectat altera Charta, quam mihi ſuppeditavit Archivum Eſtenſe.

Huberti Prætoris Ferrarienſis poteſtatio de conditionibus pacis ſtabiliendæ cum Venetis, Anno 1230.

Anno Domini MCCXXX. Indictione III. die Veneris XIII. intrante Auguſto, in præſentia Dominorum Philippi Cornarii, Nicolai Quirini de Venetiis, Marchiſini de Laureto, & Rodolphini fratris ejus, Willelmini, & Cabrieli Notarii Domini Ducis, Dominorum Jacobini de Trota, Manabovis, Bonijohannis de Anſideo, Villani de Aldigeriis, & Petri de Marone de Ferraria teſtium. Cum ante Dominum Jacobum Teupoli *inclytum* Ducem Venetiæ, *de concordia facienda inter Ferrarienſes & Venetos tractatus competens haberetur, per* Dominum Hubertum de Marnate *tunc* Poteſtatem Ferrariæ *taliter proteſtatio facta fuit; videlicet, quod ipſe Dominus Hubertus proteſtatus fuit coram ipſo Domino Duce, & prædictis teſtibus, quod ipſe nullam concordiam faceret cum ipſo Domino Duce, niſi ad intendimentum, quod introitus Contratarum Ferrariæ, ſicut conſuetus eſt colligi, in aliquo minui non deberet, ſed omnino ſervari; & ſi ab iſo Domino Duce iſtud idem intendimentum non haberetur, nullo modo cum ipſo Domino Duce aliquam concordiam faceret. Qui Dominus Jacobus Teupolus inclytus Dux Venetiæ dicto Domino Poteſtati Ferrariæ talem reſponſionem fecit, quod & ſui firmi intendimenti erat, quod propter illam concordiam, quam faceret cum dicto Poteſtate Ferrariæ, ſive cum Communi Ferrariæ, nolebat introitum, qui conſuetus eſt colligi pro Contratis Ferrariæ, in aliquo minui, ſed omnino ipſis Contratis ſervari.*

Actum Venetiis in Palatio Ducis, in præſentia ſupraſcriptorum teſtium.

Et ego Pellizarius Judex & Notarius, ut audivi & intellexi, ita ſcripſi & complevi.

Quid poſtea inter Venetos, & Ferrarienſes de pace ac Fœdere ſtabilitum fuerit, ſubſequens Charta edocebit, ex eodem Archivo Eſtenſi depromta. Certe hinc elucere videtur, nondum aliquid juris fuiſſe Venetis in Civitate Ferrariæ.

Nova

Nova concordia Venetorum cum Ferrarienſibus, Anno 1230.

IN æterni Dei nomine. Amen. Anno ejuſdem Nativitatis MCCXXX. die XIII. exeunte menſe Auguſti, Indictione III. in præſentia teſtium, quorum nomina declarantur inferius. Quia decet, univerſos Civium Rectores dilectionem & amicitiam aliarum Civitatum, cum quibus familiaritatem habent, manutenere, & juſtitiam & rationem inter ſe conſervare, ut Dominus Dux Venetiarum, & Veneti quiete & pacifice dilectionem Ferrarienſium diu habitam valeant ſemper manutenere, ideo nos Hubertus de Marnate, *Civis Mediolanenſis*, Poteſtas Ferrariæ, *nec non & Domini Jacopinus de Trotta, Villanus de Aldigeriis, Bonusjohannes de Anſedeo, Menabos, Pelliparius Judex, & Petrus de Mirone, Cives Ferrarienſes, ipſius Civitatis Ferrariæ Ambaxatores ad hæc deſtinati a Communi Ferrariæ ad Dominum Ducem Venetiarum, vice & nomine ipſius Communis Ferrariæ, & ſingulorum Civium Ferrariæ, ſolemni ſtipulatione interveniente promiſerunt, & pactum fecerunt firmiter obſervandum amodo uſque ad proximas Calendas Januarii venturi, & deinde uſque ad annos decem,* Domino Jacobo Teupulo, *Dei gratiâ* Venetiæ, Dalmatiæ, atque Croatiæ *inclyto* Duci, *recipienti vice ſua & Communis Venetiæ: videlicet, quod omnes homines Venetiæ & diſtrictus ſint ſalvi & ſecuri in perſonis & rebus eorum in Civitate Ferrariæ & ejus diſtrictu euntes, ſtantes, redeuntes, venientes: non ſolventes aliquod Datium vel Toloneum aut male ablatum apud Ferrariam, vel apud Figarolum, aut aliquo loco diſtrictus Ferrariæ, occaſione ipſorum Ferrarienſium, vel occaſione Domini Papæ, ſeu occaſione Epiſcopatus Ferrariæ, aut aliqua alia occaſione, ſeu conſuetudine vel ratione, exceptis III. Denariis Venetiæ parvis tantùm pro fundo Navis apud Ferrariam. Videlicet illæ Naves hoc Datium trium Denariorum ſolvere debeant, quæ portum fecerint, & remanſerint apud Civitatem Ferrariæ, cauſsâ ſuarum rerum illuc vendendi, vel comparandi. Tamen aliæ Naves, quæ ibi venerint præter iſtas, hoc Datium III. Denariorum ſolvere non teneantur. Item quod omnes homines undecumque venientes tam per Portum maris, quàm per Padum cum blava & vino & aliis victualibus extra diſtrictum Ferrariæ, poſſint ire Venetias per Portum maris, vel per flumina, ſive aliunde cum ipſa blava, vino, & victualibus, ſine contradictione vel defenſione ipſorum Ferrarienſium, non inferendo eis aliquod onus vel gravamen, neque cogendo eos occaſione ſuorum bannorum, ſeu poſtarum, quod in toto vel in parte ipſarum blavarum, vini, & victualium vendant, vel dimittant apud Ferrariam, vel apud alium locum diſtrictus Ferrariæ. Item promittunt ſatisfacere Venetis de terris & poſſeſſionibus ſuis, quas habebant in Maſſa Fiſcaliæ, quas Commune Ferrariæ eis abſtulit, & habet & tenet in Maſſa Fiſcaliæ, & alii homines & perſonæ pro ipſo Communi tenent & habent, oſtendentibus eis per teſtes vel per chartam de jure ſuo. Et hæc ſatisfactio fiat de quantitate pretii ſecundùm illam quantitatem illius pretii, quod fuit ſatiſfactum Ferrarienſibus, qui habebant poſſeſſiones* A *in Maſſa Fiſcalia, medietatem hinc ad proximum Carniprivium, & alteram medietatem hinc ad Paſcha Reſurrectionis Domini proximum. Et quod Arbitri electi in Ferraria pro Venetis infra XV. dies debeant pronuntiare ſuper his poſſeſſionibus Maſſæ, poſtquam teſtes producti fuerint in cauſſa, vel inſtrumenta, & renuntiatum fuerit cauſſæ per Venetum coram Arbitris. Teſtes verò, ſi qui producti ſunt a Venetis coram Arbitris ſuper his poſſeſſionibus, valeant ſimili modo, ſicut modò de novo producerentur: & ſit in arbitrio Venetorum, qui produxerint, tenere ſe ad dicta ſingulorum teſtium, vel ad partem ipſorum teſtium. Et ſi noluerint ſe tenere ad dicta teſtium productorum,* B *tunc ipſorum dicta nec obeſſe debeant Venetis, nec prodeſſe. Item promiſerunt, quod permittent omnibus Venetis deferre & conducere Venetiis totum ſuum terraticum & redditum ſuarum terrarum, & poſſeſſionum, quæ habent in Ferraria & ejus diſtrictu tam ipſum redditum & terraticum, quàm omnem alium eorum redditum blavarum, leguminum, vini, carnium vivarum & mortuarum, & cavallaticum, & ſocidarum, & jojarum, & omnem redditum aliorum ſuorum bonorum. Jurante Gaſtaldione illorum Venetorum coram Poteſtate Ferrariæ ſemel in anno quantitatem terratici, & reddituum ipſorum Venetorum, & facto ſacramento, detur ei Sigillum pro prædictis terraticis &* C *redditibus Venetias conducendis & deferendis. Et non conſtet Veneto dictum Sigillum niſi quatuor Imperiales tantùm, nec aliquid aliud pro hoc ſolvat; aut eis aliqua moleſtia vel gravamina inferri debeant. Ita tamen quod quotieſcumque per totum annum dicti Veneti voluerint conducere Venetias dictum ſuum terraticum, & redditum, toties detur eis dictum Sigillum, ſolventibus IV. Imperiales, ut dictum eſt, pro Sigillo; credendo ſacramento a Gaſtaldione facto ſemel in anno per totum annum. Veruntamen dicti Veneti poſſint & debeant deferre & conducere Venetias ſupraſcriptum ſuum redditum & terraticum ſine prædicto Sigillo accipiendo, & ſine prænominato ſacramento a Gaſtaldione faciendo,* D *donec Sextarium frumenti Ferrariæ non aſcenderit ſummam quatuordecim Imperialium.*

Præterea tenutæ & poſſeſſiones hominum, Monaſteriorum, & Eccleſiarum de Venetiis, quas habent in Ferraria, & ejus diſtrictu, quæ ablatæ ſunt eis, & intromiſſæ ſunt, & tenentur per Ferrarienſes hinc retro, & ſpecialiter tenutæ & poſſeſſiones Monaſterii Sancti Danielis de Venetiis, quæ ablatæ & intromiſſæ ſunt per Dominum Salinguerram, vel per alios, & ab eis tenentur, reſtituantur eis ſine placito infra quindecim dies, ex quo literæ Domini Ducis Venetiæ Poteſtati Ferrariæ vel Conſulatui Ferrariæ fuerint præſentatæ, vel ad hæc Nuntii E *Domini Ducis venerint Ferrariam: nec impediri vel eis auferri debeant, niſi prius cognita ratione. Et hoc ſecundùm formam pacti facti Venetis tempore* Domini Raynerii filii Domini Henrici Dandoli Ducis Venetiæ. *Item quod ſit licitum Venetis omnibus, qui venerint Ferrariam cum Sale, diſcaricare, & extrahere*

atque

atque dimittere ipſum Salem in terris ſi voluerint ; & quum vendiderint ipſum Salem, ſit licitum eis accipere de Aſſazatoribus Communis Ferrariæ qualeſcumque voluerint pro Sale menſurando, ſeu aſſazando. Et qui venerint Ferrariam cum mercimoniis & aliis rebus , ſit licitum eis ſimiliter ipſas merces & res diſcaricare & ponere in terris . Et ſimiliter ſit licitum eis cambire Salem per Ferrariam & ejus diſtrictum , ſicut ſoliti erant , & illud quod pro cambio acceperint ex ipſo Sale , poſſint deferre Venetias ſine aliquo impedimento vel banno ſeu defenſione ipſorum Ferrarienſium , & ſine aliquo datio , toloneo , vel male ablato . Item quod Veneti libere & abſolute poſſint in Civitate Ferrariæ & ejus diſtrictu emere canapum , & ipſum deferre Venetias ſine aliquo datio vel toloneo vel male ablato , dando vel perſolvendo a Venetis , excepto quod pro ponderatione ſtaderiæ debeant ſolvere apeſatori Maſſarii laborerii Epiſcopatus Ferrariæ pro mercede ſua decem Imperiales pro quolibet milliario & non ultra . Item promiſerunt , ſtatuerunt , atque pactum fecerunt , omni tempore infra hunc terminum dare Venetis omnem blavam ſuam , ſcilicet blavam cujuſque maneriei, optione facta , habentibus Venetis & ejus diſtrictus licentiam emendi quantam blavam voluerint , & cujuſque maneriei , & omnia legumina cujuſque maneriei. Et quod ſit licitum ipſis Venetis ipſam emere in Ferraria & ejus diſtrictu, & ipſam deferre Venetias . Et ſimiliter Ferrarienſes & omnes alii, qui voluerint , poſſint ipſam blavam & legumina Venetias deferre , quouſque ſextarium frumenti Ferrariæ non excedat ſummam quatuordecim Imperialium , ſine aliquo banno vel impedimento , ſeu aliquo datio , toloneo , vel maletolletto . Item quod Veneti libere & abſolute poſſint emere Piſces a Ferraria inferius , & nominatim in ambobus Maneziis , Fracta , Villacommoda , Codegnano , Villamarzana , Arcuada, Gragnano, Adria , Adriano, Corneto, & Coucanile : & ipſos piſces deferre Venetias ſine aliquo banno vel toloneo vel male ablato . Item quod nullo tempore homines prædictorum locorum a Poteſtate Ferrariæ compelli poſſint , ut piſces prædictos Ferrariam ducere teneantur. Item promiſerunt , quod ſi Dominus Dux Venetiæ fecerit bannum ſuarum rerum alicui Civitati vel loco , qui illas merces vel res , quas Ferrarienſes vel alii apud Ferrariam vel in ejus diſtrictu conducent , eas non dabum, nec permittent deferre ipſas merces & res ad illam Civitatem vel locum : ſed illud idem bannum ex ipſis rebus & mercimoniis facient eis quemadmodum fecerit Dominus Dux Venetiæ , poſtquam eis a Domino Duce fuerit denuntiatum infra octo dies. Item quod de prædis, robariis , & damnis datis hominibus Venetiæ in Ferraria & ejus diſtrictu , & de omnibus quæſtionibus , petitionibus , ac querimoniis tam percuſſionum & injuriarum, & debitis & toloneis & male ablatis , quàm de aliis omnibus rationibus Venetis prædictis ratio fiet ſecundùm pacta & ſtatuta atque ordinamenta hinc retro facta inter Venetias & Ferrariam de juſtitiis obſervandis . De his autem omnibus fuerunt concordes , ſalvis omnibus aliis pactis , ordinamentis , & promiſſionibus , in omnibus & per omnia hinc retro inter Venetiam & Ferrariam factis , ita quod præſens pactum in aliquo capitulo vel verbo prædictis aliis pactis , ordinamentis & promiſſionibus olim factis non debeant obeſſe neque præjudicium generare. Quæ omnia jam dictus Dominus Hubertus Poteſtas Ferrariæ verbo prædictorum Ambaxatorum , conſenſu & voluntate , & ipſi etiam Ambaxatores , per Domini Euangelia , corporaliter juraverunt attendere , obſervare , firma tenere , & non contravenire aliquo modo vel ingenio . Inſuper juravit dictus Poteſtas ſimiliter Ambaxatorum verbo , conſenſu , & voluntate , quod faciet jurare Officiales ſuos, & unum hominem, ſuper animam totius Populi Ferrariæ & Ferrarienſium , verbo ipſius Populi, quod hæc omnia pleniter obſervabunt & attendent , & non contravenient aliquo modo vel ingenio . Et quod ipſe faciet hæc eadem jurare Succeſſori ſuo vel Rectoribus . Et nominatim quod ipſe Succeſſor ſeu Rectores facient ſuos Officiales hæc jurare : obſervato iſto ordine ſacramenti ſui & Officialium in quolibet anno per totum annum, in initio Poteſtariæ vel Rectoriæ ipſius Civitatis , uſquequo dictum tempus decem annorum fuerit expletum . Et quod faciet in Statuto Ferrariæ ſcribi hæc , nec deleri per totum dictum tempus . Et quod de his ipſe Poteſtas & Poteſtates futuræ , & Rectores & Officiales non poſſint petere nec habere abſolutionem dicti ſacramenti a Populo Civitatis, vel ab aliqua alia perſona aliquo modo vel ingenio . Ad hæc fuerunt teſtes præſentes & rogati , Domini Cardinalis Zorzus, Stephanus Betanus , Nicolaus Donatus , Nicolaus Quirinus, Angelus Damianus , Petrus Baliſta, & Albertinus Caſolerius de Venetiis, Wilielmus Cornaclinus , & Camarinus Notarius de Ferraria & alii .

Actum eſt hoc Venetiis in Palatio Ducatus .

Ego Gabriel Scribanus Sacri Palatii Notarius his prædictis interfui, & rogatus ſcripſi & roboravi .

Sed & ante hoſce annos ſpectanda ſe nobis præbent acta Pacis inter Mediolanenſem Rempublicam & Laudenſem Populum confectæ . Exploratum eſt , quot calamitatibus agitata fuerit Laudenſis Civitas , quod finitima Mediolano Urbi potentiſſimæ foret , cujus etiam jugum ſubire coacta fuerat . Ex Laudenſium præcipue querelis factum eſt , ut Fridericus I. Auguſtus, irato animo adversùs Mediolanenſes non ſemel arma tulerit , eorumque Urbem ſolo tamdem æquarit . Diu perduraſſe odia ac ſimultates inter utrumque Populum par eſt credere . Sed Anno demum MCXCIX. conditionibus infra legendis pax inter eos coaluit, cujus tabulas ex Collectaneis Puricellianis MStis in Bibliotheca Ambroſiana adſervatis ego olim deſcribebam .

Acta

Acta Pacis & Societatis initæ inter Civitates Mediolani, & Laudis Pompejæ, Anno 1199.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Pax & concordia facta inter Commune Laude ex una parte, & ex altera parte Commune Mediolani, talis eſt. Quod Mediolanenſes jurabunt, quod bona fide & ſine fraude ſalvabunt & juvabunt & manutenebunt & defendent Civitatem Laudæ, & Epiſcopatum, & Diſtrictum, & omnes Homines habitantes in Civitate & juriſdictione, & Epiſcopatu, & diſtrictu Laudæ, tam Laicos, quàm Clericos & Eccleſiaſticos, qui ad præceptum, & præcepta Communis Laude ſtant vel ſteterint: & bonam & firmam & inviolatam pacem per ſe & homines ſuæ virtutis & Archiepiſcopatus, Comitatum, & juriſdictionem & diſtrictum prædictæ Civitati & Communi Laudæ, & omnibus hominibus ejus diſtrictus & virtutis, ut ſupra dictum eſt, tenebunt & ſalvabunt & guardabunt & defendent res & perſonas & jura & rationes & poſſeſſiones, quas nunc habent & habebunt, Civitatis & Epiſcopatus & diſtricti, & omnium hominum tam Laicorum, quàm Eccleſiaſticorum habitantium in ipſa Civitate & Epiſcopatu & diſtrictu, donec ad præcepta Communis ipſius Civitatis ſteterint. Et ſi ſcirent aliquem contra hoc facere velle, bona fide prohibebunt, & ne id fiat operam dabunt cum perſonis & rebus. Et de omni guerra, quæ aparuerit Communi Laudæ ſeu Civitati, adjuvabunt eum perſonis & rebus, & cum omni ſua fortia, ſecundùm preceptum Conſulum vel Poteſtatis de Laude, qui vel quæ pro tempore fuerint, vel eorum certis Miſſis, donec guerra duraverit, contra omnem perſonam vel perſonas, vel Civitatem, locum, Caſtrum vel Villam, quæ ſint confines cum Laudenſibus vel Mediolanenſibus, & contra omnem perſonam vel perſonas, quæ ſint, vel quæ venerint in prædictis Civitatibus vel locis vel Caſtris aut Villis confinibus, aut eorum vel earum juriſdictione ad faciendam guerram Laudenſibus. Et de omni banno dato Communi Laudæ vel Civitati bona fide juvabunt cum perſonis & rebus & omni fortia ſine fraude, donec de banno exierint. Et ſi Civitas ſeu Commune Laudæ guerram habebunt cum aliqua Civitate vel loco vel perſona, Caſtro vel Villa, quæ ſint confines utriuſque Civitatis, infra octo dies, ex quo Mediolanenſes requiſiti fuerint a Laudenſibus, ipſam Civitatem vel locum ſeu perſonam, Caſtrum vel Villam diſfidabunt, & guerram facient cum perſonis & rebus & omni ſua fortia. Nec durante ipſa guerra Mediolanenſes aliquam negotiationem cum prædictis facient, exceptis incantationibus portus, de quibus tractabitur inferius. Et adjuvabunt Commune Mediolanenſe Commune Laudæ, & omnes homines ſuæ virtutis manutenere & defendere & recuperare & recuoerata manutenere omnes ſuas poſſeſſiones, juriſdictiones civiles & criminales & jura, & res ipſius Communis & ejus virtutis, bona fide & ſine fraude. Nec erunt Mediolanenſes in conſilio vel facto, quod Civitas Laudæ comburatur, vel obſtruatur, capiatur, vel prodatur, vel amittat honorem ſuum, vel in alterius poteſtate ſeu virtute proveniat . . . . . . in ipſorum Laudenſium. Item dimmittent Medio- A *lanenſes Laudenſibus juriſdictiones civiles & criminales, & omnes commoditates & uſantias Communis & Civitatis Laudæ in toto Epiſcopatu & diſtrictu Laudenſi, & omnibus locis Epiſcopatus & diſtrictus Laudenſis, & ſpecialiter loci de Cavacurte, & Montiſmali, & Sancti Colombani, & Grafignanæ, Cogozi, Valeriæ, Comazani, Gardellæ, Ronchadelli. Et facient Mediolanenſes ita, quod Eccleſia Mediolanenſis, vel perſonæ Eccleſiaſticæ, ſive eorum Cives omnes non impediant per ſe Commune Laudæ præfatas commoditates vel uſantias habere & exercere in prædicto Epiſcopatu & diſtrictu, & in prædictis locis. Et Mediolanenſes adjuvabunt Laudenſes prædicta tenere &* B *manutenere & defendere & conſervare contra omnem hominem & perſonam & perſonas, Civitatem, locum, Villam & Caſtrum: & ſit, ſalvis omnibus fictis & diſtrictis & redditibus & conditionibus & honoribus Eccleſiarum Mediolanenſium, & omnium hominum Civitatis Mediolani, & ejus virtutis, & juriſdictione; quæ omnia modò habent, vel habebunt in prædictis locis & aliis locis Laudenſis Epiſcopatus & juriſdictionis & diſtrictus. Nec propter hujuſmodi exceptiones nihilominus Civitas Laudenſis ſeu Commune præfatas juriſdictiones & commoditates & uſantias habere & exercere poſſit, & Eccleſia Mediolanenſis & Milites & homines præfatas uſantias habere; ita ut per has juſti-* C *tias reſervatas, Eccleſiæ, vel perſonæ Eccleſiaſticæ, vel alii homines Laici non poſſint prohibere Commune Laudæ prædictas juriſdictiones & commoditates & diſtrictus habere & exercere; nec per hujuſmodi conceſſiones factas Laudenſibus intelligatur locus de Melegnano, qui eſt ex parte mane Lambri, & locus Vigezoli, & Calvenzani, ſi aliquo tempore reperientur pertinere ad Epiſcopatum Laudæ, eſſe in hac conceſſione; ſed Mediolanenſis remaneant.*

Item Mediolanenſes tenebunt Portum ad Civitatem Laudæ, & uſantias portus. Nec facient incantum in aliqua Civitate vel loco vel Caſtro vel Villa vel Burgo de eis rebus, quæ ducuntur vel ducentur per nave a Cremona in ſur- D *ſum, nec in Cremona. Nec negotiationes ſuas ducent per navem inter Portum Laudæ ſupra & infra uſque Cremonam, exceptâ negotiatione blavæ & leguminum & vini, quas liceat Mediolanenſibus, undecumque velint, trahere & negotiari. Et excepto quod ſine fraude liceat Mediolanenſibus, & poſſint in publica Feria Placentiæ & Papiæ ire, qualitercumque & quomodocumque voluerint, & negotiari & negotiationes ducere & reducere. Nec operam dabunt ut Laudenſes amittant prædictum Portum: & bona fide adjuvabunt manutenere Portum in Civitate Laudæ. Nec per hoc intelligatur acquiſitum Laudenſibus in aqua Lambri. Neque Mediolanenſes aliquam læſionem facient in per-* E *ſonis & rebus hominum venientium ad Portum Laudæ, vel occaſione Portus cum negotiationibus, quas ducent per naves vel terram veniendo vel ſtando vel redeundo cum pecunia vel ſine pecunia occaſione Portus, ſive per Guerram, ſive per Pacem. Et Mediolanenſes deſtruent Betfredos, Beltreccas, Aſpaldos*

Sancti

Sancti Colombani , & Coguzi , & aliorum Caſtrorum , quæ Mediolanenſes habent ſeu tenent in Epiſcopatu Laudenſi per commune vel per diviſum , vel Eccleſiæ : nec ulterius ædificabunt Mediolanenſes Caſtra , nec de novo ædificabunt per commune vel per diviſum , ſine parabola Conſulum & Conſilii totius , collecti ad campanas ſonatas , vel ad majoris partis . Nec permittent etiam , perſonam aliquam Mediolanenſem præfata Caſtra , vel alia reædificare , vel denuo ædificare , vel munitiones facere in toto Epiſcopatu vel diſtrictu Laudenſi ; & ſi qua ædificata , vel reædificata fient de novo, deſtrui facient , vel Laudenſes deſtruere adjuvabunt infra terminos ſtatutos a Laudenſibus , ex quo requiſiti fuerint Mediolanenſes . Item ſtatuta ſeu ordinamenta , quæ Conſules Laudæ fecere , vel deinceps facient , ſuper poſſeſſionibus conſtitutis in Epiſcopatu vel diſtrictu Laudæ non alienandis , & ſuper habitaculis ipſorum Laudenſium non mutandis extra ſuam jurisdictionem , Mediolanenſes non infringent, & ut non infringantur adjuvabunt , quæ tamen non ſint contra tenorem hujus concordiæ . Item dabunt & præſtabunt Mediolanenſes Laudenſibus Merchatum apertum plenarie per ſe & perſonis ſuæ virtutis , generaliter omnibus hominibus Civitatis Laudæ , qui ſtant vel ſteterint ad præceptum Communis Laudæ , blavæ & vini & omnium aliorum victualium , & omnium rerum & negotiationum mobilium & ſe moventium in Civitate Mediolani & extra in tota terra virtutis Mediolani & Comitatuum ſine ullo vinculo banni vel interdicti , vel aliquo alio impedimento , quod dici poſſit vel excogitari ullo modo; & Mediolanenſes nullum novum pedagium , vel telloneum Laudenſibus imponent , nec vetera mutabunt , nec accreſcent . Et Conſules Mediolani ſeu Poteſtas dicent juſtitiam in cauſis tam civilibus , quàm criminalibus Laudenſibus , & ejus virtutis ſine fraude cum hominibus Mediolanenſibus , & ejus virtutis . Et Mediolanenſes nullam facient aliquam Societatem cum aliqua perſona vel perſonis , vel Civitate vel loco , quæ ſit contra hanc Societatem . Et Mediolanenſes dimittent , & facient venire Guidotum de Cazigo , & Petraſium della Puſterla , & Zanaſium de Abonis , & omnes alios , quos receperunt ſtare ad mandata Conſulum Laudæ , ita quod ſint de jurisdictione Laudenſi , & non ſua abſolute . Et abſolverunt Abonum vinculo ſacramenti fidelitatis; ita ut teneantur Mediolani, ſicut Vaſſalli Dominis . Nec per hoc minuatur jus Laudenſium in hoc , quod ſupra dictum eſt de Militibus ; nec in ſupraſcriptos , vel alios Milites vel homines de Civitate Laudæ vel Epiſcopatu ſeu diſtrictu , ſcienter recipient . Et ſi contigerit , eos venire ad Civitatem Mediolani , ſive diſtrictum habitare , poſtquam requiſiti fuerint , infra menſem unum de Civitate Mediolani vel diſtrictu expellent . Et ſi aliqua Civitas vel locus vel perſona vetarent ſtratam Laudenſibus , & Laudenſes vetarent ſtratam ei vel eis, tunc Mediolanenſes ab octo diebus , ex quo requiſiti fuerint a Laudenſibus , prohibebunt ipſi Mediolanenſes ſuis omnibus , ne vadant cum aliqua negotiatione per terram vel aquam Laudenſium ad illam Civitatem vel locum vel perſonam , quæ vetaverit ſtratam ipſis Laudenſibus, excepta negotiatione Portus Laudenſis, ſecundùm quod ſupra dictum eſt . Inſuper ſi Mediolanenſes facerent aliquam Societatem , & Laudenſes vellent in ea intrare , Mediolanenſes facient , eos in ea Societate recipi . Et ſi Laudenſes in-

A *trarent in guerram pro Mediolanenſibus , non poſſint nec debeant facere pacem , vel treguam ,* vel guerram recretatam *de ipſa guerra ſine parabola Conſulum Laude, vel Poteſtatis, & Conſilii totius , vel majoris partis Civitatis Laude. Et ſi aliquod maleficium de cetero factum fuerit , vel fiet per homines ſeu loca ipſarum Civitatum vel earum virtutis , vel aliquod Capitulum prædictæ Concordiæ ſeu Pacis infringeretur , bona fide operam dabunt , ut bona Pax & Concordia inde fiat & teneatur , & Capitulum ruptum emendetur . Nec propter illud maleficium factum , vel illud Capitulum ruptum interruptio Pacis & Concordiæ fiat , nec intelligatur Pax rupta , ſed ſtabit , & firma ſem-*
B *per permaneat . Et Conſules tam Communis , quàm juſtitiæ utriuſque Civitatis , ſive Poteſtas teneantur ſingulis annis hanc Pacem & Concordiam jurare . Et facient jurare futuros Conſules , vel Poteſtatem in initio ſui regiminis . Et hanc Pacem debent jurare omnes homines utriuſque Civitatis ab annis octodecim ſupra , & a ſeptuaginta infra, illi ſaltem , qui conſueverant facere ſacramenta Civitatum . Quæ ſacramenta ſingulis quinquenniis renoventur & fiant , ea omnia ſupraſcripta attendere Mediolanenſes & Commune Mediolani Laudenſibus uſque in æternum , & in omni tempore . Et hoc totum ſalvo eo , ut ſi quid additum vel diminutum fuerit vel ordinatum omni Conſilio utriuſque Civitatis,*
C *ſemper illud ratum & firmum teneatur . Et de hac Pace & Concordia ut ſupra continetur , rogaverunt fieri plura Inſtrumenta unius tenoris Conſules veteres Laudæ , ſcilicet Albertus de Treſeno , Monacus de Cucigo , Philippus de Abonis , Jordanus de Paradino , Sacchus de Sacchis , Petrus de Guazina , Silius de Vauri, Ottobonus de Overgnaga , & Conſules novi , videlicet Gualterius de Overgnaga , Alchiſius de Richo , Achilles Bellottus , Lanfrancus Codecaſa , Moreſcus Garbanus , Jacobus de Paradino .*

Actum in Civitate Laudæ in Conſulatu Laudæ , Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Nono , die Lunæ V. Ca-
D *lendas Januarii , Indictione II. Interfuerunt Aliprandus Circamundus Presbiter de Salarano , Bergondinus Pocalodus , Gariardus Bellottus , Jacobus de Viſtarino , Lazarus de Caſalegio , Gerardus Pocalodus , Ugo de Treſino , Derlus Salvator , Jacobus Salvator Comes Bieme , Albertus Soregus , Durus de Gavatio , & multi alii Laudenſes . Item de Mediolano interfuere Conradus Judex , Algerius Boneſinus , Jacobus de Sexto .*

Ego Ugo , qui dicor de Caſtegnanega , Judex ac Miſſus Domini Friderici Imperatoris interfui , & rogatus ſcripſi .

Ego Petrutius Longus Palatinus Notarius auctenticum hujus exempli vidi , legi , & ſic
E *in eo continebatur, ſicut in hoc legitur exemplo , præter literas plus minuſve , & hoc exemplum ſcripſi .*

Ego Adam de Manaris, Ottonis IV. Romani Imperatoris Notarius auctenticum hujus exempli vidi & legi , exemplatum in veteri Statuto Communis Laude , & ſic in eo continebatur &c.

Ego Leonardus de Treſeno quondam Domini Galvani , Civis , & Imperiali auctoritate Notarius publicus Laudenſis , ac Officialis ad Cameram armarii & Archivii publici Communis Laude deputatus , ſupra ſcriptum Pacis Inſtrumentum , & in eo contenta , me aliis occupato nego-

negotiis, per Notarium mihi fidum, de quodam Libro magno in carta cum aſſidibus in dictis Camera & Archivio publico, & penes me exiſtente, extrahi & ſcribi feci, & me ad fidem adhibendum ſubſcripſi.

Occurrit heic atque in aliis eorum temporum monumentis, facere *guerram recretatam*: pro quo tamen ſcriptum puto in authentico *guerram recredutam*, ut habent alia hujuſmodi acta. Du-Cangius Pilonum laudat in Hiſtor. Bellunenſ. ſcribentem: *Et non facient Pacem, vel Treugam, ſeu Veram, Recredutam* (lege *Werram recredutam*) *inimicis Civitatis Tarviſii*. Infra in pactis Mutinenſium cum Guilielmo Malaſpina Marchione occurret *neque guerram recrezutam*. Idem verò Du-Cangius opinatur, nihil aliud ſignificari per vocem *recreduta*, quàm *recredentiam*, hoc eſt, *reſtitutionem in integrum*. Sed is fallitur. Ex Inſtrumento Fœderis, quod evulgavi, Par. I. Cap. 10. pag 400. Antiquitatum Eſtenſium, elucere ſatis poteſt, *Guerram recredutam* aliâ plane ſignificatione accipiendum eſſe. *Recredutum* olim Itali cum Galli concordes appellabant

A eum, qui in pugna, ſive monomachia hoſti cedebat, ac ſeſe victum tradebat: quod quum plerumque ignavi animi vitio tribueretur, in cauſſâ fuit, ut infamiâ aſpergerentur, vileſque paſſim haberentur ipſi cedentes, & *Recreduti* nomen probri loco paſſim ſonaret. Vide Vocabularium Florentinum ad vocem *Ricredente*, *Ricreduto*. Propterea *Guerram recredutam facere*, idem fuit ac bellum ignavo aut ficto animo hoſti inferre, aut ſuſtinere, ſive ſimulare, atque ejus partes ſine fœderatorum conſenſu amplecti. Proinde quum quis in ſe recipiebat bellum peragere contra communes hoſtes, addebat ſe illud geſturum *bona fide*, neque acturum *Pacem, neque Treugam, neque Guerram* B *recredutam* cum iis, ideſt viriliter ſe bellaturum cum hoſtibus, neque pacem aut inducias acturum cum iis, *ſine parabola*, hoc eſt, niſi præmiſſâ notitiâ & aſſenſu ſociorum, Mutinenſi Populo bellum erat cum Capitaneis & Valvaſoribus Friniani, aliiſque Caſtellorum dominis, a fide ac amore patriæ deficientibus. Quid Montebellienſis Caſtri incolæ ea occaſione egerint, nos edocebit Charta in MSto Mutinenſis Reipublicæ Regeſto adſervata.

Fœdus Montebellienſium cum Caſtellanis Friniani, aliiſque Proceribus contra Mutinenſes, Anno 1170.

Anni Domini MCLXX. menſis Marcii. Breve recordationis, qualiter Conſules de Montebellio, cum conſilio bonorum hominum illius Terræ, convenerunt jurejurando facere jurare bona fide Militibus eorum. Et juravit Guido, & Azo, & Acharixius germani, Ugitio, Girardus, Tigrimucius, Petricinus, Gerardetus, Berdellus de Arlocto, Albertus Portonarius, Guido de Armaneto, Spinabellus & filii ejus Niger & Bernardellus. De Populo juraverunt Petrus de Scombricio, Gerardus de Perolando, Albertus Calzolarius, Johannes Bonus Gallus, Petrus de Berta, Ugulinellus, Petrus da l'Orto, Bottus, Ubaldinus Archatores, Rolandus de Bono, Aimo Belenchinus, Coccus, Aigo, Johannes de Aibo, Xantinus, Reſtaldinus, Bernardinus de Rugerio, Funcus, Bernardinus Czvatia, Erizo, Azolinus, Enginolfus, Mazolus, Petrus bonus, Petrus Frixonus, Gualdrigetus, Premadicius, Selvagius, Bernardus Villanus, Rolandinus Ardezonus, Martinus Mazonus, Wivitonus, Guido de Silveſtro, Seraſinellus, Azo, Guizardinus, Bajamonte, Ruffus, Rodulfinus Gibollus, Gerardus de Bonfante, Tedixius, & tanti alii, ut fuerunt ſexaginta. Et convenerunt de Populo facere in concione, de iſta guerra Mutine bona fide uſque ad finem adjuvare ex iſta parte amne Scultenne, ad ſtipendium & perditam Montebellienſium: ex altera parte Scultenne ad eorum eundem ſtipendium & perditam unum diem, & in alio die tantum, ut in domo poſſint redire, adjuvare cum hoſtibus; ſi permanſerint in oſtes amplius, ad perditam & ſtipendium Capitaneorum & Vavaſorum, qui in hac Societate fuerint cum Montebellienſibus. Et ſi ad defendendum terras eorum in montaneis partibus Montebellienſes Milites Archatores in eorum ſervicium ierint, ad perditam & ſtipendium Capitaneorum & Valvaſorum. Et non agere pacem, nec treugam, neque guerram

C recredutam ſine Capitaneis & Valvaſoribus, *quorum nomina ſunt: Guido & Raynucinus de Gomola, Gualandinus & filii ejus, Guido & Raynerius, Rolandus & filii, Manfredinus, Gualandus, Ubaldus, Albertinus de Corigia, Gerardinus de Monteucolis, Grimaldus Ruffachanis, Ubaldus de Lavelucla, Tebertus Amphexo, Amedeus Bochaferro, Gibertus Borellus, Bernardinus de Campilio, & Ugolinus de Varana, Albertus Guido, Raynucinus de Balugula, Ubertus, Guodus, Furfurellus, Rainucinus, Clibaldus, Drudulus, Malatigna. Et inſuper jurant adjuvare retinere hoc, quod habent & tenent, & quod cum ratione in antea acquiſiverint, & eorum perſonas & pecuniam,* D *& qui pro eis erit & habebitur infra Plebem Montisbellii, preter contra eorum Dominos & debitantias: & ſalvare eorum perſonas & eorum hominum, & illorum pecuniam; & qui habebitur pro eis infra ſacramentum Caſtri de Montebellio, contra omnes homines. Et ſi offenſio fuerit inter Montebellienſes, & alteram partem, infra triginta dies, poſtquam requiſiti fuerint, caput cauſe emendetur. Iſti predicti Capitanei & Valvaſores jurant contra omnes homines fidelitatem Caſtri de Montebellio, ſicuti alii homines de ipſo Caſtro, & jurant adjuvare retinere hominibus de Montebellio hoc, quod habent & tenent, & quod cum ratione acquixierint infra ipſam Plebem, exceptis eorum* E *Dominis, & debitanciis, & Vaſſalibus; & in omnibus eorum terris bona fide pro ſe ſuiſque hominibus perſonas illorum & pecuniam ſalvare hominum de Montebellio*: de iſta guerra Mutine non agere pacem, nec treugam, nec guerram recredutam ſine Montebellienſibus. *Et ſi Mutinenſes ullo tempore aliquo modo pro iſta guerra ſuper aliquam partem inceperint guerram, ambe partes teneantur jurejurando bona fide agere guerram, ſicuti prelegitur in iſta. Et ſi ambe partes per concordiam adjungerint*

gerint vel minuerint, ita teneantur. Unde duo brevia uno tenore ſcripta ſunt.

Ego Tethyſius ſacri Palatii Tabellio ſcripſi & emendavi.

Propterea ſub nomine *Guerræ recredutæ* indicari videtur bellum fictum, bellum ignave tractatum, ac fortaſſis etiam bellum non bonâ erga fœderatos fide hoſtibus illatum. Ad Pacem Mediolanenſium & Laudenſium heic ſupra A evulgatam altera accedat inter Ferrarienſes & Ravennates conſtituta, cujus acta nobis ſervavit Peregrinus Priſcianus in Annalibus MStis Ferrarienſibus, qui & monuit, eam ſpectare ad Annum Chriſti MCC Hieronymus quoque Rubeus in Hiſtor. Ravenn. auctor eſt, bellum eodem Anno a Salinguerra & Ferrarienſibus proſpere confectum fuiſſe contra Ravennates, qui ad pacem arbitrio Populi victoris accipiendam adacti fuerunt.

Capitula Pacis initæ inter Civitates Ferrariæ & Ravennæ, Anno 1200.

IN Chriſti nomine. Concordia Pacis inter Ferrarienſes & Ravennates talis eſt. Scilicet quod Ravennates non debent amplius facere ullum Caſtrum a Budareno ſurſum, nec Turrim, nec aliquam munitionem pro Commune, neque per diviſum, neque alicui volenti facere permittere; ſed ipſum, ne faciat, bona fide prohibere; & ſi fecerit, operam dare, ut deſtruatur, & ipſum, qui fecerit, pro publico inimico Ferrarie tenere, donec fuerit deſtructum, quod factum fuerit. Item Commune Ferrarie debet habere plenam juriſdictionem a Foſſa de Boſio ſurſum, que Foſſa de Boſio eſt deſuptus Caput Sandali, ubi jam fuit Hoſpitale de Vincinimeo; habendo plenam juriſdictionem in omnibus illis perſonis, que habitant a predicta Foſſa de Boſio ſurſum, in fodro & arzere ac hoſte & collecti, & omnibus ſervitiis, ſicut ceteri, qui habitant in diſtrictu Ferrarie faciunt ubicumque . . . . ſive in Saltu, ſive in Maſſa Fiſcalie, ſalva ratione Dominorum, quorum ſunt poſſeſſiones, excepta juriſdictione, que debet eſſe Communis Ferrarie, ut ſupra dicitur. Et ſi Ravennates aliquam habent juriſdictionem a Foſſa de Boſio ſupra, eam refutant Ferrarienſibus, & promittunt, quod de cetero nec pro Communi nec pro diviſo de ea Ferrarienſes inquietabunt, vel moleſtabunt, nec permittent, aliquam perſonam pro Communi, vel pro diviſo de ea Ferrarienſes inquietare vel moleſtare per ſuam terram vel per ſuam aquam, vel per ſuum diſtrictum. Et ſi aliqua perſona vellet eos inquietare, bona fide prohibebunt & impedient ne fiat. Et ſi illa perſona nollet a moleſtatione ceſſare, eum pro inimico habebunt & tenebunt. Item Commune . . . . in circuitu . . . . omnem illam juriſdictionem & rationem, quam retro ante inceptam proximam Guerram habuerunt. Et ſimiliter Commune Ravenne habere debet totam illam juriſdictionem & rationem, quam retro ante inceptam Guerram proximam habuerunt. Et Ravennates debent dare Communi Ferrarie ducenta milliaria Salis boni . . . . . . ſine aliquo Datio ad menſuram, ad quam dabant Salem Ferrarie a quatuor annis retro ante inceptam proximam Guerram, & ad eandem menſuram ſemper de cetero menſura . . . . Salem Ferrarienſibus omnibus, qui pro Sale emendo venerint ad Ravennam, & illam menſuram non minuere, & ad raſuram groſſam, que non poſſit plicari. Et facere jurare omnes Aſſazzatores Salis Ravenne quod bene dabunt ſuam rationem Mercatoribus Ferrarie, qui Salem emerint. Et quod Aſſazzatores per ſe, nec per ullam aliam perſonam aliquid auferent a Ferrarienſibus, nec ab eis accipere niſi tantùm pambire ſuum ex quatuor B *denariis Monete* Ravennatis *pro cena. Et quod ob hoc non dimittent Aſſazzatores a menſurando Salem Mercatoribus de Ferraria. Et nec aliud debent Ferrarienſes dare Ravennatibus pro Datio Salis, niſi tantùm tres Soldos parvorum pro Centenario Salis, & duos Ravegnanos pro corbibus. Item Ravennates debent rumpere ſcriptum Salis, ſeu ſortem Salis, & perpetuo tempore a duobus annis poſt feſtum Sancti Michaëlis proxime venturi in antea, & numquam amplius ſortem ſeu ſcriptum facere. Sed habere debent Ferrarienſes ſemper Salem a quocumque Ravennate voluerit in vendendo Salem, quem emerit. Item Ferrarienſis debet habere iter Ravennam, & mercari cum omni perſona de omni jure,* C *ſalvo banno panis & vini, & excepto de Sale, quod tantùm debet emere a Ravennate, & etiam a Cervienſi, nec ab aliqua perſona. Si verò Ferrarienſis ire voluerit a Ravenna inferius, Ravennates debent ipſum libere permittere ire & redire & mercari quomodocumque voluerit, ſicuti continetur in Carta antique Pacis, eo ſalvo quod Ferrarienſes non debent ire ad domum publici inimici Ravenne per Diſtrictum Ravenne & fortiam Ravenne. Et Ferrarienſes debent permittere Ravennates venire Ferrariam, & mercari cum omni merce, & ire a Ferraria ſurſum, excepto cum Sale, quem non debent portare ultra Ferrariam, neque alteri debent dare Salem, ſi ipſum conduxerint Ferrariam,* D *niſi tantùm Ferrarienſibus, ſalvo ſimiliter banno panis & vini & canave, & eo ſalvo quod Ravennates non debent ire ad domum publici inimici Ferrarienſium per Diſtrictum & fortiam Ferrarie. In mercatis Ravennates & Ferrarienſes ita debent eſſe. Quod tantum quantum Ferrarienſis acceperit a Ravenna pro ſuo redempto in ſuo mercato, tantum debet Ravennas accipere a Ferrarienſi in ſuo mercato, & non plus. Et non debent Ferrarienſes dare aliquod Datium . . . . apud Argentam pro aliquare, quam inde conduxerint, de quocumque loco conducant. Et de omnibus aliis Datiis, & Toloneis ita debent eſſe . . . . . nec ullum Toloneum debent Ravennates auferre a Ferrarienſibus, nec Ferrarienſes a Ravennatibus, niſi* E *tantum id, quod continetur in Carta antique Pacis. De omnibus rapinis rerum . . . . . furtis, & incendiis, predis, & omnibus damnis, latis in perſonis vel rebus ſive in domibus ſive in vineis, arboribus, beſtiis, navibus, molendinis, armis . . . . . in Caſtris vel in Villis vel in aliis locis, vel extorquendo aliquid quocumque modo a captis a tempore, quo Ravennates intraverunt & combuſſerunt Policinum . . . . . a Ferrarienſe, vel ab omni alio de ejus parte contra Ravennam, & a Ravennatibus, & ab*

omni

omni alio de ejus parte , excepto Mantuano , contra Ferrarienſes , perpetuo debent . . . . inter Ravennates & Ferrarienſes .

Item ſi Commune Ferrarie , vel aliquis Ferrarienſis a predicto tempore , quo Ravennates intraverunt & combuſſerunt Policinum de Caput Redis . . . . occupatum aliquid poſt Ravenn. . . . . rerum immobilium , libere debent eis reſtitui , cujus erant tempore invaſionis , ſalvo eo , quod dictum eſt de juriſdictione, quam debent Ferrarienſes habere a dicta Foſſa de Boſio ſurſum . Et non debent Ravennates per Commune , neque per aliquam aliam ſingularem perſonam amplius repetere, nec alicui petenti de Civitate Ravenna permittere aliquid in denariis vel rebus a Communi Ferrarie , & nec ab aliqua alia ſingulari perſona de Civitate Ferrarie vel extra , de illis octingentis Libris Ferrarie , decem Libris minus , nec pro illis octingentis Libris minus decem , que fuerunt ablate pro Communi Ferrarie Domino Jacobo de Bernardo , & Guizardino de Almerico . Neque de ducentis milliaribus , vel pro iſtis ducentis milliaribus Salis , que Ravennates dant Communi Ferrarie pro iſta Pace . Et de hoc fecerunt finem pro toto Communi Ravenne , & pro omnibus Ravennatibus . Et hanc eandem finem fieri faciunt a Domino Jacobo de Bernardo , & ejus fratre , & ab omni alia perſona , a qua Ferrarienſes finem de hoc habere voluerunt , ſub pena centum Librarum auri : & ſolutá pená hec finis remaneat firma . Item Ravennates debent ſalvare & guardare Ferrarienſes in perſonis & rebus eorum per Ravennam , & per totum ejus diſtrictum & fortiam , per terram & aquam , & per totum diſtrictum & fortiam Ferrarie per terram & aquam , nec ipſos offendere , nec alicui volenti offendere permittere quod offendat . Et ſi aliqua offenſio facta fuerit ab aliquo Ravennate , vel ab aliquo alio , qui ſit Civis Ravenne , vel de ejus diſtrictu contra Ferrarienſes in rebus & perſonis eorum , offenſionem parti facient emendare & damnum reſtituere infra triginta dies, poſtquam requiſitio facta fuerit de damno dato . Et ſtratam ſecuram tenere & facere teneri per terram & aquam per totum diſtrictum & fortiam Ravenne . Et ſi quis homo, undecumque ſit , ſtratam ruperit , vel aliquod damnum alicui perſone dederit , bona fide ſine fraude operam dabunt & ſtudebunt , ut damnum reſtituatur . Et ſi Civis Ravenne , vel ejus diſtrictus fuerit , qui predam fecerit, vel damnum dederit , predam & damnum reſtituere facient , vel perſonam illius , qui fecerit , illi , cui damnum datum fuerit , dabunt . Et hoc idem debet a Ferrarienſibus obſervari contra Ravennates . De injuriis verò & ablatis & damnis datis ab aliqua partium in alteram partem a tempore incepte proxime Guerre retro , ſcilicet
A *ex quo Ravennates intraverunt & combuſſerunt Policinum de Capite Redis , debent eligi Arbitri . . . . qui debent jurare bona fide ſine omni fraude de eis cognoſcere , & executioni ea mandare . . . . ſolvere infra triginta dies , poſtquam receperunt querimoniam . . . . cauſe , vel ejus extimationem tantùm abſque pena . Et debent Ferrarienſes & Ravennates libere & abſolute abſolvere , atque a carcere dimittere omnes illas perſonas , que per aliquam partium capte fuerunt pro hac Guerra , undecumque ſint . . . . . . ſive de Verona , ſive de Mutina , vel de quocumque loco vel Civitate fuerint . Et hec omnia debent Ravennates jurare ſic attendere , & firma tenere , & firmam*
B *& perpetuam pacem Ferrarienſibus , & toti ſue parti , & nominatim Veronenſibus & Mutinenſibus , & omnibus aliis perſonis , que eis auxilium & conſilium in hac Guerra , & pro hac Guerra dederunt facere & tenere de omnibus offenſionibus factis in perſonis & rebus eorum a tempore hujus proxime Guerre incepte uſque huc . Et in capite cujuſcumque quinquennii ſacramenta hujus finis & Pacis renovare , & facere ab omnibus perſonis maſculis Civibus Ravenne , & habitatoribus in Civitate & ſuburbiis , a quatuordecim annis ſupra uſque ad ſeptuaginta annos . Et quicumque hanc Pacem ,*
C *ſecundùm quod dictum eſt , jurare noluerit , ipſum bandizabunt , & pro publico inimico Communis Ravenne tenebunt deinde, donec hanc Pacem juraverit . Et in ſacramento Regiminis Poteſtatis , ſive Conſulum Ravenne , qui pro tempore electi ad Regimen fuerint Civitatis Ravenne , ſemper de cetero debet apponi & contineri , quod hanc finem & Pacem & promiſſionem , & omnia ſupraſcripta obſervabit & attendet , & attendere faciet toto tempore ſui Regiminis . Et hanc eandem finem & Pacem eodem modo debent Ferrarienſes jurare & facere Ravennatibus & toti ſue parti , excepto Mantuano . Et omnia predicta Capitula utrinque taliter , ut dictum eſt , debent obſervari , &*
D *ſemper de cetero firma teneri . Et quecumque pars hanc finem & Pacem & promiſſionem , ſecundùm quod dictum eſt, non obſervaverit , det obſervanti nomine pene quinque millia Marchas argenti . Et ſolutá pená , hec finis , promiſſio & Pax firma & in ſuo robore perſeveret in omnibus & per omnia .*

Quum verò Civitas aliqua cum altera Fœdus inſtituebat, ſi jam anterioribus pactis cum aliis Civitatibus obligabatur , religioſe cavebatur , ne hæc læderentur . Cujus rei èxemplum ſuppeditabit Fœdus a Mutinenſi Republica cnm Mantuana percuſſum , atque in ejus Tabulario adſervatum .

Pacta Societatis initæ a Mutinenſi Populo cum Communi Civitatis Mantuæ, Anno 1201.

IN Chriſti nomine. Anno a Nativitate ejuſdem MCCII. Indictione V. die Lunæ II. Kalendas Januarii. Ego juro bona fide & ſine fraude ſalvare, cuſtodire, atque defendere omnes homines Civitatis Mutine & Epiſcopatus & Diſtrictus in perſonis & rebus in toto Epiſcopatu Mutinenſi, & Diſtrictu, terra & aqua, & non eos ibi, nec in alieno etiam offendere. Et ſi aliqua offenſa facta fuerit prædictis hominibus Civitatis Mantuæ, Epiſcopatus, vel Diſtrictus, ſive dampnum datum per homines Civitatis Mutine vel Diſtrictus, in rebus vel perſonis fuerit, ex quo manifeſtum erit, & credatur ſacramento petentis, arbitrio Rectoris mei, inſpecta qualitate perſonæ, & quantitate rerum vi ablatarum in mea Civitate, forcia, vel Diſtrictu, infra triginta dies illum vel illos, qui dampnum vel offenſam fecerint, emendare faciam illi vel illis, cui vel quibus dampnum illatum erit, ſi perſonam offendentis invenero: alioquin de meo Communi emendabo infra alios triginta dies. Item negotiatores & negotiationes Mantuæ, Epiſcopatus, & Diſtrictus recipiam & defendam in mea Civitate & Diſtrictu, & Epiſcopatu, terra & aqua, & ſuas negotiationes, unde quo velint defendere permittam, dum tamen ad meos non vadant, nec deferant inimicos: ita tamen ut mearum rerum poſſim interdictum ſeu bannum ſervare meo arbitrio, ſcilicet panis, vini, carnis, porcorum, equorum, & armorum. Item Amicitiam vel Societatem, ſeu pactum aut ſacramentum cum hominibus Regii, & Veronæ non faciam, nec renovabo, ſeu perducam, niſi parabolâ & conſenſu Mantuanorum Conſilii ad campanam ſonati totius, vel majoris partis. Item tenutas vel poſſeſſiones, quas nunc habent, vel in antea acquirent, adjuvabo manutenere & defendere & acquirere, & amiſſas recuperare contra omnem Civitatem, hominem & gentem, & ſpecialiter totam Regulam Padi, ſcilicet Gonzagam, Pigognagam, utroſque Bondenos, & eorum Curtes, & totam Inſulam Suzariæ, videlicet Suzariam & Lectum Benanum, & earum Curtes. Item inimicos Mantuæ, qui ſunt vel erunt, meos faciam, & cum ipſis concordiam, niſi parabolâ in conſilio ad campanam ſonato data a majori parte non faciam. Guerram quoque Reginis & Veronenſibus igne & ſanguine faciam. Exercitum quoque quater in anno ſingulis annis Mantuæ faciam, ſcilicet cum univerſo Populo, & tota Militia, & omnibus Sagittariis & Baliſtis ſine fraude bis in anno, & bis cum militibus, ſagittariis, & baliſtis infra octo dies, ex quo mihi Ambaxatoribus Mantuæ vel literis ſigillo Communis Mantuæ ſigillatis denuntiatum fuerit ad defenſionem ſui, & ad offenſionem inimicorum in ſuo Epiſcopatu & Diſtrictu, & extra ſuum Epiſcopatum & Diſtrictum, ad ſuam voluntatem & arbitrium hominum Mantuanorum faciam. Et ſine licentia Rectorum Mantuæ inde non recedam, ſive ſim cum Mantuanis, ſive ſim ſine eis: ita tamen ut dictos exercitus, ſive guerram, non tenear facere Veronenſibus, niſi finito ſacramento Reginorum & Mantuanorum. Quod quidem ſacramentum debet eſſe finitum infra duos annos, A & juratum, niſi ante dictum terminum velint guerram incipere, vel contra illos a Reginis inciperetur. Item infra dictum terminum non ſerviam Veronenſibus in ſuo Epiſcopatu, quem tenent, ultra quam cum centum Militibus. Nec offendam Mantuanos aliquo modo in eo quod tenent vel tenebunt. Et ante per octo dies Ambaxatoribus vel literis Mantuæ denuntiabo, quod iſtud etiam ſervitium centum militum exhibeam. Et ſi contingeret a meis militibus ſuos homines capi, infra octo dies integre cum equis & armis reddam & reddi faciam.

Item bona fide inducam Ferrarienſes & Parmenſes, ut Societatem & amicitiam cum Mantuanis faciant, & eos non offendant. Item Man- B tuanos adjuvabo, ſicut ſupra dictum eſt, nec ſtabo dicto ſive prohibitione vel præcepto Ferrarienſium ſeu Parmenſium, ut Veronenſes non offendam: & Veronenſes offendam etiam contra iſtos, ſi cum eis eſſent. Item liquida debita Mantuanis ſolvi faciam infra triginta dies. De non liquidis verò Arbitros conſtituam, qui jurent juſtitiam exhibere ſecundùm quod Sapientes utriuſque Civitatis ordinaverint concorditer. Item alium pro alio non exigam vel conveniam, ſed cui dabo, ab eo petam. Et hoc de contractibus vel quaſi, ſalvo eo, quod ſupra dictum eſt de rebus vi ablatis. Item ſi ſuper aliquo prædictorum capitulorum diſcordia orietur, eligantur quatuor boni viri & idonei de utraque C Civitate, qui jurent bona fide & ſine fraude ſe concordare & concorditer illud infra quadraginta dies terminare. Et quod terminabunt, obſervabo, omnibus aliis Capitulis in ſuo robore permanentibus. Item juro dare Salem Mantuanis, donec habuero, ſine fraude. Et cum non habuero, permittam eos ire Bononiam, Faventiam, & Ymolam, & Ferrariam, & Ravennam; & inde ducere Salem per meam terram & aquam, & non aliunde, niſi tantum cum meis plauſtris, dum tamen meas literas habeant. Nec alicui alii dabo, niſi Parmenſibus, quibus poſſim dare per ſingulum annum duo millia modia ad modium Ferrariæ. Et ſpecialiter Reginis non dabo, nec alicui, qui det Reginis, D nec qui eum ducat per Epiſcopatum Regienſem. Nec per meum diſtrictum permittam aliquem ducere Salem aliquò, præter Mantuanos & Parmenſes, qui Parmam poſſint duo millia modia ducere, undecumque velint, ut ſupra dictum eſt. Et ſi quid additum vel diminutum fuerit de communi Conſilio ad campanam ſonato utriuſque Civitatis, de hoc facere, & concordiam attendam & obſervabo uſque ad tempus Societatis completæ. Item Sortem Bazugam, aut poſtam aliquam fraudulentam ſuper Salem Mantuanis non faciam, & rectâ menſurâ, ſecundùm quod Mutinenſes cum Mantuanis erunt in concordia, ipſis Mantuanis vendam. Et hæc omnia obſervabo, ſalvo ſacramento & Societate E Ferrariæ & Parmæ, ita tamen ut prohibitione vel præcepto ſive dicto Ferrariæ vel Parmæ non expellam homines Mantuanos a mea Civitate, Epiſcopatu, vel Diſtrictu, uti & negotiari, ire & redire. Et cum Ferrarienſibus & Parmenſibus Societatem non faciam nec renovabo completis omnimodo ſacramentis; nec ante completio-

A *pletionem eorum, ſine licentia Conſilii Mantuani totius, vel majoris partis. Item infra unum menſem faciam trecentos viros, quos elegerint Mantuani, de mea Civitate & Epiſcopatu facere hoc idem ſacramentum. Et infra alium menſem computando ex eo tempore, quo finita erunt ſacramenta Regienſium & Mantuanorum, vel capta fuerit guerra, ſicut ſuperius dicitur, faciam omnes homines meæ Civitatis, Epiſcopatus, & Diſtrictus facere hoc ſacramentum, ab ætate quindecim annorum ſupra, & a ſeptuaginta infra. Et ego Poteſtas ita juro, & Succeſſorem meum ita jurare faciam. Item ſingulis quinquenniis hæc ſacramenta renovabo, & ab his, qui fecerunt, & ab his, qui non fecerunt, fieri faciam, poſtquam requiſitus fuero. Et hoc obſervabo uſque ad viginti quinque annos completos & ultra, quantum placuerit Conſiliis utriuſque Civitatis vel majori parti illorum Conſiliorum; eo ſalvo quod Scolares poſſint uti & ſtare in mea Civitate, Epiſcopatu, & Diſtrictu, undecumque ſint, ita quod non tenear de dicto ſacramento, circa eorum perſonas & res.*

Actum in Civitate Mantuæ, & ſupra domum, in qua habitabat Dominus Bonifacius Comes de Sancto Martino, Poteſtas Mantuæ. Feliciter. De Mutinenſibus, qui hoc ſacramentum fecerunt apud Mantuam, iſti ſunt: Dominus Otto de Briſia, Dominus Guazaguerra de Macreto, Dominus Conradinus de Munario, Dominus Ubertus de Fredo, Dominus Guido Domini Pii, Dominus Johannes Zacagnus, Dominus Albertus de Pazano, Dominus Guilielmus Ubaldi, Dominus Girardinus Caretti, & Dominus Rodulfus Bravi.

Ego Jacobus ſacri Palatii Notarius interfui & rogatus ſcripſi, & ego ſimiliter juravi.

B Cur non Anno MCCII. uti in Charta habetur, ſed quidem MCCI. exaratum fuiſſe Inſtrumentum illud ſcripſerim, Lectorem infra monebo; antea quippe alteram Chartam ſubjungendam reor cum præcedenti conformem, depromtam e ſæpe memorato Archivo Communis Mutinenſis.

Jusjurandum Mantuani Populi ob concordiam initam cum Mutinenſibus, Anno 1201.

C *IN Chriſti nomine. Hæc eſt concordia facta inter Mutinenſes & Mantuanos, die Lunæ ultimo Menſis Decembris MCCII. Indictione V. Ego juro bona fide, ſine fraude, ſalvare, cuſtodire, atque defendere omnes homines Civitatis Mutinæ, & Epiſcopatus, & Diſtrictus, in perſonis & rebus, in toto Epiſcopatu Mantuæ, & Diſtrictu, terra & aqua; & non eis ibi, nec etiam in alio offendere. Et ſi aliqua offenſa &c.* (*) *Item tenutas vel poſſeſſiones, quas nunc habent vel in antea acquirent, adjuvabo manutenere & defendere, & amiſſas recuperare contra omnem Civitatem, hominem, & gentem: & nominatim Aquam Situlæ a Sorbaria ſurſum, & Communaliam, & Quarantulas cum ſuis Curtibus manutenere, acquirere, & defendere, ſalvo jure meo ſi quid habeo. Item inimicos Mutinæ &c. Nec ſine licentia Rectorum Mutinæ inde recedam, ſive ſim eum Mutina, ſive ſine eis; ita tamen ut exercitus ſive guerram Mutinæ contra Regium facere non tenear, niſi finitis ſacramentis Reginorum & Mantuanorum. Et ob hoc nihilominus tenear Mutinenſes adjuvare contra alios ſuos inimicos, ſi quos habuerint. Quæ quidem ſacramenta finita eſſe dicimus citra duos annos: infra verò id ſpatium, ſi quod eſt, quod durent ſacramenta, ſi Regini inceperint guerram contra Mutinenſes, vel ego Mantuanus vellem incipere guerram contra Reginos, tunc non obſtante dicta exceptione, omni modo tenear Mutinæ, ſicut ſupra dictum eſt. Item infra dictum terminum Reginis non ſerviam in ſuo Epiſcopatu, quem tenent a montibus infra, ultra quam centum Militibus. Nec offendam Mutinenſes aliquo modo in eo, quod tenent vel tenebunt: & ante per octo dies ambaxatoribus vel literis, Mutinæ denuntiabo, quàm iſtut etiam ſervitium centum Militum exhibeam. Et ſi contingeret, a meis militibus ſuos homines capi, infra octo dies cum equis & armis integre eos reddam & reddi faciam. Item bona fide inducam Cremonam & Brixiam, ut Societatem & amicitiam faciant cum Mutina, & eis non offendant. Item Mutinam adjuvabo, ſicut ſupra dictum eſt, nec ſtabo dicto ſive prohibitione, vel præcepto Cremonenſium, ſive Brixienſium, & Reginorum. Offendam, ut ſupra dictum eſt, etiam contra iſtos. Item liquida debita Mutinæ* &c *Item juro accipere Salem a Mutina & non ab alio, donec habuerint. Et ſi non habuerint, mihi liceat cum ſuis literis per terram eorum & aquam Salem ducere a Ravenna, Faventia, Furlivio, Bononia, ſive Imola, tantùm & non aliunde. Verùm ſi aqua Padi aperiretur, tunc non tenear Salem a Mutina ac-* D *cipere, nec inde Salem habere non poſſim. Nam tunc tenear accipere, ut ſupra dictum eſt. Si verò aqua Padi poſtea clauderetur, a Mutinenſibus Salem accipiam, ſicut ſupra dictum eſt, uſquequo ſimiliter aperiretur; & ſic deinceps, quouſque Societas duraverit. Salem etiam non dabo Reginis, nec alicui, me ſciente, qui Reginis det. Et hæc omnia obſervabo, ſalvo ſacramento Cremonæ, ita tamen ut prohibitione vel dicto ſeu præcepto Cremonæ non expellam homines Mutinæ a mea Civitate, Epiſcopatu vel Diſtrictu, uti & negotiari, ire & redire. Et cum Cremonenſibus Societatem non faciam, nec renovabo, completis ſacramentis, nec ante completionem eorum ſine licentia Conſilii Muti-* E *næ data ad campanam ſonati. Item infra unum menſem faciam treſcentos Viros, quos Mutina elegerit, de mea Civitate & Epiſcopatu, facere* &c. *Et hoc obſervabo dehinc ad quindecim annos completos & ultra, quantum placuerit Conſiliis utriuſque Civitatis, vel majori parti illorum Conſiliorum.*

Prædicti concordii ſacramentum fecerunt Dominus Benenchà Maſſarius Archarius Mantuæ, Azolinus de Erba Præpoſitus Vicariorum, Johannesbonus de Airoldo, & Dedelguardus de Xardo,

(*) Quæ heic & alibi infra omiſimus, ſunt eadem ac illa, quæ in præcedenti Charta leguntur.

Xardo, Conſules Negociatorum, Egidius de Bono Prepoſitus Draperiorum, Petrus de Aimo Præpoſitus Pilliparîorum, Albertus Calorofus, Guido de Benno, Raimundus de Bene, Runcinentus de Faxianis, Ugo de Veſcovo, Albertus de Caxoto Præpoſitus Peſcatorum, Gerardus de Pegoloto, Egidius de Villana, Arneboldus Brexanus, Conradus de Bulio Præpoſitus Pilliphariorum, Airaldus Notarius, Petricinus de Grogunzola, in domo Petri Boxii Advocati, in qua tunc Dominus Bonifacius de Sancto Martino Poteſtas Mantuæ morabatur pro Communi; qui prædictam concordiam & Societatem de voluntate & parabola Conſilii Mantuæ, nec non A *& Capitum Paraticorum & Quarteriorum fecit, & compleri fecit.*

Ego qui ſupra Airaldus, ſacri Palatii atque Communis Mantuæ Notarius, prædictis omnibus interfui, & præcepto Poteſtatis hoc idem ſcripſi.

Poſt paucos ſubinde dies alterum Inſtrumentum confectum fuit, in quo ſinguli ex Mantuanis recenſentur, qui ſupra dictam Concordiam ſacramento ſuo confirmarant. Et iſtud exerendum duxi, ut Mantuanus Populus, præſentia cum antiquis componens, agnoſcat, quantam Familiarum mutationem tempus & bellorum vices invexerint.

Ejuſdem concordiæ confirmatio, Anno 1202.

IN Chiſti nomine. Anno a Nativitate ejuſdem MCCII. Indictione V. die Lunæ VII. intrante Menſe Januarii. Ego juro bona fide & ſine fraude ſalvare, cuſtodire atque defendere omnes homines Civitatis Mutinæ &c. (*)

Actum in Civitate Mantuæ ſupra domum, ubi Dominus Bonifacius Poteſtas Mantuæ ſtabat feliciter.

Qui hoc ſacramentum fecerunt, ut ſupra legitur in omnibus, de Mantua hi ſunt: Dominus Adam de Crema Judex, Dominus Ventura Judex, Dominus Boſus de Pultono, Dominus Chabriel Trivolus, Dominus Sachelda, Dominus Piſcator. Dominus Bonacurſus Caloroſus, Dominus Albertus Vicedominus, Dominus Malvicius Judex, Dominus Benvolius, Lanfrancus de Petro de Lanfrancho, Bonaventura de Alberto de Cavaſio, Albertus de Rodulfo de Infante, Ugolinus de Buza, Ugitio filius Domini Actolini, Guido Vicecomes, Dominus Brianus, Franciſcus de Capriana, Petrus de Gaſſaro, Novarenſius de Alexandris, Dominus Ugo de Bucengo, Dominus Albertus de Adelardo, Jacobus de Antilino, Dominus Acerbus Rupalte, Dominus Obizo de Sancta Cruce, Lanfrancus de Crema, Gualabrunus, Dominus Alexander, Eidius de Compagno, De la cora, De Zanebello, De Johanne, De Zoënone, Bartholameus de Fraſſapane, Dominus Guardetus, Dominus Gandulfus de Zavata, Albertus Trivolus, Johannes de Rivalta, Dominus Advocatus, Albertus Anordi, Mantuanus Buſſus, Johannes bonus, Tannalus, Johannes bonus de Moricciis, Juncta de Oprando, Dominus Bixacius, Adam de Fantibono, Johannes de Johannebello, Guarxendinus de Beloto, Petrus Stancavina, Azonis Ilde, Adamus Venture Judicis, Jacobus Muſſilini, Conradus de Stortis, Mattus Manduca, Azolinus Beriſati, Stancialinus, Paganinus Raimondi, Jacopinus Rainerii, Ruzinellus Petri Menzani, Grecus de Dexenzano, Gandulfus de Micario, Bonacurſus, Dominus Vachella Judex, Dominus Presbiter Judex, Grabiellus Advocatus, Dominus Arnoldus, Dominus Bullus, Dominus Agnellus Judex, Henricus de Johanne Beno, Ugo Veſconte, Dominus Octobonus de Beleto, Niger de Alberto Pizoli, Gandulfus de Bonacoſa, Benzus de Crema, Dominus Zaconus.

Die Sabbati XII. intrante Januario, Egidius de Mabilia, Johannesbonus de Momuelo, B *Lanfrancus de Cuchello, Johannes Canudi, Petrusbonus de Ita, Muſellus Lanfranchinus Tosberto, Octicellus de Ceſſa, Niger de Pagano, Arlodo Gualducius Mantoanus, Leonardus de Dexenſano, Compagnonus de Imperia, Dominus Agazanus, Lanfranchinus de Stiveria, Bubulchus, Egidius de Flandulino, Johannes bonus de Flancore, Johannes bonus de Aroldo, Fridericus de Pallaſtris, Jaratus, Guaſcus de Cauriana, Actolinus de Arduino, Mutus de Bataja, Ordoinus de Benbono, Billia, Ubaldus de Cella, Bojectus, Ubertus de Henrico, Gandulfus, Piliparius, Trambalinus, Johannes de Janebello, Jacominus de Tonda, Jacobus de Soza, Petrus de Azo, Anſelmus Rauffus,* C *Albertus Vuta, Aiſius de Mutira, Miletus de Ruſo, Dondius Naalinus, Dadedius de Pegolocto, Revinus de Guillielmino de Vicentia, Janinus de Cavaca, Scanabecus, Azolinus de Eila, Ugolinus de Iſacato, Ugolinus Notarius, Octobellus de Puteo, Petrachinus & Girardinus ejus filii, Torlinus Albertinus de Guidone, Romane, Jacominus de Martino de Pe, Confortus de Petro de Bonfante, Azolinus de Ugnibene, Delaguarda de Blanco, Gibertus Arcatores, Albertus de Petrezano, Todideus de Sarazino, Guido de Crema, Dondedius de Balorda, Antelmus de Baſtardo, Lanfrancus de Fereto, Actolinus de Rubeo, Raimondus de Bene, Dominicus de Faxano, Coradinus de Homo Sellario,* D *Benvenutus de Albertomorto, Jacobinus de Bezfato, Dondedeus de Petrobono Muſſo, Janellus de Salvatico, Alegrinus de Giberto, Egidius de Mantuano, Manfredus de Petrobono, Carnelvarius Becchariius, Johannesbonus de Bonacoſa, Albertinus de Girardo, Blaco Bucacius Beccarius, Ribaldus de Muſſello, Johannes de Pipino, Baricellus, Martinus de Uberto Calegario, Albertinus de Ricardo, Sigefredus de Bitio, Johannes Bellus de Crema, Belvicinus de Manzo, Henricus de Rixenzano, Johannesbonus de Billiſſima, Rodulfus de Sallaxerio, Johannesbonus de Perſolana, Stancarius, Gandulfinus, Aſtremaldus, Manzolo, Lamfrancus de Bonavia, Johannesbonus, Bonvicinus de Segnore,* E *Albertus de Sancto Stephano, Girardinus December, Belducius Girardus, Marchetus, Guidolinus de Capitale, Ricus, Nicolaus de Manzolo, Ugolinus, Thomaxius de Piguano, Henricus de Storto, Jamboninus de Spojano, Boccamajore, Albertinus de Zeſa, Bonaventura de Faroldis, Degoldeus de Verona, Mantuanus de Azone, De Elicha, Naimerius*

(*) uti ſupra in Concordia diei poſtremæ Decembris Anni 1201.

rius de Carpitello , Oldebertus de Domino Agnello , Albertinus de Porzello , Aimiricus de Unelſredo , Bonetus , Jacobinus , Rodolfinus de Barbala'a , Petretus Pizolusbonus , Baterius , Ramoſinus , Amedeus , Graciadeus de Rivalta , Torzellus , Rodolfinus de Bona , Guidolinus Bentefacius de Crema , Oprandus de Caffara , Guido de Baffa , Trumaninus de Rivalta , Gualla , Oldegerius , Bonaecurſus de Buſis , Egidius , Janellus , Girardinus de Montagna , Henricus Ferrarius , Petrus de Caſaja , Octonellus , Raimondus , Johannesbonus , Benvetus , Adamus , Petrusbonus de Marchixinis , Jacobinus , Lanfrancus , Boninſegna Murzarius , Dominus Lodoicus Advocatus , Azolinus de Stortis , Lugarinus , Ferius , Benvenutus de Bochadecane , Gigus , Gibertus de Rio , Coradinus , Jambonus , Odolinus , Ugolinus de Curtapelle , Jacobinus , Odolinus de Fano , Oliverius , Guido , Muſius de Corno , Albertus de Piliza , Zenus Calzolarius , Pazonus de Traimondo Scarozo , Gandulfus Ferrarius , Egidiolus de Bonojohanne Segnore , Janninus de Alberto Magiſtro , Janninus Stancarius , Andreas de Caſtiluto , Dedaus Murator , Todeſchinus , Janellus de Ricolfo , Mantoaninus de Martino Butrigatio , Eidiolus de Tomba , Compagnonus de Dainis de Mutina , Palmerius de Lanfranco , Egidius Marcharia , Gotefredus de Mugnono , Trancedinus Notarius , Bonectus Ferrarius , Bellebonus Notarius , Arnoldinus de Maxono , Jordanus Notarius , Janninus de Octione , Ugolinus de Guillielmo , Jacominus de Egidiolo , Bernardinus de Taruffo , Nigellus de Baſtardis , Marinus Beccarius , Bonaventura Notarius , Lanfranchinus de Floſſo , Majolus , Janninus de Bò , Bonaventura de Cortolino , Janninus de Pildericcio , Grecius , Drunginus , Portonarius , Peldiriecius , Adamus de Sabatino , Rodulfus de Pazo , Ubaldinus Fornarius ,

A *Marzidus de Amezano , Albertus de Rolando , Mulinarius de Domino Vacella , Olſpinellus de Fellonia , Conradinus de Agatis , & Verzolus ejus frater .*

Die Lunæ II. Kalendas Januarii Bonaconſa Archarius de Mantua , Azolinus Præpoſitus Beccariorum , Johannesbonus Conſul Mercatorum , Delaguarda Conſul Mercatorum , Egidius de Bono Præpoſitus Drapariorum , Airoldus Notarius , Petrus de Aimo Præpoſitus Pilliipariorum , Albertus de Caloroſo , Guido de Betio , Raimondus de Bene , Ruzinetus de Faxano , Ugo de Epiſcopo , Albertus Caxotus Præpoſitus Piſcatorum , Girardus de Pegolocto , Egidius de Villana , Arnolbolnus Brixanus ,

B *Conradinus de Bujo , Petrinus de Gorganzolo .*

Actum Mantuæ Domino Ottone de Brixia Juris Præceptore , & Domino Rodulfo Bravi præſentibus , & prædicta ſacramenta pro Communi Mutinæ recipientibus .

Ego Jacobus ſacri Palatii Notarius interſui, & rogatus ſcripſi .

Quod ſi inter finitimas Civitates bellum erumpebat , tunc aliæ Urbes amicæ officia ſua interponebant , ne ad poſtremam internecionem vergeret excitata diſcordia . Eodem Anno quo Mutinenſes & Mantuani ſocietatem contraxere , bellum exarſerat inter ipſos Muti-

C nenſes & Regienſes . Caſtrum quoque Herberiæ , uti fidem faciunt veteres Mutinenſium Annales , obſeſſum fuit ab ipſis Mutinenſibus. Sed Parmenſes & Cremonenſes interceſſere , ut inter eos pacem reſtaurarent : quod & factum eſt , uti ſubſequens Charta nos edocebit , quam deſcripſi ex vetuſto Regeſto MSto Senatus Regienſis . Hujus etiam Pacis mentionem habes in Memoriali Poteſtatum Regii , Tomo VIII. Rerum Italicarum .

Pacta Pacis inter Mutinenſes & Regienſes ſtabilita per Guidonem Lupum Marchionem tunc Parmæ Poteſtatem , & Prætores Cremonæ , Anno 1202.

IN nomine Domini . Anno a Nativitate ejuſdem Milleſimo Ducenteſimo Secundo , Indictione Quinta , die ſexto intrante menſe Auguſti , in præſentia infraſcriptorum teſtium . Marchio Guido Lupus Parmenſis , *nomine & vice Communis Parmenſis , in concordia* Domini Guarizonis de Michara, & Aymirici Dodhoni , Poteſtatum Cremonæ, *& eorum parabolá , ibi præſentium , & parabolam dantium , qui pro ſe & aliis Poteſtatibus Cremonæ ſociis ſuis fecerunt , & vice & nomine Communis Cremonæ , præcepit per ſacramentum* Domino Manfredo de Pizo Poteſtati Mutinæ , *nomine & vice Communis Mutinæ, ibi præſenti & recipienti , &* Gerardo Rolandini Poteſtati Regii , *nomine & vice Communis Regii , ibi*

E *præſenti & recipienti , ut Pacem & finem inter ſe ad invicem faciant pro Communibus utriuſque Civitatis : & eá factá & redditá jurent , ſemper illæſa obſervare de omnibus maleficiis & dampnis datis & factis inter Commune Mutinæ & Commune Regii . Qui veró Poteſtates , ſcilicet Dominus Manfredus pro Communi Mutinæ , & Dominus Gerardus Rolandini pro Communi Regii , in continenti ad invicem Pa-*

D *cem fecerunt & finem , ſecundùm quod eis præceperat Dominus Marchio : & eodem modo in omnibus , oſculo pacis interveniente . Inſuper Dominus Marchio eodem modo præcepit eis per ſacramentum pro Communi utriuſque Civitatis , ſcilicet Regii & Mutinæ , ut in omnibus & per omnia ita attendant & obſervent per ſe & per omnes illos de utraque Civitate , qui ſacramentum de ſtando eorum præceptis ſub eis fecerunt, ſicut in Carta atteſtata per manum Ottonis de Lomello Notarii de Cremona facta continetur , & ibi oſtenſa a me Guidone Notario audiente & vidente ibi lectá , in qua Carta ita continetur .*

Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Du-

E *centeſimo Secundo , Indictione V. die Mercurii ultimo , exeunte Julio , in Palatio Cremonæ .* Nos Marchio Guido Lupus Poteſtas Parmenſis, *nomine , & vice Communis Parmenſis , &* Dominus Guarizo de Michara , *&* Dominus Odo de Comite , *&* Dominus Jacobus de Surdo , *&* Dominus Aymiricus Dodhonis , *&* Dominus Conradus de Summo , Poteſtates Communis Cremonæ , *de diſcordia , quæ eſt inter Mutinam & Regium , ſic ſumus omnes concordes :*

vide-

A videlicet ; quod Communagia deſtruatur , & deſtructa Reginis reſtituatur , nec amplius a Mutinenſibus nec a Reginis debeat relevari , nec aliquis ſimilis locus debeat ab aliqua partium in partibus illis fieri . Item quod Mutinenſes non debeant imbrigare Reginis illas terras , quas Regini erant ſoliti tenere a Communagia inferius, quæ ſunt de Epiſcopatu Regino . Item ſumus concordes , quod homines Regienſes accipiant de aqua Situlæ ex ſua parte competenter ſine fraude pro ſuo Navilio ibi , ubi accipere conſueverunt pro ſuo Navilio . Et ſi accipere non conſueverunt accipiant a Caſtello Arriano ſuperius competenter ſine fraude pro ſuo Navilio . Et ſi eam ſuperius accipere non poſſent , ac- B cipiant aquam illam in arbitrio illius Poteſtatis Cremonenſis, qui ibi erit , & Poteſtatis Parmenſis ſine fraude ad ſuum Navilium . Item homines Mutinæ accipiant de ipſa aqua ex parte ſua competenter ſine fraude pro ſuo Navilio ibi , ubi accipere conſueverunt , vel alibi , uti placebit Poteſtati Cremonæ , qui ibi aderit & Poteſtati Parmæ ad communem utilitatem utriuſque Civitatis . Et quicumque ire voluerit per Navilium Mutinæ , libere poſſit & debeat ire ſine contradictione Reginorum : & quicumque ire voluerit per Navilium Reginorum , libere poſſit & debeat ire ſine contradictione Mutinenſium . De illis verò locis , de quibus lis erat inter Mutinenſes & Reginos ſub hominibus Par- C mæ, remaneat ſub Poteſtate Parmæ & Poteſtatibus Cremonæ , & ipſi rationabiliter de hoc inter eos debeant cognoſcere & finire . Item ſi aliquid eſt ſuper apprehenſum Reginis versùs Mutinenſes , vel a Mutinenſibus versùs Reginos , in arbitrio Poteſtatis Cremonæ , qui ibi aderit , & Poteſtatis Parmæ , de hoc debeat ſtare , excepto Caſtro Marzaliæ , quod in eo ſtatu , in quo eſt , remaneat : ſalvo eo , quod ſi de Epiſcopatu Regino eſt circa ipſum Caſtrum, quod non auferent eum Reginis , nec dant eum Mutinenſibus . Item ſumus concordes , quod prixonerii Mutinæ , qui ſunt in Regio , veniant in virtute Poteſtatum Cremonæ, & Poteſtatis Parmæ , & jurent ſtare omnibus præceptis D eorum , nec de eorum virtute recedant , niſi prius deſtructa & reſtituta fuerit Communaja , & facto aquæ ordinato ſupraſcripto modo , & niſi prius pax fuerit ordinata & jurata ab utraque Civitate . Et prixonerii de Regio , qui ſunt in Mutina , eodem modo veniant in virtute Poteſtatum Cremonæ & Poteſtatis Parmæ, ſicut ſuperius ſcriptum eſt . Et deſtructâ Communagiâ & reſtitutâ ad voluntatem Poteſtatum Cremonæ & Poteſtatis Parmæ , ſicut ſuperius ſcriptum eſt ; facto atque ordinato ſupraſcripto modo ſine fraude , & pace juratâ inter utramque Civitatem , prixonerii utriuſque Civitatis liberi & abſoluti dimittantur , & Communagia ad diſpendium Mutinæ deſtruatur . Et omnes ſupraſcriptæ Poteſtates Cremonæ ibi concorditer E ſtatuerunt & dixerunt , quod illi vel ille eorum , qui iverunt propter hoc pro Communi Cremonæ , & pro eis in eorum concordia , habeant plenam poteſtatem præcipiendi & dicendi in omnibus & per omnia , ſicut ſuperius ſcriptum eſt , unacum ſupraſcripto Domino Guidone Lupo Poteſtate Parmæ , ac ſi ipſi Poteſtates omnes Cremonæ ibi eſſent præſentes . Et de hiis omnibus ſupraſcripto modo fuerunt concordes omnes ſupraſcriptæ Poteſtates Cremonæ & Parmæ ibi præſentes in Palatio Communis Cremonæ . Ibi interfuerunt Raynerius de Brancaſura, Anſelmus de Sancto Vitale de Parma , Yſachus de Dovaria , & Cremoxianus , Oldoinus , & Paganus de Burgo , & Ambroxius de Brodolano , atque Johannes de Gardano , atque Lanfrancus de Crexente , teſtes rogati .

Ego Otto Notarius ſacri Palatii interfui , & hanc Cartam rogatus ſcripſi .

Item præfatus Marchio eodem modo in omnibus præcepit eis per ſacramentum , ut die Mercurii proximo ducant & conſignent eis in Civitate Parmæ omnes prixonerios utriuſque Civitatis , quos habent . Item præcepit per ſacramentum ſupraſcripto Manfredo vice & nomine Communis Mutinæ , & omnium illorum de ſua Civitate , qui ſub eis juraverunt pro hac concordia , ut a ſupraſcripta die Mercurii uſque ad octo dies deſtruant Communagiam , & deſtructam eam Communi Regii reſtituant , ſicut in ſupraſcripta Carta continetur . Item præcepit utrique pro Communibus utriuſque Civitatis , ut a die Mercurii proximo uſque ad octo dies faciant jurare omnes homines utriuſque Civitatis , & locorum omnium de confinibus utriuſque Epiſcopatus ipſarum Civitatum , hanc finem & Pacem firmam perpetuo tenere , nec eam habeant infringere , niſi utriuſque Civitatis concordiá remanſerit . Ibi in continenti ſupraſcriptus Dominus Manfredus Poteſtas Mutinæ , nomine & vice Communis Mutinæ , & ſupraſcriptus Dominus Gerardus Rolandini Poteſtas Regii , nomine & vice Communis Regii , corporaliter juraverunt , hanc finem & Pacem firmam perpetuo tenere , nec eam aliquo modo habent infringere . Inſuper dictus Marchio in concordia ſupraſcriptarum Poteſtatum Cremonæ præcepit per ſacramentum , ut in pœna mille Marcharum argenti prænominatis Poteſtatibus Regii & Mutinæ , cuilibet pro ſuo Communi, & ejus nomine , ut hæc omnia attendant & obſervent , & ſuo Communi attendere & obſervare faciant in omnibus & per omnia , nec contra ea aliquo modo de cetero veniant . Quæ omnia præcepit Domino Gerardo Rolandini Poteſtati Regii pro ſe & Domino Jacobo de Bernardo Poteſtati Regii ſuo ſocio recipienti , & Domino Manfredo de Pizo Poteſtati Mutinæ pro ſe & Domino Barufaldo de Fregnano nomine & vice Communis utriuſque Civitatis , ut dictum eſt . Quæ quidem omnia prædicta fecerunt atque præceperunt in concordia , ut dictum eſt, ſalvis in omnibus præceptis , quæ dictæ Poteſtates Cremonæ, & Poteſtates Parmæ omnes concorditer eis fecerunt .

Actum in glara Fluminis Situlæ feliciter in feſto Sancti Sixti . Ibi verò Martinus de Cella, Rugerius Biaqua , Octo de Lomello Notarius de Cremona , Bercillus Gibatorum , & Guido de Henzola , Tebaldus Facianus , Aycardus Fornarius , & Gerarducius Piſcator de Parma, qui ad hoc fuerunt ſpecialiter vocati , atque rogati teſtes .

Ego Guido Stefani Notarius ſereniſſimi Imperatoris Henrici interfui , & præcepto ſupraſcripti Domini Guidonis Lupi Marchionis Poteſtatis Parmæ, & rogatus a præfatis Dominis Guarzone , & Aymirico Dodoni Poteſtatibus Cremonæ ſcripſi hanc Cartam .

Confecta fuit Pax iſta *Anno MCCII. die VI. Auguſti , Indictione V.* Fœdus quoque ſupra editum , hoc eſt inter Mutinenſes & Mantuanos firmatum , ſcriptum vidimus eodem *Anno MCCII. die Lunæ , II. Calendas Januarii , Indictione V.* Sed quum Regienſium pax paucis menſibus anteceſſerit Mantuanum Fœdus : quid eſt ,

eſt, quod in eo ipſo Fœdere Mutinenſes ajunt: *Guerram quoque Reginis & Veronenſibus igne & ſanguine faciam*? Tam cito-ne oblitus fuerat Mutinenſis Populus pacta pacis cum Regienſibus initæ, ſequeſtribus potiſſimùm Parmenſibus & Cremonenſibus? Heic ergo animadvertendum, in Fœdere Mantuano occurrere quidem Annum *MCCII. & diem Lunæ II. Calendas Januarii*, ſed hunc Annum computari debere *a Nativitate Domini*; quod iis temporibus in uſu frequenti apud alias gentes fuit, ac præcipue apud Mediolanenſes. Ac proinde Annus MCCII. tunc apud Mantuanos exordium cepit non a Calendis Januarii, ut nunc fit, ſed quidem a die XXV. præcedentis Decembris, quo etiam tempore decurrebat *Indictio V.* inchoata ſcilicet præcedente Menſe Septembri. Propterea Mantuanum Fœdus ſecundùm vulgarem ſupputationem noſtram pertinet ad Annum MCCI. dum adhuc bellum fervebat aut imminebat inter Mutinenſes atque Regienſes. Nunc parum conſulte agunt Notarii noſtri, qui Annum *a Nativitate* numerare pergunt, quum tamen a Kalendis Januarii exordium illius deſumatur. Contra ſapientius acta ſua ſcribunt Regienſes, qui vulgarem Annum *a Circumciſione* deducunt. Vidiſti, amicas Urbes interceſſiſſe, ne ultra procederent, aut ne inchoaretur bellum inter finitimos Populos. Familiaris autem mos fuit, ſi quando bona voluntate agebatur, in Arbitros hinc inde amicos committere controverſiarum omnium deciſionem. Alibi dixi, Bononienſes, quod ſuam potentiam ſentirent, nihil antiquius habuiſſe, quàm in vicinos ſuos arma convertere, ut ex eorum ſpoliis agrum ſuum dilatarent. Ex hoc innumeræ ingeſtæ Mutinenſibus moleſtiæ fuerunt. Atque ut intelligas, quàm elato animo is Populus ageret, ſubſequentem Chartam lege, teſtem recuſatæ a Bononienſibus cujuſcumque honeſtæ rationis, quæ ad pacem conduceret.

Qualiter Bononienſes noluerunt per rationem cognoſcere, nec in reliquis perſonis ſe mittere de Villis & Locis, quas & quæ petebant a Mutinenſibus, Anno 1203.

Die Martis XIV. Menſis Junii exeuntis, Anno Dominicæ Incarnationis MCCIII. ſupraſcripta die, Indictione VI. præſentia Domini Mathei de Corrigia Poteſtatis Parmæ, *& Domini Manfredi de Gazo, & Domini Talamacii Judicis, ac Domini Cremoſiani de Oldericis, Ambaxatorum Communis Cremonæ, necnon & Domini Gerardi de Vicedominis, & Domini Albertuſii de Inzola, & Domini Berituci de Rocha, & Domini Teudaldi de Teudaldo, Ambaxatorum Parmæ. In magna Credentia per campanam ſonatam coadunatâ in Palatio Communis Bononiæ, præſentia omnium Credenderiorum ipſius Credentiæ,* Dominus Octo de Noxa Poteſtas Cremonæ *alta voce coram* Dominum Guillielmum de Puſterla Poteſtatem Bononiæ *in ipſa Credentia interrogavit ſupraſcriptum Dominum Guillielmum Poteſtatem Bononiæ, & ſibi dixit: Si Mutinenſes de Locis, unde ibi aſſerebant, & quos ipſi Bononienſes Mutinenſibus petebant, de quibus diſcordia erat, quos quatuordecim eſſe dicebant, vellent ſe ponere in ipſo Domino Guillielmo, ſi ipſe Dominus Guillielmus Poteſtas Bononiæ reciperet hoc in ſe; Reſpondit*: Non ad cognoſcendum per rationem. *Item & ſi ipſi vellent ſe de hoc ponere in Religioſis perſonis, ſive in Arbitris, cognoſcendo per rationem. Reſpondit ſimiliter*, quod non poneret.

Actum eſt hoc in Palatio Communis Bononiæ.

Ego Manfredus Notarius ſacri Palatii interfui, & hanc Cartam rogatus ſcripſi.

Accipe & alterum documentum impotentiæ (liceat dicere) Populi Bononienſis. Inter eum & Mutinenſem, induciæ vigebant. Attamen quum Mutinenſis militia in ſubſidium ſociorum Cremonenſium advolaſſet, Bononienſes agrum noſtrum invaſere, & Caſtrum Badiani (nunc *Bazzano*) infeſtarunt: Caſtrum verò Sancti Cæſarii, tunc etiam ad jus Mutinenſis Reipublicæ ſpectans, flammis dedere. Fidei fractæ teſtem Populus Mutinenſis voluit ſubſequentem Chartam, quam uti & præcedentem ex MSto Regeſto Communis Mutinæ depromſi.

Qualiter Bononienſes fregerunt treguam Mutinenſibus, Anno 1233.

IN Chriſti nomine, Anno a Nativitate ejuſdem MCCXXXIII. Indictione VII. Frederico Imperatore regnante, die Martis IV. intrante Julio. Scriptum recordationis ad memoriam perpetuo retinendam. Cum Mutinenſes eſſent in ſervitio Cremonenſium ad defendendum Terram Cremonæ, quæ devaſtabatur & deſtruebatur a Mediolanenſibus, venerunt die prænominato Bononienſes cum Carozio apud Caſtrum Badiani, & poſuerunt Carozium in ripa Samoziæ, in loco ubi dicitur Pons Sancti Petri, in diſtrictu Mutinæ prope Caſtrum, & impetum fecerunt ad Caſtrum Badiani, & inciderunt vineas, & comburerunt blavas hominum dicti Caſtri & tegetes. Et ibidem Baliſtarii Bononiæ cum Baliſtariis dicti Caſtri a media Tertia uſque ad horam Sextam fortiter ſagittarunt. Et eo die iverunt ad Caſtrum Sancti Cæſarii cum Carocio, & ibi fixerunt tentoria & combuxerunt dictum Caſtrum.

Actum in Caſtro Badiani. Hujus rei teſtes fuerunt Dominus Thomaſius de Radaldo, tunc Capitaneus Badiani, Arditio Tadi Poteſtas, Jacopinus Marchexii Aderberii, Jacobus & Henricus Raſtaldus, Rolandinus Buvalelli, Girardinus Perdimeſe, Bernardinus Azonis Rubei, Odericus Ugonis de Ferro, Martinus Bonaccurſii, Benaſſai de Bono, Nicolaus de Bruneta, Andreas Bertolocti, Oddo de Carpo, Magiſter Poltonerius de Bruno, Bonmartinus de Cremona, Byliotus de Parma, Cogoza de Regio, Albertus Vetuli, Venturinus de Verona, Melius de Regio, Barixellus de Caſtellarano, Fachus de Bergamo, Oclerinus Albæ, Janinus de Cremona, Johannes de Cagnis, Calandrinus Notarius, Mutinenſis de Calzolario, Magiſter Tedaldus, Archerius de Parma, Johannes de Carzo de Parma, Brunus de Brandula, Gerardus Gualfredi, Ugolinus Bolognoli, Jacobus Bonincontrus, Dominicus de Portonariis, Bartholomeus Guidobelli, Guidoctus de Soleria, Janulinus Alerii, Raynerius Veronenſi, Ubertinus Doxii, & alii.

Ego Crexentinus Guidonis, ſacri Palatii Notarius ſcripſi, & exemplavi præcepto Domini Giberti Azonum Judicis & Aſſeſſoris Domini Girardi de Corrigia Mutinæ Poteſtatis, ut in authentico continebatur, ita & in hoc exemplo legitur, currente Milleſimo Ducenteſimo Trigeſimo Sexto, Indictione IX. die Mercurii IX. intrante Januario, præſentibus teſtibus Domino Jacobo de Mediliano, Domino Azone Guidonis Bovis, & Bonoinfanti de Aſalito Notario.

Cur Mutinenſes injuriæ hujus ac damni per Bononienſes inlati teſtimonium quæſierint, e ſubſequenti Charta ediſces. Ii enim ad Summum Pontificem Anno MCCXXXVI. ſuas querelas contra Populum Bononienſem fœdifragum detulere: cujus rei teſtes exhibeo tabulas ex eodem Urbis noſtræ Archivo depromtas.

Petitio Mutinenſis Populi apud Gregorium IX. Papam, ut Bononienſem induciarum fractorem anathemate percuſſum denuntiet, Anno 1236.

ANno MCCXXXVI. Indictione IX. tempore Gregorii Papæ, regnante Domino Frederico Imperatore, die XI. intrante Februario, Viterbii, in domo Raynerii Cardinalis, in qua tunc morabatur Dominus Papa, præſentibus dicto Domino Raynerio, Domino Johanne de Columpna, Domino Petro de Capoa, Domino Sinibaldo, Domino Oddo, Domino Thomaxio, Domino Infredo, Domino Zillio, Domino Epiſcopo Savinæ Cardinalibus, & præſente Fratre Gualla Epiſcopo Brixienſe, & præſentibus Domino Pagano de Turri de Mediolano; & Ambaxatoribus Brixiæ, & Mantuæ, & præſentibus Ambaxatoribus Cremonæ, Papiæ, Parmæ, Forlivii, & Arimini, & me Guidone Imperiali auctoritate Notario, & aliis multis, Dominus Girardus Ottonis Judex Ambaxatorum Communis Mutinæ, vice & nomine Communis Mutinæ, & pro ipſo Communi inter cetera, quæ propoſuit coram Domino Papa, dixit, & proteſtatus fuit de facto Guerræ inter Bononienſes & Mutinenſes; & ab ipſo Domino Papa requiſivit, quod faceret denuntiari Bononienſes, & totam eorum Civitatem, excommunicatos per partes illas, videlicet Lombardiæ & Romaniæ; quoniam erant excommunicati ipſo jure, eo quod venerant armata manu, & cum Carocio in diſtrictum Mutinenſium, inferendo dampnum hominibus Mutinæ violenter, contra juramentum & treguam inter Bononienſes & Mutinenſes factam per Dominum Nicholaum Epiſcopum Reginum, & contra interdictum excommunicationis per ipſum Dominum Epiſcopum Domini Papæ Vicarium & delegatum, ſicut apparet per publica Inſtrumenta: & ipſe Dominus Papa confirmaverat ea, quæ acta erant per ipſum Dominum Epiſcopum &c.

Ego jam dictus Guido Notarius interfui &c.

Fœdera quoque contrahebant Italicæ Civitates cum Comitibus & Marchionibus finitimis: ejuſque rei exemplum præbebunt pacta, quæ tunc iidem Mutinenſes in bellum Regienſe intenti percuſſere cum Guilielmo & Alberto Marchionibus Malaſpinis, quorum tunc in Lunenſi regione major potentia videbatur. Quid ex utraque parte eâ occaſione conventum fuerit, Acta, quæ mihi ſuppeditavit Tabularium Communitatis Mutinenſis, indicabunt.

Fœdus

Fœdus a Guilielmo Marchione Malaſpina filio Moroëlli initum cum Communi Mutinenſi, Anno 1202.

IN Chriſti nomine. Anno a Nativitate ejuſdem MCCII. Indictione V. die Lune, III. Kalendas Madii. Ego juro bonâ fide guardare & ſalvare homines Mutinæ in avere & perſonis in tota mea Terra & meo Diſtrictu per me & meos homines, & alibi, ubicumque potero. Et guerram Mutinenſium contra Reginos meam faciam, & contra Reginos eam incipiam ad voluntatem Poteſtatum Mutinæ, ſicut mihi dixerint, vel miſerint nuntio vel litteris. Et bonâ fide faciam guerram Reginis per me & meos homines & meam terram igne & ſanguine, & eos offendam, ubicumque potero. Item in exercitu Mutinæ publico vel privato, quotieſcumque denuntiatum mihi fuerit a Poteſtate Mutinæ vel Rectoribus, qui pro tempore fuerint, ad terminum, qui mihi datus fuerit nuntio vel litteris, cum mea gente, ſcilicet Militibus, Archatoribus, Peditibus, & Baliſtis veniam, & in eo ſtabo ad voluntatem Rectorum Mutinæ, ſive ſim cum eis ſive ſine eis. Et Mutinenſes bonâ fide juvabo, & eorum inimicos offendam, & hoc meis perditis & diſpendio. Item non faciam pacem neque concordiam neque guerram recrezutam, neque pactum cum Reginis, niſi ad voluntatem Poteſtatis ſeu Rectorum Mutinæ, qui per tempora fuerint, parabolâ michi datâ Conſilio facto ad campanam ſonatam. Item hec omnia obſervabo, & adjuvabo Mutinenſes contra omnem aliam Civitatem & locum & gentem, exceptâ Parmâ, uſque ad viginti annos, & tanto plus, quantum Marchiones, concordiâ Conſilii Mutinenſium facti ad campanam, concordes fuerint; & ſacramentum renovare ſingulis quinque annis, niſi remanſerit concordiâ utriuſque partis, ſalvâ Fidelitate Imperatoris. Et Credentias Poteſtatis & Rectorum Mutine, que mihi dicte fuerint, tenere. Et hoc idem ſacramentum faciam jurare Dominum Albertum Marchionem patruum meum, A & Dominum Conradum ad terminum mihi ſtatutum & datum a Poteſtatibus Mutine. Item bona fide faciam jurare hoc ſacramentum Milites de Gregnano, Nepotes Truffe de Caſtro Aginulfi, Milites de Muregnano & Vexano, & de Gerardengis, & de Filiis Ubaldi, & illos de Montemagno, & filios Raimondini, & Soffredengos, & de omnibus prædictis quantoſcumque potero ſine fraude, ita quod ad minus ſint quadraginta Milites, & omnes noſtros homines, quos habemus in Lunixana a Pontremolo uſque ad Sarzanam ſine fraude a XIV. annis ſupra uſque ad LX. annos, ad voluntatem Poteſtatis & Rectorum Mutinæ.

Actum Mutinæ feliciter in Domo Communis B in pleno Conſilio facto ad campanam ſonatam, Domino Manfredo, & Domino Barufaldo Poteſtatibus Mutine, Domino Janello, & Domino Bonefacio Advocatis, Domino Conrado Munarii, & Gulielmo Alberti Tonſi Procuratoribus, & Domino Pio, Uberto de Fredo, Petrocino de Gomola, Henrico Alberto, & Jacobo Paſapontis, Gerardo Granni, Rolando Richelmi, Gulielmo Gunterii, & aliis omnibus aſtantibus in Conſilio preſentibus: Dominus Gulielmus Marchio filius quondam Moroëlli predictum ſacramentum, ut ſupra legitur, in omnibus attendere & obſervare, tactis Euangeliis juravit. In quo prædicto Conſilio Gulielmus de Gregna, Gulielmus Cunimondi, Phi- C lippus de Pontremulo, Jacopinus Lanfranchi, & Garfagninus juraverunt bona fide facere Marchiones prædictos attendere & obſervare pacta & conventiones omnes Mutinenſibus, ſicut ſuperius integraliter legitur, & per ſe omnia, ut ſupra legitur, obſervare, excepto de ſacramento Domini Conradi faciendo.

Ego Johannes ſacri Palatii Notarius interfui & ſcripſi.

Pacta, quæ Commune Mutinæ jurat Alberto & Guilielmo Marchionibus Malaſpinis, Anno 1202.

In Chriſti nomine. Anno a Nativitate ejuſdem MCCII. Indictione V. die Lune, III. Kalendas Madii. Jurant Mutinenſes Marchionibus Malaſpinis, *ſcilicet* Domino Alberto *&* Gulielmo, *bonâ fide eos adjuvare recuperare Carpenetam & totum podere, quod fuit Gerardi de Carpeneta, quod eſt in Regino Epiſcopatu, & recuperatum manutenere, & defendere contra Commune Regii, & contra omnem perſonam, excepto Imperatore & ſuis Nuntiis, meis ſumptibus & perditis. Et Marchiones & eorum homines per totam Terram & Diſtrictum Mutine guardare & ſalvare, & alibi, ubicumque potuerint. Et hoc totum ſalvis ſacramentis, que fecerunt cum qualibet Civitate, excepto Regio, uſque ad viginti annos, & tantum plus, quantum Marchiones, concordiâ Conſilii Mutine facti ad campanam, concordes fuerunt; & ſacramenta renovare ſingulis quinque annis, niſi remanſerit concordiâ utriuſque partis. Hoc ſacramentum fecerunt Poteſtas Mutine, Dominus ſcilicet Manfredus de Pizo, & Barufaldus, & Advocati, Dominus Janellus, & Dominus Bonefacius, & Procuratores Dominus Curadinus, & Gulielmus Alberti Tonſi, predicto Domino* A *Gulielmo Marchione, Gulielmo de Gregnano, Gulielmo Cuninondi, Philippo de Pontremulo, Jacopino Lanfranchi, & Carpagnino preſentibus in pleno Conſcilio Mutine, facto ad campanam ſonatam. Et ibidem homines de predicto Conſcilio predictum ſacramentum, ut ſupra legitur, ſimiliter juraverunt, videlicet Arditio de Beccafaba, Bernardus de Balugula, Bernardus Poltonerii, Jacobus de Parma, Guido Guidoni, Lanfranchinus de Balugula, Albertinus Sigizi, Ubertinus de Balugula, Johannes Bellincini, Petrus de Funtana.*

Memorat Troncius in Monumentis Hiſtor. Piſan. ad Annum MCCXIV. concordiam ini- B tam a *Piſana Republica* cum *Populo Cajetano*; & quando eam proferre mihi licet beneficio olim nobilis viri Octavii de Abrahamo Primatialis Piſanæ Canonici, en ipſam tenebris ereptam in publicæ eruditionis augmentum. Quum verò nulla heic mentio fiat Friderici II tunc Siciliæ utriuſque Regis, veri videtur ſimile, Cajetanum Populum tunc ſui juris fuiſſe, iiſque turbulentis temporibus a Rege defeciſſe.

Pacta conventa inter Conſules Cajetæ & Conſules Piſanos pro pace & concordia utriuſque Populi, Anno 1214.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Quoniam Pax velut cunctarum mater virtutum, ſalutis preparat incrementum, & in ea gentium utilitas cuſtoditur, equum eſt & ſalubre, ut inter homines habita ſummopere conſervetur. Ecum itaque nos Gajetani Conſules Conſtantinus Spatarius, Rainerius Domini Docibilis, Johannes Patrianus, Gregorius Peronis pro Communi Civitatis Gajetæ ad nobiliſſimam Civitatem Piſanam pro reformatione Pacis nobiles & prudentes Legatos noſtros Silardum Gattulam, & Gregorium Gattulam Judicem mitteremus, placuit ſapientiſſimis Conſulibus Piſanorum pacem cum dictis Nuntiis noſtris componere ſapienter, eamque hinc inde in ſcripto redigere competenti. Promittimus ergo & juramus nos dicti Conſules Gajetani, & Civitas Gajeta, & omnes homines ipſius Civitatis & tenimenti ejus tenere firmam pacem Piſanæ Civitati, & omnibus hominibus ipſius Civitatis, & ejus fortiæ & diſtrictus. Et quod de cetero Civitas Gajeta & homines ipſius Civitatis & tenimenti per nos, vel per alios nec offendi permittemus aliquem hominem de Civitate Piſana vel de ejus forcia, ſeu diſtrictu in perſonis vel rebus terra vel aqua mari vel alibi. Et quod ſi offenſio facta fuerit alicui de Civitate Piſana vel de ejus forcia, ſeu diſtrictu ab aliquo de Civitate Gajetæ vel tenimento ejus in perſona, Civitas Gajetæ & Commune ipſius Civitatis vindictam inde facient convenientem. Si verò in rebus, res reſtitui vel danpnum facient emendari infra dies quadra- C *ginta, ex quo inquiſiti fuerint per literas Conſulum ſeu Rectoris Piſanorum ſigillo Communis Piſani, ſi de rebus offendentis vel delinquentis mobilibus vel immobilibus tantum Civitas Gajeta, ſive Commune ejus poterat invenire. Et quod cuilibet Piſano & de ejus forcia & diſtrictu conquerenti de aliquo Gajetano vel homine de ejus tenimento ſuper Contractis & promiſſionibus habitis viciſſim infra dies quadraginta Civitas & Commune Gajetæ rationem fieri faciet in Curia Civitatis Gajetæ, niſi gratiâ teſtium vel Inſtrumentorum, vel alterius legitimæ dilationis remanſerit. Et quod nos vel Civitas Gajetæ & homines ipſius Civitatis & tenimenti non permittemus aliquam Galeam vel Navem, vel* D *aliquod alind lignum in Gajeta vel ejus fortia vel tenimento contra Piſanos in curſum. Et quod nullam preſtantiam permittemus fieri ab aliquo Gajetano, vel ab aliquo alio ejus forciæ vel tenimento alicui, qui ire velit vel eat in curſum contra Piſanos in Gajeta vel ejus forcia ſeu tenimento pro faciendo ibi campo, ſeu diviſione. Et quod non recipiemus ſequentes Conſules vel Rectores in Civitate Gajetæ, nec illi alios, qui hæc omnia obſervare & facere non jurent. Et quod ſic annuatim obſervetur & juretur uſque ad terminum viginti quinque annorum. Si verò aliquis Piſanus vel de forcia ſeu diſtrictu Piſanæ Civitatis inventus fuerit a Gajetanis in aliquo ligno inimicorum Gajetanæ Ci-* E *vitatis in curſum evnte, liceat Gajetanis illum, & ejus res caperc & habere ſicut inimicum, & res inimici, & propterea pax non rumpatur.*

Acta

A *Acta ſunt in Civitate Gajeta, per manus Johannis de Bone publici Notarii, de mandato & rogatu prædictorum Conſulum, pro eis & pro tota Univerſitate Gajetæ, & ejus tenimenti, Dominicæ verò Incarnationis Anno Milleſimo Ducenteſimo Quarto Decimo, VIII. die menſis Junii, II. Indictionis.*

Poſt hæc autem in eodem loco Nos Adenulfus Mancanella Judex, Gregorius Cattula Judex & Legatus, Filardus Gattula Legatus, Marinus Floja, Johannes de Criſtoforo, Modelmus Baraballus, Bonus Zeccadanarius, Plancadeo Pizzicademon, Leo Surrentinus, Docibilis Gattula, Joannes Zeccadanarius, Docibilis Mancanella, Conſtantinus Maltaciamel, Docibilis Gattula de Filardo, Criſtoforus Faraonis, Gre- B *gorius Papa, Leo Bius, & Guido Cabotus Conſiliarii, Rainaldus Burdonis, Joannes de Ciocano, Petrus Balgaminus, Joannes Raſſus Spatarius, Dodo Spatarius, Conſtantinus Moſtaca, Joannes de Alberico, Ricardus Maltacia, Joannes Gattula, Filardus filius ejus, Leo Ploja, Goffridus Gattula, Joannes Salpa, Thomaſius Guidonis, Joannes Burdonis, Dodo Riccius, Stefanus de Galletto, Jacobus Leonis, Marinus de Tirello, Lumbulus Judicis, Adenulfus Surrentinus, Bartolomeus de Robberto, Stefanus Spatarius, Joannes Papa, Johannes Faraonis, Leo de Rainaldo, Johannes Lana, Matheus Baraballus, Jacobus de Dodo, Agnellus Oſſitenara, Leo Caſtanea, Vitalis Malta-* C *cia, Joannes Gattula Ferracis, Marinus de Plaza, Petrus Bantreſius, Joannes Caſtanea, Marinus Caldina, Petrus Moſtaca, Marinus de Raynerio, Gregorius Caſtanea Dellazita, Modelmus Gattula, Laudatus Ploja, Conſtantinus Capoccia, Bibianus Johannes Coronella, Conſtantinus Baraballus, Petrus Roganus, Madelmus Lazarus, Joannes de Sergio, Petrus de Adenulfo, Johannes Caſtanea preſte, Johannes Baraballus, Docibilis Cabotus, Marinus Cerraponis, Gregorius Imbriacus, Raonardus Maltacia, Conſtantinus Gattula de Filardo, Marinus de Riſmo, Albericus Pizicademon, Leo Broncuſula, Marinus Buccapaſſus, Conſtantinus de Marando, Sergius Caſtanea, Albericus Caſtanea, Johannes Maltacia, Jaquintus Papa, Petrus Raynerio, Petrus Romanus, Gregorius Spina, Mathias de Filoto, Bartolomeus Bobbaccimi, Bonomus Siconis, Petrus Pica, Leo Coronella, Leo Baraballus, Johannes Cotina, & alter Johannes Salpa, Gaitanus Gattula, Gregorius de Alberico, Conſtantinus della Gavia, Stefanus Urſinus, Leo Piſcis, Johannes Mancanella, Marinus de Gregorio, Petrus Bajola, Conſtantinus Mancanella, juravimus ſuper ſancta Evangelia Dei, quod pacem iſtam compoſitam & firmatam inter Civitatem Piſanam & Gajetanam firmam tenebimus, & non erimus in conſilio, ut rumpatur.*

✠ *Ego Joannes de Bone, Gajetanæ Civitatis publicus Notarius, de mandato & rogatu prædictorum Conſulum Cartam iſtam ſubſcripſi & firmavi.*

Plures hujuſmodi conventiones ſuppeditare nobis poſſet Piſana Civitas, utpote quæ tunc terrâ ac mari potentiam ſuam longe protendebat, & cum remotis Urbibus commercium exercebat. Et profectò mihi prætermittenda minime videtur concordia inter *Piſinos* eoſdem & *Populum Arelatenſis Civitatis*, Anno MCCXXI. reſtaurata, cujus exemplum ad me miſit ſupralaudatus Canonicus de Abrahamo. Hinc autem intelligas, quale tunc fuerit Arelatenſium regimen atque conditio, hoc eſt Libertatis ac Reipublicæ, in qua tamen ſuus etiam locus, multumque auctoritatis erat eorum Archiepiſcopo.

Conditiones pacis atque commercii peragendi inter Piſanum Populum & Arelatenſem, Anno 1221.

D IN *nomine Trini & Unius Dei. Amen.* Nos Iſnardus de Antravenis, *Dei gratiâ* Poteſtas Arelatenſis, *pro nobis & toto Conſilio &* Populo *univerſo tam* Civitatis *quàm* Burgi Arelatenſis *univerſis & ſingulis præſentibus & futuris, & pro omnibus hominibus jurisdictionis & diſtrictus & forcie Arelatenſis Civitatis, facimus vobis Bertrando, Rainaudo, & Bernardo Ferreolo recipientibus pro nobili viro* Domino Bonacurſo Henrigi de Cane Piſanorum *Dei gratiâ* Poteſtate, *& pro* Communi Piſano & Civitate Piſana, *& omnibus Piſanis, & omnibus hominibus Piſani diſtrictus, & qui Piſano nomine cenſentur, firmam & veram Pacem. Et omnes querimonias de rebus ablatis* E *ſive dampnis illatis, quas Arelatenſis Civitas ac Comune Civitatis Arelatenſis, vel aliquis de Civitate vel jurisdictione vel diſtrictu ejus habet contra Univerſitatem Piſanam, vel contra aliquem Piſinum, vel contra aliquem de jurisdictione vel diſtrictu Piſanæ Civitatis, & contra aliquem, qui Piſano nomine cenſentur, de dampnis omnibus eis illatis, nos dictus Iſnardus de Antravenis Arelatenſis, bono animo remittimus pro nobis, &* Domino Archiepiſcopo, *& pro univerſitate & ſingulis perſonis Arelatenſibus, & ejus forcie & diſtrictu. Et convenimus & promictimus pro nobis & ſupradicto Domino Archiepiſcopo, & pro Rectoribus & Conſulibus preſentibus & futuris & Univerſitate Arelatenſi, & pro ſingulis hominibus Arelatenſis, & ejus forciæ & diſtrictus, vobis Bertrando, Rainaudo, & Bernardo Ferreolo, pro Domino Bonacurſo Poteſtate Piſæ recipientibus, & pro Communi Piſano, & pro Civitate Piſana, & omnibus Piſanis, & Piſani diſtrictus hominibus, & qui Piſano nomine cenſentur, quod prædictus Dominus Ugo Archiepiſcopus, & ejus ſucceſſores, & nos & Conſules vel Rectores, qui in antea erunt prædictæ Civitatis Arelatenſis & Populi Arelatenſis, & omnes homines ejuſdem jurisdictionis & forciæ, firmam & veram pacem tenebimus cum Civitate Piſana, & cum omnibus hominibus Piſanæ Civitatis, & ejus forciæ & diſtrictus, & cum omnibus, qui Piſano nomine cenſentur, & ſalvabimus, & defendemus eos omnes in perſonis & rebus, terra & mari & aquis, ſanos & naufragos, eundo, ſtando, & redeundo in Civitate Arelatenſi, & ejus portu & forcia & diſtrictu, tam contra amicos quàm contra inimicos & contra omnem perſonam & locum. Et quod in perſonis vel rebus non offendemus in aliqua parte vel loco, nec offendi aliquo modo faciemus Piſanos vel aliquem eorum, vel aliquem de diſtrictu vel forcia Piſanæ Civitatis, vel aliquem, qui Piſano*

nomine

nomine cenſeatur, nec aliquem, qui in ligno Piſanorum cum Piſanis navigabit, niſi ille ſit de Terra cum qua Arelatenſis Civitas per ſuas literas Civitati Piſæ denunciaverit, quod guerram habeat, quæ denunciatio fieri non debet niſi de ea Terra, cum qua in veritate Arelatenſis Civitas Guerram habeat. Et tunc ſi eam offenderet, Pax propter hoc non rumpatur. Et quod ſi offenſio facta fuerit de perſonis infra quadraginta dies, ex quo inde reclamatio facta fuerit Arelatenſi Poteſtati vel Rectori vel Conſulibus, etiamſi ille, qui offenſam fecerit, fuerit de juriſdictione Civitatis vel Dominorum ejuſdem Civitatis vel Poteſtatis ſeu Conſulum aut Rectorum convenientem vindictam inde faciet. Si vero de rebus fuerit offenſio facta alicui Piſanæ Civitatis vel ejus juriſdictionis aut forciæ vel diſtrictus, vel alicui, qui Piſano nomine cenſeatur: & hoc probatum aut certum fuerit, faciemus infra quadraginta dies continuos, connumerandos ab inquiſitione ab eo facta, vel ab aliqua perſona pro eo cum integritate, ablata, ſi invenientur, reſtitui; ſi non invenientur de bonis, qui dampnum dedit, dumtamen ſolvendo ſit, plenarie, ut dictum eſt, ablata reſtitui, vel emendari faciemus. Si verò ſolvendo non fuerit in totum ſed pro parte, pro ea parte, qua ſolvendo fuerit, dampnum faciemus emendari. Pro eo autem, qui offenſam fecerit, juſticiam ſecundùm rationem & bonum uſum Civitatis Arelatenſis. Si verò autem dubitetur, utrum ille, cui dampnum illatum fuerit, ſit de Civitate Piſana, vel ejus diſtrictu aut forcia, aut Piſano nomine cenſeatur, & hoc non probaverit, faciemus omnia ſupradicta infra quadraginta dies, poſtquam de hoc literas ſigillo Piſanæ Civitatis a Communi Piſano miſſas habuerimus, & quominus habeant fraudem non committemus; & tunc res, quas invenerimus, retinebimus ſtaſtaritos uſque ad tres menſes.

De Mercationibus & ceteris contractibus intra Piſanos & Arelatenſes habitis, Piſani Arelate ſi voluerint Arelatenſes conveniri poſſint, & ad rationem cogi. Et quod ſi aliquis Piſanus de Piſano diſtrictu, ſeu forcia de aliquo negocio, quod & hodie in antea fiet, vel quod ante factionem Pacis inter Piſanam Civitatem & Arelatenſem factum fuerit, reclamationem fecerit de aliquo homine Arelatenſi, vel de ejus diſtrictu aut forcia, ſeu de aliquo foretaneo, qui in Arelate tunc invenietur, ſecundùm rationem & bonum uſum Civitatis Arelatenſis, juſticiæ plenitudinem ei fieri faciemus, exceptis quam de damnis datis, & ablationibus & rapinis hinc inde factis uſque ad diem compoſitionis hujus Pacis: de quibus omnibus non teneatur facere rationem. Et quod recipiemus, ſalvabimus & defendemus omnes homines & res & navigia Piſanorum, & hominum ejus forciæ & diſtrictus, & eos qui Piſano nomine cenſentur, cum omnibus rebus, quas habuerint ſive ſecum reduxerint: qui & quæ ad Arelatem vel ejus forciam devenient & applicabunt ſive confugient & morari voluerint, ab omnibus hominibus & perſonis, & nominatim a Januenſibus & hominibus de diſtrictu & riveria eorum, & eos ſecuros & tutos faciemus & adjuvabimus eos pro poſſe noſtro, & quandocumque egredi voluerint, eos libere exire & ire permittemus cum omnibus eorum rebus. Nec antequam voluerint Piſani eos exire cogemus. Et quod navigare permittemus Arelatenſes cum Piſanis, & eis nullo modo prohibebimus, nec prohiberi faciemus cum Piſanis navigare, & ire quocumque modo vo-

A lentibus. Et quod Januenſium, vel aliorum publicorum inimicorum Piſanæ Civitatis havere, ſi cum Arelatenſibus forte in aliquo navigio inventum fuerit a Piſanis, ipſi Arelatenſes non facient ſuum, nec ſuo nomine ipſum defendent. Et ſi forte aliquis Arelatenſis cum Januenſi, donec guerra inter Piſanos & Januenſes fuerit, a Piſanis inventus fuerit in eorum navibus vel lignis eundo vel redeundo, liceat Piſanis & Piſanæ Civitatis forciæ & diſtrictus hominibus Arelatenſibus & res eorum tamquam Januenſium offendere & capere, & capta retinere, & non reddere nec reddi facere. Et propterea hec Pax & concordia non rumpatur. Et quod Arelatenſes in aliquo navigio non deferent B Salem in aliquam partem a Janua uſque Piſas, niſi Piſas tantùm. Et quod Arelatenſes, in quacumque parte Mundi extra Arelatem vel ejus forciam fuerint, adjuvabunt Piſanos cum armis bona fide ſine fraude contra omnes homines, niſi fuerint tales, cum quibus Arelatenſes pacis confederationem haberent, contra quos adjuvare cum armis non teneantur, ſed interponant partes ſuas bona fide ſine fraude ad amicabilem compoſitionem faciendum. Et quod in Civitate Vechia, & ab inde verſùs Piſas bladam non accipient pro deferendo alicubi, niſi pro deferendo Piſas vel Arelatem tantùm, videlicet quanta voluerint, ita quod de Arelate de ipſa blada extrahi non debeat. Et quod in C prima andata, quam hoc Anno & ſingulis annis de cetero fecerint, Maremmam pro blada, quæcumque ligna fuerint, ad Portum Piſanum venienti, & Poteſtati vel Rectoribus vel Conſulibus, qui pro tempore tunc erunt, eorum adventum ſignificabunt, & ſi ei vel eis placuerit, Piſas inter duos pontes, nec propterea pax vicietur, quia ſic actum eſt in hac pace. Et quod dictum havere Piſanorum, quod Arelatem per riveriam vel undecumque aut de quacumque parte aductum fuerit, ſi ibi venderetur, tollantur in introitu vel exitu denarii quatuor pro Libra monetæ, quæ curſum habet in Arelate, & non plus quacumque occaſione. De eo autem, quod ibi non venderetur nihil tollatur, ſed ubi- D cumque voluerit ab eo, qui habuerit, deferri aliquo modo non impediatur. Et quod nulli perſonæ vel loco, ſive aliquibus perſonis de Provincia, vel de aliqua parte Provinciæ, & nominatim de locis vicinis & propinquis Arelatenſi Civitati, volentibus offendere vel damnificare Piſanos & Piſani diſtrictus homines, & qui Piſano nomine cenſentur in perſonis & rebus, vel contra eos ire vel mittere in curſum, conſilium vel auxilium dabimus de perſonis vel rebus, nec aliquem vel aliquos de Civitate Arelatenſi vel ejus Burgis ſive ejus forcia vel diſtrictu cum eis ire vel navigare contra Piſanos, & Piſani diſtrictus homines, & qui Piſano nomine cenſentur, nec victualia ſive Panaticam E facere vel recipere in Civitate Arelatenſi, vel ejus Burgis, ſive ejus forcia vel diſtrictu aliquatenus permittimus, & omnibus deſcendere vel exire volentibus per Rodanum qui currit ſive habitatur juxta Civitatem Arelatenſem, contra Piſanos & Piſani diſtrictus homines, & qui Piſano nomine cenſentur, ſi hoc nobis conſtiterit, vel nobis notum fuerit, & eis commode ſine præparatione armorum reſiſtere poterimus ne deſcendant vel exeant, bona fide reſiſtemus, quouſque jurent in illo itinere uſque ad reverſionem non offendere vel damnificare Piſanos, & Piſani diſtrictus homines, & qui Piſano nomine cenſentur, in perſonis vel rebus.

rebus . Prædicta verò Pax & conventio debeat obſervari ab hodie uſque in annos viginti quinque proximos . Et inſuper nos Iſnardus de Antravenis prenominatus Poteſtas , & Aymbardus Vicarius & Ugo Raynerius Judex Arelatenſis, promittimus vobis Bertrando, Rainaudo, & Bernardo Ferreolo , recipientibus pro prædicto Nobili noſtro Domino Bonaccurſo Henrigi de Cane Piſanorum Dei gratiâ Poteſtate , & pro Communi Piſano & Civitate Piſana , & omnibus Piſanis , & omnibus hominibus Piſani diſtrictus , & qui Piſano nomine cenſentur , dictam pacem & omnia , quæ in ea continentur , univerſa & ſingula rata & firma tenere , habere , facere & ſervare uſque ad tempus prætaxatum , & tactis ſacris Euangeliis juramus .

Et nos Conſiliarii infraſcripti, videlicet Bertrandus Porcelletus, Arclardus Aurella , Guillielmus de Viridifolio , Guillielmus Ugo, Ugo Gaufridus , Ugo Jailencus , Roſtagnus Laurentius , Poncius Guerengaus , Petrus Cadaſta , Petrus de Merricis , Bertrandus Bonifilius , Bertrandus de Monteolino , Audebertus de Nouta , Petrus de Aqueris , Ugo Fulco , Roſtagias de Beedeium , Poncius Baſton , Bertrandus Bonaudus , Guicbertus Gaufridus , Trabuſtolus Gaufridus , Mataronus Milles Lonbardus, Rainaudus de Turbia Milles de Caſtiis , Guillelmus de Miramars , Raimundus Rufus . . . . . . Petrus Itercius , Petrus de Toro , Guillielmus de Boſco , Guillielmus Bernardus Rapina , Bertrandus Senequerius , Raimundus Bencelinus , Amatus & Petrus , Ugo Amilius præfatam pacem , & omnia , quæ in ea continentur , univerſa & ſingula rata & firma promittimus vobis Bertrando , Rainaudo , & Bernardo Ferreolo tenere , habere , facere , & ſervare , & tactis ſacris Euangeliis juramus . Et nos infraſcripti de Populo tam Civitatis , quàm Burgi Arelatenſis , videlicet Bertrandus Cappa , Pellegrinus Romeus , Petrus Guillielmus , Poncius Bovetus , Bertrandus Johannes, Bartolomeus Scafa , Guillelmus de Olivario , Rainaudus Iteriſus , Petrus Raimondus, Petrus Ugo Cauſidicus , Petrus Steffanus , Guillielmus Bartolomeus , Guillielmus Ricardus , Guillielmus Laurentius , Aicardus Raimundus , Bedos , Bertrandus Silveſter , Bernardus Marinus , Raimus de Sancto Georgio , Bertrandus de Novis , Berengarius Roveria , Petrus Durantus , Guillielmus Roardus , Bernardus de Aqueria , Stephanus de Roveria , Ugo de Sancto Mauricio , Bertrandus Rainaudus Javenis , Stephanus de Molegerio , Petrus Bonus , Guillielmus de Cabannis , Guillielmus Gaufridus A *Lombardus , Berengarius Darderius , Bertrandus Bonoanno , Guillielmus Ricardus de Furcis , Guillielmus Bricius , Petrus Ralonus , Bernardus de Rocamaura , Johannes Cauſſamira , Guillielmus Raimundus de Boſco , Poncius Anſoin , Poncius Arnaudus Fripolus , Petrus Rainaudus , Raimundus Bonusfilius , Bernardus Retollas , Ugo Mataronus , Jacobus Regangnola , Johannes de Sancto Floro , Petrus Scuderius , Raimundus Dalmacius , Riccardus Feminus , Johannes Vaſſalli , Petrus Martinus , Guillielmus Michaël , Ademarius , Petrus Paſcab , Petrus Ramat , Johannes de Aratris , Guillielmus Poncius , Petrus Stephanus , Guillielmus Gueraudus , Petrus de Sancto Egidio ,* B *Poncius Durantus Bonagenor, Guillielmus Ganterius , Bertrandus Scurol , Raimundus Bartolomeus , Roſtagnus Scurol , Durantus Almeranus , Petrus Gabardus , Tropinus Guillielmus , Petrus Bertrandus , Iſoardus Bertrandus Claperius , Petrus Girardus , Bernardus Soprancerius , Gaufridus Arlatani , Ugo Rapina , Ugo de Aiaga , Petrus Raſiriæ , Guillielmus Mercaderius , Guillielmus Piſtor , Petrus de Eccleſia , Guillielmus Deodatus, Guillielmus Petrus , Bertrandus Doblenga , Poncius Ferreolus , Guiraudus Gros , Guillielmus Friſſonus , Poncius Lambertus , Petrus Pelliparius , Guilliemus Caralanus , Guillielmus Paulus , & Arnolfus Pelliparius , prædictam pacem & omnia , quæ* C *in ea continentur , univerſa & ſingula promittimus rata & firma tenere , habere , facere , & ſervare uſque ad tempus prætaxatum , & tactis ſacris Euangeliis juramus . Et ego Alann cius mandato Populi tam Civitatis , quàm Burgi Arelatenſis in publico Parlamento , in animas totius Populi prædicti & meam , præſcriptam Pacem & omnia , quæ in ea continentur , univerſa & ſingula promitto rata & firma tenere , habere , facere , & ſervare uſque ad tempus viginti quinque annorum continue computandorum, & tactis ſacris Euangeliis juro .*

Actum fuit hoc Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Ducenteſimo Vigeſimo Primo , menſe Madii , in Civitate Arelatenſi .

D ✠ *Ego Guillelmus de Gravezons , publicus Arelatenſis Notarius, mandato prenominati Poteſtatis Arelatenſis, & Communium prædictorum juratorum hanc Cartam ſcripſi , & ſigno meo ſignavi , & ſigillo Communis Arelatenſis plumbeo ſigillavi .*

Pari modo exerere poſſum fœdus longe antea initum inter eoſdem *Piſanos* & *Cornietanos*, qui tunc ſui juris fuiſſe noſcuntur .

Pacta fœderis inter Piſanos & Cornietanos, Anno 1174.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Nos Piſanorum Conſules juramus ad ſancta Dei Evangelia vobis Cornietanorum Conſulibus & Cornietanis omnibus, firmam pacem tenere, nec vobis, nec veſtri diſtrictus hominibus offendemus, nec offendere faciemus neque conſentiemus in perſonis vel havere, ſanis vel naufragis, in terra vel aqua. Et ſi aliqua perſona Cornietanis offendere voluerint, ſi potuerimus, ſine fraude remanere faciemus, ut offenſionem poſſint evitare, & in renuntiatione fraudem non committemus. Et ſi offenſio aliqua a Piſanis in Cornietanos facta fuerit, infra quadraginta dies ex quo ab eorum Conſulibus vel eorum certis literis Communi eorum ſigillatis fuerimus inquiſiti, rationem inde fieri faciemus ſecundùm rationem noſtræ Civitatis. Decretum non faciemus nec conſtrictum alicui homini, Cornietum ire volenti, excepto de vena ferri. Et nullam aliam dationem vel diricturam eis tollemus, niſi que modò tolli ſolita eſt. Et ſi noſtre Galee vel homines noſtri, invenerint navigia Cornietanorum Januam euntia, & eos jurare fecerint, Piſas cum carico venire, & Januam iverint ſine impedimento, liceat nobis Piſanis facere vindictam de eorum havere ad noſtram voluntatem, & propterea pax non rumpatur. Et a tribus annis retro faciemus rationem Cornietanis de dampnis datis a Piſanis in Cornietanos. Et ſi reclamatio facta fuerit a Conſulibus Cornietanis pro Communi contra Conſules Piſanos, pro Communi nullam exceptionem vel defenſionem objiciemus, quo tempore Guerre illud damnum datum ſit. Si verò reclamatio facta fuerit a privata perſona contra privatam, omni exceptione, qua poteſt, utatur. Hec pax ſit duratura ab hodie uſque in decem annos. Et faciemus jurare omnes Socios noſtros, prefata omnia firma tenere & obſervare. Et in brevi ſequentium Conſulum, vel Rectoris, aut Dominatoris, vel Poteſtatis mittere faciemus prefata omnia uſque ad predictum terminum, firma tenere & obſervare. Et unum hominem ad vocem in communi Parlamento ſuper animam Populi jurare faciemus, predicta omnia firma tenere & obſervare. Salva fidelitate Domini Imperatoris. Hoc intellectu, ut ſi aliqua perſona voluerit offendere aliquem Cornietanum in perſo- A *na vel havere in fortia noſtra vel diſtrictu, & hoc perſenſerimus, vel cognoverimus, bona fide ſtudebimus impedire, & ſine fraude cognitum ei faciemus, ut exeat & libere poſſit exire de fortia noſtra cum perſona & havere. Et ſi ſupravenerit, quod eum capere velit in perſona vel havere, eum defendemus in perſona & havere, donec extra fortiam noſtram ſine impedimento fuerit, & propterea pax non rumpatur. Addimus, ut huic ſacramento communi concordia addi poſſit & minui. Et faciemus jurare omnes Socios noſtros prædicta omnia firma tenere infra octo dies, ex quo a Miſſo Cornietanorum Conſulum inde fuerimus inquiſiti, & unum hominem ad vocem ſuper animam Populi in communi Par-* B *lamento infra eumdem terminum jurare faciemus. Si una pars alteri evicerit, compenſabitur in eo quod alteri evictum fuerit, quoad concurrant ſumme. Et quod plus fuerit, aut reſtituetur de Communi, aut concedemus recolligere denarios quatuor per modum Cornietanum, & quod ſuper ordinem morabitur, jurabit quod illud, quod ſtatutum eſt, recolligere & non plus: & poſtquam ordo fuerit completus, amplius de eo ordine non recolliget. Juraverunt Conſules Piſani, Henrigus Frederigi, Giraldus, Gerardus Curtisveteris, Rubertus Vernagallus, Piſis in Eccleſia Sancti Petri in Palude. In preſentia Ildebrandi de Conſtantino, & Sanctuli, & Uguccionis de Raſca, & Marzucchi* C *Gajetani, & Pannis, & Porri, & aliorum multorum, Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Centeſimo Septuageſimo Quarto, ipſo die Kalendas Septembris, Indictione Sexta. Poſtea Guittonus Vicecomes, & Gajetanus filius Burgundii, Piſanorum Conſules ſimiliter juraverunt, predicta omnia firma tenere & obſervare. Deinde unus homo ſuper animam Populi dantis ei parabolam in publico Parlamento juravit ad ſancta Dei Evangelia, ipſum Populum omnia ſuprascripta firma tenere & obſervare.*

Quibus verò pactis ſocietetem inierint Anno MCCLVII. *Veneti* ac *Piſani*, quum Populo utrique bellum adversùs *Genuenſes* eſſet (de D quo legendi Genuenſium Annales ad Annum MCCLVIII. Tomo VI. Rer. Italicarum) quæ ſequuntur Acta, ediſſerent.

Societas

Societas inita Mutinæ inter Commune Venetiarum & Commune Piſarum contra Genuenſes, confirmata deinde Venetiis, Anno 1257.

„ IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.
„ Amen. Pateat omnibus evidenter, quod
„ *Dominus Rainerius Zeno*, altiſſimus Dei
„ gratiâ *Venetiarum Dux*, preſentiâ, conſilio,
„ conſenſu, & auctoritate Conſilii Minoris &
„ Majoris Venetiarum, & ipſum idem Conſi-
„ lium ſuo nomine & vice & nomine Commu-
„ nis Venetiarum, & omnium hominum de
„ Venetiis, & qui pro Venetiis & nomine Ve-
„ netorum ſe diſtringunt & defendunt per di-
„ verſas Mundi partes ad requiſitionem nobi-
„ lium virorum Rainerii Gualterotti, Johannis
„ Gadubbi Judicis, & Guidonis Panciæ quon-
„ dam Petri Porcelli, Sindicorum & Procura-
„ torum & Ambaxiatorum Communis Piſani,
„ prout conſtat per Cartam ſcriptam a Panto-
„ nerio Notario Scriba publico Cancellariæ Pi-
„ ſanæ Civitatis, ſub Annis Domini Milleſimo
„ Ducenteſimo Quinquageſimo Octavo, Idus
„ Auguſti, ſecundùm curſum Piſanorum, &
„ a nobis infraſcriptis Valgamento & Bo-
„ naccurſo Notariis viſum & lectum, confir-
„ maverunt & ratificaverunt ſocietatem, com-
„ pagniam, & amicitiam nuper factam inter
„ prefatum Dominum Ducem & Commune
„ Venetorum ex parte una, & *Dominum Ric-
„ ciardum de Villa Poteſtatem*, & Commune
„ Piſarum ex altera, per Ambaxatores utriuſ
„ que Communis, poteſtatem habentes ad hoc
„ ab ipſis Communibus, & omnia & ſingula
„ comprehenſa in ipſa ſocietate, ſecundùm
„ quod continetur & legitur in Inſtrumentis
„ ipſius ſocietatis, cujus ſocietatis tenor per
„ omnia talis eſt.

„ In nomine Jeſu Chriſti. Anno ejuſdem ab
„ Incarnatione Milleſimo Ducenteſimo Quin-
„ quageſimo Septimo, Indictione Quintadeci-
„ ma, ſecundùm Curſum Venetorum, die
„ Mercurii XIV. exeunte Julio. Ideo in pre-
„ ſentia infraſcriptorum teſtium ad hoc ſpecia-
„ liter vocatorum & rogatorum, videlicet Do-
„ mini Guarnerii Judicis de Caſio, Johannis
„ ejus nepotis, Acardini Triviſciani, Mureti
„ Paduani, Blanci quondam Alberti de Piſa,
„ Venturelli Corſi ejuſdem loci quondam Ghe-
„ rardi, Jacobi Dicci Puccii ejuſdem loci filii
„ Vitalis. In nomine Patris & Filii & Spiritus
„ Sancti. Amen. Ad honorem Dei, & glo-
„ rioſæ Virginis Mariæ matris ejus, & Sancti
„ Marci Evangeliſtæ, & Sanctorum Apoſtolo-
„ rum Petri & Pauli & omnium Sanctorum &
„ Sanctarum Dei, & ad honorem & exalta-
„ mentum Illuſtris Ducis Venetorum & Comu-
„ nis Venetiarum, & Poteſtatis & Capitanei
„ & Anthianorum & Comunis Piſanorum &
„ omnium illorum, qui pro Venetis & Piſanis
„ ſe diſtringunt, & defendunt, & nomine Ve-
„ netorum & Piſanorum cenſentur. Nos Jo-
„ hannes Ferro, & Petrus Barroccius Nuntii,
„ Ambaxiatores, Syndici, & Procur. excel-
„ lentis viri Domini Raineri Zeni, Dei gratiâ
„ Ducis Venetiarum, & Comunis Venetiarum,
„ conſtituti ab eo conſenſu & voluntate & ver
„ bo Conſilii Minoris & Majoris Venetiarum
„ ad infraſcripta omnia facienda, ſicut de ſin-
„ dicatu & procuratione apparet per publicum
„ Inſtrumentum factum manu Vaglameni No-
„ tarii, & Ducalis Aulæ Venetiarum Cancel-
„ larii, ſub Annis Domini ab Incarnatione
„ MCCLVII. Indictione XV. die IV. exeunte
„ menſe Junii, ſecundùm curſum Venetorum,
„ vice & nomine ipſius Domini Ducis, Con-
„ ſilii & Comunis Venetiarum, ſindicatorio &
„ procuratorio nomine ex una parte: & nos
„ Gualterottus Zampantis, & Bonannus de
„ Templo Ambaxiatores Sindici Procuratores,
„ & certi Nuntii Domini Ricciardi de Villa,
„ Piſanorum Dei gratia Poteſtatis & Comunis
„ Piſarum ordinati ab eis conſilio & conſenſu
„ Antianorum Piſani Populi & Senatorum &
„ Conſiliariorum Piſanæ Civitatis, & ipſius
„ Comunis & Civitatis Piſarum, ad infraſcri-
„ pta omnia facienda, ſicut de ſindicatu &
„ procuratione apparet per publicum Inſtru-
„ mentum rogatum & firmatum per Leonar-
„ dum Notarium Imperialis Aulæ quondam
„ Albertini Cancellarii Comunis Piſarum Scri-
„ bam publicum, ſub Annis Domini ab Incar-
„ natione MCCLVIII. Indictione XV. Quarto
„ Idus Julii, ſecundùm curſum Piſanorum, ſin-
„ dicatorio & procuratorio nomine pro ipſa
„ Poteſtate & Comuni Piſarum ex alia parte,
„ facimus & firmamus ad invicem pro ſupradi-
„ ctis Comunibus & omnibus hominibus dicto-
„ rum Comunium, & qui pro dictis Comuni-
„ bus & unoquoque eorum ſe defendunt, ſicut
„ dictum eſt, ſocietatem & compagniam con-
„ tra Januenſes, & qui pro Januenſibus ſe te-
„ nent & defendunt, duraturam hinc ad de-
„ cem annos proxime venturos, & tantum
„ plus, quantum utrique Comuni placuerit ſu-
„ per infraſcriptis omnibus videlicet, quod de
„ cetero per totum ſupradictum terminum,
„ ſicut dictum eſt, Veneti & Piſani, & om-
„ nes homines, qui pro Venetis & Piſanis ſe
„ diſtringunt & defendunt in quibuslibet par-
„ tibus & locis marinis tam in terra, quàm in
„ mari, in quibus ſe invenerint, teneantur,
„ & debeant ſeſe ad invicem facere, manute-
„ nere, & adjuvare contra Januenſes predi-
„ ctos, & qui pro Januenſibus ſe defendunt,
„ quotiens expedierit, ſive Januenſes offende-
„ rent Venetos vel Piſanos, ſive Veneti vel
„ Piſani offenderent Januenſes, & ſive Januen-
„ ſes inciperent, ſive inciperent Veneti vel Pi-
„ ſani, ſive ad requiſitionem alterutrius par-
„ tis, videlicet ipſorum Venetorum & Piſano-
„ rum, eſſe unum ubicumque fuerint, & ſe
„ invenerint tam in terra, quàm in mari in
„ predictis partibus marinis contra dictos Ja-
„ nuenſes, & non eſſe in conſilio vel facto aut
„ aſſenſu, quod jura & honores ipſorum Co-
„ munium, vel alicujus eorum, quæ nunc ha-
„ bent, & in antea in quibuſcumque partibus
„ habuerint, minuantur vel lædantur in ali-
„ quo, & eſſe in conſilio & aſſenſu quod am-
„ plientur & ſerventur & defendantur.

„ Et quod unumquodque Comune recipiat
„ alte-

,, alterum Comune & homines ſuos in terris
,, & fortiis ad guerram faciendam Januenſibus
,, & eos ſalvos faciat in perſonis & rebus. Et
,, quod ipſi Veneti non dabunt, nec dare per-
,, mittent per ſuos favorem, nec auxilium ipſis
,, Januenſibus modo aliquo vel ingenio contra
,, homines Piſarum, & qui pro Piſanis ſe de-
,, fendunt; & e converſo Piſani non dabunt,
,, nec dari permittent per ſuos favorem, nec
,, auxilium ipſis Januenſibus modo aliquo vel
,, ingenio contra homines Venetiarum, & qui
,, pro Venetis ſe defendunt. Et quod per Re-
,, ctores Comunis Piſarum, quotiens mutabun-
,, tur, infra prædictum terminum debeant præ-
,, dicta & infraſcripta ſacramenta firmari. Et
,, Rectores hominum Venetorum in Accon &
,, alibi conſtituti, excepto in Conſtantinopoli,
,, in principio eorum regiminum hec jurare
,, debeant attendere & obſervare; & Burgen-
,, ſes omnes utriuſque Comunis, qui ſe defen-
,, dunt & diſtringunt per utrumque Comune,
,, hec ſacramenta in capite quorumlibet duo-
,, rum annorum debeant renovare. Item quod
,, Societas, quæ facta eſt inter Piſanos & Ja-
,, nuenſes ultra mare penitus deſtruatur. Item
,, quod per Dominum Ducem & Comune
,, Venetiarum predicta omnia ſignificentur &
,, mittantur ſuis Rectoribus ubique Terrarum;
,, & e converſo per Poteſtatem & Comune
,, Piſarum predicta omnia mittantur & ſigni-
,, ficentur ſuis Rectoribus ubique Terrarum.
,, Et de hoc de miſſione & ſignificatione fiat
,, quàm citius fieri poſſit ab utraque parte.
,, Item quod Comune & homines Venetiarum,
,, qui pro ſe diſtringunt & defendunt per di-
,, verſas partes Mundi non debeant offenſionem
,, facere modo aliquo Comuni, vel hominibus
,, Piſanorum, nec illis qui pro Piſanis ſe de-
,, fendunt & diſtringunt per diverſas partes
,, Mundi, nec cum aliis confederationem, vel
,, ſocietatem aliquam facere modo aliquo con-
,, tra Comune & homines Piſanorum, vel
,, ipſos Piſanos. Et quod non debeant dare
,, nec dari permittent per ſuos modo aliquo
,, favorem vel auxilium aliquod contra ipſum
,, Comune, & homines Piſanorum vel ipſos
,, Piſanos, & qui pro Piſanis ſe defendunt,
,, durante ſocietate predicta. Et e converſo
,, Comune & homines Piſarum, & qui pro
,, Piſanis ſe defendunt & diſtringunt per diver-
,, ſas partes Mundi non debeant offenſionem
,, facere modo aliquo Comuni, nec hominibus
,, Venetorum, nec illis qui pro Venetis ſe di-
,, ſtringunt & defendunt per diverſas partes
,, Mundi, nec cum aliis confederationem, vel
,, ſocietatem aliquam facere modo aliquo con-
,, tra Comune & homines Venetiarum, vel
,, Venetos ipſos: & quod non dabunt, nec
,, dari permittent per ſuos aliquo modo aliquem
,, favorem vel auxilium aliquod contra ipſum
,, Comune & homines Venetiarum vel Vene-
,, tos ipſos, & qui pro Venetis ſe defendunt,
,, durante ſocietate predicta. Item quod Ve-
,, xilla utriuſque Comunis quelibet navis, &
,, quodlibet lignum hominum, & perſonarum
,, utriuſque Comunis portet & deferat per ma-
,, re infra predictum terminum. Et quod Pre-
,, cones ſeu Plazarii, ſive Nuncii Rectorum
,, utriuſque Comunis per ultra marinas par-
,, tes conſtitutorum, portent & deferant Ba-
,, culos in manu cum lignis utriuſque Comu-
,, nis.

,, Hec omnia ſicut dicta ſunt, nos prefati
,, Ambaxiatores, Sindici, & Procuratores Do-
A ,, mini Ducis & Comunis Venetorum ſindica-
,, rio & procuratorio nomine pro ipſo Domino
,, Duce & Comuni Venetiarum, & eorum vi-
,, ce & nomine convenimus & promittimus
,, per ſolemnem ſtipulationem vobis prefatis
,, Ambaxiatoribus, Sindicis & Procuratoribus
,, Poteſtatis & Comunis Piſarum recipientibus
,, ſindicatorio & procuratorio nomine pro ipſa
,, Poteſtate & Comuni Piſarum, ſic facere &
,, attendere & obſervare per totum ſupraſcri-
,, ptum tempus, & tantum plus quantum utri-
,, que Comuni placuerit, & fieri & attendi &
,, obſervari ac compleri facere a Domino Du-
,, ce & Comuni Venetorum, & ab omnibus
,, Venetis, & qui pro Venetis ſe diſtringunt
B ,, & defendunt in quibuslibet partibus & locis
,, marinis tam in terra, quàm in mari, ſicut
,, dictum eſt. Et inſuper in animas ejuſdem
,, Domini Ducis & illorum de Conſilio, & to-
,, tius Comunis Venetiarum, habentes gene-
,, rale mandatum, ut in Inſtrumento Sindica-
,, tus & procurationis noſtræ continetur, ad
,, ſancta Dei Evangelia juramus, & etiam
,, predicta omnia confirmari & ratificari facere
,, Inſtrumento publico interveniente per Domi-
,, num Ducem, & per illos de Conſilio Mino-
,, ri & Majori Venetorum, ad requiſitionem
,, Poteſtatis & Comunis Piſarum, vel alicujus
,, Sindici ſeu Procuratoris ipſius Poteſtatis &
,, Comunis Piſarum, obligando nos pro Do-
C ,, mino Duce & pro Comuni Venetiarum, &
,, ipſum Comune, & bona ipſius Comunis. Et
,, eodem modo per omnia nos prefati Amba-
,, xiatores & Sindici & Procuratores Poteſtatis
,, & Comunis Piſarum ſindicatorio & procura-
,, torio nomine, pro ipſo Poteſtate & Comuni
,, Piſano, & eorum vice & nomine conveni-
,, mus & promittimus vobis præfatis Ambaxia-
,, toribus, Sindicis & Procuratoribus Domini
,, Ducis & Comunis Venetiarum recipientibus
,, ſindicatorio & procuratorio nomine pro ipſo
,, Domino Duce & Comuni Venetiarum, pre-
,, dicta omnia, ut ſuperius dicta ſunt, ſic fa-
,, cere & attendere & obſervare per totum ſu-
,, praſcriptum tempus, & tantum plus quan-
D ,, tum utrique Comuni placuerit, & fieri &
,, attendi & obſervari & compleri facere a Po-
,, teſtate & Comuni Piſano, & ab omnibus
,, Piſanis, & qui pro Piſanis ſe defendunt &
,, diſtringunt, & in quibuslibet partibus &
,, locis marinis tam in terra, quàm in mari,
,, ſicut dictum eſt. Et inſuper in animas ejuſ-
,, dem Poteſtatis & predictorum Antianorum
,, Piſani Populi, & illorum de Conſilio, & to-
,, tius Comunis Piſarum, habentes generale
,, mandatum, ut in Inſtrumento Sindicatus &
,, procurationis noſtre continetur, ad ſancta
,, Dei Evangelia juramus, & etiam predicta
,, omnia confirmari & ratificari facere, Inſtru-
,, mento publico interveniente, per Poteſtatem
E ,, & Antianos, & illos de Conſilio Minori &
,, Majori Civitatis Piſanæ, vice & nomine to-
,, tius Comunis Piſani & omnium Piſanorum
,, ad requiſitionem Domini Ducis, & Comunis
,, Venetiarum, vel alicujus Sindici ſeu Procu-
,, ratoris ipſius Domini Ducis, & Comunis
,, Venetorum, obligando nos pro predicto Po-
,, teſtate & pro Comuni Piſarum, & ipſum
,, Comune & bona ipſius Comunis. Renun-
,, tiante utraque parte omni juri & actioni,
,, quibus poſſint ſe tueri a predictis, vel ali-
,, quibus predictorum.

,, Actum eſt in hoc Burgo Porte Saliſeti de
,, Mutina, in domo Abdemondi Albergatoris,
,, prope

„ prope Eccleſiam Sanctæ Crucis , ſecundùm
„ curſum Piſanorum currente Milleſimo Du-
„ centeſimo Quinquageſimo Octavo , Indictio-
„ ne XV. ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu
„ Chriſti , die Mercurii , XV. Kalendas Au
„ guſti . Et de hoc, voluntate partium, poſ
„ ſint plura Inſtrumenta fieri ejuſdem tenoris ,
„ per me Matteum Salvii Notarium de Piſa ,
„ & per Melliorinum Notarium de Arpo ,
„ & dari cuique parti ad voluntatem par-
„ tium .

„ Et inſuper præfatus Dominus Dux præ-
„ ſentia , conſilio , & conſenſu , & auctoritate
„ ſupraſcripti Conſilii Minoris & Majoris Ve-
„ netiarum , & ipſum idem Conſilium ſuo no-
„ mine , & nomine & vice Comunis Venetia-
„ rum, & omnium illorum , qui ſe pro Vene-
„ tis & nomine Venetorum diſtringunt & de-
„ fendunt per diverſas Mundi partes , prefatis
„ Rainerio , Johanni , & Guidoni Ambaxia-
„ toribus & Procuratoribus Comunis Piſarum,
„ & omnium illorum , qui ſe pro Piſanis &
„ nomine Piſanorum diſtringunt & defendunt
„ per diverſas Mundi partes, per ſtipulationem
„ convenerunt , & promiſerunt ; & Nicolaus
„ Notarius Ducatus Venetiarum in animas
„ præfati Domini Ducis & Conſilii Minoris &
„ Majoris , & totius Comunis Venetiarum ,
„ datâ ſibi parabolâ & licentiâ ab ipſo Domino
„ Duce & Conſilio coram nobis Vaglamento
„ Notario Cancellario Ducalis Aulæ Venetia-
„ rum , & Bonaccurſo de Bunto Notario , &
„ teſtibus infraſcriptis , ad ſancta Dei Evan-
„ gelia juravit , predictam Societatem , Com-
„ pagniam , & Amicitiam , & omnia & ſin-
„ gula comprehenſa in ea, ut ſuperius denota-
„ tur, facere, attendere & obſervare, & atten-
„ di & obſervari facere ab omnibus Venetis ,
„ & qui pro Venetis & nomine Venetorum ſe
„ defendunt & diſtringunt per diverſas Mundi
„ partes , obligando ſe pro Comuni Venetia-
„ rum , & ipſum Comune & bona ipſius Co-
„ munis eiſdem Ambaxiatoribus , & Sindicis
„ Comunis Piſarum recipientibus , ut dictum
„ eſt . Ad cujus rei robur , memoriam , &
„ majorem firmitatem , præfatus Dominus , &
„ præfatum Conſilium fecerunt , Sigillum Co-
„ munis Venetiarum præſenti Inſtrumento ap-
„ poni .

„ Acta ſunt hæc Venetiis in Palatio Duca-
„ tus , in præſentia Nobilium Virorum Petri
„ Gradonici , Johannis Quirini , Johannis de
„ Canali , Marci Cornarii , & Conradi , &
„ & Johannis de Varago Notariorum ejuſdem
„ Ducatus , teſtium rogatorum , Anno ab In-
„ carnatione Domini Milleſimo Ducenteſimo
„ Quinquageſimo Septimo , Indictione XV.
„ tertio decimo exeunte Auguſto , ſecundùm
„ curſum Venetorum , & ſecundùm curſum
„ Piſanorum , Anno ab Incarnatione Domini
„ MCCLVIII. Indictione XV. Quarto decimo
„ Kalendas Septembris .

„ Ego Bonaccurſus de Bunti , Domini Fri-
„ derici , Dei gratia excellentiſſimi Romano-
„ rum Imperatoris , Hieruſalem & Siciliæ Re-
„ gis Notarius atque Judex ordinarius præfatis
„ interfui , & rogatus hanc Cartam ad verita-
„ tis evidentiam ſcripſi atque firmavi .

Nos quidem, neque immerito , delectant ac erudiunt in politicis negotiis Paces & Fœdera poſtremis hiſce temporibus confecta , e quibus integros Tomos jam videmus conflatos . Quæ verò olim peracta fuere, rara ſunt, quamquam & ipſa ad eruditionem ac Hiſtoriam plurimùm ſpectent , & mores veterum nobis depingant. Propterea nemo neget, quin plurimi ipſa etiam antiqua documenta facienda ſint ; mihique non veniam dumtaxat , ſed & gratiam Lectorum polliceor, ſi alia id genus monumenta in hunc locum congeram , quæ ad Hiſtoriam ſingularium Civitatum utilia aliquando erunt ; ſunt enim quibus edacitas temporum omnem jamdiu ſuorum monumentorum ſuppellectilem eripuit. Et primo emergat Fœdus percuſſum Anno MCCLXXVIII. *in caſtris circa Colloniam in domo, in qua morabatur Dominus Martinus Vallarexius Poteſtas Paduæ , præſentibus Nobili Viro Domino Obizone Marchione Eſtenſi , Dominis Cleregatio de Monteſilice &c.* Ibi Civitates *Patavii* , *Cremonæ* , *Brixiæ* , *Parmæ*, *Mutinæ* , & *Ferrariæ*, & Nobilis vir *Gerardus de Camino* , ſocietatem contraxere *ad dampnum, deſtructionem , & mortem perpetuam & finalem Veronenſium intrinſecorum , & ſuorum amicorum , ſalvis pactis factis & initis inter Dominum Ducem , & Commune Venetiarum* ex una parte , & *Dominum Marchionem Eſtenſem , & Commune Ferrariæ* ex altera . Hujuſce Fœderis documentum ex MSto Regeſto Reipublicæ Mutinenſis deſcriptum accipe .

Inſtrumentum Societatis & Ligæ factæ inter Civitates Patavii, Mutinæ, Cremonæ, Brixiæ &c. contra Veronenſes, Anno 1278.

IN *nomine Domini Dei eterni. Anno ejuſdem Milleſimo Ducenteſimo Septuageſimo Octavo, Indictione VI. die Lune III. exeunte Novembri, in Caſtris circa Colloniam, in domo, in qua merabatur* Dominus Martinus Vallarexius Poteſtas Padue, *preſenti* Nobili Viro Domino Obizone Marchione Eſtenſi, *Dominis Cleregatio de Montcſilice, Johannes de Peſcarellis, Rafaelle Judex de Roncho de Civitate Cremonæ, Fulchone Judice Doctore Legum, Gerardo Judice de Vitaliano Doctore Legum, Bonzanello de Vicentia, & Honore de Vigoargeris, & aliis teſtibus rogatis & ſpecialiter convocatis. In nomine Domini. Amen. Ad honorem Dei omnipotentis, & beate Virginis Marie, & Sanctorum Proſdocimi & Anthonii & beate Juſtine Virginis, & omnium aliorum Sanctorum & Sanctarum Dei: & ad reverentiam & exaltacionem ſacroſancte* Romane Eccleſie, *& bonum ſtatum* Civitatum Padue, Cremone, Brixie, Parme, Mutine, Ferrarie, *& omnium amicorum ſuorum. Et ad dampnum, deſtructionem, & mortem perpetuam & finalem Veronenſium intrinſicorum & ſuorum amicorum. Domini Petrus Confallonerius, & Gaitaninus de Gaitanis de Brixia, Ambaxatores & Sindici* Communis & hominum Brixie, *ut continetur in Inſtrumento facto per Bertellum Gardinalem Notarium de Brixia: Dominus Chabrinus de Quaquis de Cremona, Sindicus & Ambaxator* Communis & hominum Cremone, *ut continetur in Inſtrumento facto per Franciſcum de Bracis Notarium de Cremona: Domini Bonacurſius de Monticulo, & Guillielmus de Scrvideis de Parma, Ambaxatores & Sindici* Communis & hominum Parme, *ut continetur in Inſtrumento facto per Marcum Cantellum de Parma: & Domini Guillielmus de Guierb . . . . . . & Franciſcus de Balugol i de Mutina, Ambaxatores & Sindici* Communis & hominum Mutine, *ut continetur in Inſtrumento facto per Simonem de Teſtacalvaria Notarium de Mutina: & Dominus Beldemandus Notarius Henrigeti de Padua Sindicus* Communis & hominum Padue, *ut continetur in Inſtrumento facto per Jacobum Notarium Magiſtri Thomaxii: & Domini Maynardus de Maynardis, & Jacobus de Conſtabilis de Ferraria, Syndici* Communis & hominum Ferrarie, *ut continetur in Inſtrumento facto per Oſlobonum Notarium de Cazis, a me Notario viſis & lectis. Omnes predicti Sindici ſindicario nomine pro ſuis Communibus & Univerſitatibus; & vir nobilis* Dominus Gerardus de Camino *pro ſe & nomine ſuo, inter ſe & ad invicem fecerunt & contraxerunt ſocietatem, unionem, Ligam, & fraternitatem perpetuam, & perpetuo duraturam inter predicta Communia & Univerſitates & ſupraſcriptum Dominum Gerardum de Camino, ad exaltacionem & bonum ſtatum omnium predictorum Communium & Civitatum, & predicti Domini Girardi, & omnium ſuorum amicorum, & ad dampnum, deſtructionem, & mortem perpetuam & finalem Veronenſium intrinſecorum. Salvis pactis factis & initis inter* Dominum Ducem *&* Com-

A mune Venetiarum *ex una parte*, & Dominum Marchionem Eſtenſem & Commune Ferrarie *ex altera: ita quod aliquod predictorum Communium & Univerſitatum, vel ipſe Dominus Gerardus non poſſit nec debeat facere pacem vel treguam cum predictis Veronenſibus intrinſecis ſine voluntate & requiſitione & conſenſu omnium aliorum Communium & predicti Domini Girardi. Hoc ſalvo, quod Commune & Homines Padue facere poſſint pacem & concordiam cum predictis Veronenſibus intrinſecis, dum tamen predicti Veronenſes per illam pacem & concordiam remaneant amici hominum & Communium Civitatum Cremone, Brixie; Parme, Mutine, Ferrarie, & predicti Domini Gerardi.* B *Item quod quandocumque dicti Veronenſes intrinſeci equitarent & irent cum exercitu vel cavalcata, cauſâ faciendi moram contra Brixienſes, vel contra aliquam predictarum aliarum Civitatum, Commune & homines Padue; & ipſe Dominus Gerardus teneantur & debeant equitare & exercitum facere contra ipſos Veronenſes, ſi ipſi Veronenſes equitarent cum exercitu contra predictos Brixienſes; vel contra aliquam aliarum Civitatum predictarum. Et e converſo ſi predicti Veronenſes equitarent cum exercitu vel cavalcata, cauſa faciendi moram contra Paduanos, Vicentinos, Tridentinos, vel contra ipſum Dominum Gerardum, predicta Communia & Univerſitates teneantur & debeant* C *equitare cum exercitu contra ipſos Veronenſes intrinſecos hoc modo, quod Commune & homines Padue & ipſe Dominus Gerardus non teneatur equitare nec ire in exercitu contra dictos Veronenſes, niſi ex partibus Civitatum Padue, Vicentie, & Tridenti, & a Civitate Tridenti citra uſque Aticem, & non ultra Aticem, niſi placuerit Communi Padue. Et e converſo predicte Civitates Lombardie non teneantur equitare nec ire in exercitum contra dictos Veronenſes, niſi ex partibus Brixie verſus Veronam & ejus diſtrictum, niſi eis placuerit. Item quod ſingulis annis fiat colloquium de menſe Marzii per predictas Civitates & ipſum Dominum Gerardum, ibi, ubi melius fieri poterit ad damp-* D *num & detrimentum predictorum Veronenſium intrinſecorum, & Civitatis Verone. Que omnia & ſingula ſupradicta dicti Sindici ſindicario nomine pro ſuis Civitatibus & Communibus, & ipſe Dominus Gerardus inter ſe ad invicem, & unus alii, & omnes & ſinguli ad invicem ſolempni ſtipulatione promiſit & promiſerunt, ac etiam corporaliter juraverunt attendere & inviolabiliter obſervare ſub pena & in pena mille Marcharum argenti, & ſub obligatione bonorum dictorum Communium pro ſingulis ſupradictis Communibus & Univerſitatibus, & pro ipſo Domino Girardo. Que tociens committatur & exigatur & peti & exigi poſſit, quo-* E *tiens in aliquo ſupraſcripto Capitulo fuerit contrafactum ſeu ventum per aliquod dictorum Communium. Qua ſoluta vel non ſoluta, commiſſa vel non commiſſa, omnia & ſingula ſupradicta cum obligatione dicte pene & bonorum in ſua permaneant firmitate.*

Ego

Ego Bonifacinus Notarius filius Pericii, qui fuit de Curtarodulo, exiſtens in Officio Sigilli pro Communi Padue in ſecundis quatuor menſibus Poteſtatis Domini Marini Valarexii Padue Poteſtatis, interfui, & rogatus hoc ſcripſi.

Gemina alia publicorum ejuſmodi Actuum exempla hiſce adtexere juvat, unum nempe Concordiæ, quam Anno MCCXVIII. Mutinenſes cum Mantuanis renovarunt, alterum verò Fœderis, quod Anno MCCXXV. iidem Mutinenſes cum Piſtorienſibus inierunt, ex ſæpe laudato Regeſto Mutinenſis Communis excerpta.

Concordia inter Mutinenſes, & Mantuanos, Anno 1218.

IN Chriſti nomine. A Nativitate ejuſdem MCCXVIII. in Civitate Mantue, ſuper quodam Palatio poſito prope Plateam Sancti Andree, in pleno Conſilio, ad ſonum campane, univerſum Conſilium Mantue Civitatis, in quo Palatio fiebant Conſilia tempore Domini Bonifacii Mantue Poteſtatis, a poſtulatione Domini Alberti de Panzano, Domini Bernardini de Pio, Domini Conradi de Muntrio, & Domini Leonardi de Bochabadati, Mutine Ambaxiatorum, fecit in breve ſequimenti Mantue Civitatis, priuſquam faceret ſequimentum, ſcribi & legi in eodem Conſilio quoddam Capitulum renovandi ſacramenta Societatis facte inter Mutinenſes & Mantuanos, cujus tenor talis eſt. Et Societatem & Compagniam factam inter Univerſitatem Mutinenſis Civitatis, & ſui Epiſcopatus, & ejus diſtrictus, & Univerſitatem Mantuanæ Civitatis, ſuique tocius diſtrictus, ut apparet in Inſtrumentum per manum Arardi Notarii, renovato ſacramento Societatis predicte, uſque ad terminos predictos, attendam bona fide ſine fraude per omnia, & in omnibus obſervabo. *Super quo breve juraverunt attendere & obſervare predictam Compagniam omnes, qui erant in Conſilio ſupradicto, ut legitur, & apparet in eodem preſcripto Capitulo: videlicet Dominus Bonifacius de Sancto Martino, Ugo Domini Guizardi, Jacobus de Robabella, Octobonus de Stancialibus, Arlandinus de Azelino, Amadeus de Azeſio, Dominus Ugo de Buza, Gabriel Advocatus, Petrus Stancavinus, Guelfus de Piczi, Dondedeus Cramenſis, Guido de Ripa, Rodulfus Domini Alberti Infantis, Baldeſar de Robato Caput Paraticorum, Conradus de Capono, Pratezanus Guardilinus, Lanfrancus Cremenſis, Nicolaus de Azeſio, Gilius de Bavaboſus, de Pultronis, Bonaconſa de Ripa, Lombardinus de Garxendenio, Janellus Bonipax, Tribolus, Jambonus de Gaimaris, Anſilexius, Dominus Jacobus Domini Presbiteri, Jacobus Domini Bocamajoris, Dominus Thomaſius Zafardus, Fetinus de Monte, Bordulinus de Fulbemario, Nigrobonus de Antelmis, Dondeus Notarius, Bonenſegna Notarius, Gabriel Tribolus, Janibonus Naxinguerra, Manfredus de Oculo, Ugitionus Agnetis, Oculinus Nivolme, Adelardus, Dominus Janebonus de Gambalicis, Dominus Bondinarius, Johannes de Arnoldis, Dominus Panga, Petrus de Gorgonzolo, Mantuanus de Boſo, Dominus Biulcinus, Odolinus de Bonafante, Dominus Mantuanus de Braida, Dominus Egidius de Flandino, Albertus de Petrozano, Dondeus de Paſtorolo, Ugicio de Magarano, Raimondus de Folengis, Tedirixius, Gandulfus de Milono Orlandi, Albertinus de Torculinis, Albertus Notarius, Ravignanus, Bonaventura de Ravaxio, Benvegnutus Judex de Bucadicane, Lombardinus Notarius, Jordaninus Notarius, Guoldinus Domini Avecini, Ugo Amici, Gandulfinus de Tribolis, Bremus Albertus Salote, Acontius Boſonis, Arnoldinus de Flaningis, Onebonus de Ripa, Ugo de Iſatato, Jacobus de Preſis, Caſtelanus, Bonaventura, Paſſavancius Judex, Rodulfus de Boſis, Giliolus Paſſaguadi, Bonaventura de Rainerio, Mantuanus Baldigazius, Sigifredus, Jacopinus, Paticinus, Albertinus de Ruſtico, Prendiparte de Oldeprando, Cicogninus, Albertinus de Brixia, Albertinus de Tuſculis Notarius, Aymiricus Notarius, Zonta Conſul Burgiforti, Teotonicus Judex, Petrozolus Judex, Guaſcus de Caprianis, Chabriel de Campitello, Dominus Bartolameus, Johannes Cremenſis, Janibonus de Stacavinis, Boſus Judex, Jacobus de Buzeto, Nicolaus de Oculo, Vilanus de Munconis, Cleribaldus Notarius, Albertus Occonus de Ubaldino, Manzolus de Rivarolo, Balduinus Occonis de Balduinis, Manzolus Tajolus, Bonvixinus de Manzone, Miratellus de Micaro, Jacobus de Benefacta, Nicolaus Confector, Rambertus Vicecomes, Occunellus de Caprianis, Bonapars Domini Arduini, Jannirolus Ugonis de Baldono, Petrus Dalinquatrus, Zunta Zanoni, Albertinus de Richa, Conradus de Vilano, Albertonus Niardi, Aazilerius Felonie, Bonaccurſus de Tuſca, Ugo Azolini, Albertus de Blanco, Ugo Mantuani, Occulinus Domini Alberti Advocati, Dulcoſalve, Pax Advocatus, Henricus de Stancialibus, Jannellus Piſcatoris, Octolinus de Monciis, Adelardus, Petrozonus de Johanne Raynerii, Albertus Scarpellus, Ricus Advocatus, Guido de Arnoldo, Petrus de Axandris, Rolandus de Benbono, Bonaventura de Sembibeco, Gilius Petrinus, Salatinus de Caffaris, Graxindinus de Beloto, Mantuanus Malvicii, Rolandinus Gnocus, Lanfrancus de Geze, Raimondus de Facizogo, Brexanus de Crixolis, Graſularius de Zantono, Mantuanus de Ardatione, Ugo de Pinzone, Raimundus Judex de Monticlaro, Jambonus, Ugolinus de Baſilino, Bonaventura Venture Judicis, Bonifacius Notarius, Dondedeus de Preſtinaria, Aacelinus de Lazeſio, Conradus de Stortis, Albertus Advocatus, Martinus de Capillaria, Petrus de Caſtroguatterio, Bonaventura de Faxanis, Jaminus Judex, Johannes Romei, Johannes Spadarius, Bonaccurſus Gregorii, Aimiricus de Cam*[illegible]*nis, Albertus Notarius de Brixia, Albertus Cilis, Benvenutus Judex de Boccadicane, Bonaventura de Rivaxio, Ravagnanus Domini Ugonis, Bernardinus Ravaxius, Paſſita Domini Zantoni, Albertus Burſarius, Odus Scarcoſus, Orlandinus Ugolini de Azolino, Bernardinus Mileti, Nicolaus Domini Rodulfi, Bonaccurſus de Rivarolis, Gerardus Domini Aveni, Zonta Notarius de Majuvacis.* Preſente Domino Hengeramo Mantue Poteſtate, *Domino Arduino de Marano, Domino Gilelo de Romano ſuo Judice, Gerardo de Saxolo, Bonaventura Notario, Domino Sigicello de Bononia, & aliis pluribus ad hoc teſtibus vocatis.*

Ego Ugolinus Notarius Domini Henrici Imperatoris interfui, & mandato univerſi Conſilii Mantuanæ Civitatis ad ſonum campane coadunati in Palatio ſupraſcripto, ut apparet ſuperius, ſcripſi.

Concordia

Concordia inter Mutinenſes & Piſtorienſes, Anno 1225.

IN Chriſti nomine; Anno a Nativitate Domini MCCXXV. Indictione XIII. die Lunæ VII. exeunte Novembri. Hæc eſt concordia facta inter Dominum Azonem de Fregnano & Dominum Bonaccurſum de Corado, Ambaxatores Communis Mutinæ *& pro Communi Mutinæ, & pro Mercatoribus & omnibus aliis perſonis ipſius Civitatis & diſtrictus ex una parte, & Dominum Bartholominum quondam Gilgani Conſulem mercadanciæ Piſtoriæ, & Dominum Nicolaum Judicem quondam Girardi* pro Communi Piſtoriæ, *& pro omnibus aliis perſonis de Epiſcopatu Piſtoriæ & ejus diſtrictu ex alia; videlicet, quod omnes homines & perſonæ de Civitate, Epiſcopatu & diſtrictu Mutinæ ſint ſanæ & ſecuræ in perſonis & rebus & havere in Civitate Piſtoriæ & diſtrictu, in eundo, ſtando & redeundo, & ibidem manendo, exceptis latronibus, furibus, & falſariis. Item quod omnes homines & perſonæ de Civitate Piſtoriæ & ejus diſtrictu ſint ſalvæ & ſecuræ in perſonis & rebus & havere in Civitate Mutinæ & ejus diſtrictu in eundo, redeundo, & ibidem manendo. Item ſtatuerunt, quod Strata fiat & aptetur, & aptata teneatur a Civitate Piſtoriæ uſque Mutinam per Lizanum, Fregnanum, ſcilicet per Vallem de la Mula, Serazonum, Trentinum, Rochetam, Valdeſaſum, & per Paulem uſque ad Balugolam, & uſque Mutinam, vel per alium locum vel loca, quæ vel qui utrique parti placerent, ſi per alia loca irent vel invenirentur, ſint ſalvæ & ſecuræ, ut dictum eſt ſupra, dictæ perſonæ cum havere & rebus. Et Civitas Mutinæ faciat dictam Stratam aptatam & ſecuram ſtare per totum ſuum diſtrictum. Et Civitas Piſtoriæ faciat illud idem per ſuum diſtrictum, ſalvis antiquis conſuetis & drictis paſſaziis in utraque Civitate & diſtrictu. Et de novo nullum paſſazium exigatur vel imponatur. Hoc ſalvo ſuper paſſaziis, quod ſi aliqua inſtrumenta invenirentur vel inſtrumentum de ipſis paſſaziis ſpecificatis, quæ inſtrumenta eſſent facta in concordia utriuſque Civitatis, vel eorum Ambaxatorum, quod ipſa inſtrumenta ſerventur & ſint firma. Item fuerunt in concordia, quod una tantùm perſona per loca conſtituta ſuper paſſaziis exigendis exigat & tollat paſſazium, & non plures; ita quod per Gualandellos tollatur apud Sarazonum & per Fregnanenſes apud*
A *Rochetam de Scopiano. Item fuerunt in concordia, quod ſi aliqua perſona de Civitate Piſtoriæ vel ejus diſtrictu, contraxerit de cetero cum aliqua perſona Civitatis Mutinæ vel ejus diſtrictus, vel aliqua perſona Civitatis Mutinæ vel ejus diſtrictus contraxerit de cetero cum aliqua perſona Civitatis Piſtoriæ, illa tantum perſona exigatur, vel heres ejus aut fidejuſſor, vel qui pro illa perſona obligata inveniretur, & nulla alia perſona in havere vel rebus vel perſona pignoretur vel impediatur vel exigatur. Item ſtatuerunt, quod ſi aliqua perſona de Civitate Mutinæ habet vel habuerit aliquid petere vel requirere adversùs aliquam perſonam de Civitate Piſtoriæ, illa perſona eat Piſtoriam, &*
B *ipſam conveniat coram Poteſtate vel ejus Judicibus, & Poteſtas vel Judex Piſtoriæ teneatur conquerenti facere rationem inde ſecundùm jura & Statutum Civitatis Piſtoriæ; & e converſo illud idem obſervetur in hominibus Civitatis Piſtoriæ & diſtrictus in Civitate Mutinæ per illos de Civitate Mutinæ & ejus diſtrictu. Inſuper concordaverunt, quod omnes ſecuritates fidantiæ, quæ inter ipſas Civitates hinc retro factæ ſunt, vel quæ factæ fuerint per earum Ambaxatores in concordia, ſint ſtabiles & firmæ. Et hæc omnia ſupra ſcripta prædicti Ambaxatores pro prædictis Communibus & perſonis utriuſque Civitatis & diſtrictus concordaverunt, approbaverunt & firmaverunt.*

C *Acta ſunt omnia ſupraſcripta apud Hoſpitale de Valdelamula, præſentibus Presbytero Petro de Multelilzo, Domino Guidoto de Serazono, quondam Ubaldi Gualandelli, Domino Jacobo quondam Pariſii, Presbitero Guidone de Valdelamula, Vezoſo quondam Provincialis, & Gunterio quondam Boſii de Piſtoria, & Bartholomæo quondam Signorantis de Piſtoria, & Morino quondam Petrizoli de Pigneto, rogatis teſtibus.*

Ego Gandulfus de Macreto, ſacri Palatii Notarius interfui & ſcripſi.

Diſcordia erat inter Mutinenſes & Ferrarienſes, neque ineundæ pacis ratio ſuppetebat.
D Quare Mutinenſis Populus ad Fridericum II. tunc Romanorum Regem, poſtea Imperatorem, querelas ſuas detulere. Interceſſit ille. Tabulas tunc ab eo ſcriptas exhibeo.

Delegatis

Delegati a Friderico II. Romanorum Rege Ferrarienſibus præcipiunt, ne Mutinenſibus vias ac tranſitum intercludant, Anno 1219.

IN nomine Domini. Milleſimo Ducenteſimo Decimo Nono, Indictione VII. die Lune primo intrante Aprile. In preſentia infraſcriptorum teſtium in pleno Conſilio generali facto & congregato ad pulſum campane in Palatio Communis Ferrarie, ubi fiunt Conſcilia, Dominus Bernardus Rolandi Rubei de Parma, & Dominus Anzellus Judex de Parma, exſequentes & obedientes preceptum Domini Frederici Romanorum Regis & ſemper Auguſti, atque Regis Sicilie, fecerunt legi Litteras Domini Regis bullatas cum ſigillo ejuſdem, videlicet per Francolinum Notarium Poteſtatis & Communis Ferrarie, quarum tenor talis eſt.

Fridericus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Rex Sicilie, fidelibus ſuis Bernardo filio Rolandi Rubei, & Anzello Judici Parmenſi, gratiam ſuam, & bonam voluntatem. Ad noſtram audientiam noveritis perveniſſe, quod homines, ſive Commune Ferrarie non permittunt Mutinenſes ire vel redire per eorum poderium vel diſtrictum. Unde cum Majeſtatem Regalem deceat, Stratas apertas & ſecuras tenere, tenore preſentium vobis mandamus, auctoritate Regia firmiter injungentes, quatenus ipſos Ferrarienſes, & Sallinguerram, & Nepotem ex parte noſtra monere debeatis ſub pena banni duarum millium Marcharum argenti eis precipientes, ne ipſi Mutinenſibus in aliquo Stratam impediant, ſed eos per totum eorum poderium tam per terram, quàm per aquam, in rebus & perſonis eundo & redeundo, ſecure ire permittant.

Datum apud Spiram VII. Kalendas Martias, Indictione VII.

Quibus lectis monuerunt ex parte Domni Regis Albertum Alamum de Florentia Poteſtatem Ferrarie pro Communi Ferrarie & Homines de Conſcilio, *qui ibi aderant, & Salinguerram & Nepotem ibi preſentes, ſicut in literis Domini Regis continebatur. Et preceperunt mihi Gilio Malliatico Notario de Parma, ut inde facerem Inſtrumenta plurima in uno tenore. Et preceperunt, quod nullus alius Notarius exinde faciat Inſtrumentum de dicta amonicione & precepto, niſi ego idem Gilius Notarius. Ibi vero interfuernnt Dominus Gibertus quondam Giberti Bernardi de Parma, Bernardus quondam filius Clerici de eodem loco, Rolandinus Domini Scorze de Parma, Petrus Fabri Notarius de Mutina, Mainardus de Mainardis de Ferraria, Marcheſinus & Marchoaldus de Ferraria &c.*

Ego Egidius Notarius, qui Malliaticus dicor, Sacri Palatii, interfui, & hanc Cartam ex precepto & amonitione predictorum Domini Bernardi & Domini Angeli Judicis ſcripſi.

Stabilita denique Concordia fuit inter Mutinenſes & Ferrarienſes. Sed ut huic firmiora fundamenta forent, ejus confirmationem impetrarunt Mutinenſes a Friderico II. Auguſto, cujus tabulas profero, ex MSto Regeſto Communis Mutinæ deſcriptas.

Qualiter confirmata fuit per Dominum Fredericum Imperatorem concordia facta inter Mutinenſes & Ferrarienſes, Anno 1226.

FRedericus *Dei gratia* Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hieruſalem, & Siciliæ Rex. *Per preſens ſcriptum notum facimus univerſis fidelibus noſtris tam præſentibus, quàm futuris, quod nos attendentes integritatem fidei & devotionis ſinceræ, nec non & accepta ſervitia, quæ Mutinenſes Cives fideles noſtri nobis ſemper & Imperio exhibuerunt, & jugiter exhibere non ceſſant, de munificentie noſtre gratia ſpeciali, quam cum eis, tamquam cum benemeritis benigne volumus exercere, confirmamus eis pacem & concordiam, pacta & conventiones factas inter Commune ipſius Civitatis Mutinæ & Commune Ferrariæ, & cum hominibus earumdem Civitatum univerſaliter & particulariter, ſicut in Inſtrumentis publicis hinc inde confectis apertius noſcitur contineri. Præcipientes ea omnia, ſecundum quod in predictis Inſtrumentis publicis continetur, inviolabiliter obſervari. Mandantes & preſentis ſcripti auctoritate firmiter injungentes, ut nulla prorſus perſona magna vel parva, Secularis vel Eccleſiaſtica, contra predicta omnia aliquo tempore temerario auſu venire præſumat. Quod qui præſumſerit in ſue temeritatis vindictam indignationem noſtram & pœnam centum Librarum auri puri ſe noverit incurſurum, quarum medietas Cameræ noſtræ, & altera medietas paſſis injuriam perſolvatur. Ad hujus autem confirmationis noſtræ memoriam, & robur perpetuo valiturum, præſens ſcriptum fieri, & ſigillo majeſtatis noſtræ juſſimus communiri. Hujus autem rei teſtes ſunt Albertus Magdeburgenſis Archiepiſcopus, H. Mediolanenſis, & Lando Rheginus Archiepiſcopi, Curienſis, & Abbas Sancti Galli, Cicenſis, Baxilienſis, Warmatienſis, Jacobus Taurinenſis, & Maynardus Imolenſis Epiſcopi, L. Lantgravius Thuringiæ, Dux Saxoniæ, Raynaldus Dux Spoleti, Comes Gifredus de Vienna, & alii quamplures.*

Datum apud Burgum Sancti Domnini, Anno Dominicæ Incarnationis MCCXXVI menſe Junii, XIV. Indictione, imperante Domino noſtro Frederico II. Dei gratiâ invictiſſimo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, Hieruſalem & Siciliæ Rege, Anno Romani Imperii ejus VI. Regni Hieruſalem I., & Regni Siciliæ XXIX. feliciter.

Ego Albertus de Saſſis Notarius, hoc exemplum ex authentico, ut in eo vidi & legi, in quo ſic continebatur, ut in hoc exemplo legitur, nil addens vel minuens præter literam per ignorantiam vel ſyllabam, bona fide extraxi & exemplavi, de mandato Domini Petri de Boſtichis Mutine Poteſtatis in MCCXLV. Indictione III. menſe Auguſto, Domino Frederico Dei gratia Romanorum Imperatore regnante.

Hæc monumenra ex pervetuſto Civitatis Mutinenſis MSto Regeſto deſcripſi. Accedant & excerpta ex pergamenſis Archivi Eſtenſis.

Charta

Charta concordiæ & ſocietatis inter Civitatem Tarviſii & homines Coneclani & Cenetenſes, Anno 1184.

HÆc eſt poſta & ſacramentum, quod homines Tarviſii fecerunt hominibus Coneclani & Cenetenſibus. Ego juro, quod bona fide & ſine fraude wardabo & ſalvabo & defendam Caſtrum Coneclani, & homines Coneclani & ejus diſtrictus, & eorum res in omnibus locis, ubicumque poſita, nec aliqua occaſione ipſum deſtruam. Et ſi Commune Tarviſii vel aliquis occaſione Communis Tarviſii jam dictum Caſtrum deſtruerent, infra unum annum de muro & foveis incipiam, & infra quinque annos per æque bonum reædificabo, niſi remanſerit verbo Conſilii Coneclanenſium conſortium omnium vel majoris partis bona voluntate. Nec defendam, quin conſortes Coneclani prædictum Caſtrum muniant, ac defendant, & proſpiciant. Et concedo, ut in omni anno poſſit facere ſex mercata juxta Caſtrum Coneclani, ita quod muta ſit in Conſulum Tarviſii, qui erunt in Tarviſio & in Coneclano. Et omni anno tres Conſules de conſortibus Coneclani, cum in Civitate Conſules electi fuerint, faciam. Et permittam Conſules Tarviſii, qui aderunt in Coneclano ad juſtitiam faciendam, uſque ad viginti Libras Venetorum facere in Coneclano, ſi ibi auctoritate querimonia depoſita fuerit. Et ſi actor ad Civitatem Tarviſii pervenerit, & ibi querimoniam depoſuerit, tunc ei ibi rationem faciemus aut faciam. Si autem Poteſtas facta fuerit in Tarviſio, tunc faciam & permittam tribus ex Conſulibus Coneclani facere rationem in Coneclano uſque ad viginti Libras, donec Poteſtaria duraverit, ſalvo hoc quod muta ſit communis, ut dictum eſt ſupra; & tale bannum & diſtrictum ſuper placitis & ſententiis in Coneclano datis uſque ad viginti Librarum pœnam, quale in Civitate poſitum fuerit, & ſuper ejus diſtrictum. Et ſi ſententia lata fuerit ſuper conſortibus de Coneclano ab Oberto, vel a tempore Oberti de Placentia hucuſque, quæ excedat ſummam centum & quinquaginta Librarum, tunc non cogam prædictos conſortes prædictam ſententiam attendere. Et de maleficiis & rebus ablatis inter homines Tarviſii & homines Coneclani & Cenetenſes factis vel illatis a tempore deſtructionis Coneclani uſque adhuc in pace vel in trewa occaſione werræ, vel aliqua alia occaſione, ſit pax & finis. Et de pœnis & duplis prædictos conſortes Coneclani ſolvendis non cogam, quæ pœnæ ſint commiſſæ a tempore deſtructionis Coneclani hucuſque. Et quinque millia Librarum dabo Oderico de Saunigo, & Viviano de Forminica, & Wiberto & Matthæo de Albero, qui exſtant modo Rectores Coneclani, vel eorum certo nuncio, dehinc ad Natale Domini, niſi verbo illorum omnium, vel majoris partis remanſerint bona voluntate. Item omni anno, qui aderunt Conſules vel Poteſtas, & qui modo ſunt in Tarviſio vel pro tempore erunt, hanc poſtam firmam tenere jurabunt. Centum Milites & ducentos Pedites hæc omnia firma tenere jurabunt, ſcilicet quos illi de Coneclano eligere voluerint. Et in omni decimo anno hæc ſacramenta renovabunt, ſcilicet centum Milites & ducentos Pedites. Et ſimiliter juro, quod bona fide & ſine fraude cum ratione me defendam, quod eos de Coneclano nec A *amittam, nec fraudem vel dolum in eis amiſſuris committam. Et ſi Coneclanum pro Communi Tarviſii, vel occaſione Communis Tarviſii deſtrueretur, aut ſi tres Conſules in omni anno de conſortibus Coneclani facti non fuerint, cum in Civitate electi fuerint, tunc volumus & convenimus amittere illos, & quinque millia Librarum . . . .*

Item nos prædicti Widones facimus finem & pacem per weſillum, & damus omnem juriſdictionem & poteſtatem per nos & noſtrum Commune, ſicuti continetur in poſta a nobis Communi Tarviſii facta, Walpertino de Anuſio, Bonifacino de Criſpinaga, Gerardino de Caſeto, Conradino, Florio Judicibus, Capiti Lupo, B *Rondino Tarviſii Conſulibus, de omnibus maleficiis & rebus ablatis inter homines Coneclani & Cenetenſis, & homines Tarviſii factis vel ablatis a tempore deſtructionis Coneclani hucuſque in pace vel in werra, occaſione werræ, vel aliqua alia occaſione, accipientibus pro ſe & Communi Civitatis Tarviſii. E converſo nos jam dicti Conſules ſimiliter facimus finem & pacem per weſillum per nos & noſtrum Commune, ut ſuperius legitur, Odelrico de Saunigo & Wiberto, & Viviano de Furminigo atque Matthæo de Albero Coneclanenſium Widonibus, & nominatim de pœnis & duplis, quæ fuerunt commiſſa a tempore deſtructionis Coneclani hucuſque, accipientibus pro ſe & Communi & hominibus* C *Cenetenſis. Et juramus nos Walpertinus, Bonifacinus, Gerardinus, Conradinus, Florius, Capudlupo, Rondinus, Ingilerius, Odolricus de Nordiglo, Clarenbaldus Tarviſii Conſules, omnia prædicta ſemper firma & rata tenere, ut ſuperius legitur. Ad hæc juramus nos Rambaldus, Ezelinellus, Gerardinus de Widoto, Johannes Bonapars, & Wido Advocatus, Albertinus, Buzolinus, Wiſemannus de Caſtro Marello, Gatraſius, Bartholomæus, Wivianus, Tameſarius, Varientus de Curte, Federicus de Porcelo, Campanillus, Sigifredus de Papigo, Johannesbonus, Rovarius, Wivianus de Ard. . . . . Archeto Palagnis, Azelo de Reſo, Bonifacius Vilicus, Triviſius de Pugno,* D *Rolandinus de Malrello, Bonifacius de Sancto Vito, Riprandinus, Girardinus de Mabono, Inrigetus Milemarche, Muſetus, Sclavus de Rivale, Odoricus Mantello, Albertinus Teotonicus, Jacobinus Allade, Gabriel de Tono, Johannes de Ordelaffo, Aulivertus de Achiloto, Oſtacius de Ricardo, Johannes Bonus, Martinus Coneclanus; Inrigetus de Straſo, Wiſcardinus, Inrigetus Stancavaca, Montenarius Judex, Leonardus de Gerardo, Seraphinus Liberius, Wido Judex, Inglerius Major, Pelegrinus Dives, Triviſius de Walperto, Artichus de Ainardo, Conſtantinus, Gombertinus, Oſtacius de Mazelo, Obertus Judex, Leonardus Capitale, Graudinius, Lazarinus de Sizo,* E *Bava de Ripa, Tedeſchinus, Inricus Bucca, Albertinus de Lunardo, Triviſius Madernus, Bertaldinus de Vaſcono, Iſnardinus, Pelegrinus Silius, Nicola Braga de lana, Conradus de Witiclino, Tizonus, Nicolaus de Rivlo, Petrus Salzerius, Salegrinus de Emma, Pelegrinus de Molendino: Omnia prædicta ſemper*

firma & rata tenere, ut dictum eſt ſuperius. Et juramus nos Marici de Civitate Tarviſii, ſcilicet Roya, Matthæus de la Fontana, Johannes Boninus, Addelardus, Sigifredus de Ripa, Adellemus, Leva, Eccleſia, Amigetus, Gerardinus de Molino, Beraldus Benincaſius, Leonardus Picaſoba, Cariola, Matthæus Cocerius, Valdradinus, Vazinus filius Jacobi de Grauſo, ſimiliter omnia prædicta ſemper firma & rata tenere. Quod faciemus bona fide & ſine fraude jurare homines de noſtris Colivellis hoc ſacramentum, quos illi de Coneclano petierint ſine fraude. Præſentiâ Walpertini *de Caſerio, Atriardini de Brayda, Diapoldi Judicis, Wirilii, Bartholomæi de Franco, Sinifortis,*

A *Conradini filii Albertini Teothonici, Egidii de Domna Noveda, Flabiani de Burgonovo, Johannis de Robegnano, Witalis Notarii, Johannis Bonis, Witalis Notarii de Sancto Andrea, Rolandini Notarii, Vilani de Turre, Ecelini Graſi de Porta, Matthæi de Gaudenzo, Marquardi Mazolii, Auſilii de Petro, Ervaſii, Rodulfi de Pezamano, & aliorum, Anno Domini MCLXXXIV. Indictione II. die Martis IV. intrante Aprili.*

Actum Tarviſii in Curia Majori in plena concione.

Ego Manfredinus Federici Imperatoris Notarius rogatus interſui, & ut ſuperius legitur ſcripſi atque complevi.

Concordia Civitatis Brixiæ & Ferrariæ, Anno 1195.

IN Chriſti nomine. Amen. Anno Dominicæ Nativitatis Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Quinto, tempore Cœleſtini Papæ, & Henrici Imperatoris, die III. introëunte Menſe Julii, Indictione III. ſuper Palatio Communis Ferrariæ. Quoniam decet, univerſos Civitatum Rectores dilectiones aliarum Civitatum, cum quibus familiaritatem habent, bene manutenere, & ea, quæ ad concordiam & pacem inter eos pertinent, ut juſtitia & ratio inter eos perſeveret, in omnibus facere: ideo ad coërcendas malitias & iniquitates hominum, & ut dilectio & firma amicitia manuteneatur inter Civitatem Brixiæ & ejus habitatores & diſtrictus, & Civitatem Ferrariæ & ejus habitatores & diſtrictus, Nos Salinguerra Ferrariæ Po*teſtas, habito Sapientum Ferrariæ conſilio, & eorum voluntate, Conſilio facto per campanam pulſatam, volens, ſi qua perperam ſunt geſta inter Brixienſes & Ferrarienſes ad bonum conducere, cum per Sapientes Ferrarie, ſcilicet per Ottolinum Mainardi & Albertum de Luſia, qui voluntate noſtra & Sapientum Ferrariæ iverunt Brixiam, ad ſtatuendum cum Conſulibus Brixiæ & Communis & Mercatorum, de diſcordia inter Ferrarienſes & Brixienſes de rationibus Ferrarienſium & Brixienſium, eorum concordiam vidimus in ſcriptis. Quam concordiam Sapientibus habere placuit & firmatam, & eam ratam habuimus pro conſilio & eorum voluntate, Sapientes in Conſilio protulerunt. Unde venientes Manuel de Conciſio Conſul Communis Brixienſis, & Albertus Gratacollus Conſul Mercatorum Brixiæ, & Inverardus de Guſſiago, & Jacobus de Omis, Nuntii & delegati a Communi Brixiæ & a nobis, ea, quæ in Chartula continebantur per Ferrarienſes, ſcripta per manum Johannis Notarii Henrici Imperatoris, recipere velle, voluntate & conſilio Sapientum Ferrariæ, & voce totius Populi, talem concordiam & convenientiam inter nos & prædictos Nuntios de Brixia fecimus. Qui Albertus de Luſia Miles, & Albertus de Luſia Judex, & Ottolinus Mainardorum, & Zininus fecerunt finem in manibus Manuelis Conſulis Communis Brixiæ, & Alberti Gratacolli Conſulis Mercatorum Brixie pro Communi & pro Mercatoribus Brixiæ, de omni eo quod poſſent agere vel dicere contra Commune Brixienſe, vel contra Mercatores vel homines Brixienſes, vel ejus diſtrictus, exceptis Dominis de Bugizolis, quod non debent eos inquietare vel aliquod malum eis facere. Et ita Do-*

B *minus Salinguerra Ferrariæ Poteſtas promiſit pro Communi Ferrariæ attendere & obſervare contra Commune Brixie & contra Mercatores, ſicut in Charta pacti & concordiæ factæ per Ottolinum Mainardi, & Albertum de Luſia continetur. Quæ concordia talis fuit. Quod Salinguerra Poteſtas Ferrariæ promiſit & convenit pro Communi Ferrariæ ſupradictis Nuntiis Brixiæ, nomine Communis & Mercatorum Brixiæ, quod de cetero non debet inquietare nec violentiam facere contra aliquem hominem de Civitate Brixiæ vel ejus diſtrictus pro facto vel debito vel contracto alicui de Civitate Brixie vel diſtrictus, ſed ſolummodo ei, cum quo contraxit, vel cui creditum fecit. Item ſtatuit*
C *& convenit cum eis, quod amodo in antea ſi aliquis de Civitate Ferrariæ vel diſtrictus contractum vel creditum cum aliquo Brixienſe fecerit, vel cui crediderit, non debet inquietare vel petere contra aliquem de Communi, vel de Mercatoribus, niſi cum quo contraxerit, vel cui crediderit, ſed caute prævideat cum quo contrahat, vel cui credat. Et verſa vice homines Brixiæ & ejus diſtrictus contra Ferrarienſes & ejus diſtrictus facere debent, & ita promiſerunt. Et ſi aliquis de Civitate Brixie vel de ejus fortia contraxerit, vel creditum fecerit cum aliquo Ferrarienſe vel aliquibus Civitatis Ferrarie vel diſtrictus non debet inquietare vel petere ſive exigere contra aliquem de*
D *Communi vel de Mercatoribus Ferrariæ, niſi cum quo contraxerit vel cui crediderit, ſed caute quiſque caveat, cui credat, vel cum quo contrahat. Et ita Salinguerra Ferrariæ Poteſtas ſupradicta omnia attendere nomine Communis Ferrariæ, & obſervare, & facere attendere & conſervare, Conſules Ferrarie, qui erunt per tempora, parabolâ & voluntate Conſiliatorum, qui erant in Conſilio facto, & pulſato ad campanam Conſilii, promiſit. Et Manuel de Conciſio Conſul Brixienſis, & Albertus Gratacollus Conſul Mercatorum Brixiæ, & Inverardus de Guſſiago, & Jacobus de Omis Nuntii Communis Brixiæ & Mercatorum Brixiæ pro Communi & pro Mercatoribus Brixiæ*
E *promiſerunt idem attendere & conſervare. Et ideo prænominati Conſul Communis Brixiæ & Mercatorum dederunt nomine Communis & Mercatorum Brixienſium in manibus Domini Salinguerræ Poteſtatis Ferrariæ pro Communi Ferrariæ in prædicto Conſilio, quindecim Libras Imperiales pro pacto & concordia ſupradicta interveniente. Quam concordiam & chartam*

tam atque pactum factum confirmavit Dominus Salinguerra Ferrariæ Poteſtas nomine Communis Ferrariæ, voluntate Conſiliatorum, qui inferius ſcripti ſunt, qui hanc Chartulam confirmaverunt, & eis placuit, ideo Jacobus Trottæ, Petrus Bonus Procuratores Communis, qui fuerunt teſtes: Pecorarius, Guntardus, Petrus de Remengarda, Pes Suricis, Petrus Vicentiæ, Albertus de Beo, Ginibaldus, Raynaldus de Guatarella, Bancius, Tranſmundus, Iſnardus de Waragolo, Sucius, Zilius Furni, Petrus de Albaro, Baſilius, Deodatus Judex, Girar- A *dus Bemboni, Pellegrinus Notarius, Zuprianus, Daniel, Lenguetta, Jacobinus Jacobi Trottæ, Albertus Gorgi, Caput Lupi, Saviolus, Simeon, Marchiſinus Biaquæ, Rainerius Zambonus, Bonus Gogettus, Bonus Inſegna, Michilittus, Aldrevandinus, Gibertinus, Artuiccus, Johannes Capallus, Banzolinus, Donusdeus, Taconus, Ubaldinus de Uguizone, Ricobaldus, Saviolus, Eppus, Manarettus, Clarimbaldus, Girardinus Tantobelle, Albertus Maglavaccæ, & plures alii in pleno Conſilio.*

Concordia Bononiæ & Ferrariæ, Anno 1207.

IN *nomine Domini. Talis concordia facta eſt inter* Dominum Iſaccum de Duaria Poteſtatem Bononiæ, & Dominum Salinguerram Poteſtatem Ferrariæ *ſuper queſtione, quæ eſt inter Galeranos & Mainardos: ſcilicet quod duo Arbitri debeant eligi de Ferraria & duo de Bononia, qui debeant cognoſcere ſuper omni lite, quæ fuit inter Galeranos & Mainardos tam ſuper ſententia lata a Domino Guidone Lambertini, & Domino Buvalello, & Domino Carnelvario, & Domino Gondoaldo, utrum debeat valere vel non in totum vel in parte, & utrum tenuta ſit data ex ſententia, vel non; quàm etiam ſuper omnibus aliis litibus, & etiam de illis, quæ continentur in ſententia, ſi contingeret eam ſententiam non valere, neque poſſeſſionem ex ea ſententia dandam eſſe. Et id quod judicaverint diffinitive, vel interloquendo ſuper poſſeſſione danda, ipſi electi firmiter faciant obſervari, ita quod interlocutoria predicta habeat vim diffinitivæ & auctoritatem. Et ſi diſcordia inter electos apparuerit, ad Abbatem Columbæ & Priorem ejuſdem loci debeant communiter recurrere, conſilio vel ſententiæ quorum acquieſcant. Et in eo caſu ſententia ab eis lata firma ſit & rata, ſicuti ab ipſis Arbitris eſſet lata. Et Arbitri utriuſque partis teneantur, eam mandare exſequutioni. Hoc autem agi debet uno termino ad Piulam, & alio ad Bondenum, & ſic de ceteris locis & terminis, vel alibi, ubi in concordia convenerint. Et neutra partium utatur, quæ in lite vel erit, vel aliquis alius, niſi illi fuerint ab Arbitris utriuſque partis electi, apud quos arbitros debeat pervenire & permanere quidquid perceptum erit, donec lis diffinita fuerit, & quidquid perceptum fuerit, detur arbitris utriuſque partis. Arbitri autem ſunt eligendi hoc modo, ſcilicet quod Poteſtas Ferrariæ debeat eligere unum hominem, quem putaverit bonum & utilem, qui juret eligere & eligat duos Arbitros de Civitate Ferrariæ, quos crediderit eſſe bonos & idoneos ad prædicta cognoſcenda & expedienda, præſente Nuntio Bononiæ in Conſilio Ferrariæ. Hoc idem per omnia fiat a Poteſtate Bononiæ in Conſilio Bononiæ, præſente Nuntio Ferrariæ, de eligente & eligendis, qui ſint de Bononia. Eorum autem, qui eligere debent arbitros, tale debet eſſe ſacramentum, ſcilicet quod debent jurare, quod prædictam electionem duorum arbitrorum faciant bona fide ſine aliqua fraude, & quos putaverint bonos, idoneos, & legales ad prædicta cognoſcenda & expedienda, remoto odio, amore, pretio, & precibus, ſpeciali lucro, vel damno. Et arbitri electi prædicti poſſint cognoſcere & ſenten-* B *tiare altera parte citata & non veniente. Et Poteſtas Ferrariæ teneatur facere venire arbitros Ferrariam, & ſtare ad ea facienda, quæ ſunt neceſſaria cauſæ adlecta & deſignata ad terminum & terminos, quos ei denuntiaverint Poteſtas & Arbitri Ferrariæ Bononienſibus per literas vel per eorum Nuntium. Idem in omnibus obſervetur ex parte Poteſtatis Ferrariæ & arbitrorum Ferrariæ in requiſitionibus & omnibus aliis. Et utraque Poteſtas teneatur facere jurare præconem in concione ſuper anima Populi & ad vocem Populi, quod omnia prædicta & alia, quæ continentur in iſta concordia, obſervabunt, & facient obſervari, & quæcumque dicta ſunt & tractata ſuper facto Galeriæ & Mainardorum.* C *In facto arbitrorum, ſcilicet in cognitione, obſervatione & pronuntiatione in ſuis locis deſignatis & terminis ita obſervetur in facto Domini Guidonis Lambertini & Zilioli Guizardi & Domini Petri Alberti Aldigerii. Item ſuper lite, quæ eſt inter Dominum Guidonem Lambertini, & Ziliolum Guizardi, talis habitus eſt contractus. Quod duo arbitri debeant eligi, unus a Poteſtate Bononiæ & alter a Poteſtate Ferrariæ, qui debeant cognoſcere de poſſeſſione & dominio vel quaſi; & quidquid judicaverint ſuper unoquoque judicio, ratum habeant & firmiter faciant obſervari. Interim tamen fructus litis debeant pervenire & permanere apud dictos arbitros* D *utriuſque Civitatis, ita quod neutra Poteſtas, vel aliquis alius debeat . . . . . litis, niſi illi, qui erunt ab arbitris utriuſque partis, non derogando juri aliorum, qui non ſunt in lite hac. Et ſi diſcordia apparuerit inter ipſos arbitros, debeant recurrere ad Abbatem Columbæ & Priorem ejuſdem loci, conſilio vel ſententiæ quorum acquieſcant. Et in eo caſu ſententia ab eis lata firma ſit & rata, ſicuti ab ipſis arbitris eſſet lata. Et arbitri utriuſque partis teneantur eam mandare exſequutioni. Et hæc debeant agitari uno termino ad Doliolum, & alio ad Hoſpitale Ruptoli, & ſic de ceteris terminis, & alibi, ubi in concordia fuerint.*

Super facto Domini Petri Alberti Adigerii, E *& ferri ablati, taliter tractatum eſt, ſcilicet quod duo Arbitri debeant eligi unus de Bononia, & alter de Ferraria, qui debeant cognoſcere, ſi fructus percepti debeant reſtitui cum poſſeſſione, poſtquam poſſeſſio fuit ei data primo & poſtea ablata, quia dubitabatur, utrum eſſe debeat propter verba concordiæ & intellectum. Idem & in ferro propter factum intereſſe. Et quidquid laudaverint de fructibus, ratum habeatur, & ferrum, vel ejus juſtam æſtimationem Commune Ferrariæ reſti-*

reſtituat, vel reſtituere faciat eis, quibus fuit ablatum, cum intereſſe, ſi arbitri de intereſſe judicaverint. Ferrum autem, ſive ejus æſtimatio præciſe reſtituatur, quamvis non judicaverint de intereſſe. De ferro autem ablato Ferrarienſibus occaſione prædicti ferri idem faciat Commune Bononiæ obſervari, ſi verum eſſe conſtiterit. De poſſeſſionibus Domini Guidonis Bazalerii reſtituatur eidem Domino Guidoni, vel ejus æſtimatio . . . . . . temporis præſentis, & ferrum dictum ejus temporis, quo fuit ablata. De havere ablato Ugolino Zoppo & Zachariæ & ejus ſociis ita fiat. Quod ſi havere & podere eorum, qui deprædaverunt eos, inveniretur in Civitate Ferrariæ vel ejus diſtrictu, Commune Ferrariæ faciat eidem Ugolino & ejus ſociis dare, & ſi ſatisfieri non poterit, in banno ponantur, nec de banno extrahantur, niſi in totum ſatisfecerint, vel cum eis ſe concordaverint, & de Civitate & ejus diſtrictu repellantur, ita quod non debeant ibi habitare. In facto Domini Salinguerræ fuerunt in concordia, quod debeat facere rationem filiis Domini Bonifacii, & quondam Boni Dominici ſub arbitris, non obſtante eo quod ſit Poteſtas. Et in his ſtatutis obſervatis omnia, quæ continentur in tenore concordiæ factæ inter Bononienſes & Ferrarienſes debeant firmiter obſervari, ſcilicet in arbitris eligendis, & debitis confeſſis, & ſententiis exſequutioni mandandis, & in omnibus aliis Capitulis ſupraſcriptæ concordiæ comprehenſis. Et Abbas Columbæ & Prior ejusdem loci habeant eamdem auctoritatem & poteſtatem in omnibus & per omnia, quam habent prædicti Arbitri quatuor inter Galeranos & Mainardos, & duo inter Guidonem Lambertini & Ziliolum Guizardi. Item ſtatutum eſt in facto Abſalonis vulnerati, quod Poteſtas Bononiæ faciat dari pignus LX. Librarum Bononienſium Domino Salinguerræ Ferrariæ Poteſtati, & quan-

A *tum deducitur, Guidonem Bazalerium, & ipſius filium Jacobinum dare Aſalono a LX. Libris infra, tantum dabit. Et ſi caſus tulerit, Aſalonem ex illatis vulneribus mori, debet ſuperaddi pignus LX. Librarum, & a LX. uſque ad C. quantum laudaverint Dominus Iſaccus, & Dominus Salinguerra Ferrariæ Poteſtas, tantùm dabitur heredibus Aſalonis, & in utroque caſu ſine liberatione, ſine morte, heredes & propinqui Aſalonis, & pater debeat facere pacem, & jurare facere pacem in perpetuum Guidoni Bazalerio, & ejus filiis in perſona & havere & omnibus hominibus de Civitate Bononiæ & Comitatu & diſtrictu, & Aſalonis ſi liberaliter faciet idem ſacramentum, & pater ejus promit-*
B *tet certam pœnam C. Librarum Imperialium, ſi faceret contra pacem, dare Guidoni & ejus filio. De facto Domini Petri Adigerii ſtatutum eſt, quod Dominus Petrus eligat ſibi unum hominem, & filii Rainerii Marſilii alium, quos Poteſtas Bononiæ faciet jurare deſignare terram, de qua fuit ei vel ſuo patri data tenuta per Commune Bononiæ. Et ambo electi ſint de diſtrictu Bononiæ. Et hæc omnia utraque Poteſtas promiſerunt ſe ad invicem obſervaturos.*

Actum in Eccleſia Sanctæ Mariæ de Doliolo, Anno Domini MCCVII. die XII. exeunte Martio, Indictione X. præſentibus ibi ex parte Ferrarienſium Domino Liuzo, Domino Johanne de Albaro, Ziliolo Marcoaldi, Philippo de
C *Pagano, Guidone Contrario, Anſideo de Beo, Previdino Tabellione, & Jacobo Notario; & ex parte Bononienſium Domino Guidotto Azzi Procuratore Communis Bononiæ, & Domine Allaſerio Conſule juſtitiæ, Domino Mercadanto Legum Doctore, Domino Jacobo Pizolo, Domino Johanne Bonſeri, Domino Buccaderonco, Domino Arpinello, Domino Ancelello de Urſis, & Guaſcuncino.*

Concordia facta inter Mantuanos & Ferrarienſes, Anno 1216.

IN *Chriſti nomine . Amen . Talis concordia facta eſt inter* Mantuanos & Ferrarienſes , *videlicet quod Mantuani jurant , Commune Ferrariæ manutenere in communitate & pace . Et ſi diſcordia ſive guerra erit inter partem* Salinguerræ & *partem* Marchionis , *jurant ipſam diſcordiam & guerram citius , quo poterunt , redire ad concordiam & pacem , & Commune Ferrariæ manutenere factâ concordiâ & pace in communitatem & pacem . Et quod omnes concordiæ & pacta facta inter Mantuanos & Ferrarienſes tempore* Marchionis Azonis *Eſtenſis , ab eo tempore infra in omnibus viciſſim obſerventur . Et ſi aliquid in tholoneis acceptum vel ablatum eſt contra illa pacta , reſtituatur . Quæ omnia ſupradicta univerſum Conſilium Mantuæ , ad campanam coadunatum in Palatio Domini Mantuani Advocati juravit attendere & obſervare , die Sabbati IV. intrante Junio , Indictione IV. Mantuæ MCCXVI. Quod ſacramentum præſtiterunt iſti Mantuani , in ipſo Conſilio exiſtentes , ſcilicet : Paſſavintius Judex , Dominus Gabriel Advocatus , Delacurra Miles juſtitiæ , Ugolinus de Azolino , Rufinus de Deſcenzanis , Bonaccurſus de Taſca , Guidettus de Bonfacto , Gandolfinus de Aroldo , Petrozolus de Albacaſſi ; Cremoſanus Campſor , Bonaventura de Adelardis , Ugo de Bucchis , Gandolfinus de Micaro , Ottobonus de Nevelona , Ottolinus Parolarius , Federicus de Palaſtro , Perſona Camſor , Ognabene de Folenginis , Zilius de Bavo , Albertus de Petrezano , Guaſcus de Cauriana , Buccamajor Conſul Mercatorum , Albirolus Pelliparius , Zunta de Bigarello , Johanninus de Scavezato , Petrus de Azzo , Manfredus de Oculo , Zanellus de Diſcodata , Albertinus de Baldoino , Zambonus de Deſcenzano , Ugo de Magiſtro Raimundo , Raimundus de Leteblanis , Dominus Presbiter Judex , Dominus Solazius , Prandinus de Racchis , Conradus de Cauriana , Rubeus de Opizis , Albertus de Rodulfo Fante , Ugo de Madonna , Anſeleſinus , Albertinus de Michaëlis , Fedicius de Aſula , Guido Arcialdi , Ottonellus Beccarius , Uguicio de Azzo , Albertinus de Bruniardis , Beribolottus , Jacobus de Miſolino , Compagnonus de Petro Mezano , Adelardus de Crema , Ruſtigellus Piſcator , Nicholaus Calegarius , Martinus Guidonis de Crema , Dondedeus de Cremaſchis , Thodiſcus Judex , Saladinus de Capharis , Pegolottus Judex , Boſo de Pultrone , Henricus de Deſcenzanis , Hubertus de Inviaco , Albertus de Benfacto , Amadeus de l'Aceto , Petrus Notarius de Caſtello Gualterio , Zacheus Domini Vacellæ Judicis , Quilianus Vicedominus , Fredenzonus de Opizis , Gonbertus Judex de Redaldo , Petrus Judex de Leteblanis , Albertus Advocatus , Zilius de Arlottis , Attolinus Domini Alberti Advocati , Paganus de Saraceno , Tajaferrus de Arlottis , Ugolinus de Feroldis , Zanebonus Ugonis de Belliſſima , Zanebonus Judex , Ugutio de Groſolanis , Bonaccurſus de Malencalzo , Henricus Domini Conradi de Boſone , Boſo Judex , Jacobus de Groſolanis , Ugo de Botengo , Deulo-guardi de Blado , Auzelerius de Capharis , Domaſcellus Trivalus , Johannes de Calderia , Trimannus de Ripalta , Gratiadeus de Ripalta , Fionus de Deſcenzanis , Henrigacius de Campitello , Conus Ugonis de Botengo , Joachinus de Capreſio , Johanninus de Arnaldis , Jacobus de Naimerio , Bonazunta Judex de Tinctore , Bonaventura de Groſolanis , Maintuanus de Malvizio , Sinittus de Juſtamonte , Zerutus de Bonacoſa , Zilius de Balduino , Magnanus Agiſius Capud Paratici , Zanebonus de Gongozola , Ziliolus de Radicio , Ricardus de Regazana , Bonaventura de Faſanis , Dominus Recuperatus Vicedominus , Albertus de Deſcenzano , Jaccanus de Buſane , Dominus Zanebonus de Gambalinis , Dominus Mairoldus de Arlottis , Dominus Joannes de Rainerio , Dominus Morandinus de Arnaldis , Dominus Benvegnutus Judex , Dominus Gabriel de Turre , Dominus Paſſaguadus de Sancta Agatha , Dominus Bonazunta , Dominus Gabriel Trivalus , Dominus Johannes de Ripalta , Dominus Caſtellanus de Capharo , Dominus Conradus Scartorum , Dominus Albertus Scaperlus , Mantuanus de Gaimaro , Dominus Oprandus de Capharo , Dominus Conradus de Ragazatio , Capharinus de Capharo , Dominus Conradus de Gambalinis , Dominus Adaminus Domini Venturæ , Petrus Ugonis Vecli , Guidolinus de Ripa , Creſcimbene de Deſcenzano , Villanus Boaterius , Compagnonus Petri de Imperia , & Scardina de Taſca . Ferrarienſes jurant attendere & obſervare omnia concordia & pacta facta inter Mantuanos & Ferrarienſes tempore* Marchionis Azonis Eſtenſis , *& ab eo tempore infra , & in omnibus viciſſim obſervare . Et ſimiliter jurant Ferrarienſes attendere , quod lata ſententia per arbitros electos a Mantuanis in Ferraria in eo , quod Commune Ferrariæ tenetur Mantuanis , ſolutio debeat fieri infra unum menſem uſque ad quantitatem CCCC. Librarum Imperialium , de quibus Pultroni & Caphari debent habere mille Libras Ferrariæ , alii verò Mantuani debent habere CC. Libras Ferrariæ . Reſiduum , ſi quod erit , debet ſolvi per hos duos terminos , videlicet dimidium in Foro Sancti Martini , & aliud dimidium in Foro Olivarum , non obſtante aliquo pacto vel concordia , quæ ſit ; ne arbitri aliquid accipiant a partibus , ſecundùm tenorem conſuetum , quem intelligimus XII. Imperiales de Libra accipere poſſint . Quæ omnia ſupradicta in omnibus & per omnia Dominus Suſinellus , & Dominus Jacobinus de Trotta , & Dominus Zacharias , & Dominus Jacobinus de Vetula , Ambaxatores Communis Ferrariæ in publico Conſilio Mantuæ , ad ſonum campanæ in Palatio Domini Mantuani Advocati , coadunato , juraverunt attendere & obſervare , & quod ita facient jurare univerſum Conſilium Communis Ferrariæ generale infra tertium diem , ex quo eis denuntiatum fuerit per Nuntium Communis Mantuæ , die Sabbati IV. intrante menſe Junii , Indictione IV. Mantuæ MCCXVI.*

Sancti Spiritus adſit nobis gratia . Anno a Nativitate Domini M.CXVI. Indictione IV. Ferrariæ in domo quondam Zilioli de Guizardo , temporibus Innocentii Papæ , & Frederici Roma-

Romanorum Regis, die IV. exeunte Majo, præſentia Domini Pagani Judicis, Aliotti, & Forgerii ad hæc teſtium rogatorum, Domini Suſinellus, Zacharias, Jacobinus de Trotta, & Jacobinus de Vetula pro facto contentionis, quæ eſt inter Ferrarienſes & Mantuanos, unum breve in concordia dederunt Domino Rodulpho Guidonis Burgognoni . . . . . . Poteſtatis Fer-

A *rariæ, in quo ita continebatur :* In nomine &c. Concordia talis eſt &c.

Et ego Tedericus prænomine Rigatius, ſacri Palatii Notarius, præſens eram, quando prædicti Domini hoc breve dederunt Domino Rodulfo, & ut in eo ſcriptum inveni, ſic manu propria in publicam formam reducens ſcripſi & firmavi.

Pacta Pacis & Fœderis initi inter Veronenſes & Ferrarienſes, Anno 1217.

„ IN nomine Patris & Filii & Spiritus San-
„ cti. Amen. Tale eſt concordium in
„ ter *Commune Ferrarie, & Dominum*
„ *Bombaronem Poteſtatem ipſius Civitatis* ex
„ una parte, & *Dominum Mattheum de Cor-*
„ *rigia Poteſtatem Verone, & Commune Ve-*
„ *rone ex altera*. Quod Commune Ferrarie
„ teneatur dare & ſolvere octuaginta & quin
„ que Libras Imperialium ipſi Communi Ve
„ rone, vice illorum hominum Verone & ejus
„ diſtrictus, quorum lignamen fuit ablatum
„ Ferrarie in principio guerre de Ferraria, &
„ vice illorum Mercatorum Veronenſium, qui
„ bus ablatum fuit avere ſuum apud Argentam
„ tempore, quo Ugo de Guarmaſia tenebat
„ Argentam, in Foro Sancti Martini proxi
„ mo de Ferraria. Et hoc jurent in Conſi-
„ lio Ferrarie ſuper animam illorum de Con
„ ſilio obſervari per preconem, datâ ſibi para-
„ bolâ a ſingulis de Conſilio. Et propter hoc
„ Commune Verone teneatur defendere &
„ conſervare indempne cum ratione Commu
„ ne & homines Ferrarie & diſtrictus ab om-
„ nibus hominibus Verone & diſtrictus, quo-
„ rum fuit illud lignamen & avere, vel ab
„ illis, quibus illi homines jura ſua dediſſent,
„ ſi aliquo tempore appareret: & facere fieri
„ finem & pactum de amplius non petendo il-
„ los homines Verone & diſtrictus, quorum
„ lignamen fuit & avere predictum, aut here
„ des illorum, Communi Ferrarie & homini-
„ bus Ferrarie & diſtrictus, de omni eo,
„ quod ipſi propter hoc eis dicere poſſent.
„ Item quod res intromiſſe per utrumque
„ Commune reſtitui debeant infra quindecim
„ dies, poſtquam petite fuerint in hunc mo-
„ dum. Videlicet, ſi exſtant & ſunt penes
„ Commune, illud Commune reſtituat, penes
„ quod ſunt Et ſi deteriorate eſſent, exti-
„ matio deteriorationis reſtituatur ei a Commu-
„ ni, quod intromiſit, ſacramento: de dete-
„ rioratione vel probatione teſtium, ſi viſum
„ fuerit Arbitris, per teſtes cognoſci oporteat
„ Et Commune teneatur ad extimationem de-
„ teriorationis ſolvendam infra quindecim dies,
„ poſtquam denuntiata fuerit per Arbitros
„ Et teneantur Arbitri ſuper extimatione dete-
„ riorationis pronuntiare infra quindecim dies,
„ ſi ille qui petierit, inſtiterit. Si vero res
„ intromiſſe non extant, fiat reſtitutio extima-
„ tionis earum infra predictum terminum de
„ valentia, qua valebant tempore, quo intro-
„ miſſio facta fuit &c. Et hoc totum fiat ſine
„ Placito & Datia. Et Arbitri, qui erunt ele-
„ cti in Ferraria, teneantur rationem facere
„ omnibus hominibus Verone & diſtrictus,
„ qui coram eis venerint pro ratione petenda
„ cum literis ſigillatis ſigillo Communis Vero-
„ ne, ſecundùm leges & bonos mores de de-
bitis ſine uſuris, de poſſeſſionibus invaſis ſine

B „ fructibus, & de rapinis ſine pœna, de ſer-
„ vis & familiis, ſecundùm conſuetudinem Re-
„ gni & regionis Et teneantur cauſas definire
„ infra triginta dies a tempore litis conteſtate,
„ niſi ſteterit per actorem, vel juſto impedi-
„ mento, ſi modo pignus ſue rationis habue-
„ rint &c. Hoc idem & eorum modo fiat per
„ Arbitros Veronenſes versùs homines Ferra-
„ rie & diſtrictus, ſalvo ſemper omni eo,
„ quod additum fuerit vel diminutum in con-
„ cordia per Poteſtates & Rectores utriuſ-
„ que Civitatis in concordia & Capitulis om-
„ nibus concordie facte inter Ferrariam &
„ Veronam. Et teneantur Arbitri qui erunt
„ electi in utraque Civitate, tempore ſuo diſ-
C „ finire queſtiones confinium utriuſque Civita-
„ tis bona fide ſine fraude. Die Jovis Primo
„ intrante Junio, in Villa Poleſini Mercato-
„ rum Verone ſub porticu domus habitationis
„ Ubertini, in preſentia Dominorum Ugolini
„ Judicis & Aſſeſſoris Poteſtatis Ferrarie, Ja-
„ cobini de Trotta, Guidonis de Marcheſino
„ de Mainardis, Bonijohannis de Anſediis,
„ Thomaſini de Domino Leuzo Ambaxatorum
„ Communis Ferrarie, Dominorum Bartholo-
„ mei de Broilo, Manoëlli de Lendenaria,
„ Vianeſii de Domino Zordano de Henrico
„ Balbo, Conratti Zataculi, Marcii de Pane-
„ vino Ambaxatorum Verone, & Henrigatii
„ Notarii Communis Ferrarie, & aliorum
D „ multorum, prenominatus Dominus Bomba-
„ ronus Poteſtas Ferrarie pro Communi Fer-
„ rarie promiſit dicto Domino Mattheo Pote-
„ ſtati Verone pro Communi Verone in omni-
„ bus ac per omnia attendere & obſervare
„ prout ſuperius dictum eſt in integrum. Item
„ predicta die Quarta intrante Junio in Palatio
„ Communis Ferrarie, in preſentia predicti
„ Domini Ugolini, & Dominorum Rainerii &
„ Ugolini Militum Poteſtatis Ferrarie, dicti
„ Henrigatii, Albertini Notarii, Bonencontri
„ Viatanis, Ambaxatorum Verone, ibique in
„ Conſilio Credentie Ferrarie congregato ad
„ ſonum campane, Picinninus Preco Commu-
„ nis Ferrarie juravit ſuper animam illorum
E „ de Conſilio, quorum nomina hìc inferius le-
„ guntur: Ottolinus de Mainardis, Thomaſi-
„ nus Paltonerii, Vivianus Ubaldini, Giberti-
„ nellus, Guidolinus Guillelmi de Joculo Vi-
„ talianus, Marchiſinus de Mainardo, Henge-
„ leſcus, Johannes Trotte, Vitalianus, Gui-
„ do Contrarius &c, quod omnes ei parabo-
„ lam dederunt, ut ſuper eorum animabus
„ juraret ad ſancta Dei Evangelia, dare &
„ ſolvere dictas LXXXV. Libras Communi
„ Verone &c. Milleſimo Ducenteſimo Decimo
„ Septimo, Indictione V.

Ego Avincius ſacri Palatii Notarius omnibus predictis interſui, & rogatus ſcripſi

„ Concordia

„ Concordia Mutinæ & Ferrariæ, Anno 1220.

„ IN Chriſti nomine. Anno a Nativitate
„ ejuſdem Milleſimo Ducenteſimo Vigeſi-
„ mo, Indictione VIII. Mutinæ, die
„ Sabbati, VIII. exeunte menſe Februarii, in
„ Palatio Communis Mutinæ, in pleno Conſi-
„ lio coadunato ad ſonum campanæ, præſen-
„ tibus Ambaxatoribus Communis Ferrariæ,
„ videlicet Domino Zuliano Signorelli, Petro
„ de Albaro, Benno Judice, Domino Guido-
„ ne Jacobi, & Conradino Alberti de Alduiſe,
„ & his aliis præſentibus, Lombardello Nota-
„ rio, & Dominico de Sabbatino Notario,
„ Marco de Tribunello, & aliis pluribus.
„ Compendioſe his literis declaratur, qualiter
„ *Dominus Rambertinus de Ramberto Mutinæ*
„ *Poteſtas* promiſit & corporaliter juravit ob-
„ ſervare & firmam tenere concordiam & pa-
„ cem factam inter Ferrariam & Mutinam
„ verbo & voluntate totius Conſilii ejuſdem
„ Civitatis Mutinæ ſub hoc tenore & forma
„ verborum: Ego Rambertinus de Ramberto
„ Mutinæ Poteſtas, Civis Bononiæ, nunc verò
„ Poteſtas Civitatis Mutinæ, promitto per me
„ meoſque ſucceſſores pro Communi Mutinæ,
„ & ejus nomine, & juro corporaliter verbo
„ & voluntate totius Conſilii ejuſdem Civitatis
„ ad campanam pulſatam coadunato, vobis
„ Ambaxatoribus Ferrariæ, ſolemniter ſtipu-
„ lantibus & recipientibus pro Communi, &
„ nomine ejuſdem Civitatis Ferrariæ, videli-
„ cet Zuliano Signorelli, & Domino Petro de
„ Albaro, & Domino Benno Judici, & Do-
„ mino Guidoni Jacobi, & Domino Conradino
„ Alberti de Alduiſia, obſervare & firmam
„ tenere concordiam factam inter Ferrariam
„ & Mutinam, factam & juratam in Palatio
„ Communis Mutinæ in pleno Conſilio ad cam-
„ panam pulſatam, ſecundùm quod relegitur
„ & continetur in Charta facta per Marcum
„ Notarium Civitatis Mutinæ. Quæ Charta
„ dicti Marci Notarii fuit exemplata per ma-
„ num Magiſtri Petri, ſacri Imperii, Ferra-
„ riæque Notarii, de voluntate mei Poteſtatis
„ Mutinæ, & noſtræ Curiæ, cujus tenor talis
„ eſt: Ego Mutinenſis juro ſalvare & cuſtodi-
„ re Ferrarienſes in perſonis & rebus & res &
„ perſonas in toto diſtrictu Mutinæ & in Mu-
„ tina, nec in alieno offendere. Et hoc fa-
„ ciam hominibus de Civitate vel diſtrictu vel
„ Epiſcopatu Ferrariæ, in terra & aqua, &
„ in diſtrictu Mutinæ. Et quod non auferam
„ aliquid Ferrarienſibus in toto diſtrictu vel
„ Epiſcopatu Mutinæ, excepto tribus Dena-
„ riis de modio Salis, ſi Mutinam duxerint,
„ & Mutinenſes in ſe & aliis Datiam Salis im-
„ poſuerint. Item juro adjuvare Ferrarienſes
„ & Ferrariam contra omnes perſonas & Ci-
„ vitates, exceptis Parma, Regio, & Bono-
„ nia. Et quicumque erit inimicus Ferrariæ,
„ erit inimicus Mutinæ. Scholares verò, qui
„ ſunt vel erunt Mutinæ, & eorum res & ſer-
„ vientes, undecumque ſint, libere poſſint ire
„ & redire & ſtare. Et inimicos Ferrariæ
„ non permittam ire per meam terram nec per
„ meam aquam cum perſonis nec cum rebus.
„ Et nec liceat mihi facere pacem vel concor-
„ diam cum aliqua Civitate, cum qua Ferra-
„ rienſes habent vel habebunt guerram, ſine
„ permiſſu Ferrariæ. Et quod bis in anno fa-
„ ciam exercitum cum militibus, peditibus,
„ & arcatoribus ad meas expenſas, ubicumque
„ voluerint, in Epiſcopatu & diſtrictu Ferra-
„ riæ: & per octo dies, ex quo adjunctus
„ fuero cum Ferrarienſibus ſtabo, & eos bona
„ fide adjuvabo. Et non retinebo bannitos
„ Ferrariæ, ex quo fuero requiſitus a Recto-
„ ribus Ferrariæ vel eorum Nuntiis. Et non
„ retinebo blavam de ſua terra, vel de ſuis
„ operibus acquiſitis, vel cum ſuis animalibus
„ vel aliunde, quod de alio Epiſcopatu duce-
„ re voluerint. Vel ſi aliud mercatum duce-
„ re de alio Epiſcopatu voluerint, permittam
„ venire. Et bis in anno dare milites & ar-
„ catores, ſecundùm quod in ſua Civitate vel
„ diſtrictu reperiretur. Et per octo dies, ſe-
„ cundùm quod dictum eſt, ſtare meis expen-
„ ſis. Et bannum fructuum arborum eis Fer-
„ rarienſibus in aliquo tempore non tenebo.
„ Et libere permittam Ferrarienſibus ire ſur-
„ ſum, & juſſum ad omnes ſuas negotiationes
„ faciendas, niſi ad domos inimicorum Muti-
„ nenſium. Et hoc ſacramentum in omnibus
„ Capitulis ſupraſcriptis per unumquodque
„ quinquennium renovabo ab his, qui illud
„ fecerint, & ab aliis de Civitate & Epiſco-
„ patu Mutinæ, qui non fecerint, a quatuor-
„ decim annis ſupra uſque ad ſeptuaginta an-
„ nos infra, de novo fiat: & ipſi deinde per
„ ſingula quinquennia renovabunt. Et ſi ali-
„ quid additum vel diminutum fuerit, conſen-
„ ſu utriuſque Civitatis, facto Conſilio publi-
„ co ſonato ad campanam ſonatam, obſerva-
„ bo. Et ſi aliqua diſcordia de prædictis, vel
„ de aliquo prædictorum, vel de quocumque
„ alio apparuerit, inter eos per duos homines
„ de ipſis Civitatibus componatur, qui ab ipſis
„ Civitatibus prædicto modo eligantur, &
„ Civitates eis parere teneantur. Et prædicti
„ Arbitri jurent quod infra triginta dies deffi-
„ nient, nihilominus Capitulis omnibus firmis
„ manentibus. Et mea plauſtra vehere Sa-
„ lem Mutinam aliunde niſi de Ferraria non
„ permittam, & nec in guerram Ferrariæ frau-
„ dulenter retinebo. Et hæc omnia obſervare
„ in perpetuum volo, ſalvis ſacramentis Socie-
„ tatis Lombardiæ, quæ feci, & quæ in futu-
„ rum faciam. Item eodem modo juro & pro-
„ mitto obſervare pacem factam apud Pontem
„ Ducis, ſecundùm quod continetur in Inſtru-
„ mento facto per manum Martini ſacri Pala-
„ tii Notarii Mutinæ. Item promitto & juro
„ omnia obſervare Capitula illius Inſtrumenti,
„ quod eſt ſcriptum per manum Thomaſini
„ Notarii Mutinæ, tempore quo Dominus
„ Rolandus Rubeus erat Poteſtas Mutinæ.
„ Item promitto & juro obſervare & in per-
„ petuum firmum tenere ordinata omnia Capi-
„ tula Ferrariæ per Ambaxatores Mutinæ, vi-
„ delicet Dominum Thomaſium Legis Docto-
„ rem, & Dominum Henrigum, & Dominum
„ Rainuccinum de Parma, & Ubertum de
„ Gazo, & Rolandinum de Iſoëro, & Girar-
„ dinum Alberti de Garſone, & Dominum
„ Rodulfum Judicem & Aſſeſſorem Domini
„ Rambertini Poteſtatis Mutinæ pro ipſo Com-
„ mune Mutinæ ex una parte, & *Dominum*
„ *Albe-*

„ *Albericum de Andito* tunc *Poteſtatem Ferra-*
„ *riæ*, & ſuos Conſiliarios, & per Plebanum
„ & Albergietum de Gogolo Conſules tunc
„ Populi Communis Ferrariæ, & eorum So-
„ cios pro Communi Ferrariæ ex altera. Quæ
„ quidem talia ſunt Capitula.

„ Nos Ferrarienſes & Mutinenſes volumus
„ inſimul obſervare pacem factam apud Maſ-
„ ſam & Pontem Ducis vel occaſione Pontis;
„ & ſi in aliquo derogaretur concordiæ Maſſæ
„ per concordiam factam apud Pontem Ducis,
„ vel occaſione Pontis Ducis, volumus quod
„ teneat id, quod relegitur in concordia Pon-
„ tis Ducis. Et volumus, quod ſi quis cum
„ aliquo contraxerit, vel aliquo modo obliga-
„ tus erit, ille tantum, qui eſt vel erit obli-
„ gatus, conveniatur, vel ejus heredes vel
„ bona ejus exigantur, & non alius convenia-
„ tur vel impediatur in avere vel in perſonis,
„ ſive Commune, ſive ſingularis perſona.
„ Item ſunt in concordia, quod Mutinenſes
„ habeant ſtaria facta ad modum ſtarii de pe-
„ tra de Ferraria, & bullata cum bulla jura-
„ torum Ferrariæ, & ita ſint ampla de ſupra,
„ quemadmodum & de ſubtus, & ſint juſta
„ Item ſolvant Mutinenſes quilibet, qui ha-
„ buerint furcatam in Mercatis Ferrariæ, vel
„ tabulam, duos Solidos Imperiales pro fur-
„ cata & tabula. De prædis verò vel invaſio
„ nibus factis de rebus Mutinenſium a Domino
„ Salinguerra, vel ab Albertino, vel a Com
„ muni Ferrariæ, vel ab aliis perſonis eorum
„ occaſione, quod Commune Ferrariæ non
„ teneatur eis reſtituere vel reſtitui facere
„ niſi id, quod legitime probatum eſſet per
„ teſtes in utilitatem Communis proceſſum vel
„ alterius perſonæ. Quod ſi probaretur, &
„ Commune & aliæ perſonæ prædictæ, in
„ quarum utilitatem proceſſæ forent, tenean-
„ tur reſtituere, niſi illa perſona vel illæ per
„ ſonæ haberent de voluntate Domini Salin-
„ guerræ, vel Domini Albertini, vel eorum
„ occaſione. Sed ſi aliquis Ferrarienſis eſt
„ obligatus alicui Mutinenſi ex mutuo vel ex
„ venditione, vel ex qualibet alia obligatione,
„ procedente ex contractu vel quaſi, ante ul-
„ timum introitum Carpi, & illud debitum
„ fuit intromiſſum pro Domino Salinguerra
„ vel Domino Albertino, vel eorum occaſio-
„ ne, & illud debitum non fuit exactum a
„ debitore, nec in compenſatione ſibi dedu-
„ ctum, & Dominus Salinguerra fecerit illud
„ diſtromitti, deinde Arbitri de Ferraria
„ vel Poteſtas teneatur facere rationem Muti-
„ nenſi Creditori de Ferrarienſi debitore.
„ Item ſi Dominus Salinguerra vel Dominus
„ Albertinus habuerint aliquid ab aliquo Fer-
„ rarienſi debitore alicujus Mutinenſis ex con-
„ tractu vel quaſi, & de propria voluntate
„ reſtituerint dicto Ferrarienſi debitori Muti-
„ nenſis, creditor habeat rationem de dicto
„ Ferrarienſi ſuo debitore. Item ſunt in con-
„ cordia, quod poſſeſſiones & invaſiones, &
„ inframiſſiones, & fructuum æſtimationes,
„ prout ſcriptum eſt per Petrum Fabri Nota-
„ rium Communis Mutinæ, & per Magiſtrum
„ Petrum Notarium de Ferraria, reſtituantur
„ Ferrarienſibus Civitatis vel diſtrictus, ſive
„ pro Communi, ſive pro alio, qui ſit de
„ diſtrictu Mutinæ. Et quod fuerit ablatum
„ vel intromiſſum, Commune Mutinæ reſti-
„ tuere debeat, vel reſtitui faciat. Et hoc Ca-
„ pitulum locum habeat a tempore illo, quo
„ Mutinenſes intraverunt Carpum ultimo loco.

A „ De aliis autem poſſeſſionibus ante introitum
„ Carpi factis a Communi vel ab aliis perſo-
„ nis, civibus Ferrariæ, vel comitatinis, ab-
„ latis vel intromiſſis, juris ordo ſervetur.
„ Item volumus, quod duo Arbitri eligantur
„ ab utraque Civitate, qui cognoſcant de
„ quæſtionibus emergentibus, vel quæ move-
„ buntur inter Mutinenſes & Ferrarienſes, ſive
„ inter Commune utriuſque Civitatis, ſive
„ inter Commune & ſingularem perſonam Mu-
„ tinæ vel Ferrariæ. Qui arbitri debeant diſ-
„ finire quæſtiones & cognoſcere ſecundùm
„ jus & formam prius datam eis. Et Poteſta-
„ tes ambarum Civitatum teneantur firmare
„ concordiam & pactum factum inter Muti-
B „ nam & Ferrariam, & facere jurare aliis
„ ſuis ſucceſſoribus, & poni in Statuto utriuſ-
„ que Civitatis. Et nullus ſit Poteſtas utriuſ-
„ que, niſi hoc ſacramentum juraverit. Item
„ Poteſtas vel Rector Civitatis Mutinæ, qui
„ nunc eſt, vel erit per tempora, juret man-
„ dare ſententias ſive arbitria, datas vel data
„ per Arbitros electos a Ferraria in Mutina
„ pro Communi Ferrariæ, vel per alios Judi-
„ ces inter Ferrariam & Mutinam, vel inter
„ unum Commune & aliud, vel inter ſingu-
„ lares perſonas de Ferraria & Commune Mu-
„ tinæ, exſequutioni infra decem dies poſt
„ latam ſententiam per res & facultates debi-
„ toris; vel mittatur in bannum, ſi placuerit
C „ Creditori, de quo non extrahatur ſine ejus
„ permiſſu, vel niſi prius ſit ſatisfactum ipſi
„ Creditori. Et hæc ſupradicta juraverunt illi
„ de Conſilio Mutinæ, & Poteſtas, & illi de
„ Curia Communis, & dictam pacem & con-
„ cordiam obſervare, nomina quorum ſunt
„ hæc:

„ Primo Dominus Rambertus de Ramberto
„ Mutinæ Poteſtas, prout dictum eſt, Domi-
„ nus Girardus de Oriono, Dominus Ugo de
„ Gorzano, Dominus Johannes de Nonantula,
„ & Dominus Jacobus de Benincaſa, Judices
„ Communis Mutinæ: Dominus Albertus de
„ Sigizo Maſſarius Communis Mutinæ, Do-
„ minus Albertinus de Savignano, & Domi-
D „ nus Manfredinus de Carpo, Procuratores:
„ Dominus Johannes Papazonus, Dominus Gi-
„ rardus Burgeſanus, Dominus Aldeurandinus
„ de Oriono, & Dominus Girardinus de Fre-
„ do, Milites Juſtitiæ Communis Mutinæ:
„ Jamboninus de Bonaſante, Bonencuntrus
„ de Pacificis, Armanninus Domini Conradi,
„ Ubaldinus de Prato, Luſcus, Guillielmus
„ Atonis, Gidiolus de Gorzano, Bonagratia
„ de Fantello, Bonaccurſus de Biſio, Rolan-
„ dinus Johannis Longi, Petrusbonus Nota-
„ rius, Gibertinus Conradini, Contra de Pa-
„ ganino, Rainuccinus Albergitti, Paſſavan-
„ cius Raimundini, Ardicio Notarius, Joa-
„ nardus Guilicionis, Riſonaſſus, Petrus de
E „ Gargallo, Rodulfus de Giname, Rainerius
„ de Gazo, Egidius de Ciretis, Dominus
„ Bartholomæus de Nonantula, Gerardus de
„ Savignano, Ugolinus de Gazo, Jacominus
„ de Spezano, Raimundus de Campilio, Bar-
„ tholomæus de Præſulo, Girardinus de Gar-
„ ſone, Dominus Girardus de Runco, Domi-
„ nus Guido de Carpo, Girardus de Magreta,
„ Dominus Rolandinus de Cilliano, Girardi-
„ nus de Beccafava, Bernardinus de Paſſa-
„ ponte, Rolandinus de Zinzano, Petrus de
„ Gorzano, Ziliolus Jacobini de Zilio, Jaco-
„ binus de Tuſco, Guizardinus Alberti Grot-
„ ti, Delaita de Severio, Guidobonus Pizoli
„ Beccarii,

„ Beccarii , Johannes Petri Spatarii , Janellus
„ Baldicini, Ribaldinus de Compagnono, Ber-
„ tolottus Judex , Jacobinus de Maitile , Gi-
„ dius de Varana , Rainerius de Rocco , Ja-
„ cobinus Burſarius , Bonaccurſus Finimundi,
„ Albertinus de Montalfredo , Baluganus de
„ Balugola , Leonardus de Conventis , Petrus
„ de Sancto Marco , Girardinus Albette ; &
„ ipſo Petro Fabri Notario Communis Muti-
„ næ , nomina prædictorum , manu propria
„ ſcribente . Dominus Guillielmus de Tonſo ,
„ Araldinus de Bozolo, Gibertinus Ferrarius,
„ Johannes de Fredo , Dominus Guido de
„ Guidone , Lanfrancus Capellarius , Fante-
„ bonus Notarius , Martinus Prezenarius, Al-
„ bertinus de Flumine , Bernardinus Faber ,
„ Dominus Rolandinus de Guidotto , Marti-
„ nus Scanaromeus , Dominus Nicolaus de
„ Adelardis, Dominus Girardus de Buſchetto,
„ Ferrarius filius Rainerii Fabri , Petrus Bo-
„ nazolus , Ugo Michaëlis , Ugolinus Secla-
„ rius , Raimundus Ugolini de Porcile , Do-
„ minus Paſſaponte , Johannes de Bondeno ,
„ Janellus de Macreto, Girardinus de Canale,
„ Rubeus de Villalunga , Jacobinus de Pego-
„ lotto , Richerius de Buccadelucio , Natalis
„ Notarius , Ropicinus , Jacobinus Notarius ,
„ Bernardus Paltonus , Pegolottus Pellizarius,
„ Jacobinus Armanetti, Albertinus Capellarius,
„ Magiſter Salomon , Johannes Boracii , Azo-
„ linus Telzetti, Girardinus Dominici , Petri-
„ cinus Merzatrus, Bonenſegna Guidonis Blan-
„ ci , Albertinus de Savenerio , Prendipart
„ Ambroſii , Fredaldinus Petri Spadarii, Ri-
„ cobonus Formicarii , Albertus Petri de Ta-
„ do , Guidottus de Baruncino, Johannes Bo-
„ nus de Panario , Natalis Calzolarius , Sil-
„ veſter Lanfranchini, Pandecampo de Sancto
„ Donato . Et hæc nomina , quæ continentur
„ ſub iſto paragrapho , ſcripta in eodem Con-
„ ſilio per manum Formicinelli Notarii Com-
„ munis Mutinæ , ipſo jurante idem ſacramen-
„ tum .

„ Jacobinus de Herberia , Dominus Paga
„ nelius Papazonus , Attolinus de Monacabus,
„ Dominus Guidonus, Maroëllus, Petrus Iſoë-
„ rii , Brunus de Fojano , Johannes de Azo-
„ lino, Rainucinus de Conventis, Petrus Gam-
„ bozellus , Girardinus Armanini , Albertus
„ Tholomei, Guidotus de Gazzo , Albertinus
„ Bertoni , Siſmondus Sartor , Girardinus Jo-
„ hannis do Curlo , Mutinenſis de Cavecla ,
„ Martinus Aguzolus , Ribaldinus de Ribal-
„ dis , Paſcalinus Murator , Jacobinus Pego-
„ lotti , Nicolaus Prezenarii , Ubertinus Ni-
„ gri de Alteinanno , Guido de Curleto , Ja-
„ cobinus Perzenarius, Armaninus de Alberto
„ Aigo , Campiliolus de Gorzano , Grimaldus
„ de Canali , Grimaldinus Piſcator , Girardi-
„ nus Granni , Rolandinus de Canali , Girar-
„ dus de Trebo , Girardus Preſuli , Azolinus
„ Notarius , Johannes Henrigetti , Bernardus
„ Luſcus , Richerius de Viletiis , Bertolottus
„ de Legorzano, Simon Frenarius, Ugo Gui-
„ zardini , Michaël de Amicis , Jacobus de
„ Bonamico , Bonusjohannes de Panzano, Ar-
„ dizio de Tonto, Dominus Conradus de Mu-
„ nario , Carlevarius de Nappis , Bonenſegna
„ de Petro Pizoli , Zacharias Martini Oſellet-
„ ti , Zappus Piſcator , Oddus Sellarii , Guil-
„ lielmus Garxonus , Henrigittus Purcelli, Pi-
„ zolus Judex , Conradus , Bonaventura de
„ Tertio , Johannes Bonus Beccarius , Giber-
„ tus de Campilio , Benaſſai de Gambutio ,

A „ Panteleonus Tabernarius : hæc verò nomina
„ comprehenſa ſub iſto paragrapho ſcripſit
„ Marchiſinus Notarius . Jacobinus de Monte,
„ Thetelminus Judex, Ferracaballus Notarius,
„ Johannes de Oprandinis , Simon Radaldi ,
„ Odoricus de Savignano , Ventura de Mu-
„ ſardo , Johannes de Belencino, Manfredinus
„ de Strata , Dominus Silettus , Guido Alde-
„ fredi , Albertus de Boccadelucio , Bonuſ-
„ martinus Zochenolus , Ziliolus de Romana,
„ Honardus de Boccabadada , Ottolinus de
„ Bonicis , Jacobinus Pantaleonis , Jacopinus
„ Girardi Notarius , Alexandrinus de Cu-
„ gnento , Jacobus de Collegarola , Bertolus
„ de Scarlatta , Rainerius Benaſſai, Stephanus
B „ Fruitarolus , Janellus de Saleceta, Delaita
„ Notarius , Bernardinus Zenarenus , Giber-
„ tus de Vignola , Odoricus Notarius, Benaſ-
„ ſai de Bertolotto, Grimaldinus de Vigizolo,
„ Albertinus Nigri , Benaſſai de Abbate , Al-
„ bertinus Alberti de Rozo , Peregrinus Ra-
„ voleti, Girardus de Guidobono , Roſolinus
„ Jacobi de Limite , Benaſſai Notarius , Oſ-
„ vertus , Uguicio Albertoni, Albertus Bozo-
„ lus , Diuteſalve Merzatrus , Sabadinus Car-
„ rarius , Petrocinus , Silveſter Pancogolus :
„ & hæc nomina ſcripſit Johannes de Curti-
„ ſellis Notarius . Dominus Thomas , Iſem-
„ brandus Prandus , Petrus de Curteſellis ,
„ Guillielmus Ubaldi, Girardus de Ganacedo,
C „ Petrizollus de Ollis , Guido Rabatonus ,
„ Guido Biaque , Albertinus Raſcarius, Do-
„ minus Corvolinus , Lanfranchinus de Balu-
„ gula, Jamboninus Patrenella, Gibertus Am-
„ broſii , Gandulfus Blanci , Nicolaus Siletti,
„ Palmerius Brembati , Guido de Stirpa, Do-
„ minus Bonifacius de Duce , Belo , Sigizzus
„ de Marzo, Henrigus de Sancto Marco , Pe-
„ trusbonus Calderarius , Vibertus Breda ,
„ Lanfranchinus de Marano , Johanninus Bec-
„ carius , Azzo de Gorzano , Petrus de Spel-
„ ta , Petrus Belfante , Johannes de Tezano ,
„ Marcus Beccarius , Albertus Scuſinus , Ru-
„ ſtiginus de Pizolis, Belfante Boracini , Ben-
„ aſſai de Ravolis , Girardus Guiriſii , Vivia-
D „ nus, Bartholomæus de Carpo, Jacobus Tho-
„ lomæi , Johannes de Ficca , Martinus de
„ Arcimano , Petricinus Ribaldus , Girardi-
„ nus de Perdimiſa , Rolandinus Iſoërii , Ri-
„ cobonus de Florano , Johannes de Bertonis,
„ Albertus de Pazano , Thomaſinus Covetta ,
„ Ubertus de Gazo , Baruſaldus Notarius, Pe-
„ trus Gaonchus, Dominus Ariverius, Alber-
„ tius de Caracoſa , Bonazunta Ferrator, Bo-
„ nifacius de Buoario , Manfredinus Malpaſti ,
„ Bartholomæus Aimi, Johannesbonus Pelaſo-
„ ſatus , Cirlamena , Jacobus de Cortiſia ,
„ Guizardus Notarius , Conradinus Beccarius,
„ Benolinus , Gibertinus Calzolarius , Ven-
„ tura de Cazettis, Johannes Bivalotti, Olde-
E „ velus Teſenus , Albertinellus Finimundi ,
„ Guidettus de Scarpizo, & Petrus Fabri No-
„ tarius : & hæc nomina ſcripſit Girardinus
„ Notarius . Guillielmus Ugonis Veſconte ,
„ Tanzonus Carimanus , Giliolus Pelizarius ,
„ Lambertus de Greppa, Dominus Guizardus,
„ Biacius de Cortatono , Raimundinus Febel-
„ lus , Dendininus Notarius , Ubertinus de
„ Covetta , Rainucinus de Parma , Guilliel-
„ mus Calderarius , Albertonus Veneticus ,
„ Ubertinus de Buccabadada , Mutinenſis de
„ Tonſa , Silveſter Sellarius , Martinus Petri
„ Magiſtri , Aſpetatus Merzatrus , Bonacoſa
„ de Parma , Ardicio de Scurtamane , Rainu-
„ cinus

„ cinus de Pariſio , Ginaminus Cazaguerra
„ Merzatrus , Driſolinus , Modininus Calzo-
„ larius , Albertus Domini Pilii , Baruſaldus
„ Scudarius , Guillielmus de Gazo , Ventura
„ de Montebabilo, Bonazunta Notarius, Ugo-
„ linus Johannis de Vitale , Jacobus Rolandi
„ Richelmi , Faſcherius Gualdus , Guido de
„ Verro , Rainerius Faber , Girardinus de
„ Muſano , Bonencontrus Notarius, Guido de
„ Duce , Jacobus Notarius , Ubertinus de
„ Romana , Petrusbonus de Trebbo, Radul-
„ fus de Covetta , Armaninus Judex , Rolan-

A

„ dus de Boſco , Delaì de la Bogna , Simon
„ de Maltrudis , Girardinus de Guizardo, Ni-
„ colaus de Ramico , Zamphugnus , Bonac-
„ curſus de Conrado , Marchiſinus Notarius,
„ Bonaparte Notarius . Hæc verò nomina
„ comprehenſa ſub hoc ultimo paragrapho ,
„ ſcripſit Galiottus Notarius , & idem ſacra-
„ mentum juravit .
„ Ego Petrus Fabri , ſacri Palatii & Com-
„ munis Mutinæ Notarius his omnibus præſa-
„ tis interfui , & de voluntate & mandato Po-
„ teſtatis & Conſilii Mutinæ ſcripſi .

„ Charta concordiæ Ravennæ & Ferrariæ , Anno 1221.

„ IN Milleſimo Ducenteſimo Viceſimo Pri-
„ mo , talis concordia facta eſt inter *Do-*
„ *minum Ugolinum Comitem Romagnæ &*
„ *Poteſtatem Ravennæ pro Communi Ravennæ* ,
„ & *Dominum Adelardinum Poteſtatem Ferra-*
„ *riæ pro Communi Ferrariæ* . Quod Arbitri
„ eligantur in utraque Civitate , qui cogno-
„ ſcant de prædis & rapinis & de debitis uni-
„ verſis tam manifeſtis & liquidis , quàm de
„ non manifeſtis a quindecim annis uſque ad
„ initium Poteſtatum prædictarum ; & a tem-
„ pore inceptionis Poteſtariæ Domini Ugolini
„ reſtituantur Ferrarienſibus tolonea & mal-
„ toletta, quæ non debent eis auferri, & præ-
„ dæ & robaturæ per Dominum Ugolinum ,
„ ſine cognitione Arbitrorum . Et Dominus
„ Adelardinus eodem modo de toloneis & mal-
„ tolettis & prædis & robaturis debet reſtitui
„ facere a tempore ſuæ Poteſtariæ ipſius . Et
„ quod nullum toloneum ſive maltolettum ,
„ excepto de Sale , auferatur Ferrariæ hinc
„ ad feſtum Sancti Petri proximi, niſi concor-
„ diter inter eos diffinitum foret , quod accipi
„ deberet . Et a feſto predicto in antea quid
„ quid Ferrarienſibus auferetur de voluntate
„ Poteſtatis Ravennæ , in manu religioſi viri
„ de Ravenna deponatur , donec cognitum
„ fuerit per eoſdem Poteſtates quid quantumve
„ auferri debeat Ferrarienſibus pro maltoletto
„ vel toloneo ; nullo inde præjudicio generato
„ alicui partium pro iſta locatione termini ſu-
„ pradicti. Item ſit in cognitione prædictarum
„ Poteſtatum de illis duabus Navibus , quæ
„ fuerunt robatæ & ſubmerſæ tempore guerræ
„ *Marchionis* , & *Salinguerræ* . De toloneis
„ ſive maltolettis , quæ ab initio ſuorum regi-
„ minum fuerunt ablata , in dictarum Poteſta-

B

„ tum cognitione eſſe debet , & cognita veri-
„ tate ex utraque parte , quid quantumque
„ exigere debeant ſeu recipere a Ferrarienſi-
„ bus, exigant & accipiant Ravennates & non
„ ultra. Et ſi aliquid ultra tolletum commune,
„ quod debent , penitus reſtituatur Ferrarien-
„ ſibus ſine aliqua quæſtione . Et arbitri te-
„ neantur diffinire poſt conteſtationem litis
„ cauſam infra quadraginta dies , niſi termi-
„ nus voluntate partium prorogaretur. Et latâ
„ ſententiâ Poteſtas teneatur ſententiam man-
„ dare exſequutioni primo de mobilibus , ſe-
„ cundo de immobilibus , tertio de nominibus
„ & actionibus infra viginti dies . Sin autem
„ aliquis per contumaciam vel alia de cauſâ

C

„ nollet judicio ſtare vel judicatum attendere,
„ teneatur Poteſtas eum in banno ponere , &
„ de Civitate & diſtrictu expellere . Et qui-
„ cumque de Civitate poſt banni denuntiatio-
„ nem per Civitatem factam , eidem bannito
„ in Civitate vel diſtrictu impenderit auxilium
„ & conſilium , totum quod contra ipſum
„ bannitum foret judicatum , ſolvere teneatur.
„ Et arbitri debeant cognoſcere per annum ,
„ & habere de unaquaque Libra duodecim
„ Imperiales . Interfuerunt Vitalis Judex , Jo-
„ culus , Dominus Petrus Traverſarius , Jo-
„ hannes de Azolino , Struſardus , Ambaxia-
„ tores Ravennæ : Domini Alexius , Guido
„ Contrarius, Roba , Ambaxiatores Ferrariæ,

D

„ in Capite Sandali . Die XI. intrante Junio ,
„ Domini Garuſſus , & Johannes de Bona ,
„ electi Arbitri a Ferrarienſibus , juraverunt
„ in Conſilio Ravennæ arbitramenta ſecundùm
„ tenorem concordiæ coram Domino Archie-
„ piſcopo , & illis de Conſilio .

Chartula concordiæ Mutinæ & Ferrariæ, Anno 1227.

IN Milleſimo Ducenteſimo Vigeſimo Septimo, die Jovis penultimo, exeunte Aprili, Indictione XV. Actum in Caſtro Finalis. In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Hæc eſt forma & tenor ſacramenti tractati & ordinati per Dominum Bernardum de Cornazano Poteſtatem Mutinæ, *nomine & vice Communis Civitatis ejuſdem, &* Dominum Ugolinum Hugonis Rubei de Parma Ferrariæ Poteſtatem, *nomine & vice Communis Ferrariæ ſuperius dictæ, qui talis eſt. Ego Arbiter & Judex electus a Communi Mutinæ in Ferraria ad rationem faciendam de Ferrarienſibus hominibus Civitatis, Epiſcopatus, & Diſtrictus Mutinæ, & ejus Communi, & a Communi Ferrariæ in Mutina ad rationem faciendam de Mutinenſibus hominibus Civitatis, Epiſcopatus, & Diſtrictus, & ejus Communi, juro ad ſancta Dei Euangelia bonâ fide ſine fraude recipere omnes querimonias mihi factas a ſingulari perſona contra Commune utriuſque Civitatis, vel a Communi utriuſque Civitatis contra aliud Commune, vel ſingulares perſonas, & a ſingularibus perſonis contra alias perſonas ſingulares, cognoſcere, terminare, & diffinire infra triginta dies poſt litis conteſtationem, vel poſtquam per reum ſteterit, quominus fiat litis conteſtatio ſecundùm jus & rationem & formam iſtius concordiæ, non obſtantibus aliquibus Statutis tam Civitatis Mutinæ quàm Ferrariæ, niſi iſtis tantùm, ſcilicet precariarum, libellorum, & feudorum. Quæ Statuta & ordinamenta in hunc modum tantùm & in iſtis capitulis obſerventur, videlicet quod precariæ ſive jura emphyteotica & libelli ab eiſdem precariis & emphyteoticis deſcendentes, & jura ab emphyteoſi, precariis & libellis deſcendentia propter ceſſationem penſionis, ſeu debiti canonis non ſoluti infra tempus legale, ſeu conventionale, non admittantur, nec a poſſeſſoribus auferantur. Sed pœnæ Statutorum ſuper his loquentium utriuſque Civitatis obſerventur & exigantur, ſcilicet penſio ſive canon debitus duplicetur. Item propterea quod precariæ ſeu jura emphyteotica ſive libelli ab eiſdem deſcendentes non amittantur, nec a poſſeſſoribus auferantur, eo quod ſint de jure ſeu ex conventionibus finita vel finitæ, ſed renoventur & renovare teneantur, ſi a conceſſoribus fuerit poſtulatum ſecundùm formam quantitatis pretii diffiniti in ſtatutis & ordinamentis, ſeu pactis Civitatis Mutinæ. Quæ obſerventur tam pro Mutinenſibus & ejus Diſtrictu habitantibus, quàm pro Ferrarienſibus & ejus Diſtrictu habitantibus. Item quod feminæ ſuccedant in precariis, libellis, & juribus emphyteoticis, & aliis ab eiſdem deſcendentibus, niſi lex contractus aliud inhibeat. Item quod Feudum propter inveſtituram non petitam a Vaſſallis vel eorum heredibus, jure feudi ſecundum jus ſuccedentibus non amittatur, & quod femine debeant ſuccedere in Feudis. In jure autem & juſtitia reddenda ſecundùm prædictam formam talis ordo ſervetur, quod libellus querimoniæ offeratur, ſi fuerit poſtulatum, ita quod libellus recipiatur ſine propoſitione actionis. Et eo oblato & a præſenti recepto, litis conteſtatio fiat infra tres dies. Et ſi abſens fuerit, citetur ad domum vel locum, ubi habitat vel habitare conſuevit, & fiat litis conteſtatio infra decem dies a tempore citationis. Et ſi præſens infra tres dies & abſens infra decem dies, ut eſt ſuperius recordatum, non fuerit paſſus litem conteſtari, tunc in cauſa procedatur in cognitione ipſius & ſententia diffinitiva, ac ſi lis eſſet conteſtata, ita tamen quod unus Arbitrorum ſive Judicum, habitâ licentiâ & parabolâ a Socio ſuo poſſit ſine altero audire, cognoſcere, diffinire, & terminare ſecundùm formam ſuperius ſcriptam. Et ſit licitum Arbitris accipere duodecim Denarios de Libra petita pro judicatura a qualibet parte, & non ultra nec aliquid aliud occaſione prædictæ litis; quam judicaturam poſſint auferre, poſtquam lis fuerit conteſtata. Item ab eorum ſententiis non appelletur, ſed poſtquam datæ fuerint ab eis Arbitris, injungatur terminus ſolvendi & ſatisfaciendi, condemnatis infra decem dies: quibus elapſis, ſi non fuerit ſolutum ſeu ſatisfactum eo præcepto, infra alios decem dies teneantur Poteſtates utriuſque Civitatis eorum præcepta & ſententias exſequutioni mandare per res & facultates illorum, qui fuerint condemnati, ut primo fiat exſequutio in pecunia numerata, ſecundo de aliis rebus mobilibus, tertio de immobilibus, quarto de nominibus indubitatis. Et ſi prædicta vel aliquod prædictorum deficeret, tunc ſit in arbitrio victoris, quod voluerit prædictorum, aut ipſum condemnatum poni in banno, & eo poſito eum capere ad voluntatem victoris teneantur Poteſtates utriuſque Civitatis. De quo banno exire non poſſit, niſi prius ſatisfecerit creditori de eo, quod ſibi fuerit condemnatum. Et poſtquam per Poteſtates fuerit in banno poſitus, ejus bona ad voluntatem victoris devaſtentur, & devaſtata permaneant, donec ei fuerit ſatisfactum, aut ejus bona eligat victor & jura ſibi in ſolutum dari. Et ſi aliquid huic arbitrio fuerit additum de voluntate Conſilii, valeat & pro firmo habeatur utriuſque Civitatis. Quibus omnibus prædictis fuerunt teſtes vocati ſpecialiter & rogati a prædictis Poteſtatibus utriuſque Civitatis ſuperius nominatis, Dominus Turclus de Ferraria, Dominus Petrus de Retegno Judex, Ambaxatores & Nuntii delegati Communis, Jacobus Notarius de Ferraria, Dominus Guidottus Poteſtas Caſtri Finalis, & Martinus de Taſſo; Dominus Guido de Pio, & Dominus Villanus de Adigeriis, Arbitri electi pro Communi Mutinæ & Ferrariæ, & Dominus Paganellus Papazone, & Dominus Aegidius Judex de Carittis, Arbitri pro Communi Ferrariæ & Mutinæ electi juraverunt omnia ſupradicta attendere & obſervare uſque ad Calendas Madii proximi, & ab inde ad unum annum proxime venturum vel plus vel minus ad voluntatem utriuſque Communis in concordia.*

Et ego Bonaventura Ferrarienſis de Hora Sancti Gregorii, Notarius Sacri Palatii, & tunc ſub officio Poteſtatis Ferrariæ ſuperius nominatæ, pro ut vidi, audivi, intellexi, ita rogatus per Poteſtates præſcriptas concorditer ſcripſi & publicavi.

Et ego Armannus Dei gratia Imperialis Aulæ & tunc Poteſtatis & Communis Ferrariæ Notarius, ut in authentico vidi & legi exemplavi, nil addens, nil minuens me ſciente, currente Milleſimo Ducenteſimo Trigeſimo Primo, Menſe Septembri, Indictione IV. Ferrariæ.

Concordia

Concordia Ravennæ & Ferrariæ, Anno 1227.

Dominus Ugolinus Ugonis Rubei Poteſtas Ferrariæ, una cum Domino Thomaſio Domini Salinguerræ, Domino Leutio Legum profeſſore, Domino Gavinello, Domino Jacobino Trottæ, & Albertino Fontana, Ambaxatoribus Communis Ferrariæ ex una parte, Dominus Thomas de Corrigia Poteſtas Ravennæ, una cum Dominis Bonaventura & Vitale Judicibus, & Simone & Hieremia, Ambaxatoribus Communis Ravennæ ex altera, talem concordiam fecerunt & ordinaverunt. In primis, quod cauſa Deodati, quæ vertitur coram Aſſeſſore Poteſtatis Ravennæ, debeat diffiniri binc ad quindecim dies, non obſtantibus diebus feriatis, neque quod teſtes fuiſſent excommunicati vel interdicti, vel ipſemet Deodatus. Hoc idem fiat in conſimilibus omnibus Ferrariæ in cauſis, ubi ſunt aperti teſtes, & renuntiatum allegationibus. De aliis autem cauſis, ubi non ſunt aperti teſtes, neque dati fortè coram Aſſeſſore Poteſtatis utriuſque Civitatis a tempore litis conteſtatæ Aſſeſſores teneantur diffinire illas cauſas, & infra illud tempus, quo Arbitri utriuſque Civitatis tenentur. Item quod omnes ſententiæ datæ & quæ dabuntur per Aſſeſſores Poteſtatis, & per Poteſtates utriuſque Civitatis, mandentur exſequutioni & fiat ſolutio infra quindecim dies de omnibus, niſi legitime ſuſpenſa fuerit per appellationem. Et ſi ſuſpenſa fuerit per appellationem, poſt appellationem factam teneatur ille, qui cognoſcit de appellatione, infra viginti dies diffinire, & poſtea mandetur exſequutioni, & fiat ſolutio infra quindecim dies, & ſemel fiat appellatio & non plus. Et ſi aliqua partium appellare voluerit, de omnibus prædictis fiat ſolutio ſecundùm formam datam arbitris, præterquam ſi Commune Ferrariæ vel Commune Ravennæ condemnatum eſt vel fuerit alicui, quod Commune teneatur ſolvere tantùm in denariis poſt latam ſententiam infra quindecim dies, ut ſuperius dictum eſt. Reſervato beneficio appellandi, cognoſcendi & diffiniendi ſecundùm quod dictum

A eſt ſuperius. Aliæ verò ſententiæ, quæ ſunt vel fuerunt datæ per Arbitros, mandentur exſequutioni, ſecundùm quod continetur & legitur in concordia facta tempore Domini Pauli Traverſarii Poteſtatis Ravennæ, & Domini Andalonis Poteſtatis Ferrariæ. Item quod omnes inframiſſiones & tenutæ datæ per Dominos Ugolinum, & Thomaſium de Corrigia Poteſtates Ferrariæ & Ravennæ, de novo datæ occaſione averis & prædæ in toto tempore Dominorum Ugolini & Thomaſii Poteſtatum Ferrariæ & Ravennæ, diſſramittantur, reddantur, & reſtituantur omnibus ſine aliqua quæſtione & datione a Poteſtatibus utriuſque Civitatis & Communibus Civitatum, & fiat reſtitutio alteri

B ſtatim, quum poſtulata fuerit. Et Poteſtates faciant ipſos habentes tenutas reſtituere illis, quorum res fuerant. Quod dictum eſt in Ferrarienſibus & Communi Ferrariæ ſuperius, in omnibus & per omnia obſervetur Ravennatibus, & Communi Ravennæ. Aliæ autem cauſæ ventilentur ſub Arbitris utriuſque Civitatis, quæ debent eſſe ſub eis, ſecundùm formam eis datam. Cauſa Dombillini Judæi de voluntate Poteſtatum & Ambaxatorum utriuſque Civitatis commiſſa eſt in Dominum Mainardinum Imolenſem Epiſcopum, ita videlicet, quod ipſe dijudicet, utrum ſententia abſolutoria Arbitrorum data pro Communi Ravennæ contra Dombillinum Judæum debeat eſſe rata, vel ſententia

C Domini Thomaſini delegati a Domino Epiſcopo Mantuæ Vicario Domini Imperatoris, & a Domino Imperatore confirmata, ſicut per reſcriptum Imperiale apparet, ut dicit & oſtendit, debeat exſequutioni mandari, & rata haberi. Milleſimo Ducenteſimo Vigeſimo Septimo, Indictione XV. die Mercurii VI. exeunte Madio, in Eccleſia Sancti Zenonis Capitis Sandali, in præſentia Domini Alberti de Parma Militis Domini Thomaſii Poteſtatis Ravennæ, Domini Joculi, Domini Lenguettæ, Domini Hengelardi.

Pacta inter Paduanos & Ferrarienſes, Anno 1234.

IN nomine Domini. Amen. Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Trigeſimo Quarto, Indictione VII. tempore Gregorii Papæ, & Frederici Imperatoris, die Veneris XV. exeunte menſe Junii. In pleno Conſilio congregato more ſolito per campanam in Palatio Communis Ferrariæ, in præſentia teſtium infraſcriptorum, videlicet Dominorum Tantidenarii Radicis, Prendiparte Samaritani Judicis & Aſſeſſoris Poteſtatis, Carbonis Militis Poteſtatis, Jacobini de Buccapizis, Pillizarii Judicis Communis Ferrariæ, Guidonis de Pio, Jacopini Trottæ, Thomaſini de Fontana, Marcheſini de Mainardis, Villani de Aldigeriis, Hengelardi, Spinabelli Notarii, & aliis multis. Pro bono pacis & concordiæ inter Commune Paduæ & Ferrariæ, *& Cives ſingulos utriuſque Civitatis ſtatutum eſt per Dominos Jacobum Alexii, & Clarellum de Tanſilgardis, Legatos Communis Paduæ, Syndicos & Procuratores ad concordiam faciendam, pacta & obligationes pro Communi Paduæ cum Communi Ferrariæ, ut in Inſtrumento facto manu Mugni Notarii de Padua continetur, ſuper litibus & controverſiis, quæ inter Cives utriuſque Civitatis movendæ eſſent, &* Dominum Bulgarinum Guidonis Guizardi Poteſtatem Ferrariæ; *nomine ipſius Communis, ita ſtatutum eſt cum auctoritate Conſilii. Quod ſi Paduani Ferrarienſes aliquos deduxerint in querelam & poſtulaverint ſibi fieri rationem, ſub Judicibus Poteſtatis cauſæ agantur, & eas definiant ipſi, ſicut juſte Dominus miniſtrabit & gratis, nullo inde recepto, eo excepto quod Tabellionibus pro labore ſcripturæ cum juſto moderamine fuerit largiendum. Et hoc idem per omnia Paduani teneantur Ferrarienſibus obſervare. Et ne cauſæ ſive lites diutius protrahantur, teneantur lites Judices diffinire infra viginti dies, & eas Poteſtates Civitatum teneantur exſequutioni mandare infra octo dies, ita quod non liceat litigatoribus appellare. Item ſtatutum eſt, quod ſi Ferrarienſis aliquis fuerit ex quacumque cauſa debitor Paduani, alius ejuſdem Civitatis pro eo debitum non teneatur exſolvere, & alius pro eo non conveniatur. Et Rectores Civitatum prædictarum bonorum alterius, niſi debitoris, intromiſſionem facere non teneantur. Idem in Padua Ferrarienſibus obſervetur. Item ſtatutum eſt, quod ſi ſententia dabitur Paduæ pro aliquo Ferrarienſe, ſententia vel tranſactio facta de aſſenſu partium exſequutioni mandetur infra octo dies in bonis debitoris, vel in banno ponatur, prout placuerit Creditori, & in banno conſiſtat, donec ſatisfactum fuerit Creditori. Et hoc idem pro Paduano Ferrariæ obſervetur. Et ſi Paduanus depoſitâ de eo querelâ ad litem non venerit conteſtandam & cauſam agendam, detur poſſeſſio bonorum Creditori Ferrarienſi, vel in banno ponatur, prout Creditor elegerit, nec extrahatur de banno, niſi ſatisfecerit Creditori. Et ſi infra viginti dies Creditori non fuerit ſatisfactum, de bonis debitoris fiat ſolutio Creditori. Et Commune teneatur Creditorem in poſſeſſione tueri. Hoc idem Ferrarienſi Paduæ obſervetur. Item ſtatutum eſt, quod ſi de bonis alicujus Paduani ad Commune Ferrariæ quacumque cauſa pervenerit, Communitas Ferrariæ reddere non cogatur. Hoc idem pro Communi Paduæ a Ferrarienſibus obſervetur. Et pactiones initæ ſicut ſupra ſunt ſcriptæ, uſque ad decennium obſerventur, & in Statutis Civitatum conſcribantur. Et ſi inframiſſiones aliquæ factæ ſunt pro Communitatibus Civitatum, revocentur & reducantur ad ſuum ſtatum, & fiat juſtitia poſtulanti, ſicut ſuperiori ſcripto monſtratur, ſalvis omnibus pactis & contractibus factis a dictis Legatis, Procuratoribus & Syndicis Communis Paduæ noſtris Civibus Ferrariæ: & eo ſalvo quod Commune Paduæ teneatur reſtituere omnibus Civibus Ferrariæ id totum, quod eis abſtulit occaſione Guardæ Turris & Caſtri Rhodigii. Et inſuper dicti Legati facient Poteſtati & Conſilio Paduæ prædicta omnia, & ſingula ſupradicta, & alias obligationes & pacta a ſupradictis Legatis & Syndicis acta & facta cum Communi Ferrariæ & hominibus Ferrariæ, approbare, cum Syndicus, Procurator, & Nuntius Communis Ferrariæ ad ipſam properabit Paduæ Civitatem. Item inter dictos Dominos Jacobum Alexii Judicem & Clarellum de Tanſilgardis Paduæ Legatos, Procuratores & Syndicos, & Dominum Thomaſinum recipientem pro ſe & Domino Salinguerra ejus patruo, talis pactio facta eſt nomine Communis Paduæ: quod ſi filii vel heredes quondam Carlexarii de Eſte vellent convenire præfatos Dominos Salinguerram & Thomaſinum de poſſeſſionibus & fructibus poſitis in territorio & diſtrictu Ferrariæ, & ſpecialiter de decimatione in prædicto territorio, ubicumque ſit, quod Domini prædicti non teneantur eis ſub aliquo quocumque Judice reſpondere, niſi ſub Curia jam dictorum Dominorum. Et hæc omnia, quæ ſcripta ſunt ſuperius, promiſerunt Legati prædicti Domino Bulgarino Poteſtati Ferrariæ pro Communi, & Dominis Salinguerræ & Thomaſino, firma & rata habere, & quod facient ita & curabunt, quod Commune Paduæ & Poteſtas cum auctoritate Conſilii Generalis omnia confirmabunt, & rata habere promittent.*

Et ego Petrocinus Aulæ Imperialis, & tunc Poteſtatis & Communis Ferrariæ Notarius, his omnibus præſens interfui, ut audivi & intellexi, rogatus ſubſcripſi, atque complevi.

Concordia

Concordia Mantuæ cum Ferraria, Anno 1239.

A SAncti Spiritus adſit nobis gratia. Anno a Nativitate Domini Milleſimo Ducenteſimo Trigeſimo Nono, Indictione XII. Maſſæ. Temporibus Gregorii Papæ & Frederici II. Romanorum Imperatoris, die Martis VIII. exeunte Majo. In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Concordia tractata & facta inter Dominum Armannum de Scottis de Parma Judicem & Vicarium Domini Guidonis de Corrigia Poteſtatis Mantuæ, & Dominos Benvenutum Muſcardi, & Zanebonum de Reginzo, Ambaxatores Communis Mantuæ, deputatos a Conſilio Mantuæ pro Communi Mantuæ, ad tractandam & complendam concordiam cum Judice Poteſtatis Ferrariæ, & Ambaxatoribus B Communis Ferrariæ pro Communi Ferrariæ, ut per quoddam publicum Inſtrumentum ſcriptum manu Apollonii filii Martini Burſarii, ſacri Palatii Notarii publice apparebat, ex una parte, & Dominum Quartum Judicem, Aſſeſſorem & Vicarium & Syndicum Domini Henrici Teſtæ, mandato Imperiali Poteſtate Ferrariæ, & dicti Communis, ut per quoddam Inſtrumentum manu Anbroſini Notarii manifeſtum videbatur, & Dominos Villanum de Adigeriis, Lambertum Domini Leodoini, & Jacobinum Olivæ, Ambaxatores Communis Ferrariæ, ex altera talis eſt. Quod omnes intromiſſiones & ſaximenta factæ & facta per Poteſtatem Mantuæ, vel pro Communi Mantuæ, ſive ſint in Communi Mantuæ, ſive in ſingulari perſona, C vel in aliquo alio, & ſive ſint datæ in ſolutum, ſive non, ſi res exſtant, reſtituantur pro Communi & a Communi Mantuæ. Quod ſi non exſtant, reſtituatur æſtimatio Ferrarienſibus, facta de voluntate Communis vel Poteſtatis vel alicujus, Judicum & Aſſeſſorum Poteſtatis Mantuæ. Et ſi facta non fuit æſtimatio de voluntate Communis vel Poteſtatis, ſeu alicujus Judicum Aſſeſſorum Poteſtatis, reſtituatur Ferrarienſibus juſta æſtimatio, quantum res valebant, tempore intromiſſionis. Similis quoque reſtitutio fiat Ferrarienſibus per Poteſtatem & Commune Mantuæ de toto eo, quod datum eſſet alicui, qui intromiſſionem feciſſet, vel alii pro D eo occaſione recuperandæ vel dimittendæ vel abſolvendæ intromiſſionis. Super quibus reſtitutionibus talis ordo fiet, videlicet quod Poteſtas Mantuæ ſi in ejus Civitate vel diſtrictu prædicta, vel aliquod prædictorum facta ſunt, faciat ipſa omnia ſine quæſtione, datia, & gravamine devenire in duobus bonis viris Religioſis electis ab ipſa Poteſtate infra viginti dies a die denuntiationis factæ Poteſtati Mantuæ, vel uni ex Judicibus ſuis Aſſeſſoribus. Et Poteſtas vel Judex Aſſeſſor de dicta denuntiatione teneatur facere fieri & dari publicum Inſtrumentum denuntianti & petenti. De quo Inſtrumento denuntiationis non ultra duodecim Imperiales accipiat Notarius. Poteſtas verò & Commune E Mantuæ vel aliqui pro dicto Communi, nullo modo vel ingenio expendere vel alienare poſſit aliquod de prædictis, nec etiam ipſi Religioſi, nec aliquis alius. Reſtitutio verò hoc modo fiat. Compenſatio quantitatis & ſpeciei fiat hinc inde, & ſuperfluum, ſi quod fuerit, reſtituatur ſecundùm modum prædictum. Hoc poſito pro conſtanti, quod non exſtant piſces intromiſſi, vel ablati Civibus Ferrariæ per Mantuanos circa initium Poteſtariæ Domini Guidonis de Corrigia, ſive circa finem Poteſtariæ Domini Bernardi Rolandi Rubei, Poteſtatum Mantuæ. Et prædicta compenſatio & reſtitutio fiat uſque ad feſtum Sancti Petri proximi de Junio. Super prædis verò & robariis factis Ferrarienſibus a tempore initæ concordiæ per Dominos Mantuanum Grimari, & Johannem de Crema pro Communi Mantuæ, & Dominos Hugonem Aldrevandini, Johannem Trottæ, Jacobinum de Vetula, & Raynaldinum de Guattarella pro Communi Ferrariæ in Civitate Mantuæ vel diſtrictu, tractatum & ordinatum eſt, quod ſine quæſtione reſtituantur, ſive per illos Mantuanos, qui eas fecerunt, vel commiſerunt, ſive per Villam vel locum, in cujus territorio vel diſtrictu, ſive in terra ſive in aqua accidiſſet, ſive pro Communi Mantuæ. Ita quod petitor, vel qui deprædatus vel robatus fuit vel heres ejus, vel ſucceſſor, non teneatur aliquem convenire, ſed ſolummodo Poteſtati Mantuæ vel uni ex Judicibus ſuis Aſſeſſoribus denuntiare, quod ſibi reſtituat vel reſtitui faciat res ablatas, probatione tamen prius facta, quod res ablatæ fuerint in diſtrictu Mantuæ, & de valentia & æſtimatione rerum ablatarum. Quæ probatio fieri debeat infra triginta dies, & infra alios triginta dies fiat reſtitutio vel ſolutio rerum ſi exſtant, vel æſtimatio, ſi non exſtant.

Item ſi matum eſt & ſtabilitum, quod ſi aliquis Civis Ferrariæ captus fuit in Civitate Mantuæ vel diſtrictu & aliquid dedit per ſe vel per alium, unde dimitteretur de captione, illud ei reſtituatur a Communi Mantuæ & pro Communi Mantuæ. Item firmatum eſt per prædictos, quod ſi aliquis Civis Ferrariæ vel forenſis, undecumque ſit, captus fuit in diſtrictu Ferrariæ per aliquem Mantuanum, vel habitatorem ſui diſtrictus, vel per quamcumque aliam perſonam venientem per diſtrictum Mantuæ in diſtrictum Ferrariæ a tempore prædictæ concordiæ citra, & dedit aliquid, unde dimitteretur de captione, quod illud reſtituatur ei a Commune Mantuæ uſque ad Calendas proximas Auguſti, & pro Commune Mantuæ. Ita tamen quod ſumma totius quod reſtitui & dari debet a Communi & pro Commune Mantuæ prædictis occaſionibus dimiſſionis Ferrarienſium & Forenſium non excedat ſummam CCC. Librarum Ferrariæ. Item ſuper futuris verò maleficiis, robariis & damnis firmatum eſt, quod ſi quis ſubjectus Communis Mantuæ, vel reſidens in diſtrictu Mantuæ, prædam ſeu robariam fecerit, vel damnum dederit in rebus vel perſonis, ſeu perſonas vel res capiendo in diſtrictu Ferrariæ, Poteſtas Mantuæ & ejus Judices Aſſeſſores capere bona fide & dare Poteſtati Ferrariæ puniendum in diſtrictu Ferrariæ teneantur, & de rebus malefactoris ſatisfacere damnum vel injuriam paſſo. Quod ſi perſonam malefactoris capere non potuerunt, in banno perpetualiter ponere teneantur, & nihilominus de rebus ejus ſatisfacere paſſo, & eum in ſuo diſtrictu non permittere amplius habitare, & nihilominus eum capere & dare Poteſtati Ferrariæ puniendum, ſi quo tempore eum capere poterint. Item quod

Strata

Strata per terram & aquam utriuſque Civitatis & diſtrictus aſſecuretur per utrumque Commune , ita quod quodlibet Commune teneatur facere cuſtodiri ſuum diſtrictum . Hoc tamen addito , quod ſi aliquis homo de Ferraria vel diſtrictu vellet venire Mantuam , vel in diſtrictu , a Mellaria ſuperius , cum mercimoniis ſuis debeat expectare apud Mellariam mudam Mercatorum Mantuæ . Et e converſo ſi venerit a ſuperioribus partibus versùs Ferrariam , debeat expectare apud Governolum , & ire & redire ſecure ad riſigum & periculum Mantuæ per totum ſuum diſtrictum , ſi fuerit deprædatus . Et ſi acciderit , quod Guardæ permanerent apud Serravallem vel Reverem pro Mercatoribus Mantuæ , & aliquis de Ferraria vel diſtrictu vellet ire Mantuam vel redire , ubi ſuperius dictum eſt , cum fuerit apud Mellariam , debeat mittere pro dicta tanſa Mercatorum , ubi fuerit , & ipſam exſpectare ibi , quouſque venerit . Et ipſi teneantur ita cito , quum viderint Nuntium venire , ipſum Mercatorem ſive Mercatores ſecure tranſare per diſtrictum Mantuæ a Mellaria ſuperius . Et ſi acciderit , quod Commune Mantuæ eſſet in concordia cum hominibus de Oſtilia , homines de Ferraria & diſtrictu ſecure valeant ire & redire per diſtrictum Mantuæ , ubicumque eis placuerit , locis vetitis exceptatis de omnibus prædictis ſecundùm tenorem pactorum veterum initorum inter utrumque Commune . Quod ſi aliter fieret , Mantuani non teneantur ad reſtitutionem, & Poteſtas & Commune Mantuæ teneatur curare facere bona fide ſine fraude aliqua & ingenio , quod nulla mercadandia alicujus Civis Mantuæ vel diſtrictus vel alicujus Forenſis conducatur a Gubernolo inferius , niſi quum muda Mercatorum ſeu Communis Mantuæ venerit pro mercadandia conducenda . Et inſuper teneantur , quod curabunt & facient jurare Conſules Gubernoli , & Capitaneos Reveris & Serravallis , quod neminem Mercatorem cum mercadandia uſque in zuſum venire permittent, niſi eum eorum mercimoniis , quo & unde voluerint , ſolvendo tamen conſueta Datia & approbata , uti in pactis inter utrumque Commune habitis continetur . Nec Mantuam per ſe vel per alium ultra aliquo ingenio exigant nec exigi patiantur ; ſalvo honore & præcepto & præceptis Domini Imperatoris, ſi qua faceret de ſuo itinere prohibendo a Gubernolo ſuperius . Quæ præcepta ſcripta & ſigillata inveniantur Imperiali ſigillo . Et ſalvo honore & conſuetudine introitus portus Salis , & Contratarum Mantuæ , ſecundum pacta vetera inita inter utrumque Commune . Ita tamen, quod ſi Mantuani contra Imperialem prohibitionem pro aliquibus mercationibus iverint , vel aliquos alios per ſuum diſtrictum ire vel redire paſſi fuerint, permittant Ferrarienſibus cum ſuis mercibus libere ire & redire , exceptis aquis & locis vetitis , uti in pactis inter utrumque Commune initis continetur . Nec liceat Mantuanis ire vel redire per diſtrictum Ferrariæ ad loca vel a locis, cum quibus Ferrarienſes guerram haberent . Item firmatum eſt , quod illi tantùm Cives Mantuæ intelligantur , qui nati ſunt in Civitate Mantuæ vel diſtrictu , vel habitatores continui in Civitate Mantuæ vel diſtrictu , vel qui habent inſtrumentum publicum Cittadinantiæ , ſi omnia pacta inita inter eos & Commune Mantuæ obſervaverint , vel Statura Civitatis Mantuæ . Et iſta intelligantur tam in præteritis negotiis quam futuris ; ita tamen quod A *continua habitatio vel Cittadinantia non proſit alicui in his , quæ obvenerint vel acciderint ei , ante continuam habitationem vel cittadinantiam . Hoc addito , quod nulli Civi alicujus Civitatis , quæ guerram nunc habeat , vel in futurum habuerit cum Civitate Ferrariæ , durante guerrâ liceat venire neque ire in diſtrictum Ferrariæ , nec per diſtrictum Ferrariæ , etiamſi ſit Civis Mantuæ , niſi per aquam Padi diſtrictus Ferrariæ a diſtrictu Mantuæ ſuperius eundo & redeundo per aquam Padi diſtrictus Ferrariæ . Et hoc intelligatur niſi ſit continuus habitator Civitatis Mantuæ vel diſtrictus ſex menſibus ante . Quod ſi contra fieret , Commune Ferrariæ non teneatur .*

B *Item quod nulla intromiſſio ſeu ſaximentum ſeu repreſalia , vel quid in fraudem eorum de cetero fiat a Mantuanis contra Ferrarienſes , niſi Poteſtas & Commune Ferrariæ facerent contra prædicta , & niſi poſtea a Poteſtate & Communi Mantuæ per literas ſigillatas ipſius Communis diffidantia Poteſtati & Communi Ferrariæ per triginta dies , priuſquam intromiſſio, ſaximentum , repreſalia , vel quid in fraudem eorum fiat . . . . In rationibus faciendis inter Ferrarienſes & Mantuanos , Mantuæ pro Ferrarienſibus talis ordo ſervetur : videlicet quod ſi Ferrarienſis voluerit conqueri de aliquo Mantuano vel de Communi Mantuæ aut Univerſitate aliqua , deponat querimoniam ſub uno* C *Judicum Aſſeſſorum Poteſtatis Mantuæ . Et oblata petitione in ſcriptis ad Judicem præfatum , dictus Judex eam recipere teneatur , & ſequenti die reum compellere . Si comparuerit, Ferrarienſi reſpondere & litem conteſtari , lite conteſtata , poſtea infra viginti dies continuos probationes recipere utriuſque partis teneantur, & non ultra recipiatur niſi in reprobatione teſtium , in qua octo dierum continuorum detur dilatio utrique parti , & non ultra , utrâque vel alterâ partium poſtulante . Et hoc ante teſtiùm aperturam fiat . In interrogationibus verò & reverſionibus teſtium poſt aperturam , ſi ab altera vel utraque partium petitum fuerit , aliorum octo dierum continuorum tantùm dila-* D *tio detur . Et infra alios decem dies continuos proximos cauſa examinetur , & fine debito terminetur , nullis obſtantibus feriis ſolemnibus vel repentinis in aliquo prædictorum . Et actori ſuccumbenti ſemel liceat ad Poteſtatem Mantuæ appellare , vel ſententiam nullam dicere . Reo tamen ſuccumbenti non liceat appellare nec ſententiam nullam dicere . Et dicta Poteſtas vel alter Judicum Aſſeſſorum Poteſtatis de cauſſa appellationis vel nullitatis cognoſcat ; & infra quindecim dies alios continuos , non obſtantibus feriis , ut dictum eſt , cauſam per ſententiam difiniat . Quod ſi non fecerit , prima ſententia rata conſiſtat . Sententia verò , quam Judex aſſeſſor non pronuntiaverit injuſtam vel* E *nullam, mandetur exſequutioni in hunc modum : ſcilicet quod Poteſtas vel Judex ſuus Aſſeſſor compellat condemnatum ſotisfacere victori infra decem dies poſt latam ſententiam ad voluntatem victoris de bonis condemnati , vel eum banniendo vel capiendo & tenendo , nec de banno extrahendo, nec dimittendo abſque voluntate victoris. Idem modus & ordo ſervetur in ſententiis , ſententia , præceptis & præcepto hinc retro latis & factis , niſi fuerint retractatæ vel retractata per appellationem , vel pronuntiatum fuerit eas vel ea vel eam eſſe nullam vel nullas vel nullum . In confeſſis verò debitum ordo hujuſmodi obſervetur ; quod Judex Aſſeſſor confitentem*

con-

condemnet ſolvere debitum conquerenti ad decem dies. Qui ſi non ſolverit ad terminum compellatur jurare ad alios tres dies ſatisfacere conquerenti. Si autem ipſe condemnatus non comparuerit Judici aſſeſſori elapſo primo termino decem dierum, vel jurare vitaverit, ſeu etiam ad trium dierum prædictorum terminum, non ſatisfecerit conquerenti, ſecundùm præfatum modum Judex Aſſeſſor contra ipſum procedat ad voluntatem conquerentis, dando de bonis condemnati conquerenti in ſolutum, vel eum banniendo, capiendo, & tenendo, nec de banno extrahendo, nec dimittendo abſque voluntate conquerentis. Et hæc omnia fiant, non obſtante Statuto alicujus Civitatis facto vel faciendo, & non obſtante jure Eccleſiaſtico vel commiſſione de eo, quod in inſtrumentis uſque ad terminos continetur vel continebitur. Si verò reus non comparuerit, ponatur in banno ad voluntatem conquerentis, & detur ei terminus quatuor dierum. Quo termino elapſo Poteſtas teneatur eum capere & captum tenere, nec dimittere ſine voluntate conquerentis, donec eidem ſatisfaciat conquerenti de eo, quod probaverit legitime infra quindecim dies eum ſibi debere, niſi reus infra dictum terminum probaverit, propter quod debeat abſolvi. Si verò agatur in rem, mittatur petitor in poſſeſſionem rei petitæ, termino banni elapſo. Nec poſſit reus dictam poſſeſſionem recipere, niſi infra menſem venerit, & eam recuperaverit, & expenſas factas in adipiſcenda poſſeſſione vel tenuta ſibi refecerit. Hæc autem omnia acta ſunt & ſingula ſalvis omnibus & ſingulis pactis, concordiis, & conventionibus hinc retro habitis inter utrumque Commune. Et per Miniſterialem Communis Mantuæ in anima Poteſtatis & Judicum ſuorum & Conſiliariorum, parabolam in publico Conſilio Communis Mantuæ dantium, jurentur.

Actum die, Milleſimo & Indictione prædicta vel prædictis, in Eccleſia Sancti Stephani de Caſtro Maſſæ præſentibus rogatis teſtibus, ſcilicet Domino Hugone de Baiſio, Ariverio de Magreda, Raymundo de Herberia, Guffredino filio Bernardi de Canoſſa, Zilio filio Domini Alberti Sigici de Mutina, Gabriele de Rivalta, Petro filio Domini Ariverii, Bonaccurſo Huberti de Lazaro de Maſſa. Coram quibus teſtibus, firmatis prædictis omnibus, ut ſupra ſcriptum eſt, eadem die, Milleſimo & Indictione, Dominus Armannus prænominatus, & Benvenutus, & Zanebonus de Reginzo, Ambaxatores Mantuæ promiſerunt Domino Quarto Judici & Aſſeſſori & Syndico Domini Henrici Teſtæ Poteſtatis Ferrariæ mandato Imperiali & ipſius Communis, & Dominis Villano, Lamberto, & Jacobino Olivæ Ambaxatoribus Communis Ferrariæ, recipientibus nomine Communis Ferrariæ, obligando Dominus Armannus Vicarius Domini Guidonis de Corrigia Poteſtatis Mantuæ ſe Vicarium & ſuos ſucceſſores pro Communi Mantuæ, & ipſum Commune attendere & obſervare omnia prædicta & ſingula, & ita curare & facere, quod Poteſtas & Commune Mantuæ ita in omnibus & ſingulis facient & obſervabunt ut ſupra in omnibus & ſingulis continetur. Et quod Poteſtas & Conſilium Mantuæ, & ſui Judices Aſſeſſores per ſacramentum Miniſterialis jurantis in anima eorum, datá parabolá, ipſa omnia & ſingula confirmabunt.

Ego Tedericus prænomine Rigatius, ſacri Palatii & Ferrariæ Notarius, ad omnia ſupraſcripta præſens interfui, & ut audivi vidi & intellexi, rogatus ſcribere ſcripſi.

Alia ejuſdem generis monumenta adſervat Reſpublica Bononienſis in antiquiſſimo ſuo Regeſto. e quibus quum aliquot acceperim curâ Nobilis & præſtantiſſimi viri Marchionis Franciſci Zambeccarii, Patricii ac Senatoris Bononienſis, hæc etiam evulgare decrevi, in honorem ſplendidæ illius Urbis.

Charta pacis & concordiæ per Ferrarienſes juratæ Communi Bononiæ, Anno 1193.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Hic eſt tenor antiquæ pacis & concordiæ factæ tempore Domini Girardi Giſlæ Epiſcopi, *& tunc* Poteſtatis Bononiæ, *inter* Ferrarienſes & Bononienſes. *In Dei æterni nomine. Anno Dominicæ Nativitatis Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Tertio, tempore Cœleſtini Papæ, & Henrici Imperatoris, die X. intrante menſe Maji, Indictione XI. in Doliolo in Eccleſia Sanctæ Mariæ.* Nos Ferrarienſes *juramus pacem* Bononiæ, *& hominibus de Comitatu & diſtrictu & Epiſcopatu, & eos ſalvare & cuſtodire in Civitate Ferrariæ & Comitatu & diſtrictu; nec in Epiſcopatu Bononiæ & diſtrictu, nec in alieno ſtudioſe offendere Et ſi aliqua offenſa facta fuerit, infra triginta dies ſub Arbitris electis emendatio fiat, niſi remanſerit conſenſu partium, vel juſto impedimento. De re ſine pœna, ſi res compareat, reſtituatur; ſin autem exſtimatio, ſi deterioratio ſit facta, emendetur, dato ſacramento illi, cujus res erit. Et ſi noluerit jurare, arbitrio Arbitrorum emendetur tam de exſtimatione, quàm deterioratione. Si perſona, quæ offenſionem fecerit, non compareat poſt requiſitionem, in banno a Rectore vel a Rectoribus illius Civitatis ponatur, & de banno non extrahatur, niſi ſatisfaciat. Si verò compareat & ſatisfacere non poteſt, perſona tradatur. Et ſi aliquis de Civitate Ferrariæ & Comitatu & diſtrictu, vel de alterius Civitate & diſtrictu vellet venire in ſervitio Communis Bononiæ, niſi eſſet inimicus Communis Ferrariæ, non prohibebo. Bannitos a Civitate Bononiæ, ex quo requiſitus fuero a Communi, in mea Civitate & diſtrictu non retinebo ſcienter. Si qua poſſeſſio mobilium vel immobilium fuerit intromiſſa a Communi Ferrariæ, ex quo diſcordia iſta intervenerit, & res appareat, reſtituere faciam ſine placito. Et ſi aliquod pervenerit Communi Ferrariæ, quod fuiſſet ablatum extra Civitatem Ferrariæ, & Comitatum, & diſtrictum ſub Arbitris emendare faciam caput rei vel rem ſine pœna. Si verò a privatis in Civitate Ferrariæ & Comitatu & diſtrictu & Epiſcopatu, vel in alterius diſtrictu aliquid fuerit ablatum, ſub Arbitris emendare faciam, pecuniam ſine uſuris, & rem ſine fructibus, & prædam caput rei; & ſententias quæ retro datæ ſunt, & in anima datæ erunt, & poſſeſſiones, quæ reſtitutæ fuerunt, firmas tene*

re

re faciam ; & hoc ante iſtam diſcordiam . Et ſi qua poſſeſſio fuerit impedita , atque data fuerit vel dimiſſa , jurare faciam , quod non impediet . Et ſi teſtes fuerint neceſſarii de meo diſtrictu illis , qui cauſam habebunt , eis dabo , ſicuti meis Civibus , ſi petierint . Et hæc omnia ſupraſcripta fient , & obſervata erunt ex parte Bononienſium Ferrarienſibus . Et illi qui paſſi ſunt & parentes eorum & feminæ uſque ad quintum gradum a duodecim annis ſupra uſque ad ſexaginta , & poſtea omnes Ferrarienſes Comitatus & Epiſcopatus a quindecim annis uſque ad ſexaginta , jurent pacem in perpetuum, ex quo Arbiter electus erit a Ferraria infra octo dies Poteſtati vel Rectoribus Bononiæ teneantur dare . Et illud idem faciant Ferrarienſes , ex quo electus a Bononienſibus fuerit . In Tholoneis ſic ſtabilitum eſt , quod Ferrarienſes a Bononienſibus nihil debent accipere , & ab iis , qui ſunt de Comitatu eorum & Epiſcopatu, de iis rebus , quæ ſunt aptæ ad comedendum ; & debeant vendi Ferrariæ occaſione Tholonei , vel alia : quod ſi alibi portarentur per Ferrariam , duodecim Imperiales de Navi ſive magna ſive parva , niſi remittere velint ; & de ſingulis Navibus in eundo & redeundo a Ferraria in ſurſum , ſcilicet a Lombardia , duos ſolidos Ferrarienſes vel Bononienſes , ſive veniat Navis de ſurſum , ſcilicet de Lombardia , & ultra monte . De Torſello cavalcativo duos ſolidos Ferrarienſes vel Bononienſes , & de ſoma totidem , & de Navi totidem . Si verò Venetias iverit cum Navi onerata , duos ſolidos Ferrarienſes vel Bononienſes de Navi , & duos ſolidos de ſoma Ferrarienſes vel Bononienſes . Et ſi de iis rebus , de quibus ſemel Tholoneum datum eſt , aliquid comperaverit , & reduxerit , de eo nihil debet dare , nec de Navi ipſa niſi de eo , quod ſuperadderent , & hoc oſtenſo ſacramento Bononiæ . Si autem redierit a Venetiis cum alia Navi onerata , dabit duos ſolidos Ferrarienſes vel Bononienſes de Navi , ſi de mercibus nihil deſuper appoſito . Si verò redeat a Venetiis , cum nihil dediſſet Ferrariæ , duos ſolidos Ferrarienſes vel Bononienſes : & de Torſello & ſoma totidem . Si verò magnam Navim divident in plus , non dentur niſi duo ſolidi Bononienſes vel Ferrarienſes , ſi poſtea dati fuerint . Et hæc fient , niſi cum Bononienſes venerint in Foro annuali Ferrariæ: tunc enim nihil dabunt pro Navi vel rebus , quæ ſunt in eis , vel quæ ſunt de Epiſcopatu & Comitatu , undecumque veniunt . In foro verò annuali novem Ferrarienſes vel Bononienſes . De Storatica & Tabula totidem , ſi fuerit Cambiator , & nihil plus .

De Forcatica Stationum idem facient Bononienſes , quod alii Lombardi . Et de equo , & aſino , & bove tres Solidos Ferrarienſes vel Bononienſes , niſi ſint Milites vel Clerici ; & de aliis beſtiis minutis Solidos , quos conſueverint. Et liceat Bononienſibus ire & redire ubicumque Ferrarienſes vadunt cum mercibus , & ſine mercibus , excepto mercatione Salis , qua uti non debent per aquam Ferrariæ , & mercatione Piſcium excepta . ſi vellent portare in Lombardia . Si verò Ferrarienſes non vadant ad aliquam Civitatem vel locum pro guerra vel banno , nec Bononienſes vadant ibi cum mercibus . Si ſine mercibus , liceat eis ire , dum tamen non vadant ad eorum offenſionem , & cum mercibus redire , dum tamen non ſint de mercibus inimicorum; nec in terra eorum emptæ , & non deſerant in navibus inimicorum , vel cum perſonis eorum vel rebus . Et idem facient Ferrarienſes eorum parte . Et liceat Ferrarienſibus ire & redire cum mercibus & ſine mercibus , ubicumque Bononienſes vadunt . Si verò Bononienſes non vadunt ad aliquam Civitatem vel locum pro guerra vel banno , nec Ferrarienſes vadant ibi cum mercibus . Si ſine mercibus , liceat eis ire , dum tamen non vadant ad offenſionem Bononienſium . Et cum mercibus liceat eis redire , dum tamen non deferant de rebus inimicorum , vel veniant cum perſonis & rebus eorum . De modio ſeminis Lini , & Vallaniæ , & Folliæ , dent Bononienſes duodecim Solidos Ferrarienſes vel Bononienſes , niſi in Foro annuali , in quo nihil dare debent . Et de centonario piſcium tres Ferrarienſes vel Bononienſes. De Vegete vini Starium unum ad Starium Ferrarienſem pro Ripatico , & blavam , quam habebunt Bononienſes in terris ſuis in Comitatu Ferrariæ , vel quas lucrati fuerint , exportatione jumentorum vel perſonarum , & blavam , quam Joculatores acquirunt , & ſpigulaturam , & linum , quam laboratores acquirunt , quiete ducere permittant . Et idem facient Bononienſes Ferrarienſibus . Forcatica , quæ fiet in territorio Majoris . . . . . . debent dare duos Solidos Imperiales , de tabula Campſorum & Mercatorum pannis majoris totidem & non plus . Et ſi alii minus darent , Bononienſes minus dabunt . Et in omni quinquennio ſacramenta prædicta ab utraque parte renoventur . Et Poteſtas & Conſul juret omni anno prædicta obſervare . Et ſi aliqua perſona de iis , qui paſſi fuerunt , vel aliquis de propinquis eorum vel heredum eorum, qui ad hanc partem vocatus fuerit , & ad ſecuritatem præſtandam pro pace a prædictis perſonis , ſervandam pacem fregerit , vel frangere fecerit, expellatur de Civitate & Epiſcopatu & Comitatu Ferrariæ , & bona ejus diſtrahantur, & dentur Bononienſibus , nec recipiantur , niſi ſatisfecerit illi , cui offenſa facta fuerit . Idem facient Bononienſes de filiis Henrici de Fracta & eorum heredum , & qui ex parte eorum vocati fuerint . Ad hæc fuerunt teſtes præſentes Ramiſinus, & Guezus Conſules Bononiæ , Rambertus de Albaro , Manfredus de Ugone de Ramiſino , Victorius Bombellus, Jacobus , Albertus de Ruſticanis , Guido de Vetrana , Naſcimvilla , Petrus de Baxacomatre , Zacharias Judex , Zanibonus Villicus Domni Epiſcopi Bononienſis , Ametheus , Orabona Notarius . Dominus Guizardus Odonis tunc Poteſtas Ferrariæ , Albertus de Adgerio , Marchiſinus de Maynardo, Guido de Turclo , Petrusbonus de Pagano , Jacobus de Fontana , Paltronus Maranus tunc Maſſarius Communis Ferrariæ , & plures alii . Hæ ſunt quædam adjectiones factæ præſcriptæ concordiæ & paci Domni Gerardi Giſlæ Epiſcopi , & tunc Poteſtatis Bononiæ , & Domini Guizardi tunc Poteſtatis Ferrariæ , & ſacramentum ejuſdem Domini Guizardi. Nec aliquem Tholoneum a Ferrarienſibus accipiant , vel eis auferant , niſi antiquum & conſuetum , & quod fuerit probatum a Bononienſibus per teſtes ſub arbitris , & ex tali tempore, quod Arbitri antiquum judicaverint , & de eo , quod tunc dabatur antiquitus . Lucenſes pro Tholoneo debent dare duos Ferrarienſes & non plus . De lignis nihil debent dare in Doliolo & in Galeria tantum ; ex quo Arbiter erit electus a Ferraria , infra octo dies Poteſtas vel Rectores Bononiæ teneantur eis dare . Dominus Guizardus tunc Poteſtas Ferrariæ juravit , quod illa Capitula , quæ ſunt ſcripta in Breve Ferrariæ

de

de pace tenenda, & propter pacem tenendam inter Bononiam & Ferrariam, ſcilicet quod eſt conſtitutum, quod ipſe obſervabit, & obſervari faciet omnibus hominibus Ferrariæ, quod Dominus Epiſcopus & Poteſtas voluerint. Convenit Poteſtas Bononiæ cum Poteſtate Ferrariæ, quod Commune Ferrariæ non teneatur reſtituere illud A *quod Conſules pro banno abſtulerunt in territorio eorum, qui malum habuerunt, non teneantur reſtituere illud, quod abſtulerunt. Ad hæc fuerunt teſtes Dominus Jacobus de Fontana, Dominus Albertus de Adigerio, Guido de Turclo, Rambertus de Albaro, Ramiſinus, Guezus, Zacharia Judex, & plures alii.*

Charta concordiæ factæ per Dominum Salinguerra Poteſtatem Ferrariæ, & Commune Bononiæ, Anno 1203.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Talis concordia facta eſt inter Dominum Guillelmum de Poſterla Poteſtatem Bononiæ, & Dominum Salinguerram Ferrariæ, *nomine Communis utriuſque Civitatis. Quod Servi & Maſnatæ Domini Prendipartis Perticonum, & ejus fratris, & Græci, & ejus nepotum, ſcilicet filiorum ſororis ſuæ, & fratris Arditionis, & aliorum omnium Bononienſium, debeant reſtitui a Poteſtate vel Rectoribus Ferrariæ in poſſeſſione Dominorum, viſis rationibus & probationibus Dominorum prædictorum. Vel ſi prædicti Servi & Maſnatæ fuerint confeſſi vel confeſſæ infra viginti dies, poſtquam querela fuerit facta, niſi evidentiſſimis rationibus & probationibus, omni exceptione majoribus, oſtenderint contrarium, infra viginti dies. Et hoc debeat fieri ſub Judice Poteſtatis ſine judicatura aliqua. Eo addito, quod in continenti, poſtquam erit Ferrariæ Dominus Salinguerra, quamcitius poterit, recipiat ſecuritatem de jam dictis Servis & Maſnatis, & eorum rebus reſtituendis in poteſtate Dominorum, ſi oſtenderint, ſecundùm quod ſupra dictum eſt. Sed ſi inveniri non poterunt, in banno ponantur a Communi Ferrariæ cum rebus eorum, quæ inventæ fuerint in diſtrictu Ferrariæ, Dominis reſtitutis. Et ſi uterentur in alio loco de diſtrictu Ferrariæ, homines illius loci compelli debent a Ferraria jurare de eis capiendis, ſi poterunt, & Communi tribuendis. Hoc addito, quod ſi de culpa vel fraude aliquis poſſit argui ſuper facto Servorum, quod teneatur rationem facere ſub Arbitris Ferrariæ. Et Dominus Salinguerra promiſit ſpecialiter ſuper hoc Capitulo, ſe facturum rationem de Communi Ferrariæ cuilibet petenti rationem de Communi Ferrariæ ſub Arbitris Ferrariæ. Et hoc idem promiſit Dominus Guillielmus Poteſtas Bononiæ, ſe obſervaturum de Maſnatis Ferrariæ. De filio Silvagni ita ſtatutum eſt, quod Poteſtas Ferrariæ debet recipere ſecuritatem ab eo quingentarum Librarum Ferrariæ de eo reſtituendo cum ſuis rebus Domino Jacobo Alberti Urſi, niſi oſtenderit publicum Inſtrumentum Libertatis ſibi factum a Domino Jacobo ab eo tempore citra, quo adſcripſit ſe ſolo ipſius, ſecundùm quod ſcriptum eſt per manum publicam; vel per idoneos teſtes, & bonæ opinionis oſtenderet legitimam defenſionem ſui ſtatus ab eo tempore citra, ut ſuperius dictum eſt. Inſuper promiſit Dominus Salinguerra, ſe facturum, ut reſtituatur Sal Diuniſi, & ejus ſociis, ſecundùm quod declarabitur quantitas Salis vel exſtimatio ejus, quæ erat tempore ablationis, per Aſſazatores Salis Ferrariæ, & per eos, qui amiſerunt Salem, declaretur & probetur. Item denarii, ablati Bellundo, debent ei reſtitui a Ferrarienſibus, qui fuerunt viginti ſex Libræ. Similiter viginti novem Libræ Imperiales debent reſtitui*

B *Gerardello a Ferraria. Perdita hominum de Maxinatico, facta in ſervitio Communis Ferrariæ, debet ei reſtitui a Communi Ferrariæ infra triginta dies, ex quo fecerint ſacramentum de perdita & diſpendio. Item ſervetur in omnibus de Bononia & ejus diſtrictu, qui fuerint in ſervitio Communis Ferrariæ, qui juraverint, vel jurare voluerint de perdita & diſpendio ad eundem terminum. Prædæ manifeſtæ & rapinæ & violentiæ omnes factæ a Ferraria Bononienſibus, debent reſtitui, & debita manifeſta ſine placito infra triginta dies, ſecundùm tenorem primæ concordiæ ſtatutum in offenſis. Super conventione & diſcordia, quæ eſt inter Mainardos & Galeranos, vel Commune Bononiæ* C *de aqua & valle, Arbitri duo, qui erunt electi a Bononia de Ferraria, & duo qui erunt electi a Ferraria de Bononia, infra octo dies, poſtquam præſtitum ſacramentum ab utraque Poteſtate, de his obſervandis jurent præciſe & ſpecialiter, eam diſcordiam & contentionem definire infra tres menſes; alias verò definire ſecundùm tenorem primæ concordiæ.*

Et ſi quæ ſimilia facta acciderint Ferrariæ his, quæ dicta ſunt, in Bononia, idem obſervari debent Ferrarienſibus a Bononienſibus. Super facto bladæ Ferrariæ ita ſtatutum eſt, quod Poteſtas Bononiæ debet permittere extrahi blavam Ferrariæ ſecundùm tenorem primæ concordiæ, quandocumque voluerint omni anno, D *exceptâ blavâ hujus præſentis anni, quam nunc habent in Bononia & ejus diſtrictu, in qua ſic ſtatutum eſt pro præſenti anno, ut Poteſtas Bononiæ poſt feſtum Sancti Petri proximi debeat permittere extrahere Ferrarienſes, quandocumque voluerint, cognitâ tamen veritate per eum, cujus fuerit blava, vel per idoneum Nuntium de quantitate blavæ, & per ſacramentum. Hoc autem quod dictum eſt in Nuntio, ſervetur in Eccleſiis, & in Domino Marchione, & in Domino Salinguerra, & domo ſua. In aliis autem perſonis declaretur per ſacramentum ipſarum. Inſuper debet concedere Poteſtas Bononiæ a quarto die poſt feſtum Sancti Petri in antea Ferrarienſibus emere tantum de blava, & extrahere* E *libere de diſtrictu Bononiæ, quanta fuerit declarata illa, quam nunc habent. Et hoc teneatur tantùm obſervare in hoc præſenti anno. Super facto blavæ Bononiæ, quam nunc habent vel habebunt Bononienſes in Ferraria vel ejus diſtrictu, obſervetur tenor antiquæ concordiæ quolibet anno. De tenuta data parti Domini Albigerii debeat mandari exſequutioni ſecundùm tenorem concordiæ. Super facto frumenti ablati Rubeo, exſtimetur quodlibet modium quinquaginta Solidos Imperiales, cognita veritate quantitatis frumenti per ſacramentum Rubei uſque ad quantitatem quatuordecim modiorum. De qua quantitate debent diminui viginti Solidi Imperiales de ſumma pretii. Super facto Taſcæ*

ſcæ Petri Faventini & ejus ſociorum, debet inquiri veritas per Mixottum Galeriæ, & per Mercatores Bononiæ a ſexaginta tribus Libris Imperialibus uſque ad ſeptuaginta quinque. Vinum & lignamen ablatum a Domino Jacobo Alberti Urſi Anzelello, debet ei reſtitui a Domino Jacobo. Manifeſtæ prædæ, & rapinæ, & violentiæ omnes factæ a Bononienſibus Ferrarienſibus debent reſtitui, & debita manifeſta ſine placito. Et ſi quæ ſimilia acciderent Bononiæ his, quæ ſupra diximus Ferrariæ, eadem ſtatuta ſerventur a Ferrarienſibus, quæ ſtatuta ſunt ſervari a Bononienſibus. Super facto filiorum Domini Henrici de Fracta ſtatutum eſt, ut debeant habere, vel mittere Procuratorem Terræ, ſi volunt proponere querimoniam de aliquo Ferrarienſi, vel de ejus diſtrictu. Et Arbitri debeant mittere Bononiam ad recipienda ſacramenta calumniæ, & ad confeſſiones recipiendas. Compenſatio denariorum Taſcæ, & Salis, & Ver. . . . . . & viginti octo Librarum Imperialium Gerardelli, & frumenti Rubei, debet admitti ex utraque parte. Item juramus nos Ferrarienſes pro communi & diviſo pacem Bononienſibus & Hominibus de Comitatu & diſtrictu & Epiſcopatu, & eos ſalvare & cuſtodire in Civitate Ferrariæ, & ejus diſtrictu & Comitatu, nec in Epiſcopatu Bononiæ, vel diſtrictu, nec in alieno ſtudioſe offendere pro communi vel diviſo, nec pro aliquo communi, nec pro aliquo diviſo. Et ſi pro diviſo offenſio facta fuerit, etiam datio fiet, ſecundùm tenorem primæ Chartæ, & bona fide vetabimus, ne quis aliquam offenſam faciat alicui Bononienſi vel in terra vel in aqua, vel pro communi vel pro diviſo. Et ſi Bononienſes habebunt guerram publicam cum aliqua Civitate, ad ſanguinem & incendium, illi Civitati Poteſtatem vel Rectorem non dabimus, ſed penitus vetabimus. Et hoc idem in omnibus juramus nos Bononienſes obſervare & attendere Ferrarienſibus pro

A communi & diviſo. Omnia alia obſerventur ex utraque parte, ſecundùm tenorem antiquæ concordiæ. Et hæc omnia utraque Poteſtas invicem promiſit & juravit ita obſervare, & quod faciet obſervari pro communi & diviſo ſuæ Civitatis, ſecundùm quod in hac præſenti concordia, & in antiqua Charta Pacis, & in Charta interpretationis continetur. Hoc tamen adjecto, ſi quid fuerit communicato conſenſu utriuſque Civitatis ſtabilitum inter eos, quod illud hoc eodem ſacramento teneantur obſervare & facere obſervari bona fide ſine aliqua fraude.

Actum in Galeria, in Eccleſia Sancti Andreæ communi voluntate utriuſque Poteſtatis, Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Tertio,
B die Mercurii XI. exeunte Menſe Madii, Indictione VI. præſentibus ad hoc rogatis teſtibus Domino Azone Legum Doctore, & Domino Mercadante Legum Doctore, Domino Ramberto de Albaro, Domino Gerardo Rolandini, Domino Bualello Guidonis Bualelli, Domino Henrigetto Cornaclini, Bono Bononcio Arardi, Gerardo Cini, & de Ferraria Domino Jacobo de Tocta, Domino Guilielmino Zogoli, Rubeo Mixotti, Petro Albari, Pellegrino Tabellione, Griffo & aliis.

Ego Ventura quondam Regis Henrici Notarius, omnibus geſtis apud Galariam ſuper nova
C Concordia Ferrarienſium & Bononienſium facta inter Dominum Guillielmum de Puſterla Poteſtatem Bononiæ nomine ejusdem Civitatis, & Dominum Salinguerram Poteſtatem Ferrariæ, nomine ejusdem Civitatis, ſecundùm quod ſupra legitur interfui, & de mandato utriuſque Poteſtatis, qualiter antiquam & novam concordiam Ferrarienſes & Bononienſes, & interpretationes inter Bononiam & Ferrariam factas ſacramentis & promiſſionibus firmaverunt inter ſe pro Communi utriuſque Civitatis, ut ſuperius legitur, ſcripſi.

Pacta & Concordia habita inter Commune Bononiæ & Florentinos, Anno 1203.

IN Dei nomine. Amen. Anno Dominicæ Incarnationis MCCIII. Idus Septembris Indictione VI. Nos Davizus quondam Meliorelli de Tuſa, Donatus Tholomei, Octavianus Gerardini, Brunus Judex, Zaninbellus Tedaldini, Acerbus Falſeronis, Sinibaldus Scolai, Gianni Soldanerii, Cavalcante Daini, & Brunellinus, Conſules Communis Florentiæ, ex parte Communis Florentiæ, & pro Communi Florentiæ, promittimus vobis Domini Guidoni Tantidenori, & Bonavoltæ, Domino Ugolino Legum Doctori, & Domino Guidoni Doxii, Conſuli Negotiatorum, recipientibus ex parte & nomine Communis Bononiæ: ſi amodo in antea aliquis de Civitate Florentiæ vel diſtrictus, aliquem contractum celebraverit cum aliquo de Civitate Bononiæ vel ejus diſtrictus, quod ille de Florentia vel diſtrictus, non poſſit nec debeat convenire alium de Bononia vel diſtrictu, niſi illum cum quo contractum celebraverit, ſeu debitorem vel fidejuſſorem, qui pro contractu obligati eſſent. Neo Commune Flo-

D rentiæ alium impediet, niſi contrahentem & debitorem & fidejuſſorem. Et ſi alius aliquando impediretur, vel res alterius, quod Commune Florentiæ expediet. Unde nos Davizus & Donatus pro Commune Florentiæ a vobis pro Communis Bononiæ ſimiliter promiſſionem recepimus ſicut in noſtro Inſtrumento continetur, & ſic Henricum Judicem & Notarium ſcribere & in publicam formam redigere rogavimus.

Acta ſunt hæc omnia in Civitate Florentiæ in Eccleſia Sancti Martini de Epiſcopo præſentibus & rogatis teſtibus, Catalano Conſule Militum, Meliore Abbatis Conſule Mercatorum Florentiæ, Tiniſio Lamberti, Jacobo Ramonis Conſule Cambiatorum, Mainetto Andriolæ,
E Bonoriſtori Karelli . . . . . . Prioribus Florentiæ, & Gondo Camerario Communis Florentiæ.

Ego Henricus Domini Imperatoris Henrici Judex & Notarius, & tunc Communis Florentiæ Cancellarius, hæc omnia me præſente acta rogatus ſcripſi, & in publicam formam redegi.

Concordia

Concordia facta inter Dominum Iſaacum de Dovaria Poteſtatem Bononiæ, & Dominum Salinguerram Poteſtatem Ferrariæ, Anno 1207.

IN *nomine Domini. Talis concordia facta eſt inter* Dominum Iſaacum de Duaria Bononiæ Poteſtatem, *&* Dominum Salinguerram Poteſtatem Ferrariæ, *ſuper quæſtione, quæ eſt inter Gileranos & Maynardos. Scilicet quod duo Arbitri debeant eligi de Ferraria, & duo de Bononia, qui de Bononia debeant cognoſcere ſuper omnem litem, quæ fuit inter Gileranos & Maynardos, tam ſuper ſententia lata a Domino Guidone Lambertini, & Domino Butelello, & Domino Carnelvario, & Domino Gandoaldo, utrum debeat valere vel non, in totum vel pro parte; & utrum tenuta ſit danda ex ea ſententia, vel non: quàm etiam ſuper omnibus aliis litibus, & etiam de illis, quæ continentur in ſententia, ſi contigerit, eam ſententiam non valere, neque poſſeſſionem ex ea ſententia dandam eſſe. Et quod judicaverint definitive vel interloquendo ſuper poſſeſſione danda, ipſi Electi firmiter faciant obſervari, ita quod interlocutoria prædicta habeant vim definitivæ & auctoritatem. Et ſi diſcordia inter electos apparuerit, ad Abbatem Columbæ & Priorem ejuſdem loci debeant communiter recurrere, conſilio vel ſententiæ quorum adquieſcant. Et in eo caſu ſententia ab eis lata firma fiat & rata, ſicuti ab ipſi Arbitris eſſet lata. Et Arbitri utriuſque partis teneantur ea mandare exſecutioni. Et hæc autem agi debeant uno termino ad Pitulam, & alio ad Bondenum, & ſic de ceteris locis & terminis vel alibi, ubi in concordia convenerint, & neutra partium utatur poſſeſſione, quæ eſt in lite vel erit, vel aliquis alius, niſi illi fuerint ab Arbitris utriuſque partis electi, apud quos Arbitros debeant pervenire & permanere quidquid præceptum erit, donec lis definita fuerit, & quidquid præceptum fuerit, detur Arbitris utriuſque partis vici . . . . . . & parti. Arbitri autem ſunt eligendi hoc modo, ſcilicet quod Poteſtas Ferrariæ debeat eligere unum hominem, quem putaverit bonum & utilem, qui juret eligi duos Arbitros. Et eligat de Civitate Ferrariæ, quos crediderit eſſe bonos & idoneos ad prædicta cognoſcenda & expedienda, præſente Nuntio Bononiæ. Et in Conſilio Ferrariæ hoc idem per omnia fiat a Poteſtate Bononiæ in Conſilio Bononiæ, præſente Nuntio Ferrariæ, de eligente & eligendis, qui ſint de Bononia. Eorum autem, qui eligere debent Arbitros, tale debet eſſe ſacramentum, ſcilicet quod debeant jurare, quod prædictam electionem duorum Arbitrorum faciant bona fide ſine aliqua fraude, & quos putaverint bonos & idoneos & legales ad prædicta cognoſcenda & expedienda, remoto odio, amore, pretio & precibus, & ſpeciali lucro vel damno. Et Arbitri electi prædicti poſſint cognoſcere & ſententiare altera parte citata; & non veniente, Poteſtas Ferrariæ teneatur facere venire Arbitros Ferrariæ, & ſtare ad ea facienda, quæ ſunt neceſſaria cauſſæ ad loca deſignata ad terminum & terminos, quos ei denuntiaverit Poteſtas, & Arbitri Ferrariæ, Bononiæ per literas vel per eorum Nuntium: idem in omnibus obſervetur ex parte Poteſtatis Ferrariæ, & Arbitrorum Ferrariæ in requiſitionibus & omnibus aliis. Et utraque Poteſtas teneatur facere jurare preconem in concione ſuper animam Populi, & ad vocem Populi, quod omnia prædicta & alia, quæ continentur in iſta concordia obſervabunt, & facient obſervari, & quæcumque dicta ſunt & tractata ſuper facto Gileriæ & Mainardorum in facto Arbitrorum, videlicet in cognitione & obſervatione, pronuntiatione, in ſuis locis deſignatis & terminis. Ita obſervetur in facto Domini Guidonis Lambertini, & Giltoli Guizzardi, & Domini Petri Alberti Adgerii. Item ſuper lite, quæ eſt in Dominum Guidonem Lambertini, & Giliolum Guizzardi, talis habitus eſt tractatus, quod duo Arbitri debeant eligi, unus a Poteſtate Bononiæ, & alter a Poteſtate Ferrariæ, qui debeant cognoſcere de poſſeſſione & dominio vel quaſi. Et quidquid judicaverint ſuper unoquoque judicio, ratum habeant & firmiter faciant obſervari. Interim tamen fructus litis debeant pervenire & permanere apud Dominos Arbitros utriuſque Civitatis, ita quod neutra pars, vel aliquis alius debeat . . . . qua litis, non illi, qui erunt electi ab Arbitris utriuſque partis, non derogando juri aliorum, qui non ſunt in lite hac. Et ſi diſcordia apparuerit inter ipſos Arbitros, debeant recurrere ad Abbatem Columbæ, & Priorem ejuſdem loci, conſilio vel ſententiæ quorum acquieſcant. Et arbitri utriuſque partis teneantur eam mandare exſecutioni. Et hæc debent agitari uno termino ad Duliolum, & alio ad Hoſpitale Ratoli, & ſic de ceteris terminis, vel alibi, ubi in concordia fuerint.*

Super facto Domini Petri Alberti, & ferri ablati Adhigerii, taliter tractatum eſt, ſcilicet quod duo Arbitri debeant eligi, unus de Bononia, & alter de Ferraria, qui debeant cognoſcere, ſi fructus percepti debeant reſtitui cum poſſeſſione, poſtquam poſſeſſio fuit ei data primo, & poſtea ablata, quin dubitabatur, utrum eſſe debeat propter verba Concordiæ & intellectum. Idem & in ferro propter factum intereſſe. Et quidquid laudaverint de fructibus tantùm habeatur; & ferrum vel ejus juſtam æſtimationem Commune Ferrariæ reſtituat vel reſtituere faciat eis, quibus fuit ablatum cum intereſſe, ſi Arbitri de intereſſe judicaverint. Ferrum autem, ſive ejus æſtimatio præciſe reſtituatur, quamvis non judicaverint de intereſſe. De Ferro autem ablato Ferrariæ occaſione prædicti ferri, idem faciat Commune Bononiæ obſervari, ſi verum eſſe conſtiterit de poſſeſſione Domini Guidonis Bazalerii, reſtituatur eidem Domino Guidoni, vel ejus exſtimationem Bononia debet temporis præſentis, & Ferrariæ dent ejus temporis, quo fuit ablata. De havere ablato Ugolino Zoppo & Zachariæ & ejus ſociis ita fiat. Quod ſi de havere vel podere eorum, qui deprædaverunt eos, invenirent in Civitate Ferrariæ, vel ejus Diſtrictu, hoc Ferraria faciat eidem Ugolino & ejus ſociis dare. Et ſi ſatisfieri non poterit, in banno ponantur, nec de banno extrahantur, niſi in totum ſatisfecerint, vel

vel cum eis ſe concordaverint , & de Civitate & ejus Diſtrictu repellantur , ita quod non debeant ibi habitare . In facto Domini Salinguerræ fuerunt in concordia , quod debeant facere rationem filiis quondam Bonifacii Bomdiei ſub Arbitris , non obſtante eo quod ſic pot . . . . . . Et his Statutis obſervatis omnia quæ continentur in tenore concordiæ factæ inter Bononienſes & Ferrarienſes , debeant firmiter obſervari , ſcilicet in Arbitris eligendis , & debitis confeſſi , & ſententiis exſequutioni mandandis , & in omnibus aliis Capitulis in ſcripto & concordia comprehenſis . Et Abbas Columbæ & Prior ejuſdem loci habeant eamdem auctoritatem & poteſtatem in omnibus & per omnia , quam habent prædicti Arbitri quatuor inter Galeranos B *& Maynardos , & duo inter Dominum Guidonem Lambertini & Giliolum Guizzardi . Item ſtatutum eſt in facto Anſalonis vulnerati , quod Poteſtas Bononiæ faciet dari pignus ſexaginta Librarum Bononienſium Domino Salinguerræ Ferrariæ Poteſtati , & quantum decreverit , Guidonem Bazalerii , & ejus filium Jacobinum dare Anſaloni a ſexaginta Libris infra terminum dabit . Et ſi caſus attulerit , Anſalonem ex illatis vulneribus mori , debet ſuperaddi pignus ſexaginta Librarum Bononienſium , & a ſexaginta uſque ad centum , quantum laudaverit Dominus Iſaacus Poteſtas Bononiæ , & Dominus Salinguerra Poteſtas Ferrariæ , tantum dabitur heredibus Anſalonis . Et pater debeat* C *facere pacem & jurare ſervare pacem in perpetuum Guidoni Bazalerii , & ejus filiis in perſona & havere , & in omnibus hominibus de Civitate Bononiæ & Comitatu & Diſtrictu & Anſalonis , ſi liberaliter faciet idem ſacramen-*

A *tum , & pater ejus ; & promittet certam pœnam , ſcilicet centum Libras Imperiales , ſi faciet contra pacem , dare Guidoni & ejus filio . De facto Domini Petri Adigerii ſtatutum eſt , quod Dominus Petrus eligat ſibi unum hominem, & filii Raynerii Marſilii alium , quos Poteſtas Bononiæ faciet jurare deſignare terram , de qua fuit ei vel ſuo patri data tenuta per Commune Bononiæ . Et ambo electi ſint de Diſtrictu Bononiæ . Et hæc omnia utraque Poteſtas promiſit ſe ad invicem obſervaturum .*

Actum in Eccleſia Sanctæ Mariæ de Duliolo, Anno Domini MCCVII. die XIII. exeunte Martio , Indictione X præſentibus ibi ex parte Ferrariæ Domino Luizo , Domino Johanne de B *Albara , Giliolo Marcoaldi , Philippo de Paganis , Guidone Contrario , Anſideo de Beo , Piuthino Tabellione , & Jacobo Notario : ex parte Bononiæ Domino Guidotto Azzi Priore Communis Bononiæ , & Domino Aloperio Conſule Juſtitiæ, Domino Mercadante Legum Doctore; Domino Jacobo Pizzolo , Domino Johanne Bonſeri , Domino Buccaderonco , Domino Arpinello , Domino Angelello de Urſis , & Guaſcontino .*

Ego Ventura quondam Regis Henrici Notarius interfui , & ut ſupra legitur , mandato utriuſque Poteſtatis ſcripſi .

C Inter acerrimos impii Eccelini de Romano inimicos numeratus eſt Azo VII. Marchio Eſtenſis , qui & ad illud immane monſtrum debellandum , atque e medio tollendum , impiger accurrit . Fœderis Anno MCCXLIX. contra illum ab ipſo initi tabulas coronidis loco ſubjicio , ex Archivo Eſtenſi depromtas.

Charta Fœderis initi inter Bertoldum Patriarcham Aquilejenſem , Marchionem Eſtenſem , Brixianos , Mantuanos &c. Anno 1249.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis . Amen . Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Quadrageſimo Nono , Indictione VII. Dominus Bertoldus , *Dei gratiâ , venerabilis* Patriarcha Aquilejenſis , *cupiens in ſervitium ſanctæ matris Eccleſiæ potenter & patenter aſſurgere , quatenus ſe vires ſuæ extendunt , Nuntium ſuum pro petendo auxilio ad devotos Eccleſiæ , videlicet Nobiles Viros* Marchionem Eſtenſem , & Comitem Sancti Bonifacii , *atque ad Civitates* Brixiam, Mantuam, & Ferrariam *deſtinavit . Qui de communi colloquio ſuper hoc ordinato , auditis petitionibus dicti Nuntii, promiſerunt eidem Domino Patriarchæ mittere centum Cavalcatores in propriis expenſis, uſque ad Terram ſuam , ita quod poſtquam ipſi fuerint in Terra ipſius Domini Patriarchæ , ipſi poſtmodum eis tenetur providere congrue de expenſis , & reſarcire damna , quæ faciendo werram incurrent . Et ipſi verſa vice lucrum , quod conſequi poterunt , tenentur dividere per medium cum ipſo Domino Patriarcha , dando eidem medietatem , & ſibi aliam retinere . Inſuper quælibet illarum Communitatum , ſcilicet Poteſtas cum Conſilio , data poteſtate uni in qualibet Civitate , qui in animam illorum omnium juraret , talis Scripturis in animam ipſorum juramento firmavit , quod quandocum-*

D *que* Hezelinus de Romano *equitaret ſuper Terras Domini Patriarchæ , vel ſuper Turviſium, ſeu ſuper Terras Domini Biaquini , cum ſuo exfortio, vel mitteret trecentos milites , vel ultra , dictæ Communitates teneantur cum ſuo exfortio equitare ſuper Veronam , & eis facere vivam werram . Et quod non debeant facere pacem , compoſitionem , ſeu concordiam aliquam ſuper prædicta werra ſine voluntate & conſenſu ipſius Domini Patriarchæ , quibuslibet exceptionibus juris & facti hinc inde ceſſantibus & remotis , ita quod idem Patriarcha idem juramentum eis præſtari faciat : alioquin non debeat teneri ſecundùm quod hæc omnia continentur in prædictarum Civitatum publicis inſtru-* E *mentis , etiam ipſorum ſigillis munitis . Ipſe autem Dominus Patriarcha dictis inſtrumentis viſis , & inſtrumento Civitatis Mantuæ coram ſe & Conſilio ſuo perlecto , ad honorem Dei & ſanctæ matris Eccleſiæ die XI. Maji , in præſentia* Conradi Electi Juſtinopolitani , Hermanni Electi Sextenſis , *Henrici de Villalta , Federici de Caſtello , Rodulphi de Cibriano , & Thomaſii de Pulzanigo liberorum , Cononis & Artuiti fratrum de Murico , Johannis & Adalperti fratrum de Cucanea , & Henrici de Mels, atque aliorum plurium Miniſterialium Eccleſiæ Aquilejenſis , dedit parabolam Magiſtro Beringerio*

gerio Vicedomino ſuo jurandi in anima ſua omnia prædicta, ut dictæ Communitates eidem juraverant, verſa vice eiſdem attendere & obſervare bona fide, ſine fraude. Qui ibidem Libris & Scripturis corporaliter tactis, quæ ſuperius dicta ſunt, juravit in animam Domini Patriarchæ, & præſentem Chartam idem Patriarcha juſſit ſui ſigilli munimine roborari.

Actum apud Utinum in camera Domini Patriarchæ.

Ego Paulus ſacri Palatii Notarius his omnibus interfui & rogatus ſcripſi.

Illud denique commemorandum duco, inter Civitatum Fœdera fere ſemper conſtitutum A aut ſubintellectum fuiſſe, ut ſi qua diſcordia inter Cives aut diſtrictuales, ut ajebant, ſerperet, reliquæ Civitates ſociæ intercederent, ſive ut pax illæſa ſervaretur, aut diſrupta continuo reſarciretur. Propterea quum Anno MCCLXXXII. Mutinenſis Reſpublica pacem dediſſet factionis Aigonum, præpotenti in Caſtellis Provinciæ Friniatis, fœderatas Civitates impulit ad habendum veluti proditorem ac rebellem, quicumque iſtam Mutinenſium pacem frangeret. Itaque *B.innum* de hac re promulgatum fuit, quod inſertum legebatur olim in antiquis Legibus municipalibus Civitatum Parmæ, Bononiæ, Cremonæ, Placentiæ, & Regii.

DE
LIBERTATE,
IMMUNITATIBUS,
AC PRIVILEGIIS
CIVITATUM, AC PRINCIPUM
ITALICORUM.
DISSERTATIO
QUINQUAGESIMA.

DISSERTATIO
QUINQUAGESIMA.

UTi ex Pace Anno MCLXXXIII. Conſtantiæ ſtabilitâ liquet, Civitatibus ac Principibus Italicis, ſub Societatis Langobardicæ nomine venientibus, Reipublicæ forma, Libertas, & Regalia omnia a Friderico I. Auguſto, ejuſque filio Henrico VI. Rege, diſertiſſimis verbis confirmata fuere. Suos Magiſtratus ſibi deligere, Leges condere, Civitates & Caſtra munire, Fœdera percutere, Bella indicere, Tributa colligere, aliaque hujuſmodi munia Regalis poteſtatis, libera iis relinquuntur. Uno verbo, jura Principatus (Romanorum tamen Imperatoribus obnoxii & ſubjecti) ſublatis inde prorſus Cæſareis Magiſtratibus, unicuique Urbi liberaliſſime conferuntur. Nam quamvis liberæ Civitates A in eadem Conſtantienſi Pace obſtrictæ fuerint ad Conſules eligendos cum conſenſu Imperatoris, aut illius Nuntiorum, hoc tamen onere poſt breve tempus ſolutæ, integrâ inde Libertate Conſules ſuos, aut Prætorem, deligere & renuntiare perrexerunt. De cenſu aliquo ſingulis annis Cæſari perſolvendo ne unum quidem verbum in tabulis illius Pacis occurrit, Quamobrem miratus ſum, quod in Privilegio deinde conceſſo Brixianæ Civitati ab Henrico inter Reges Sexto, inter Imperatores Quincto, Cenſus pendendi obligatio legatur. Editum longe antea illud fuit in Libro Statutorum Municipalium ejuſdem Civitatis; ſed huc inferendum duxi, ut conditionem hanc, aliis Civitatibus Langobardicæ Societatis minime impoſitam, Lector luculentius inſpiciat.

Henrici Sexti Regis, Imperatoris Quincti Diploma, quo Civitati Brixianæ Regalia concedit, Anno Chriſti 1192.

IN *nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis*. Henricus Sextus, *divina favente clementia* Romanorum Imperator, *&* ſemper Auguſtus. *Circumſpecta eminentiæ noſtræ diſcretio nominatiores Imperii regiones ſuis approbatas laudibus, in noſtri pectoris arcano, ab invicem diſtinguens Civitates & illarum loca & perſonas, quæ ſuis late clarent titulis, non minus ſollicite conſiderat & attendit, ut ſtatu cujuslibet earum inſpecto, ſecundùm devotionis & fidei ſuæ exhibitionem & meritum, loco & tempore Imperialis gratiæ favorem eo uberius percipiant & honorem. Inter memorandas itaque Italiæ Civitates cum* Brixia *ſtrenuitate militiæ, fortitudine Populi, decore armorum, ſapientiæ & divitiarum, commendata ſinceritate intenſæ devotionis & fidei, Celſitudini noſtræ & Imperii noſtri exhibitæ, & exhibente, ita ſe applicaverit, ut ad ejus, & ipſorum* Brixienſium *exaltationem indeſinentem, & commodum firmum, & immutabilem intendendi habeamus propoſitum: notum facimus univerſis tam præſentis, quàm futuræ ætatis Imperii fidelibus, quod nos eorum devotis precibus aurem clementiæ noſtræ benigne & favorabiliter accommodantes, confirmamus eis, videlicet* Brixienſibus, *omnes conceſſiones & permiſſiones, quas in tenore Pacis eis fecimus. Inſuper concedimus eis* omnia Regalia, *quæ Imperium habet in Epiſcopatu Brixienſi, ſeu juriſdictione, vel diſtrictu Brixiæ infra hos confines, in tota Curte & territorio Moſi ab utraque parte fluminis Olei; & a Curte & territorio Moſi in ſuſum, ſicut fluit flumen Olei uſque Palazolum; & in ipſo flumine & ripis ejus versùs Brixiam & terram Brixianam; & in omnibus locis & Caſtris, & Burgis, ſicut extenduntur Curtes & territoria locorum Brixienſium ab utraque parte Olei; & in Curte & territorio Muræ; & in Curte & ter-* B *ritorio Palazoli in ſuſum uſque ad Lacum Iſei, unde fluit Oleum versùs Brixiam; & in ipſo flumine & ripis ejus versùs terram Brixianam; & inde ſupra per totum Epiſcopatum Brixiæ uſque Dalegnum, & per totum territorium ejus; & a Dalegno in omnibus locis & Caſtris & Burgis, quæ . . . . per Civitatem Brixiæ, & Curtibus & territoriis ipſorum locorum, uſque Lemonum; & a Lemono ad Pocelengum; & a Pocelengo uſque ad Guttezolum; & a Guttezolo uſque ad Moſim; & in aliis locis, qui diſtringuntur, vel diſtringebantur per Civitatem Brixiæ, ubicumque fuerint, in terra & in aqua. Eo addito, ut ſi in prædictis locis, vel infra prædictos confines a glorioſo* C patre noſtro Federico *felicis memoriæ* Romanorum Imperatore, *vel a noſtra clementia, vel ab eo, qui a nobis habuit aliquod datum, vel ſcriptum fuerit de prædictis Regalibus, Brixienſibus non obſit, de quibus qui acquiſivit, non habet publice poſſeſſionem, non violentam, non clandeſtinam. Ab hac conceſſione excipimus omnia Feuda & beneficia antiqua, ſeu a Patre noſtro, vel a nobis conceſſa, de quibus ille, qui acquiſivit, manifeſtam habet poſſeſſionem, non clandeſtinam, non violentam: & excepto Fodro Regali, quando aliquis Succeſſor noſter profecturus eſt Romam pro Corona ſuſcipienda, ab iis, qui ſolent & debent prædictum Fodrum dare: & exceptis Appellationibus, ſecundùm* D *quod in forma Pacis continetur.* Pro prædictis autem Regalibus, quæ eis nos conceſſimus, & nunc concedimus, dabunt nobis, vel Nuncio noſtro in Civitate Brixiæ in proximis Kalendis Martii, & a proximis Kalendis Martii in antea ſingulis annis pro Cenſu duas Marchas auri. *Ut autem hæc confirmationis & conceſſionis noſtræ pagina Majeſtatis noſtræ Sigillo roborata, rata deinceps obſervetur & inviola-*

ta , ſtatuimus & Imperialis auctoritatis edicto ſancimus , ut nulla omnino perſona humilis vel alta , Secularis vel Eccleſiaſtica , eam infringere , vel aliquo temeritatis auſu ei obviare præſumat . Quodque facere attemptaverit , in ultionem temeritatis ſuæ centum Libras auri puri pro pœna componat , medietatem Imperiali Cameræ noſtræ , partem verò reſiduam perſonis injuriam paſſis . Hujus rei teſtes ſunt Conradus Maguntinus Archiepiſcopus , Guillielmus Archiepiſcopus Ravennas , Henricus Vormacinenſis Epiſcopus , Godofredus Comes de Vejuſingen , Rubertus de Durne & filius ejus Ulricus , Hartinimius de Butingen , Vernerus de Roſſewac , Cimo ſenior de Micembere & Cimo junior filius ejus , Conradus de Walthiiſen Camerarius , & filius ejus , Albertus Volframus de Lapide , Sefridus Marſcalcus de Agenowe , & frater ejus Volframus , Ortobellus Mediolanenſis , & Arnoldus Placentinus , Imperialis Aulæ Judices .

Acta ſunt hæc Anno ab Incarnatione Domini MCXCII. Indictione X. Regnante Domino Henrico Sexto Romanorum Imperatore glorioſiſſimo Anno Regni ejus XXIII. Imperii verò II. feliciter . Amen .

Data apud Geiuslengiiſen , VI. Kalendas Auguſti .

Contra nihil moror , quod idem Henricus VI. Rex graviori etiam onere Senenſem Populum preſſerit Cenſu indicto, perſolvendo non ſibi tantùm , ſed & *Succeſſoribus in perpetuum* ; neque enim iis , uti neque ceteris Tuſcis locus fuerat in Pace Conſtantiæ . Diutius quoque Cæſareorum Magiſtratuum auctoritas in Tuſcia , quàm àpud Lombardos perduravit, Marchionibus ibi , ſeu Ducibus , ipſo Friderico regnante , immo & poſt ejus mortem , conſtitutis . Quid ergo temporibus iis Fridericus I. Auguſtus , ejuſque filius Henricus VI. Italiæ Rex a Senenſibus petierint , ut eis Cæſaream gratiam reſtituerent , Urbis illius monumenta nunc prodent , quæ ex Archivo Metropolitanæ Senenſis Baſilicæ deſcripta ad me miſit amicus vir Hubertus Benvoglientus , dum vivebat .

Forma Pactorum , per quæ Fridericus I. Auguſtus & Henricus VI. ejus filius Rex Italiæ , Senenſibus Cæſaream & Regalem gratiam reſtituunt , Anno 1186.

HÆc eſt forma compoſitionis , per quam Senenſes veniunt ad gratiam Domini Imperatoris , *&* Regis Henrigi . *Inprimis reſignabunt Sereniſſimo Regi Comitatum Senenſem , & omnia bona & poſſeſſiones & jura , quæ fuerunt* Comitiſſæ Mathildæ , *&* Comitis Ugolini , *ſi qua habent : & quicquid pertinent ad Marchiam Tuſciæ . Reſignabunt etiam & reſtituent omnia Caſtra & poſſeſſiones omnes, & ſpecialiter Caſtrum Sancti Quirici ; & omnia Regalia , jura , & jurisdictiones, quæ pertinent ad Imperium infra Civitatem & extra . Et nominatim Monetam , & Pedagium , ſive Teloneum , quam facere conſueverunt , vel faciunt . Jurabunt etiam fidelitatem Domino Regi a quindecim annis uſque ad ſeptuaginta . Præterea reſtituere debent Eccleſiis , & Nobilibus de Comitatu Senæ omnes poſſeſſiones, Caſtra, & jura , ſi quæ abſtulerunt . Inſuper , ſi quos Nobiles juramento pro aliquo facto adſtrinxerunt , eos a vinculo juramenti abſolvent . Conjurationem nullam facient , vel Compagniam , nec ſecuritatem ſine parabola Domini Regis, vel Imperatoris , cum aliqua perſona , Civitate, vel loco . Et ſi aliquam fecerunt, conjuratores abſolvent ad mandatum Domini Regis . Præterea illa duo Caſtra , ſcilicet Montem Acutum, & Orziam, conſignabunt & tradent in poteſtatem Domini Regis , ſalvo tamen jure eorum , ſi quod habent in jam dictis Caſtris : ita quod Dominus Rex cognoſcat per ſe , vel per fideles ſuos de Curia ſua , de jure eorum & illorum , qui de jam dictis Caſtris conqueri voluerint . Et ſi cognitum fuerit jam dicta Caſtra pertinere ad Senenſes de jure , eis reſtituet .* Servire etiam debent jam dicti Senenſes Domino Regi de pecunia ſua in quatuor milibus Librarum , *&* Dominæ quoque Reginæ ſexcentas Libras dabunt , & Curiæ quadringentas . *Pacem & guerram facient omnibus , quibus Dominus Rex præcipiet , vel certus Nuntius ejus , ſicut eſt Legatus Italiæ , vel alius Nuntius ad hoc deſtinatus . Et ſpecialiter pacem ſervabunt Vulterrenſi Epiſcopo , & Hominibus de Monte Alcino , & aliis fidelibus Imperii , juxta mandatum Domini Regis . Eccleſias ab omnibus exactionibus & oneribus ſervabunt immunes ad mandatum Domini Regis , & nominatim Eccleſias Vulterrani Epiſcopi . Dominus verò Imperator , & Rex ſuſcipient Senenſes in plenitudinem gratiæ ſuæ , remittendo eis omnes offenſas,quas eis, & Imperio, aliquo modo fecerun : ſalvis etiam eis allodiis & beneficiis ſuis, & pignorationibus , quæ vel quas juſte habent , vel tenent .*

Anno Domini Milleſimo Centeſimo Octuageſimo Sexto , menſe Junii , Indictione IIII.


Dura hæc ſane videantur , quum erga tot alias Civitates ſe adeo munificum ac indulgentem Fridericus præbuerit . Verùm Imperator, quum nullis conditionibus, quod eſt ad pleraſque Tuſciæ Urbes , teneretur , & iram adhuc animo verſaret , quod ſuperiore bello Urbes illæ legitimo Pontifici Alexandro III. adhæſiſſent , atque opem tuliſſent : ubi ultionis occaſionem nactus eſt , in eas deſæviit . Nobilibus quoque Senenſibus , quos Populus Senæ dominans depreſſerat , ſe gratum præſtare cupiebat . Jugurtha Thomaſius in Hiſtoria Senenſi, dubiis tamen auctoribus nixus , ſcribit , Anno MCLXXXIV. Senam & a Cæſareis copiis obſeſſam , & Civium virtute non ſine gravi hoſtium cæde ejuſmodi periculo ereptam fuiſſe . Sed uti me certiorem fecit prælaudatus Benvoglientus , Anno tantùm MCLXXXVI. Henricus Rex obſidione Urbem eamdem cinxit . In pervetuſto Codice MSto hæc adnotata fuere : *Anno Domini MCLXXXVI. obſedit Rex Henricus , qui poſtea fuit Imperator , Civitatem Senenſem . Et in proximo præcedenti Anno Fredericus pater ejus eamdem intravit Civitatem .*

tem. Itaque præcedenti Anno MCLXXXV. Senam ingreſſus fuerat Fridericus, quo Anno ſcribit Sigonius, Imperatorem ipſum *in Etruriam tranſgreſſum omnibus Civitatibus, præter Piſas & Piſtorium, totius agri juriſdictionem ademiſſe*. Verùm Sigonius ignoravit, hanc non multo poſt Senenſibus redditam, Pace videlicet inter ipſos & Henricum VI. Regem, A negotia Italica pro patre agentem, reſtitutâ: quod Thomaſius rectè adnotavit. Quæ tunc Senenſibus conceſſa fuerint, ac præcipue jus cudendæ pecuniæ, ex ejus Privilegio patebit, quod ex Archivo Hoſpitalis Senenſis Sanctæ Mariæ de Scala, exſcriptum ſupra laudati Benvoglienti curâ, omnium oculis ſubjicio.

Henrici VI. Regis Diploma, quo Senenſi Reipublicæ Libertatem, jus cudendæ Monetæ, aliaque jura Regalia largitur, Anno 1186.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.* Henricus Sextus *divina favente clementia* Romanorum Rex ſemper Auguſtus. *Gratioſe liberalitatis & munificentie largitatem Regie benignitatis noſtre clementia paſſim erga fideles noſtros exercere conſuevimus, ut ceteros plenius ad obſequium noſtre Majeſtatis invitemus. Uberiori verò copiâ largitatis ſinum eis aperimus, quorum fidelitatis & devotionis conſtantia ex antecedentibus meritis profecto ſperatur in obſequiis Imperii & noſtris jugiter perſeveratura. Notum igitur facimus univerſis Imperii fidelibus preſentibus & futuris, quod nos ex ampla liberalitatis noſtræ gratiâ reſpicientes merita fidelium noſtrorum* Civium Senenſium, *concedimus* Univerſitati *ipſorum liberam Conſulum electionem. Inveſtituram autem de manu noſtra, vel glorioſiſſimi* patris noſtri Friderici Romanorum Imperatoris Divi Auguſti, *vel Succeſſorum noſtrorum annuatim recipient, ſi fuerit Rex vel Imperator in Ytalia, vel a Legato, ſive Nuntio noſtro, qui tunc temporis erit in Tuſcia, gratis & ſine omni exactione. Quod ſi fortè Legatus, ſive Nuntius noſter non vult Inveſtituram præſtare, ſufficiat eam petiviſſe. Si autem nec Imperator, nec Rex, nec certus Imperii Legatus fuerit in Ytalia, quolibet quinquennio Conſules electi ad noſtræ Majeſtatis, vel Succeſſorum noſtrorum præſentiam venientes, vel certum Nuntium tranſmittentes, Inveſtituram Conſulatus, vel Rectoris, ſi eum elegerint, de manu noſtra, vel Succeſſoris noſtri, ſine gravamine recipient. Ad hec ipſis concedimus plenam juriſdictionem in Civitate Senenſi, & extra Civitatem, de hominibus, quos habuit Epiſcopus Senenſis, libere ad manum ſuam, & quicumque habitator Senenſis in Comitatu Senenſe, dum hec Divalis pagina conceſſionis noſtre ſcriberetur; ſalvo jure Appellationis in cauſis tranſcendentibus ſummam viginti Librarum, vel infra, conſiſtunt, Appellationes fieri ad Majeſtatis noſtre preſentiam inhibemus. Inſuper concedimus eidem Univerſitati Senenſium Fodrum de eiſdem hominibus, & poſſeſſionibus habitis jure proprietatis vel Feodi, tunc ab Epiſcopo Senenſe, vel quocumque habitatore Senenſe per Comitatum Senenſem perpetuo tenendum a nobis, & Divis Succeſſoribus noſtris, ſalvâ in omnibus Imperialis Majeſtatis & Regiæ auctoritatis juſtitiâ. Excipimus autem fidelem noſtrum Ildebrandinum Joſep perpetuo cum hominibus & poſſeſſionibus* B *ſuis, quoniam in eodem Ildebrandino cum hominibus & poſſeſſionibus ſuis, Senenſibus nullam poteſtatem habere permittimus. Similiter in Feodo, quod Sereniſſimus Pater noſter Romanorum Imperator Auguſtus Guidoni Maëz conceſſit, Civibus Senenſibus nullam permittimus poteſtatem. Omnes quoque Nobiles extra Civitatem, & omnes alios per totum Comitatum Senenſem homines, præter eos, quos determinate in ſupraſcriptis Regie Sublimitatis apicibus pernotavimus, cum omni juriſdictione, Fodro, & honore ac ſervitio, in poteſtate noſtra libere retinemus. Item ex uberiori gratia benignitatis noſtre, Regia qua fungimur auctoritate, concedimus ipſis Civibus Senenſibus* poteſtatem C cudende & faciende Monete in Civitate Senenſi. *Portam autem in Civitate Senenſi, & pedagium ad manum noſtram libere retinemus. Item, ſecundùm ſententiam in Curia noſtra latam, Caſtrum Montis Capuli, quod eſt juxta Orgium, judicamus deſtruendum, nec illud amplius ædificandum. Similiter ſtatuimus, deſtruendum edificium, quod in Podio Liciniano eſt inceptum, & ulterius non edificabitur. Pro hac tam liberali Regie Majeſtatis conceſſione Senenſes nobis & Succeſſoribus noſtris Divis Auguſtis annuatim in perpetuum, quindecim diebus poſt Paſcha apud Caſtrum Sancti Miniatis* ſeptuaginta Marchas boni argenti & puri perſolvent ad pondus Camere noſtre. *Ut autem* D *hec omnia in perpetuum inviolabiliter obſerventur, preſentem inde paginam conſcribi, & aureo Majeſtatis noſtræ Sigillo juſſimus inſigniri. Statuentes, & Regali auctoritate ſancientes, ut nulla omnino perſona humilis vel alta, Secularis vel Eccleſiaſtica, hanc noſtre Majeſtatis conſtitutionem audeat infringere, vel aliquo modo attemptare. Quod qui facere præſumpſerit, centum Libras auri puri pro pœna componat, dimidium Camere noſtre, & reliquum injuriam paſſis perſolvatur. Hujus rei teſtes ſunt Rodolfus Imperialis Aulæ Prothonotarius, Bertoldus Legatus Ytalie, Comes Monteſeltrius, Paltonerius Caſtaldus de Bretenorio, Petrus Traverſarius Comes Ariminenſis, Comes Fredericus de Hoënbe, Comes Conradus de Dorenburc,* E *Crachto de Bocusberi, Honfridus de Valkeſtein, Ydo Terdolenſis Regalis Aule Judex, Burcardus Caſtaldus de Ymola, Henrigus Mainardi de Bretenorio, Ugolinus de Belmonte, Guido Maiz, & Marianus, Conſules Senenſes, & alii quamplures.*

Signum Domni Henrici Sexti



Romanorum Regis invictiſſimi.

Ego Philippus Colonienſis Archiepiſcopus, & Ytalici Regni Archicancellarius recognovi.

Acta ſunt hec Anno Dominice Incarnationis MCLXXXVI. Indictione V, Regnante Domino Henrico Sexto Romanorum Rege glorioſo, Anno Regni ejus XVIII.

Datum apud Ceſenam per manum Rudolfi Protonotarii, VIII. Kalendas Novembris feliciter. Amen.

Poſt pacem Conſtantienſem exciderant e gratiâ Friderici I. Cremonenſes, quod is Mediolanenſibus favens, Cremam reædificandam juſſiſſet: id autem concoquere nequibant Cremonenſes, unde bellum eſt ſubſequutum. Verùm idem Henricus VI. eodem Anno MCLXXXVI. Cremonenſi Populo ſuam, ac patris Auguſti gratiam reſtituit, uti fidem faciant tabulæ, quas in Archivo Reipublicæ Cremonenſis legi.

Henricus VI. Italiæ Rex Cremonenſes in ſuam gratiam recipit, eiſque omnem injuriam & reatum dimittit, Anno 1186.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Centeſimo Octuageſimo Sexto, Indictione IV. die Dominico, qui fuit Seſtus intrante Menſe Julii; Henricus *Dei gratia* Romanorum Rex invictiſſimus Auguſtus *recepit Odonem de Comite, & Diaconum de Perſico* a parte & nomine totius Communis Cremone, *& pro diviſo, ſeu vice ſingularum perſonarum, in plenitudinem gratie ſue, & remiſit eis* nomine Communis, *& diviſim, omnes offenſiones & damna, & maleſitia, & indignationes. Et ibi loci predictus Rex Henricus fecit jurare .... & ſuper ſuam animam, quod apud ſe causâ hujus* Cremonenſes *de offenſionibus, damnis, maleſitiis, Imperio vel* Federico patri ſuo, *vel ſibi a parte Communis Cremone, vel diviſim illatis, & quod propter hoc, quod olim contigit inter Dominum Imperatorem & Cremonenſes, vel inter ſe & Cremonenſes, non incurret contra eos Cremonenſes in his, qui preſident, neque in bonis, neque in aliis.*

Actum ſub temptorio Regis Henrici feliciter, quando erat in obſidione Urbis Veteris. *Interfuerunt ibi teſtes rogati ab ipſo Rege Philippus de Bolanda, Golferamus de Petra, Otto Frangenſpanem Prefectus Rome, Guilielmus de Bara filius Salienbene, Valla de Palatio, Ido de Terdona, Vercellinus Balbus, Rufinus Tortus, Bertoldus de Camio.*

Ego Albertus ſacri Palatii predictis interfui, & rogatus ab ipſo Domno Rege ſcribere ſcripſi.

Chronographus Aquicinctinus apud Pagium auctor eſt ad hunc Annum, a Friderico I. Imperatore, *auxilio Mediolanenſium*, Cremonenſes coactos fuiſſe ad ſuum redire ſervitium. Sed jam Henricus Apuliæ & Siciliæ hereditatem animo devorabat, ac propterea Lombardiam pacatam optabat. Obortæ quoque eodem tempore ſunt controverſiæ inter ipſum & Urbanum III. Papam: cujus rei teſtes ſunt tabulæ eædem nunc a me prolatæ, utpote ſcriptæ *in obſidione Urbis Veteris*. Ita idem Henricus Rex, quamquam contenderet, Regienſem Populum rebellionis reum, & banno propterea ſuppoſitum fuiſſe, attamen mitiſſime cum eo agens, in gratiam ſuam reſtituit, nihilque immutatum voluit de conditionibus Pacis Conſtantienſis. Ejus Diploma, quale in Archivo Senatus Regienſis habetur, a me inde exertum, Lector accipiat.

Henricus inter Reges VI. inter Imperatores V. Regienſem Populum in ſuam gratiam recipit, Anno 1193.

HEnricus Sextus *divina favente clemencia* Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus. *Imperatoriæ Majeſtatis requirit & expoſtulat officium, ut ſicut rebelles digna animadverſionis cenſura debet percellere, ſic eos, qui devoti ad gratiam noſtram confugiunt, clementi recipiat & foveat benignitate. Cognoſcant ergo univerſi fideles Imperii præſentes & futuri, quod* Reginos, *qui gratiæ noſtræ offenſam, & bannum incurrerunt, per fideles noſtros Gebevardum & Henricum Nuntios ipſorum, gratiam noſtram & favorem humiliter & devote cum digna exceſſuum ſatisfactione poſtulantes,* in plenitudinem gratiæ noſtræ recepimus, *ipſoſque a banno noſtro clementer abſolvimus ...... prædicti Nuncii Gebevardus & Henricus ex parte Reginorum abſolverint & liberaverint a ſacramentis omnes homines, quos per oppreſſionem ſeu metum, vel per violentiam ſub ſe ſtare jurare fecerunt poſt tempus Pacis Conſtantiæ Lombardis datæ. Omnia quoque loca & terras, quas & quæ poſt pacem Conſtanciæ ſuâ auctoritate invaſerunt, vel per vim intraverunt, remiſerunt, & homines a ſacramentis abſolverunt; eo tamen tenore, quod hæc liberatio ſive abſolutio non noceat nec proſit Reginis in hiis, quæ habuerunt vel tenuerunt ante tempus Pacis Conſtanciæ. Nos itaque dimittimus, remittimus, & indulgemus Reginis, & jam dictis Nunciis, nomine ipſorum, omnem offenſam, vel maleficium rei vel perſonæ, quod & quam Nobis vel Nunciis noſtris vel alicui fideli noſtro fecerunt occaſione hujus diſcordiæ per ſe, vel per eorum partem. Si etiam propter hanc diſcordiam, vel occaſionem diſcordiæ poſſemus dare vel exigere aliquid a Reginis pro ſententia vel laudo facta vel facto contra Reginos, inde eos liberamus & abſolvimus. Omne quoque ſacramentum factum Reginis, vel alicui partis eorum a Nobis, vel a Nunciis noſtris, vel aliquo de parte noſtra, occaſione hujus diſcordiæ habitæ inter Nos vel Nuncios noſtros,*

vel

vel aliquem vel aliquos noſtræ partis, remittimus & abſolvimus. Nec querimoniam ſcriptam vel non ſcriptam ab aliquo Vaſſallo Curiæ, vel ab aliquo, qui non ſit Vaſſallus Curiæ, recipiemus occaſione hujus facti, nec rationem inde faciemus, nec fieri permittemus, neque per nos, neque per Nuncium noſtrum. Illis autem, qui dampnum receperunt in cavalcata Sancti Poſſidonii, Regini emendent dampnum capitale, & non ultra, niſi tranſactum ſit cum eis, vel cum aliis pro eis, vel aliter compoſitum. Hæc itaque omnia prædicta facimus & concedimus, ſalvo tenore Pacis Conſtanciæ. Ad cujus rei certam in perpetuum evidentiam, præſentem inde paginam conſcribi juſſimus, & majeſtatis noſtræ Sigillo communiri.

Actum fuit hoc Anno Dominicæ Incarnationis MCXCIII. Indictione XI.

Datum apud Wirceburc *XIIII. Kalendas Novembris.*


Antea Sigonius nos docuit, Fridericum I. ejuſque filium Henricum, Piſano Populo nullam intuliſſe moleſtiam, quum fere ceteras Tuſciæ Urbes gravibus pœnis multaſſet. Scilicet iis perpetuum ſtudium fuit Imperialis factionis, & Cæſaris ſibi demerendi. Quum verò ſe omnibus commendaret eorum potentia, terrâ, marique præcipue, ſpectatiſſima, tum potiſſimum de iis ſibi devinciendis cogitavit Henricus VI. quum expeditionem Siculam meditaretur. Itaque Anno MCXCIII. ampliſſimum Piſanis Privilegium conceſſit, iiſque tot ac tam mira largitus eſt non tantùm in eorum Civitate & agro, ſed & in Siciliæ Regno ſibi conquirendo, ut fidem excedere liberalitas tamquam immoderata videatur. Sed, uti omnes norunt, diverſa duo ſunt polliceri, ac pollicita adimplere. Ingentia quoque Genuenſibus ob eam ipſam expeditionem Henricus obtulerat, ut habent Annales Genuenſes Tomo VI. Rer. Italicarum. Sed quem exitum promiſſa illa habuerint, iidem Annales ampliſſime produnt. Infelix etiam expeditio in Siculos ante ab eo ſuſcepta, ſatis eum monebat, in difficillima re ſubſidiis ingentibus, & præſertim claſſe validâ, opus eſſe; ac proinde ut Populos viribus maritimis adeo potentes ſibi conjungeret, quidquid petierunt, ſine cunctatione ſe daturum ſpopondit: neque enim multum eſt, neque magno conſtat, pergamenam unam ſcribere, eique ſubſcribere. En ergo Privilegium ipſum, quod ex antiquo exemplo apud ſe adſervato ſuppeditavit mihi nobilis quondam vir, Octavius Angelus de Abrahamo, Primatialis Piſanæ Canonicus. Troncius in Annalibus Piſanis, paucis innuit hoc Diploma: teſtatur tamen, ejus autographum adſervari in Archivo Operæ, ſive Fabricæ Primatialis Piſanæ.

Henrici Regis VI. & Imperatoris V. Diploma, quo Civitati Piſanæ omnia illius jura confirmat, & nova Privilegia concedit tum in Piſano diſtrictu, tum in utraque Sicilia, Anno 1193.

IN *nomine ſancte & individue Trinitatis.* Henricus Sextus *divina favente clementia* Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus. *Decet Imperialem excellentiam votis omnium, ac petitionibus fidelium ſuorum clementer annuere, illorum præcipue, quorum fides & devotio circa ſublimationem Imperii & noſtram ita liquido reſplenduit, quod ipſorum preclara & honeſta ſervicia pro ſui magnitudine & multitudine aliis imitanda proponunt. Congruum & rationabile videtur, nos eorum fidelibus obſequiis ex noſtra Imperiali largitione, & ex beneficiorum gratuita collatione ita gratanter reſpondere, quod hujus noſtre pietatis exemplo, minus fidelium animos ad ſerviendum fideliter Imperio alacrius provocemus. Quanto enim potiora benemerentes de nobis beneficia recipiunt, tanto majorem Coronæ noſtræ gloriam accreſcere credimus & provenire. Unde quia univerſi* Cives Piſani noſtri fideliſſimi, & Imperio ſemper devotiſſimi *pro ſuis magnificis & multiplicibus ſervitiis, que ad probationem & commendationem fidei ſuæ & inclite memorie* patri noſtro Friderico *divo* Imperatori Auguſto, *nobiſque, & Imperio frequentius exhibuerunt, ampliorem dilectiones & gratiæ favorem apud noſtram Majeſtatem ſibi theſaurizaverunt, omnium fidelium tam futurorum quam preſentium etas cognoſcat, quanta benignitate, quàm largiflua Imperiali munificentia* Piſanorum *merita merito reſpeximus, præſertim cum per ſuam induſtriam, & virium potentiam, honorem, & gloriam Imperii atque Reipublice, ipſi pre ceteris glorioſe ſemper adauxerint, & ſemper augere propoſuerint. Quanta enim fidelitate & probitate* Piſana Civitas *a prima ſui fundatione caput ſuum inter alias Civitates extulerit, quanta etiam conſtantia Divis anteceſſoribus noſtris Regibus Romanorum & Imperatoribus fideliſſime ſerviendo perſeveranter adheſerit, nos per multa ſcripta & relationes ſæpius audivimus, & inſuper ex ipſorum operum atteſtatione idipſum luce clarius conſtat. Placet igitur noſtræ clementiæ, uti* Piſanus Populus *pro ſua fide & devotione honeſtiſſimum de nobis ſemper accipiat emolumentum; ut eo ferventiores ad promovendum honorem Imperii ſemper exiſtant, quo fidem & ſtrenuitatem patrum ſuorum honeſtis moribus & perſpicuis virtutibus emulantur. Inde eſt, quod nos Henricus Sextus Dei gratia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, damus & concedimus in Feudum tibi* Theodicio Poteſtati Piſanorum, *recipienti pro Civitate Piſana totum, quod præfata Civitas, vel quelibet perſona habet & tenet de rebus Imperii, & totum quod Imperio pertinet ſive de Marchia, vel alio modo, quoquo jure vel conſuetudine pertinuit retro a ſexaginta annis, vel pertinebit in Civitate Piſana, & ejus diſtrictu per terras & Inſulas. Concedimus quoque, damus, & confirmamus vobis in Feudum Comitatum veſtro diſtrictui, ſicut tenet Turris Benni ad Arnum & ad Canurtum, & inde ad Barbiallam, & ſicut trahit ab Ebula ad Montem Tinioſum, & ipſum Montem Tinioſum cum pertinentiis ſuis, & ad Barianum, & Quercetum cum pertinentiis ſuis, & ad Caſtrum Cecinie cum pertinentiis ſuis, inde ad Scherlinum, & ſicut trahit . . . . ad Portum Herculis. Ab alia parte fluminis Arni, ſicut trahit*

trauit Planceſſule, & comprehendit Cratorie Curia, & ſicut trahunt confinia inter vos & Lucenſes uſque ad Montem Mogionie, & inde ſicut ſunt confinia diſtrictus Piſanæ Civitatis; infra quos terminos hec loca continentur, Caſtrum Petioli cum omnibus ſuis pertinentiis, Caſtrum Montis Cucchari cum pertinentibus ſibi, Ghezzanum, Caſtellum Falſi, Camporena, Vignale, Leguli, Petraraminga, Lajaticum, Chianni, Agnanum, Pava, Petracaſſia, Gabbretum, Gellum, Caſallia, Saſſa, Caſelle, Cannetum, Monſviridis, Caſtilionus Bernardi, Saſſetum, Tojanum, Tampianum, Palaja, Sanctus Cervaſius, Mons de Caſtello, Mons Taupari, Marti, Colcarelli, Collegarli, Pratilionum, Uſilianum, Cerretum, Treggiaria, Forculi, Alica, Petriolum, Mons Becherii, & Cumſulus, Stibbianum, Monſ-altus, Cummugnolo, Pinnocchium, Ponſchere, Appianum, Gellum, Peſcianum, Rapida, Taverle, Schittoculi, Travalda, Ciſanum; & omnia predicta cum ſuis pertinentiis. Et preterea Vignale, Campilia, Roccha Biſerni, Roccha Palmenti, Donoraticum, Caſtagnetum, Segalari, Bulgari, Bibboni cum omnibus eorum pertinentiis, & Caſtilionem de Piſcaria cum omnibus ſuis pertinentiis, Abbathia de Fango, cum omnibus pertinentiis ſuis, Ylbam, Caprariam, Planuſiam, Corſicam. Et in omnibus prænominatis locis jurisdictionem & diſtrictum vobis concedimus & confirmamus & quicquid aliqua perſona habet ibi ab Imperio vel Regno, & quicquid ibi Imperio vel Regno pertinet, & quecumque alia infra predictos terminos continentur in Caſtris, locis, Villis, Burgis, habitationibus, terris, Villis, fluminibus, ſtagnis, paludibus, paſcuis, piſcariis, argenti fodinis, & omnibus venis metallorum, ſalinis, portubus, ſilvis, cum omni plenitudine & integritate vobis concedimus & confirmamus.

Concedimus etiam vobis Caſtrum Maſſæ, & ipſam Maſſam cum ſuis pertinentiis. Inſuper indulgemus vobis & concedimus, ut nulli perſone vel hominibus, vel alicui alii Civitati vel loco de cetero liceat hedificare aliquod hedificium vel munitionem aliquam a loco dicto Corbo uſque ad fauces Arni juxta mare, vel in plagia, vel infra terram a pede montis uſque ad mare per jam dictos fines. Volumus ad hec, ut Piſani, & hii qui de eorum diſtrictu ſunt, & eorum res, ſint liberi etiam ſub Conſulatu, & Judicibus, & Poteſtatibus deſcriptis, ſicut eis placuerit. Et Piſana Civitas habeat plenam jurisdictionem & poteſtatem faciendi juſtitiam, & etiam vindictam, & dandi Tutores, & Mundualdos, & alia, que Judex ordinarius, vel quilibet poteſtate preditus ab Imperatore vel Rege habere debet, ex ſua jurisdictione, & ſuo diſtrictu, & in ſuos quos conceſſimus ei, & concedimus. Et Piſani, & qui de eorum diſtrictu ſunt, a nulla perſona debeant foderari, neque hoſpitari. Et Piſani poteſtatem habeant ducendi eos in expeditionem, & ad omnem diſtrictum ſuum. Et quicumque Negotiatores voluerint tranſire ad eos cauſâ negotiandi ſive per terram ſive per aquam, ſecure vadat, & a nullo aliquo ingenio impediatur, niſi ſit in banno Domni Imperatoris vel Regis. Negotiatores autem Piſani per Siciliam, Calabriam, Apuliam, & Principatum, & per totum Imperium noſtrum libere ſint & vadant per terram & aquam abſque omni pedagio & dirictura, nec cogantur emere vel vendere ultra ſuum velle, nec alius quilibet aliquo ingenio prohibeatur a Piſanis emere. Et concedimus & damus vobis in Feudum litus maris, & tantum juxta hoc, quod libere Piſani in eo facere Naves & Galeas, & exercere ſuas merchationes poſſint; & quod in eo nobis pertinet a Civitavecla uſque ad Portum Veneris. Et quod nullus poſſit in eo, vel in faucibus aquarum infra terminum contentis facere portum, vel applicare cum mercibus contra voluntatem Piſanorum. Preterea damus & concedimus vobis in Feudum medietatem Palermi, & Meſſane, & Salernie, & Neapolis, cum medietate agrorum & portuum, vel aliorum, que excoluntur ab ipſis Civitatibus, & totam Gaëtam, & Mazara, & Trapalim, cum totis agris, & ceteris, que ſupra ſcripta ſunt, & in unaquaque alia Civitate, quam Tancredus tenet, Rugam convenientem Piſanis Mercatoribus. Volumus quoque & ſtatuimus, & faciemus jurare Epiſcopum Lunenſem, qui Inveſtituram Regalium & Comitatus a nobis vel quicumque alius pro nobis tenuit, ut faciat Piſanos ſecuros, & res eorum ſalve ſint in omni diſtrictu ſuo per ſe & omnes ſuos. Et ſi Piſani pro hiis, vel de hiis conceſſionibus in toto vel in parte obtinendis vel receperandis aliquum gravaverint, vel poſſeſſionem abſtulerint, ſive habuerint, non cogemus Civitatem Piſanam, vel Poteſtatem, ſeu Rectorem, vel Conſules, qui pro tempore fuerint, ad juſtitiam faciendam. Si quis autem de predictis conceſſionibus quidquam Piſane Civitati abſtulerit, vel inquietaverit, citabimus eum, precipientes ut deſiſtat, & reſtitui faciemus. Quod ſi non fecerit, per ſententiam noſtram eum banno ſupponemus, nec extrahemus a banno, niſi prius ſatisfecerit Piſane Civitati. Hec ſupradicta omnia damus in Feodum & concedimus Communi Piſanorum, & per preſentem Privilegii confirmamus, quod ſubter Bulla noſtra juſſimus inſigniri. Et de ſupradictis inveſtivimus Piſanos per enſem, quem manu tenebamus, dantes eis tertiam partem theſauri, quem tenet Tancredus, ut ſit eorum. Predictam autem conceſſionem ſeu dationem ratam eſſe volumus & firmam, non obſtante aliquo Privilegio, vel reſcripto, vel Litteris a predicto Patre noſtro, vel noſtra Majeſtate impetratis vel impetrandis. Et ſi qua talia Privilegia vel reſcripta fuerint inventa, ea Imperiali auctoritate caſſamus. Confirmantes etiam omnia Privilegia, que a predicto Patre noſtro, vel aliis anteceſſoribus noſtris eis indulta ſunt. Hujus rei teſtes ſunt Cunradus Maguntinus Archiepiſcopus, Otto Friſingenſis Epiſcopus, Henricus Wormatienſis Epiſcopus, Conradus Dux Suevie, Ludevicus Comes de Oringen, Rupertus de Durne, Cuno de Minzenberch, Marquardus Dapifer de Anevibre, Heinricus Pincerna de Lutra, & alii quamplures.

Signum Domni Heinrici  Sexti Imperatoris invictiſſimi.

Acta

Acta ſunt hec Anno Domini MCXCIII. Indictione XI. Regnante Domno Henrico Sexto Romanorum Imperatore glorioſiſſimo, Anno Regni ejus XXIII. Imperii verò Secundo.

Datum apud Gelenhuſen per manum Sigeloi Imperialis Aule Protonotarii, III. Kalendas Junii, vacante Cancellariâ.

✠ *Ego Ricciardus filius quondam Bencivenniæ Notarius de Rinonichi Piſanus Civis, Imperialis Aule Notarius, & Judex ordinarius, preſens exemplum Privilegii ſupraſcripti extraxi & exemplavi de ſuo vero autemptico bullato bulla cerea pendenti Domni Henrici Romanorum Imperatoris invictiſſimi. In qua quidem Bulla, ex una tantum parte erat inſerta ejus Imperialis Majeſtas, ſedentis in trono, ramum lilii deſtra tenentis, ſiniſtra vero rotundum quid habentis cum Cruce deſuper. Et hec autem litere in extremo Bulle margine legebantur:* HENRICVS DEI GRATIA ROMANORVM IMPERATOR ET SEMPER AVGVSTVS. *Ipſumque exemplum cum autemptico una cum Thomaſo de Caſtello Anſelmi, & Almanſore Notariis & Scribis publicis, Cancellariis Piſani Communis, qui mecum pariter viderunt & auſcultaverunt, vidi, legi, & auſcultavi. Et quia utrumque concordare inveni, & in aliquo non diſcrepare cognovimus, quod ſenſum vel ſententiam mutet: idcirco mandato, decreto, & auctoritate Nobilis viri Domni Titii Domni Contis de Colle Valliſelſe, Vicarii magnifici & potentis viri Domni Frederici Comitis Montiſfeltri, Vicarii generalis Piſane Civitatis & diſtrictus, auctoritate Imperiali ſubſcripſi, & publicavi, atque ſolempniter exemplavi.*

Actum Piſis in Palatio Piſani Communis, preſentibus Domino Clerico Domini Philippi Juriſperito, & Ciſino de Seta, Anthimis Piſani Populi, teſtibus ad hec rogatis, Dominice Incarnationis Anno Milleſimo Trecenteſimo Tertiodecimo, Indictione XI. Septimodecimo Kalendas Februarii.

A Sequuntur alia Notariorum Signa.

Uti vidimus, Fridericus I. *cauſſas Appellationum*, ſive *Appellationes* cauſſarum ſibi reſervaverat inter cetera Pacis Conſtantienſis Capitula num. VII. in ſupremi ſui dominii teſtimonium uberius. Idem quoque jus in Privilegiis Senenſi & Brixiano ſupra allatis, minime prætermiſſum intueare. Ne tamen Italicis Populis nimia moleſtia ac onus inferretur, ſi in Germaniam, ubi plerumque Imperatores agebant, deferendæ fuiſſent Appellationes: decretum eſt, ut in Provinciis Italicis ſemper aliquis foret ab Imperatore delectus, cujus eſſet hujuſmodi
B *Appellationes* recipere, & cauſſas calculo ſupremo dirimere. Jamque in Antiquit. Eſtenſ. Par. I. Cap 36 pag 358. oſtendi, minus hoc *Opizoni Marchioni Eſtenſi* ab Henrico VI Rege collatum fuiſſe, ac deinde *Azzoni VI.* ejus nepoti, ſive filio, confirmatum. Retuli etiam Cap. 39. pag. 383. earumdem Antiquitatum Diploma, per quod Philippus Romanorum Rex, ejuſdem Henrici frater, Azzoni eidem *cauſas Appellationum de Marchia Veronenſi in beneficium* confert Anno MCCVII. nominatim *in his Civitatibus Verona, Vicentia, Padua, Tarviſio, Tridento, Feltro, Belluno, &c.* Nunc addo, conſtitutum fuiſſe ſupra laudatum Opizonem Eſtenſem Marchionem ab ipſo Fri-
C derico I. *Vicarium* ſuum ad recipiendas Appellationes Civitatis *Patavinæ*, ac *Veronenſis*, primumque eum, ut arbitror, fuiſſe, qui poſt Pacem Conſtantienſem dignitate ejuſmodi ornatus fuerit in Marchia Veronenſi, ſive Tarviſina. Præter illa, quæ ad rem confirmandam attuli in locis ſupra memoratis Antiquit. Eſtenſ. duo etiam monumenta proferam, quorum alterum deſcripſi ex autographo exiſtente in Archivo Capituli Canonicorum Patavii.

Sententia Opizonis Marchionis Eſtenſis in cauſſa per Appellationem ad ſe delata inter Canonicos Patavinos, & Gerardum de Vico Aggeris, Anno 1186.

DIe Mercurii, qui fuit Quarto Ydus Decembris, in preſentia bonorum hominum, hii ſunt Arardus Monteſelli, Albertus Luſie, Alexiolus, Cauſidici, Ugo & Manfredinus Notarii, Abrianus, atque Vitalianus, Clerici Sancte Marie Pauſi, Cocus & Albertazus ejus filius. In iſtorum & aliorum quamplurium preſentia, Opizo Eſtenſis Marchio *dedit in manibus Aginulfi Cauſidici de loco Mot. . . . . . Cartulam unam, in qua Sententia litis inter Ubertum Canonicum Sancte Marie Paduanenſis Eccleſie agentem pro ipſa Eccleſia, & Gerardum Vici Aggeris ſcripta erat, & ei precepit, ut ſuo nomine eam pronuntiaret. Que ſententia talis erat.*

In nomine Domini. Ego Marchio Opizo, commiſſis nobis per Imperatorem Appellationibus totius Padue, atque ejus diſtrictus, *cognoſcens de cauſa, que vertitur* per Appellationem *inter Ubertinum Canonicum pro Eccleſia Padue ex una parte, nec non & inter Gerardum de Vico Aggeris ex altera, ſuper Decimas cujuſdam territorii, ſeu jus percipiendi Decimas, cujus fines ſunt, a mane Via publica, que dicitur Aurilla, a ſero nemus Communis*
D *Padue, qua dicitur Buſigallum, ſicut vadit inde a Rivo Brombeti uſque ad Rivum Caltane; a meridie Rivus Brombeti; & a Septentrione Rivus Caltane a Via publica uſque ad nemus Communis: quod territorium Domnus Ubertinus dicit eſſe territorii Vici Aggeris, & dicit Decimam Vici Aggeris, & ejus territorium pertinere ad Canonicam Padue propter quartiſium, quod eſt Eccleſie Vici Aggeris: & ex adverſo Domnus Gerardinus dicit, predictam Decimam pertinere ad Feudum Confalonis, & eam habere a Domna Speronella; & inſuper aſſerit predictus Gerardinus, Izelinum Judicem perperam judicaſſe, cum de his, que non habebat nec poſſidebat, judicaſſet, cum hoc in . . . .*
E *cauſe predictam Decimam proprietate non habere, ante litem & poſt litis conteſtationem coram predicto Izelino Judice allegaſſet, & parvam dilacionem ad inſtrumenta oſtendenda petiiſſet, que dare diſtuliſſet, nec aliquem ex Advocatis ſuis in cauſa patrocinantem ſibi audire voluiſſet, & predictum Feudum jure Confalonis longiſſimo tempore obtentum fuiſſe. Viſis & auditis rationibus utriuſque partis, & diligenter inſpectis, & multis dilationibus datis,*

&

& multorum Sapientum conſilio habito , & precipue Iginulfi Cauſidici mei Conſiliarii, pronunciamus in his Decimis , quas ipſe poſſidebat tempore date Sententie , vel alius pro eo , juſtam fore Sententiam , & bene judicatum , & male appellatum fuiſſe . In his vero Decimis, quas non poſſidebat , injuſtam fore Sententiam , & male judicatum , & bene appellatum cenſemus .

Actum eſt hoc in Curia Dominici Sbirſi in Pauſo , ſupraſcripto die coram predictis teſtibus Anno Milleſimo Centeſimo Octuageſimo Sexto , Indictione Quarta .

Ego Clarinbaldinus , ſacri Palatii Notarius interfui , & ſupraſcriptam Sententiam ab Iginulfo Cauſidico , precepto Marchionis pronuntiatam , juſſu ipſius Marchionis , & Iginulfi ſubſcripſi .

Ergo *Appellationes totius Paduæ , atque ejus diſtrictus* commiſſæ fuerant *Opizoni Eſtenſi Marchioni per Imperatorem* , hoc eſt , Fridericum I. Tunc enim is unus imperabat . Accedat nunc altera Charta , quam ex inſigni Archivo antiquiſſimi Monaſterii Veronenſis Sancti Zenonis , ubi authentica pergamena viſitur , ego deſcripſi .

Altera Sententia ejusdem Opizonis Marchionis Eſtenſis in cauſſa per Appellationem a ſe cognita inter Gerardum Abbatem Sancti Zenonis Veronenſis , & Nicolaum de Advocatis , Anno 1187.

ANno Domini Milleſimo Centeſimo Octuageſimo Septimo , die Martis Quinto , exeunte menſe Octubris , Indictione V. Cum cauſa Appellationis *factæ a Nicolao de Advocatis agitabatur coram* Marchione O. (*ideſt* Opizone) de Heſt , *que* Appellatio *facta fuit a ſentencia , quam Conſules Veronenſis Civitatis dederant de facto Vicoateſis inter* Domnum Gerardum Abbatem Monaſterii Sancti Zenonis , *& Domnum Riprandum Priorem ejuſdem Monaſterii & Procuratorem ipſius Abbatis pro ipſo Monaſterio ex una parte , nec non & Nicolaum predictum ex altera . In qua cauſa ipſe Nicolaus dicebat , predictos Conſules injuſte condempnaſſe eum de predicto facto Vicoateſis : qua de cauſa dicebat , ſe juſte appellaſſe a predicta ſententia . Et contra predictus Domnus Riprandus Prior dicebat , eum Nicolaum injuſte appellaſſe , & predictos Conſules juſte & recte eum Nicolaum condempnaſſe . Tandem viſis & auditis rationibus utriuſque partis , & teſtibus ex parte Nicolai noviter in hac cauſa productis , & dilatationibus pleriſque datis , predictus Marchio talem ſententiam in ſcriptis dedit , dicens ſic .*

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen . Ego Opizo Marchio de Heſt , Vicarius & Nuncius Domni Imperatoris Friderici ad audiendas cauſas Appellationum Veronæ, & ejus diſtrictus , *cognitor ſentencie date a Cozone , Leonardo ,* Widoto, *& Johanne de Spicianis , Ottonello , Aimerico , Albertino , Surdo , Ottolino de Greppo , Nordillino , Olderico de Vicecomite ,* Wiſcardino , *& Alberico Creſcencionum Conſulibus Veronenſibus, inter Domnum Gerardum Abbatem Monaſterii Sancti Zenonis , & Domnum Riprandum Priorem ejuſdem Monaſterii, Procuratorem predicti Abbatis, & Nicolaum de Advocato : Viſis rationibus utriuſque partis , & conceſſa mei licentia a partibus judicandi in Heſt , ſicut in partibus Verone judicare deberem , Nicolaum injuſte appellaſſe pronuncio , & ſententiam predictorum Conſulum juſtam eſſe judico .*

Actum in Heſt in Dullono . Interfuerunt ibi teſtes , ſcilicet Arardus de Monticello , Magiſter Bonifacius , Erci de Merlaria , Enrigetus de Orbana , Albertus de Advocatis Judices , Gambarinus, Manfredinus Notarius , Girardus de Luſius , Vitalianus Medicus Ferrarienſis , Oldericus de Zauſano , Helt Teutonicus , Vivianus de Advocato , & Bozotus ejus frater , Warteſpinus , *Enrigetus , Spavaldus , & alii .*

Ego Zeno Comitis Sauri , & Imperatoris Friderici Notarius interfui , & juſſione Marchionis ſupraſcripti ſcripſi .

Uti ex hac etiam Charta elucet , *Opizo Eſtenſis Marchio* conſtitutus fuerat ab Imperatore Friderico *Vicarius Imperialis ad audiendas cauſas Appellationum Verone , & ejus diſtrictus* . An is eodem munere functus fuerit in reliquis Civitatibus Marchiæ Veronenſis , quemadmodum poſtea functum vidimus Azzonem VI. ejus nepotem , mihi ignotum eſt . Verùm ejuſmodi Appellationum uſus , & ad eas recipiendas Præſides ab Auguſtis conſtituti, brevi liberis Italiæ Civitatibus moleſtiæ atque incommodo eſſe cœperunt . Quamobrem operam non multos poſt annos iſtæ dedere, ut hoc etiam onere eximerentur , quod reipſa indulgentiâ Auguſtorum ſubinde factum eſt. Itaque a Sæculo XIII. quo ſublata eſt eadem conſuetudo , ad noſtra uſque tempora , Appellationum cognoſcendarum jus ad ipſas Civitates Liberas , & ad reliquos Italiæ Principes Regalibus donatos , in cauſſis civilibus & criminalibus unice ſpectat . Alterum quidem jus Romanorum Imperatoribus non eâ tantùm tempeſtate reſervatum eſt , ſed noſtro quoque ævo conſtantiſſime inviolatum perſeverat , ut quoties de finibus , aliiſque politicis juribus controverſia oritur inter Italicos Principes , ſacri Romani Imperii Vaſſallos , aut inter Civitates Liberas , niſi Arbitri concorditer ab utraque parte eligantur , ad tribunal ac judicium Cæſaris cauſſa defertur. Plura in hanc rem exempla ex antiquitate petita præſto mihi forent ; ſed utar tantùm duobus . Primum deſcripſi ex antiquo Regeſto , quod in Archivo Communitatis Cremonenſis olim vidi , & pertinet ad controverſias Mediolanenſium & Cremonenſium , Cremenſis Oppidi cauſsâ .

Johannes Lilo de Aſia, Legatus Henrici Imperatoris, ſupponit Imperiali banno Cremenſes, Mediolanenſes, & Brixianos, quod Cremonenſibus impediſſent aditum ad poſſeſſionem Cremæ, Anno 1190.

ANno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Centeſimo Nonageſimo, Indictione Tertiadecima, die Mercurii XIII. intrante Junio, in Cremona, in publica concione maxima, Domnus Johannes Lilo de Aſia, Miſſus & Camerarius Domini Henrici Imperatoris *excellentiſſimi atque invictiſſimi,* poſuit & miſit in banno Domini Henrici Imperatoris Cremenſes, & Mediolanenſes, & Brixienſes, *& omnes alios homines, qui conſilium & adjutorium Cremenſibus dederunt. Et ideo miſit eos Cremenſes in bannum Domini Imperatoris, quia prohibuerunt predictum Johannem Miſſum Domini Imperatoris ire ad dandum tenutam Cremonenſibus de Caſtro Creme guarnito & diſguarnito, & virtute, & locis, & pertinentiis; & quia noluerunt obedire preceptis predicti Miſſi Domini Imperatoris. Ibique fuere rogati teſtes Comes Lantelmus, Comes Albericus, Comes Girardus de Camixano, Comes Vibertus, Guazo de Albrigonibus, Guiſcardus de Coniolo de Bergamo, Comes Albertus de Martinengo. . .*

Ego Ubertus ſacri Palatii Notarius interfui, & precepto ſupraſcripti Domni Johannis Miſſi invictiſſimi Imperatoris hanc Cartam ſcripſi.

Sunt heic vitiatæ Notæ Chronologicæ, itaut neſciam quid de hoc fœtu judicem. Nam Anno MCXC. decurrebat quidem dies *Mercurii tertius decimus intrante Junio*, at etiam in curſu erat *Indictio VIII.* quum tamen heic legatur *Indictio XIII.* Et quamquam ſtatueremus, antiquum Librarium facile convertiſſe V. in X. nihilo ſecius, ſi ad Annum MCXC. referre Chartam velis, heic mentio eſt *Henrici Imperatoris*, qui Anno tantùm ſequenti coronatus Romæ, Imperialem titulum aſſumſit. Quod ſi excidiſſe dubites V., & ſcribendum cenſeas *Anno MCXCV.* quo decurrebat *Indictio XIII.* noveris, eo Anno diem Mercurii minime incidiſſe in XIII. Junii. Proinde judicent alii. Sicardus Cremonenſis Epiſcopus in Chronico pag. 615. Tomo VII. Rer. Italicar. ſcribit conceſſam fuiſſe Cremonenſibus Cremam Anno MCXCI Alteram Chartam ſubjicio, quam ex antiqua membrana exſiſtente in Senenſi Noſocomio Sanctæ Mariæ de Scala deſcripſit, & ad me miſit ſæpe mihi laudatus Hubertus Benvoglientus.

Querela Senenſis Populi in Curia Friderici II. Auguſti contra Florentinos ob illata damna, & Sententia Judicum adversùs eos pronuntiata, Anno 1232.

„ IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.
„ Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo
„ Ducenteſimo Trigeſimo Secundo, &
„ Duodecimo Anno Imperii Domini noſtri
„ Frederici, Dei gratia Romanorum Impera-
„ toris ſemper Auguſti, Jeruſalem & Sycilie
„ Regis invictiſſimi, Anno verò Regni Syci-
„ liæ Triceſimo Quinto, & Jeroſolymitani
„ Septimo, menſe Decembri, Sexte Indictio-
„ nis. *Domino Frederigo* Dei gratia *Romano-*
„ *rum Imperatore, Jeruſalem & Sycilie Rege,*
„ apud Precinam ſollempnem Curiam regente,
„ preſentibus ibidem Daybardo de Arniſten,
„ in Italia Legato, Thoma de Agno Comite
„ Accerrarum, Symone Comite Theani, Man-
„ fredo Marchione Lancia, & Riccardo Impe-
„ rialis Aule privato Camerario, nec non in-
„ fraſcripto Magiſtro Petro de Vinea, magne
„ Imperialis Curie Judice, & quampluribus
„ aliis Nobilibus & probis Viris. Guidoctus
„ Lucenſis, Sindicus ſeu Actor Communis ſeu
„ Univerſitatis Senenſis, nomine dicti Commu-
„ nis, de cujus auctoritate & Syndicatu legi-
„ timè & perfectè Curie conſtitit, propoſuit
„ contra Commune ſeu Univerſitatem Floren-
„ tie, quod ipſum Commune & Univerſitas
„ pro motu proprie voluntatis deſtruxit duo
„ Caſtra Communis ſeu Univerſitatis Sene, vi-
„ delicet Caſtrum de Silvula, & Caſtrum de
„ Querciagroſſa. In quorum Caſtrorum de-
„ ſtructione dicit, Univerſitatem Sene damp-
„ nificatam in ducentis millibus Librarum de-
„ nariorum Sene. Item quod ipſa Univerſitas
„ Florentie in predis, caballicatis, & aliarum
„ rerum deſtructione, & ablatione dampnifica-
„ vit dictum Commune in quadringentis milli-
„ bus Librarum ejuſdem monete Stando etiam
„ cum exercitu ſuper dictum Commune, &
„ terras Univerſitatis ejuſdem, & Comitatus
„ ipſius, & incidendo & devaſtando res &
„ bona Senenſium, & eorum Comitatus: quam
„ injuriam nollet ſuſtinuiſſe dictum Commune,
„ & melius vellet dediſſe de ſuis quadringenta
„ millia Librarum ejuſdem monete. Unde
„ dictus Syndicus ſeu Actor pro parte & vice
„ Univerſitatis & Communis Sene a predicta
„ Univerſitate Florentie ſeu Communi petit
„ ſibi fieri juſtitiam de omnibus ſupradictis,
„ ſalvo jure addendi & minuendi. Item accu-
„ ſavit idem Guidoctus Lucenſis, Syndicus
„ Communis & Univerſitatis Sene, Commune
„ & Univerſitatem Florentie, quod ipſum
„ Commune & Univerſitas pro motu & arbi-
„ trio proprie voluntatis movit guerram con-
„ tra ipſam Univerſitatem cum exercitu, gen-
„ te, & manu armata, obſedit Caſtra eorum,

„ & expugnavit , videlicet Caſtrum de Silvula,
„ & Caſtrum de Querciagroſſa , incendia ſup-
„ ponendo terris & rebus eorum , homicidia
„ in quamplures de Senenſibus commictendo,
„ capiendo eoſdem , & privatum carcerem
„ exercendo in ipſos captivos . Unde petit
„ Syndacus ipſe pro parte Univerſitatis Sene ,
„ ipſam Univerſitatem ſeu Commune Florentie
„ de Guerra taliter mota , ſecundùm jura pu-
„ niri . Hec acta ſunt hoc Anno de menſe
„ Junii proxime preteriti in territorio & Co-
„ mitatu ipſius Sene . Item alio libello petit
„ idem Syndicus de incendiis taliter factis Uni-
„ verſitatem Florentie, ſecundùm jura puniri.
„ Item alio libello petit idem Syndicus, dictam
„ Univerſitatem de exercitu , ſeu gente taliter
„ congregata , ſecundùm jura puniri . Item
„ alio libello petit , ipſam Univerſitatem de
„ expugnatione taliter facta , ſecundùm jura
„ puniri . Item alio libello idem Syndacus pe-
„ tit , dictam Univerſitatem Florentie de ho-
„ micidiis taliter commiſſis , ſecundùm jura
„ puniri . Item alio libello idem Syndicus pe-
„ tit , ipſam Univerſitatem Florentie de eo
„ quod privatum carcerem taliter exercuit in
„ homines Sene , ſecundùm jura puniri . In
„ quibus omnibus libellis intelligatur facta re-
„ petitio ejuſdem temporis & loci . In eadem
„ preterea Curia Judex Petrus de Sancto Gem.
„ . . . . . . Advocatus Fiſci denunciavit Impe-
„ riali Curie, quod Univerſitas Florentie fuiſ-
„ ſet citata ex parte Domini Imperatoris ſub
„ peremptorio , ſub pena decem millium Mar-
„ charum argenti, ut veniret factura juſtitiam
„ Communi ſeu Univerſitati Sene ſuper qui-
„ buſdam dampnis datis , injuriis , & rebus
„ aliis, & non venerit in termino ſibi prefixo :
„ petit , ipſa decem millia Marcharum ad opus
„ Curie a dicta Univerſitate ſeu Communi
„ Florentie auferri & exigi , ſeu extorqueri .
„ Denuntiavit etiam idem Judex Petrus de
„ Sancto Gem. . . . . quod cum Com-
„ muni ſeu Univerſitati Florentie fuiſſet injun-
„ ctum & prohibitum ex parte Domini Impe-
„ ratoris ſub pena centum millium Marcharum
„ argenti , ne Univerſitatem ſeu Commune
„ Sene offenderet , ſpreta tali prohibitione &
„ defenſa facta , deſtruxit Caſtra eorum , ex-
„ poliavit, homines cepit ipſius Communis Se-
„ ne , dampna multa intulit ipſi Univerſitati
„ Sene . Unde petit dictus Judex Petrus ad
„ opus Domini Imperatoris dicta millia Mar-
„ charum argenti ab Univerſitate ſeu Commu-
„ ni dicte Florentie exigi ſeu extorqueri, cum
„ fuerit ipſa Univerſitas Florentie ſuper hoc
„ citata ſub peremptorio termino , & non ve-
„ nerit juſtitiam factura .

„ Quibus accuſationibus , denunciationibus,
„ & petitionibus in ipſa Curia propoſitis , edi-
„ cto commune facto & ſolempniter propoſi-
„ to , queſitum eſt , ſi in Curia ipſa Synda-
„ cus , Procurator , aut Actor aliquis pro
„ parte Florentinorum , aut aliquis alius , qui
„ ſe defenſioni ipſorum offerret , inveniretur :
„ & nullus apparuit , qui vel Syndacatum ,
„ aut procurationem , ſeu aliquam auctorita-
„ tem aſſereret , aut defenſioni Florentinorum
„ etiam ſe offerret . Cumque prenominatus
„ Guidoctus Actor & Syndicus Univerſitatis
„ ſeu Communis Sene, necnon antedictus Ma-
„ giſter Petrus Advocatus & denunciator pro
„ parte Curie inſtanter inſtarent adversùs par-
„ tis abſentiam & contumaciam accuſando :
„ cumque etiam ex rememoratione & teſtimo-
A „ nio Domini noſtri Imperatoris plene & ma-
„ nifeſte conſtaret , antedictum Guidoctum
„ Actorem & Syndacum , nec non prefatum
„ Magiſtrum Petrum Advocatum Fiſci , & de-
„ nunciatorem pro parte Curie in Feſto om-
„ nium Sanctorum ipſum terminum Judex Pe-
„ regrinus ejuſdem Domini noſtri Imperatoris
„ Nuncius , partibus ſub precepto , & Flo-
„ rentinis ſub banno decem millium Marcha-
„ rum prefinierat , pro ut per Inſtrumenta
„ publica inde facta in ipſa Curia preſentata
„ manifeſte conſtabat , ſe coram preſentia
„ ipſius Domini noſtri Imperatoris & Curie
„ preſentaſſe , & per dies aliquot adverſe par-
„ tis expectando preſentiam in Curia fuiſſe
B „ moratos : Nos ſupraſcripti Gaybardus de
„ Arneſten , Imperialis in Italia Legatus , &
„ Magiſter Petrus de Vinea , magne Imperia-
„ lis Curie Judex, de ſpeciali mandato Domini
„ noſtri Imperatoris, Curiam ſolempniter feci-
„ mus congregari de Comitibus & Baronibus ,
„ & Juriſperitis , qui in Curia ipſa erant , &
„ diligenti cum eis conſilio habito pronuncia-
„ vimus in hac forma . Quia conſtitit nobis
„ per publica Inſtrumenta Juris ſolempnitate
„ vallata , nec non ex rememoratione & teſti-
„ monio Judicis Peregrini , cui per Dominum
„ noſtrum Imperatorem ſpecialiter commiſſum
„ fuerat, bannum centum millium Marcharum
„ imponere Florentinis, ne cabalcatas facerent
C „ contra Senenſes , & ne eis dampna , inju-
„ rias, vel moleſtias aliquas facerent, ſeu jura
„ ſua Imperiali Curie ordine judiciariò proſe-
„ querentur , pro ut hoc ipſum etiam de man-
„ dato & commiſſione facta Judici Peregrino
„ predicto fuit plene probatum : quod bannum
„ predictum per prenominatum Judicem Pere-
„ grinum fuit legitime impoſitum ; & quod
„ poſt bannum etiam impoſitum, pro ut Curie
„ conſtitit , & eſt etiam notorium , predicti
„ Florentini & Commune Florentie fecerunt
„ cabalcatas , dampna , & injurias , & mole-
„ ſtias antedictis Senenſibus, & Communi Se-
„ nenſium intulerunt : Condempnamus ipſum
„ Commune & Univerſitatem Florentie in pre-
D „ dictis centum millibus Marcharum argenti
„ in banno contentis , Fiſco Imperiali ſolven-
„ dis, parte ipſius Communis abſente per con-
„ tumaciam habita pro preſenti , utpote cum
„ per Inſtrumenta etiam predicta de citatione
„ facta , & per Judicem Peregrinum etiam
„ conſtitiſſe , quod de hoc etiam Commune
„ Florentie ſub peremptorio citatum fuiſſet ,
„ ut coram Imperiali preſentia in termino ſu-
„ pradicto veniret de banno predicto in judi-
„ cio reſponſurum . Item quia conſtitit nobis
„ & Imperiali Curie, plene de citatione predi-
„ cta facta Poteſtati & Communi Florentie
„ ſub pena decem millia Marcharum argen-
„ ti preter peremptorium , ut in ſupraſcripto
E „ termino ad Curiam venire deberent , nec
„ venerunt , ut predictum eſt , ſpretis banno
„ & pena predictis : Condempnamus ipſum
„ Commune Florentie in ipſis decem millibus
„ Marchis Imperiali Fiſco ſolvendis . Item
„ quia in evidenti contumacia tam in civilibus
„ petitionibus , quàm in criminalibus accuſa-
„ tionibus contra predictum Commune Flo-
„ rentie propoſitis per Syndacum & Actorem
„ predictum pro parte Communis Senenſium ,
„ ipſum Commune inventum eſt formam juris
„ communis ſecutum : pronunciamus , ipſum
„ Commune Senenſium mictendum in poſſeſ-
„ ſionem bonorum Communis & Univerſitatis
„ Flo-

,, Florentie per menſuram debiti declarati ſex-
,, centarum millium Librarum denariorum Se
,, neníium, pro dampno illato Univerſitati
,, ipſius in deſtructione Caſtrorum de Silvula,
,, & Quercu Groſſe, & pro dampno illato
,, ipſius Univerſitati & Comitatui ipſius per de-
,, vaſtationes, incendia, & depopulationes re-
,, rum & bonorum Senenſium, & Comitatus
,, ipſorum, declaratione ipſius debiti facta
,, Imperiali Curie coram nobis per ſacramen-
,, tum antedicti Guidocti Syndaci & Actoris
,, Senenſium, qui ſpecialiter habebat, pro ut
,, per Inſtrumentum Syndicatus & Actoritatis
,, conſtitit, de jurando mandatum. Pronun-
,, tiamus etiam, bona Communis & Univerſi-
,, tatis ipſius Florentie adnotanda juxta ordi-
,, nem juris, quia peremptorie citati & requi-
,, ſiti pro criminalibus accuſationibus antedictis
,, in ſtatuto termino ſe, ut dictum eſt, mini-
,, me preſentarunt. Ad cujus rei memoriam
,, & perpetuam firmitatem hec omnia, quali-
,, ter geſta fuerunt, nos antedicti Gaybardus,
,, & Judex Petrus tibi Angelo Imperialis Curie
,, publico Notario in ſcriptis commiſimus re-
,, digenda, noſtris ſubſcriptionibus roborata.
,, Acta ſunt hec apud Procinam, ibidem
,, Domino noſtro Imperatore preſente, Anno,
,, Menſe, & Indictione preſcriptis.
,, Ego Petrus Vinee, Imperialis Curie Ju-
,, dex.
,, Ego Ranerius Notarius predicta omnia
,, ex authentico ſcripſi Inſtrumento, ſicut in
,, eodem continebatur, hic fideliter exempla-

A ,, vi, nichil addens vel minuens, & cum Bon-
,, filio, & Johanne Notariis diligenter auſcul-
,, tavi; & ad majorem fidem habendam me
,, publice ſubſcripſi coram Benvenuto Notario,
,, & Maggiano Arezoli, teſtibus, in Anno
,, Domini MCCXXXVI. Indictione Decima,
,, die V. Idus Decembris.

Quod præſertim mirum in Pace Conſtantiæ videatur, Fridericus I. Langobardis indulget num. XII. ut *Societatem, quam nunc habent, tenere, & quoties voluerint, renovare* in eorum poteſtate ſit. Hoc eſt, in eo Fœdere perſiſtere, atque illud, quoties placeat, reſtaurare, unde Imperator ipſe tot clades ac damna contraxerat, & cujus vigore ad pacem petendam denique adactus fuerat. Et profectò eadem B Societas, de qua multus mihi ſermo fuit in præcedenti Diſſert. XLVIII. inter Civitates Langobardicas, novo præſtito jurejurando, quoties opus erat, renovabatur, ut concordibus animis ſinguiæ tum propriam tum publicam Libertatem occaſione oblatâ tuerentur. Auctor eſt Sigonius, eamdem fidem inter fœderatas Civitates confirmatam fuiſſe Anno MCLXXXV. in conventu Placentino. Tum ſacramenta fuiſſe repetita Anno MCXCV. apud Burgum Sancti Domnini a Legatis earumdem Civitatum. Quibus verbis concepta fuerit poſtrema hæc Fœderis renovatio, quarumve Urbium Legati in illud conſenſerint, Lectori ſignificabit Charta, quam ex Tabulario Communitatis Mutinenſis deſcripſi.

Sacramentum a Legatis Societatis Lombardicæ præſtitum ad conſervandam concordiam inter Civitates fœderatas, Anno 1195.

De ſacramento a Rectoribus Lombardie, & Marchie, & Romanie, facto de pace & concordia inter Nuncios Domini Imperatoris & Lombardie facta firma tenere.

IN nomine Domini. Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Quinto, die Dominico II. exeunte Menſe Julii, Indictione XIII. in preſentia Gambarini Notarii de Verona, Johannis Notarii de Mantua, Aldrigeti Notarii de Padua. Ego juro omnibus Civitatibus Societatis Lonbardie, Marchie, & Romanie, & omnibus perſonis predicte Societatis, conceſſiones, permiſſiones, atque pacta, ſicut in ſcripto pacis inter Nuntios Domini Imperatoris, & Rectores & Nuntios Civitatum Societatis facto continetur, firmas tenere. Nec ero in facto vel conſilio, ut aliquod predictorum alicui de Societate minuatur. Et ſi qua perſona, vel Civitas, aut locus alicui Civitati vel loco, aut perſone prefate Societatis auferre vel diminuere voluerit, eas vel eos manutenere, & defendere bona fide & ſine fraude contra omnes adjuvabo. Et omnia precepta, que Rectores concorditer omnes, vel major pars mihi fecerint, & ſine fraude obſervabo. Et ſupraſcripta attendam a preſentibus Kalendis Auguſti uſque ad triginta annos; & in capite uniuſcujuſque quinquennii, ſi per majorem partem Rectorum requiſitus fuero, renovabo. Et hoc totum ſine fraude jurare omnes homines mee Civitatis a decem octo an- C *nis uſque ad ſeptuaginta faciam. Et hec omnia faciam jurare Conſules, vel Poteſtates mee Civitatis, & Credentiam uſque ad illum terminum, qui mihi conſtitutus erit per Rectores Societatis in hoc colloquio, tenebo. Hoc ſacramentum preſtitum eſt ab his Rectoribus Lonbardie, ſcilicet* de Verona *a Viviano de Advocato*: de Mantua *ab Aquiliano Vicedomino*: de Mutina *ab Jacobo de Gorzano*: de Brixia *a Balduino de Salò*: de Faventia *ad Ugone de Saxo*: de Mediolano *a Jordano de Lita*: de Bononia *ab Uberto Brixii*: de Regio *ab Ugone Conradi*: de Grabadona *a Johanne Civizi*: de Placentia *ab Oldegerio de Roncoveteri*: de Padua *a Saza*.

D *Hec autem omnia facta ſunt prope Burgum Sancti Domnini juſta Monaſterium Sancti Johannis Baptiſte. Eodem die in Eccleſia ſupraſcripti Sancti Johannis Baptiſte paulo poſt iſti, qui inferius legentur, predictum ſacramentum juraverunt, excepto quod non ſunt coacti facere jurare homines ſue Civitatis: ſcilicet* de Regio *Matheus Judex, & Buccabadata*: de Faventia *Matthæus Judex*: de Mantua *Bonaventura Judex, & Oldebertinus filius Agnelli*: de Mutina *Gandulfus Judex*: de Brixia *Gualzerius*

A *Calcarie*, *Deſiderius Judex*, *& Guilielmus de Sala*: de Padua *Rogatus Judex*: de Mediolano *Conradus Judex*, *& Manfredus de Pozobonello*: de Grabadona *Ubertus Lanberzoni*: de Bononia *Guido Lambertini*.

Ego Jacopinus Domini Regis Henrici Notarius, juſſu Rectorum ſcripſi.

Erat autem *Societas Lombardorum* veluti ſpecies quædam Reipublicæ, per Italiam diffuſæ, quam Civitates complures liberæ, Fœdere inter ſe inito, conſtituebant. Non eo certe ordine & vinculo, quod nunc in Republica Belgii fœderati, atque Helvetiorum intuemur, ſed legibus tamen multis connexio-

B nem inter eas foventibus, regebatur. Singuli Populi non ad ſuam minus, quàm ad ſociorum tutelam promti, pro ſua virili ad communem exercitum ſcribendum, alendum, ac reſtaurandum conferebant. Certis etiam temporibus ac locis conventum identidem habebant *Rectores Societatis*, ut quid publica res exigeret, conſultarent, & ingruentibus neceſſitatibus opem afferrent. Si quid diſcordiæ inter Socios emergebat, reliqui, ac præcipue Rectores iidem, intercedebant, ne controverſiæ viribus ac armis dirimerentur, & concordiam quàm maximo poterant ſtudio reſtituebant. Anno MCCXXX. curâ Eccelini de Romano, crudeliſſimi poſtea viri, in carce-

C rem a Veronenſibus conjectus fuit Ricciardus Comes Sancti Bonifacii, unus e Guelphæ factionis primipilis, cujus Majores Veronenſis Urbis diu Comites ſive Præſides fuerant. Gerardo Mauriſio teſte, *Lombardi*, hoc eſt, *Lombardorum Societas* Anno proxime ſequenti inſtaurare inter eos pacem aggreſſi ſunt. Traditus eſt eis Comes. Tunc Lombardi inſtare cœperunt, *quod Comes juraret Societatem Lombardorum*: *qui & ipſe juravit*. Eccelinum quoque & Albericum ejus fratrem ad idem Fœdus attrahere conati ſunt, ſed irrito ſucceſſu. Addit Rolandinus Lib. 3. Cap. 6. Hiſtor. Prætorem Patavinum eo anno, aut inſequenti, inſtitiſſe *tam fideliter & prudenter cum Poteſtatibus & Rectoribus Lombardiæ, quod renovata ſunt ſacramenta, & Lombardorum Societas eſt firmata*. Idem in aliis ejuſmodi contentionibus præſtitum eſt. Si qui verò mandatis Rectorum Societatis ſe refractarios præbebant, *banno Lombardorum*, quod Mauriſius memorat, prout convenire aut expedire videbatur, ſubjiciebantur. Sed potiſſimum Friderico II. Auguſto imperante, Langobardorum Fœdus iterum invaluit, ut Imperatori nova molienti, & Avi conſilia in perniciem communis Libertatis animo verſanti, obſiſterent. Neque poſt Friderici hujus mortem diſſoluta eſt, ſed arctius firmata Societas: cujus rei illuſtre monumentum adferre juvat, hoc eſt, Inſtrumentum Anno MCCLII Brixiæ confectum, ubi conditiones habentur, ſub quibus complures *Civitates juraverunt Societatem Lombardiæ, Marchiæ Triviſinæ, & Romaniolæ, & omnium aliorum venientium ad ipſam Societatem*. Haſce tabulas debeo vetuſtiſſimo Regeſto Communitatis Mutinenſis, unde ego deſcripſi.

Pacta & conditiones, quibus renovatum eſt in Brixiana Urbe Fœdus ſive Societas Lombardorum a Rectoribus complurium Civitatum Italicarum, Anno 1252.

D ,, IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.
,, Amen. Anno ejuſdem Milleſimo Ducen-
,, teſimo Quinquageſimo Secundo, Indi-
,, ctione X. Die Veneris VIII. intrante Mar-
,, zio. Venerabilis Pater *Dominus Octavianus*
,, *Sanctæ Mariæ in Via lata Diaconus Cardi-*
,, *nalis*, exiſtens apud Brixiam de mandato
,, Summi Pontificis pro factis Lombardorum,
,, & aliorum devotorum Eccleſiæ, de Roma-
,, niola, & Marchia Triviſina, habuit ſecum
,, ad colloquium ſive parlamentum Ambaxa-
,, tores & Sindicos infraſcriptos ſuper factis
,, & negotiis infraſcriptis. Scilicet Dominos
,, Ugonem Graſellum, & Bertholdum Gam-
,, betum Ambaxatores *Communis Mediolani*;
E ,, Dominos Scacavellum Judicem, & Petrum
,, Guirzinum Ambaxatores *Communis Alexan-*
,, *driæ*; Dominos Piordum de la Nuce Judi-
,, cem, Griſſolinum de Griſſis, Henrigetum
,, de Martilengo, & Petrum de Capite-pon-
,, tis, Sindicos & Procuratores electos & de-
,, ſignatos pro *Communi Brixiæ* ad infraſcripta
,, tractanda pro ipſo Communi pariter & fir-
,, manda; Dominos Rufinum de Zanniacagli,
,, & Frixonum de Gonzagia Ambaxatores *Com-*
,, *munis Mantuæ*; Dominos Aymiricum de
,, Griſſo, & Guidonem Viſdominum Ambaxa-
,, tores *Domini Marchionis Extenſis*, & *Com-*
,, *munis Ferrariæ*; Dominos Henrigetum de
,, Caſtello, & Petrizolum de Auſellectis Am-
,, baxatores *Communis Bononiæ*; Dominos Bra-
,, vum de Bravis, & Dominum Bernardinum
,, Petri Rubei Ambaxatores *Communis Mutinæ*;
,, Dominos Rolandum Lupum, & Bernardi-
,, num Domini Rufini Ambaxatores *Communis*
,, *Parmæ*; Dominos Philippum Viſdominum,
,, & Ubertum Surdum Ambaxatores *Univerſi-*
,, *tatis Placentinorum extrinſecorum*; Domi-
,, num Guidonem de Bayſio Ambaxatorem
,, *Univerſitatis Reginorum extrinſecorum*; Do-
,, minum Gabrielem de Laudo, & Egidianum
,, de Mananis Ambaxatores & Sindicos *Uni-*
,, *verſitatis Cremonenſium extrinſecorum*; Do-
,, minum Agnellum, qui ſe aſſerit Ambaxato-
,, rem & Sindicum *Domini Albrici de Romano*,
,, & *Communis Triviſii*. Qui omnes Ambaxa-
,, tores & Syndici habentes ſuper infraſcripta
,, a ſuis omnibus Univerſitatibus & Baronibus
,, plenum mandatum & poteſtatem, prout pa-
,, tet ex Inſtrumentis publicis, ibidem a pre-
,, dictis omnibus approbatis: ad honorem Dei
,, & Beatæ Mariæ Virginis, & omnium San-
,, ctorum, & ſanctæ matris Eccleſiæ Romanæ,
,, & *Domini noſtri Innocentii IV*. Dei gratiâ
,, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ *ſummi Pontificis*,
,, & ſuorum Fratrum, & predicti Domini
,, Octaviani Sanctæ Mariæ in Via lata Diaco-
,, ni Cardinalis, & ad honorem, bonum ſta-
,, tum, & utilitatem *Lombardorum*, *Marchiæ*
,, *Triviſinæ*, *& Romaniolæ*, & aliorum homi-
,, num

„ num adhærentium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ A
„ matri noſtræ, vice & nomine ſuorum Com
„ munium, Univerſitatum, & Baronum, &
„ pro ipſis Communibus, Univerſitatibus, &
„ Baronibus, firmaverunt ad invicem, & ad
„ ſancta Dei Euangelia, excepto Domino Gui-
„ do de Bayſio, juraverunt *Societatem Lom-*
„ *bardiæ*, *Marchiæ Triviſinæ*, *& Romaniolæ*,
„ *& omnium aliorum venientium ad ipſam So-*
„ *cietatem*, ſub hac forma & modo, videlicet.
„ Quod dicta Communia, & Univerſitates, &
„ Barones perpetuo tenebunt & habebunt ſe
„ ad invicem, & alios venientes ad ipſam So-
„ cietatem, Fratres, Socios, & Amicos: &
„ quod ſe ad invicem & alios venientes ad ip-
„ ſam Societatem adjuvabunt, manutenebunt, B
„ & defendent ſecundùm ſuum poſſe, bona fide
„ ſine fraude contra inimicos ſuos communes,
„ vel alicujus de dictis Communibus, Univer-
„ ſitatibus, vel Baronibus, & aliorum venien-
„ tium ad Societatem prædictam. Et quod ini-
„ micos ſuos, ſive alicujus de dictis Commu
„ nibus, & Univerſitatibus & Baronibus, &
„ aliorum venientium ad ipſam Societatem,
„ pro inimicis habebunt & tenebunt; nec cum
„ eis pacem vel treuguam, ſive fidantiam, vel
„ pactum facient, nec fieri permittent, ſi ve-
„ tare poterunt, ſine conſenſu & voluntate
„ prædictorum omnium Communium, Univer
„ ſitatum, & Baronum, & aliorum venien-
„ tium ad ipſam Societatem. Item prædicti C
„ Ambaxatores & Sindici vice & nomine ſuo
„ rum Communium, Univerſitatum, & Ba
„ ronum, & pro ipſis Communibus, Univer-
„ ſitatibus & Baronibus, cum prædicto Do
„ mino Cardinale, vice & nomine Eccleſiæ
„ Romanæ, & Domini Papæ, habente ſuper
„ hoc ab ipſo Domino Papa plenum manda-
„ tum, ut patet per Literas ipſius Domini Pa-
„ pæ ibidem approbatas, ordinaverunt & fir-
„ maverunt concorditer & expreſſe talliam
„ ſexcentorum Militum, ducendorum per ip-
„ ſum Dominum Cardinalem, vel alium Le-
„ gatum Domini Papæ in ſervitium eorum,
„ qui erunt de dicta Societate, & aliorum
„ devotorum Eccleſiæ, ſubditorum ipſi Lega- D
„ to. Quorum Militum trecenti ſoldari de-
„ beant per Eccleſiam, & alii trecenti per in-
„ fraſcripta Communia dictæ Societatis. Item
„ quod dicta tallia Militum debeat durare &
„ continuare per annum.

„ Item quod trecenti de ipſis Militibus ſtare
„ debeant citra Padum, ubi Legatus Domini
„ Papæ viderit expedire: & alii trecenti ultra
„ Padum, ubi idem Legatus viderit expedire.
„ Eo ſalvo, quod ſi quando ipſe Dominus
„ Cardinalis, vel alius Legatus, neceſſitatem
„ vel utilitatem viderit imminere, poſſit eos,
„ qui erunt ultra Padum, eos vel partem ipſo
„ rum conducere citra Padum, ubi viderit ex-
„ pedire, & e converſo. Item quadringenti E
„ de ipſis Militibus, ſcilicet quilibet ipſorum
„ habere debeat tres equos, inter quos unum
„ bonum & idoneum equum armigerum ha
„ bere debeat, & coopertum: & alii ducenti
„ duos equos pro quolibet habere debeant,
„ inter quos unus bonus armigerus debeat eſſe
„ equus. De quibus ducentis Legatus Domini
„ Papæ pro Eccleſia habere debeat quinqua-
„ ginta cum baliſtis, computandos in parte
„ Eccleſiæ ſolummodo, & approbandos atque
„ ſoldandos ſolummodo ab ipſo Legato ad eoſ-
„ dem ſoldos, ad quos alii Milites cum duo
„ bus equis ſoldabuntur. Item ad hoc, ut
„ equalis ſit electio dictorum Militum, qui
„ debent ſoldari per Eccleſiam & Lombardos,
„ ad hoc ut nulla ſit diſcrepantia in eiſdem,
„ ſed boni, & utiles equaliter habeantur: or-
„ dinaverunt & firmaverunt prædicti Ambaxa-
„ tores cum præfato Domino Cardinale con-
„ corditer & expreſſe unum & equale ſoldum
„ omnibus Militibus ſupradictis, ſcilicet ſex
„ Soldos Imperiales ad mezanos, ſingulis die-
„ bus, illis & ſingulis, qui habebunt tres
„ equos, & quatuor Soldos Imperiales ſingu-
„ lis habentibus duos equos, ſcilicet tam ba-
„ liſtariis quam aliis. Salvo quod ſi pro mi-
„ nori poterunt haberi eque boni & utiles Mi-
„ lites, quod illi, qui preerunt ipſis Militibus
„ eligendis & approbandis, poſſint & debeant
„ eos pro minori ſoldo recipere, ſi in con-
„ cordia erunt, quod pro minori eque boni
„ poſſint haberi: alioquin ad prædictos ſoldos
„ eligi debeant & haberi. Item ordinaverunt
„ & firmaverunt, quod electio dictorum Mi-
„ litum & approbatio debeat fieri hoc modo,
„ ad hoc ut equalis & bona, & ſine ſuſpitione
„ procedat, ſcilicet quod Nuntius Eccleſiæ,
„ ſive Domini Cardinalis, ſive alterius Legati
„ Domini Papæ, debeat eſſe cum Nuntio illius
„ Civitatis, quæ aliquos de dictis Militibus
„ ſoldare debebit, & concorditer eligere de-
„ beant de ipſa Civitate vel ejus Dioceſi tot
„ Milites bonos & utiles, ad duos, & tres
„ equos, & ad ſoldos prædictos, quot obve-
„ nient vel imponentur ipſi Civitati ex tallia
„ ſupradicta; dum tamen non eligant nec ap-
„ probent aliquem de illis, qui pro ſuo Com-
„ muni tenebuntur habere equos, niſi aliter
„ Dominus Cardinalis, vel alius Legatus Do-
„ mini Papæ duxerit diſponendum &c. Item
„ quod prædicti Milites omnes debeant obe-
„ dire & intendere Legato Domini Papæ, &
„ per eum & ejus Nuntios, in ſtando, eundo,
„ & redeundo, & in omnibus aliis regi de-
„ beant & conduci. Et quod ſint omnes in
„ juriſdictione Domini Papæ & ſuorum Nun-
„ tiorum: & quod eos poſſit ipſe Legatus ex
„ juriſdictione Eccleſiaſtica & Seculari de
„ plano & abſque juris ordine punire pecunia-
„ liter & multare; & ejus Nuntii non tantùm
„ pecunialiter, ſed etiam ipſos omnes pro fa-
„ cinoribus, quæ tunc temporis dicentur com-
„ miſiſſe vel perpetraſſe, dum eſſent in militia
„ ſupradicta. Eo ſalvo, quod pecuniariæ con-
„ dempnationes vel multæ, quæ fient ex cau-
„ ſis prædictis, obvenire debeant Communibus
„ illarum Terrarum, pro quibus dati vel ſol-
„ dati fuerint illi, qui puniti fuerint. Item
„ quod quilibet de dictis Militibus equum ar-
„ migerum bonum, & non equam, habere
„ debeat; & arma militaria omnia bona &
„ idonea ad arbitrium prædicti Domini Cardi-
„ nalis, vel alterius Legati, vel ſuorum Nun-
„ tiorum, & Nuntiorum Civitatum, qui cum
„ Nuntiis Eccleſiæ erunt ad eligendos & ap-
„ probandos Milites ſupradictos. Et quod Mi-
„ lites, qui dabuntur, vel ſoldabuntur ab ali-
„ quo Communi, non debeant poni vel ſtare
„ in ea Civitate vel ejus Dioceſi, a qua da-
„ buntur, niſi quando continget, omnes præ-
„ dictos Milites propter exercitum vel aliam
„ cauſam poni vel ſtare in ea Civitate vel ejus
„ Dioceſi. Item quod ab initio ſatisfiat omni-
„ bus prædictis Militibus de ſoldo prædicto pro
„ tribus menſibus hoc modo, ſcilicet, pro
„ duobus menſibus detur eis ſoldus eorum,
„ ſcilicet ab Eccleſia pro parte ſibi contingen-
„ te,

„ te, & a Communibus Terrarum ſecundùm
„ partes ſibi contingentes, & pro tertio menſe
„ ſequenti deponatur ſoldus dictorum Militum
„ a Communibus Terrarum pro partibus eis
„ contingentibus in manibus Capitaneorum
„ Militum Lombardorum, ſolvendos ipſis Mi-
„ litibus, quando ipſi Legato vel ejus Nun-
„ tio, & ipſis Capitaneis viſum fuerit expe-
„ dire. Et quod ante finem dictorum trium
„ Menſium, ſcilicet per quindecim dies ſolvi
„ debeat ſoldus dictis Militibus ab Eccleſia
„ & Lombardis pro duobus Menſibus ſequen-
„ tibus, & pro tertio menſe ſequenti deponi
„ debeat ſoldus a Communibus Terrarum in
„ manibus Capitaneorum. Item quod ſecuri-
„ tatem ſuo periculo recipiat a dictis Militibus
„ Eccleſia, ſcilicet ab his, quos ipſa ſoldabit,
„ & Communia Terrarum ſuo periculo ab his,
„ quos ſoldabunt &c.

„ Item de predicta tallia ſexcentorum Mili-
„ tum recepit ibidem & habuit predictus Do-
„ minus Cardinalis nomine & vice Eccleſiæ
„ Romanæ, & Domini Papæ, trecentos Mili-
„ tes ſoldandos per Eccleſiam, ſive predictum
„ Papam, ad ſoldos predictos, ſcilicet ducen-
„ tos ad tres equos, & alios ad duos, inter
„ quos ſint quinquaginta Baliſtarii, ut dictum
„ eſt ſupra. Super aliis verò trecentis ordina-
„ verunt, firmaverunt, & declaraverunt pre-
„ dicti Ambaxatores & Sindici, omnes has
„ eſſe Civitates & ſolas, quæ eos ſoldandos
„ recipere debeant & ſoldare. Et quæ hoc
„ onus portare poſſunt; ſcilicet *Mediolanum*,
„ *Alexandriam*, *Novariam*, *Brixiam*, *Man-
„ tuam*, *Ferrariam*, *Bononiam*, & *Mutinam*.
„ Et cum Ambaxatores ipſarum Civitatum,
„ exceptis Novarienſibus, ſuper partitione &
„ diviſione dictorum Militum trecentorum fa-
„ cienda inter dicta Communia compromiſiſ-
„ ſent & conſenſiſſent in Dominos Petrum
„ Guarzinum de Alexandria, Ruffinum de
„ Zannicagli de Mantua, Dominos Ubertum
„ Surdum de Placentia, & Rolandum Lupum
„ de Parma Ambaxatores, tamquam in Arbi-
„ tratores ſive amicabiles compoſitores, ita
„ quod eas partes de dictis Militibus recipere
„ debeant ſua Communia & habere, quas pre-
„ dicti Arbitratores, vel major pars eorum
„ arbitrarentur vel deſignarent eiſdem, ita
„ tamen quod predicti Domini Rolandus &
„ Ubertus Surdus unam vocem haberent:
„ tamdem predicti Arbitratores in plena con-
„ cordia fecerunt partitionem dictorum tre-
„ centorum Militum inter dicta Communia
„ hoc modo, ſcilicet. Quod *Commune Me-
„ diolani* pro ipſo in parte ſua Nonaginta
„ duos Milites recipere debeat & ſoldare, ſci-
„ licet ſexaginta unum cum tribus equis, &
„ alios cum duobus. *Commune Alexandriæ*
„ pro parte ſua recipere debeat & ſoldare
„ *Duodecim Milites*, ſcilicet octo cum tribus
„ equis, & alios cum duobus. *Commune* au-
„ tem *Mantuæ* in parte ſua recipere debeat
„ & ſoldare Viginti novem Milites, ſcilicet
„ viginti cum tribus equis, & alios cum duo-
„ bus. *Commune* autem *Novariæ* in parte ſua
„ Viginti quatuor Milites, ſcilicet ſexdecim
„ cum tribus equis, & alios cum duobus.
„ *Commune* autem *Ferrariæ* in parte ſua Vi-
„ ginti ſeptem Milites, ſcilicet decem & octo
„ cum tribus equis, & alios cum duobus.
„ *Commune* autem *Bononiæ* in parte ſua Sexa-
„ ginta quinque Milites, ſcilicet quadraginta
„ tres cum tribus equis, & alios cum duobus.
„ *Commune* autem *Mutinæ* in parte ſua Vi-

A „ ginti ſex Milites, ſcilicet decem & ſeptem
„ cum tribus equis, & alios cum duobus. Et
„ ipſi Ambaxatores conſenſerunt. Et cum hoc
„ eſſet, quod Commune Brixiæ commiſiſſet
„ in ipſum Dominum Cardinalem, quod ipſe
„ illam talliam, quam vellet. & quæ ſibi pla-
„ ceret, de predictis Militibus deberet dare
„ & aſſignare Communi Brixiæ, & quod Com-
„ mune Brixiæ ſuper hoc ſuam voluntatem
„ impleret; & ipſe hoc in ſe recepiſſet de
„ conſenſu Ambaxatorum Civitatum predicta-
„ rum: tamdem predictus Dominus Cardina-
„ lis dedit & aſſignavit pro ſua parte ſive tal-
„ lia dictorum Militum *Communi Brixiæ* Vi-
„ ginti quinque Milites, ſcilicet ſexdecim cum
B „ tribus equis, & alios cum duobus. Item
„ predicti omnes Ambaxatores & Sindici or-
„ dinaverunt in plena concordia cum predicto
„ Domino Cardinali cuſtodiam Terrarum &
„ locorum, que erunt de dicta Societate, ſive
„ ſub ipſo Legato, & quæ cuſtodiâ indigent.
„ Quæ cuſtodia, ſive cujus cuſtodiæ expenſæ
„ pro dimidia parte pro Eccleſia fieri debeant
„ & portari, & pro alia dimidia per eos, qui
„ ſunt de dicta Societate, & hoc portare poſ-
„ ſunt. Quas expenſas taxaverunt & declara-
„ verunt debere colligi & præſtari in quanti-
„ tate Quatuordecim Millium Librarum Impe-
„ rialium ad mezanos. Item quod dicta cu-
„ ſtodia Terrarum & locorum incipere debeat
C „ a Kalendis Aprilis proximi, & ab inde du-
„ rare uſque ad annum &c. Item declarave-
„ runt, has eſſe Terras & loca de dicta So-
„ cietate, que cuſtodiâ, ſive auxilio dictæ cu-
„ ſtodiæ & expenſarum indigent: ſcilicet *Par-
„ mam* cum ſuis locis, que cuſtodiâ indigent:
„ Loca *Reginorum*, *Placentinorum*, *Cremo-
„ nenſium*, & *Vercellenſium* extrinſecorum:
„ & tria *Caſtra Lodoyci Comitis Veronæ*, ſci-
„ licet *Gardam*, *Gazum*, & *Valeſium*: *Tri-
„ viſium*: *Caſtrum Domini Beaquini de Camino*,
„ ſcilicet *Grudignanum*; & *Caſtra*, quæ ſunt
„ in podere *Lendinariæ* in confinibus versùs
„ inimicos, ſcilicet *Anguillariam*, *Paſſivam*,
„ & *Abbadiam*. Et cum dicti Ambaxatores
D „ conſenſiſſent die Dominica precedenti ſuper
„ dictis expenſis omnibus dividendis in cuſto-
„ dia dictarum Terrarum ad diſpoſitionem &
„ arbitrium ipſius Domini Cardinalis: tamdem
„ ipſe Dominus Cardinalis dictas expenſas,
„ ſive talliam quatuordecim millium Librarum
„ Imperialium diviſit & aſſignavit inter dictas
„ Terras & loca, ſive in ipſorum cuſtodia
„ hoc modo, ſcilicet: pro cuſtodia *Parmæ*
„ & ſuorum locorum taxavit & aſſignavit de-
„ bere dari & expendi *Tria millia Librarum
„ Imperialium*: pro cuſtodia vero locorum
„ *Placentinorum* extrinſecorum *Tria millia
„ Librarum Imperialium*: pro cuſtodia vero
„ locorum *Reginorum* extrinſecorum *Mille
E „ quadringentas Libras Imperiales*: pro cuſto-
„ dia vero locorum *Cremonenſium* extrinſeco-
„ rum, ſive ipſis Cremonenſibus *Duo millia
„ Librarum Imperialium*: pro cuſtodia vero
„ locorum *Vercellenſium* extrinſecorum *Mille
„ ducentas Libras Imperiales*: pro cuſtodia
„ vero dictorum trium *Caſtrorum Lodoyci Co-
„ mitis Veronæ*, *Octingentas Libras Imperia-
„ les*: pro cuſtodia vero dictorum trium *Ca-
„ ſtrorum*, quæ ſunt in podere *Lendenariæ*,
„ *Mille centum Libras Imperiales*: pro cuſtodia
„ vero *Tarviſii*, *Mille centum Libras Imperia-
„ les*: pro cuſtodia vero *Caſtri Domini Beaqui-
„ ni*, *Trecentas Libras Imperiales*.

Qua-

„ Quarum omnium expenſarum dictarum
„ quatuordecim millium Librarum expenden
„ darum in cuſtodia Terrarum & locorum pre-
„ dictorum recepit ipſe Dominus Cardinalis
„ pro parte Eccleſiæ Romanæ Septem millia
„ Librarum Imperialium, ſolvendarum ab ipſa
„ Eccleſia . Super aliis vero Septem millibus
„ ordinaverunt dicti Ambaxatores , quod hæ
„ Civitates ſunt , & ſolæ de dicta Societate ,
„ quæ hoc onus expenſarum & cuſtodiæ por-
„ tare poſſunt , & debeant : ſcilicet *Mediola-*
„ *num* , *Alexandriam* , *Novariam* , *Brixiam* ,
„ *Mantuam* , *Ferrariam* , *Bononiam* , *& Mu-*
„ *tinam* . Et cum hoc eſſet , quod ſuper par
„ titione & diviſione dictarum Septem millium
„ Librarum Imperialium ad mezanos , facien-
„ da inter dicta Communia , compromiſiſſent
„ & conſenſiſſent pro ſuis Communibus Amba-
„ xatores Mediolani , Alexandriæ &c. in Pe-
„ trum Guarzinum &c. Tamdem predicti Ar-
„ bitratores arbitrati ſunt partitionem dicta-
„ rum Septem millium Librarum Imperialium
„ inter dicta Communia hoc modo , ſcilicet
„ ſecundùm modum & reſpectum diviſionis ,
„ quam fecerunt de tallia Militum . Et dixe-
„ runt , quod *Commune Mediolani* dare & ſol-
„ vere debeat *Duo millia ducentas & octo* Libras
„ Imperiales : *Commune Alexandriæ Ducentas*
„ *octuaginta* : *Commune* vero *Mantuæ Sexcen-*
„ *tas nonaginta ſex* : *Commune Novariæ Quin-*
„ *gentas ſeptuaginta ſex* : *Commune Ferrariæ*
„ *Sexcentas quadraginta octo* : *Commune Bono-*
„ *niæ Quatuor millia quingentas* Libras Bono-
„ ninorum , vel *Mille quingentas ſexaginta*
„ Libras Imperiales ad mezanos : *Commune*
„ vero *Mutinæ Sexcentas viginti quatuor* Li-
„ bras Imperiales . Et cum hoc eſſet , quod
„ *Commune Brixiæ* compromiſiſſet in ipſum
„ Dominum Cardinalem &c. ipſe Dominus
„ Cardinalis de dicta ſumma pecuniæ ipſi *Com-*
„ *muni Brixiæ* aſſignavit pro ſua parte *Qua-*
„ *dringentas* Libras Imperiales . Ibidem om-
„ nes predicti Ambaxatores & Sindici nomine
„ & vice ſuorum Communium, Univerſitatum,
„ & Baronum , de plena concordia firmave-
„ runt , quod quælibet Civitas dictæ Societa-
„ tis mittat & habeat duos Ambaxatores , qui
„ debeant ſtare cum prædicto Domino Cardi-
„ nale vel alio , quando pro Domino Papa
„ erit in Lombardia . Et quod poſſint tracta-
„ re atque firmare pro ſuis Communibus cum
„ eo , & aliis Ambaxatoribus ea , quæ ad bo-
„ num ſtatum & utilitatem eorum , qui erunt
„ de dicta Societate , & aliorum devotorum
„ Eccleſiæ ſubditorum ipſi Legato , viſa fue-
„ rint pertinere &c. Conſequenter ibidem pre-
„ dicti Ambaxatores ordinaverunt , quod im-
„ poſitio equorum fiat a quibuslibet Civitati-
„ bus , Communibus & Baronibus dictæ So-
„ cietatis,& quod dicti equi emantur , & con-
„ ſignentur Communibus ſive Baronibus Ter-
„ rarum ipſius Societatis in ea quantitate &c
„ uſque ad medium menſem Aprilis proximi
„ &c. Preterea firmaverunt , quod unus exer-
„ citus generalis & plenus fieri debeat per
„ omnes , qui ſunt & erunt de dicta Socie-
„ tate ſupra *Cremonam* , ſive in territorio Cre-
„ monenſi , ſcilicet citra Padum , ubi ipſi
„ Domino Cardinali , vel alii Legato viſum
„ fuerit expedire . Quæ autem Civitates ,
„ Univerſitates , & Barones debeant in ipſo
„ exercitu per commune , vel per talliam per-
„ ſonarum , & in quantum præſtare conſilium
„ & favorem : predicti omnes Ambaxatores
A „ ſponte , concorditer , & plene poſuerunt in
„ libera poteſtate & voluntate predicti Domi-
„ ni Cardinalis &c. Item ordinaverunt , quod
„ unus Exercitus fieri debeat in *Marchia Tri-*
„ *viſina* per eos , qui erunt de dicta Societa-
„ te , ad voluntatem dicti Domini Cardinalis ,
„ ſcilicet poſt illum Exercitum , qui fieri debet
„ ſupra Cremonam , vel in territorio Cremo-
„ nenſi . Et quod ſua Communia , Univerſi-
„ tates , & Barones dabunt ſuccurſum in ipſo
„ Exercitu *Domino Marchioni Extenſi*, *Domino*
„ *Albrico de Romano* , & *Comiti Veronenſi* , &
„ *Domino Biaquino de Camino* , & aliis eorum
„ amicis . Qualem autem ſuccurſum dare de-
„ beant pro tallia Militum aut Baliſtariorum ,
B „ compromiſerunt in libera voluntate , & diſ-
„ poſitione ipſius Domini Cardinalis &c. Simi-
„ liter ordinaverunt ibidem quod ſi contingat,
„ *Papienſes* facere Exercitum hoc anno ſupra
„ *Alexandrinos*, ſive in eorum Diſtrictu, quod
„ eorum Communia , Univerſitates , & Baro-
„ nes dabunt ſuccurſum ipſis Alexandrinis vel
„ per commune , vel per talliam perſonarum ,
„ ſecundùm arbitrium & diſpoſitionem dicti
„ Domini Cardinalis . Qui Dominus Cardina-
„ lis dixit , quod ſua erat intentio ſuper ſuc-
„ curſu dando Alexandrinis , ſi Papienſes fa-
„ cerent Exercitum contra eos , quod ipſe , ſi
„ erit in partibus ſupraſcriptis , vel alius , qui
„ erit pro Eccleſia, ducet in ſervitium Alexan-
C „ drinorum mille Milites, ſi alius Exercitus non
„ erit in partibus ſupraſcriptis. Si autem Exer-
„ citus eſſet in partibus ſupraſcriptis , a cir-
„ cumſtantibus Communibus Terrarum , ſe-
„ cundùm quod eis conveniens videbitur , fa-
„ ciet dari ſuccurſum per commune vel per
„ talliam; vel ipſi facient guerram Papienſibus.
„ Ibidem preſentibus eiſdem teſtibus prote-
„ ſtati fuerunt Domini Henrigetus de Caſtel-
„ lo,& Petritiolus de Auſſelletis Ambaxatores
„ Bononiæ , quod eorum intentio non eſt ,
„ quod per hoc Commune Bononiæ , & alia
„ loca , Univerſitates , & Barones dictæ So-
„ cietatis obligari poſſint per Ambaxatores
„ Communium , qui erunt cum Legato Do-
D „ mini Papæ ; nec per eos cum ipſo Legato ,
„ vel ſine eo ordinari poſſit Exercitus vel im-
„ poni, ſive tallia aliqua perſonarum vel avere
„ Communi Bononiæ vel aliis Communibus ,
„ niſi quatenus de Communis Bononiæ , & di-
„ ctorum Communium , Univerſitatum , &
„ Baronum proceſſerit voluntate . Similiter
„ proteſtationem fecerunt ceteri alii Ambaxa-
„ tores &c. Eo ſalvo , quod per dictum ſa-
„ cramentum Societatis non fiat , nec fieri vi-
„ deatur , quod Commune Mediolani veniat ,
„ nec venire videatur contra aliquod ſacra-
„ mentum, quod fecerit cum *Communi Papiæ*,
„ & *Communi Pergami* . Placuit Sapientibus ,
„ qui auctoritatem habent a Conſilio Generali
E „ de eo , quod *Societas Lombardiæ* renovari
„ & reformari debeat , ita quod , ſi pax po-
„ terit haberi cum Communi Cremonæ ,
„ quod fieri debeat ſecundùm Reformationes
„ Conſiliorum factorum ſuper facto Pacis &c.
„ Tenor Reformationum factarum ſuper facto
„ Pacis , talis eſt . In Reformatione Conſilii,
„ facto partito per Poteſtatem , placuit quaſi
„ toti Conſilio , quod Pax fiat per *Commune*
„ *Brixiæ Communi & Hominibus de Cremona* ,
„ & omnibus eorum amicis , volentibus ad
„ hanc Pacem venire , ipſo Communi Cremo-
„ næ faciente Pacem Communi & Hominibus
„ Brixiæ , tam Cremonenſibus extrinſecis ,
„ quàm

„ quàm aliis ſuis amicis , volentibus ad hanc
„ Pacem venire , nullo detracto , ſecundùm
„ quod petitum & dictum fuit per Ambaxato
„ res Communis Brixiæ Ambaxatoribus Com-
„ munis Cremonæ in colloquio facto inter
„ Pontem Vicum & Rubeccum &c. In Re-
„ formatione Conſilii , factis partitis per Pote-
„ ſtatem , placuit majori parti Conſilii , quod
„ in præſenti Conſilio dicatur & reſpondeatur Am-
„ baxatoribus *Cremonæ*, *Paduæ*, *Veronæ*, *Vicen-*
„ *tiæ*, & *Domini Izilini de Romano*, quod *Commu-*
„ *ne Brixiæ* vult , & ſibi placet facere & fir-
„ mare Pacem cum *Communi Cremonæ*, & ſuis
„ amicis , ipſo Communi Cremonæ faciente &
„ firmante Pacem Communi Brixiæ , & omni-
„ bus ſuis amicis , ſecundùm quod petitum
„ fuit per Ambaxatores Brixiæ Ambaxatoribus
„ Cremonæ in colloquio facto inter Pontem
„ Vicum , & Rubeccum , & ſecundùm Refor-
„ mationes Conſilii &c. Et Piordus de la
„ Nuce &c. Sindici & Procuratores Commu-
„ nis Brixiæ proteſtantur & dicunt ante ſacra-
„ mentum & Reformationem ſacramenti So-
„ cietatis Lombardiæ , ſe nomine Communis
„ Brixiæ renovare & reformare Societatem
„ Lombardiæ , excepto quod per tale ſacra-
„ mentum non derogetur in aliquo Reforma-
„ tionibus predictis. Preterea ibidem proteſta-
„ tus fuit , & dixit idem Dominus Cardinalis ,
„ quod non intendebat , quod per dictam pro-
„ teſtationem Mediolani derogaretur in aliquo
„ concordiæ , pactis , & ſacramentis , quæ
„ habet & fecit *Commune Mediolani Communi*
„ *Alexandriæ* . Cui proteſtationi conſenſerunt
„ Ambaxatores Mediolani . Ibidem dixit idem
„ Dominus Cardinalis , quod ſi Commune
„ Mediolani , vel aliud Commune dictæ Socie
„ tatis dedit Pedites aliquos ad cuſtodiam lo-
„ corum Placentinorum extrinſecorum , eis
„ tempus ſive annus dictæ cuſtodiæ incipiat
„ currere per quindecim dies ante Kalendas
„ Aprilis . Demum predicti omnes & ſinguli
„ Ambaxatores & Sindici nomine & vice ſuo-
„ rum Communium , Univerſitatum , & Ba-
„ ronum , & pro ipſis , acceptaverunt , ordi-
„ naverunt , & firmaverunt, atque juraverunt
„ omnia & ſingula ſupradicta , aſſerentes &
„ promittentes ſibi ad invicem , & ipſi Domi-
„ no Cardinali , quod ſua Communia &c. ac-
„ ceptabunt &c. , & ſpetialiter quod ſua Com
„ munia &c. publice in plenis Conſiliis firma-
„ bunt & jurabunt dictam Societatem, & om-
„ nia ſupradicta : & quod hec ponetur in Sta-
„ tuto preciſo & jurato cujuslibet Civitatis ,
„ Univerſitatis , & Baronis &c. Preterea pre-
„ dicti omnes Ambaxatores promiſerunt & ſti-
„ pulati ſunt , quod ea omnia & ſingula adim-
„ plebunt &c. ſub pena mille Marcharum ar-
„ genti , totiens committenda & exigenda ,
„ quotiens contra predicta factum fuerit , vel
„ aliquid predictorum , ceteris omnibus in ſua
„ nihilominus remanentibus firmitate , & ſub
„ obligatione bonorum cujuſque Communis

A „ &c. Ad hec predicti omnes Ambaxatores
„ & Sindici nomine &c. ſuper omnibus & ſin-
„ gulis predictis ſponte & libere ſuppoſuerunt
„ ſua Communia , Univerſitates , & Barones
„ jurisdictioni & voluntati Summi Pontificis ,
„ & Domini Octaviani Cardinalis predicti , &
„ alterius Legati , qui pro factis iſtis eſſet
„ pro Domino Papa in partibus Lombardiæ .
„ Item quod ſi in aliquo obviarent predictis ,
„ vel aliquibus predictorum , poſſint de plano ,
„ & abſque juris ordine predictus Dominus
„ Papa , & Dominus Cardinalis, & alius, qui
„ pro factis iſtis eſſet Legatus , dicta Commu-
„ nia , & Univerſitates , & Barones , & Ter-
„ ras , & Loca ipſorum , excommunicare , &
B „ ſubponere Interdicto .

„ Actum apud Brixiam in Sala plana domus
„ magnæ Epiſcopatus Brixiæ , preſentibus ve-
„ nerabili Patre *Domino Epiſcopo Brixienſi* ,
„ Domino Paſſipovero Legum Doctore de Bo-
„ nonia, Fratre Benevenuto Domus Sancti Mi-
„ chaëlis de Buſcho prope Bononiam Camera-
„ rio ſupradicti Domini Cardinalis , Alberto
„ Notario , qui erat ibidem cum Ambaxatori-
„ bus Mediolani , Imictardo Bonati , qui erat
„ ibidem cum Ambaxatoribus & Sindicis Com-
„ munis Brixiæ .

Quæ Urbes ac Principes ad hujuſmodi Fœdus acceſſere , Guelphæ factionis erant , & pro Romano Pontifice ſtabant , qui ea de cauſſa *Octavianum Cardinalem* Brixiam miſerat. C Sibi quiſque timebat a ferociſſimo hoſte Eccelino de Romano , atque ab Oberto Pelavicino Marchione , potentibus Gibellinorum anteſignanis, qui nova in dies bella ſuſcitabant. Augebat etiam metum Conradus Friderici II. filius , Germaniæ Rex , qui in Italiam non ita pridem deſcenderat , ad Regni Siciliæ hereditatem , a Gibellinis præcipue invitatus . Tunc ergo Langobardica Provincia maximis bellorum tumultibus ac inteſtinis diſcordiis patuit , quarum ſeriem temporum illorum Hiſtoria deſcribit . Sed quoniam ſunt mihi Epiſtolæ quædam eâ occaſione conſcriptæ a *Landriſio Cribello* Mediolanenſi , tunc Brixianæ Urbis Prætore , ad *Bonifacium de Canoſſa* Regienſem , D Mantuanorum Prætorem , uti & *Gregorii de Montelongo* Legati Apoſtolici , & ſupralaudati *Octaviani Cardinalis* , Legatorum Apoſtolicæ Sedis , ad alios miſſæ , committere nolo , ut luce , qua profecto dignæ ſunt , diutius illæ fraudentur . Eas autem mihi deſcribendas tradidit Philippus Argelatus Auguſtiſs. Cæſaris a Secretis , in Collectione mea Scriptorum Rerum Italicarum ſæpiſſime memoratus , ex eo ipſo Codice MSto , unde Boncompagni Opuſculum de *Obſidione Anconæ* hauſi , evulgatum in Tomo VI. earumdem Rer. Italicarum . Conjunctam cum hiſce videas Innocentii IV. ſummi Pontificis ſententiam adversùs nefandum virum Eccelinum de Romano , aliaque eorum temporum Acta, e quibus Hiſtoria aliquid lucis ac ſubſidii accipiet .

Viro

Epiſtolæ Laudriſii Cribelli Prætoris Brixiani, aliorumque Magiſtratuum Italicarum Urbium, de negotiis politicis ſuorum temporum, ſpectantes ad Annum Chriſti 1251. & proxime ſequentes.

Viro Nobili Domino B. (a) *de Canoſſa laudabili Poteſtati, Conſilio & Communi Mantuæ, & Domino R.* (b) *Illuſtri Comiti Veronenſi, Lau.* (c) *Crivellus Brixienſium Poteſtas, & Militia, quæ cum eo eſt Laude, ſalutem, & mores prudentium imitari.*

„ EsSentiam exercitus utriuſque, & nova, quibus . . . . ecce vobis in ſuaſione præſentium declaramus, ut gaudere poſſitis cum gaudentibus & lætari. Hoſtes nequam Papienſes, & Placentini intrinſeci, in loco ſolito trahunt moram, intra ſcilicet muros Civitatis Laudenſis. Qui erant autem contermini Caſtro, quod obtinent, ejecerunt, & de aliis forticiis licèt paucis, quas in eadem Civitate tenent, ut didicimus, illud idem facere decreverunt, ut per eas ipſi Caſtro, quum diſceſſerint, inferri nequeant nocumenta. *Marchio Lances* Caſtrum jam dictum, quod tenebat, tradidit mediante pecunia in curam Papienſium, ac Cremonenſium prædictorum: & ipſi illud gente ſua & neceſſariis munierunt. Ipſi hoſtes nimio dolore dolent, quod ſeſe ſentiunt ad occaſum: & in morando vel redeundo, procul dubio confundentur. Nullum Caſtrum territorii Laudi, præter Monbrionum, & Pontem Lambri, quæ habebant, antequam de præſenti Civitatis Laudis negotio ageretur, eſt in ipſorum fortia mancipatum; ſed ſunt omnia in cuſtodia noſtræ partis. Fiſſatholdum per Populum Laudenſem diligentiùs eſt munitum; & in eo centum equites ad læſionem inferendam hoſtibus, Papienſibus præcipue, commorantur. Mediolanenſes, & amici in loco reſident conſueto, & lætitie & gaudio (utinam ſemper in melius) perfruuntur: & Circlas & Foveas Stratarum explanant, ut aggredi & invadere poſſint hoſtes, & triumphalem de eis gloriam obtinere. Heri homines Vallis Saxinæ diſtrictus Mediolanenſis quamdam Turricellam, quæ eſt ſuper muro Civitatis Laudenſis in medio inter Caſtrum & Portam Papienſem, quam Turricellam cuſtodiebant hoſtes, ignis & belli præſidio habuerunt. Fovea inter Urbem Laude & Caſtrum effecta eſt totaliter per noſtrates, & vallata eſt ſtello & congruis betifredis. Jam dicti Mediolanenſes nobis inſtant, ut reſiduam militiam & Populum, quum de bello ſperent, venire ad exercitum faciamus, & ſuper eodem Cumanis, & Novarienſibus inſtiterunt. Super eo verò, quod ſcripſiſtis, quod territorium Cremonenſium ſupponitis incendio & A ruinæ, vos ut Populum commendantes, precamur, ut ſic incœpta curetis ducere in effectum, ut iidem hoſtes, qui ad veſtram, & noſtram depreſſionem cunctis temporibus aſpirarunt, pœnam de patratis ſceleribus debitam undique patiantur. Certe ſi poſſemus, & id fieri poſſet cum voluntate Mediolanenſium, & abſque periculo negotiorum, quæ hìc incumbunt, libenter eſſemus vobiſcum ad reprimendam audaciam perfidi *Ecellini*, qui loca veſtra nititur ſupponere vaſtitati: cui, ne Olium tranſeat in obſequium Cremonenſium, debetis reſiſtere, & quæ vobis infert, æquanimiter tolerare, quoniam in brevi luctus veſter in gaudium B convertetur. Nam afflictis Cremonenſibus erit ipſe afflictione qualibet ſine tarditatis obice circumventus.

Honorabili & potenti Militi Domino B. de Canoſſa, potenti Conſilio, & Communi Mantuæ, fratribus intime peramandis, Laudriſius Crivellus Poteſtas, Conſilium & Commune Brixiæ, optata felicia cum ſalute.

„ CUpientes, quod de captivis, quos habetis, nobis pertinentibus, & iis, quos in noſtra detinemus virtute, fiat commutatio & concambium ſpeciale, certis ad hæc die, C loco, & horâ præfixis, providentiam, & fraternam dilectionem veſtram ex intimo cordis attente requirimus, preces precibus cumulando, quatenus nobiſcum in hanc ſententiam perſiſtentes, diem, locum, & horam ſtatuatis, quibus procedatur in negotio, & circa negotium memoratum. Et videretur nobis conveniens, quod inter locum Monteclari, & Montemedulanum concambium illud fiat. Et ſi ad prædictum concambium celeriter faciendum non condeſcenderet votum veſtrum, quum dudum ſit iſtud negotium ventilatum, & ſubditi noſtri, quibus dicti carcerati pro ſui deliberatione aſſignati fuerant, in carcere afflicti noD bis inſtent, quod aut concambium prædictum fieri faciamus, aut captivos, quos habemus de veſtris, loco noſtrorum eiſdem aſſignatorum, quos in veſtra fortia detinetis, „ eis

(a) *Bonifacio*
(b) *Ricciardo*

(c) *Laudriſius*

„ eis debeant aſſignari: ſciatis, quo ad dandum & deliberandum captivos, quos habemus, pertinentes nobis, eiſdem ſubditis noſtris captivis ſine ullo difficultatis obſtaculo procedemus. Quid autem circa præmiſſum negotium decreverit veſtra providentia faciendum, reſcribite per Literas veſtras ferendas a præſentium portitore. De captivis autem, qui erant in virtute Communis Brixiæ, & vobis obvenerunt in parte, Ugolinus de Cremona, & Cacinus Petri Manfredi mortui ſunt, & Ziroldus de Montecliveto de Verona per fugam evaſit de carcere. De illis verò captivis, de quibus erat inter nos contentio, juri terminationi relinquatur.

Venerabili Patri & præcipuo Domino ſuo O. (d) *Sanctæ Mariæ in Vialata Diacono Cardinali, & excellenti Comiti Veronenſi; ac ſtrenuo & potenti Militi Domino B. de Canoſſa Poteſtati, Conſilio, totique Communinitati Mantuæ, fratribus, & amicis, intima ſinceritate colendis, Aſſeſſores, & modò Vicarii Poteſtatis Brixiæ, ob ejus abſentiam, & univerſus Populus Brixienſis, ſalutem, & feſtine amicis & fratribus ſuccurrere tempore opportuno.*

„ Conditionem fratrum noſtrorum Mediolani exiſtentium, & novum ſuo exforcio apud Laudum, in quorum præſidium & juvamen externa (e) die ſummo mane equitavit Poteſtas Brixiæ in totalitate Militiæ Brixienſis, & Populus noſter ad idem ſe præparat inceſſanter, & notam & manifeſtam pluries dominationi veſtræ recolimus nos feciſſe. Et quia eorum conditio ita æſtimatur ardua atque gravis, quod exponi non poſſet literis vel ſermone, & creditur, immo aliter eſſe nequit, quod ibi ſententia promulgabitur contra hoſtes, a qua non poterunt appellare; probitatem, & dominationem veſtram, in quibus ſpes & tota fiducia noſtra ſiſtit, ex imo cordis duximus multiplicatis precibus depoſcendam, quatenus per Deum, & veram Crucem incontinenti Brixiam cum militia veſtra tota, & omnibus Baliſtariis veſtris curſu celeri accedentes ad tantam recipiendam gloriam & honorem, atque victoriam properetis. Id autem negotium taliter exſequi procuretis, quod digne apud Deum & homines poſſitis de bono & laudabili opere commendari. Iterato autem vos quæſimus & rogamus, ut ſi unquam nobis auxiliari intenditis, atque vultis, quod huic petitioni noſtræ juſtiſſimæ optatum aſſenſum & celerem impendatis.

Honorandis viris Poteſtati, Conſilio, & Communi Mantuæ, fratribus, intima ſinceritate colendis, Laudriſius Crivellus Poteſtas, Conſilium, & Commune Brixiæ, ſalutem cunctis felicitatibus affluentem.

„ Recipimus hac nocte nuntios referentes, quod Cremonenſes tam militia, quàm Populus univerſus adjungentes in locum Ragazolæ Cremonenſis properant, ſicut poſſunt: & quia non videtur amodo in campis utilis mora noſtra, mandamus, ut ſi placet, Mantuam redeatis parati, ſi neceſſe fuerit, nobis valitura præſidia impertiri, & nos ſcriptâ militiâ noſtrâ idem facere diſponimus, & optamus, promti & parati exhibere vobis auxilium & ſuccurſum, quandocumque fuerimus requiſiti.

Viro Magnifico & potenti Domino R. illuſtri Comiti Veronæ, & Domino B. de Canoſſa, laudabili Poteſtati, Conſilio, & Communi Mantuæ, amicis fraterno affectu dilectis, Laudriſius Crivellus Poteſtas, Conſilium, & Commune Brixiæ, ſalutem cum deſiderio ſerviendi.

„ Cum inſolubili amicitiæ fœdere ſimul ad invicem alligati pigritare ad veſtra obſequia nullo modo volumus, nec debemus, immo ſtudium totius celeritatis, & efficaciæ debitæ volumus adhibere, quod per experientiam rei patet, quod ut ſuccurramus vobis, heri a Laude, quo diſceſſimus, non inſpectis labore & periculo, Brixiam venimus feſtinantes, & quod illico fecimus, ecce vobis præſentibus declaramus. Milites omnes forenſes ad Civitatem compellimus citiſſime ſe transferre, & advocamus Populum univerſum, & plauſtra quibuslibet neceſſariis facimus onerari, ut vobis potens auxilium præbeamus. Igitur, fratres cariſſimi, vigorem & animum aſſumite conſuetum, & de veſtra quilibet cum generali exercitu egredimini Civitate, diem egreſſus nobis per veſtras Literas narraturi, quia una die vobiſcum movere volumus, & contra peſtilentem Tyrannum ſic ſumere potenter arma & ſcutum, quod niſi aufugerit de ipſo campeſtri bello, triumphalem gloriam habeamus. Parate, parate vos, quia parati ſumus nos, & ſi non adhuc eſſemus, voluntas ſuccurrendi vobis nos reddit maxime præparatos.

Venerabili Patri & Domino ſuo ſpeciali Domno O. Sanctæ Mariæ in Vialata Diacono Cardinali, & inclyto Comiti Veronenſi, atque Poteſtati, & Conſilio Mantuæ, fratribus diligendis, Aſſeſſores, & modò Vicarii Poteſtatis Brixiæ ob abſentiam ejus, & totus Populus Brixienſis, ſalutem, & velox ſtudium ad petita.

„ Quis ſit ſtatus, quàm arduus fratrum noſtrorum Mediolanenſium, exiſtentium cum toto ſuo exforcio apud Laudam, quo iturus heſterna die movit Poteſtas Brixiæ cum militia noſtra tota, ulterius non duximus exponendum, quia ſatis animadvertere providentia veſtra poteſt. Sed ad propoſitum deſcendentes, vos inſtantiſſime deprecamur, quatinus ſi umquam a nobis aliquid acceptabile intenditis poſtulare, vel veſtrum juvamen ullo tempore, qualiſcumque poſſit imminere neceſſitas, dare nobis, militiam veſtram totam, & Baliſtarios, quoſcumque habetis, velitis & debeatis incontinenti Laudam in ſuccurſum fratrum noſtrorum Mediolanenſium, immo veſtrorum, curſu celeri deſtinare ad populationem territorii Cremonenſis cum alia gente veſtra, nihilominus cum navigio veſtro, quàm velocius poteritis, acceſſuri. Ad hæc inſtanter dominationi veſtræ requirimus, ut cum latore præ-

„ ſen-

(d) *Octaviano*

(e) pro *heſterna*

„ ſentium viro provido & diſcreto, dilecto
„ Cive noſtro, quem Ferrariam & Bononiam
„ deſtinamus, ut inducat Ferrarienſes, quod
„ ad deguaſtationem territorii Cremonenſis
„ accedant, vobiſcum pariter faciendam, &
„ Bononienſes, ut Guaſtallam, vel circa par-
„ tes illas veniant incontinenti cum exercitu
„ generali, aliquem diſcretum Virum, qui ex
„ parte veſtra idem petat, vel precetur mit-
„ tere præſentialiter debeatis.

Eximia nobilitate, omnique circumſpectione præſigni Domino B. de Canoſſa, laudabili Poteſtati, & Conſiliariis ſecretorum Mantuæ, Laudriſius Crivellus Poteſtas, & Conſiliarii ſecretorum Brixiæ, ſalutem, & in agendis celeritatis ſtudium adhibere.

„ GAudere debetis, plurimùm & lætari,
„ quia Venerabilis Chriſtianorum Pater
„ & *Dominus Innocentius ſummus Pontifex*,
„ qui nos ulnis ſuæ protectionis aſſumſit, Me-
„ diolanum, ubi cum innenarrabili honore &
„ gaudio eſt receptus, die Veneris proxime
„ præterito ſummo mane direxit feliciter greſ-
„ ſus ſuos. Quia verò idem Dominus nos &
„ cauſam noſtram alit, fovet, atque defendit;
„ & non eſt in agendis, quæ commoda, &
„ exaltationem noſtram & amicorum, & ho-
„ ſtium oppreſſionem contingant, ullatenus
„ differendum, ſed eſt omnis celeritas & ſoli-
„ citudo quælibet adhibenda; igitur affectuoſe
„ vos depoſcimus & rogamus, qua enus om-
„ nino qualibet mora & tarditate ſublata ſuper
„ his, de quibus heri Ambaxatores noſtri apud
„ Caſſanum vobiſcum colloquium habuerunt,
„ reſpondere nobis per latorem præſentium,
„ quem arctavimus ex ſpeciali juramento, ut
„ cras redeat, procuretis. Et non ſolùm re-
„ ſpondere velitis, ſed venire perſonaliter, vel
„ Ambaxatores providos deſtinare, ita quod
„ ſicut ſumus unum, accedamus inſimul, &
„ ſermone non vario, ſed unico perfruamur.
„ Nos enim ſociati quatuor de ſapientioribus
„ Terræ noſtræ differre minime volumus, quia
„ ad ejuſdem ſummi Pontificis præſentiam, cum
„ hoc ſit de voluntate Conſilii noſtri, meatu
„ celeri perſonaliter accedamus. Precamur au-
„ tem iterum, ut moram omnem tollere de-
„ beatis, quia parturiret noſtris negotiis irre-
„ vocabile detrimentum.

Nobili & potenti Militi Domino B. de Canoſſa, laudabili Poteſtati, Conſilio, & Communi Mantuæ, Laudriſius Crivellus Poteſtas Brixiæ, ſalutem votivis ſucceſibus copioſam.

„ OLim regente Civitate Mantuæ Domino
„ Henrico de Rivola, Lanfranchino de
„ Sancto Firmo, & Betucio ejuſdem loci di-
„ ſtrictus noſtri, dilectis ſubditis noſtris idem
„ Dominus Arigus Poteſtas pro Communi
„ Mantuæ quemdam carceratum Benedictinum
„ de Vitali de Iſola, quem ceperat in ſconfiĉta
„ Veronenſium, abſtulit violenter, ac eumdem
„ tradidit cuſtodiendum in virtute Communis
„ Mantuæ pro eiſdem, ut ipſum Benedictinum
„ rehabere poſſent, aut viginti quinque Libras
„ Mantuanorum, ſicut fuerat pro ipſo Com-
„ muni Mantuæ ordinatum: de quibus omni-
„ bus nobis conſtat per publicum Inſtrumen-
„ tum. Et quia dicti ſubditi noſtri eumdem
„ carceratum, qui adhuc, ut ſicut aſſerunt, in
„ carcere Communis Mantuæ detinetur, habe-
„ re poſtmodum nequiverunt, nec quantitatem
„ pecuniæ memoratæ, quod deviat ab ordine
„ rationis, fraternam dilectionem veſtram cum
„ quanta poſſumus mentis affectione requiri-
„ mus, & rogamus, quatenus eiſdem ſubditis
„ noſtris prædictum carceratum ſuum exhibe-
„ re velitis, vel promiſſam quantitatem pecu-
„ niæ memoratæ, alioquin, quia eis juvare
„ non poſſumus, deficere non debemus, in-
„ demnitati ſuæ mediante juſtitia curabimus
„ providere.

Honorando Militi Domino B. de Canoſſa, commendabili Mantuæ Poteſtati, Laudriſius Crivellus Poteſtas Brixiæ, ſalutem, & continua proſperitatis augmenta.

„ NObilis vir Comes Johannes de Rothul-
„ diſco, in noſtra præſentia pluries con-
„ ſtitutus inſtanter petiit, ut Bernardinum de
„ Boneſiſio, quem carcere detinemus olim,
„ ut idem Comes aſſerit, a quibuſdam homi-
„ nibus ſuis captum, traderemus & conſigna-
„ remus eidem. Nos autem uſque nunc pe-
„ titioni ſuæ recuſavimus aſſentire, volentes
„ primitus illud facere vobis notum, ut, ſi
„ quid habetis in ipſo aut contra ipſum, pro-
„ ponere videatis. Hinc eſt, quod providen-
„ tiam veſtram requirimus denuntiantes præ-
„ ſentibus, quia quicquid in ipſo carcerato,
„ aut contra ipſum petendum duxeritis, pro-
„ ponere procuretis, alioquin ſicut videbitur
„ conveniens, ſecundùm juris ordinem in illo
„ negotio procedemus.

Nobili viro, ſapientia & omni circumſpectione decoro Domino B. de Canoſſa, Mantuæ laudabili Poteſtati, Laudriſius Crivellus Poteſtas Brixiæ, ſalutem votivorum ſucceſſuum copioſam.

„ SUper tractatu & ordinatione eorum, quæ
„ per utrumque Commune, ut loquamur
„ invicem non linguis variis ſed eiſdem, cum
„ vos & nos idem ſimus, erga conſpectum
„ ſummi Pontificis, qui Mediolani de die in
„ diem ſummo deſiderio exſpectatur ut hoſtes
„ opprimat, ſunt dicenda, aliàs vobis ſcripſiſ-
„ ſe recolimus, quod volebamus vobiſcum ce-
„ lebrare colloquium ſpeciale, nec vos fortaſ-
„ ſe oblivioni vel aliis curis dediti reſponſio-
„ nem inde facere curaviſtis. Quia verò quæ
„ tot & tanta poſſunt vobis & nobis parturire
„ commoda & incommoda etiam, quod abſit,
„ non deberent negligi imperfecta, iterato
„ ſolicitandos vos duximus & rogandos, qua-
„ tenus ſignificantes nobis diem & locum, ad
„ quem & quando volueritis, non ſpectando
„ a nobis proinde reſponſionem ulterius, con-
„ venire ad petitum per nos colloquium ſo-
„ ciati decenti Sapientium comitivâ greſſus ve-
„ ſtros, quanto poſſit eſſe, celerius dirigere
„ procuretis, ut ſuper præmiſſis & aliis utili-
„ bus hinc inde contingentibus, quæ dilatio-
„ nem ullam non recipiunt, quod melius fue-
„ rit, poſt examen diligens & deliberationem
„ ſolemnem Deo duce eligere valeamus. Nos
„ enim quandocumque ſcripſeritis, abſque ul-
„ lius tarditatis obice veniemus.

Nobili & potenti Militi, Domino B. de Canoſſa, Poteſtati, Conſilio, & Communi Mantuæ, fratribus cariſſimis intime peramandis, Aſſeſſores, & modò Vicarii Domini Laudriſii Crivelli Poteſtatis Brixiæ, ob ejus abſentiam, & Conſiliarii Civitatis ejuſdem, ſalutem, & zeli ſtudio intendere ſucurſui amicorum.

„ CUm hodie ſummo mane pulſatis ſignis „ ad equitandum pro Communi noſtro „ tam Militiæ quàm Populi univerſi Poteſtas „ Brixiæ equitaverit in nomine Salvatoris, ad „ partes Monzabani dirigens feliciter greſſus „ ſuos, ſumturus ex ipſo loco Monzabani, & „ tenentibus illum, de illatis nobis injuriis per „ eos debitam ultionem: ad quem locum poſt „ eumdem Poteſtatem progreditur totalitas „ gentis noſtræ; fraternam providentiam ve„ ſtram attente requirimus & rogamus, qua„ tenus omni occaſione & excuſatione ceſſante, „ ſicut libere noſtris Ambaxatoribus ſuper ſuc„ curſu ad hoc præſtando nobis ſpopondit ſin„ ceritas veſtra, ita feſtinis acceſſibus ad eum„ dem locum accedere procuretis, ut quàm „ celeriter opprimatur nequitia proditorum, „ & corruant exigentibus ſuis meritis, ſicut „ debent.

Immenſitate nobilitatis & providentiæ decorato Domino B. de Canoſſa Poteſtati Mantuæ, Laudriſius Crivellus Brixiæ Poteſtas, ſalutem proſperitatis cujuslibet opulentam.

„ PRo Nobili viro Alexandrino ſubdito no„ ſtro Comite, quem ad devotionem & „ obſequia noſtra ſummi Pontificis mandato „ recepimus, aliàs vobis ſcripſiſſe meminimus; „ & nunc iterato ſcribimus, affectuoſius de„ precantes, quatenus in quælibet jura ſua & „ honores reſtituentes, eumdem ipſum bonis „ propriis, quæ in veſtro territorio obtinet, „ ſeu genitor ejus hactenus obtinebat, uti pa„ cifice, & erogari ſibi proventus ejus libere „ permittatis. Sic quod idem ad preces no„ ſtras aſſecutum ſe gaudeat, quod intendit, „ noſque vobis arctius cum ſubditis noſtris in „ jure deficere non poſſimus, proinde ulterius „ ſcribere cogimur; quid autem duxeritis fa„ ciendum, nobis per latorem præſentium re„ ſcribatis.

Nobilitate & bonis moribus informato, Domino B. de Canoſſa, laudabili Poteſtati, & Communi Mantuæ, Laudriſius Crivellus Poteſtas, & Commune Brixiæ, ſalutem omni proſperitate fœcundam.

„ CUm Homines de Monzabano damna „ nobis intulerint graviora, quàm perfidi „ Cremonenſes, ad eorum deſtructionem in„ tendimus toto niſu. Ad quod vos, quos „ etiam ipſi offenſis gravibus tetigerunt, du„ ximus invitandos. Quocirca amicabili fra„ ternitati veſtræ preces porrigimus ſubjecti„ vas, quatenus trabuchos veſtros & machi„ nas conducentes, ac etiam habentes vobiſcum „ omnes baliſtarios & baliſtas ad locum *de la* „ *Volta*, cum totalitate gentis veſtræ, caſtra„ metatum ſine ullius moræ diſpendio veniatis, „ ut quo amplius invicem fuerimus viciniores, „ tanto magis, quæ incumbunt, negotia ve„ locius & melius exſequi valeamus. Populus „ enim noſter jam quaſi totus advenit, & om„ nes reſidui veniunt feſtinanter.

Magnifico & potenti viro, Domino R. excellenti Veronenſi Comiti, & honorabili ac ſtrenuo Militi, Domino B. de Canoſſa Poteſtati, Conſilio, totique Communitati Mantuæ, fratribus ferventiſſime diligendis, Aſſeſſores, & modò Vicarii Domini Laudriſii Crivelli Poteſtatis Brixiæ, & illi de Conſilio, qui Brixiæ remanſerunt, ſalutem, & de inimicis victoriam obtinere.

„ POteſtas noſter conditiones & actus ami„ corum & inimicorum Laude perſiſten„ tium, nobis per Literas annotavit, quarum „ tenorem dominationi veſtræ mittimus præ„ ſentibus Literis interclusum: ut cognita ejuſ„ dem negotii integra veritate vobis, ſicut „ meritò debetur, ex hoc accreſcat grande „ gaudium atque vigor. Sane cum ad manda„ tum Poteſtatis noſtræ, & pro utilitate ve„ ſtra & defenſione noſtri, & omnium ſubdi„ torum noſtrorum gentem noſtram paratam „ ſingulis neceſſariis habeamus, aliam, quæ „ nondum venire ad nos potuit, facientes Bri„ xiam feſtinare, ut hinc inde, ſicut quæſie„ rit conditio, viriliter ſuccurrere valeamus, „ fraternam providentiam veſtram duximus de„ poſcendam, quatinus ab inimicorum inſidiis „ vobis ſobrie præcaventes, & habentes ſpiri„ tum vigoris & fortitudinis contra eos, & „ non timentes de illatione damnorum, quia „ ſubitò ea in centuplum vindicatis dante Deo, „ nobis conditionem veſtram & inimicorum „ actus per ſingula veſtris Literis ferendis a „ latore præſentium remittatis.

Militi omni prudentia commendando, Domino B. de Canoſſa, Poteſtati Mantuæ, Laudriſius Crivellus Poteſtas Communis Brixiæ, ſalutem votivis ſucceſſibus copioſam.

„ SI pro Degueluvardo Notario de Paten„ golis, dilecto ſubdito noſtro, providen„ tiæ veſtræ multiplicatas Literas deſtinavi„ mus, non eſt mirum, quia ultra gravedinem „ illatam in perſonam, ejus equus, ſuper quem „ erat, per quoſdam prædones in diſtrictu ve„ ſtro fuit eidem indebite deprædatus; quem „ equum in Civitate veſtra pænes quemdam „ Concivem veſtrum, nomine Albertum de „ Recuperato, idem ſubditus noſter poſtmo„ dum adinvenit. De quo equo cognitione „ ſummaria ſuper hoc habita, petebat ſibi fieri „ rationem abſque porrectione libelli, & aliis „ induciis ad hoc datis. Et ſuper hoc negotio „ dilectioni veſtræ direximus ſæpius ſcripta „ noſtra. Iterato quidem quia nobis præbui„ ſtis materiam proponendi, ſinceritatem ve„ ſtram attente requirimus & rogamus, qua„ tinus eidem ſubdito noſtro, ſicut præſcri„ ptum eſt, occaſione dicti equi, quem apud „ dictum Albertum invenit, ſine porrectione „ libelli, vel aliis dilationibus ad hoc habitis, „ reddatis integram rationem, ſicut pro Com„ muni Brixiæ jam fuit in ſimilibus veſtris Ci„ vibus obſervatum. Alioquin, ſicut ex vi „ Statuti noſtri tenemur, eidem ſubdito noſtro „ ſuper bonis veſtrorum Civium curabimus uſ„ que ad ſatisfactionem integram providere.

Militi

Militi eximio, nobilitate & circumſpectione præſigni, Domino B. de Canoſſa, Mantuæ laudabili Poteſtati, Laudriſius Crivellus Poteſtas, ſalutem omni proſperitate fœcundam.

„ SI in Mercatorum veſtrorum, qui, de quo dolemus non modicum, per hoſtes in noſtro territorio ſunt prædati, favorem & ſuffragium ſcribitis, nobis placet; ſed de ultima clauſula, quod niſi indemnitati conſulatur, eorum regreſſum ſibi ad ſuam ſatisfactionem dabitis in noſtrates, aſperum nobis eſt, & nunc mirari cogimur & moveri: quia non eſt aliquis ſanæ mentis, qui ad reſtitutionem nos, ſeu ſubditos noſtros teneri aſſeret, vel alleget. Nam trecenti numero vel circa equites, quos Ambaxatores Cremonenſium ab eorum Civitate Veronam eundo novimus comitari, in Mercatores veſtros, & non ſolùm in veſtros, ſed in noſtros, prout eſt notorium, inſultarunt, & vobis & nobis injuriam irrogarunt. Sed non fuit noſtri vel noſtrorum deſiderio ſive culpâ, cum non ſit gens in ipſis partibus, quæ eis obſiſtere potuiſſet; immo ſicut Lege cavetur, vis major, cui reſiſti non poteſt, ut plene dignoſcitis, intervenit. Quæſumus igitur, ut a prædictis omnino deſiſtere debeatis cum non teneamur nec poſſimus Mercatores veſtros ſeu alios per noſtrum territorium tranſeuntes ab hoſtibus defenſare, quia privilegio gauderemini, quo caremus. Ex hoc enim oriretur ſcintilla, quæ procul dubio adureret totam domum.

Strenuo & potenti Militi, Domino B. de Canoſſa, laudabili Poteſtati Mantuæ, Laudriſius Crivellus Poteſtas Brixiæ, ſalutem omni jucunditate repletam.

„ PRovidentiam veſtram volumus non latere, quod heſterna die Aquamnigram venimus cum militia Brixienſi, & qui venire nequiverunt, ad vos hodie properant, & feſtinant. Populus autem noſter faciens ad bellum omnem neceſſarium apparatum, tam onerando plauſtra, quàm faciendo ſingulos alios apparatus, quandocumque vocatus fuerit, ad vos veniet feſtinanter. Cupientes itaque ſuper incumbentibus nobis vobiſcum colloquium celebrare, mandamus ſummo mane ad locum Moſſii veniatis, ubi eâdem horâ eſſe diſpoſuimus, dante Deo, ad ea tractanda & ordinanda, quæ honori & utilitati . . . . . . inimicorum ruinæ & detrimento debeant redundare.

Honorando Militi, Domino B. de Canoſſa Poteſtati, Conſilio, & Communi Mantuæ, fratribus intima ſinceritate colendis, Laudriſius Crivellus Poteſtas, Conſilium & Commune Brixiæ, gaudiorum affluentiam & ſalutem.

„ EX generali Conſilio Brixiæ ſuper hoc facto die Lunæ XV. intrante Majo extitit ordinatum, ut fraternæ amicitiæ veſtræ

A „ ad ea, quæ nobis Manadorus Nuntius veſter vice veſtri reſpondit, occaſione ſuccurſus militiæ placent, debeamus reſcribere in hunc modum, videlicet, ut cum nequam Cremonenſes ad propria ſint reverſi, & neſciatur ſi velint contra aliquos dirigere hoſtiliter ſuos, quod promti & parati, ſicut convenit, exiſtatis, ut ſi contingeret, eos in partem aliquam prædictis occaſionibus proficiſci, quod ad depopulationem ſui territorii & ruinam ipſorum nobiſcum feſtine & viriliter intendatis. Nos enim in idem propoſitum exiſtentes, ad ſingula ad hæc neceſſaria nos paramus. Mediolanenſes itaque, qui videntur ex illatione injuriarum B fratrum noſtrorum Militum Placentinorum prænimium condolere, diſpoſuerunt, ſi opus erit, contra Cremonam dirigere iter ſuum tam cum exercitu generali, quàm cum decenti quantitate militiæ, quandocumque inde fuerint requiſiti, ſicut nobis direxerunt per publica Inſtrumenta.

Honorabili & potenti Militi, omni providentia multipliciter commendando, Domino B. de Canoſſa Poteſtati, Conſilio, & Communi Mantuæ, Laudriſius Crivellus Poteſtas Brixiæ, ſalutem cum plenitudine gaudiorum.

C „ PRo Nobili viro Comite Alexandrino de Comitibus Marchariæ Concive noſtro, quem dudum in carcere noſtro tenuimus captivatum, ſicut ipſius merita requirebant, licèt ipſum laxandum duxerimus ad petitionem ſummi Pontificis, & venerabilis Patris . . . . . Epiſcopi Albanenſis, & Domini G. (f) Leg. remiſſionem ſibi de illatâ nobis injuriâ, prædictorum gratiâ, faciendo, fraternam dilectionem veſtram attente requirimus & rogamus, preces precibus cumulando, quatinus noſtris precibus & amore eumdem permittentes bona ſua, quæ habet in Mantua & diſtrictu Mantuæ, pacifice poſſidere, eidem de ipſis bonis, tamquam noſtro D fideli ſubdito reddatis plenariam & integram rationem, ut exinde in gratiarum actiones vobis aſſurgere meritò teneatur.

Militi Nobili & potenti, Domino B. de Canoſſa Poteſtati, Conſilio & Communi Mantuæ, fratribus admodum diligendis, Laudriſius Crivellus Poteſtas Brixiæ, gaudiorum affluentiam & ſalutem.

„ ITa ſæpe providentiæ veſtræ expoſuimus per Literas noſtras negotium Degelguardi Notarii de Patengolis, noſtri ſubditi & fidelis, quod non credimus opportunum, E ſeriatim id negotium replicare: ſed ad petitionem devenire, quam facere intendimus per præſentes. Ideoque fraternæ ſinceritati veſtræ hoc ultimo loco preces porrigimus copioſas, quatenus æquitatis & dilectionis ſemitam amplectentes eidem Degelguardo, vel ſuo Nuntio præſentes Literis exhibenti, de equo ſibi ablato in diſtrictu veſtro, quem habet Albertus de Recuperato ſubditus veſter. cognito ſummarie abſque porrectione libelli, vel aliis indiciis adhibitis negotio memorato, quod ille equus ſuus eſt & erat,

„ red-

(f) *Gregorii Legati*,

„ reddatis integram plenitudinem rationis, „ alioquin eidem ſubdito noſtro de bonis Civium veſtrorum uſque ad condignam ſatisfactionem curabimus providere, vobis ſuper „ his ulterius non citatis.

Strenuo & potenti Militi, Domino B. de Canoſſa Poteſtati, Conſilio & Communi Mantuæ, fratribus intima ſinceritate colendis, Laudriſius Crivellus Poteſtas, Conſilium & Commune Brixiæ, ſalutem cunctis felicibus affluentem.

„ CUpientes, quod in concambium captivorum, quos habemus, vobis pertinentium, & quos detinetis, ſpectantium nobis, ſicut ſcripſiſtis, morâ & occaſione quibuslibet abremotis denuo procedatur, „ mandamus, ut remoto juſto Dei impedimento captivos, quos habemus, pertinentes „ vobis, ad locum Guthizoli, vel Sulfrini „ conduci * die Veneris proximo conduci faciemus, parati procedere in concambium faciendum. Providentiam itaque veſtram attente requirimus & rogamus, preces precibus cumulando, ut captivos, qui ſunt pænes vos, pertinentes nobis ad locum Capri- „ næ ad eumdem terminum conducatis, ne „ veſtri occaſione præſtetur impedimentum negotio memorato. In negotio autem captivorum, de quibus eſt contentio inter nos, „ optamus ſubito procedere juxta veſtræ arbitrium voluntatis.

Summæ nobilitatis & providentiæ viro, Domino B. de Canoſſa, Mantuæ laudabili Poteſtati, Laudriſius Crivellus Brixienſis Poteſtas, ſalutem felicibus opulentam.

„ SIcut oblatæ nobis ex parte veſtra Literæ „ continebant, Girardinum de Brancamucio bannitum veſtrum (& ſi veſtrum, „ ergo noſtrum) qui captus pro noſtratis Moſii tenebatur, juſſimus Brixiam ad vos conduci ſub fida cuſtodia & ducatu, quo per „ vos habito, in hoc, ſicut congruerit, voluntate Sapientum, qui nobis conſulunt, ſatisfacere curabimus voto noſtro.

Eximiâ nobilitate pollenti, Domino B. de Canoſſa, Mantuæ Poteſtati, Laudriſius Crivellus, Brixiæ Poteſtas, ſalutem omni proſperitate fœcundam.

„ OBlatis ſuper facto Venturini de Lena „ banniti noſtri, quem veſtrum aſſeritis „ eſſe Civem, nobis ex parte veſtra Literis ſic „ breviter reſpondemus: quod inſpecto & ſervato rigore juris, quidquid in hoc poterimus, faciemus ad preces veſtras, exiſtendo „ proni in abſolvendo eum potiùs quàm gravando. Ita quod ſi comparuerit aliquis coram nobis ad ipſius municulum & juvamen, „ non obturabimus ſibi in aliquibus aures noſtras, ſed ei erimus in omni eo, quod poterimus, mediante juſtitia, veſtri amore & „ gratiâ favoroſi.

Provido & potenti Militi, Domino B. de Canoſſa Poteſtati, Conſilio & Communi Mantuæ, fratribus intima ſinceritate dilectis, Laudriſius Crivellus Poteſtas, Conſilium, & Commune Brixiæ, ſalutem, & juſtis amicorum petitionibus non deeſſe.

„ PRo Degelguardo Notario de Patengolis, „ dilecto ſubdito noſtro, ultra id, quod „ perſonaliter in Civitate Brixiæ ipſius negotium vobis Poteſtati duximus exponendum, „ ſæpe immo ſæpius direximus ſcripta noſtra: „ vos omni affectione rogantes, ut eidem „ quemdam ſuum equum, quem eidem Mantuam veniendo quidam de Monzabano in „ Strata publica diſtrictus veſtri, violenter & „ indebite abſtulerunt, ipſum in capite (quod „ fuit durius) graviter vulnerando; de quibus „ prædonibus, quorum unus in virtute Communis Mantuæ detentus exiſtit, & alius ibidem de parendo juri præſtitit cautionem, „ nullam potuit conſequi rationem: & quem „ equum quidam præſentialiter poſſidet Mantuanus, eidem reſtitui facere deberetis abſque porrectione libelli, vel aliis indiciis ad „ hoc datis, dummodo, ſi placet, cognoſcatis, ipſum equum, quem habet Dominus „ Albertus de Recuperato, fuiſſe ſubditi noſtri ſuperius memorati, ſicut jam in ſimili „ cauſa fuit pro Communi Brixiæ veſtris ſubditis obſervatum, & hodie idem fieret, ſi „ caſus ſe offerret ad ſimile per nos ipſos. „ Alioquin cum nos tœdeat (nec eſt mirum) „ tot vicibus ſcribere pro tam vili negotio atque cauſa, indemnitati ſubditi noſtri in „ quantitate rerum ablatarum cum expenſis de „ bonis veſtrorum Civium curabimus abſque „ tarditate aliqua providere, vobis ulterius „ non citatis.

Potenti Militi, omni providentia commendando, Domino B. de Canoſſa, honorabili Poteſtati Mantuæ, Laudriſius Crivellus Brixiæ Poteſtas, quæ ſibi felicia cum ſalute.

„ SUper iis, quæ tractavimus apud Moſium „ ſuper motu exercitus utriuſque, cum „ fuimus Aquænigræ, celebravimus Conſilium „ generale. Et placuit univerſo Conſilio, cujus ordinationem ex forma noſtri Statuti „ obſervare tenemur, quod ſuper ipſo negotio „ uſque in craſtinum procedere differamus. „ Quocirca providentiam & fraternam dilectionem veſtram attente requirimus, quatinus non moleſte feratis uſque ad eumdem „ terminum exſpectare, quia cras ante Tertiam ſuper motu exercitus vobis votum noſtri deſiderii reſcribemus, & tunc ſolicite „ poteritis intendere ad agenda. Motu autem „ facto prædicto modo parati eſtote, ſicut pro „ vobis erimus, ſi neceſſe contra hoſtes nobis.

Viris nobilibus, amicis ſpecialibus, Domino B. de Canoſſa, Poteſtati Mantuæ, & Domino R. illuſtri Comiti Veronenſi, Lau. Crivellus Brixienſium Poteſtas ſalutem, & a doloſis tractatibus ſibi ſolicite præcavere.

„ SUſcepit nunc a quodam fide digno, cui, „ ut aſſeritur, eſt negotium manifeſtum, „ auris

„ auris noſtra relatum , quod Uxor quondam
„ Conradi Cavalcabovis , ad tractatum & ſe-
„ ductionem Boſonis de Dovaria , Caſtrum
„ dictum Monzeſaurum dare ſatagit arte pro-
„ ditoria Cremonenſibus , veſtris & noſtris
„ perfidis inimicis. Quocirca quæſumus , qua-
„ tinus prædicto tractatui , ut convenit, citiſ-
„ ſime obviantes , ſic in hoc velitis habere
„ cautelam , quod nil inde , dante Deo , &
„ veſtra ſolicitudine , vobis accidere valeat in
„ adverſum .

Honorabili & potenti Militi , Domino B. de Canoſſa Poteſtati , & Conſilio ſecretorum Mantuæ , Laudriſius Crivellus , & Conſilium Brixiæ , ſalutem , & ad agenda ſobrie providere .

„ CRedimus , & utile communiter nobis
„ erit , ſi factâ prius diligenti examina-
„ tione per utrumque Commune ſuper iis ,
„ quæ agenda incumbunt circa ea , quæ vi-
„ dentur per Dominum Papam apud Januam
„ ordinata in negotiis Lombardorum , de ve-
„ ſtris & noſtratibus Sapientibus invicem con-
„ veniant in competenti loco : qui provideant
„ & ordinent quæ in iis, & circa negotia ipſa
„ fuerint providenda ; ut ſicut ſumus idem ,
„ eadem vox & ſententia pro vobis & nobis
„ in prædictis debeat promulgari . Et quia ,
„ ſicut intelleximus , ſummus Pontifex ad iter
„ feſtinat Mediolanum dirigens greſſus ſuos ,
„ non eſt in ipſo negotio differendum . Unde
„ precamur, quod ſuper ipſo negotio per Nun-
„ tium veſtrum nobis quamcitius debeatis in-
„ tentionis veſtræ propoſitum aperire per Li-
„ teras , quas reducat .

Potenti Militi , omni providentiâ commendando, Domino B. de Canoſſa, honorabili Poteſtati Mantuæ , Lau. Crivellus Brixiæ Poteſtas , quæ ſibi felicia cum ſalute .

„ SUper iis , quæ tractavimus apud Moſium
„ ſuper motu exercitus utriuſque , cum
„ fuimus Aquænigræ, celebravimus Conſilium
„ generale . Et in reformatione Conſilii , fa-
„ ctis partitis per Poteſtatem , placuit majori
„ parti Conſilii dictum & conſilium Pacis Bu-
„ chæ in hac forma , videlicet : quod præſens
„ Conſilium firmetur , quod Pax & concordia
„ fieri debeat inter *Commune Brixiæ* , & *Com-*
„ *mune Pergami* , ad honorem ſanctæ Roma-
„ næ Eccleſiæ , & Communis Brixienſis , &
„ omnium amicorum Communis Brixiæ , &
„ fidelium Eccleſiæ : & interim Treuga fieri
„ debeat inter dicta Communia , ſicut conſu-
„ luit Frater de Lavellolongo Co. , quod fiat
„ reſponſio Ambaxatoribus Communis Perga-
„ mi de Treuga facienda & firmanda inter
„ Commune Brixiæ , & Commune Pergami
„ uſque ad decem dies , poſt reditum collo-
„ quii ordinandi per Dominum Papam .

Famæ laudabilis , & potentiæ multæ viro , Domino R. Comiti Veronenſi M. Marii Poteſtas & Conſilium Parmenſe ſalutem, & quidquid poſſunt .

„ INter ceteros noſtros Dominos hujus Mun-
„ di veſtrum ſubſidium & auxilium utile

A „ nobis & neceſſarium multipliciter cognoſcen-
„ tes tamquam eidem , quem reputavimus pa-
„ trem magnificum vitæ noſtræ , præſentem
„ vobis duximus paginam neceſſario deſtinan-
„ dam . Ad veſtram namque perveniſſe noti-
„ tiam potuit per alias noſtras literas & per
„ famam , qualiter *Ubertus Pelavicinus* , &
„ perfidi Cremonenſes Caſtrum Berſilli noviter
„ occuparunt. Cum itaque apud idem Caſtrum
„ & Portiolum cum ſuo exercitu exiſtentes ,
„ per eorum amicos miſerint requirendo , ut
„ ad eos potentialiter veniant abſque mora, ut
„ inter Parmam & Colurnium ponere valeant
„ ſua caſtra , cognoſcentes , quod ſolum per
„ nos & quidem occurſare non poſſumus, nec
B „ Civitatem & Colornium defenſare : domina-
„ tioni veſtræ duximus inſtantiſſime ſupplican-
„ dum, ut ſicut cara eſt vita noſtra, & patriæ
„ defenſio noſtræ vobis , ſic ad inducendos
„ Commune & Homines Mantuanos cum ve-
„ ſtra potentia in læſionem terrarum Cremo-
„ nenſium prædictorum , ſublatâ morâ quali-
„ bet , dignemini interponere , ut expedit ,
„ poſſe veſtrum, quod ab excogitato propoſito
„ in eorum exterminium revocetur . Intuitu
„ Dei nobis celeriter ſuccurratis , tollentes
„ penitus omnes moras : quia ſi amitteretur
„ Colurnium , quod eſt cor noſtri corporis ,
„ & lumen oculorum noſtrorum , profecto de
„ Civitate non amplius curaremus .

C

Nobilibus viris , Domino B. de Canoſſa , Poteſtati , Conſilio & Communi M. Marii Poteſtas , Conſilium & Commune Parmæ , ſalutem , & quidquid poſſunt .

„ QUod Cremonenſes Caſtrum de Breſillo
„ ceperint , tam per famam publicam ,
„ quàm per alias noſtras Literas vos credimus
„ audiviſſe . Cùm autem ſuper tanta nobis læ-
„ ſione illata velint exiſtere non contenti , re-
„ putantes nos ab amicis omnibus deſtitutos ,
„ convocatis undique amicis eorum , ut apud
D „ Portiolum & Breſillum veniant abſque mo-
„ ra , volentes inter Parmam & Colurnium
„ cum ipſorum exercitu ponere caſtra ſua; nec
„ nos eiſdem per nos ipſos occurſare poſſu-
„ mus , de Civitate magnifice dubitantes , ve-
„ ſtrum cogimur auxilium , de quibus plene ,
„ plenius, & pleniſſime confidimus, implorare.
„ Quocirca dominationi veſtræ duximus devo-
„ tiſſime ſupplicandum , quatinus pro Deo &
„ honore veſtro , veſtræque dilectionis intuitu
„ nobis auxiliari dignemini tam celeriter, quàm
„ potenter, ad læſionem Epiſcopatus dictorum
„ Cremonenſium , ferro , igne , & modis qui-
„ buslibet intendentes , ut ex his , quæ nobis
„ inferunt , ſentiant triſtem vicem , & ab eo-
E „ rum propoſito veſtra procurante potentia in
„ eorum exterminium revocetur . Quod ſi ,
„ quod abſit , contingeret ipſum Ubertum Pe-
„ lavicinum , cujus ſagacitas & nequitia non
„ quieſcit , & Cremonenſes perfidos de Colur-
„ nio perficere , quod minantur , quid poſſet
„ amplius noſtra Civitas veſtrâ providentiâ ma-
„ nifeſtiſſime intueri ?

Nobilibus

A

Nobilibus & egregiis amicis cariſſimis, Comiti Veronenſi . . . . & Poteſtati, ac Conſilio ſecretorum Mantuæ, Gregorius de Montelongo, Dei & Apoſtolica gratia Tripolitanus Electus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, ſalutem, & feliciter proſperari.

,, DUm diligenter attendimus gravitatem
,, negotii, quod incumbit, dum revol-
,, vimus in armario cordis noſtri, penſantes
,, ſolicite quod eſt circa illud ſalus multi con-
,, ſilii, & diſcretionis magnæ providentia,
,, compellit nos dolor nimius ex infirmitate,
,, quæ nos adeo valde gravat, quod proceſſus
B ,, noſtros juxta votum noſtri cordis damnabili-
,, ter impedit. Sed conturbat nos durius in-
,, gens materia, & occaſio turpis, dum Am-
,, baxatores veſtri, quorum prudentia & ſoli-
,, citudo ſpeculum & via ſalutis ac rectitudinis
,, extiterunt, nondum eodem diſcuſſo negotio,
,, quod nedum Ambaxatorum ipſorum, verùm
,, etiam plurium & majorum præſentiam neceſ-
,, ſario expetit, diſcedere ſatagunt, noſtris in
,, hac parte, cum retinere velimus eodem,
,, non acquieſcentes mandatis & monitis, in
,, omnem deſtructionem prædicti negotii &
,, ruinam. Verùm cum nec reſponſio facienda
,, Communi Mediolani adhuc propter infirmita-
,, tem, quæ nos . . . . & prudentia Bri-
C ,, xienſium examinari potuerit, & major pars
,, Ambaxatorum Pergami adhuc Brixiæ ſint,
,, alios, qui pro tractatu redierunt, jugiter ex-
,, ſpectantes: propter quod omnino decet, &
,, modis omnibus expedit, ut & vos per Am-
,, baxatores veſtros interſitis ibidem, ubi &
,, utilius eſſet, ſi rerum & temporis qualitas
,, pateretur, vos etiam perſonaliter intereſſe,
,, prudentiam veſtram, quanto poſſumus, ob-
,, nixius excitamus, quatenus ſicut umquam
,, matris Eccleſiæ fidelium Lombardiæ ſtatum
,, & gloriam affectuoſo affectatis affectu, ſicut
,, etiam veſtra cupitis incommoda evitare,
,, duos Ambaxatores providos & diſcretos ſine
,, mora qualibet tranſmittatis, vel quod libe-
D ,, rius & ſalubrius credimus, dictis Ambaxa-
,, toribus veſtris, qui Brixiæ ſunt, & in nego-
,, tii conditionibus ſunt edocti, diſtricte man-
,, detis, ut abſque taxatione, vel præciſione
,, dierum, & terminum, & moram apud nos
,, in Brixia protrahant, quam & quantam ne-
,, ceſſitas, & negotii qualitas exigit, & re-
,, quirit.

Nobili & prudenti viro, Poteſtati & Conſiliariis ſecretorum Mantuæ, G. de Montelongo, Dei & Apoſtolica gratia Tripolitanus Electus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, ſalutem, & feliciter proſperari.

E

,, SCire vos cupimus per præſentes, quod
,, Ambaxatores Brixiæ die Jovis de Civi-
,, tate Pergamum redierunt, ubi cum ingenti
,, lætitia & honore fuere recepti. Referunt
,, autem, quod hodie Veneris inſtanti Amba-
,, xatores Pergami erunt Brixiæ pro reſponſio-
,, ne facienda, & pacis procurando tractatu.
,, Propter quod videtur nobis omnino, ſi vi-
,, detur & vobis, ut receptis præſentibus, ſal-
,, tem duos Ambaxatores pro Communi veſtro
,, Brixiam deſtinetis, qui tractatibus hujuſmo-
,, di debeant intereſſe.

Nobili & prudenti viro . . . . Poteſtati, & Communi Mantuæ, G. de Montelongo, Dei & Apoſtolica gratia Tripolitanus Electus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, ſalutem, & proſperitatis augmentum.

,, DEbitâ mentis affectione receptis Literis
,, veſtris, prout Furnovum, ubi pro im-
,, minentibus commodis cum militia & Populo
,, Parmenſium aderamus, ſtatim omiſſis omni-
,, bus, quantumcumque arduis, Literas ve-
,, ſtras, & Ambaxatores providos pro parte
,, noſtra & Communis Parmenſis ad Nobilem
,, virum Poteſtatem & militiam Placentinorum
,, duximus cum omni feſtinantia dirigendos,
,, ad Civitatem Parmæ ſine mora poſtmodum
,, redeuntes. In ipſo quoque adventu noſtro
,, ecce per Conſilium generale firmatum eſt,
,, & ad id ſingulorum & univerſorum Civium
,, vota concurrunt, ut ad celeriter implenda
,, omnia, quæ miſiſtis, vitæ & opes ipſorum
,, omnimodis exponantur, firmato jam de fa-
,, ciendo ſine mora ſupra Vaſtallam una vobiſ-
,, cum Exercitu generali. Ecce autem Amba-
,, xatores ad tanti negotii proſecutionem ido-
,, neos, ad Reginos extrinſecos, necnon Mu-
,, tinam & Bononiam, propere deſtinamus.
,, Quid itaque per nos agendum fuerit, &
,, qualiter procedendum nobis per veſtras Li-
,, teras declaretis.

Nobili & prudenti viro . . . . Poteſtati & Conſiliariis Mantuæ, Gregorius de Montelongo, Dei & Apoſtolica gratia Tripolitanus Electus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, ſalutem, & feliciter proſperari.

,, ACcelerationem Exercitus ſupra Guaſtal-
,, lam modis omnibus per vos, & Par-
,, menſes fieri cupientes, ecce ad illum per
,, vos & Commune Parmæ fit ſubitus appara-
,, tus. Ut ergo tam veſtris, quàm noſtris,
,, & dictorum Parmenſium in hac parte deſi-
,, deriis ſatisfiat, prudentiam veſtram modis &
,, precibus omnibus, quibus poſſumus, exhor-
,, tamur, quatinus diem & horam, quibus
,, Pons veſter figi ſuper Taliatam, & totaliter
,, ibi compleri debeat, ita quod ex miſſione
,, veſtra vel noſtra nequeamus intentione frau-
,, dari, nobis per Inſtrumentum publicum de-
,, claretis. Nos enim die ac hora per vos no-
,, bis expreſſis, ſtatim Literis veſtris receptis,
,, apud Berſellum curabimus nos conferre pa-
,, rati continuo apud Guaſtallam vobis cum
,, manu exercitabiliter convenire. Adhuc ro-
,, gare non deſiſtimus, ut cum per vos liberius
,, quàm per nos ordinari poſſit dies noſtri ad-
,, ventus, ſic ad terminum quidquid ſcripſeri-
,, tis exprimatis, quod omnis ceſſet dilatio, &
,, cujuslibet deceptionis materia ſuſtollatur.
,, Hæc autem nihilominus vobis una cum No-
,, bili viro Poteſtate ac Secretariis Parmæ per
,, inſtrumentum publicum declaramus. Cete-
,, rum Viros nobiles & prudentes Girardum
,, de Corigio, & Albertum Galioti pro acce-
,, leratione negotiorum ad venerabilem Patrem
,, *Dominum Rizardum Cardinalem*, & Com-
,, mune Bononiæ, necnon Mutinæ, & ad Re-
,, ginos extrinſecos, Ambaxatores duximus di-
,, rigendos, ſubſequenter pro celeratione
,, majori quodam idoneo Notario deſtinato.

Nobilibus

Nobilibus & egregiis viris, amicis cariſſimis ..... Comiti Veronenſi, & B. de Canoſſa Poteſtati, & Conſiliariis ſecretorum Mantuæ, Gregorius de Montelongo, Dei & Apoſtolicæ gratia Tripolitanus Electus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, ſalutem, & proſperitatis augmentum.

,, PRopter qualitatem negotiorum imminen-
,, tium, quæ valde ardua & difficilia ſunt,
,, & conſiliorum plu ..... ſaltem expoſcunt,
,, videtur vobis, & omnino conſulimus, ut
,, Ambaxatoribus veſtris Brixiæ morantibus
,, mandetis adhuc per Literas veſtras expreſ-
,, ſius, ut exinde non diſcedant, ſed quamdiu
,, qualitas inſtantium negotiorum exegerit, &
,, nobis videbitur, morentur ibidem. Ceterum
,, ut innoteſcat vobis quid die Dominico nu-
,, per elapſo fuerit per generale Brixienſe Con-
,, ſilium ordinatum, ecce quod reformationem
,, Conſilii mittimus vobis, præſentibus inter-
,, cluſam. Nos autem nil omittimus, ſed
,, ſtudiis laboramus ſolicitis, ut hæc in viam
,, ſalutis & rectitudinis dirigamus.

Octavianus miſeratione divina Sanctæ Mariæ in Vialata Diaconus Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, Nobilibus & prudentibus viris, amicis cariſſimis, Poteſtati, Conſilio, & Communi Mantuæ, ſalutem, & ſinceræ dilectionis affectum.

,, DOloris amaritudine ſauciati, continere
,, ſpiritum non valemus, quin licet inviti
,, contra vos in verborum amaritudines pro-
,, rumpamus, & quod ſi hujuſmodi doloris
,, aculeus veſtram, pro ut deberet, & ipſo-
,, rum animam pertranſit, veſtra magnanimi-
,, tas, per quam hoſtium olim deprimebatur
,, elatio, & amicorum vigebat audacia, pro-
,, culdubio adeo non torperet, ut pateremini
,, ſic inimicorum veſtrorum in amicorum op-
,, preſſionibus vires excreſcere, ac ſuperbiæ
,, ſpiritum roborari, quod patriæ veſtræ limi-
,, tes poſſent exinde impoſterum incurrere de-
,, trimenta, quæ tamdem incurrerent procul
,, dubio, ſicut credimus per indicia, quæ vi-
,, demus, niſi expergefacti vos & ipſi a corpo-
,, ris mole qua de negligentia notamini eorum
,, tam licentioſæ ſuperbiæ propulſationis obſta-
,, culum opponatis. Numquid vos & ipſos
,, pudere non debet, quod hoſtes veſtri, qui
,, olim immenſa quondam Fr. potentia per-
,, fruentes, virtutis veſtræ ſpiritui reſiſtere
,, vix valebant, poſt ejus obitum vobis com-
,, mune negotium negligentibus adeo ſunt ela-
,, ti, quod cœlum eis tangere digito videa-
,, tur, dum depulſione Militum, & plurium
,, ſublimium Popularium de Civitate Placen
,, tiæ, per callidæ machinationis aſtutiam pro-
,, curatâ, eamdem obtinent Civitatem, quæ
,, murus fortitudinis pro domo Domini hacte-
,, nus exiſtebat? & in bonis eorum licentius
,, debacchantes, loca, in quibus circa Civitatem
,, ipſam dicti Milites receptacula elegerunt,
,, incendiis & inſultibus belliciis afficere non
,, deſiſtunt? quorum licet non parvus ſit nu-
,, merus, ſed magnus ſatis & ſtrenuus, & vir-
,, tutis fortitudine roboratus ad reſiſtendum,
,, quin potius deprimendum ſuperbiam perſi-
,, dorum, attenuati tames divitiis, quas in-

A ,, teriores obtinent Placentini, perſequutorum
,, injurias propulſare nequeunt, ut affectant,
,, quos non ſolùm propullare ſed ſuperare poſ-
,, ſent de facili, ſi eis facultates ſuppeterent,
,, & amicorum ſuffragio fulcirentur? Ut igi-
,, tur notam negligentiæ, quæ vobis ignomi-
,, nioſe inuritur, evitetis, eâ penitus profliga-
,, tâ, contra hoſtes veſtros virtutis animum
,, induatis, ac eorum injurias injuriis propul-
,, ſantes, in dictorum militum & peditum ſub-
,, ſidium viriliter aſſurgatis, & Terram inva-
,, datis abſque tarditate aliqua Cremonenſium
,, eorundem, ut veſtris injuriis laceſſiti aver-
,, tantur ab infeſtatione Militum & Popula-
,, rium prædictorum, & iidem Milites in Pla-
B ,, centinorum interiorum poſſint injuriis & mo-
,, leſtiis reſpirare. Qui ſi deficerent, adver-
,, tatis, quantum poſſet derogari veſtro nomi-
,, ni & honori, quantumve decreſcere parti
,, Eccleſiæ atque veſtræ, maxime cum in Ca-
,, ſtro Rivalgarii ducenti quinquaginta milites
,, ſint obſeſſi, de quorum amiſſione, niſi ſuc-
,, curratur eiſdem celeriter, plurimum dubita-
,, tur. Et quidquid ſuper hoc duxeritis facien-
,, dum, nobis veſtris Literis celeriter intimetis.

Octavianus miſeratione divina Sanctæ Mariæ in Vialata Diaconus Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, Nobili Viro B. de Canoſſa Poteſtati, ac univerſo Conſilio Mantuanorum, ſalutem in Domino.

C

,, CUm gratiarum actionibus accepimus Li-
,, teras, quas miſiſtis, quod vos de Conſilio
,, Sapientum Mantuanorum, Mediolanenſium,
,, & Brixienſium per ſolemnes Ambaxatores
,, veſtros & providos ſuper feſtino Parmenſi-
,, bus ſubſidio conferendo requirere ſolicite
,, curaviſtis, & quod ad illud idem ſubſidium
,, inſtantius vos paratis. Cum autem Cremo-
,, nenſes, Dei & Eccleſiæ inimici, jam exive-
,, rint contra Parmam & die Mercurii ultimo
,, Maji caſtramentati fuerint juxta Tarum, &
,, de Civitate ipſa non modicum dubitetur,
D ,, univerſitatem veſtram omni, qua poſſumus,
,, affectione rogamus, vobis, qua fungimur,
,, auctoritate mandantes, quatenus dictos Me-
,, diolanenſes & Brixienſes ad dictum ſubſi-
,, dium inſtantius requirentes exire contra Cre-
,, monenſes, una cum ipſis, & etiam ſine
,, ipſis viriliter & potenter omni dilatione poſt-
,, poſita feſtinetis, ut per veſtrum & ipſorum
,, ſubſidium dicta Civitas ab oppreſſione dicto-
,, rum hoſtium valeat liberari. Et quia prop-
,, ter conditiones periculoſiſſimas, quibus ea-
,, dem Civitas agitatur, ſit ibidem cuſtodia
,, nimium opportuna, talliam militum vobis
,, impoſitam, ſine tarditatis obice tranſmitta-
,, tis, ne pro defectu cuſtodiæ prædicta Civi-
E ,, tas periculum patiatur.

Octavianus miſeratione divina Sanctæ Mariæ in Vialata Diaconus Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, Nobilibus & prudentibus viris Poteſtati & Conſilio Mantuanorum, ſalutem in Domino.

,, VErecundiæ propter vos rubore confuſi,
,, ſilere non poſſumus, quin loquamur,
,, dum Eccleſiæ, ac veſtros inimicos vobis dor-
,, mientibus conſpicimus ſic elatos, quod pſal-
,, lentes prorumpunt in jubilum, dicentes:

„ *Non eſt nobis obſtaculum , quin licenter poſ-*
„ *ſimus inimicorum noſtrorum ſanguine debria-*
„ *ri . Eamus igitur , & auferamus ipſos de*
„ *medio , ne reſurgant aliquando , & proceſſi-*
„ *bus noſtris obicem difficultatis opponant* . Pro
„ certo habemus , & vobis eſſe non debet in-
„ cognitum , quod Obertus Pelavicinus & Cre-
„ monenſes , quorum nos livor æmulari non
„ deſiit , ad tollendum Parmenſes de medio ,
„ & Placentinorum militiam multimodis ſata-
„ gentes ad oppreſſionem eorum omnimodam
„ properant , victualibus & aliis neceſſariis ,
„ necnon & Carrocio , quam in veſtram igno-
„ miniam contra eos decreverunt ducere , jam
„ paratis , credentes poſt obtentum eorum
„ contra alios veſtros amicos inſurgere , ac
„ ſuas fimbrias latius ampliare . Numquid
„ itaque non piget vos tam atrocium perſecu-
„ torum diſſimulare licentiam , & injurias to-
„ lerare ? qui ſi ſubactis Parmenſibus & dicta
„ militia in vos invalere poterunt , ſuæ perſe-
„ quutionis ſtimulis uſque ad patrios limites
„ pungere non deſiſtent . Expergiſcimini igi-
„ tur qui dormitis , & corpore ſomnolentiæ
„ profligato , contra hoſtes veſtros , & amico-
„ rum veſtrorum , per quos veſtri vigoris au-
„ dacia viguit hactenus , & non ſolùm tuitio-
„ nis ſed ſuperationis vobis robur extitit , aſ-
„ ſurgatis , ut amicorum veſtrorum viribus
„ ideo mediante ſubſidio reſtauratis debilitetur
„ & deprimatur inimicorum veſtrorum hoſti-
„ litas , & virtus veſtræ fortitudinis augmen-
„ tetur . Proinde Parmenſis Civitatis in peri-
„ culo veſtrum & amicorum veſtrorum peri-
„ culum imminens attendentes , feſtinum &
„ opportunum ei , immo vobis ſubſidium por-
„ rigentes , talliam illuc militum pro illius Ci-
„ vitatis cuſtodia ſine tarditatis obice tranſmit-
„ tatis , ac parati eſtote , contra Cremonenſes
„ univerſaliter progredi , ſi ipſi contra Par-
„ menſes & Placentinos , milites , prout diſ-
„ poſuerunt , procedere attentarint : immo ex
„ nunc vexare incipiatis eoſdem , ut veſtris
„ vexationibus laceſſiti , a Parmenſium & Pla-
„ centinorum injuriis avertantur .

Viris Nobilibus , amicis , & fratribus prædilectis , Poteſtati & Communi Mantuæ , Aſſeſſores & Vicarii , Domini Girardi Rangoni Poteſtatis Mediolanenſium , & Conſilium Seniorum , qui remanſerunt domi , pro univerſo Communi Civitatis ipſius , ſalutem , & fratribus in ipſius neceſſitatis articulo velox & efficax ſubſidium exhibere .

„ NEgotium imminens talis conditionis exi-
„ ſtit , quod non eſt verbis ſed factis
„ celeribus inſiſtendum . Et ideo ſummam
„ ipſius fraternitati veſtræ ſub compendio de-
„ notamus . Ecce cum tractatus pacis inter
„ nos & Laudenſes nimium protractus fuiſſet
„ in longum , & plus Laudæ pependiſſet , quod
„ Marchio Lancea miſiſſet , ut Civitatem ip-
„ ſam latenter traderet in manus Pelavicini &
„ Cremonenſium perfidorum , Miles egregius
„ Suge de Veſtarino & univerſus Populus Ci-
„ vitatis Laudæ die Martis in mane VIII. Au-
„ guſti , pacem juraverunt expreſſius , quæ
„ inter nos & ipſos fuerat diutius pertractata ,
„ & ſuas Communi noſtro Literas & Nuntios
„ direxerunt continuo , ut Civitatem adiremus
„ eamdem , ipſam in noſtra potentia recepturi.
„ Unde Poteſtas noſter cum toto Populo &
„ militia noſtra Civitatem ipſam adivit tam

A „ viriliter quàm potenter : & ingreſſi Civita-
„ tem & Circam Laudæ , detinent fortalitias
„ omnes Civitatis ipſius excepto Caſtro & mo-
„ dica parte Circhæ , ubi Pelavicinus & Lan-
„ cea cum infidis Cremonenſibus convenerunt.
„ Et ſic noſtri cotidie cum eis prœliantur , &
„ antequam diſcedant abinde , diffinita profere-
„ tur ſententia diutinæ quæſtionis . Eapropter
„ fraternitatem veſtram ex imo cordis atten-
„ tiſſime deprecamur , quatenus cum toto ve-
„ ſtro exfortio tam Populi quàm militiæ , Ter-
„ ras Cremonenſium velitis invadere , ſuccur-
„ ſum nobis feſtinum validum curſu celeri de-
„ ſtinantes , ut nos potentatus veſtri ſentientes
„ auxilium , prædictis Cremonenſibus , priuſ-
B „ quam a nobis ſe ſeparent , mercedem debi-
„ tam perſolvamus . Succurrite nobis amici .
„ Pro Deo ſuccurrite feſtinanter , ne propter
„ negligentiam tanta victoria differatur .

Egregio & potenti Militi Domino B. de Canoſſa honorabili Poteſtati Mantuæ , Jo. de Ripa Mediolanenſis Poteſtas ſalutem & continuam affluentiam gaudiorum .

„ A Nuda veritate ſumentes materiam , Epi-
„ ſtolam excuſationis non fictæ pro Com-
„ muni Mediolani veſtræ duximus providentiæ
„ deſtinandam , videlicet quod cum Mediola-
„ nenſes intendentes totaliter offenſioni rebel-
C „ lium Sanctæ matris Eccleſiæ , & ſuccurſui
„ Parmenſium , ac militiæ Placentinæ , genera-
„ lem præpararent exercitum , impedimentum
„ inevitabile ſupervenit , propter quod eorum
„ non valerent propoſitum cupito effectu man-
„ cipare . Nam Literas Domni Papæ recepi-
„ mus continenter , ut ad Curiam ſolemnes
„ Ambaxatores & Nuntios dirigamus inſtru-
„ ctos , ut expedit ad pacem , ſecundùm quod
„ Domno Papæ videbitur , ſubeundam . Præ-
„ terea ſæva inter Cumanos & civilis agitatur
„ diſcordia , per quam cædes & ruinæ non
„ modicæ committuntur ad invicem inter eos .
„ Propter quæ , & alia impedimenta , quæ no-
„ bis imminere videntur ad præſens , Exerci-
D „ tum diſtulimus uſque in reditum Ambaxato-
„ rum Mediolanenſium , qui vadunt ad Cu-
„ riam faciendum . Hæc circumſpectioni ve-
„ ſtræ præſentibus intimare curavimus , ut vi-
„ dere poſſitis , quid agendum præſentialiter
„ habeamus .

Multæ nobilitatis & induſtriæ Militi , Domino B. de Canoſſa , honorabili Poteſtati Mantuæ , Conſilio & Communi Civitatis ejuſdem , Vicarii Poteſtatis Mediolanenſium , ſalutem , & continuam affluentiam gaudiorum .

„ LIteras veſtras gaudio conſueto recepimus:
E „ continentia quarum nobis actus veſtros
„ laudabiles declaravit . Continebant enim Li-
„ teræ ipſæ , ut vidimus , quod vos damnifi-
„ cationi Terrarum Cremonenſium perfidorum
„ intenditis toto poſſe , de quo debetis a quo-
„ libet zelatore *Libertatis Italicæ* non imme-
„ ritò commendari . Quare duximus præſenti
„ paginâ reſpondendum , quod Carrocium no-
„ ſtrum extraximus , & univerſum Popolum
„ trium Portarum , & Militiam quinque Por-
„ tarum , ad deſtructionem Burgi de Carava-
„ gio deſtinamus , ut habitantes in eo tam-
„ quam proditores patriæ pœnis debitis oppri-
„ mantur . Præterea centum milites in ſuccur-
„ ſum

„ ſum Placentinæ militiæ ultra baliſtarios du-
„ centos , quos ei dudum tranſmiſimus , diri-
„ gentes , totam aliam gentem præparari faci-
„ mus & muniri , ut in adventu . . . . . Po-
„ teſtatis noſtri , quem ſcimus eſſe feſtinum , ,
„ offenſionibus hoſtium, amicorumque ſuccur-
„ ſui potenter & totaliter intendamus .

Viro multa nobilitate pollenti , Domino B. de Canoſſi honorabili Poteſtati Mantuæ , totique Civitatis ejuſdem Conſilio & Communi , Milites & Judices quondam bonæ memoriæ Domini Zanerici de Ripa olim Poteſtatis Mediolanenſium , Conſilium , & Commune Civitatis ipſius , ſalutem , & continuam affluentiam gaudiorum .

„ CUm viri Nobiles Bartholomæus Nuvo-
„ loni & Socii , Ambaxatores veſtri , ex
„ parte veſtra in noſtro Conſilio petiviſſent ,
„ ut provideremus indemnitati Petri Damiatis
„ nobilis Civis veſtri, quem dicebant , in Co-
„ mitatu noſtro fuiſſe rebus plurimis ſpoliatum,
„ placuit eidem Conſilio , quod inter nos &
„ vos eligantur Arbitri , qui cognoſcant de
„ robationibus hominum Mantuæ & Medio-
„ lani , & quæſtiones illas definiant juſtitiâ
„ mediante . Volentes igitur memorati Conſi-
„ lii voluntatem implere , duos arbitros incon-
„ tinenti delegimus , quos conſtituimus ad præ-
„ dicta . Quare circumſpectionem veſtram at-
„ tente depoſcimus & deprecamur , quatenus
„ duos Arbitros de Civitate veſtra celeriter
„ velitis eligere , qui cum noſtris arbitris me-
„ moratas terminent quæſtiones . Quibus ele-
„ ctis , certum & communem locum veſtra
„ velit ordinare diſcretio , ad quem Arbitri
„ memorati conveniant pro prædictis omnibus
„ rationabiliter exſequendis . Hæc vobis de-
„ clarare curavimus, ut tribuatur cuilibet tam
„ Mantuanorum quàm Mediolanenſium juſtitiæ
„ complementum , & ne dici poſſit in veritate,
„ quod per nos remaneat , quominus quilibet
„ habeat , quod ſuum eſt . Quod ergo ſuper
„ hoc faciendum duxeritis , velitis nobis per
„ latorem præſentium Literarum veſtrarum
„ paginam reſpondere .

Innocentius Epiſcopus , *ſervus ſervorum Dei , ad memoriam rei geſtæ in perpetuum .*

„ TRuculentam unius inhumani hominis
„ rabiem , ſævamque barbariem *Ecellini*
„ videlicet *de Romano* , quem diræ malignita
„ tis enormitas fecit inſignem , & Mundo non
„ incognita factorum atrocium multitudo ſpe-
„ ctabilem , humana ſocietas ad elidendum
„ improbas male potentum tyrannides inſtitu-
„ ta , indigne forſitan pertuliſſe videtur , ſed
„ indignius procul dubio noſcitur ſuſtuliſſe .
„ Hic ſiquidem ſub humani vultus effigie bel-
„ lualem animum retinens , Chriſtiani ſangui
„ nis ſitibundus , & viribus rigidius alienis
„ implacabile adversùs communia humanitatis
„ fœdera bellum gerit . Non enim ſolùm fe-
„ rali excidio hominum debacchatur in corpo-
„ ra , verùm etiam ſupra omnem modum ,
„ menſuram , & numerum , exhauſti cruoris
„ profluuio non contentus , per Catholicæ Fi-
„ dei corruptores , ſpiritualis vitæ operatur
„ exitium in interitum animarum . Nimirum
„ ſi in ſuis atrocitatibus propria contra inſen-
„ ſos ſibi exſequeretur odia , vel paterna jam
„ deferbuiſſet in eo incaleſcens animi feritas ,
„ peractæ ultionis refrigerio mitigata in iis ,
„ quos habere videbatur exoſos . Sed ejus ef-
„ fera crudelitas ſic in omnes excandet , ut
„ nec fortunæ nec vitæ pepercerit etiam ami-
„ corum , nec ſexus miſeratus fuerit in qui-
„ buslibet vel ætatis , nec alicujus Religionis
„ vel Ordinis veneratus honorem , cœcans par-
„ vulos innocentes , adultos nequiter perimens,
„ diverſis excogitatis in eos generibus tormen-
„ torum . Et quod pudoroſum eſt cogitare
„ vel loqui , horrido ſectionis impiæ cultro
„ tam fœminas , ut dicitur , eunuchizante
„ quàm mares , ſpem futuræ prolis occidens
„ in ſuperſtitibus occiſorum , ut ex intentione
„ quodammodo fuit eorum etiam , quos adhuc
„ in lumbis natura non protulit , homicida .
„ Quis ergo dubitet , eum in hominibus non
„ tantùm perſonas perſequi , ſed naturam ?
„ Quis ambigat , illum quaſi non hominem
„ humani generis fore publicum inimicum ?
„ Hunc ex genere cum publice damnati hære-
„ tici filius fuerit , hæreticorumque cognatus ,
„ hunc etiam ex moribus , cum eum perfidum
„ eſſe contraria religioni Chriſtianæ Fidei ope-
„ ra manifeſtent , nos cum publicæ opinionis
„ concurrentes aſſenſu , unam de ſubdolis præ-
„ ſumpſimus eſſe vulpeculis , quæ Vineam Do-
„ mini ſabaot demoliri non ceſſant , teſtamen-
„ tum æterni Euangelii corrumpentes . Ad
„ hunc autem nequiſſimæ intentionis ſuæ effe-
„ ctum eo ingenii ſui calle proceſſit , quia in
„ quos potuit , vaſa ſceleratiſſimæ interfectio-
„ nis arripiens per corporalis necis formidi-
„ nem , quæ plerumque cadit in fortes , reſi-
„ duæ regionis ſuæ viros redegit in parvulos ,
„ ut eis animorum confidentia libertatis privi-
„ legio & veritatis oraculo deſtitutis , facile
„ per magiſtros errorum , ſupradicti F. præſi-
„ dio ad ſubvertendas Fidelium mentes in Mar-
„ chiæ Tarviſinæ partibus emergentes in pu-
„ blicum perverſa infectionis hæreticæ dogma-
„ ta ſuggerantur. Execrans præterea commu-
„ ne omnibus gentibus , & magnum in Chriſto
„ & Eccleſia Matrimonii ſacramentum , quod
„ non humanæ voluntatis intentio ſtatuit , ſed
„ divinæ inſtitutionis commendat auctoritas ,
„ quod temporaliter orientis ex homine Salva-
„ toris Nativitas honoravit , quodque cunctis
„ fere animantibus ſuggerit inſitus eis ordo na-
„ turæ , damnabili , & de abominationis hære-
„ ticæ procedente præſumtionis audacia ſepa-
„ rat , contra Legis Euangelicæ interdictum ,
„ legitimæ conjunctionis fœdere copulatos ,
„ adeo inter complices ſuos fœda connubia
„ & adulterina contubernia conjungendo , ex
„ quibus ſpuria vitulamina prodeunt , radices
„ altas proſperitatis non proſperæ datura .

„ Nos itaque , quos licet immeritos ſummus
„ Fidelium Paſtor ad arcendos a redemto San-
„ guine Chriſti grege ferales impetus, ſalutem
„ Chriſtiani Populi lædentes , & vitam, necnon
„ ad hujuſmodi inveſtigandas aſſiduis vigiliis
„ capiendaſque vulpeculas , Eccleſiæ ſuæ vo-
„ luit præſidere , valido clamore Chriſtiani
„ ſanguinis , quo idem Ecellinus terram ope-
„ ruit , nec minus Euangelicæ Fidei , quam
„ molitur evertere , periculo excitati per Re-
„ ligioſos viros , deſcendere curavimus & vi-
„ dere , an idem Ecellinus illud circa Fidem
„ Catholicam naufragium pateretur , quod de
„ ipſo & deteſtanda nuntiabant opera , & vul-
„ gata infamia prædicabat . Cum autem ipſi
„ Religioſi ſuper iis cum diligentia inquiren-
„ tes eumdem , quod de Fide Chriſti non

„ recte ſentiret , haberi ſuſpectum veris indi-
„ ciis comperiſſent , tamdem ipſe ad Sedem
„ Apoſtolicam Nuntios deſtinavit , quibus bo-
„ næ memoriæ . . . . . . Sabinenſem Epiſcopum
„ conceſſimus auditorem . Coram quo ad ju-
„ randum in ipſius Ecellini anima ſe obtulere
„ paratos , quod idem de Deo & Catholica
„ Fide credebat ſecundùm quod Romana te-
„ net Eccleſia , & docet eſſe credendum . Sed
„ quoniam a dicto Epiſcopo vel a nobis pur-
„ gatio admiſſa non extitit , ut cum in tanto
„ crimine non per Nuntios , ſed per propriam
„ perſonam præſtanda eſſet purgatio coram
„ nobis , ſibi præfiximus terminum, quo Apo-
„ ſtolico ſe conſpectui præſentaret , facturus
„ ſuper iis , quæ ordo exigeret rationis , obla-
„ tâ ſibi de ſecuritate in veniendo & redeundo
„ plenariâ cautione . Unde quia nec in eodem
„ termino , nec poſt ipſum , venire vel mitte-
„ re procuravit , ipſum , qui plurimùm erat
„ aliàs excommunicationis laqueo irretitus , &
„ quod de Fide Catholica male ſentiret, certa
„ ratione ſuſpectus , eodem anathematis duxi-
„ mus vinculo innodandum . Alium etiam ter-
„ minum aſſignantes , quo in noſtra compare-
„ ret præſentia ſuper præmiſſis , Eccleſiæ man-
„ datis pariturus : denuntiato publice , quod
„ niſi uſque ad terminum ipſum id faceret , ex
„ tunc procederemus graviùs contra eum juxta
„ legitimas & canonicas ſanctiones . Cum au-
„ tem venire ſeu mittere , licèt ultra termi-
„ num diutius exſpectatus , obſtinatione dam-
„ nabili deſpexiſſet , & non ſolùm per annum,
„ ſed & per biennium vilipenſis Eccleſiæ clavi-
„ bus , præfatum ſuſtinuiſſet contemtibiliter
„ anathema, nos quia non debebamus ulterius
„ canonicum contra eum differre judicium ,
„ quem tam longum difugium , & tam dura
„ pertinacia reum tanti criminis oſtendebant ,
„ præſertim quia hujuſmodi judicii tarditas
„ periculoſam fortè aliquibus præbebat auda-
„ ciam , & quos a malis feſtinata in unius
„ perſona pœna compeſceret , protelata forſi-
„ tan ad illa laxaret, eumdem Ecellinum tam-
„ quam Hæreticum reputantes , decrevimus
„ ipſum , habito fratrum noſtrorum conſilio ,
„ promulgatis adverſùs Hæreticos ſanctionibus
„ ſubjacere , niſi uſque ad Kalendas Auguſti
„ tunc proximò ſecuturas coram nobis compa-
„ rere curaret , noſtris & Eccleſiæ pariturus
„ præcipue beneplacitis & mandatis . Quem
„ ſiquidem terminum ſibi ex multa benignitate
„ Apoſtolicæ Sedis indulſimus , cum eum ſal-
„ vari vellemus potiuſquam perire . Ipſe verò
„ contra Deum & homines collo rebellionis
„ extento , & ad omnem Fidei Chriſtianæ in-
„ obedientiam ſpiritu obfirmato tamquam pro-
„ lapſus in deſperationis abyſſum & humani
„ pudoris , divini judicii , ac ſalutaris conſilii
„ pertinax aſpernator , imminentia ſibi diſcri-
„ mina quæcumque contemſit , & perire po-
„ tius eligens quàm parere , nec in termino
„ ſibi ex multa Eccleſiaſticæ miſerationis leni-
„ tate conceſſo , nec poſtmodum diutius exſpe-
„ ctatus venire curavit . Nos autem illius pe-
„ riculo condolentes adhuc voluimus ejus du-
„ ritiam ſolita Sedis Apoſtolicæ benignitate
„ mulcere, ſi fortè ad ſuſcipiendum ſalutis re-
„ medium aliqua in eo ſcintilla ſanioris conſilii
„ remanſiſſet , ipſumque non ſolùm ſemel vel
„ ſecundo ſed pluries immo multoties ad miſe-
„ ricordiæ judicium & dietis legitimis evoca-
„ tum duximus prolixis ad convincendam in-
„ excuſabilem ejus malitiam temporum ſpatiis
„ exſpectandum . Porro idem ſicut aſpidis ſur-
„ diſſimæ filius ad omnem monitoris vocem
„ obturans auditum , jam per ſex annos &
„ amplius vocationis, longanimitatis, & expe-
„ ctationis noſtræ patientiâ eſt abuſus . Nos
„ igitur ex iis attendentes , quod diuturnior
„ erga eumdem Ecellinum tolerantiæ pietas in
„ communem poſſet redundare perniciem , &
„ ulterior exſpectatio nihil operaretur in eo
„ niſi contumaciam & contemtum , ne tantum
„ malum in medio Chriſtiani Populi diutius
„ toleratum latius pervagetur , de prædicto-
„ rum Fratrum noſtrorum conſilio , præſente
„ Fidelium Populo , qui in die Cœnæ Domini
„ ex diverſis Mundi partibus ad Apoſtolorum
B „ limina de more confluxit , præfatum Ecelli-
„ num ſicut manifeſtum Hæreticum ſententia-
„ liter judicamus , ipſum excommunicatum &
„ anathematizatum cum damnatis Hæreticis
„ deputando , adſcripta illis damnationis ſti-
„ pendia recepturum : quem ſi forſitan uſque
„ ad Feſtum Aſcenſionis Dominicæ proximò
„ venturum , ad præſentiam noſtram perſona-
„ liter venerit , audiemus ; quod de abundan-
„ tiſſima prædictæ Sedis clementia duximus
„ adjungendum .

Dixi , conceſſam fuiſſe Civitatis liberis facultatem condendi novas Leges , quæ *Statuta* appellatæ jam tum fuerunt , & adhuc appel-
C lantur . De iis aliqua præfatus ſum in Diſſertatione XXII. *de Legibus Italicorum* . Pauca nunc addo . Sæculo Chriſti Duodecimo municipales hujuſmodi Leges cœptæ ſunt promulgari : plenius verò ſubſequenti Sæculo , nam ex iis ſingulæ Civitates corpus ſeu Regeſtum efformarunt . Quicumque eligebatur Prætor ſive Poteſtas , ſacramento ſeſe obſtringebat ad obſervanda Statuta Urbis, cui præfuturus erat. Si ab iis volens receſſiſſet , judicium Populi in fine Magiſtratus ſubire coactus , pœnas dabat. Nihil autem luculentius faciem ac regimen Liberarum in Italia Civitatum exprimere poteſt , quàm veterum eorumdem *Statutorum* conſpectus . Nempe illic & Magiſtratus recenſentur,
D & forma regiminis explicatur, atque innumera alia occurrunt , quibus manu ducimur ad apte dignoſcendum , qua auctoritate fruerentur , & qua ſeſe methodo regerent temporibus iis omnes ferme Lombardiæ , Tuſciæ , aliarumque Italiæ partium Civitates. Eapropter operæ pretium duxi publici juris heic facere Piſtorienſis Urbis Statuta , quando mihi eorum exemplum pro veteri ſua erga me benevolentia procuravit , dum vivebat , Cl. V. Hubertus Benvoglientus Senenſis Patricius , quem Anno MDCCXXXIII. die XXII Februarii mors invidia ſuſtulit . Legitur ibi in fronte , primum Statutum promulgatum fuiſſe *Anno a Nativitate Domini Milleſimo Centeſimo Septimo,*
E *Indictione XI, Sexto Calendas Decembris* . Quæ notæ ſi veræ ſunt ac legitimæ , raram procul dubio produnt antiquitatem & auctoritatem in ejuſmodi Civitatum Magiſtratibus. Sed nihil diſſimulandum . In Chronologicis hiſce Notis mendum cubat . Anno Chriſti MCVII. nondum Henricus inter Reges Quinctus *Imperialem* titulum aſſumſerat : nondum quippe a Romano Pontifice inunctus , neque Romanâ Coronâ inſignitus . Neque eo Anno decurrebat *Indictio Undecima* . Sed quotum ad Annum hæc ſpectent , percontaris . Si referas ad Annum Chriſti MCXCVII. quo imperabat Henricus inter Reges Sextus, inter Auguſtos Quinctus,

ctus, immutanda erit etiam Indictio, & pro *XI.* ſcribendum erit *XV.* aut *Indictio I.* a Kalendis Septembribus fuerit inchoata. Mihi tamen veri videtur ſimilius, Caput hoc primum Statutorum Piſtorienſium conditum fuiſſe *Anno a Nativitate Domini Milleſimo Centeſimo Decimo Septimo*, quo nempe, & quidem Novembri Menſe, fluebat *Indictio XI.* & *Annus VII. Henrici inter Imperatores Quarti*. Supra jam vidimus in Diſſertatione XLVI. *de Italicar. Civitat. Magiſtratibus*, ineunte eodem Sæculo Chriſtianæ Æræ Undecimo, Conſules ad regimen *Mediolani* & *Genuæ* adhibitos fuiſſe, eoſque itidem *Lucenſi* Urbi præfuiſſe Anno MCXXIV. Vide & Laurentium Vernenſem ſive Veronenſem in Poëmate de Reb. geſt. Piſanorum in Majorica, Tomo VI. Rer. Italicarum. Inde conſtat, Anno MCXIV. *Piſanam* Civitatem a Conſulibus gubernatam fuiſſe. Quare nihil obſtat, quominus *Piſtorienſi* quoque Civitati Anno MCXVI. Conſules præeſſent, atque ibi primum illud Statutum promulgari potuerit. Primum, inquam, uſque ad finem Paragraphi, ſive Capituli XXIII. Nam quæ ſequuntur, longe ſerius conſtituta fuiſſe, mihi certiſſimum eſt, quum in iis ſupremum Civitatis regimen non amplius *Conſu-* A *libus*, ſed *Poteſtati* commendetur. Adhuc quidem memorantur ibi *Conſules*, immo & *Conſules Majores*. Præcipuæ tamen auctoritatis jura in Prætorem tunc translata videntur. Quod plus eſt, aut *Conſules* illi *majores* contra Statutorum mentem irrepſere illuc, aut dicendum, ea Statuta reſpicere Poteſtatem, ſi eo utatur Reſpublica Piſtorienſis, aut Conſules, ſi Poteſtatis loco eligantur. Neque enim primo ſat firma fuit Poteſtatum conſuetudo; atque iis dimiſſis, interdum Conſules clavo Reipublicæ præfuerunt. Ceterum in memorata nuper Diſſertatione XLVI. palam feci, *Poteſtatum* ſive *Prætorum* regimen illuſtre invectum fuiſſe a Civitatibus liberis aut cadente B Sæculo XII. aut ſub initium ſubſequentis XIII. Quare potior hujuſmodi Statutorum pars circiter aut poſt Annum Chriſti MCC. conflata mihi creditur. Atque utinam integra eorum collectio temporis injurias evaſiſſet. Sed exciderunt in Codice MSto paginæ aliquot. Statutis hiſce Notas adjecit eruditas doctiſſimus prælaudatus Benvoglientus, quarum pretium augent Chartæ aliquot numquam antea editæ, at dignæ, quæ nunc evulgentur. Omnia benevole, ut ſpero, accipiet heic Lector, quem barbaricæ Eruditionis ſtudium delectet.

STATUTA
CIVITATIS
PISTORIENSIS

Anno Chriſti MCXVII. & circiter Annum MCC. condita,

UNA CUM NOTIS

CL. V. HUBERTI BENVOGLIENTI.

STATUTA

CIVITATIS PISTORIENSIS.

„ IN nomine Sanctæ & individuæ Trini-
„ tatis . Amen . Anno ab ejus Nati-
„ vitate (a) Milleſimo Centeſimo Sep-
„ timo , Indictione XI. Sexto Kalen-
„ das Decembris : ad honorem Dei ,
„ & *Domini Henrici Romanorum Imperatoris* .
„ §. 1. Statuimus & cenſemus, ut Majores
„ (b) Piſtorii Conſules habeant in protectio-
„ nem ,& defenſionem Eccleſiam Sancti Zeno-
„ nis, & ejus bona, & habeant in protectio-
„ nem , & defendant omnes Eccleſias , & Lo-
„ ca venerabilia , & eorum bona , uſque ad

A

„ quatuor milliaria prope Civitatem Piſtorii ,
„ quæ ſunt noſtri diſtrictus, ſalvo jure Patro-
„ norum. Et quod Majores Conſules poſſint fa-
„ cere , quod utile ſit noſtræ Civitati . Intel-
„ lectus talis eſt quod teneantur de hoc Capi-
„ tulo, ſi Epiſcopus Piſtorienſis & Piſtorienſis
„ Eccleſiæ Capitulum promiſerint Conſulibus
„ Civitatis Piſtorii ſolemniter , quod ipſi &
„ ſui Clerici ſtabunt in judicio cum Laicis ,
„ & dederint Conſulibus licentiam , ut con-
„ ſtringant eos & Clericos ſuos ad rationem
„ ſtare .

„ §. 2.

OSSERVAZIONI
DEL
SIGNORE UBERTO BENVOGLIENTI
Intorno a gli antichi Statuti Piſtoleſi .

(a) Il tempo degli Statuti Piſtoleſi è veramente aſſai incerto e dubbioſo. Ma eſſendo nulladimeno noto e paleſe a ognuno , che i Podeſtà non ſieno venuti prima , che intorno al Mille dugento di noſtra Salute , chiaro ne ſegue , che i noſtri Statuti , ne' quali queſti Podeſtà ſono nominati, non poſſano eſſere di tempo anteriore . E' d' avvertire , che in queſti Statuti l'Anno 1107. così è diſteſo : *Anno ab ejus Nativitate Milleſimo Centeſimo Septimo*. Là onde veriſimile parrebbe , che non vi poteſſe eſſer nato equivoco alcuno . Ma ſe poi daremo d'occhio, che i preſenti Statuti non ſono originali, ma bensì antica copia , facilmente cangeremo opinione . E ciò ſenza molto penſamento avverrà, ogni volta che anderemo conſiderando, che in tal torno gli Anni per lo più in Abbaco Romano ſi notavano , come ſi può riguardare nell' Arimmetica di Lionardo da Piſa , un' eſemplare del quale è in mie mani . Queſto Libro è aſſai curioſo, per eſſere forſi ſtato il primo a introdurre nella noſtra Italia le Ciſre Iotadiane , altrimente Arabe chiamate. Tal' uſo parimente ſi va oſſervando nel Libro tuttavia inedito , intitolato *de Ordine Officiorum Senenſis Eccleſiæ* . E di vantaggio dirò, che in diverſi noſtri Strumenti l'Anno non è diſteſo, ma ſcritto con Abbaco Romano : ſegno aſſai manifeſto, che l'Anno ſpeſſe fiate non alla diſteſa , ma con l'Abbaco Romano ſi notava . In fine oſſerveremo, che per lo più ſi praticava ne' Contratti di laſciare qualche numero , o fuſſe di quel tempo tracotanza , ovvero di quei tempi rozzi ridicoloſo ſtile : comunque ciò fuſſe, tale n'era in vero l'uſo. Chi ci negherà adunque il credere , che tal moda praticata anco non fuſſe ne' noſtri Statuti ? e che vi ſia ſtato laſciato il numero *Novanta*, che in quel tempo, che ſcrivevano queſti Statuti , non poteva fare sbaglio alcuno ? E così biſogna credere, che la faccenda andaſſe, ogni volta che il numero 1107. non s'accorda nè col tempo de' Conſoli , nè con quello de' Podeſtà . I Conſoli delle noſtre Città vado penſando , che fuſſero iſtituiti ad imitazione de' Conſoli Romani. In Roma ne' tempi baſſi ſtimo, che i Conſoli incominciaſſero poco dopo dell' Imperio Greco. Coſtantino Porfirogenita nel Lib. 2. Tema X. parlando del Popolo Romano , dice : *Regium depoſuit Principatum , & propriam adminiſtrationem , ac juriſdictionem obtinuit , eique proprie dominatur aliquis pro tempore Papa* . Non molto lontano da queſto tempo furono i Conſoli de' tempi baſſi in Roma . Il loro numero e la loro autorità varia e incerta fu . Intorno a queſti Conſoli di Roma de' tempi baſſi mi ſcriſſe tempo fa una eruditiſſima Lettera il gentiliſſimo Franceſco Valeſio , quale meriterebbe al certo vederſi alla luce . Ho uno Strumento dello Spedale fatto nel 1153. da Papa Eugenio III. nel quale prende egli in Feudo da' Monaci di Monte Amiata la metà della Terra di Radicofani . In queſto Strumento per la parte del Pontefice vi ſono ſottoſcritti i ſeguenti Conſoli , che ſono *Cencius Frajapanus , egregius Romanorum Conſul : Oddo Frajapanus , ſtrenuiſſimus Romanorum Conſul : Joannes Petri de Leone , Romanorum Conſul* . A queſti Conſoli ſotto Papa Innocenzo III. ſuccedettero i Proconſoli . Ma coſtoro mi vado immaginando, che perduta aveſſero l'antica potenza , e che fuſſero fatti preſſo che per pompa A me giova credere, che a Papa Innocenzo III. non piaceſſe in vero la tanta autorità, che i Conſoli s'erano preſa ; per rimediare a tale diſordine , e per non diſguſtare a pieno la Nobiltà e il Popolo Romano , creſſe la novella dignità di queſti Proconſoli Ma il loro potere è forza dire , che lo fuſſe molto debole , mentre queſti Proconſoli ſolo per tempo di ſei meſi le dignità cercavano fuori della Patria . In Siena furono tre con queſte dignità per Podeſtà della medeſima . Il primo fu Traſimondo di Pietro di Annibaldo Proconſole di Roma , e Podeſtà di Siena nel 1234. come ſi vede in Bicherna , uno de' noſtri principali Maeſtrati , alla Lettera B. num. 441. fol. 30. , e nelle Croniche, che portano il nome di Agnolo di Tura . Il ſecondo fu Pietro Parenſi , Proconſole Romano , Podeſtà di Siena nel 1238. come nello Strumento dello Spedale , num. 332. E il terzo ebbe nome il Conte Giampolo di Caſa Conti di Roma , Proconſole Romano , e Podeſtà di Siena nel 1255. Vegganſi i Conſigli della Campana fol. 53.

Non è dubbio alcuno , che da queſti Conſoli Romani prendeſſero il nome di Conſoli l'altre Città d'Italia . Ma quando ciò avveniſſe , è coſa in vero molto difficile a rinvergare . Laonde molto bene ſi vede , che giuſtamente non ſi può fiſſare il tempo de' Conſoli Piſtoleſi . Ma per dire qualche coſa di più veriſimile , parmi d'uopo prima dover toccare qualche coſa della Libertà delle Città d'Italia : perchè è molto veriſimile, che da queſta Libertà ne naſceſſe la dignità de' Conſoli . Ma nella ricerca di queſta Libertà vi ſono anco le ſue difficoltà ; perchè le Città d'Italia non l'acquiſtarono tutte nel medeſimo tempo ; ma chi prima , chi dopo . Il tempo di queſta io la conſidero ſolo in Siena , ſtimando io , che in riguardo al territorio di queſti luoghi poſſa avere avuto Siena la Libertà qualche coſa prima di Piſtoja . Il noſtro Celſo Cittadini nel ſuo Signoriſta inedito pone queſta Libertà appo i

Saneſi intorno al 1100. la qual coſa parmi che ſi poſſa ravviſare in fatti, che ella da per ſe ſteſſa ha operato, nell' antico Libretto ordinato dal noſtro Veſcovo Ranieri. In circa all' Anno 1129 ſi legge: *P. Gualfredus Epiſcopus. Sed Anno ſequenti Rainerius Epiſcopus, qui hunc quinternum fieri fecit, Senas venit, & eodem Anno a Senenſibus captus eſt Archiepiſcopus Piſanus*. E queſta è la prima azzione, che a me ſia nota, che i Saneſi faceſſero. Ma in tal tempo potevano avere la Libertà, ma non avevano già i Conſoli. Nel medeſimo ſi legge: *Anno Domini 1141 venit Marchio ad Portam de Camullia cum Florentinis*. Queſto fatto è poſto malamente nell' Anno 1144. da Ottone Friſingenſe, dicendo: *Nam & Florentini una cum Marchione Terræ Ulrico uſque ad ipſas Portas Senenſium procedentes, ſuburbia ejus cremaverunt*. In queſto paſſo ognun vede, che anco ſi dev leggere *Tuſciæ*, e non *Terræ*: e in tal torno giuſtamente Ulrico è poſto Marcheſe di Toſcana dal Capitano della Rena ne' Marcheſi di Toſcana. Ottone Friſingenſe al Lib. 7 Cap 29. nella ſua Cronica apertamente oſſerva, che una gran parte d'Italia s'andava diſponendo alla Libertà; e di ciò queſto Iſtorico ne dà la colpa all' aſſenza del Re: *His diebus propter abſentiam Regis Italiæ Urbibus in inſolentiam deſcendentibus &c.* E nella Vita dell' Imperadore Federigo I. il medeſimo Ottone dice: *Denique Libertatem tantopere affectant, ut Poteſtatis inſolentiam fugiendo, Conſulum potius, quàm Imperantium regantur arbitrio*. Nel medeſimo Libretto ſi legge: *Anno Domini MCXLV Florentini ſunt afflicti apud Montem Crucis a Senenſibus & Comitibus Guidonis*. In queſto medeſimo Anno i Saneſi fecero accordo coll' Abate di San Salvadore. Veggaſi il Contratto al Num. I. E in queſto tempo ſi ravviſa, che i Saneſi avevano i Conſoli. In queſto Contratto ſi legge: *Juraverunt obſervare quodcumque comandamentum Senenſes Conſules fecerint contra illos*. Nel mentovato Libretto anco ſi legge: *Anno Domini MCLVI. flagellati ſunt Florentini apud Montem Bonizii; & poſtea eodem Anno quindecim diebus elapſis cœpit ædificari Caſtrum Podii Bonizii*. Da tutti queſti fatti parrà a ciaſcuno chiaro ed evidente, che fin dal tempo d'Arrigo V. Imperadore gran parte delle Città d'Italia incominciaſſero a porſi in Libertà: e di ciò non mi penſo, che nè poco nè punto ve ne ſia da dubitare. Ma queſta per lo vero dire non era una piena Libertà: e certamente negli antichi Giudicati, di queſta preteſa Libertà non evvene alcuno ſegno. Eccovi un Giudicato di Ermanno, fatto nel 1035. nel quale non ſi ritrova ombra di Libertà conceſſa a' Saneſi, e ſi vede deſcritto al Num. II. Un' altro Giudicato dell' Anno 1055. ſi ritrova, tenuto nel Contado Fiorentino, ed è il ſeguente poſto al Num. III. cavato dal terzo Volume de' Memoriali Piccolominei. Altra copia di queſto Giudicato è fra i Contratti di Santo Agoſtino, num. 1684. Da queſto Giudicato chiaro ſi raccoglie, che nel 1055. non eravi principio di Repubblica nella Città di Firenze. Qual Giudicato non è ſtato oſſervato da chi aſſai dottamente ha ſcritto della vera Libertà di Firenze. Ne' tempi dell' Imperadore Federigo I. o ne foſſe cagione la grande diſcordia tra l'Imperio e il Sacerdozio, qualche ſorta di Libertà maggiore acquiſtarono molte Città d'Italia, o ciò avveniſſe per indulgenza, ovvero per debolezza di forze dell' Imperadore, come nella lettura del Giudicato fatto nell' 1163. e poſto al Num. IV. Ognuno facilmente accorgere ſi può, ſe da queſto Contratto vi ſia ora lecito riflettere, che Siena non fu detta nel numero del Più, ſe non quando cominciò a ottenere la Libertà. Acquiſtata queſta che fu intorno al 1130. in circa al 1140. per eſſere più uniti e più forti, di tre Luoghi, che erano preſſo l'uno all' altro, e s'incominciò a chiamare nel numero del Più; ma per l'indietro chiamavaſi nel numero del Meno. Nel Cartulario dell' Abbadia di San Salvadore in uno Strumento dell' Anno 875., in un' altro del 1107., in uno del 1113., in uno del 1120., ed uno del 1121., in altro del 1126., ed in altro del 1128. ſi legge ſempre *Actum Senâ*. Ma gli Strumenti poſteriori, come nel noſtro Giudicato, hanno ſempre ſcritto *Actum Senis*, come nel mentovato Cartulario ſi legge in una Carta fatta nell' Anno 1164., in un' altra del 1183., in un' altra del 1188. Teofilo Gallaccini in un ſuo Ragionamento inedito *delle Mura e delle Porte* fol 329 dice: *Appiano Aleſſandrino nelle Guerre civili dice: Pompejus autem Macium circa Senas debellavit, Urbemque diripuit*. Io non leggerei in queſto luogo *circa Senas*, ma *circa Senam*; perciò che Tacito, Tolomeo, Catone, e Plinio dicono *Senam*, e non *Senas*: che forſi l'ha così voluta il Tradutore, eſſendo nella ſcrittura Greca notata altrimente. Il nominarla del Più, è coſa moderna, ſiccome ſi può ritrarre da ciò, che s'è detto. Io mi vado immaginando, che ſe 'l Letteratiſſimo P. Berretti aveſſe veduto di più queſte ragioni, ch' egli non ſi ſarebbe arriſchiato nell' ultimo ſuo dotto Libro di ſoſtenere, che Siena ne' tempi antichi nel numero del Più ſi chiamaſſe. Negli Strumenti, che ſono regiſtrati nel Caleffo vecchio fol 25. dell' Anno 1180. ſi legge un Diploma fatto da Criſtiano Arciveſcovo di Magonza, Legato Imperiale in Italia, poſto al Num. V. nel quale ſi concedono diverſe coſe, e fra l'altre: *Citius quàm potero, Sereniſſimo Imperatori noſtro Federigo Privilegium confirmationis veſtræ Monetæ ad laudem & totius Civitatis honorem faciam ſine fraude componere*. Dalle quali parole chiaro parmi, che ſi riconoſca, che i Saneſi battevano Moneta anco ſenza Privilegio Imperiale: perciò a mio avviſo non evvi mai ſtato il nome dell' Imperadore.

Nulladimeno con tutta queſta Libertà non ſi può negare, che qualche ſorta di giuriſdizione non aveſſero gl' Imperadori nella maggior parte delle Città d'Italia. Io particolarmente dirò di Siena, che infino al Duca e Marcheſe di Toſcana Filippo v'ebbe quaſi che giuriſdizione: ma dipoi della ſola protezzione l'Imperio ſi contentò. Eccone un ruolo de' noſtri Conti, o dir vogliamo Governatori, che qualche giuriſdizione, benchè piccola, avevano nella noſtra Città: la qual coſa appariſce dallo Strumento, che è nel noſtro Spedale, ſegnato num. 727., ed è il ſeguente deſcritto in fine di queſti Statuti Piſtoleſi al Num. VI. *Comes Paltonerius* (e queſti era Saneſe) *Comes Gulielmus, Comes Goffolinus Nuntius Federigi, Comes Macharius Nuntius Imperatoris, Arrigus Cappellanus Nuntius Imperatoris Federigi, Comes Everardus de Lutri Nuntius Imperatoris Henrigi, Comes Gualterius de Renesbec Nuntius Imperatoris Henrigi, Comes Lambecchinus Nuntius Imperatoris Henrici, Comes Oddo de Ranchiſtena Nuntius Imperatoris Henrici, & Comes Hugo de Guermaſia Maneſcalcus Domini Philippi Ducis Thuſciæ*. Queſti Conti non ſi può negare, che avevano qualche piccola giuriſdizione nella noſtra Città. Ma per quello, che ſi raccoglie, piccola era la loro autorità; e forſi, e ſenza forſi, queſti Conti eſſendo in sì miſerabile riputazione, ſi partirono, e più non ci vennero a inquietare; e perciò nel mentovato Iſtrumento leggeſi: *Uſquequo in Comitatu fuerunt*. Dopo queſto tempo Siena ebbe piena Libertà; ma però ſotto la protezzione Imperiale. I Conſoli noſtri ſi trovano nominati almeno infino al 1145. Ma non iſtimo già, che infino alla partenza de' Conti aveſſero tutta la Libertà, almeno nel Contado. Il Marcheſe Maffei nel ſuo dotto Libretto dell' antica Condizione di Verona, fol. 112. pare, che ei ſia preſſo che del medeſimo ſentimento. Egli dice: *I Conſoli, che quaſi ſi può dire, che ſuccedeſſero a' Conti, durarono poco più del* 1200., *e venne il nuovo governo de' Podeſtà*. E coſtoro ſi obbligarono in molte coſe di ſeguire diverſe deliberazioni, ordinate da' Conſoli, come ſi può vedere in queſti Statuti Piſtoleſi, e ne' noſtri Statuti, che ſono allo Spedale compilati nel tempo di Carlo Primo Re di Napoli. Gli Statuti ſono anco ſegno di Libertà, perchè particolarmente riguardano Governo e Giuſtizia. Non così anderei penſando intorno agli uſi de' Luoghi, che riguardano deliberazioni intorno alle proprie ſoſtanze, così anco a diverſi ordini circa la mercatura, non iſtimo che denotino alcuna ſorta di Libertà. In queſto novero ſi deve riporre il *Conſolato di mare*, quale è un danno, che ci ſia arrivato aſſai guaſto. La mercatura de' tempi baſſi era preſſo che tutta Italiana. I Veneziani, come oſſerva l'Abate Vertot nel ſuo Ragionamento delle Leggi Sontuarie de' Franceſi, poſto a fol. 517. del

nono

A nono Tomo delle Memorie di Litteratura, in fin de' tempi di Carlo Magno portavano d'Oriente in Italia ricche pelliciarie, colle quali ornavano le veſti. Non iſtimo anco, che ſia alcun ſegno di Libertà, che ſi dica in contrario il Marcheſe Maffei, l'Inſcrizzione di Verona fatta nel 920., riportata da eſſo lui nell' Antic. Condizion. di Verona. Queſto paſſo molto bene l'illuſtra la ſottoſcrizione che fece un Principe al Memoriale d'una Terra, che gli era rovinato il Ponte, ed era concepito con termini aſſai Cruſcanti, o per dir meglio aſſai affettati. Così fu reſcritto:

E quinci, e quindi, e guari,
Riſate il Ponte co' voſtri denari.

Per riconoſcer meglio il tempo di queſta Libertà, ſarebbe neceſſario riconoſcere il tempo B dell' origine di diverſi Statuti nell' Archivio delle noſtre Reformagioni. Ve ne ſono di più tempi; ma non ſi ſa ſe vi ſieno i più antichi. Con queſta geloſia è tenuto queſto Archivio, e forſi di ciò n'è la cagione, perchè deſiderano, che altri non ſappiano quello, che i Cuſtodi non intendono; e perciò amano più toſto, che i Libri ſiano mangiati dalle tigniole, che ne ſia fatto alcun buon' uſo. Laonde io non ſaprei dir coſa di certo intorno al tempo de' medeſimi. Nulladimeno io credo certamente, che nel tempo di Federigo I. Imperadore veniſſero alla luce. Egli fu aſſai lodato dal noſtro Enea Silvio nella Vita di Federigo III. Imperadore. Egli dice, che Federigo I. amava molto le Lettere. e certo aggiungerò io, che al tempo ſuo la Lingua Latina incominciò a riſorgere, e le Leggi incominciarono ad aprir la mente de' noſtri Maggiori; e conceſſe qualche Liber- C tà a que' Popoli, che erano del ſuo partito. E certamente in uno Strumento de' Cacciaconti poſto al Num. VII. è citato il Breve de' Conſoli, che ſenza dubbio è fatto nel tempo del mentovato Imperadore. Nello Spedale della Scala v'è una copia de' noſtri Statuti compilati nel 1270 in circa; dalla lettura de' quali apertamente ſi riconoſce, che i noſtri Maggiori fin dal 1239. avevano Statuti. In queſti a fol. 73. ſi legge: *De compellendo, qui muraverit ſuper muro Communis, ad faciendum merlos, & pectorale. Et quicumque Civis Senenſis, qui habet juxta murum, ab hodie in antea, quod eſt 1239. de menſe Septembris, compellam ipſum facere merlos & pectorales ita bonos, ſicut illos, quos cœpit. Et ſi quis contrafecerit, centum Solidos ſibi auferam.* Nel mentovato Strumento fatto nel 1197 chiaro mi pare, che ſi ravviſi, D che i Saneſi aveſſero i loro Statuti, leggendoviſi: *Et Franchiſiam tenebimus, ſicut in Brevi Conſulum continetur.*

Io ſono di parere del dotto Signor Maffei, là dove dice: *Ma cambiò interamente faccia tutta queſta parte d' Italia nel XII Secolo, eſſendoſi la maggior parte delle Città meſſe in Libertà, e convalidata poi ſolennemente con la pace di Coſtanza.* Allora fu che ſi fenno eſſe propj Statuti, e che ſi fermarono il loro Popolare Governo. E' certo, che avanti di queſto tempo non ſi trova, che alcuna Città, ſe forſe non fu Roma, e Venezia, aveſſe propj Statuti. Nel Secolo XII. non v'è dubbio, che gli Statuti del Popolo Piſano ebbero principio. Queſti non furono tutti nel medeſimo tempo fabbricati: chi prima, altri dopo furono dettati, e poi furono uniti tutti inſieme, come ſi può riconoſcere a fol. 10. dalla E Lettera ſopra le Pandette del dottiſſimo Abate Grandi. Il gentiliſſimo e molto Letterato P. Valſechi in una Lettera *de Veteribus Piſanae Civitatis Conſtitutis*, al fol 10. dice: *Anno Dominicae Incarnationis 1161. more Piſano, qui eſt communis 1160. prima prima Urbis Civitatis Conſtituta compilata fuerunt.* Sigiſmondo Tizio nel primo Tomo delle ſue Iſtorie dice, che in caſa di Lionardo Ceſano in Siena vidde un volume di Statuti Piſani, alla fine de' quali ſi legge: *Apud illum in volumine municipalis Juris Piſanorum vetuſto prope finem hujuſmodi legimus verba, videlicet: Lecta & publicata ſunt haec Conſtituta Piſana, & confirmata, exiſtentibus Conſulibus, Ugone Giotti, & Balſo quondam Petri Albionis, & Rainerio Barattule, & Malvitino Hilderici de Ceſano coram Senatoribus ſuis,*

Anno Domini Milleſimo Dugenteſimo Primo. Noi abbiamo detto, che Piſa e Siena ne' loro Statuti non paſſano il tempo dell' Imperador Federigo Primo. Così ſtimo, che queſti Statuti altrove di più antichi non ſe ne trovino. Ma ſe queſti non paſſano queſto tempo, non ne ſegue, che anco le Città d'Italia non abbiano almeno qualche poco di tempo avanti acquiſtato qualche ſorta di Libertà, come fin quì s'è detto. I Podeſtà poi, che vennero dopo de' Conſoli, s'obbligarono in molte coſe di ſeguire diverſe deliberazioni de' Conſoli, come anco ſi vede in queſti Statuti di Piſtoja. Dal che apertamente ſi riconoſce, che i Podeſtà vennero appreſſo de' Conſoli: e ciò avvenne intorno al 1200. Pio III. Papa ne' ſuoi Annali Saneſi inediti all' Anno 1201. dice de' Saneſi: *Rejectâ Conſulum adminiſtratione, ut minus utili, per Praetores res geri cœpit. Et Orlandus Malapreſa natione Lucenſis, primus id munus geſſit Anno Salutis* 1201. I Fiorentini accettarono il Podeſtà più tardi. Giovanni Villani all' Anno 1207. al Lib 5. Cap. 32. dice: *E il primo, che fu Podeſtà in Firenze fu Gualterotto da Milano.* Piſa ebbe per Podeſtà, ſecondo il Tronci, nel 1190. il Conte Tedice della Gherardeſca. Ma Ottone Friſingenſe nella Vita di Federigo I. parlando della Libertà d'Italia, fa ricordanza de' Conſoli, e non de' Podeſtà: ſegno manifeſto, che durante la vita di queſto Imperadore, il governo di Podeſtà non era peranco introdotto. Da ciò s'impara, che il Tronci nel tempo del primo Podeſtà Piſano s'è ingannato, o veramente, che i Piſani fuſſero ſtati i primi a introdurre queſta dignità, e Ottone parlaſſe univerſalmente dell' Italia. Io ſono di parere, che Piſtoja prima di Siena non abbia avuto proprio Podeſtà. E quando l'aveſſe avuto, non parrebbe, che lo poteſſe avere avuto prima dell' Anno 1190. Sì che queſti Statuti non potrebbono avere maggiore antichità. Sì che ſi rende più che veriſimile, che ciò ſia avvenuto nell' Anno 1197. L'invocazione *In nomine Sanctae & individuae Trinitatis*, che è in queſti Statuti, è aſſai antica, come ſi può vedere a fol. 80. della Diplomatica del celebre Mabillone. Ma queſta ſpeſſo ſecondo il genio de' Notari è ſtata variata. Ma quello, che è neceſſario ſapere, ſi è quanto la ſia durata: la conſidero, che poſſa eſſere arrivata almeno fino al 1200., cioè inſino a tanto, che ſtiede in vita l'Imperadore Arrigo VI. Nel Cartulario dell' Abadia della Berardegna a fol. 53. dell' Anno 1154., e a fol 54. dell' Anno 1196. ſi legge queſta formula. E queſto Cartulario dura poco dopo il 1200. ſegno manifeſto n'è, che per tutto è la mezza J. la quale fu introdotta in Italia intorno al 1200. Queſta copula J viene da l' Inghilterra, che gl' Ingleſi la chiamavano *And*; ma col tempo introduſſero la mezza J. per ſignificare queſta copula A queſti Statuti da mano moderna per maggior comodità vi ſono ſtati aggiunti i numeri, come ſe queſti Statuti fuſſero diviſi in tanti Articoli. Io per più facilità ſeguirò queſt' uſo. Queſti Statuti hanno molte caſelle, che non ſi legge quello che dicono, perchè il tempo ha conſumato diverſe parole.

(b) *Majores Conſules.* Credo, che dir vogli i Conſoli, che avanti de' Podeſtà governavano la Città. Forſi erano detti *Majores*, a diſtinzione de' Conſoli, che preſedevano al Maeſtrato, nel quale ſi litigava, e chiamavaſi da noi *il Maeſtrato del Piato*. Ma meglio penſo d'appormi al vero, ſe dirò, che queſti Conſoli erano chiamati *Majores*, per diſtinguere i Conſoli Plebei, detti Minori, da quei della Nobiltà. I Saneſi dividevano il loro Popolo in tre Gradi, cioè Grandi, Mezzani, e Minori. I Grandi ſecondo Celſo Cittadini dice, che erano i più ricchi. Ma egli fortemente s'inganna. I Grandi erano i ſoli Nobili. Gli altri erano ſola Plebe, diſtinti ſecondo la facoltà in mezzani e minori. Sì che i Conſoli cavati dalla Nobiltà erano chiamati *Majores*: e i Mezzani uniti a i Grandi, come genti del Popolo Saneſe governavano la Città. E ſe altrove ho detto altrimenti, ho sbagliato. Una delle prime coſe, che fecero le Città, acquiſtata che ebbero la Libertà, fu il difender le Chieſe, particolarmente le prin-

„ §. 2. Item ſtatuimus , ut Majores Piſtorii A
„ Conſules non faciant vindictam in havere
„ vel perſonas contra . . . . niſi communi
„ Conſilio Conſiliatorum electorum omnium
„ vel majoris partis , qui tunc Piſtorii fuerint ,
„ exceptis pœnis & vindictis in Capitulis ſpe-
„ cialiter expreſſis . Quod ſi iverint extra Ci-
„ vitatem per Cavalcariam (c) vel Hoſtem ,
„ poſſint facere vindictam , ſecundùm quod
„ eis melius videbitur ad honorem Piſtorienſis
„ Populi .
„ §. 3. Item ſtatuimus , ut Majores Piſtorii
„ Conſules . . . . . quidquid dictum eſt in Sa-
„ cramento de omnibus Statutis , & aſſigna
„ mentis ; de pecuniis tollendis ; de damnis
„ dandis ; qui non teneantur reddere , nec B
„ facere reddere , nec emendare , nec facere
„ emendare ; & ſimiliter ſuos proximos Suc-
„ ceſſores jurare faciant ; & quicumque dam-
„ num de habere alicui Piſtorienſi Civi , vel
„ Burgienſi , vel ſuburbienſi (d) fecerint ,
„ propter honorem Piſtorienſis Populi tenean-
„ tur non emendare , nec emendare facere .
„ §. 4. Item ſtatuimus , ut Majores Piſtorii
„ Conſules toto tempore eorum Conſulatus
„ faciant , & facere faciant diſtrictam omni-
„ bus manifeſtis inimicis Piſtorienſis Populi ,
„ ſecundùm quod melius potuerint , ad bonum ,
„ & ad honorem noſtræ Civitatis , & ad ma-
„ lum & ad damnum noſtrorum inimicorum
„ infra duos proximos Menſes , pro quantum C
„ juratum habuerunt .
„ §. 5 Item ſtatuimus , ut taliter jurent illi ,
„ qui eligant Electores . *Ego eligam quin-*
„ *que homines , quos potiores & idonejores*
„ *eſſe cognovero ad honorem Dei , & Sancti*
„ *Jacobi , & Sancti Zenonis , & Populi Piſto-*
„ *rienſis . Ego non ſum in aliqua Compagnia*
„ (e), *& ſummiſſione pro aliquo officio Civita-*
„ *tis dando vel recipiendo : nec aliquod coman-*
„ *damentum vel ante factum vel poſt factum* ;
„ *nec aliquod intendimentum & interdictum pro*
„ *aliquo Officio Civitatis dando , vel recipiendo,*
„ *nec aliquod ſacramentum feci neque recepi pro*
„ *aliquo Officio Civitatis dando vel recipiendo ; ſed*
„ *eligam tres homines , quos potiores & idone-*
„ *jores eſſe cognovero ad ſalvamentum , & ad*
„ *utilitatem Piſtorienſis Populi* . Qui eligant
„ quinque Conſules meliores & potiores , quos
„ cognoverint ad utilitatem & ſalvamentum
„ Piſtorienſis Populi , non conſiderato amore ,
„ nec inimicitiâ , nec ullâ humanâ gratiâ . Hoc
„ eſt ſacramentum illorum , qui debent eligere
„ Conſules . *Ego non ſum in aliqua Compa-*
„ *gnia , vel ſummiſſione pro aliquo Conſulatu*
„ *Civitatis Piſtorii , dando vel recipiendo : ne-*
„ *que aliquod intendimentum , neque advedimen-*
„ *tum eſſe mihi dictum , neque comandamentum*
„ *factum , ut ego eſſem Elector Conſulum , ne-*
„ *que aliquod ſacramentum feci , aut recepi pro*
„ *aliquo Conſulatu Civitatis Piſtorii dando aut*
„ *recipiendo . Et concordor cum ſociis meis in*
„ *Arringo electis de quinque hominibus in Con-*
„ *ſulatu eligendis , qui mihi videantur idonejo-*
„ *res*

---

cipali delle loro Città , con queſto però , che i
Cherici ſteſſero ſotto le Leggi de' Laici . In ve-
rità queſta protezzione in que' tempi , ne' quali
gli Eccleſiaſtici dilapidavano i loro beni , era
totalmente neceſſaria , non che utile . Oggi
certamente ſe non vi foſſe queſta protezzione ,
molte Chieſe ſarebbero venute meno . Il me-
deſimo che fecero i Piſtoleſi , lo fecero quei
della mia Patria . Di queſta pietà n' è pieno lo
Statuto , ch' è nello Spedale . Il noſtro Spedale
della Scala , fondato da' Canonici , vedutoſi di-
lapidare , il Rettore del medeſimo ſupplicò Papa
Celeſtino III. di non eſſer più ſottopoſto a' Ca-
nonici del Duomo , e ottenne d' eſſer ſeparato
dal governo de' Preti , come per le ſeguenti D
Scritture notate al Num. VIII. e IX. a baſtan-
za ſi riconoſce . E ſono una Bolla del mento-
vato Papa Celeſtino III. , ed una Sentenza ,
che ſono nello Spedale . Di poi non avendo il
Rettore gran braccio per poterſi ſoſtenere , il
Comune di Siena ſempre pio verſo la Religio-
ne , ne preſe la protezzione . E allora queſto
Luogo Pio crebbe in potenza , e ſi fece uno
de' più illuſtri Spedali d'Italia . E queſta pro-
tezzione mi giova credere , che avveniſſe dopo
la famoſa battaglia di Monte Aperto , nel qua-
le torno la Città crebbe molto di forze , e di
Territorio . Lo ſteſſo accadde alla noſtra Chie-
ſa Catedrale , i Cannonici della quale , o fuſſe
loro traſcuraggine , ovvero ne fuſſe cagione
la forza de' più potenti , perdettero la mag-
gior parte della Robba , che poſſe levano . Ed è
certo , che i loro Beni furono totalmente dila- E
pidati , come ſi può riconoſcere in gran parte
da quello , che poſſedevano , come da' ſeguenti
Strumenti poſti al Num. X. XI. XII. XIII.
XIV. e XV. ſi vede . Molti altri ſono i Beni
donati alla noſtra Chieſa : ma io pongo ſolo
queſti , e perchè ſono i maggiori , e perchè
iſcoprono le noſtre migliori Famiglie di Con-
tado . Queſta ſtrana dilapidazione fatta da' Ca-
nonici , facilmente moſſe a pietà i noſtri Mag-
giori a prenderla in protezzione , e ridurla
in quella bellezza , nella quale al preſente ſi
trova .

(c) *per Cavalcariam vel Hoſtem* . Così leggeſi anco
all' Articolo o Paragrafo 26. Tal voce vuol dire
Scorreria fatta co' cavalli , o ſia dalla cavalle-
ria militare : ed è qualche coſa minore , che
Oſte , e viene dal Latino-Barbaro . La voce To-
ſcana *Cavalcaia* è pretta Fiorentina.

(d) *Suburbienſis* . Queſta voce mi giova credere , che
ſia lo ſteſſo , che *Suburbani* , che ſi ritrova nell'
Articolo 158. Noi altri dichiamo *le Maſſe* , nel-
la qual voce la Cruſca non ha conoſciuta nè
l'origine , nè il ſignificato .

(e) *Compagnia* , cioè Lega e unione . Queſta voce dal-
la Lingua Volgare è entrata nella baſſa Lin-
gua Latina . E' certo , che queſti Statuti ſono
ripieni di vocaboli Volgari . Io mi contenterò
di notarne alcuni . All' Articolo 65. vi ſono le
parole *intendimentum* , e *advenimentum* . E *Ban-
nus* parola , che viene dalla Lingua Romana ,
o forſi Napoletana . Di parole Napoletane n' è
ripiena la Traduzzione inedita dell' Eneide di
Virgilio , fatta dal noſtro Meo di Ciampolo de
gli Ugurgieri , che fiorì ne' tempi di Dante :
forſi il più antico Volgarizzamento dettato in
proſa , che noi abbiamo di queſto eccellente
Scrittore . E' però un danno , che ſia ſtato
copiato da incognita mano Napoletana . All'
Articolo 18. ſi trova *Vanga* . All' Articolo 19.
Aſinarius . Al 21. *Bandita* . Al 22. *Caballus* , è
parola vecchia . Di lì è venuto il noſtro *Ca-
vallo* . All' Articolo 28 *Divietum* , oggi *Di-
vieto* . Al 45. *Aſſignamentum* . Al 61. *Foreta-
nus* . Al 66. *Tenuta* ; *Superguardari* ; *Serrare* ;
Dricturæ : All' Articolo 67. *Morlati* . Al 95.
Sine accordamento . Al 140. *Calcina* Al 143.
Magagnati . Tal voce ſi trova anco ne' noſtri
antichi Strumenti , parlandoſi di cavalli feriti .
E queſto ſaggio parmi che baſti per dimoſtrare
queſt' uſo . E certo che di queſte voci Volgari
entrate nella baſſa Latinità , ſi potrebbe fare
un bello e nobile accreſcimento al Gloſſario
della baſſa Latinità del celebre Du-Cange .
Io oſſerverò anco , che di queſte voci Volgari
ne ſono aſſai più ripiene le Scritture Toſca-
ne , che quelle dell' altre parti d'Italia , come
per eſempio Venezia , Bologna , Milano . E
certamente leggendo gli Statuti di Verona ,
ultimamente pubblicati , vi ſi trovano molte
voci Volgari , ma non in tanta abbondanza ,
come ne' noſtri . Ciò l'aſcrivo a qualche con-
ſiderazione , che s' incominciava a fare di no-
ſtra Favella in quei tempi antichi . L'oſſerva-
zione delle voci Volgari di Toſcana , entrate
nella baſſa Latinità , la fecero anco i Giorna-
liſti di Venezia nell' eſtratto della Vita di San
Creſci , compoſta dal Canonico Mozzi .

„ *res vel potiores, ad honorem & utilitatem,*
„ *& ſalvamentum Civitatis Piſtorii & Piſto-*
„ *rienſis Populi . . . . . quod amorem & odium*
„ *nec proſint neque obſint. Et non eligam de*
„ *ipſis, qui fuerunt duobus annis retro expletis*
„ *in Calendis Januarii proximi.*

„ §. 6. Item ſtatuimus, ut ſi in ſacramento
„ Piſtorii Conſulum, vel in Conſtituto aliquod
„ Capitulum ſpeciale inveniatur contrarium
„ alicui Capitulo ſpeciali, vel aliquod Capitu-
„ lum generale inveniatur contrarium alicui
„ Capitulo generali, Majores Piſtorii Conſules
„ referant Conſiliariis electis omnibus, quos
„ tunc ſine fraude habere potuerint, & qui
„ omnibus Couſulibus, vel majori parti eo-
„ rum, & omnibus Conſiliariis, vel majori
„ parti eorum, communi Conſilio accepto per
„ ſacramentum placuerint, teneantur. Et ſi
„ aliquod Capitulum ſpeciale ſit contrarium
„ alicui Capitulo generali, cogantur tenere
„ ſpeciale, & dimittant generale.

„ §. 7. Et ſtatuimus, ut ſi quis feritam fe-
„ cerit cum ferro ſtudioſe alicui Concivi, niſi
„ ſe defendendo, vel in bello alicui bellanti,
„ Solidos ſexaginta tollant, & dare ei faciant,
„ qui feritam acceperit.

„ §. 8. Item ſi quis feritam ſtudioſe de ligno
„ alicui Concivi dederit, niſi ſupradicto mo-
„ do, aut in caſtigando familiam, in quadra-
„ ginta Solidos eum puniant, & dare ei fa-
„ ciant, qui feritam acceperit. Item ſi quis
„ Civis alicui Concivi in vultu de manu per-
„ cuſſerit ſtudioſe, niſi in ſupradicto modo,
„ in viginti Solidos eum puniant, & dare ei
„ faciant, qui feritam accepit, niſi vilior per-
„ ſona digniorem gravi verborum vel facti

A „ injuriâ laceſſiverit. Et ſi prædictæ perſonæ
„ non habuerint, unde prædictam pœnam per-
„ ſolvere valeant, expellantur de Civitate, &
„ in toto Conſulatu illius anni in Civitate no-
„ ſtra, nec in Burgis, nec infra tria milliaria
„ prope Civitatem habitare permittantur. (f)

„ §. 9. Et ſtatuimus, ut ſi quis inculpatus
„ fuerit, feciſſe homicidium, & ſe ſuper ſan-
„ cta Dei Euangelia defenderit ante Conſules,
„ vel Rectores pro Communi electos, & . . .
„ pro illo interfecto illi in perſonam, & gra-
„ viter feriendo offenderit, ſimili modo pu-
„ nietur, ut continetur (g) de Homicidiis in
„ Sacramento Conſulum, præterquam de caſa
„ deſtruendâ.

B „ §. 10. Item ſtatuimus, ut ſi aliqua perſo-
„ na pro Communi in Officio Civitatis fuerit,
„ & pro Officio illo ab aliquo ſibi ſtudioſe &
„ feriendo graviter, niſi ſe defendendo, in
„ perſona offenſio facta fuerit, ille qui intulit
„ offenſionem, puniatur, ut de homicidio,
„ præterquam de Turre & Caſa. Et ſi fuerit
„ offenſio in habere, in quadruplum ei reſti-
„ tuatur ab eo, qui damnum dedit.

„ §. 11. Item ſtatuimus, ut ſi quis Piſtorii
„ Civis captus vel deprædatus fuerit ab aliquo
„ vel aliquibus perſonis, Majores Piſtorii Con-
„ ſules pro ſuo poſſe ſine fraude perſonam &
„ havere recuperare adjuvent.

„ §. 12. Item ſtatuimus, ut noſtri Majores
C „ Conſules habeant curam & ſtudium, quate-
„ nus Piſtorii Cives cum eorum bonis ſecure
„ poſſint ire & redire.

„ § 13 Item ſtatuimus, ut ſi quis de no-
„ ſtris Civibus captus, (h) vel deprædatus
„ fuerit in aliquâ Terrâ, noſtri Majores Con-
„ ſules

(f) All' Articolo Settimo e Ottavo ſi trovano nominate diverſe pene, che ſtimo, che ſieno preſe da' Longobardi, ovvero da altri Popoli Settentrionali. Nelle Leggi Saliche pubblicate da Giovanni Giorgio Eccardo, fol. 45 vi ſono delle Leggi corriſpondenti a queſte de' Piſtoleſi. Nel titolo delle ferite, fra l'altre coſe leggeſi: *Si quis hominem plagaverit, & ſanguis ad terram cadit, & fuerit approbatum, Malb. Chalſrido DC denariis, qui faciunt Solidos XV. culpabilis judicetur. Si quis hominem capite plagaverit, & exinde oſſa exierint, Malb. Chalſrido MCC. denar. qui faciunt Solid. XXX. culpabilis judicetur. Si quis hominem ita plagaverit, ut cerebrum appareat, & ſua oſſa deſuper cerebro exierint, Malb. Huperda Aſenus MDCCC. denar. qui faciunt Solidos XLV culpabilis judicetur. Si verò intra coſtas, aut in ventrem, ita ut vulnus ad interiora pervenerit, & ſemper cuſſat & non ſanat, Malb. Prioblitta MMD. denar qui faciunt Solidos LXII cum dimidio, exceptâ medicaturâ, pro qua Solidos VIII. componat, qui faciunt denarios CCCIX. Si quis ingenuus ingenuum fuſte percuſſerit, & ſanguis tamen non exierit uſque ad tres colpos, Malb. VVadſaltho CCCLX. denar qui faciunt Solidos VIII culpabilis judicetur &c* Le pene degli Statuti Piſtoleſi, tuttochè dimoſtrino eſſer maggiori, ſtante la grande ſcarſità di moneta, che era tra i Barbari di là dal Mille, ſono nulladimeno minori. Le pene però fra queſti Barbari non erano uguali. Queſte ſi praticavano ſecondo l'uſo di diverſe Nazioni, che v'abitavano. Queſta diverſità di Nazioni la riconobbe anco Carlo Magno in un ſuo Capitolare fatto nell' Anno 793. Eccone le ſue parole: *De diverſis Generationibus hominum, qui in Italia commorant, volumus, ut ubicumque culpa contigerit, unde Faida creſcere poteſt, propter eas fatigationes hominis illius, contra quem culpaverit, ſecundum illius Legem, cui negligentiam commiſit, emendet. De ſtatu verò ingenuitatis, aut aliis querelis, unuſquiſque ſecundùm ſuam Legem componat.* E quei che vivevano *Lege Salicâ*, furo gli ultimi a venire nella noſtra Italia. Io mi penſo, che vi veniſſero poco prima di Carlo Magno; ma dopo di lui ve ne venne gran copia; e di dieci per eſempio, che abbiamo dagli Antichi, due terzi almeno vivono *Lege Salicâ*. Noi altri sì di Piſtoja, come di Siena eravamo ſotto de' Longobardi. E quando nel 774 Carlo Magno ſoggiogò la Città di Pavia, e con queſta il Regno de' Longobardi, noi incominciam-
D mo a contare li Anni dalla preſa di Pavia, come ſi oſſerva in uno Strumento del Principe Chigi, nel quale ſi legge: *In Dei nomine, regnante Domno noſtro Carolo Rege Francorum & Langobardorum, quo cepit Langobardiam, Anno Regni ejus Tertio, Pridie Idus menſis Magii, Indictione XV.* Noi oſſerveremo, che Monſignor Fontanini, Lib. *Vindiciæ antiquorum Diplomatum*, fol. 246. prende granchi come balene, nel reſtringere che fa l'Epoche di Carlo Magno a ſolo quattro, quando in maggior numero queſte dovevano eſſere, chiaro eſſendo, che molti paeſi aveva egli acquiſtato, e che dalle ſoggiogazioni di diverſi Popoli ſono derivate molte Epoche.

(g) E' certo a mio credere, che i Piſtoleſi avevano qualche particolare Statuto, o deliberazione, come riſulta da queſte parole: *Ut continetur de*
E *Homicidiis in ſacramento Conſulum.* Ed anco all' Articolo 27. leggeſi: *Et ſtatuimus, ut quidquid dictum eſt in ſacramento Poteſtatis, & omnibus Statutis &c.*

(h) In queſto Articolo ſi tratta delle *Ripreſaglie*, alle quali tanto attendevano i noſtri Maggiori. Di queſt' uſo ne ſono ripieni i noſtri Libri. Nulladimeno i Compilatori della Cruſca non hanno inteſo la forza di queſta voce. Nel prodromo del Libro intitolato *Codex juris gentium* del dottiſſimo Leibnizio, fol. 23. a noſtro propoſito ſi legge: *Literæ a Ferdinando Rege Siciliæ ad Ludovicum XI. Galliæ Regem per Fecialem miſſæ, quibus queritur, quod Chriſtophorus Columbus triremes ſuas deprædatus ſit; poſtulatque ſibi ablata reſtitui. Datum in Terra Fogiæ die VIII. Decembris* 1474 Dopo queſta richieſta quando non foſſe reſtituito il tolto, ſi veniva a invadere i

Beni

„ ſules tunc requirant homines illius Terræ :
„ & poſt tertiam inquiſitionem , ſi prædicta
„ bona deprædata readquirere non potuerint ,
„ capiantur bona hominum illius Terræ in
„ tantundem .
„ §. 14. Item ſtatuimus , ut nemo capiatur
„ in Civitate Piſtorii , nec in ejus Burgis ſine
„ juſſione Majorum Conſulum . Et ſi contra
„ hoc factum fuerit, Conſules faciant eum ab-
„ ſolvere , & ſecundùm quod a Conſiliariis
„ electis conſilium habuerint , faciant & ob-
„ ſervent .
„ §. 15. Et ſtatuimus , ut ſi in ſacramento
„ Piſtorii Conſulum , vel in Conſtitutionibus
„ aliquod dubium de ipſo ſcripto fuerit , Ma-
„ jores Conſules habeant Conſilium cum omni-
„ bus Conſiliariis electis illius anni , qui tunc
„ Piſtorii fuerint ; & qui ſine fraude potuerint
„ haberi , & ſecundùm quod videbitur omni-
„ bus prædictis , vel majori parti eorum ſu-
„ per ſacramentum intellectum illius ſcripti
„ dubii fore , taliter ſit & permaneat .
„ §. 16. Et ſtatuimus , ut Majores Conſu-
„ les Piſtorii mittant Cuſtodes , & faciant cu-
„ ſtodire Sylvam , quæ vocatur vulgo Urſi-
„ nia , ne incidatur nec comburatur , nec ali-
„ quatenus deguaſtetur in Conſulatu ; & ſic fa-
„ ciant jurare ſuos ſucceſſores , & ipſi ſimili-
„ ter uſque ad terminum quindecim annorum,
„ niſi communi Conſilio Conſulum & Conſilia-
„ torum omnium , vel majoris partis immu-
„ tatum fuerit .
„ §. 17. Et ſtatuimus ut Majores Conſules
„ non faciant inveſtitionem neque conceſſio-
„ nem de Bonis Civitatis noſtræ ſine communi
„ concordia omnium Conſulum , vel majoris
„ partis , & omnium Conſiliatorum , vel ma-
„ joris partis , habitâ per ſacramentum .
„ §. 18. Et ſtatuimus , ut Majores Conſules
„ infra quindecim dies proximos per ſacra-
„ mentum eorum præſtitum mittant bannum
„ ſub pœna duodecim Denariorum , (i) ut
„ nullus Laborator terrarum a Kalendis No-
„ vembris uſque ad Kalendas Aprilis accipiant
„ in die pretium ab aliquo Cive Piſtorienſi ul-
„ tra duos Denarios , niſi quando laborat cum
„ Vanga, præter victualia, vel niſi faciat foſ-
„ ſam , tunc accipiat Denarios tres . Et a Ka-
„ lendis Aprilis uſque ad Kalendas Novembris
„ Denarios quatuor , præter victualia . Et ſi
„ quis Laboratori tenuerit ſuam mercedem ul-
„ tra dies octo, pro qua Laborator ſibi petie-
„ rit , tollant ei Denarios duodecim , niſi per
„ Laboratorem ſteterit . Similiter puniatur ,
„ quod plus dederit , ut ſupra dicitur .
„ §. 19. Item ut nullus Aſinarius a Kalendis
„ Novembris uſque ad Kalendas Aprilis , pro
„ diurna mercede accipiat ultra Denarios VI.
„ in die , & a Kalendis Aprilis uſque ad Ka-
„ lendas Novembris Denarios VIII. præter vi-
„ ctualia . Qui contra hoc dederit vel accepe-
„ rit , & cognitum fuerit , componat denarios
„ XII. Et hoc idem ſpectet ad officium Re-
„ ctoris , duplum mercedis puniendi .
„ §. 20. Et ſtatuimus , ut nullus Magiſter
„ Lignaminum a Kalendis Novembris uſque
„ ad Kalendas Aprilis ultra Denarios. V. in
„ die pretio accipiat , & a Kalendis Aprilis
„ uſque ad Kalendas Novembris ultra Dena-
„ rios VII. præter victualia .
„ §. 21. Idem dicimus de Magiſtris Petra-
„ rum . Et juret Rector Cappellanus obſer-
„ vare & habere curam , & ſtudium invenien-
„ di , ſi plus acceperint . Et hoc faciant ban-
„ dire Conſules ſuper eorum ſacramentum .
„ §. 22. Et ſtatuimus, ut omnes Ferrarii
„ Piſtorii jurari de cetero non teneantur ſecu-
„ ritatem , in qua teneantur per ſacramentum
„ vendere ferros vel clavos ferreriæ ad cer-
„ tum pretium conſtitutum , aut in qua te-
„ neantur non ferrare ſine pretio vel ferro ,
„ aut clavos non concedere , & non lucrentur
„ de duodecima ferri, niſi Denarios duodecim,
„ & ſic de omnibus duodecinis . Et Ferrarii
„ accipiant tres Denarios de ferro Caballi , &
„ de clavis , & ferrent pedes pretio , & non
„ plus , niſi emtor melius ferrum voluerit. Et
„ accipiat de ferro Aſini, & clavis ſuis, ſi ha-
„ beat ferrum ; & de clavellariis hoc idem
„ faciant & accipiant . Item hoc idem faciant
„ de ferris Muli . Si autem ferrum habuerit
„ quatuor clavellarias , tunc accipiant in fer-
„ rare Denarios duos , & ferro pro eodem
„ pretio & non plus : & de ſuo ferro , & de
„ ſuis clavis . Si autem Ferrarius fecerit fer-
„ rum non de ſuo ferro , tunc accipiat pro fa-
„ ctura & ferratura unum Denarium & dimi-
„ dium , & non plus . Et ſi ferraverit Ferra-
„ rius Caballum , ſeu Mulum non de ſuo fer-
„ ro & non de ſuis clavis , tunc debeat ferra-
„ re duos pedes Caballi pro uno Denario . Et
„ ſi de ſuo ferro & de ſuis clavis , tunc acci-
„ piat unum Denarium de pede , & Ferrarius
„ non falſaverit ferrum .
„ §. 23. Et ſtatuimus , ut omnes Macella-
„ tores jurari de cetero non teneantur ſecuri-
„ tatem , in qua teneantur per ſacramentum.
„ Nec aliquis Macellator beſtiam vel beſtias
„ ad libitum ſuum , etiam contra voluntatem
„ vel interdictum aliorum , poſſit beſtias eme-
„ re , & interficere , vel carnem vendere , &
„ de qua carne interrogatus . . . . . .

In

Beni del ſuddito di quel Principe, o di quella Città . E queſto chiamavaſi far Ripreſaglia. Tal' uſo dovette durare intorno al Mille cinque cento . Ne' noſtri Statuti dell' ultima compilazione , fatta intorno a queſto tempo , ſono proibite le Ripreſaglie.

(i) *Ut nullus Laborator &c.* Si comanda , che i Lavoratori del terreno non abbiano più di due Denari l'inverno, e quattro l'Aprile , infino a Novembre . Queſt' uſo al preſente ſi pratica particolarmente da' Muratori. La penuria del denaro faceva in quei tempi dare sì piccole mercedi . Il commercio e l'iſcoperta dell' Indie , furono la vera cagione d'accreſcere la copia delle mercedi. Queſte anco nel Secolo del 1400. erano in baſſo ſtato . Appreſſo di noi ſi legge in un Contratto dell' Archivio del noſtro Duomo , che nel 1308. Duccio del quondam Buoninſegna, Cittadino Seneſe, celebre Dipintore, preſe a fare una Tavola dell' Altar Maggiore del Duomo , e fra gli altri paſſi vi ſono che ; *dictus autem Dominus Jacopus Operarius , nomine dicti Operis , & pro eo , dare & ſolvere promiſit dicto Duccio pro ſuo ſalario dicti operis & laborerii , ſexdecim Solidos Denariorum Senenſium pro quolibet die , quo dictus Duccius laborabit ſuis manibus in dicta Tabula : ſalvo quod ſi perderet aliquam doctam diei, debeat computari de dicto ſalario pro tota docta , ſive temporis perditi. Quod quidem ſalarium idem Operarius , nomine quo ſupra, dare teneatur , & promiſit dicto Duccio hoc modo , videlicet quolibet menſe , quo dictus Duccius laborabit in dicta Tabula , dare eidem Duccio Libras decem Denariorum in pecunia numerata ; & reſiduum dicti ſalarii excompenſare in Denariis, quos idem Duccius dare tenetur Operi Sanctæ Mariæ ſupradicto.*

In nomine (k) *ſanctiſſimæ individuæ Trinitatis. Amen* .

„ §. 24 Statuimus , ut Poteſtas Piſtorii ha-
„ beat in protectionem & defenſionem Eccle
„ ſiam Sancti Zenonis , & ejus bona , & ha
„ beat in protectionem & defenſionem (l) om-
„ nes Eccleſias , & Loca venerabilia , & eo-
„ rum bona , uſque ad quattuor milliaria pro-
„ pe Civitatem Piſtorii , quæ ſunt noſtri di-
„ ſtrictus , ſalvo jure Patronorum . Et qui
„ modò Poteſtas poſſit facere , quod utile fue-
„ rit noſtræ Civitati . Intellectus talis eſt ,
„ quod teneatur de hoc Capitulo , ſi Epiſcopus
„ Piſtorienſis , vel Capitulum Piſtorii promi-
„ ſerint ſolemniter , quod ipſi , & ſui Clerici
„ ſtabunt in judicio cum Laicis , & dederint
„ Conſulibus licentiam & Poteſtati , ut con-
„ ſtringant omnes ſuos Clericos ad rationem
„ ſtare .

„ §. 25 Et ſtatuimus , ut Poteſtas Piſtorii
„ non portet Corredum (m) de collo, vel de
„ doſſo de Communi , niſi conſilio omnium
„ Conſiliariorum , vel majoris partis , qui
„ tunc Piſtorii fuerint .

„ §. 26. Et ſtatuimus , ut Poteſtas Piſtorii
„ non faciat vindictam in havere vel perſonas,
„ niſi communi conſilio Conſiliatorum electo-
„ rum omnium , vel majoris partis , qui tunc
„ Piſtorii fuerint , exceptis pœnis & vindictis
„ in Capitulo ſpecialiter expreſſis . Quod ſi
„ iverit extra Civitatem per Cavalcajam vel
„ Hoſtem , poſſit facere vindictam, ſecundùm
„ quod ei meliùs fuerit viſum ad honorem &
„ bonum Piſtorii Populi .

„ §. 27 Et ſtatuimus, ut quidquid dictum
„ eſt in ſacramento Poteſtatis , & omnibus
„ Statutis & aſſignamentis de pœnis tollendis ,
„ de damnis dandis, qui teneantur non redde-
„ re nec emendare , nec facere reddere , nec

A „ facere emendare . Et ſimiliter ſuum proxi-
„ mum ſucceſſorem Poteſtatem & Conſules
„ jurare faciunt ; & quodcumque bannum de
„ havere alicui Piſtorienſi Civi , vel de Piſto-
„ rienſi Burgio , aut Suburbio , vel diſtrictus
„ Piſtorii : propter honorem Piſtorienſis Popu-
„ li teneantur non emendare nec emendare
„ facere .

„ §. 28. Item ſtatuimus , ut Poteſtas toto
„ tempore ſui Dominii faciat , & facere faciat
„ decretum omnibus manifeſtis inimicis Piſto-
„ rienſis Populi , ſecundùm quod meliùs po-
„ tuerit ad honorem noſtræ Civitatis , & ad
„ malum & damnum noſtrorum inimicorum
„ infra duos Menſes proximos , pro quantum
B „ ſacramentum præſtitit .

„ §. 29. Et ſtatuimus , (n) ut ſi in ſacra-
„ mento Poteſtatis , vel in Conſtituto aliquod
„ Capitulum ſcriptum inveniatur contrarium
„ alicui Capitulo ſpeciali , vel aliquod Capitu-
„ lum generale contrarium inveniatur alicui
„ Capitulo generali , Poteſtas referat Conſilia-
„ riis electis omnibus , & ſine fraude hoc pe-
„ tat . Et ſi omnibus Conſiliariis , vel majo-
„ ris partis eorum communi conſilio accepto
„ per ſacramentum placuerit , teneatur . Et
„ ſi aliquod Capitulum ſit contrarium alicui
„ Capitulo generali , teneatur ſpeciale & di-
„ mittatur generale .

„ § 30 Et ſtatuimus , ut ſi quis feritam
C „ cum ferro fecerit alicui Concivi , niſi ſe de-
„ fendendo, vel in bello alicui bellanti fecerit ,
„ Poteſtas Solidos quadraginta ei tollat , &
„ dare ei faciat , qui feritam acceperit ,
„ ac etiam pacem fieri faciat , & . . . . . pro
„ Communi tollat , & non reddat , nec pacem
„ faciat. Item ſi quis ſtudioſe feritam de ligno
„ alicui Concivi dederit, niſi ſupradicto modo,
„ aut niſi caſtigando familiam ſuam . in ſexagin-
„ ta Solidis; & dare ei faciat, qui feritam acce-
„ pit

(k) Di nuovo ſi ripete l'invocazione : *In nomine ſanctiſſimæ individuæ Trinitatis. Amen* . E' curioſo l'indagare perchè queſta repetizione vi ſia, ogni volta ch' è fatta nel principio di queſti Statuti . Se m'è lecito apportare il mio parere, dirò, che non v'è ripetuto di nuovo l'Anno , perchè ſono tutti ſtati fatti , o compilati nel medeſimo tempo. Ma l'invecazione, perchè gli Statuti riguardano diverſe perſone , è ſtato neceſſario repeterla . Queſta ſeconda invocazione riguarda i Podeſtà , perchè i Podeſtà avevano tolta preſſo che tutta l'autorità a' Conſoli : perciò la maggior parte di queſti Statuti riguardavano i Podeſtà , e non i Conſoli. Si vede chiaro, che nel medeſimo tempo v'erano i Conſoli , e il Podeſtà. Ma creſcendo l'autorità di tempo in tempo quella de' Podeſtà , a poco a poco venne meno la dignità de' Conſoli. Appo i Saneſi la dignità de' Conſoli , ma non con tutta l'autorità, durò inſino al 1213. come ho detto nelle mie Note alla Cronica Saneſe. E queſti Conſoli ſecondo Celſo Cittadini incominciarono nel 1146 Egli nel ſuo Signoriſta inedito , ovvero Riſtretto delle Famiglie Nobili di Siena così parla : *Or volendo venire a' particolari , premetteremo , che dall' Imperador Carlo Magno inſino al 1146 o ivi d'intorno il ſommo Maeſtrato di Siena foſſe ſotto nome di Conte annuo, ovvero a tempo, eletto dall' Imperadore del numero de' ſuoi Baroni ; o erano de' Nobili del Contado , o di Cittadini del Popolo di eſſa Città , come viene in parte moſtrato dal Malavolta . Alla prima parte dell' Iſtoria non c'è rimaſta coſa alcuna , eccetto i Bandinelli , che n'hanno avuti tre , cioè . . . . il Conte Bandinello ſuo figliuolo . L'altre Caſe , che n' hanno avuti , ſono ſpente dal 1146. fino al 1213* Celſo Cittadini fra' noſtri è ſtato il primo a reſecare la vera Storia dalle favoloſe traddizzioni Nulladimeno non poſſo negare, che egli non abbia preſo in chioccha molti farfalloni . E' certo, che egli doverà avere appreſo, che fin dell'
D Anno 1145. ne' noſtri Contratti vi ſono nominati i Conſoli . Ma egli dà in fallo nel penſare, che mentre v'erano i Conſoli, non vi foſſero anco i Conti inſino a Filippo Duca di Toſcana, come per l'avanti s'è provato Mi maraviglio anco aſſai , che fra le Famiglie Saneſi eſiſtenti non ſi ponga altri , che i Bandinelli, che abbiano goduta queſta dignità , quando è noto , che *Paltonieri* era noſtro Conte, e che ſecondo il medeſimo Cittadini era de' noſtri *Ugurgieri*, che al preſente ſono anco in Siena. Voglio però confeſſare , che *Ugurgieri* e *Bandinelli* ſieno una medeſima conſorteria . Ma quello , che mi fa maggior caſo nel Cittadini, ſi è , ch' egli troppo facilmente ha creduto a un Buondoni , e a un Biſdomini, Scrittori, che hanno raccolto le più rozze tradizzioni , che ſieno ſparſe nella Città di Siena Queſti Scrittori ſono ſtati le delizie del noſtro cianciοſo
E Girolamo Gigli, come a pieno ſi riconoſce nel ſuo Diario . A queſta ſorgente ha bevuto anco il noſtro Cittadini con molta parſimonia.

(l) Queſte protezzioni delle Chieſe , mi penſo, che ſieno fatte ad imitazione di Carlo Magno, che tanto amava di proteggere le medeſime, come ſi può vedere ne' Capitolari di queſto Principe.

(m) *Corredum* : cioè Segno o Arme del Comune . Queſta voce in queſto ſignificato non è nota nè al Du-Cange , nè a' Compilatori della Cruſca Io credo però , che non fuſſe Arme, ma ſolo per ſegno di diſtinzione da un luogo all' altro .

(n) Quæ in hoc Paragrapho ac ſubſequentibus repetuntur, ad Poteſtatum regimen ſpectantia, eadem fere ſunt ac ea quæ ſupra in §. 6. & ſeqq. ad Conſulum adminiſtrationem pertinentia leguntur . *Muratorius*.

A „ pit ante pacem factam. Et inſuper ſi aliquis feritam pro communi tollat, non reddet, nec reddere faciet. Item ſi quis Civis alicui Concivi .... tunc Poteſtas in quadraginta Solidos eum puniat, niſi vilior perſona digniorem gravi verborum vel facti injuriâ laceſſiverit. Quod ſi prædictæ perſonæ non habeant, unde dictas pœnas perſolvere valeant, expellantur de Civitate noſtra, & de toto dominio illius anni in Civitate noſtra, nec in ejus Burgis, nec infra tria milliaria prope Civitatem habitare permittat. Intellectus talis eſt: quod ſi aliquis incontinenti ...... vindictam fecerit in perſonam ejus, qui fuerit percuſſus, non teneatur inde aliquid tollere.

B „ §. 31. Et ſtatuimus, ut ſi aliquis inculpatus fuerit, feciſſe homicidium, & ſe ſuper Dei Euangelia defenderit ante Majores Conſules & Electores, vel Poteſtatem pro Communi electos, & pœnam aliquam pro illo interfecto, illi in perſonam, & graviter feriendo offenderit, ſimili modo puniatur, ut continetur de Homicidiis in ſacramento Conſulum, præterquam de Caſa deſtruenda & Turri.

„ §. 32. Item ſtatuimus, ut ſi aliquis, qui pro Communi in officio Civitatis noſtræ, & pro illo officio ab aliquo ſibi ſtudioſe & graviter injuriâ ferienda facta fuerit, niſi ſe
C defendendo, ille, qui intulit offenſionem, puniatur, ut de homicidio, præterquam de Turre & Caſa. Et ſi fuerit offenſio in havere, in quadruplum ei reſtituatur ab eo, qui damnum dedit.

„ §. 33. Et ſtatuimus, ut ſi aliquis Piſtorii Civis capiatur ſic ab aliquo, vel aliquibus perſonis, Majores Piſtorii Conſules pro ſuo poſſe ſine fraude perſonam & havere recuperare adjuvent, & ipſum redire.

„ §. 34 Et ſtatuimus, quod Poteſtas habeat curam & cuſtodiam, quatenus Piſtorii Cives cum eorum bonis ſecure poſſint ire & redire.

„ §. 35. Item ſtatuimus, ut ſi quis de no-
D ſtris Civibus captus & retentus fuerit in aliquo tempore, Poteſtas faciat reddere Civem illum Terræ, & poſt unam inquiſitionem.

.... (o) ....

„ §. 36. Donata, ſive locata, vel in emphiteoſim data, vel in tenimentum, vel libellario nomine data, vel in affictum collocata, ſine conſenſu totius Capituli, vel majoris partis, ex uſu noſtræ Civitatis non teneat, priuſquam Poteſtas & Conſules ſcierint, & infra quadraginta dies proximos reſcindant & reſcindi faciant. Et ſi qua perſona ſciens fecerit conqueſtum a jam dicta Eccleſia, vel aliquibus ſupradictorum, quartam partem pretii amittat, & noſtræ Reipublicæ
E applicetur .... pignoraverit tempora emptionis, pretium non amittat, & conqueſtum reſcindat, ſi potuerit ſe defendere per ſacramentum, ſe ignoraſſe. Et Poteſtas & Conſules non poſſint dare parabolam (p) ſine Conſilio Conſiliatiorum omnium, vel majoris partis, qui tunc temporis aderunt.

„ §. 37. Item de aliis Eccleſiis ſtatuimus, quæ ſunt in Civitate Piſtoria, vel extra Civitatem prope quatuor milliaria, ſi aliquis Rector ipſius Eccleſiæ alienaverit, & pignori obligaverit, vel alio modo alicui perſonæ in conqueſtum dederit ſine licentia ſui Patroni, ſi habuerit, vel de aliquo de Patronariis, *inf*ra quadraginta dies proximos, ex quo ſcierint, reſcindant, & reſcindere faciant.

„ §. 38. Item ſtatuimus de poſſeſſionibus Eccleſiæ de Fonte Taonis, & Sancti Bartholomei ſuper Prata, vel Crucis Arandilianæ, quæ ſunt intra noſtrum diſtrictum.

„ §. 39. Item ſtatuimus de poſſeſſionibus prædictarum Eccleſiarum, quæ poſſeſſiones ſunt intra noſtrum diſtrictum, quod ſi Epiſcopus vel aliquis Prælatus vendiderit, vel pignoraverit, vel alio modo in conqueſtum dederit ſylvas; & Epiſcopus, vel alius Prælatorum infra quadraginta dies proximos requiſitus fuerit a Rectoribus Civitatis, non revindicaverit, non permittam eum uti & frui de bonis prædictarum Eccleſiarum, ſed omnibus privetur, niſi ſupradicta ſolempnitas fuerit obſervata, quæ continetur in ſuperiori Capitulo.

„ §. 40. Item cenſuimus & ſtatuimus, ut puella noſtræ Civitatis, Burgiorum, & Suburbiorum, poſt ſuæ matris deceſſum tradat ſe nuptui ante duodecimum annum ſuæ ætatis completum, nec ejus Mundualdus hoc agere poſſit. Et ſi qua perſona hoc fecerit, caſſum ſit & inutile, & ipſa puella ad Mundualdum ſuum redeat. Poſt duodecimum verò annum ſuæ ætatis expletum, Mundualdus ejus poſſit eam matrimonio collocare & maritare. Et ſi poſſeſſio puellæ eſt ei libera, ipſe Mundualdus ſibi retineat de ſubſtantia puellæ propter Mundualdum ſolvere.

„ §. 41. Si autem poſſeſſio puellæ fuerit, & eſſet major aut minor centum Libris, pro unaquaque Libra percipiat Mundualdus duodecim Denarios, & non amplius. Intellectus talis eſt, quod omnia iſta habeant locum, ſi puella relicta eſſet abſque Patre; & ſi Mundualdus male tractaverit puellam, vel poſſeſſionem puellæ .... nihil ſibi retineat de poſſeſſione puellæ. Si autem puella poſt duodecimum annum ſuæ ætatis expletum, ſe nuptui tradiderit, & ipſum factum Mundualdo non placuerit, niſi ipſe Mundualdus fraudulenter retinuerit ipſam puellam, non retineat de poſſeſſione puellæ centum Libras, ducentos Solidos. Si poſſeſſio puellæ eſſet major & minor centum Librarum, pro unaquaque Libra habeat ipſe Mundualdus duos Solidos nec amplius. Quod autem ſupradictum Mundualdum ..... poſt duodecimum annum ſuæ ætatis expletum intelligimus, ut hoc poſſit fieri cum voluntate partis, & ipſam puellam bene tractando. Et ſi contra hoc conſtitutum Mundualdus aliquid fecerit, nil ſibi retineat de poſſeſſione puellæ. Quod dictum eſt ſuperius, Mundualdum poſſe retinere de ſubſtantia centum Libras & ducentos Solidos, ſi major vel minor fuerit poſſeſſio puellæ centum Libris & centum Solidis, locum habere

(o) Heic pagina deſideratur, ob exeſas nimium literas. *Muratorius*.

(p) *Parabola*. Da queſta voce viene quella di *Paravola*, e poi *Parola*. In queſti Statuti non ſignifica favellamento per ſimilitudine, ma altro a mio credere non importa, che dir parola, o promettere. E' molto da lodare la pietà de' Piſtoleſi in difendere i beni delle Chieſe. Tanta diligenza non la veggio praticare ne' noſtri Statuti.

A ,, habere intelligimus tantùm in Mundualdo
,, legitimo. Mundualdus verò teſtamentarius
,, & dativus percipiat tantùm de poſſeſſione
,, puellæ XX. Solidos, etſi dativus vel teſta-
,, mentarius eſſet talis perſona, quod ſi non
,, eſſet dativus vel teſtamentarius, de jure
,, eſſet legitimus.
,, § 42. Item ſtatuimus, ut ſi Epiſcopus a
,, Kalendis Januarii proximi uſque ad proxi-
,, mum Feſtum Sancti Jacobi non perſolverit
,, conſtitutum Feudum decem Librarum (q)
,, Hermanno & Paganello, vel in die Sancti
,, Jacobi, vel ab alio ſequenti die uſque ad
,, unum Menſem proximum, de Epiſcopatu
,, Poteſtas prædictum Feudum tollat.
B ,, § 43. Item ſtatuimus, ut ſi publicus Ca-
,, marlingus (r) aliquod pignus ex illis, quæ
,, ad ejus manus in ſuo officio pervenire po-
,, tuerunt, perdiderit, cogatur ipſe Camar-
,, lingus prædictum pignus reſtituere, ſi po-
,, tuerit. Quod ſi reddere non potuerit, de
,, ipſo Marſupio prædictum pignus emendare
,, debeat, niſi illud pignus ſuo domino dedif-
,, ſet cum licentia Conſulum vel Poteſtatis.
,, § 44 Statuimus, ut Poteſtas non reddat,
,, nec condonet, nec reddi, nec condonari
,, faciat pro faſcibus aliquid de datis.
,, §. 45. Et ſtatuimus, ut Poteſtas non ac-
,, cipiat de Communi mandatum nec pro ar-
,, mis, nec pro equis; nec aliquod aſſigna-
C ,, mentum ſibi nec alii faciat abſque communi
,, concordia omnium Conſiliariorum, vel ma-
,, joris partis, & abſque concordia Arbitro-
,, rum vel Arbitri, qui tunc pro Communi
,, in Civitate Piſtoria fuerint habiti per ſacra-
,, mentum.
,, §. 46. Statuimus, ut Poteſtas infra quin-
,, decim dies proximos a primo Kalendarum
,, Januarii faciat deſtrui omnes Balcos (ſ)
,, cum juſſu Conſulum deſignatos & non de-
,, ſtructos, aut tunc deſtructos, & mox refe-
,, ctos, vel nunc in viis publicis...... fa-
,, ctos; & quod in ſuo dominio illos non per-
,, mittat refici. Idem ſtatuimus ut faciat de
,, Banchis fixis circa Forum, & in viis pu-
D ,, blicis.
,, §. 47. Et ſtatuimus, ut ſi aliquid additum
,, vel deminutum fuerit in Sacramento & Con-
,, ſtituto Poteſtatis, ſine concordia Poteſtatis,
,, ille qui addidit, vel deminuit, & addi vel
,, deminui fecerit, non ſit in aliquo tempore
,, vitæ ſuæ in aliquo Civitatis noſtræ Officio,
,, niſi ſe per ſuum ſacramentum defenderit,
,, quod nec addidit nec deminuerit, nec addi
,, nec deminui fecerit in fraudem, ut Poteſtas
,, neſciret, vel Conſules. Et Poteſtas de de-
,, minuto illo, ſi umquam memorari potuerit,
,, totum teneatur obſervare, & de addito illo
,, vel..... ſacramenti ſui vel conſtituti....
,, tunc teneatur obſervare.
,, §. 48. Item ſtatuimus, ut Poteſtas infra
,, quadraginta dies proximos, ex quo ſibi fue-
,, rit reclamatum, cogat filios olim Tignoſi,
,, Brunetti, & Sabarini, & omnes alios Cives
,, Piſtorienſes ſtare ad rationem, & eſſe ad co-
,, mandamentum Conſulum. Et ſi Poteſtas fa-
,, cere non poterit, tollat eis ducentos Soli-
,, dos. Et ſi tollere non potuerit, pejoret eum
,, in tantumdem, & infra quinque dies mittat
,, extra Civitatem, & in toto ſuo dominio
,, non permittat habitare. Et ſic faciat jurare
,, ſuos Succeſſores.
,, § 49. Statuimus, ut res Pupillorum. Pu-
,, pillarumve, dicti noſtri Majores Conſules
,, vendere & alienare, aut in aſſiicto vel in
,, tenimento data & pignorata, aut quæ in
,, antea dabuntur, aliquo titulo a Tutoribus
,, Pupillorum vel Pupillarum, aut ab ipſis Pu-
,, pillis cum auctoritate Conſulum vel Poteſta-
,, tis, de cetero non retineantur, nec ullo
,, modo vel ratione violenter; & ſic faciant
,, jurare ſuos proximos ſucceſſores Conſules &
,, Poteſtatem, & ſic ſemper per ſucceſſionem
,, Conſulatus vel Poteſtatis.
,, §. 50. Item ſtatuimus, ut nullus Clericus
,, (t) noſtræ Civitatis, ex quo in Eccleſia or-
,, dinatus fuerit, non poſſit habere victum &
,, veſtitum competentem, alienare, aut dare,
,, aut vendere, aut offerre, aut in aſſictum,
,, vel in tenimentum, de parte ſuæ poſſeſſionis
,, paternæ vel maternæ. Et inde aliquid non
,, percipiat invitis fratribus vel ſororibus, aut
,, nepotibus vel neptibus, niſi pro infirmitate
,, ſuæ perſonæ, (u) & niſi in Scholas ſtuden-
,, di causâ iverit.
,, §. 51. Item ſtatuimus, ut Poteſtas de ce-
,, tero ad proximas Kalendas Februarii faciat
,, colligere & ordinari menſuram, & pillam
,, (x) blavæ ad rugulum talem, qui non ſit
,, major nec minor illius menſuræ & pillæ,
,, quæ nunc eſt? & quod ab hac die in antea
,, Poteſtas non permittat illas nec minui nec
,, accreſci aliquo modo.
,, §. 52 Statuimus, ut Poteſtas & Conſules
,, de cetero non imponant Datium in Civitate,
,, nec in diſtrictu Piſtorienſi, nec præſtantiam,
,, nec

(q) In queſto Articolo veggo, quanto i Piſtoleſi s'ingegniarono di ſoſtenere i Feudi de' Grandi, nel numero de' quali giovami credere, che fuſſe Ermanno e Paganello. I noſtri fecero al contrario. Sempre ſi moſtrarono poco amici de' Grandi, come comunemente appariſce per le noſtre Iſtorie.

(r) Ivi ſi legge *Camarlingus*, e non *Camarlengus*. Preſentemente noi dichiamo *Camarlengo*. Ma i noſtri antichi, come ſi può oſſervare ne' noſtri antichiſſimi Statuti dello Spedale, molto meglio dicevano *Camarlingo*.

(ſ) *Balcos*. Di quì a mio avviſo viene il noſtro *Palco*, cambiata la B. in P, che è più dolce. I *Palchi* o *Palchetti*, che ſi facevano fuora delle caſe in Siena, erano aſſai comuni a noi. Queſti durarono longo tempo, e certamente al tempo del noſtro Pandolfo Petrucci Tiranno di Siena ve n'era gran copia. Dalla parola *Banchi* ſi è detto *Panche*, e i Fiorentini dicono *Panche* quello, che noi dichiamo *Banche*.

E (t) Non ſi può mai finire di lodare le diligenze de' Piſtoleſi nello ſtare attenti, che i Cherici non dilapidaſſero le robbe e i beni paterni

(u) *Niſi in ſcholas ſtudendi causâ iverit*. Mi penſo, che intender voglia il noſtro Studio. Nel 1248. come ſi legge nella Storia del Malevolti, e ne' noſtri Libri pubblici, i noſtri mandavano in diverſe parti Ambaſciatori a invitare gli Scolari allo Studio di Siena. E certamente nel Libro della Campana di tal' Anno v'è il novero de' Lettori in ogni facoltà. Ma non ſi dice, che incominciaſſe allora. Io dubiterei, che fuſſe incominciato verſo la fine dell' Imperio di Federigo I. Egli era un gran fautore delle buone Lettere

(x) Io dubito, che ſi debba leggere *Pilam*, e che ſignifichi un Vaſo, che contenga più ſtaja. Di queſto ſe ne ſervono per macinare l'Olive, riempiendoſi il vaſo di tante ſtaja d'olive. Queſta voce è ignota al Du-Cange.

„ nec Asbergum (y), nec Ronthinum (z), „ nec equos: & ut non compleant aliquam „ menam pro Civitate, nec recipiant guerram „ pro Communi, niſi communicato Conſilio „ Rectorum omnium Artium Civitatis Piſtorii, „ vel majoris partis, niſi earum Artium Rector de Terra illa ortus ſit, cum qua guerram habuerit. Et ſi fecerint pacem, faciant convocato Conſilio omnium Rectorum „ Civitatis Piſtorii, vel majoris partis. Et „ quod non eligant, nec faciant eligi Poteſtatem & Conſules in Civitate Piſtoria, niſi „ per ipſum Conſilium ab omnibus Rectoribus „ Artium Civitatis Piſtorii vel majoris partis. „ Et quod non eligant, nec faciant eligi Poteſtatem & Conſules, in Civitate Piſtoria, „ niſi per ipſum Conſilium ab omnibus Rectoribus Artium Civitatis Piſtorii, vel a majori parte petierint, qualiter Poteſtas & Conſules abſque ambitione, vel appoſtamento, „ aut Simonià (a) eligi poſſint. Et illud „ conſilium, quod modò eis dederint, Poteſtas vel Conſules teneantur obſervare.

„ §. 53. Item ſtatuimus, ut Poteſtas vel „ Conſules adjuvent manutenere eos, qui habent a Communi vel pro pignore, aut pro „ tenuta de rebus filiorum olim Gualandini, „ uſquedum rehabuerint integraliter omnes „ præſtantias, quas mutuaverint Communi, & „ omnes res, pro quibus præſtantiæ res eis „ fuerint datæ a Communi.

„ §. 54. Statuimus, ut non imponatur Datium in diſtrictu Piſtorii ultra tres Solidos „ per focum (b) excepto paupere de Civitate „ . . . . & paupere, niſi per guerram, vel „ Miſſum (c) Imperatoris.

„ §. 55. Statuimus, ut unuſquiſque Judex „ Civitatis Piſtorii, ſedens pro tribunali, habeat per annum feudum octo Librarum. Et „ unuſquiſque Advocatus habeat feudum octo „ Librarum per annum. Et ſtatuimus, ut „ Poteſtas ſic faciat jurare ſuos proximos ſucceſſores Conſules vel Poteſtatem: & ſic „ ſemper.

„ § 56. Statuimus, ut nec Poteſtas, nec „ Judices, nec Caſtaldi, nec eorum Miſſi manducent aliquid de Communi in Civitate Piſtoria, nec infra unum milliare prope Civitatem, niſi pro aliquo negotio Civitatis, de „ quo non poſſint ſe expedire abſque incommodo Civitatis; & niſi (d) Poteſtas ſit forinſeca, quæ poſſit comedere de Communi, „ ſicut ei fuerit ſtatutum, & non aliter.

„ §. 57. Statuimus, ut Conſules & Poteſtas „ non teneantur ſindicare aliquem ex præteritis Conſulibus, vel Judicibus, aut Officialibus, neque eorum Conſulem ex ſuis ſociis, „ vel Officialibus, aut Judicibus. Nec teneantur inquirere, utrum Conſules, vel Officiales prædicti fuiſſent electi per ambitionem, vel per preces, vel intellectum Et „ hoc dicimus & ſtatuimus, ne in Civitate „ ulla poſſit oriri diſcordia.

„ §. 58. Item ſtatuimus, ut nulla perſona „ Piſtorienſis Civitatis, præter fratrem carnalem, vel filium ſuum, & præter nepotem „ ſuum ex filio, vel ex fratre carnali, cuſtodiat ſe de aliqua offenſa vel homicidio, quam „ & quod alliquis ejus propinquus, vel conſobrinus alicui feciſſet, ſi modò ante Poteſtatem vel Conſules ad ſancta Dei Euangelia purgaverit, ſe illi, qui homicidium vel „ offenſam fecerit, nullum adjutorium vel conſilium prædediſſe. Et ſi poſt purgationem „ aliquis eorum, qui ſe purgaverit, graviter „ feriendo offenderit, Poteſtas & Conſules puniant eum, ut de homicidio.

„ §. 59. Statuimus, ut Poteſtas legat, & „ legi faciat ſibi omni Menſe coram ſe in communi Conſilio coram Conſiliariis Breve, ad „ quod juravit, ut eligat ſingulis menſibus, & „ faciat eligi duos ex Conſiliariis, quos jurare faciat, ſe eſſe intentos & ſollicitos ad „ Breve, quando leget. Et ſi invenerint „ eum in perjurio alicujus Capituli, de quo „ teneatur, inde eum reprehendent, & corripiant dicendo, ut infra triginta dies proximos recuperet. Quod ſi non fecerit, palam „ de perjurio Poteſtatum in concione eum patefaciat.

„ §. 60. Statuimus, ut Poteſtas non reddat „ parabolam alicui foretano, qui in eum non „ jurabit habitare Piſtorium, ut ſemper ſicut „ juravit non habitare in Civitate Piſtorienſi, „ de habituro nullam parabolam alicui ex foretanis reddat.

„ §. 61. Item ſtatuimus, ut Poteſtas faciat „ emendari & perſolvi Magiſtris Piſtorii omne „ id, quod . . . . . & juraverint, ſe contra „ recipere a Communi Piſtorienſi de ſervitio, „ quod fecerit in annis in Burgo in Serravalle „ dehinc ad proximas Kalendas Majas.

„ §. 62. Item ſtatuimus, ut Poteſtas non „ mittat aliquem cuſtodem, nec mitti faciat „ in Turri de Serravalle, niſi ejus poſſeſſio „ non valeat in Civitate Piſtoria ultra trecentas Libras: & qui non promittat ipſam Turrim defendere. Et faciat eum jurare, ſe „ non deſcendere de Turri, infra cuſtodiam „ ſibi aſſignatam, & moram & tempus ſibi „ deſtinatum; & quod de quatuor in quatuor „ Menſes mutet Cuſtodem, & faciat ſequeſtrum Turris ſerratum eſſe ita quod Cuſtos „ non poſſit inde exire infra ipſum, & prop-

„ ter

(y) *Asbergum*, armatura del buſto, voce tralaſciata nel Leſſico Militare del Padre d'Aquino. E lo ſteſſo che *Usbergo*.

(z) *Rontbinum*, forſe *Ronzino*, ſorta di cavallo, voce tralaſciata dal Du-Cange.

(a) *Simonia*, voce traſportata dalle coſe ſacre alle profane.

(b) Queſta impoſizione per fuochi è aſſai antica. Qualche coſa di ſimile parmi che ſi legga ne' Capitolari dei Re di Francia al Cap. 3. Eccone le parole. *Stetit nobis de illis liberis hominibus Longobardis, ut licentiam habeant ſe commendandi, ubi voluerint, ſicut in tempore Longobardorum fecerunt, in tantum ut ſuo Comiti faciant rationabiliter, quod debent*: cioè che paghino un tanto per fuoco, e poi ſi ſottopongano a che Nobile vogliono. Al noſtro Caleffo dell' Aſſunta ſi legge, che al tempo di Miſſer Pandolfo di Faſcianella Capitano Generale in Toſcana è fatta una ricerca nello Stato Saneſe delle Ragioni dell' Imperio, che v'avevano i Conti. E fra l'altre coſe ſi racconta, che *Martinus de Baneto de Sticiano, juratus dixit, quod neſcit, Curiam Imperatoris habuiſſe vel habere demanium in Sticiano, vel ejus Curte. Dixit tamen. quod homines ipſius Terræ uſi ſunt dare annuatim Curiæ Imperiali ſex Denarios pro foculare, exceptis Nobilibus, Officialibus, Portinariis, Viduis, Orfanis, & francis. Et aliud neſcit.*

(c) *Miſſus Imperatoris*. Queſta dignità dimoſtra che Piſtoia in tal torno non godeva una piena Libertà.

(d) *Niſi Poteſtas ſit forinſeca*. Da queſte parole ſi riconoſce, che i Piſtoleſi, come i Saneſi, prendevano i loro Podeſtà or Foraſtieri, or Paeſani.

,, ter indemnitatem ſuæ perſonæ , etſi propter
,, infirmitatem , modò in concione . . . . . . &
,, quod Poteſtas non dominetur Cuſtodi , qui
,, ibi ponetur .
,, §. 63. Item ſtatuimus , ut Poteſtas dehinc
,, ad proximas Kalendas Junii faciat emendari
,, ... Judicibus Piſtorii omne id , quod
,, unus habeat in ſacramento facto eis de equis
,, & armis prædictis .
,, § 64. Item ſtatuimus , ut de pœnis apud
,, Curiam noſtram rationabiliter judicetur , ita
,, quod medietas pœnarum , ... & alia ,
,, cui debeat , attribuatur . Et ſtatuimus , ut
,, oblatio tota . . . . . . puniatur ad operam &
,, ad opus , ſi quid . . . . . . ſic & . . . . . de-
,, fraudare illam , ita quod oblatio non ſit tota
,, apud Poteſtatem , & ſic ſemper ſine immu-
,, tatione .
,, §. 65. Statuimus , ut Poteſtas infra octo
,, dies proximos , ex quo juraverit ſacramen-
,, tum dominii ſui , faciat concionem (e) , &
,, in concione eligat duos homines Cives Pi-
,, ſtorii bonæ famæ , quos ſtatim faciat jurare,
,, ut continuo in concione eligant quinque bo-
,, nos homines meliores, quos dictus eis dede-
,, rit cognoſcere , ad utilitatem Civitatis Pi-
,, ſtorii & ſalvamentum ; & illos quinque ho-
,, mines protinus in eadem concione coram
,, Populo faciat jurare , quod dehinc ad tri-
,, ginta dies proximos æſtimabunt , & menſu-
,, rabunt terrenum totum infra foſſas novas Ci-
,, vitatis Piſtorii , & circa foſſam de Araina
,, undique . Et quod infra eumdem terminum
,, illud terrenum menſuratum & diviſum inci-
,, dant & partiantur inter Cives Piſtorii & fo-
,, retanos Piſtorii , qui ſunt ſoliti dare Da-
,, tium Civitati Piſtorii, & operam ad muros ,
,, vel ad foſſam , & inter Eccleſias & Hoſpi-
,, tales de diſtrictu Piſtorii, & inter Caſtellum
,, Villam & Portas Civitatis , & per Cappel-
,, lam ſuburbanorum inter latitudinem, vel la-
,, titudinem. Et imponant eis murum ædifican-
,, dum melius quod cognoverint , ſalvo com-
,, muni honore & utilitate Civitatis Piſtorii
,, coæquato , ita quod pauperi (f) Villæ , &
,, Cappellæ, vel Caſtello tamquam pauperi, &
,, diviti tamquam diviti imponatur , non con-
,, ſiderato odio nec amore , nec ullâ humanâ
,, gratiâ : & ita quod poſſint pauperi Portæ
,, Civitatis tamquam pauperi , & diviti tam-
,, quam diviti , non conſiderato amore nec
,, odio , nec ullâ humanâ gratiâ ; & quod in-
,, tra eumdem terminum per. . . . . coram
,, Conſiliariis majorum . . . . & coram
,, Rectoribus Portarum convocatos per cam-
,, panam . . . . Et Poteſtas dehinc ad pro-
,, ximas Kalendas Martii faciat jurare Recto-
,, res Portarum Civitatis , & Caſtellorum ,
,, & Villarum , ut infra eumdem terminum
,, aperiant ſive Villæ , ſive Caſtello , & Cap-
,, pellæ cuilibet partem ſuam melius , quod
,, cognoverint, diviti tamquam diviti, & pau-

A ,, peri tamquam pauperi , non conſiderato
,, amore nec odio , nec ullâ humanâ gratiâ .
,, Et quod intra eumdem terminum facient ju-
,, rare unumquemque hominem de ſuo Caſtel-
,, lo , & ſua Villa , & Cappella : & quod
,, tam in Civitate , quàm de foris infra dictum
,, Annum partem ſuam prædictam recipi fa-
,, ciat , tertiam quidem partem in præſenti
,, Anno incipiant , & aliam tertiam partem in
,, ſequenti Anno , & reliquam tertiam partem
,, in tertio Anno. Et quod quilibet Rector im-
,, ponat ſibi ipſi partem ſuam prædicti muri ,
,, & cuilibet de Officialibus , & Judicibus , &
,, Conſulibus , & Poteſtati Civitatis , qui fue-
,, rint in ſua Cappella & Caſtello , aut Villa ,
B ,, ſecundùm ſuum podere . Et quod non con-
,, ſiderent ibi amorem nec odium , aut ullam
,, humanam gratiam . Et ſic faciant jurare
,, ſuam proxime ſuccedentem Poteſtatem , &
,, illam ſuam , & ſic ſemper per Succeſſores ,
,, donec murus fuerit expletus .
,, §. 66. Item ſtatuimus,ut taliter ille Domi-
,, nus , qui apud Serravallem moraturus eſt ,
,, juret: *Ego ſalvabo & defendam Caſtrum Ser-*
,, *ravalle & ejus munitiones ad honorem & ſal-*
,, *vamentum Civitatis Piſtoriæ , & Piſtorienſis*
,, *Populi . Et non ero in conſilio nec in facto,*
,, *nec in conſtituto, nec per me, nec per alium ,*
,, *aliquo ingenio , quod Civitas Piſtorii perdat*
,, *Caſtrum Serravalle , & ejus munitiones , vel*
C ,, *aliquam tenutam , aut dignitatem , quam Ci-*
,, *vitas Piſtoria in Serravalle vel de Serravalle*
,, *habet , & videtur habere . Et ego non dabo,*
,, *nec reddam , nec dari nec reddi faciam , nec*
,, *permittam dari nec reddi Caſtrum Serravalle,*
,, *nec ejus Turrim , neque ejus munitiones , nec*
,, *tenutam ullam, quam Piſtoria ibi habet , vel*
,, *habere videtur , alicui perſonæ , niſi illa*
,, *perſona prius juret ad ſalvamentum & utilita-*
,, *tem & honorem Civitatis Piſtoriæ , hoc ſa-*
,, *cramentum obſervare & adimplere in omnibus*
,, *& per omnia , ſicut ego juravi . Et quod*
,, *perſona ſit electa a Communi Populo Piſtorienſi.*
,, *Item habebo curam & ſtudium die , noctuque*
,, *faciendi cuſtodiri, & ſuperguardari Caſtrum*
D ,, *Serravalle , & ejus munitiones ad honorem &*
,, *ſalvamentum Civitatis Piſtorii per bonam fi-*
,, *dem ſine fraude . Et ego ſerabo , & ſerari*
,, *faciam omnes Portas Caſtri Serravalle ſingu-*
,, *lis noctibus per fidelem nuntium , quem jura-*
,, *re corporaliter ad ſancta Dei Evangelia fa-*
,, *ciam , omnes illas Portas per bonam fidem*
,, *ſerrare ſingulis noctibus ; & apud me claves*
,, *Caſtri & Turris tenebo , & coram me ſerra-*
,, *ri faciam . Item recolligam & recolligi fa-*
,, *ciam omnia affitta & poſſeſſiones , & redditus*
,, *Molendini, quæ recolliguntur apud Serraval-*
,, *lem pro Communi Piſtorii , & exigam & tol-*
,, *lam pœnas ab Hominibus de Serravalle impo-*
,, *ſitas , & drictur as omnes convenientes ante*
E ,, *Kalendas Januarii in Communi Piſtorii Con-*
,, *ſilio denuntiabo , atque onmes illas in mani-*
,, *bus*

(e) L'uſo delle Concioni fatte da coloro , che ottenevano qualche nobile dignità , è ne' tempi baſſi aſſai antico . Queſte Concioni ſono ſtate il vero motivo dell' avanzamento di noſtra Favella per lo continuo uſo de' Parlamenti , che nelle Città libere ſi facevano. Di queſte ne ragiona Fra Guidotto da Bologna nella Rettorica, qual Libro, come egli dice, fu in Volgare, e non in Latino dettato come pretende il dottiſſimo Anton Maria Salvini nelle Note alla Perfetta Poeſia del letteratiſſimo Signor Propoſto Muratori. E ſopra di ciò mi pare , che anco qualche coſa dica Dante nel ſuo Convivio.

(f) *Pauperi*. Di quì è venuta la voce Franceſe *Pauvre* e *Pauvres* , e la noſtra *Povero* e *Poveri*. E quì è da oſſervare , che i Franceſi ſcrivono molte voci come le trovano : ma l'*au* de' Latini la cambiano in *O*. come oſſerva l'eruditiſſimo Ecardo nelle Note alle Leggi Saliche . Noi altri Italiani aſſai meglio facciamo , che ſcriviamo como pronunziamo.

A ,, *bus & poteſtate publici Camerarii Civitatis*
,, *Piſtorii dabo & dari faciam . Sed prius mihi*
,, *exinde retinere potero Feudum meum , ſi a*
,, *Communi non eſſet mihi ſolutum. Item quid-*
,, *quid a me , vel aliud per me pro Communi ,*
,, *vel de Communi pervenerit , vel datum fue-*
,, *rit , dabo , vel dari faciam in manu & po-*
,, *teſtate prædicti Camerarii Civitatis Piſtorii ,*
,, *excepto ad portam ſine conventione dato , non*
,, *valente ulterius . . . . . . Et tenebo Populum*
,, *Serravallenſem in pace ; & per bonam fidem*
,, *ad honorem Piſtorii . Et lites , quas Homi-*
,, *nes de Serravalle inter ſe habent , vel habue-*
,, *rint in meo dominio , infra triginta dies fi-*
,, *niam & finiri faciam , niſi alio modo finian-*
,, *tur , exceptâ lite homicidii , vel ſecationis*
B ,, *membri . Et omnes reclamationes mihi in*
,, *Serravalle factas ab aliqua perſona de Ser-*
,, *ravalle infra triginta dies proximos conti-*
,, *nuos finiam , & finiri faciam , ſecundùm*
,, *quod Deus mihi melius dederit cognoſcere ,*
,, *niſi per reclamationem remanſerit , vel niſi*
,, *conſenſus partium intervenerint . Et ei , qui*
,, *cauſam dedit , de ejus valente duodecim De-*
,, *narios tollam & tolli faciam unum Denarium*
,, *per drictum . Et ego continue per totum an-*
,, *num die noctuque apud Serravallem habitabo,*
,, *& nullam noctem extra Serravallem faciam ,*
,, *& aliqua nocte extra Serravallem non ſtabo ,*
,, *nec morabor , niſi per manifeſtum impedimen-*
,, *tum meæ perſonæ . Et non recipiam , nec re-*
C ,, *cipi faciam de Communi Piſtorii ultra Feu-*
,, *dum viginti trium Librarum mihi conſtitu-*
,, *tum . Item faciam , quod Serravalle per*
,, *Commune . . . .*
,, §. 67 Item ſtatuimus & cenſemus, ut Po-
,, teſtas faciat compleri murum Caſtri Serra-
,, valle undique ex omni circuitu , & merlari
,, dehinc ad proximas Kalendas Junii : & fa-
,, ciat ibi compleri omnes impoſitas , ſi impo-
,, ſitæ fuerint , per Portam & Cappellam ab
,, illis , quibus fuerint impoſitæ .
,, §. 68. Item ſtatuimus , ut Poteſtas , aut
,, Conſules Piſtorii tollant & tolli faciant om-
,, nes pœnas , quæ continentur in ſacramento
D ,, & conſtituto eorum de homicidio , & de fe-
,, rita ferri , & de ferita facta cum manu , aut
,, cum ligno , ſeu cum lapide , & omnes alias
,, pœnas impoſitas Hominibus , qui tulerint
,, aliquam perſonam de tenuta , vel qui tolli-
,, tus fuit , aut auferant fructus de tenuta ali-
,, cujus ; & omnes alias pœnas , quæ in ſacra-
,, mento & conſtituto eorum continentur. Pœ-
,, nas quidem impoſitas de tenutis vel fructibus
,, ablatis tollant , & tolli faciant intra octo
,, dies proximos poſt reclamationem ſibi fa-
,, ctam , aut eos infra eumdem terminum
,, damnificent , ſicut ſupra dicitur . Reliquas
,, verò pœnas Hominibus pro aliis culpis im-
,, poſitas tollant , & tolli faciant infra octo
E ,, dies proximos , ſi requiſierint , vel requiſiti
,, fuerint , aut eos , a quibus pœnam habere
,, non potuerint , damnificent , ſicut ſupra di-
,, ctum eſt . Quod ſi Poteſtas , vel Conſules
,, non fecerint , aut ſi tulerint & reddiderint ,
,, vel reſtauraverint de ipsâ Camerâ & marſu-
,, pio, injuriam paſſo infra octo dies proximos
,, a prima reclamatione , & ex quo ſcierint ,
,, pœnam attribuant . Et Conſul & Conſules
,, ſi pœnam tollere voluerint aliquo ex ſuis So-
,, ciis , & illi pœnam tolli noluerint , infra
,, octo dies proximos faciant pulſari ad arrin-
,, gum , & palam Populo illum Conſulem &
,, Conſules , qui ſe inde ſubtraxerint , ſi unus
,, vel plures fuerint , injuriam paſſo infra octo
,, dies proximos poſt reclamationem , & ex
,, quo ſcierint , pœnam de ſuo proprio perſol-
,, vant .
,, §. 69. Statuimus , ut Poteſtas aut Conſu-
,, les non emendent ſibi aliquem equum , nec
,, Arma , niſi ut arbitratum fuerit . Et quod
,, non reſervent nec retineant in ſe, ſed ſecun-
,, dùm ſacramentum Arbitrorum .
§. 70. Statuimus , ut ex quo a Judicibus &
,, Caſtaldis fuerit denuntiatum Poteſtati , vel
,, Conſulibus, quod aliqua perſona de Civitate
,, Piſtoriâ vel Burgis ſuis , aut Suburbiis , non
,, ſit coram Judicibus vel Caſtaldis ad ratio-
,, nem faciendam , Poteſtas vel Conſules infra
,, tres dies proximos primâ denuntiatione co-
,, gant illam perſonam jurare comandamentum,
,, & comandamenta Judicum & Caſtaldorum ,
,, niſi ſit talis perſona , quæ non poſſit jurare
,, per votum , vel per ſacramentum priùs fa-
,, ctum . Et illa perſona , quæ jurare non
,, poterit , cogatur dare . . . . . ad voluntatem
,, Judicum & Caſtaldorum , & ſtare ad ratio-
,, nem faciendam emendationis uſque ad finem
,, cauſſæ .
,, §. 71. Statuimus , ut nulla Poteſtas Piſto-
,, rii , nullus ex Conſulibus recipiat , aut re-
,, cipi faciat , nec permittat recipi ad Portum
,, vini ultra unum coppum vini. Nec annonam
,, nec aliam Blavam (g) ab aliqua Eccleſia ,
,, nec ab aliquo Monaſterio , nec ab aliquo
,, Hoſpitali , nec ab aliquo Rectore , ſive
,, Conſule alicujus Caſtelli ſeu Loci vel Villæ,
,, nec ab aliqua perſona alicujus Cappellæ, nec
,, ab aliqua perſona in ſuo dominio & Conſu-
,, latu , quæ eſſet extra Civitatem pro negotio
,, Civitatis . . . . . . tunc enim poſſit recipere ,
,, & nonniſi pro victu & expenſis neceſſariis in
,, illo facto pro quo eſſet .
,, §. 72. Item ſtatuimus, ut Poteſtas nullam
,, præbeat tenutam abſque Judicibus alicui , nec
,, Judices unus abſque altero , nec Conſules ,
,, niſi ſint ſimul, & non niſi in loco , ubi cau-
,, ſæ ſolent ventilari , aut in antea ventilabun-
,, tur, & niſi per ſcripturam publicam; & hæc
,, locum habeant de cetero .
,, §. 73. Item ſtatuimus, ut quicumque de
,, Civitate Piſtoria , vel Burgis , aut Suburbiis
,, de cetero juraverit, ſe alium occidere ; quod
,, ex quo Poteſtas aut Conſules audierint, Po-
,, teſtas aut Conſules veritatem inveniant , &
,, poſtea ei centum Solidos tollant , vel tolli
,, faciant ; & non reddant , nec reddi faciant,
,, nec reſtaurent , nec reſtaurari faciant . Et ſi
,, ei tollere nequiverint , in ducentis Solidis
,, eum pejorent & pejorari faciant , ſi habue-
,, rit , unde poſſit pejorari.
,, §. 74. Item ſtatuimus , ut Poteſtas , ſeu
,, Conſules faciant pulſari ad Arringum , &
,, faciant concionem in ea die , ut eis videbi-
,, tur, plenum poſſe haberi Populum in menſe
,, Martii & in menſe Maji & in menſe Julii,
,, & in menſe Septembris .
,, §. 75. Item ſtatuimus , ut ſi quis Civis
,, Piſto-

(g) *Blava*; poi *Biada*, robba da macinare. In queſto ſignificato ſi prende anco in una parafraſi inedita dalle Favole d'Eſopo fatta da un Saneſe nel buon torno . Oggi ſolo ſi prende per una ſorte di robba , che ſi dà a mangiare a' Cavalli, e ad altre beſtie.

„ Piſtorii , vel de Burgis , aut Suburbiis ſuis
„ de cetero interceſſerit aut fidejuſſerit , aut
„ ſe paratorem conſtituerit , ſeu fidem bo-
„ nis ſuis pignori obligaverit alicui , qui non
„ ſit de noſtro diſtrictu , & ipſe in aliquo per-
„ ditam fecerit , quod Poteſtas , aut Conſules
„ faciant prædicta integraliter reſtituere , niſi
„ fecerit perditam illis, pro quibus fidejuſſerit.
„ Et hoc locum habeat in futuris negotiis , &
„ non in præteritis .

„ §. 76. Statuimus , ut Poteſtas , ſi quis
„ fuerit in Civitate Piſtoriâ , poſt ſuæ dignita-
„ tis exitum palam moretur in Civitate , & in
„ ejus Burgis , aut Suburbiis , & per quinqua-
„ ginta dies continuos patiatur Sindigatum ,
„ & quodcumque præceptum Poteſtas ei ſuc-
„ cedens , aut Conſules , & Sindigi pro ſuo
„ officio ei fecerint obſervari , & effectui man-
„ cipari , & ad terminum & terminos , quem
„ & quos ei exinde dederint .

„ §. 77. Statuimus , ut Poteſtas & Conſu-
„ les dehinc ad proximas Kalendas Februarii
„ faciant jurare Conſules de Carmignano . . . .
„ . . . . octo Homines de Carmignano , & fa-
„ cient jurare meliores , quos ei dederit , co-
„ gnoſcere de ædificiis petrarum & lignaminum
„ factis & faciendis in Carmignano , deſtruen-
„ dis ad utilitatem & ſalvamentum Civitatis
„ Piſtorii , & Piſtorienſis Populi , & Carmi-
„ gnani , & Carmignanenſis Populi . Et quod
„ infra duos dies proximos ex. . . . . de
„ dando meliori conſilio juraver'nt illud Con-
„ ſilium Piſtorienſi Poteſtati, vel Conſulibus . .
„ . . . . . . & Conſilium , quod inde dederint,
„ Poteſtas , & Conſules dehinc ad proximas
„ Kalendas Junii exſequutioni mandent .

„ §. 78. Statuimus , ut Poteſtas & Conſules
„ antequam eligant aliquos Officiales , eligant
„ in concione duos bonos viros , quos jurare
„ facient in concione , eligendos ſine fraude &
„ dolo tres Sindigos, quos meliores eis dede-
„ rit , cognoſcere ſimiliter de illo officio , &
„ quos non crediderint eſſe in aliqua ſummiſ-
„ ſione & compagnia pro aliquo officio dando,
„ aut recipiendo ; & ut illi faciant jurare
„ ſuos , & ſic ſemper ſucceſſorem Conſulatus ,
„ vel Poteſtatis uſque ad quinque annos exple-
„ tos . Et inſuper faciat illos Conſules & Po-
„ teſtatem , quod ipſi faciant jurare Sindigos ,
„ ſe Sindigos ſindigare , & de omnibus pœnis,
„ quas non tulerunt , vel non tulerint : & il-
„ los palam in communi Conſilio Poteſtati &
„ Conſulibus repræſentare . Quos Sindigos ,
„ ut infra dicetur , jurare faciant octo diebus
„ ante Kalendas Januarii .

§. 79. Statuimus , ut ſi Affictuarii diſtule-
„ rint dare affictum in aliquo anno uſque ad
„ Kalendas Martii , & Domini , quibus afficta
„ redduntur , inde apud Conſules & Judices ,
„ aut Caſtaldos , vel Poteſtatem , aut Recto-
„ res querimoniam expoſuerint , & infra tri
„ ginta dies proximos affictum totum Domi-
„ nis, quibus affictum reddunt, Conſules, aut
„ Poteſtas , vel Judices , aut Caſtaldi Afficta-
„ riis dare præcipiant , ſi Affictarios omnes
„ habere potuerint. Quod ſi Affictarii, ex quo
„ requiſiti fuerint tribus citatoriis edictis , vel
„ uno peremptorio a Poteſtate & Conſulibus ,
„ aut Judicibus ſeu Caſtaldis , vel ab aliquo
„ eorum , certo nuntio ; & ante tribunal Po
„ teſtatis vel Conſulum aut Judicum , aut ante
A „ Caſtaldos venire contempſerint , Dominus ,
„ cui affictus reddetur , poſſit ingredi in poſ-
„ ſeſſione rei , de qua affictum reddebatur ,
„ cum auctoritate Conſulum , Poteſtatis , aut
„ Judicum , aut Caſtaldorum . Et Poteſtas &
„ Conſules aut Judices & Caſtaldi auctorizen-
„ tur ei per Nuntium ſuum ; & res , de qua
„ affictum reddebatur , ad Affictuarium non
„ revertatur , & inde ad unum menſem pro-
„ ximum affictum detentum, Domino , cui af-
„ fictum reddebatur , faciant reddi . Quod ſi
„ Affictuarius abſens fuerit , ita quod non poſ-
„ ſit eſſe ante Conſules , & Poteſtatem infra
„ prædictum terminum , & familiæ ejus fuerit
„ denuntiatum , poſtea Dominus , cui affictum
„ reddebatur , valeat ingredi in poſſeſſionem
B „ rei , de qua affictum redditur , cum ſimili
„ auctoritate Poteſtatis & Conſulum aut Judi-
„ cum & Caſtaldorum , ad inſtar rei mobilis ,
„ ita quod ſi Affictuarius ante unum Annum
„ proximum reverſus fuerit , & ſe ad ſancta
„ Dei Evangelia purgaverit , ſe non per con-
„ tumaciam ceſſaſſe, & affictum detentum Do-
„ mino prius ſolvat , & pœnam ſex Denario-
„ rum in quolibet menſe de unaquaque Libra
„ prius dederit , res, de qua affictum reddeba-
„ tur , abſque gravitate ad Affictuarium inte-
„ graliter revertatur : Et ſi infra triginta dies
„ proximos præſcriptum affictum non ſolverit,
„ Dominus , cui affictum reddebitur , poſſit
C „ cum ſimili auctoritate intrare in poſſeſſionem
„ rei , de qua affictum reddebatur , & res ad
„ Affictuarium de cetero non revertatur ; ſed
„ ſit in poteſtate Dominorum, quibus affictum
„ reddebatur , an velint ſibi prædictum conſti-
„ tutum obſervari , an velint ſibi recipere pœ-
„ nam ſibi de afficto ſolvendo promiſſam , at-
„ que pœnam de terra non dimittenda promi-
„ ſerint ; ſed ſoluto affícto medietas meliora-
„ tionis rei , de qua affictum reddebatur , a
„ Domino ad Affictuarium revertatur .

„ §. 80. Item ſtatuimus , ut Poteſtas , &
„ Conſules dehinc ad proximas Kalendas Fe-
„ bruarii faciant jurare omnes Homines , qui
„ eis videbuntur convenientes , & omnes Vaſ-
D „ ſallos & Vaſſallas hominum Piſtorii , & om-
„ nes homines & feminas convenientes a XIV.
„ anno in antea de Piſtorii diſtrictu , ſe non
„ facere furtum , nec taliam , nec incendium ,
„ nec vaſtum , nec furtum alicujus rei , nec de
„ fructibus , nec de oleribus , nec de uvis ,
„ nec de ficibus , nec de caſtaneis , nec de li-
„ gnis , nec de caulibus , nec de porris , nec
„ de aliqua re . Et ſi viderit aliquam perſo-
„ nam facere furtum , illi , cui res fuerit , vel
„ Nuntio Civitatis patefaciat .

„ §. 81. Item ſtatuimus, ut ſi qua perſona
„ de Civitate Piſtoria , vel de ſuis Burgis aut
„ ſuburbiis fuerit capta vel deprædata ab aliqua
„ perſona , quæ non ſit de Civitate Piſtoria ,
E „ quod Poteſtas & Conſules adjuvent perſo-
„ nam, & havere, atque res per bonam fidem
„ recuperare , niſi ſit capta & deprædata pro
„ ſuo furto & fallamento ſeu latrocinio .

„ §. 82. Item ſtatuimus, ut Pot ſtas & Con-
„ ſules non permittant , aliquam Decimam
„ fieri in Civitate Piſtoria , nec in ſuis Bur-
„ gis .

„ §. 83. Item ſtatuimus, ut Poteſtas & Con-
„ ſules faciant fieri unum (h) Rubium pro
„ unaquaque Cappellâ Civitatis Piſtorii , ad
„ quam

(h) *Rubium*: ſorte di miſura , che contiene più ſtaja di grano, e al preſente ſi pratica in Romagna. da' noſtri Toſcani . Ma la Cruſca di tal voce non ne fa alcuna ricordanza .

„ quam blava, quæ datur ad molendinum por- A
„ tetur, ita quod ad rubium detur, & ad ru-
„ bium recipiatur.

„ §. 84. Item ſtatuimus, ut Poteſtas & Con-
„ ſules dehinc ad proximas Kalendas Martii
„ faciant jurare omnes Homines de Civitate
„ Piſtorii, & de ſuo diſtrictu, quem diſtri-
„ ctum Civitas Piſtoria datiat, quod non por-
„ tent, nec portari faciant, nec ſe ſcienter
„ portari permittant, & quod non vendent,
„ nec vendi faciant, nec vendi permittent ali-
„ cui perſonæ, quæ ſit de aliqua Terra, vel
„ de ſuo diſtrictu, quæ habeat manifeſtam
„ guerram cum Civitate Piſtoria. Et quod
„ obſervabunt decretum, quod Conſules &
„ Poteſtas miſerint eo modo, quo decretum
„ miſerunt: & quod non vendent blavam, B
„ nec vendi facient, nec vendi ſe ſcienter per-
„ mittant alicui perſonæ, niſi ſit de Civitate
„ Piſtoria & de ſuo diſtrictu. Et in qualibet
„ Terra de diſtrictu Piſtorii mittant duos Pro-
„ curatores, quos jurare faciant, ſe habere
„ curam & ſtudium die noctuque inveniendi
„ omnes perſonas, quæ de blava aliquid fece-
„ rint. Et ſi quam perſonam invenerint tunc
„ facientem blavam, ei tollant, nec reddant,
„ nec reddi faciant, nec reſtaurent, nec re-
„ ſtaurari faciant; ſed poſſit hoc decretum
„ mutari & relinqui cum communi conſilio.

„ §. 85. Item ſtatuimus, ut Poteſtas vel
„ Conſules faciant fieri rationem a Camarlin- C
„ go de omnibus rebus ſibi pro Communi da-
„ tis & omnibus expenſis factis in Kalendis Ja-
„ nuarii per quatuor dies. Et ſtatuimus, ut
„ Camarlingus non præbeat victum neque pa-
„ nem neque vinum nec aliud per Nuntium
„ dictæ Civitatis alicui, niſi Poteſtati & ſuæ
„ familiæ; & quod nihil alicui Piſtorienſi Civi
„ de Communi pro victu attribuet, niſi fortè
„ cum Poteſtate pro facto Civitatis, & ſine
„ Poteſtate pro negotio Civitatis eſſet.

„ §. 86. Item ſtatuimus, ut Poteſtas non
„ eligat latronem vel falſarium, nec eligi fa-
„ ciat per quantum noverit, in aliquo officio
„ Civitatis.

„ §. 87. Item ſtatuimus, ut Poteſtas faciat D
„ dare operas & obſequia Civitatis ab om-
„ nibus Officialibus Civitatis Piſtorii, & a
„ Rectoribus Cappellarum, ſicut alii homines
„ Piſtorii debent recipere.

„ §. 88. Item ſtatuimus, ut de cetero qui re-
„ cuſaverit Conſulatum & recuſaverit eſſe Ju-
„ dicem, Poteſtatem, & Caſtaldum, Advo-
„ catum, & Camarlingum, ut Anno illo non
„ ſit Conſiliarius Civitatis; aut qui refutave-
„ rit, ſe eſſe Poteſtatem, & recuſaverit, &
„ per ſacramentum teneatur, ſe non poſſe eſſe
„ Conſulem vel Judicem aut Caſtaldum, ut
„ non ſit Anno illo Conſiliarius Civitatis Piſto-
„ rii. Et qui de cetero juraverit, non ſit Con-
„ ſiliarius Civitatis. Et qui refutaverit Con- E
„ ſulatum, poſſit eſſe Conſiliarius.

„ (i) ....

„ §. 89. *Ego non ſum in aliqua Campagnia*
„ *vel commiſſione aliquo ingenio, de Civitatis*
„ *Piſtorii Conſulatu, vel officio aliquo dando*
„ *vel recipiendo. Et ab hac die, in qua uſque*
„ *ad Kalendas Januarii proximi, & exinde*
„ *uſque ad ultimum diem Menſis Decembris pro-*
„ *ximi venturi, per totam diem dicam & fa-*
„ *ciam & tractabo omnes honores & utilitates*
„ *Populi Civitatis Piſtorii, ejuſque Burgiorum,*
„ *& ſuburbiorum majorum & minorum, ſecun-*
„ *dùm quod melius cognovero ..... Eccleſiis,*
„ *Hoſpitalibus noſtris rationem, & laudatos*
„ *uſus noſtræ Civitatis obſervabo, ſi Rectores*
„ *Eccleſiarum & Hoſpitalium per me in judicio*
„ *extiterint, & niſi proclamaverint.*

„ §. 90. *Et in toto tempore mei dominii ha-*
„ *bebo in protectionem & defenſionem Eccleſiam*
„ *Sancti Zenonis & ejus poſſeſſiones & bona;*
„ *& loca omnia venerabilia, & Eccleſias &*
„ *eorum bona, quæ ſunt in Civitate iſta vel*
„ *Burgis vel Suburgis, aut infra quatuor mil-*
„ *liaria prope Civitatem Piſtorii. Hoc idem*
„ *faciam de Eccleſia Sancti Salvatoris de foris,*
„ *& ..... Epiſcopi & Crucis ..... &*
„ *Sancti Barunti.* (k)

„ §. 91. Si aliquis Prælatus Eccleſiæ Sancti
„ Zenonis, vel Canonici Sancti Zenonis, vel
„ Prælatus alicujus Eccleſiæ, quæ Eccleſiæ ſint
„ in Civitate Piſtoria, vel intus quatuor mil-
„ liaria prope Civitatem Piſtorienſem, vendi-
„ derit, pignoraverit, permutaverit, aut lo-
„ caverit alicui perſonæ immobilem alicujus
„ Eccleſiæ ſine aſſenſu ſui patroni, vel patro-
„ norum, vel ſui Populi, reddi faciam. In-
„ tellectus talis eſt, quod ipſi non poſſint fa-
„ cere aliquid de prædictis ſine voluntate &
„ parabola Capituli Canonicorum Sancti Ze-
„ nonis, & Poteſtatis Piſtorii. Et propter Ca-
„ nonicos Sancti Zenonis non poſſit aliquis de
„ prædictis facere ſine conſenſu ſui Capituli &
„ parabola Epiſcopi & Poteſtatis Piſtorii ....
„ Prælati, ſi qui ſunt in Civitate Piſtoria, vel
„ infra quatuor milliaria prope Civitatem,
„ non poſſit aliquid de prædictis facere abſque
„ aſſenſu ſui patroni, vel patronorum, & ſine
„ aſſenſu ſui Populi, & ſine aſſenſu Capituli
„ ...... Intellectus talis eſt, quod poſſint
„ facere ...... majori parte Populi. Et ſi
„ quis contra prædictam fecerit, & ......
„ reclamatum fuerit uſque ad XI. dies reddi
„ faciat ...... in quo erat contenta, vel fa-
„ ciat ...... per Præconem Civitatis infra
„ quindecim proximos dies poſt Kalendas Ja-
„ nuarii.

„ §. 92. Viduis & Orfanis noſtræ Civitatis
„ & Burgorum ejus, rationem & laudatos
„ uſus noſtræ Civitatis obſervabo; & faciam,
„ ſi mihi reclamaverint, ut de eis mihi recla-
„ matum fuerit; & omnes reclamationes a
„ perſonis Civitatis Piſtorii vel Burgorum, aut
„ Suburbiorum, & omnium ſuburbanorum,
„ & hominum Piſtorii & diſtrictus, in ſeptis
„ mihi delatis, in majori Eccleſia vel ejus Co-
„ mitio, aut in Palatio Epiſcopi, vel in con-
„ ſtituto loco a Conſulibus & Conſiliariis, ſine
„ fraude ſuſcipiam & ſuſcipi faciam. Si mihi
„ pignus datum fuerit ad meam voluntatem,
„ infra triginta dies proximos continuos jure
„ aut bono uſu noſtræ Civitatis, vel ipſe fa-
„ ciam, vel committam Judicibus cauſam, niſi
„ conſenſus partium intervenerit, vel niſi re-
„ clamator a reclamatione deſtiterit.

„ §. 93. Lites mihi manifeſtæ, quas homi-
„ nes

(i) Exciderunt heic aliquot paginæ. Quæ ſequuntur, ſpectant ad Juramentum, ſive ſacramentum Poteſtatis. *Muratorius*.

(k) Queſto *Santo Baronto* lo ritrovo notato nel Martirologio Romano colle Note del Baronio al dì 25. di Marzo. Fiorì circa l'Anno di Criſto 700. e morì in Piſtoia, dove è venerato. Gli Atti della ſua Vita furono pubblicati da i Padri Bollandiſti della Compagnia di Gesù, al ſuddetto giorno.

„ nes noſtræ Civitatis & Burgorum ejus & ſuburbiorum, inter ſe habent, vel in antea habuerunt infra noſtrum territorium, infra quadraginta dies próximos continuos finiam & finiri faciam, niſi alio modo finiantur vel quietentur. Excipio litem homicidii, aut majoris membri ...... centum dies proximos, ex quo illæ lites & reclamationes finitæ fuerint, pignora pro eis data reddam, & reddi faciam, ſi mihi requiſita fuerint, ſolutâ pœnâ & dricto noſtræ Curiæ, niſi juſtâ causâ remanſerint.

„ §. 94. Omnes illas ſententias & laudamenta a retro Conſulibus & Judicibus & a me aut Judicibus meis aut amicis vel arbitris olim datas, & quæ a me, vel a Judicibus meis, aut amicis, vel arbitris antea datæ vel factæ fuerint, de quibus mihi vel Judicibus meis reclamatio facta fuerit in meo dominio, firmas & ratas tenebo & teneri per quantum ſciero faciam; & infra quatuor dies proximos a reclamatione facta .... idque ſcire ſtudebo, & infra triginta dies proximos poſt cognitionem habitam executioni mandabo, & conſcribi eas, & in actis publicis redigi faciam, & ab eo qui laudum ...... faciam.

„ §. 95. Et ſi quis ſententias olim datas, vel laudamenta facta a retro Conſulibus vel Judicibus, aut quæ in antea, vel a Judicibus meis datæ vel factæ fuerint ſtudioſe fregerit, & cognitum & indicatum mihi fuerit, viginti Solidos ei tollam, & damnum paſſo reſtitui faciam. Sententiam verò nullam feram ſine accordamento omnium Judicum noſtræ Civitatis Piſtorii, vel unius eorum. Hoc idem faciam & obſervabo de immiſſione.

„ §. 96 Item ſi quis poſt finem vel pacem ante Conſules vel Poteſtatem aut Rectores, ſeu vicinos, aut amicos, factam inter ſe, ſtudioſe feriendo ...... non permittam illum habitare in Civitate Piſtoria, me ſciente, nec in ſuis Burgis in meo dominio, nec infra tria milliaria prope Civitatem, & puniam eum, ſicut infra de homicidio continetur, excepto quàm de Caſa & Turri.

„ (l) ....

„ §. 97. Communem ſecuritatem, quam Populus Piſtorii & Rectores fecerint, firmam & ratam tenebo & obſervabo, & obſervare faciam pro meo poſſe; & ſimiliter ſecuritatem Comitis Guidonis de Lucen ...... ratam & firmam tenebo ...... quod obſervabo, ſi nobis obſervaverit. Et ſic faciam jurare meam proxime ſuccedentem Poteſtatem vel Conſules; & hoc efficiatur uſque ad terminum conſtitutum: & ſimiliter ſecuritatem Comitis Guidonis filii quondam Rodulphi, & hoc uſquedum vixerit, donec nobis obſervaverit.

„ § 98. Vias publicas reſtringi, me ſciente, non permittam in Civitate Piſtoria, nec in ejus Burgis, nec infra duo milliaria prope Civitatem in meo dominio; & homines mittam, quos jurare faciam, ut aptent: & fortiam & adjutorium eis inde dabo.

A „ §. 99. Item non permittam in Civitate Piſtoria, aliquam Turrim murari, nec in ſuis Burgis ultra menſuram Turris filiorum quondam Ildibrandi Vandini, & ultra modum determinatum, (m) ut Turres deſuper æquales fiant. Et ita faciam jurare eos, qui Turres fundabunt in Civitate Piſtoria, vel in ſuis Burgis aut ſuburbiis in meo dominio.

„ §. 100. Et ſi Caſa alicujus Piſtorienſis, Burgienſis, & ſuburbienſis ejus fuerit rupta de aliqua Turri in meo dominio, ab eo, qui damnum dedit, infra triginta dies proximos emendari faciam; & ſi emendare nequiverit, ab eo, cujus Turris fuerit, emendari faciam, ſi tamen mihi reclamatum fuerit, B niſi prius ejus fuerit pretium, cujus caſa rupta fuerit.

„ §. 101. Et ſi quis taliaverit caſam alicujus ...... ſtudioſe, ei damnum emendari faciam, & XX. Solidos ei tollam, ſi mihi reclamatum fuerit, vel ex quo ſciero, & non reddam nec reddi faciam.

„ §. 102. Si quis cum aliquo litem habuerit, & ipſe vel aliquis cum eo venerit ...... domum illius, cum quo litem habuerit, & damnum ei dederit, infra triginta dies proximos, per quos requiſitus fuero, damnum ei emendare faciam, excepto ſtudioſo homicidio.

„ §. 103. Poſſeſſiones .... nec vendi C nec pignorari permittam. Et ſi quis emerit, vel pignus acceperit in meo dominio, vel in proximo retro Conſulatu, retro agere faciam, ſecundùm quod melius recognovero, ſalvo communi honore noſtræ Civitatis Piſtorii.

„ §. 104. Et quicumque noſtræ Civitatis & noſtri Diſtrictus falſam monetam (n) expenderit, vel fecerit ſtudioſe, & cognitum mihi fuerit, ſi habuerit valorem triginta Librarum, tollam ei, vel tolli faciam, & ſic ſecundùm prædictum modum, eum qui plus habuerit, in plus puniam, & eum, qui minus habuerit, in minus, vel in duplum eum pejorabo; nec reddam nec reddi faciam, D nec reſtaurare nec reſtaurari faciam.

„ §. 105. Si quis noſtrorum Civium alicui Concivi poſſeſſiones vel tenere injuſte abſtulerit, vel retro proximo Conſulatu abſtulit, viginti Solidos ei tollam, & tenutam & poſſeſſiones ei reſtitui faciam, nec reddam, nec reddi faciam. Similiter faciam de eo, qui fructus aliquos deteneret, vel poſſeſſionem abſtulerit; per quod mihi, vel Judicibus cauſarum finiendarum fuerit reclamatum, & fuerit judicatum. Et habebo ad Conſilium Conſules Militiæ Communis Piſtorii.

„ §. 106 Si quis noſtrorum Civium habet, vel habuerit in fortia Civitatis Piſtoriæ aliquam poſſeſſionem, ſecundùm rationem bo- E norum pro me, & pro Populo Piſtorii, ei retinere jurabo, ſalvo communi honore Patriæ, & noſtræ Civitatis, ſi mihi ab eo requiſitum fuerit.

„ §. 107. Et ſi quid de Communi vel pro Communi Piſtorii ad me, vel ad alium pro me, me ſciente, pervenerit, & redditum „ fue-

(l) Exciderunt heic nonnulla. *Muratorius*.

(m) *Ut Turres de ſuper æquales fiant*. Le Torri aveano le loro miſure; e per fuggire l'invidia, non potevano paſſare una certa altezza. Queſte non ſi potevano fabricare ſe non da' Nobili. E Siena una volta n'era piena: marca d'onore, conceduta a que' Nobili, che vittorioſi erano ritornati dalle Guerre ſacre.

(n) In queſto luogo in tal forma parlaſi della Moneta, che ben dimoſtra, che in tal torno Piſtoia non batteva Moneta.

„ fuerit in manibus perſonæ illius, qui hoc ſa-
„ cramentum in arringo palam fecerit de Com-
„ munibus rebus ſervandis, obſervari faciam,
„ præter ad portum finem conventionem non
„ recipiam, nec recipi faciam, nec tollam,
„ nec tolli faciam ſtudioſe aliquid de Commu-
„ ni havere, nec tolli conficiam ultra Feudum
„ mihi conſtitutum & ſolitum, & ſit tantùm
„ ſine fraude. Et nullum comandamentum
„ nomine Sacramenti alicui Civi Piſtorii fa-
„ ciam pro communi honore & utilitate no-
„ ſtræ Civitatis . . . . habuero memoriam
„ . . . . . . per Rectores Civitatis Piſtoriæ,
„ vel concedentiam fecero Conſiliariis ſeriem
„ communiter, vel majori parti manifeſtabo
„ infra triduum in Civitate inde . . . . . .
„ §. 108. Item quod a Conſiliariis noſtræ
„ Civitatis Piſtorii de aliqua re per ſacramen-
„ tum teneri percepero, tenebo, & . . . . . .
„ ſeriem ponam.
„ §. 109. Et tenebo Populum Piſtorii in
„ pace intus & foris, ad honorem & utilita-
„ tem Civitatis Piſtoriæ.
„ §. 110. Et quodcumque bannum ſuper
„ meo ſacramento miſero, firmum & ratum
„ habebo.
„ §. 111. . . . . . . Aquarium ſuper Vias pu-
„ blicas in Civitate Piſtoria, nec in ſuis Bur-
„ gis haberi permittam, me ſciente.
„ §. 112. Adjuvabo & conſervabo Conſules
„ Civitatis Piſtorii, qui modò ſunt, in toto
„ tempore eorum Conſulatus de communi bo-
„ no & honore & utilitate Civitatis Piſtorii,
„ & fortiam & adjutorium eis præſtabo uſque
„ ad finem eorum Conſulatus.
„ §. 113. Theſaurum Eccleſiæ Sancti Zeno-
„ nis, & Sancti Jacobi, curam & ſtudium ha-
„ bebo reinveniendi & conſervandi, & cuſto-
„ diam ad hoc imponam, ut non perdatur.
„ §. 114 Muros & foveas novas, & . . . .
„ Civitatis Piſtorii intra meum terminum non
„ deſtruam, nec diſſipari permittam. Et ſi
„ quis diſſipaverit, & cognitum mihi fuerit,
„ ei reconciliare faciam, & pœnam dupli ei
„ tollam, & non reddam, nec reddi faciam.
„ §. 115. Quidquid de Prato de Plunta di-
„ minutum fuerit ab aliquo a XXX. (excipio
„ novam Foveam Civitatis noſtræ) ſecundùm
„ quod per ſacramentum idoneorum hominum
„ potero invenire, reſtitui faciam, & in toto
„ meo dominio diminui nec deteriorari per-
„ mittam, me ſciente.
„ §. 116. Si quis prædictorum Judicum,
„ aut Officialium Civitatis Piſtoriæ de aliquo
„ negotio ad ſuum officium pertinente mihi
„ conſilium petierit, bonâ fide, & ſine frau-
„ de ei dabo, & pœnas malitioſe non tollam.
„ § 117 Item ſi cognovero, aliquem Offi-
„ cialium Civitatis Piſtoriæ eſſe in manifeſta
„ fraude ſuper officio ſibi commiſſo, de officio
„ illum expellam, & in meo dominio eum in
„ officio non recipiam. Et in toto tempore
„ mei dominii non accipiam Feudum, nec ali-
„ quam conventionem factam de aliquo Feudo
„ recipiendo ab aliquo Comite, nec ab aliqua
„ perſona.
„ §. 118. Si cognovero, aliquem Civem
„ alterum ſtudioſe interfeciſſe, nec pro ſe de
„ ſendendo fecerit, ſi habuerit Turrim, vel
„ partem Turris meliorem, & Caſam, faciam
„ deſtruere, & illum de Civitate expellam,
„ & per quinquennium in Civitate Piſtoria
„ eum habitare non permittam, nec in ſuis
„ Burgis, nec infra tria milliaria prope Civi-

A „ tatem, me ſciente, niſi pacificatus fuerit
„ cum eo, cum quo litem habuerit, ante
„ Rectores noſtros. Si habuerit valorem Li-
„ brarum L. Solidos L. ei tollam, nec red-
„ dam, nec reddi faciam: & de C. Libris,
„ Solidos C. & de CC. Libris, Solidos CC.
„ & de CCC. Libris, Solidos CCC. & de
„ CCCC. Solidos CCCC. ei tollam, nec red-
„ dam, nec reddi faciam. Et ſi habuerint va-
„ lorem X. Librarum, & uſque ad XL Li-
„ bras, ei IV. Libras tollam, & non reddam,
„ nec reddi faciam Et ſi de homicidis prædi-
„ ctam pœnam habere nequivero de ſuis bo-
„ nis, eum pejorabo in duplum, ſi potero.
„ Et de ſupradictis Capitulis interfectorum
B „ non reddam, nec reddi faciam aliquod, nec
„ reſtaurari faciam. Excipio illum, qui in-
„ terfecerit interfectorem parentum, aut filii,
„ vel fratris, aut agnati, vel cognati, ſeu ge-
„ neri ſui, unde finis non ſit facta: & illum,
„ qui vindictam pro ſuo Domino fecerit.
„ §. 119. Si quis finem vel pacem de homi-
„ cidio, vel graviter feriendo ruperit, taliter
„ eum puniam, ut de homicidio.
„ §. 120. In toto meo dominio non dabo
„ aliquod officium Furi, nec dari permittam,
„ nec in toto tempore vitæ ſuæ ſit Conſul, &
„ Conſiliarius Civitatis Piſtorii, aut qui fra-
„ tris, aut ſororis ejus nepotes ſint, in aliquo
„ officio Civitatis Piſtorii. Et ſic faciam jura-
C „ re meos proximos ſucceſſores Conſules, vel
„ Poteſtatem, & ut illi faciant jurare ſuos,
„ & illi ſuos, & ſic uſque ad expletum termi-
„ num ſeptem annorum. Excipio perſonam
„ ſoldi: item illum, qui Guidalottum Conſu-
„ lem interfecit; non permittam eum habitare
„ in Civitate Piſtoria, nec in toto diſtrictu
„ de Piſtoria, me ſciente; & hoc faciam ju-
„ rare meos proximos ſucceſſores Conſules vel
„ Poteſtates, & quod ipſi facient jurare ſuos,
„ & illi ſuos, & ſic uſque ad extremum vitæ
„ illius.
„ §. 121. Item ſi quis Civis de cetero fue-
„ rit de ſuo tenere inter Piſtorii diſtrictum
„ expulſus, & mihi fuerit reclamatum; citius
D „ quàm potero, expulſum in tenere ſuo & po-
„ dere faciam reſtitui, præter inquilinum &
„ partiarium Colonum.
„ §. 122 Si quis ſeditionem in noſtra Civi-
„ tate ſtudioſe, cum fraude, ad detrimentum
„ Civitatis Piſtorii fecerit, eum non eligam
„ in meo dominio in aliquo officio.
„ §. 123. Diſtringam communem Camera-
„ rium, rationem reddere ſingulis Menſibus
„ de pecunia Civitatis Piſtoriæ, & de omni-
„ bus pignoribus datis vel acceptis & aſſigna-
„ tis pro cauſis finiendis, & per advocatio-
„ nem, ut veraciter quantitatem, pro qua
„ obligata fuerit, manifeſtet coram duodecim
„ Conſiliariis, vel ad Commune Conſilium
E „ fuerint. Et ſi de ea pecunia manifeſtâ frau-
„ de eum inveniam, publice de officio expel-
„ lam, & Feudum eum habere non permit-
„ tam. Et non dabo ei, nec dari faciam ul-
„ terius Feudum quatuor Librarum, me ſcien-
„ te. Et omnia pignora, quæ mihi data fue-
„ rint de Communi, vel alicui perſonæ, me
„ ſciente, ponam, vel reponi faciam in Apo-
„ thecam . . . . . vel Eccleſiæ Sancti Zenonis,
„ & prædictæ Eccleſiæ XL. Solidos pro lumi-
„ nariis dabo vel dari faciam. Item infra qua-
„ tuor dies proximos poſt Kalendas Januarii
„ eligam, & eligi faciam duos alios Conſilia-
„ rios, quos faciam jurare, ut ſtatuant ratio-
„ nem

A ,, nem cum Camarlingo ſine fraude de omni-
,, bus jam dictis expenſis in Communi Conſilio
,, coram Conſiliariis omnibus vel majori parte,
,, & coram Conſulibus, & qui jurent, ut ſi
,, invenerint ipſum in manifeſta fraude, pate-
,, faciant. Quod ſupra in hoc Capitulo dictum
,, eſt, tunc in Anno faciam ſemel in quatuor
,, Menſibus in meo dominio.

,, §. 124. Nobiles homines (o) Piſtorienſis
,, diſtrictus, qui videbuntur mihi convenien-
,, tes & idonei, faciam jurare habiturium Ci-
,, vitatis Piſtorienſis ſine fraude; ex quo habi-
,, turium Civitatis Piſtorii juraverint, eis fa-
,, ciam rationem, & laudatos uſus noſtræ Ci-
,, vitatis obſervabo. Non reddam alicui fo-
B ,, renſium . . . . . . qui juraverint, parabolam,
,, aut qui in anima jurabunt habitare in Civi-
,, tate Piſtoria.

,, §. 125. Quodcumque debitum Poteſtas vel
,, Conſules Civitatis in ſcriptis mihi relique-
,, rint, non recuſabo recipere: & dehinc ad
,, proximum terminum perſolvam, & perſolvi
,, faciam. Et recolligam & recolligi faciam
,, dehinc ad Kalendas Majas proximas totum
,, illud havere, quod datum fuerit mihi in
,, ſcriptis, & tollam vel tolli faciam: & dabo
,, & dari faciam illis hominibus, quibus mihi
,, in concordia Conſiliariorum fuerit aſſigna-
,, tum a Corſo Judice, & Gerardino, & Pi-
,, pino, & Rainaldo Conſulibus.

C ,, §. 126. Et intus prope ripas novas Civi-
,, tatis Piſtorii a fundamento muri jam cœpti
,, & incipiendi ex omni circuitu viam duode-
,, cim pedum non permittam reſtringi nec de-
,, minui, me ſciente, in toto meo dominio.
,, Et ſic faciam jurare meam proxime ſucce-
,, dentem Poteſtatem & Conſules, ut illi fa-
,, ciant jurare ſuos.

,, §. 127 Et faciam eligi in arringo dehinc
,, ad proximas Kalendas Februarii, a duobus
,, bonis hominibus, quos jurare faciam eligere
,, meliores & potiores & ſapientiores, quos
,, cognoverint, quatuordecim Conſiliarios, ad
,, utilitatem Piſtorienſis Populi, & non plures,
,, præter Judices & Advocatos. Et illis, quos
D ,, elegerint Conſiliarios, nullum intellectum
,, dabo, nec dari faciam, neque dari permit-
,, tam de aliquo Conſiliario eligendo. Et in
,, quo ipſi, vel major pars accordaverint de
,, communi honore noſtræ Civitatis, ego cum
,, eis concordabor & faciam, niſi fortè cum
,, Conſiliarii Conſilium remutaverint, aut ma-
,, jor pars Id enim faciam. Sed in quo inde
,, melius recognovero, & de communi have-
,, re, ultra vigin i Solidos non expendam, nec
,, expendi faciam abſque conſilio prædictorum
,, Conſiliariorum vel majoris partis, & Con-
,, ſu . . . . . . & unus Conſiliariorum mecum
E ,, erit, poſſim accordare cum eis de expenſis
,, ... petam a Conſiliariis toto tempore
,, mei dominii de rebus, quæ mihi videbuntur
,, ſpectare ad communem honorem & utilita-
,, tem noſtræ Civitatis. Et faciam eos jurare,
,, mihi dare conſilium, quoties ab eis petiero,
,, prout melius recognoverint, ad communem
,, honorem & utilitatem Civitatis Piſtorii.

,, §. 128. Item ſi aliquis prœlium in Civi-
,, tate Piſtoria, & in ejus Burgis, aut Subur-
,, biis inceperit, infra octo dies, ex quo ſcie-
,, ro, tollam ei, vel tolli faciam Solidos cen-
,, tum, & non reddam, nec reddi faciam ali-
,, quo modo. Et invenire ſtudebo, quicum-
,, que prœlium inceperit. Et ſi non habuerit
,, unde ſolvat, pejorabo eum in tantum, quod
,, valeat Solidos ducentos. Et ſi non habuerit
,, unde ſolvat, & non potero eum pejorare,
,, expellam eum de Civitate, & a tribus mil-
,, liariis prope Civitatem eum habitare non
,, permittam in meo dominio, me ſciente.

,, §. 129. Et toto tempore mei dominii ha-
,, bebo Cuſtodem & Cuſtodes, qui ſint bonæ
,, famæ, & boni Cives Piſtorienſes, & con-
,, venientes, qui cuſtodiant Turrim de Serra-
,, valle per dies & per noctes. Et non mit-
,, tam ibi aliquem Cuſtodem, cujus poſſeſſio
,, non valeat ultra CCC. Libras.

,, §. 130. Si aliquis Piſtorienſis Civis detu-
,, lerit (p) adſteritium, vel adallevantiam,
,, ſpedum, vel lanceam, vel barionem, vel
,, malatayam . . . . . . in Civitate Piſtoria, vel
,, in ejus Burgis, tollam ei, vel tolli faciam
,, viginti Solidos, & non reddam, nec reddi
,, faciam. Et ſi non potero ei tollere, pejo-
,, rabo eum in XL. Solidis. Et ſi non habue-
,, rit, unde ſolvat, expellam eum de Civitate,
,, & in toto dominio eum de Civitate Piſto-
,, ria, me ſciente, habitare non permittam.

,, §. 131. Et habebo duos Judices, unum
,, de Lege, & alterum de Uſu, & duos Ad-
,, vocatos pro cauſis ventilandis. Et ſi conti-
,, gerit, me aliquid circa prædicta vel infra
,, ſcripta facere, aut aliquid de illis Capitulis
,, per ignorantiam prætermittere, priuſquam
,, inde recordatus fuero, illud infra octo dies
,, proximos, ſi potero, recuperabo bonâ fide.
,, Talis eſt intellectus, ut ſim ſalvus de his,
,, quæ per ignorantiam prætermiſi.

,, §. 132. Et in toto tempore mei dominii
,, habebo firmum & ratum, & tenebo quid-
,, quid in his Capitulis continetur, & in Con-
,, ſtituto conſignato per manum Deutifici No-
,, tarii.

,, § 133 Hæc omnia meos proximos ſuc-
,, ceſſores Conſules, vel Poteſtatem, aut Re-
,, ctores ſimiliter jurare faciam, & ut illi fa-
,, ciant jurare ſuos, & illi ſuos. Et ſi in an-
,, tea . . . . . . a me, & a majori parte Conſi-
,, liariorum fuerit immutatum vel ſtatutum,
,, ſimiliter jurare faciam.

,, §. 134. Nec tenebor ſacramento fidelitatis
,, vel Compagniæ alicui manifeſto inimico Pi-
,, ſtorienſis Populi, niſi teneat pro Communi
,, Civitatis.

,, §. 135. Nec faciam Compagniam vel com-
,, munionem, vel ſeditionem ſtudioſe, nec te-
,, nebo cum aliquo, nec cum aliquibus de
,, Conſiliariis aliquo ingenio.

,, §. 136. Et ſimiliter a Kalendis Januarii
,, uſque

(o) *Nobiles homines*: s'intende della Nobiltà ſignorile, buona parte de' quali erano obbligati abitare in Città. Coſi ſi praticava in Siena. Ma queſt' uſo non denotava già, che tutti i Nobili, che erano obbligati abitare in Città, fuſſero fra di loro di pari condizione. A me pare, che il dottiſſimo Monſignor Fontanini abbia penſato malamente a ſtimargli uguali. In Siena ſono ſtati de' Grandi i Tolomei, i Saracini, i Cerretani, e gli Aldobrandeſchi; ma non andavano fra di loro tutti del pari. Gli Aldobrandeſchi erano Principi. Il titolo d'*Illuſtre* diſtingueva queſti Signori dagli altri. Coſtoro ſi contentavano d'intitolarſi ſolamente *Nobiles*. E ſe erano Cavalieri, portavano il titolo di *Dominus*, o di *Meſſere*.

(p) *Si aliquis Piſtorienſis Civis detulerit adſteritium, vel adallevantiam, ſpedum, vel lanceam, vel barionem, vel malatayam*: ſtimo, che queſte voci ſiano d'armi da offeſa. Fuori del termine della Lancia, ſono tutte voci tralaſciate dal Padre d'Aquino nel ſuo Vocabolario Militare.

„ uſque ad proximas Kalendas Martias, Re-
„ ctores Artium Civitatis Piſtorii jurare fa-
„ ciam, ut ipſi abſolvant ſibi, qui pro ſua
„ Arte tenentur, ut de cetero nullâ causâ com-
„ muni conſtringantur, & ut ipſi non poſſint
„ vendere & emere res de ſua Arte ſine pre-
„ tio ſtatuto & ordinato, vel aliquatenus ſibi
„ impoſito. Et quod non poſſint adjurare la-
„ borare. Citius quàm potero acquirere fa-
„ ciam nomine proprietatis, vel nomine per-
„ mutationis cum Eccleſia Sancti Zenonis, to-
„ tam Terram, quæ eſt infra foveas novas
„ Caſtelli de Serravalle infra meum territo-
„ rium. Et hoc, ſi potero.

„ §. 137. Item faciam, quod proxime mea
„ ſuccedens Poteſtas aut Conſules jurabunt,
„ quod ipſi facient cuſtodire Caſtrum de Bargi
„ ad communem honorem, & utilitatem Ci-
„ vitatis Piſtorii, & Beati Zenonis; & quod
„ ipſi non ponant aliquam cuſtodiam in Turri
„ de Bargi, niſi pro Communi Piſtorii; &
„ quod ipſi facient jurare ſuos proximos ſuc-
„ ceſſores Conſules vel Poteſtatem, & illi
„ ſuos: & ſic in antea uſque in perpetuum.
„ Et ſi contigerit, quod velint prædictam cu-
„ ſtodiam alii dare, non poſſint alii dare, niſi
„ Ciottolo, & ejus heredibus, & illorum ju-
„ ramento, niſi pro Communi Piſtorii.

„ §. 138. Ego non tollam, nec tolli faciam
„ Ciottolo de Bargi ſuas rationes de Bargi:
„ immo juvabo eum tenere ſuas rationes de
„ Bargi. Et hoc idem faciam Rainaldo, & Ve-
„ tho, & Ramaldino, & ſuo fratri, & nepo-
„ tibus. Et ſi raptæ & toltæ eis fuerint, ju-
„ vabo recuperare, & recuperata retinere per
„ bonam fidem, ſine fraude, donec obſerva-
„ verint nobis.

„ §. 139. Si autem Ciottolus (q) fuerit
„ damnificatus ultra centum Solidos in Curte
„ de Bargi pro hac guerra, quouſque hæc
„ guerra duraverit, aut in vaſto meſſium, in
„ vineis, aut in arſura cæſarum, aut in præda
„ animalium, emendabo exinde ſibi, & emen
„ dari faciam in Libris XX. Et ſi fuerit dam-
„ nificatus ultra Libras XX. nihil ſibi reſtau-
„ rabo, nec reſtaurari faciam ultra XX. Li-
„ bras. Et hoc idem faciam ei ſi fuerit dam-
„ nificatus minus centum Solidis, quod non
„ tenear ei aliquid emendare. Si autem fuerit
„ damnificatus in armis & equis, hoc idem
„ faciam, quod aliis Lambardis Stagienſibus.

„ §. 140. Item faciam dehinc ad proximas
„ Kalendas Junii, tres Pontes murari in Turri
„ in Caſtro de Bargi, ſuper his, quos Con-
„ ſules fieri fecerunt, ad menſuram Pontis
„ Campanilis Eccleſiæ Sancti Zenonis, quam
„ collegerunt Magiſtri cum bona calcina ſine
„ fraude. Et faciam meam proxime ſucceden-
„ tem Poteſtatem jurare ſuper his in eâdem
„ Turri tres alios Pontes, & ut illi faciant
„ jurare ſuos, & illi ſuos, & ſic in antea
„ ſemper, donec prædicta Turris fuerit mu-
„ rata ſuper tria & quadraginta brachia.

„ §. 141. Et ſi qua perſona de Civitate Pi-
„ ſtoria, Burgis, aut Suburbiis aliquam aliam
„ perſonam, quæ habeat litem homicidii, vel
„ aliquam aliam litem, infra guerram in per-
„ ſonam graviter offenderit, vel offendi fece-

A „ rit, præterquam pro guerra Civitatis, ex
„ quo de domo ſua exierit, uſquedum in pro-
„ priam domum remeaverit, aut in eundo,
„ aut in redeundo vel ſtando, tollam ei quin-
„ quaginta Libras, & non reddam, nec reddi
„ faciam nec ſibi, nec alicui pro eo, nec re-
„ ſtaurari faciam aliquo modo. Et ſi non ha-
„ buerit, unde tollam, pejorabo eum in tan-
„ tumdem infra unum Menſem proximum. Et
„ ſi non habuerit tantum, pejorabo eum in
„ quantum habuerit, & exinde uſque ad vi-
„ ginti annos proximos non permittam eum
„ habitare in Civitate Piſtoria nec Burgis, nec
„ in ſuo diſtrictu ad meum poſſe. Et ita fa-
„ ciam jurare meam proxime ſuccedentem Po-
B „ teſtatem vel Conſules, & ut illi ſuos faciant
„ jurare, & ſic uſque ad expletos XX. annos.
„ Item ſi quis de Civitate Piſtoria, Burgis &
„ Suburbiis de cetero corporaliter ad ſancta
„ Dei Euangelia juraverit, ſe non facere finem
„ nec rationem de aliqua offenſa ſibi facta ab
„ aliqua perſona de Civitate Piſtoria, Burgis,
„ aut Suburbiis, ex quo ſciero, uſque ad
„ unum proximum Menſem viginti Libras ei
„ tollam, nec reddam nec reddi faciam aliquo
„ modo. Et ſi non habuerit, unde tollam,
„ pejorabo eum in tantumdem. Et ſi non ha-
„ buerit tantum, pejorabo eum, in quantum
„ habuerit. Et eum, me ſciente, non permit-
„ tam habitare in Civitate Piſtoria, nec in
C „ ſuis Burgis aut Suburbiis. Et ita faciam ju-
„ rare meos proximos ſucceſſores vel Poteſta-
„ tem, & ut illi faciant jurare ſuos, & ſic
„ ſemper uſque ad quinque Annos expletos.

„ §. 142. Nullum permittam ducatum præ-
„ ſtare alicui foretano, niſi illis, quibus Con-
„ ſules vel Poteſtas impoſuerint pro Communi,
„ a Civitate Piſtoria ad Caſtrum Sambucam,
„ & ad Plebem de Sejano, & uſque ad Ple-
„ bem de Lamporecchio, & uſque ad flumen
„ Nebulæ, & uſque Montemurlum, & uſque
„ ad Eccleſiam Sancti Martini de Campo.

„ §. 143. Item ego deinceps non emendabo
„ nec emendari faciam de equis, qui de cetero
„ morientur, ultra viginti Libras pro equo,
D „ quorum octo fieri debent de Datio foretano.
„ Et ego in meo dominio eligam duos Arbi-
„ tros, quos jurare faciam ante Feſtum Sancti
„ Andreæ, qui arbitrentur de omnibus equis
„ Civium Piſtorii, Burgorum, & Suburbio-
„ rum, & illorum, qui per Poteſtatem Piſto-
„ rii conſtringantur. Et de equis tantùm ma-
„ cagnatis, de quibus milites in bello non poſ-
„ ſint ſe juvare, & de omnibus armis perditis
„ in meo dominio. Et ſicut ipſi Arbitri fue-
„ rint arbitrati de equis mortuis, & de tan-
„ tùm macagnatis, ut ſupra dicitur, tenear
„ emendare, vel facere emendari in meo do-
„ minio, ita quod non emendem ultra XX.
„ Libras de equo. De omnibus armis perdi-
E „ tis ita faciam emendari, vel emendabo in
„ meo dominio, ſicut ipſi fuerint arbitrati. Et
„ talis eſt intellectus, quod non tenear emen-
„ dare equos & arma illis hominibus, qui fe-
„ cerint contra ſacramenta & conſtituta Pote-
„ ſtatis. Et faciam ego jurare Arbitros per
„ bonam fidem ſine fraude.

„ §. 144. Securitatem, quam Tedicius In-
„ fran-

(q) Ciottolo da Barga ſtimo che fuſſe un Lombardo, o Nobile di Barga, quale ſe riceve danno dagli nemici, vuole il Commune di Piſtoia menargli buono infino a venti Lire de' danni, che poteſſe patire nella preſente guerra, come il Commune oſſervava *aliis Lambardis Stagienſibus*. Queſta parola mi ſuppongo, che ſignifichi qualche luogo nel territorio di Piſtoia. Noi altri avevamo i Lambardi, chiamati de' Steiſi, che vado penſando che fuſſe qualche luogo fra Poggibonſi e Staggia.

„ frangilaſta , Turchius , & Nazarius . & A
„ Guittoncinus fecerint cum Guidone (r) Aur-
„ gundione , firmam & ratam tenebo & ob-
„ ſervabo , & ſic faciam jurare meos , & ſic
„ uſque ad terminum conſtitutum expletum ,
„ donec nobis obſervaverint .
§. 145. Securitatem & Pacem Monticati-
„ nenſium firmam & ratam in meo dominio
„ habebo & obſervabo , ſicut ſcripta eſt per
„ omnia ; & ſic faciam jurare meam proxime
„ ſuccedentem Poteſtatem , vel Conſules , &
„ ut illi faciant jurare ſuos , & illi ſuos , &
„ ſic in antea uſque ad expletum conſtitutum
„ terminum .
„ §. 146. Securitatem , quam Arrendibilis
„ Parmiſianus , Gubianus , Trajectus , & Pre- B
„ jete Conſules fecerunt cum Ciottolo de Bar-
„ gi , firmam & ratam habebo , & obſervabo
„ in meo dominio, & ſicut ſcripta eſt per om-
„ nia . Et ſic faciam jurare meam proxime
„ ſuccedentem Poteſtatem & Conſules , & ut
„ illi faciant jurare ſuos , & illi ſuos , & ſic
„ in antea, donec Ciottolus & ejus filii & ho-
„ mines de Bargi nobis obſervaverint , ſicut
„ juraverunt per omnia .
„ §. 147. Quicumque noſtræ Civitatis jurave-
„ rint deinceps ſe non eſſe Advocatum (ſ) no-
„ ſtræ Curiæ pro Civitate, vel Caſtaldum, ſeu
„ Camarlingum , vel Conſulem , in meo do-
„ minio non permittam placitari in noſtra Cu-
„ ria , & Libras IV. ei tollam , nec reddam , C
„ nec reddi faciam . Et ſi non potero habere
„ Advocatos Legis , eligam & mittam duos
„ Advocatos ex uſu vel de uſu .
„ § 148. Item duo Caſtaldi palam in Ar-
„ ringo eligantur , quorum unus quilibet ha-
„ beat Feudum IV. Librarum , & non plus ,
„ præter res uſitatas , quæ dantur (t) in Pa-
„ ſcis ſine fraude . Qui omnes jurent in com-
„ muni Conſilio , ſecundùm quod Conſiliarii
„ omnes , vel major pars conſilium dederint
„ de officio Caſtaldi . . . . . Et inſuper habebo
„ unum Camarlingum, qui faciat expenſas de-
„ foris pro Communi .
„ §. 149. Item faciam jurare Caſtaldos ,
„ quod non mittant , nec mitti faciant opera- D
„ rios , & ita Poteſtas mittat , & inde non
„ habeant , niſi duos Nuntios , ut faciant ju-
„ rare Mugnarios , & ſuos familiares a XIV.
„ in antea , quod non tollent fraudulenter ,
„ nec fraudabunt blavam aliquo ingenio , nec
„ farinam , quam acceperint pro macinare .
„ Et ſi invenerint aliquem ex Mugnariis vel de
„ ſuis familiaribus de farina vel blava , quam
„ acceperint , vel accipi fecerint , puniam eos,
„ ut de furto .
„ §. 150. Item ſi aliquis Civis Piſtorii fuerit
„ mihi accuſatus, quod aliquam menam teneat
„ cum aliqua Civitate , vel Caſtro , aut Co-
„ mite , vel Capitaneo , pro Communi Piſto- E
„ rii , abſque licentia mea , centum Solidos ei
„ tollam , nec reddam , nec reddi faciam . Et
„ ſi non potero ſibi tollere , pejorabo eum in
„ tantumdem : nec reſtaurabo , nec reſtaurari
„ faciam . Et jurare ipſum cogam , ut non
„ teneat in meo dominio aliquam menam .
„ §. 151. Item non incipiam guerram pro
„ Communi vel per Commune , nec incipi fa-
„ ciam , nec permittam incipi , unde Cives
„ emant arma vel equos , niſi communicato
„ Conſilio centum Civium Piſtorii omnium ,
„ vel majoris partis , habito ſub ſacramento
„ electorum in concione a quatuor hominibus
„ bonæ famæ , vigintiquinque per quamlibet
„ Portam , qui teneantur eligere meliores ,
„ quos cognoverint , ad utilitatem Civitatis
„ Piſtorii , & cum communi Conſilio omnium
„ Conſiliatorum Civitatis Piſtorii , vel majoris
„ partis .
„ §. 152. Item ſi contigerit , me facere Pa-
„ cem , faciam communicato Conſilio omnium
„ Conſiliatorum , vel majoris partis , & præ-
„ dictorum centum hominum , & aliorum
„ centum hominum electorum in communi
„ Conſilio omnium , vel majoris partis , &
„ Rectorum Cappellarum , & Rectorum Ar-
„ tium Civitatis Piſtorii . Et poſſint facere
„ vindictam de illis hominibus noſtri diſtri-
„ ctus , qui non fuerint ad commandamen-
„ tum Civitatis Piſtorii , ſine conſilio prædi-
„ ctorum .
„ §. 153. Item non tollam nec tolli faciam ,
„ nec imponam nec imponi faciam Asbergum,vel
„ Panthieram, nec aliquid loco eorum, ad dan-
„ dum militibus, alicui perſonæ de Civitate Pi-
„ ſtoria & Burgis, qui non videantur mihi, ut
„ bene poſſit dare . Et ſi mihi videtur , quod
„ bene poſſit dare , imponam & tollam , &
„ non permittam nec pretio nec precibus , nec
„ amore, ſi neceſſarium fuerit Civitati. Et non
„ tollam nec tolli faciam , nec imponam , nec
„ imponi faciam Asbergum nec Panthieram ,
„ nec aliquid loco eorum , ad dandum militi-
„ bus , alicui Civi Piſtorienſi , qui videantur
„ valentes homines in armis . Item non dabo
„ nec dari faciam Asbergum & Panthieram
„ nec Roncionem , nec aliquid loco eorum ,
„ alicui Civi Piſtorii , habenti valens ultra D.
„ Libras , exceptis Caſis , & Caſolinis , &
„ Turribus , & Apothecis , de quibus non
„ accipiatur penſio ultra XL. Solidos ; niſi ſit
„ Gonfalonerius (u) & Rector Militum ; niſi
„ habenti valens ultra D. Libras ; & quingen-
„ tas ſolummodo , poſſit dare pro Communi
„ Asbergum vel Ronthinum , ſi & non utrum-
„ que . Similiter habentes valens a D. Libris
„ infra , poſſint dare pro Communi Asbergum
„ & Ronthinum ſimiliter . Item non ero in
„ conſilio nec in facto , nec in aſſenſu , quod
„ ſint Conſules in Civitate Piſtoria, niſi ſit (x)
„ unus

(r) *cum Guidone Aurgundione*: dubito che non vi ſia isbaglio , e debba dire *Burgundione*. La Famiglia Burgundia, come s'è detto , ſin del 1055. era molto nota in Toſcana.

(ſ) *Advocatus* in queſto luogo ſta per difenſore del Comune . E queſti ſi riconoſcono nel Giudicato fatto nel 1163. Cotali Avvocati erano di due ſorte. Si chiamavano *Advocati Legis*, e queſti erano i Legiſti e Dottori di Legge. Altri poi ſi chiamavano *ex uſu* , ovvero *de uſu*, ed erano i Protettori del Comune , come ſarebbero per ezemplo gli Ambaſciadori , ovvero Inviati. Nel mentovato Giudicato mi ſuppongo che di Piſtoia ne fuſſero gli Avvocati e Dottori di Legge: e tali fuſſero Maienetto Giolla da Piſtoia , Ildobrandino di Guido da Piſtoia, e Aſtancollo da Piſtoia.

(t) *quæ dantur in Paſcis* : dubiterei che non voleſſe dire *ne' deſinari* , cioè *in paſtis* . O pure vuol dire *al tempo della Paſqua*.

(u) *Gonfalonerius* vuol dire capo della Milizia urbana . Perciò qui ſi dice *Gonfalonerius & Rector Militum*.

(x) *unus plus de Popularibus quàm de Majoribus* . Da queſte qarole ſi riconoſce, che la Plebe Piſtoleſe incominciava ad eſſer ſuperiore alla Nobiltà. Così accadè a noi nel 1276. ovvero nel 1277. La Plebe cacciò dal ſupremo Maeſtrato tutta la Nobiltà.

„ unus plus de Popularibus , quàm de Majoribus . Et ſic faciam jurare eos , qui elegerint Conſules , quod totum ſupra dictum eſt de Pace & Guerra , Ronthinis , & Asbergis , quibus debeat dari , & quibus non . Et de Conſulibus in Conſulatu eligendis ſemper unus plus de Popularibus , quàm de Majoribus obſervabo , & faciam in meo dominio abſque deformatione . Et ſic abſque ulla immutatione & deformatione faciam jurare meos proximos ſucceſſores Conſules vel Poteſtatem , & ut illi faciant jurare ſuos , & illi ſuos , & ſic ſemper per ſucceſſionem Conſulatus uſque ad XVI. annos expletos . Et hoc totum faciam jurare meos Conſiliarios .

„ §. 154. Item non ero in mea propria cauſa , nec ventilabo aliquam propriam meam cauſam tempore mei dominii , niſi ut Lex dictat , niſi fortè expulſus eſſem de tenere meo , & niſi ego aliquem expellerem de tenere , vel niſi de pactis factis, & conventionibus mihi vel a me .

„ §. 155. Medietatem verò Guidæ, quæ remanſit apud Commune, non vendam nec pignorabo , nec aliquo modo alienabo nec ex toto nec ex parte in meo dominio . Hoc idem faciam de Molendino de Serravalle & afficto & penſionibus , quod affictum & penſiones , ſicut a principio fuit impoſitum , dehinc ad proximum menſem Octobris recolligam , & faciam recolligere , & dabo in cuſtodia Turris de Serravalle, ſi totum fuerit ibi neceſſarium . Et faciam ſtare ferratum de foris oſtium prædictæ Turris die noctuque continue , niſi fortè quando Cuſtodes intraverint & exierint . Et claves prædicti oſtii jam dictæ Turris, Piſtoriæ faciam apud Communem Camerarium teneri & bene cuſtodiri ſemper , niſi quando Cuſtodes exierint vel intraverint . Et faciam in prædicta Turri per totum annum tot victualia haberi & teneri , quæ ad minus per totum unum menſem ſufficiant ambabus cuſtodiis . Et Cuſtodes prædictæ Turris eligam bonos , & bonæ famæ Cives .

„ §. 156. Item non faciam finem , nec pacem , nec treguam cum Calameccenſibus , niſi ea prius reddantur , & niſi ſe in noſtras manus remittent abſque aliqua conditione & intellecto, quod numquam poſſit excogitari ; & ſi ad proximum Feſtum Innocentium ad commandamentum Corſi , Gerardi , Pipini , & Rainaldi Conſulum Piſtorii non fuerint . . . . Calameccam , poſtea quocumque modo ad me devenerit , deſtruam & deſtrui faciam ; & in illo Podio , in quo nunc eſt Calamecca , nec ipſum , nec homines de Calamecca ulterius eſſe permittam . Et ita faciam jurare meam proxime ſuccedentem Poteſtatem vel Conſules , & ut illi faciant jurare ſuos , & illi ſuos , & ſic per ſucceſſionem Conſulatus uſque in perpetuum , niſi remanſerit communi Conſilio omnium Conſiliariorum vel majoris partis .

„ §. 157. Item ſi tulero Datium , ego non tollam nec imponam , nec tolli faciam Datium ultra III. Solidos per focum , paupere cum divite coæquato , niſi communicato Conſilio centum hominum Civitatis Piſtorii omnium , vel majoris partis .

A
„ §. 158. Item faciam rationem omnibus ſuburbanis tamquam Civibus , excepto quod de Datio ; & tollam Datium , ſi tulero omnibus noſtri diſtrictus , qui non ſunt ſoliti dare Datium occaſione militiæ , vel aliquâ aliâ prærogativâ non juraverint corporaliter ad Euangelia Dei . Si non juraverit in proxime præterito anno , emet & tenebit equos & arma , quando Cives pro Communi emerint ; tunc enim tollam eis , ſicut & Civibus . Si qua reclamatio fuerit facta mihi , vel meis Judicibus aut Caſtaldis de aliqua perſona noſtri diſtrictus, cujuſcumque gradus vel conditionis ſit , & ipſa perſona intra triduum , ſemel viſo Civitatis Nuntio , ad
B
juſtitiam faciendam non venerit , omnes expenſas , quas reclamator vel Civitas pro ea fecerit , eas cogam reſarcire , & poſtea ſub ſacramento eam conſtringam , ut ad rationem remaneat cum reclamatore uſque ad finem .

„ §. 159. Item ſi quis noſtri diſtrictus impediverit aliquam perſonam euntem ſub ducatu Civitatis noſtræ , & illam perſonam , & ejus merces intra tres dies proximos non reſtituerit , aut ſi de illa pecunia ultra V. Solidos , vel de illa merce deterioraverit invitâ perſonâ , cui illa pecunia & merces fuerit : expellam eam de Civitate noſtra , & quantum in me erit , infra tria milliaria
C
prope Civitatem , nec in Civitate , nec in Burgis per quinquennium habitare , me ſciente non permittam ; & X. Libras ei tollam , nec reddam , nec reddi faciam , nec reſtituam , nec reſtitui faciam ; & totam pecuniam , vel illius valens vel merces , vel illius valens eum cogam reſtituere . Et ſi non habet , unde pœnam ſolvat , pejorabo eum in tantumdem , ſi potero ; & ſingulis Kalendis faciam mihi reddere rationem ab illis , qui guidam pro Civitate fecerint , de pecunia , quæ pro guida ad eum pervenerit .

„ §. 160. Et ſi quis contra bannum & mandatum meum iverit , & deprehenſus fuerit ,
D
aut ibi aliquid tunc amiſerit , nihil de Communi ultra X. Solidos pro eo expendam .

„ §. 161. Nullum Privilegium alicui noſtri diſtrictus, olim factum de Datio non dando obſervabo , ut Datium ei non tollam . Excipio heredes illius , qui interfecit Sannam , & qui Libium Turchicum , & Guaſtavillanum a captione ; & illum , qui amiſit pedem ad Montecatini de Muncigno in Civitatis ſervitio . Nec in antea aliquem inde privilegiabo abſque communi Conſilio omnium Conſiliariorum , vel majoris partis . Item dehinc ad proximas Kalendas Januarii . . . . . Infrangilaſtam , & ejus ſocios , ſi non juraverint , ut non murent Turrim eorum ul-
E
tra modum Turris filiorum quondam Ildibrandi .

„ § 162. Habebo in communi Conſilio omnes Conſules Negotiatorum , quorum uni cuilibet dabo XX. Solidos , decem pro eorum Conſulatu , & decem pro Conſilio . Et non permittam domum fieri , nec aliquod ædificium circa Dunchionem Turris de Serravalle ex aliqua parte . Sic ſimiliter Porta de Caſtellina (y) uſque ad domum Communis Civitatis de Serravalle . Nec ipſam „ do-

(y) *uſque ad domum Communis Civitatis de Serravalle .* Il nome di *Civitas* ſi prende in più ſenſi ; o per luogo capo di Provincia, o per luogo che ha il Veſcovo , o per luogo di cinto di mura , o per

„ domum , nec aliam communem vendam , nec
„ alienabo aliquo modo .
„ §. 163. Paſſagium , quod tollitur apud
„ Montemurlum , faciam remanere , ut non
„ tollatur , & in meo dominio ibi tolli non
„ permittam .
„ §. 164. Item eligam quinque ex Conſilia-
„ riis noſtris in menſe Octobris , cum quorum
„ conſilio Breve & Conſtitutum pertractetur ,
„ & ante Feſtum Omnium Sanctorum com-
„ pleatur . Quos jurare faciam pertractare
„ Breve & Conſtitutum Conſulum , vel Pote-
„ ſtatis ante Feſtum Omnium Sanctorum : &
„ faciant ſcribi per bonam fidem , ſine fraude
„ ad communem honorem & utilitatem Civi-
„ tatis noſtræ : & quod non ſcribent in Brevi
„ nec in Conſtituto, nec addent nec deminuent
„ aliquid , quod ſit contra Sacramentum Pote-
„ ſtatis .
„ §. 165. Securitatem & pacem quam Ber-
„ nardus Adimari fecit cum filiis & nepotibus
„ Gualandini , obſervabo, ſicut ſcripta eſt per
„ omnia. Et ſic faciam jurare meam proxime
„ ſuccedentem Poteſtatem, & illa faciet jurare
„ ſuam , & ſic ſemper uſque ad conſtitutum
„ terminum . Hoc idem faciam, & obſervabo
„ Balduino . Itêm ſi homicida non habeat pa-
„ cem , ſi non habuerit Turrim, vel partem
„ Turris , & non . . . . non valeat ul-
„ tra L. Libras , de centum Libris tollam ei
„ X. Libras ; & de ducentum tollam ei , vel
„ tolli faciam XX. Libras ; & de trecentum
„ Libris , XXX. Libras; & de quatuorcentum
„ Libris , XL Libras ; & de quingentis Li-
„ bris , L Libras . Et ſi non habuerit ultra
„ triginta Libras , tollam ei omne id , quod
„ habuerit , & eum de Civitate expellam , &
„ in Civitate , nec infra tria milliaria prope
„ Civitatem deinde habitare non permittam.
„ Et ſi habuerit unam Turrim vel medietatem
„ Turris deſtrui faciam omni auctoritate ſuam
„ partem. Et omnia prædicta obſervabo & fa-
„ ciam in meo dominio , & legam , & legi fa-
„ ciam ſingulis Menſibus coram me : & faciam
„ exemplari hoc Breve & Conſtitutum per ma-
„ num Notarii Communis Cameræ , ut non
„ addatur , & nec deminuatur dehinc ad An-
„ nos ſeptem proximos .
„ Ego Gerardus ſacri Palatii Notarius &
„ Tabellio , omnia prædicta fideliter conſcri
„ pſi & complevi , manuſque meæ ſignum ap-
„ poſui .

NUM. I.

Dal Caleffo dell' Aſſunta , *fol.* 552.
Anno 1145.

„ IN nomine Patris & Filii & Spiritus San-
„ cti . Amen . Coram Senenſi Populo .
„ Cum Senenſis exercitus eſſet in Plano
„ Abbatiæ Sancti Salvatoris , preſentibus *Co-*
„ *mite Paltonerio* (1) cum equitibus ſuis ,
„ & Bertuldo cum equitatu ſuo , *Abbas Rai-*
„ *nerius* , qui Caipho vocatur , juravit , quod
„ nullum malum meritum redderet pro omni
„ dampno & injuria illata Abbadiæ ab illo
„ exercitu , hominibus habitantibus in Civita-
„ te Senenſi & in Burgis ejus , & in omnibus
„ eorum adjutoribus: & quod ſalvaret habita-
„ tores Senenſis Civitatis & Burgorum ejus ,
„ & defenderet contra omnes homines ubicum-
„ que poſſet , & eos , qui cum eis erunt , &
„ eorum bona . Et quod daret Caſtellum (2)
„ Radicophani Civibus Senenſibus , & eis qui
„ cum eis erunt ad recuperandum contra om-
„ nes homines . Et quod daret Caſtellum
„ Radicophani Populo Senenſi ad guerram fa-
„ ciendam contra omnes homines , excepto
„ contra Sancti Salvatoris Abbatem in ſua
„ propria lite , non ſuſceptâ ſuper ſe propter
„ alium , ſi Senenſis Populus deinceps non ab-
„ ſtulerit Abbati aliquod Caſtrum vel Arcem .
„ Et quod amodo in antea . . . . per Se-
„ nenſem Epiſcopum , & Populum Senenſem
„ illam partem Caſtelli Radicophani & Curtis
„ ejus , quam Comes Manente donavit & tra-
„ didit Senenſi Epiſcopo & Populo . Hoc
„ idem juramentum fecerunt Rolandinus Bigi
„ & Scarlictinus frater ejus , & Rolandinus
„ filius Rolandini, & Guicciardus ejus frater ,
„ & Ardoinus Bajocti , & Albertus Balbi, &
„ Ranuccinus Portonarius , & Pepolo de La-
„ nuta , & Compagnia , & Tuſcanellus , Ro-
„ landuccius Burgine , Domenicus de Civitel-
„ la , Gerardus Berizelli , Majorellus , Mar-
„ tinus Ruode , Petrus Lombardus . Inſuper
„ juraverunt Abbas , & ii omnes , quod face-
„ rent jurare alios omnes idem predictum ju-
„ ramentum , ſi poſſent ; aut ſi alii per eos
„ facere hoc juramentum noluerint , jurave-
„ runt obſervare quodcumque comandamen-
„ tum Senenſes Conſules eis facerent contra
„ illos . Hec omnia predicta juraverunt ob-
„ ſervare per bonam fidem .
„ Factum eſt hoc Anno Incarnationis Do-
„ minicæ Milleſimo Centeſimo Quadrageſimo
„ Quinto , menſe Julio .

NUM. II.

Dal Cartulario dell' Abbadia della Berardenga,
fol. 3. Anno 1037.

„ DUm in Dei nomine , in Comitatu Se-
„ nenſe, locus prope Burgo , qui di-
„ citur Arbia (3) in judicio reſidebat *Do-*
„ *mnus Hermannus Colonienſis Archiepiſco-*
„ *pus* , & Archicancellarius ſacri Palatii ,
„ una cum Bertolfus Comes , Miſſi *Domni*
„ *Conradi* invictiſſimi *Imperatoris* ad ſingulo-
„ rum omnium juſtitias faciendas ac deliberan-
„ das

per Fortezza . Qui altro non vuol dire che Fortezza , e di lì è venuto a noi il termine di *Cittadella* . Nel primo caſo ſi uſava al tempo de' Romani, come oſſerva il Letteratiſſimo Padre Arduino nelle Note a Plinio.

(1) Da queſto Contratto fatto nel 1145: ſi riconoſce, che il Conte Paltonieri , con tuttochè fuſſe Conte o Governatore per l'Imperadore, operava per il Popolo Seneſe , e non per l'Impero: & eſſendo Radicofani lontano da Siena trenta miglia , ſi vede , quanto preſto i Seneſi incominciarono a dilatare il loro Imperio.

(2) *Radicophani* . Di queſta Terra ne parla a lungo in una Orazione MSta fatta in difeſa di ſe ſteſſo Aleſſandro Guglielmi : e avendone queſti fatte due Orazioni giudiciali , Claudio Tolomei le deſiderava vedere , come iſcrive in una Lettera al medeſimo. Anco ragiona di Radicofani il dotto Padre Beretta nella ſua Corografia d'Italia. Stimo che *Radicofani* ſignifichi un luogo poſto alle radici d'un Monte chiamato Cotano, per eſſere formato a guiſa d'un' Arca .

(3) *Il Borgo d'Arbia* oggi ſi chiama *Ponte d'Arbia* in riguardo al Ponte, che v'è : e trovaſi nella Strada Romana del Contado Saneſe .

„ das : reſidentibus cum eo qui ſupra , Berizo
„ (4) nunc Comes , filius bone memorie
„ Bernardi , qui (5) fuit Comes , & *Jo-*
„ *hannes* (6) venerabilis ejuſdem *Senenſis*
„ *Eccleſie Epiſcopus* , & alius *Johannes Lu-*
„ *cenſis Epiſcopus* , & *Wido Cluſinenſis Epi-*
„ *ſcopus*, & Raineri Comes filius bone memo-
„ rie Widoni , qui fuit Comes , & Gherar-
„ dus , & Albertus , & Ubaldus , & Gesber-
„ tus , & Farolfus , Judicibus Domni Impera-
„ toris , & Lambertus , & Petrus Notarii
„ Domni Imperatoris , & Raineri (7) , &
„ Walfredi germani filiis bone memorie item
„ Gualfredi , qui fuit Comes, & alio Raineri,
„ & Guatzulino germani filiis bone memorie
„ Walfredi , qui fuit Comes , & Rainerii de
„ Roſino filio bone memorie item Rainerii ,
„ & Ugonem filius bone memorie Ubaldi , &
„ Petro filius bone memorie Vivenzi Comes ,
„ & . . . . filius bone memorie Suppono ,
„ & Raimundo filius bone memorie Rainerii
„ . . . . & reliqui plures . Ibique in eo-
„ rum veniens preſentiis *Donnus Ubertus* ve-
„ nerabilis *Abbas ex Monaſterio Sancti Salva-*
„ *toris* , ſito in campo ubi qui dicitur Fonte-
„ bona , una cum Wido Notario , Advocato
„ ſuo , & oſtendebant ibi in eodem judicio
„ monimentum unum , ideſt Documentum de
„ predicta Eccleſia & Monaſterio , in quo
„ continebatur , omnibus Caſis , Caſtris , &
„ Eccleſiis , ſeu Terris , & rebus domnicatis,
„ maſſaritiis, ſimulque Servis, & Ancillis , mo-
„ vilias & immovilibus, omnia & in omnibus.
„ Et inſuper ibi continebatur cuncte & integra
„ res illa , que eſt in vocabulo Clatina, cum
„ Eccleſia Sancti Petri ibidem poſita , & om-
„ nes res & ſubſtantias , ſicuti bone memorie
„ Winigi, qui fuit Comes , filius bone memo-
„ rie Reghinari , una inſimul cum Richilda
„ ejus conjuge in predicta Eccleſia & Monaſte-
„ rio per ipſum Domnum pro eorum anime
„ redemtione donaverunt atque concesſerunt in
„ ipſum ſanctum ac venerabilem locum . Mo-
„ nimentum ipſum oſtenſum , & ab ordine re-
„ lectum : interrogatus eſt ipſe predictus Uber-
„ tus Abbas , una cum predicto Avvocato ſuo
„ ab his Judicibus & Auditores , pro quo mo-
„ nimento ipſo ibi in judicio oſtenſiſſent . Qui
„ dixerunt : *Vere monimentum ipſum in judicio*
„ *veſtris oſtenſimus preſentiis, ut omnibus vobis*
„ *cognitum ſit , ut integra . . . . . . in predicto*
„ *loco Clatina , una cum predicta Eccleſia San-*
„ *cti Petri ibidem poſita, que in predicto moni-*
„ *mento legitur , ut ipſe predictus Wingi Co-*
„ *mes , una inſimul cum predicta Rachilda ejus*
„ *conjuge in predicta Eccleſia & Monaſterio per*
„ *ipſum documentum dederunt atque concederunt*

A „ *jure proprietario nomine* . Et cum taliter re-
„ tulerunt ipſe predictus Ubertus Abbas cum
„ jam dicto ſuo Advocato ceperunt dicere &
„ reclamare : *Jam plures vices nos reclamati*
„ *ſumus ad vos Domnus Hermannus Archiepi-*
„ *ſcopus , & Domnus Bertulfus Comes ſuper*
„ *Rainerius filius bone memorie Ghiſolfi , &*
„ *ſuper Ildebrando & Wido & Enricus germa-*
„ *nis filiis bone memorie Iſalfredi, eo quod ma-*
„ *lo ordine , & contra legem ipſa predicta Ec-*
„ *cleſia & Monaſterio diſveſtivit de integra pre-*
„ *dicta Curte , & res illa de Clatina , & de*
„ *predicta Eccleſia Sancti Petri ibi poſita, quod*
„ *ſunt ſub jure de predicta Eccleſia & Monaſterio*
„ *Sancti Salvatoris. Unde ipſa predicta Eccle-*
B „ *ſia & Monaſterio legibus , & per ipſum pre-*
„ *dictum documentum inveſtita fuit ad ſuam*
„ *proprietatem. Et vos predictus Domnus Her-*
„ *mannus Archiepiſcopus , & Bertolfus Comes*
„ *ad predictum Ranerium , & a predictis ger-*
„ *manis , multos direxiſtis Miſſos : nullo modo*
„ *ad veſtrum poteſtis habere Placitum . Unde*
„ *nos querimus , ut vos de ipſa ſupraſcripta*
„ *Curte & res illa , & de predicta Eccleſia*
„ *Sancti Petri in elemoſina Domni Conradi Im-*
„ *peratoris , noſtramque mercedem inveſtiatis* .
„ Cum ipſe predictus Ubertus Abbas cum Ad-
„ vocato ſuo taliter retuliſſent , tunc ipſe
„ Domnus Hermannus Archiepiſcopus , & di-
„ ctus Bertolfus Comes , & Judices, qui ibi
C „ aderant , recordati ſunt , & dixerunt, quod
„ ipſe jam dictus Ubertus Abbas cum predictus
„ Advocato ſuo per plures vices reclamare vi-
„ diſſent , & eos nullo modo ad noſtrum Pla-
„ citum habere potuerimus . Tunc ipſe Her-
„ mannus Archiepiſcopus, & predictus Bertol-
„ fus Comes fecerunt predictus Rainerius , &
„ Wido , & Enrico, & Ildibrando per ipſum
„ Placitum intus & foris querere & vocifera-
„ re : & eos nullo modo habere potuit , &
„ ibi eos minime invenerunt . Tunc ipſe jam
„ dictus Hermannus Archiepiſcopus per fu-
„ ſtem , quem in ſuas tenebat manus , ipſe
„ predictus Ubertus Abbas, una cum predicto
D „ Avvocato ſuo de integra predicta Curte , &
„ res illa de jam dicta Eccleſia ad ſalva que-
„ rela inveſtiebant . Et inſuper miſit bannum
„ Domni Imperatoris ſuper ipſas predictas res,
„ & ſuper ipſa predicta Eccleſia , ſimulque &
„ ſuper ipſe Abbas in auro optimo Libras cen-
„ tum , ut nullus quislibet homo , magna
„ parvaque perſona ipſe predictus Abbas ,
„ ſuoſque ſucceſſores de ipſa jam dicta Curte,
„ & res illa , & de ſupraſcripta Eccleſia , ſine
„ legali judicio diſveſtire audeat . Quique
„ verò fecerit , ſciat ſe compoſiturum predicte
„ Libras auri pro medietate pro Camera Domni
„ Impera-

(4) *Berizo*: Stimo che fuſſe Conte , cioè Governatore di Siena, come anco ſuo Padre ; e penſo che ci fuſſero della Famiglia Ugurgieri . *Berizzo* ſi dice *Conte* , ma non ſi dice di qual Luogo ; io pero mi penſo , che facilmente ſi ricavi dal Luogo nel quale è fatto lo Strumento ; ma in riguardo dell' ignoranza de' Notai queſta regola, che per ſe ſteſſa ſarebbe certiſſima, dubito, che qualche volta ſia fallace.

(5) *qui fuit Comes* : Mi credo , che altro dire non voglia queſta formola nel preſente Giudicato, ſe non che fu Governatore : e di queſti modi di dire ne i noſtri Strumenti molti ſe ne ritrovano.

(6) E da notare , che ſecondo i Capitolari de' Re di Francia , ne i Giudicati era ordinato dall' Imperadore Carlo Magno , che tra gli altri v'andaſſero il Conte del luogo , e il Veſcovo. Ecco quello che ſi legge : *Ut omnis Epiſcopus,*

E *Abbas, & Comes exceptâ infirmitate , vel noſtrâ juſſione , nullam excuſationem habeat , quin ad Placitum Miſſorum noſtrorum veniat , aut talem Vicarium ſuum mittat , qui in omni cauſa pro illo poſſit reddere rationem* . Si oſſervi , come i Conti delle Città precedevano al Veſcovo del proprio Luogo , e nulla in queſto fatto in que' tempi i Veſcovi ſe ne lamentavano.

(7) In una Lettera di Belliſario Bulgarini , rapportata nel Tom. III. delle Pompe Saneſi , Lib. MSto , ſi apporta un Contratto del 1003. del Cartulario dell' Abbadia della Berardenga , nel quale leggeſi : *In nomine Sancte & individue Trinitatis . Manifeſti ſumus nos Raineri & Berardo germanis Saligi filii bone memorie item Berardi , qui fuit Saligo ex genere Francorum* . Da ciò taluno potrebbe forſe ravviſare l'origine de i Rinieri , che in un con gli altri giudicarono in queſta Sentenza.

„ Imperatoris, & medietate a pars predicte Eccleſie & Monaſterii, & ad ejus Abbatem, qui pro tempore ibidem fuerit. Unde hanc noticiam pro ſecuritate eidem Eccleſie & Monaſterio, & illius Abbati, qui pro tempore ibidem fuerit, factum eſt, oſtenſione eidem Eccleſie & Monaſterio oſtendendam fieri juſſimus.

„ Quidem & ego Lambertus Notarius, & juſſione de ſupraſcripto Hermannus Archiepiſcopus & Miſſo, & Judicum amonitione ſcripſit in Anno Domni Conradi invictiſſimi Imperatoris, Anno Imperii ejus, Deo propitio, Undecimo, V. Nonas Madii, Indictione V.

„ *Hermannus* Dei gratia *Colonienſis Archiepiſcopus*, & ſacri Palatii Archicancellarius ſubſcripſi.

„ *Johannes Epiſcopus* interſui & ſubſcripſi.

„ Ego Gerardus, gratia Dei, Romani Judex Imperatoris interſui & ſubſcripſi.

„ Ego Vitalis Judex ſacri Palatii interſui & ſubſcripſi.

„ Lambertus Notarius ibi fui, & anc noticia ſubſcripſi.

NUM. III.

Dal Tomo III. de i Memoriali di Caſa Piccolomini, fol. 205. Anno 1055.

„ DUm in Dei nomine in Comitatu Florentino, prope fluvium Arni in loco, qui nominatur Omiclo, in judicio reſidebat Domnus Gunterius Cancellarius & Miſſus Domni Imperatoris ad juſtitias faciendas, & adeſſent cum eo Bonusfilius, Otto, Atto, Wibertus, Burgundius, Walcauſus, Tolbertus, Judices ſacri Palatii, & reliqui plures: ibique in eorum veniens preſentia Lanfrancus Advocatus Monaſterii Sancti Bartholomei, ſito in loco, qui vocatur Curtis Maimberti, & cepit dicere: *Jam plures vices me reclamavi ad vos Domnus Gunterius Cancellarius & Miſſus Domni Imperatoris ſuper beneficium, & exponere, ut ſupra, Rainerium & filios Guille, qui Portum predicti* (8) *Monaſterii malo ordine detinent, & contra legem contendunt & contradicunt, nominative medietate de Curte una, quæ vocatur Seſtinga cum caſis, Cappellis, ſeu territoriis, omnibuſque rebus, quæ ad ipſam medietatem de jam dicta Curte & Capella pertinentur. Nam alia medietate de jam dicta Corte & Capella, ſive rebus omnibus ad parte ſupraſcripti Monaſterii ad proprietatem pertinet. Et ſive medietate de Corte una, que nuncupatur* (9) *Columnata, cum Eccleſiis, caſis, territoriis, & omnibus rebus, que ad ipſam medietatem de predicta Corte & Eccleſiis pertinent. Reliqua namque medietas ipſius Cortis ad proprietatem ipſius Monaſterii detinent. Et ſive medietatem de Corte, que nuncupatur* (10) *Valle cum Turre & Caſtello & Eccleſia ibi conſiſtente, & cum caſis, territoriis, & omnibus rebus, que ad ipſam medietatem de jam dicto Caſtello & Turre & Curte pertinent: aliam namque medietatem ad ſuis Cortis ad proprietatem ipſe Monaſterium detinet. Et ſive medietatem de Corte, que nominatur* (11) *Portilione, cum caſis, Cappellis, ſeu territoriis, & Lacu a Piſcaria & Portu, omnibuſque ad ipſam medietatem de predicta Corte tam in terris, quam in aquis pertinere videntur. Reliqua vero pars media ipſius Cortis ad proprietatem ipſum Monaſterium detinet. Sed & de Caſtello* (12) *Caſalappi ſeptem Merlo de predicto Caſtello, cum ſuis pertinentiis, que detinet* (13) *Tedici. Et Pojo, qui vocatur* (14) *Capana murata: totum in integrum cum ſuis pertinentiis. Et alia Corte*

„ *Alia.*

---

(8) *Monaſterii* di San Bartolomeo, Abbadia oggi de i Frati Aguſtiniani nel Territorio Groſſetano: dal che ſi vede, che anco fuora del Territorio andavano a farſi fare ragione. Queſto Giudicato ſi ritrova anco nell' Archivio de i Frati di Santo Auguſtino, al num. 1684 ma è molto differente da queſto medeſimo ch'io qui ho traſcritto, perchè non vi ſono nominati Colonnata, Valli, Caſalappi &c come nel preſente. Noi crediamo, che i Monaci riconoſcendo, che non vi potevano avere più azzione, però le laſciarono nella loro copia.

(9) *Columnata*: queſto Luogo oggi ſi chiama *Colonna*. Nel tempo antico chiamavaſi Colonia. Eſſo è nel territorio di Groſſeto, e non nello Stato Romano, come ha penſato l'erudito Padre Berretta. Colonata dovette eſſere conceſſa una volta a i Monaci di Santo Anaſtaſio: perciò in una loro Bolla ſi riſervano le ragioni che hanno nel luogo, che ſi chiama *Civitas Colorum*, errore del Copiſta, che doveva leggere *Colonorum*. In queſto Luogo patirono diverſi Martiri, come ſi può oſſervare nel Martirologio ſtampato a Lucca con le note del dotto. Fiorentini. Ivi ſi ritirò molta Nobiltà, e ſi chiamavano i Lambardi, o Nobili di Colonna, uno de' quali mi giova credere che fuſſe Ranieri figliuolo di Villa, contro del quale fu intentato e promulgato queſto Giudicato.

(10) *Valli* oggi è dello Stato di Piombino. Prima l'avevano i Todini, Famiglia Magnatizia, che una volta era in Maſſa. Il Veſcovo di Maſſa vi pretende avere ragioni. Al preſente non è altro che una bandita.

(11) *Portiglione*: errore a mio credere de' Copiſti. Deveſi leggere *Caſtilione*, *Caſtiglione*, quale altro non credo che ſia, che Caſtiglione della Peſcaia. Queſto Luogo è paſſato in diverſe mani. Prima doveva eſſere di queſti Monaci, conceſſoli forſe dalla pietà de' Conti Aldobrandeſchi, Famiglia molto potente e ricchiſſima, ſecondochè racconta San Pier Damiano. Da queſti Monaci dovette paſſare ne i Frati Guglielmiti, e con tratto di tempo venne in potere d'un noſtro Piccolomini, al quale e dal Papa, e da Caſa Medici fu confiſcato tutto il ſuo; e fecero accordo, come appariſce al Libro de' Morti d'una Chieſa Fiorentina, che quello che coſtui aveva nello Stato Papalino, fuſſe del Papa; e quello ch'era nel Dominio Fiorentino o Seneſe, s'apparteneſſe alla Caſa Medici: e però queſti al preſente è padrona di queſto Luogo.

(12) *Caſalappi* è nel Contado di Volterra, che mi penſo che dir voglia *Caſa di Lapo*: e anco al preſente è poſſeduto dalla Famiglia Gherardeſchi, capo della quale doveva eſſere Gherardo.

(13) Il Capitano della Rena a fol. 171. della Serie de i Marcheſi di Toſcana, dice, che in uno Strumento del 998. tra gli altri v'intervenne *Tedice Conte di Volterra, figliuolo della buona memoria di Gherardo*, che io credo di quelli della Gherardeſca. *Tedice* in Lingua vulgare credo, che ſia corrotto da Teodorico. Ma a dire lo vero, il *Tedice* nominato in queſto Giudicato, non credo che ſia il Conte, ma bensì uno dell' iſteſſa Famiglia; perchè evvi troppa diſtanza di tempo trà queſti a quegli. E ſe fuſſe Tedice il Conte o Governatore di Volterra, ſi doveva dire: *Qui fuit Comes*.

(14) In queſto Strumento ſi leggono alcune voci prette Italiane, entrate nella baſſa Lingua Latina, come fra l'altre ſono *Pojo*, che viene da *Podium*, e poi *Poggio*: come anco *Capanna murata*: così pure *ſeptem Merlo de predicto Caſtello*: e in oltre la voce *Corte*, ed altre.

,, *Aſlaito cum medietate de Eccleſia Sancti Mi-*
,, *chaëlis , que vocatur in Nottula cum ſeptem*
,, *Maſe . Sed & alia Corte , que nominatur*
,, *Serimano , cum ſua pertinentia , & Eccleſia*
,, *Sancti Andree cum ſua pertinentia . Unde*
,, *quero ad vos Domnus Cancellarius & Miſ-*
,, *ſus , ut vos propter Deum , & remedium*
,, *anime Domni Imperatoris , ac veſtre merce-*
,, *dis , ut inveſtiatis me ad pars predicti Mo-*
,, *naſterii de his omnibus rebus ad ſalva quere-*
,, *la , quouſque ipſe Bonifacius & Raginerius ,*
,, *& Eppo ad veſtrum Placitum veniant , &*
,, *ad predictum Monaſterium juſtitiam faciant .*
,, Cum ipſe Lanfrancus taliter retuliſſet , tunc
,, Domnus Gunterius Cancellarius & Miſſus ,
,, per fuſtem , quem ſua tenebat manu , inve-
,, ſtivit Lanfrancum Avocatum ad pars predi-
,, cti Monaſterii de ſupraſcriptis Curtibus , &
,, rebus omnibus , ſicut ſupra denominavimus ,
,, ad ſalva querela , quoaduſque predicti Boni-
,, fatius & Eppo & Rainerius ad Placitum ve-
,, niant , & ad predictum Monaſterium juſti-
,, tiam faciant . Et inſuper miſit bannum ex
,, parte Domni Imperatoris , ut nullus quilibet
,, eundem Lanfrancum Avocatum predicti Mo-
,, naſterii de iis omnibus rebus diſveſtire , mo-
,, leſtare , vel inquietare audeat ſine legali ju-
,, dicio . Qui vero preſumpſerit , c ntum Li-
,, bras auri ſe compoſiturum ſciat , medietatem
,, Camere Regis , & medietatem parti predicti
,, Monaſterii . Et (15) hac Notitia , qualiter
,, acta eſt Cauſa , fieri amonuerunt .

,, Quidem & ego Aldo Notarius Sacri Pa-
,, latii ex juſſione ſupraſcripti Cancellarii , &
,, Miſſi , ſeu Judicum ammonitione ſcripſi , An-
,, no ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chri-
,, ſti Milleſimo Quinquageſimo Quinto , Impe-
,, rii verò Domni Secundi Heinrigi , Deo pro-
,, pitio , Nono , XIV. die Menſis Junii , Indi-
,, ctione Octava .

,, Ego Gunterius Cancellarius confirmavi .
,, Bonusfilius , Judex ſacri Palatii interſuit .
,, Atto Judex & Miſſus Domni Imperatoris
,, interfuit .
,, Ego Atto Judex ſacri Palatii interfui .
,, Ego Wibertus Judex ſacri Palatii interfui .
,, Ego Burgundius (16) Judex ſacri Palatii
,, interfui .
,, Walcauſus Judex ſacri Palatii interfui .

NUM. IV.

Dall' Archivio de' Signori Bichi , ſegnato B.
Anno 1163.

,, IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.
,, Ego *Rainaldus* , Dei gratiâ , ſanctæ *Co-*
,, *lonienſis Eccleſiæ Electus* , *Italiæ Archican-*
,, *cellarius* , & *Imperatoriæ Majeſtatis Lega-*
,, *tus* . Omnibus vobis tam legentibus , quàm
,, audientibus notum fieri volumus , quod cum
,, eſſemus aqud Monaſterium Sancti Antimi
,, pro juſtitia facienda , ipſum Monaſterium
,, infeſtatione pravorum hominum dilapidatum ,
,, & fere ad nihilum redactum invenimus .
,, Præſentibus autem nobiſcum apud Montem
,, Lucinum (17) *Aicardo Parmenſi Epiſcopo* ,
,, *& Galgano Vulterrenſi Epiſcopo* , ac *Henri-*
,, *go Marchione* filio *Uguccionis Marchionis* ,
,, atque Guidone filio *Guidonis Marchionis* ,
,, necnon *Ildibrandino Comite Palatino* , Ildi-
,, brandino Cacciaguerre de Sciano , *Opizino*
,, *Comite de Orgia* , Sinibaldo de Canpilli ,
,, Uguicione Lonbardo , Ugone Panzonis ,
,, Bonoadcorſo de Piſa , Tancredo Advocato
,, Lucenſium , Mainetto Giolle de Piſtoja , Il-
,, dibrandino Guidonis de Piſtoja de Portapit-
,, tida , Baldovino Ugonis Judex de Florentia ,
,, Malavolta Philippi de Sena , Pipino de Pra-
,, ta , Ruſtichello Gerardi Vicecomitis de Al-
,, liano , Aſtancollo de Piſtoja , Giſello de
,, Montemurli , præſentibus : *Guido Abbas* præ-
,, dicti Monaſterii cum ſuis Monacis nobis con-
,, queſtus eſt , quod medietas medietatis ſuæ
,, Curtis de (18) Caſtellione de Piſcaria , quæ
,, a Lambardis de Buriano ſibi fuerat ablata ,
,, & per temporum curricula a ſupradictis
,, Lambardis injuſte detenta . Habito igitur
,, noſtræ Curiæ Sapientum Conſilio , auctori-
,, tate *Domini noſtri* glorioſiſſimi *Imperatoris*
,, *Frederici* & noſtrâ , talem promulgavimus
,, ſententiam : ut omni præſcriptione tempo-
,, rum rejectâ , medietas , unde querimoniam
,, accepimus , ſicut *Imperator Carolus* antefato
,, Monaſterio dedit , & *Lodovicus* per fines &
,, terminos aſſignavit , in integrum jam dicto
,, Monaſterio per *Guilielmum Comitem Senen-*
,, *ſium* , & Agenſem Advocatum reſtitueretur ,
,, firmiter ſub obtentu gratiæ Domni noſtri
,, Imperatoris , & ſub ſacramento fidelitatis
,, jam dictis ſubreptoribus præcipientes , ut
,, nullam in prædictam medietatem offenſionem
,, de cetero ingerere præſumant , nec amodo
,, prædictam Eccleſiam inquietent . Similiter
,, & de Turri ſtatuimus , adjicientes etiam
,, *Comiti Ildibrandino* per ſacramentum , quo
,, Domno Imperatori , & nobis tenetur , quod
,, ſi quis hoc tranſgredi voluerit , prænomina-
,, tum Monaſterium pro poſſe defendat . Si
,, quis autem hæc violare præſumpſerit , me-
,, rito Imperialem gratiam & noſtram amittens ,
,, centum Librarum auri pœnâ mulctetur ,
,, quarum medietas Imperiali Cameræ , & me-
,, dietas ſupraſcriptæ Eccleſiæ deveniat . Ut
,, igitur hoc Imperialis Coronæ , ac noſtræ
,, auctoritatis Præceptum omnibus Seculis in-
,, con-

(15) Deve anco oſſervarſi , che la congiunzione *Et* non è mai ſcritta con la mezza zeta , come s'incominciò a praticare in circa al 1200. Dal che ſi può inferire , che queſte copie non ſono aſſai antiche .

(16) *Burgundius* . Di queſto Avvocato ne ſcriſſi al Letteratiſſimo Padre Abbate Grandi , che ſtimava , che dal Saneſe veniſſe ad abitare in Piſa queſta Famiglia , com' egli dice a fol. 101. della ſua Lettera intorno alle Pandette Ma conſiderata meglio la faccenda , ſtimo , che ciò non ſia vero . L'uno ſi chiama *Burgundius* , e l'altro *Burgundione* ; ſicchè non ſono gli ſteſſi nomi . L'altra ragione ſi è che Burgundione Padre di Giovanni non poteva eſſere l'Avvocato noſtro , eſſendovi da Giovanni al noſtro Burgundo Avvocato una diſtanza di più di cento Anni : ſicchè queſto Burgundo , che dovevaſi eſſere fermato nel Contado Seneſe , mi vado immaginando , che ſia differente dal Burgundione Piſano . Di Giovanni di Burgundione ne fa ricordanza l'Oudin nella Storia delli Scrittori Eccleſiaſtici .

(17) *Monte Lucino* era luogo vicino a Montalcino . In uno ſpoglio di contratti evvene uno fatto fra i Saneſi & i Montalcineſi , in cui ſi legge ✠ *Inſtrumentum Donationis factæ de quarta parte Montis Lucino , & apenditiarum* , *Anno* 212. Vi ſi deve intendere il *Milleſimo* , cioè 1212.

(18) Da queſto Contratto ſi riconoſce , che *Caſtiglione della Peſcaia* era de i Monaci , che di poi con l'Abadia di Santo Antimo divenne in potere de' Guglielmiti .

,, convulſum & inviolatum permaneat, primi
,, noſtri Sigilli impreſſione præſentem paginam
,, roborari juſſimus & inſigniri.
,, Data Senis in Kalendis Auguſti, Anno
,, Dominicæ Incarnationis Domini noſtri Jeſu
,, Chriſti Milleſimo Centeſimo Sexageſimo Ter-
,, tio, Indictione XI. Imperante Domino Fre-
,, derigo Romanorum Imperatore invictiſſimo,
,, Anno Regni ejus XI. Imperii VIIII. In Dei
,, nomine feliciter. Amen.

NUM. V.

Al Caleffo vecchio, fol. 25. Anno 1180.

,, ANno Dominicæ Incarnationis Milleſimo
,, Centeſimo Octuageſimo, Indictione
,, XII. Ego (19) *Chriſtianus Magontinus Ar-*
,, *chiepiſcopus, Germaniæ Archicancellarius,*
,, *& Imperialis Aulæ per Italiam Legatus,*
,, dono & concedo vobis Senenſibus Conſuli-
,, bus, & totius Civitatis Populo, omnes con-
,, ſuetudines & beneficia, quæ quondam ha-
,, bere conſueviſtis in Comitatu veſtro ante
,, mei in Italiam ingreſſum, vel poſtea: &
,, eam rationem ſimiliter, quam Imperator ha-
,, bet in Caſtro Sancti Quirici, vel ſuburbio
,, ejuſdem: atque rationem, quam Imperator
,, habet in medietate Caſtri Monticeli: & to-
,, tam rationem Imperatoris Portæ Civitatis
,, veſtræ, ſalvo jure pignoris eorum, qui Por-
,, tam in præſenti retinent. Necnon tactis ſa-
,, croſanctis Euangeliis juramento aſſero, quod
,, citius quàm potero, Sereniſſimo *Imperatori*
,, *noſtro Frederigo* Privilegium confirmationis
,, veſtræ Monetæ, ad laudem & totius Civi-
,, tatis honorem faciam ſine fraude componere,
,, ut ex Imperiali auctoritate, atque pleniſſima
,, conceſſione mea ab hac die in antea libere
,, habeatis omnia ſuperius prætextata, & poſ-
,, ſideatis ſine omni mea, vel cujuslibet Impe-
,, rii Legati lite vel contradictione. Pro qua
,, donatione & conceſſione a vobis recipio
,, CCCC. Libras Denariorum; quarum C. in
,, præſenti dabitis Nuntio *Curradi* (20) *Mar-*
,, *chionis*, reliquas CCC. per meam liberatio-
,, nem dabitis cuicunque præfato Marchioni
,, placuerit.
,, Acta ſunt hæc in Caſtro Montis Fiaſconi
,, coram Ugone de Valentia, Valentiniano,
,, & Tranſmundo ejuſdem Caſtri, Benedicto
,, Senenſi, & Boſo, & Petro Lombardis, te-
,, ſtibus ductis.

A ,, Ego Scopulus Notarius omnia ſuperius
,, præfata redegi atque complevi.

NUM. VI.

Dallo Spedale di Santa Maria della Scala, nella Sacca ſegnata num. 727. Anno 1205.

,, IN nomine Domini. Amen. Cum occa-
,, ſione Comitatus controverſiam de Ca-
,, ſtello Montiſpulciani pateretur Senenſis Ci-
,, vitatis, dicentibus quibuſdam, dictum Ca-
,, ſtellum non eſſe de Comitatu Senenſi: ſicque
B ,, lis inde ſperaretur moveri; deliberato con-
,, ſilio Dominus Bartalomeus (21) Senenſis Po-
,, teſtas cum aliis Nobilibus Senenſibus adivit
,, locum Sancti Quirici de Noſenna, in quo
,, Dominus Epiſcopus Vulterranus Prior Socie-
,, tatis de Thuſcia, & Dominus Ugo Vecce-
,, guerre pro Civitate Florentiæ, & Dominus
,, Ruſtichellus pro Civitate Lucenſi, & Do-
,, minus Maizus pro Civitate Senenſi, & Do-
,, minus Gluttus pro Civitate Peruſii, & Do-
,, minus Aſſaltus pro Civitate Aretina, Recto-
,, res ejuſdem Societatis convenerant. Cum-
,, que ibi coram eis Teſtes inducere vellet, &
,, per eos oſtenderet, quod dictum Caſtellum
,, eſt & fuit de Comitatu Senenſi, prædicto
C ,, Domino Ugoni Rectori pro Civitate Flo-
,, rentiæ, & Jannibello, qui aderat cum eo,
,, & dicto Domino Aſſalto Rectori pro Civi-
,, tate Aretina, & Domino Stephano, qui ade-
,, rat cum eo: per Rinaldum Ranerii Rugge-
,, rottum Judicem, Rinaldinum tunc Conſu-
,, lem Mercatorum Senenſium, atque Thoma-
,, ſium (22) Nobiles Viros Senenſes, dictus
,, Bartalomeus nuntiari fecit, ut ad dictos te-
,, ſtes audiendos intereſſent cum præfato Epi-
,, ſcopo, & aliis Rectoribus Societatis Thu-
,, ſciæ. Quibus ſe hoc facturos non recuſanti-
,, bus, memoratus Senenſis Poteſtas intus Ple-
,, bem Sancti Quirici per dictos teſtes conve-
,, nire fecit; ibique in præſentia Domini Epi-
D ,, ſcopi, & prædictorum Domini Ruſtichelli,
,, & Domini Glutti, & Domini Maizi, ut eos
,, una cum dicto Ruggerotto Judice examina-
,, rem, & eorum dicta in publicum ſcriptu-
,, ram reducerem, mihi Chriſtophano Judice
,, commiſit atque mandavit.
,, In Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo
,, Quinto, die Nonas Aprilis, Indictione Octa-
,, va, coram Rinaldo Ildibrandini Cacciaguer-
,, re (23), Guido Cacciacomitis, Ranerio Cac-
,, cia-

(19) Queſto Legato dell' Imperadore cede ai Saneſi ogni ragione dell' Imperadore, *quam Imperator habet in Caſtro Sancti Quirici, vel ſuburbio ejuſdem*. E nel contratto fatto tra i Saneſi e l'Imperadore Arrigo nel 1186. che ſi ritrova nel Duomo alla fine del Libro ſegnato 101. leggeſi: *Reſignabunt & reſtituent omnia Caſtra & Poſſeſſiones omnes, & ſpecialiter Caſtrum Sancti Quirici*. Da queſto paſſo ſi riconoſce, che il più potente ſempre fa le Leggi ſopra l'inferiore. In ſecondo luogo ſi deve riflettere, che obbligandoſi i Saneſi a patti aſſai ſvantaggioſi fu ſegno ch'eglino non diedero quella ſconfitta così grande alle genti Imperiali, come vantano gli Storici Saneſi: e che tale non fuſſe, baſta vedere il Libretto, che è nell' Archivio del noſtro Duomo. In queſto leggeſi. *Anno Domini 1186. Obſedit Rex Henricus, qui poſtea fuit Imperator, Civitatem Senenſem*

(20) Il *Marcheſe Corrado* ſtimo, che fuſſe Marcheſe di Toſcana, trattandoſi d'una Città, che era nel Marcheſato di Toſcana. La qual coſa eſſendo vera, manca nel ruolo de i Marcheſi di Toſcana del Capitano della Rena.

(21) Miſſere *Bartolommeo Podeſtà di Siena* era de i Machoni, e ſi doveva dire Bartolomeo di Renal-
E dino de' Machoni. Queſti è quello che fece quella bella Prefazione in Lingua Latina al Caleffo Vecchio, che ſi può chiamare un Cartulario appartenente alla Città di Siena.

(22) In queſto tempo apertamente ſi vede, che la Città di Siena era governata da' Nobili: e tanto importano quelle parole: *Nobiles Viros Senarum*. E in queſto è più giuſto Orlando Malevolti, che Giugurta Tommaſi. In queſto Strumento non v'è alcuno della Plebe Saneſe, perchè non gli ſarebbe dato il titolo di Nobile: Segno aſſai manifeſto, che la Plebe in quel tempo non dominava.

(23) Fra i teſtimonj vi ſono molti de i Cacciaguerri, come Rinaldo d'Ildobrandino di Cacciaguerra, Guido di Cacciaconte, Ranieri di Cacciaguerra, Ugone di Cacciaconte Signore d'Aſciano, e Tancredi del Conte Manente, Signore di Sar-

„ ciaguerre , & Ugone Cacciacomitis , & Tan-
„ credo Comitis Manentis , Piero de Cupa Pe-
„ ruſiæ Civitatis , & Tenacciolo nepote Te-
„ naccii Octolini de Luca , & Magiſtro Forti ,
„ Filippo (24) Malavolte , Uberto Gilii , Ri-
„ naldo Ranerii , & Tomaſio prædictis , Fal-
„ cone Ruſtichini , Johanne Pape , & Orlan-
„ do Rogerii , & Gratiano de Sancto Quirico ,
„ & aliis pluribus teſtibus ad hæc rogatis. Sic
„ igitur teſtes , quos prædicta Senenſis Pote-
„ ſtas introduxit tunc in præſentia dicti Do-
„ mini Epiſcopi Vulterrani , & Domini Ruſti-
„ chelli , & Domini Glutti , & Domini Maizi ,
„ & coram ſupradictis teſtibus una cum dicto
„ Ruggerotto Judice , de prædictæ rei veri-
„ tate dicenda , ſicut moris eſt , jurare feci .
„ Quorum dicta talia fuerunt .

„ Ubertus Gualandelli de Burgo Sancti Qui-
„ rici , juratus dicit , quod vidit , jam ſunt
„ quinquaginta Anni , *Comitem Paltonerium* ,
„ (25) qui erat *Comes Comitatus Senenſis* , ha-
„ bere & tenere Montepulcianum pro ſuo Ca-
„ ſtello , & pro ſuo proprio allodio . Et vidit ,
„ quod dominabatur , & ſicut ſibi placebat , &
„ ſicut boni homines faciunt de ſua Terra .
„ Item dicit , quod vidit *Comitem Gulielmum* ,
„ (26) qui erat *Comes Comitatus Senenſis pro*
„ *Imperatore Frederigo* , habere & tenere
„ Montepulcianum pro Comitatu Senenſi , &
„ dominabatur ei , ſicut in alio Comitatu Se-
„ nenſi . Item dicit , quod vidit *Comitem Gol-*
„ *folinum* , qui erat Nuntius Imperatoris Fre-
„ derigi , & *Comes Comitatus Senenſis* , habere
„ & tenere Montepulcianum pro Comitatu Se-
„ nenſi , & dominabatur ei , ſicut alii Comi-
„ tatui Senenſi . Item dicit , quod vidit *Comi-*
„ *tem Macharium* (27) , qui erat Nuntius Im-
„ peratoris Frederigi , & *Comes Comitatus Se-*
„ *nenſis* , habere & tenere Montepulcianum
„ pro Comitatu Senenſi : & dominabatur ei ,
„ ſicut alii Comitatui Senenſi . Et vidit , quod
„ dictus Comes Macharius fecit venire homi-
„ nes de Montepulciano apud Sanctum Quiri-
„ cum , & conſtrinxit eos in tantum , quod
„ ipſi ſe recomperaverunt ab eo . Item dicit ,
„ quod vidit *Arrigum Cappellanum* , qui erat
„ Nuntius Imperatoris Frederigi , & erat *Co-*
„ *mes Comitatus Senarum* , habere & tenere
„ Montepulcianum pro Comitatu Senenſi ; &
„ dominabatur ei , ſicut alii Comitatui Se-
„ nenſi . Item dicit , quod vidit *Everardum de*
„ *Lutri* , qui erat Nuntius *Imperatoris Henrigi* ,
„ & erat *Comes Comitatus Senarum* , habere
„ & tenere Montepulcianum pro Comitatu Se-
„ narum , & dominabatur ei , ſicut alii Comi-
„ tatui Senenſi . Item vidit *Gualterium de Ra-*
„ *nesbac* , qui erat Nuntius Imperatoris Hen-
„ rigi , & erat *Comes Comitatus Senenſis* , ha-
„ bere & tenere Montepulcianum pro Comi-
„ tatu Senenſi , & ei dominari , ſicut alii Co-
„ mitatui Senenſi . Item dicit , quod vidit
„ *Lambecchinum* , qui erat Nuntius Imperato-

A „ ris Henrigi , & erat *Comes Comitatus Senen-*
„ *ſis* , habere & tenere Montepulcianum pro
„ Comitatu Senenſi ; & dominabatur ei ſicut
„ alii Comitatui Senenſi . Item dicit , quod
„ vidit *Oldum de Barchiſtena* , qui erat Nun-
„ tius Imperatoris Henrigi , & erat *Comes Co-*
„ *mitatus Senenſis* , habere & tenere Monte-
„ pulcianum pro Comitatu Senenſi : & domi-
„ nabatur ei , ſicut alii Comitatui Senenſi. Item
„ dicit , quod vidit *Ugonem de Guarmaſia* ,
„ qui erat *Mariſcalcus Domini Philippi Ducis*
„ *Thuſciæ* , habere & tenere Montepulcianum
„ pro Comitatu Senenſi ; & dominabatur illi ,
„ ſicut alii Comitatui Senenſi .

„ Bernardinus Nettacaſa de Sancto Quirico
B „ juramento dicit idem per omnia , quæ Uber-
„ tus : & plus , quod bladam & vinum , quod
„ erat receptum , & quæ recepta erat pro
„ Camparia & affictu de Curte & Caſtello
„ Montepulciani , fecit deferri & reduci apud
„ Sanctum Quiricum in Caſſaro pro *Lambec-*
„ *chino* , & ejus mandato , qui erat *Comes Co-*
„ *mitatus Senenſis* ; & quod Montepulcianen-
„ ſes faciebant & fecerunt hoſtem ad Montal-
„ cinum pro Senenſibus , & pro Comitatu Se-
„ narum , ſicut alii Contadini .

„ Cacciutus de Sancto Quirico juramento
„ dicit idem per omnia , quæ Ubertus Gua-
„ landelli : & tanto plus , quod hoſtem & ca-
„ valcatam faciebant pro dictis Comitibus illi
C „ de Montepulciano , ſicut illi de Sancto Qui-
„ rico : & firmat de tempore quadraginta an-
„ norum .

„ Orlandinus Clerici de Sancto Quirico ju-
„ ramento dicit idem quod Ubertus prædictus :
„ & tanto plus dicit , quod ſæpe vidit deferri
„ de blada Campariæ Montiſpulciani ad Teu-
„ tonicos ſtantes apud Sanctum Quiricum ,
„ ſicut Nuntii deferentes dicebant .

„ Gherius de Sancto Quirico juramento di-
„ cit idem quod Ubertus Gualandelli , excepto
„ quod de Comite Paltonerio , de quo dicit
„ ſecundùm ſuam conſcientiam .

„ Albertus Baccalerii juramento dicit , quod
„ vidit Bertoldum cum uxore ſua ſtare apud
D „ Montepulcianum pro Balitore pro illis Co-
„ mitibus , qui erant Comites Comitatus Se-
„ nenſis .

„ Maffeus Litii de Sancto Quirico juramen-
„ to dicit , quod vidit *Comitem Guilielmum* ,
„ qui erat *Comes Comitatus Senenſis* , habere
„ & tenere Montepulcianum pro Comitatu Se-
„ nenſi ; & vidit eum ibi ſtare , & Montepul-
„ ciano dominari , ſicut ei placebat , & ſicut
„ in alio Comitatu Senenſi. Et vidit Guaſcum
„ de Montepulciano , qui erat Balitor ipſius
„ Comitis , venire apud Sanctum Quiricum ,
„ & deferre ei Bladam , & alia neceſſaria
„ apud Sanctum Quiricum ; & idem dicit de
„ *Comite Golfolino* . Item dicit , quod vidit
E „ Arrigum , qui erat *Comes de Chiuſo* , & nullo
„ modo ſe intromittebat de Montepulciano ,
„ &

Sarteano dell' iſteſſa Conſorteria de i Cacciaguerri. E tutti queſti ſtimo che ſieno de i Conti Berardeſchi , oggi Ugurgieri.

(24) Della medeſima Conſorteria ſtimo , che ſia *Filippo di Malavolta* , oggi Malavolti , ſtati Protettori di Colti buoni Monaſterio dei Vallombroſani.

(25) Il *Conte Paltonieri* : figliuolo di queſto era Filippo, che Celſo Cittadini con ragione crede, che fuſſe della Famiglia Ugurgeri . E Filippo ſi trova nominato in uno Strumento del 1213. come ſi vede al foglio 13. del Primo Tomo de i Memoriali Piccolominei.

(26) Il *Conte Guglielmo* è nominato *Conte Saneſe* in un Giudicato fatto nell' Anno 1163. come ſi vede nell' Archivio de i Signori Conti Bichi.

(27) Al tempo del *Conte Macario* , che fu intorno al 1167. i Saneſi facevano guerra da loro ſteſſi. Ivi ſi legge , *quod vidit Montepulcianenſes facere hoſtem ad Agellum , quod eſt inter Monteprcſin & Radicofanum , pro Senenſibus* .

„ & nullam juriſdictionem ibi habebat . Item dicit , quod vidit *Arrigum Faſſum* (28) , & *Ormannum de Catena* , qui erant *Comites Aritii* , & nullam juriſdictionem habebant in Montepulciano . Sed illi Comites , qui erant Comitatus Senenſis , tenebant Montepulcianum pro Comitatu Senenſi , & dominabantur Montepulciano , ſicut in alio Comitatu Senenſi. Et hoc vidit pro Comitibus Comitatus Senenſis , ſcilicet *Arrigum Cappellanum* , *Comitem Macarium* , *Comitem Everardum* , *Comitem Gualterium de Ranesbac* , *Comitem Lambecchinum* , *Comitem Oddum de Barcheſtena* , *& Ugonem de Guarmaſia* . Et dicit , quod vidit omnes iſtos tenere Montepulcianum pro Comitatu Senenſi; & quod hæc videre cœpit , ſunt triginta & ſex Anni elapſi .

„ Teſtes de Monte Follonico . Perettus juratus dicit, quod vidit *Comitem Paltonerium*, qui erat (29) *Contadinus* , & *Comes Comitatus Senenſis* , habere & tenere Montepulcianum pro ſuo Caſtello & ſuo proprio allodio, & facere inde , ſicut Dominus facit de ſuo Caſtello . Et vidit ipſum ibi habitare & ſtare , ſicut Dominus habitat & ſtat in ſuo Caſtro . Et recordatur de ſexaginta Annis , quod hoc vidit . Et vidit Cencium , & Gerardum Pieri pro ſuis Campariis ſtare ibi & Caſtaldis . Item vidit omnes Comites , qui tenuerunt Comitatum Senenſem , tenere Montepulcianum pro Comitatu Senenſi uſque ad tempora , quibus receſſerunt . Et nominatim *Comitem Guilielmum*, & *Comitem Golfolinum* , & *Macharium* , & *Overardum* , & *Lambecchinum* , & *Gualterium de Ranesbac* , qui judicabant illos de Montepulciano, ſicut volebant . Et vidit , quod Montepulcianenſes fecerunt hoſtem pro Senenſibus ad Montalcinum , ſicut alii de Comitatu Senenſi .

„ Ildibrandinus Guardati juramento dicit , quod vidit *Comitem Paltonerium* , qui erat *Comes Comitatus Senenſis*, & vidit ipſum habere & tenere Montepulcianum pro ſuo proprio Caſtello & ſuo proprio allodio , & facere inde , ſicut Dominus facit de ſuo Caſtello : & habere inde Bandum & Datium , ſicut Dominus habet de ſuo Caſtello ; & ibi habitare & ſtare . Et Marcheſellus Petri & Mazzolus filius ejus erant ibi pro ſuis Caſtaldis . Item dicit , quod vidit omnes Comites Teutonicos, qui tenuerunt Comitatum Senenſem , tenere Montepulcianum pro Comitatu Senenſi , uſquequo in Comitatu fuerunt . Et recordatur de tempore quadraginta Annorum , quod hæc vidit a principio: & vidit Guaſchum de Montepulciano ſtare ibi pro Teutonicis , & colligere Datium & Prendimentum & Camparias , & fructus de Donicariis pro Comitibus Comitatus Senenſis , ſcilicet pro *Comite Gulielmo* , & *Michario* . Et de hoſte facta ad Montalcinum dicit idem quod Perrettus .

„ Garzone Aldobrandinelli juramento dicit idem , quod dictus Ildibrandinus .

„ Ildibrandinus Puccii Tecii juramento dicit de auditu idem , quod Garzone .

„ Stivallinus juramento dicit , quod vidit *Comitem Paltonerium* dominari Montepulciano , ſicut in ſuo Caſtello , & Comes erat *Comitatus Senenſis* . Et dicit , quod *Comes Guilielmus* , & omnes alii *Comites Teutonici* ſupradicti, fuerunt *Comites Comitatus Senenſis* , & tenuerunt Senenſem Comitatum , & habuerunt & tenuerunt Montepulcianum pro Comitatu Senenſi uſque ad tempus, quo receſſerunt . Et vidit , quod Montepulcianenſes bis fecerunt hoſtem ad Montalcinum , ſicut alii de Comitatu Senenſi .

„ Simeon Montis Follonicæ juratus dicit , quod vidit *Comitem Paltonerium* habere & tenere Montepulcianum : & omnes Comites Teutonicos , qui tenuerunt Comitatum Senenſem , vidit tenere Montepulcianum pro Comitatu Senenſi , ſicut alios de Comitatu Senenſi .

„ Gezzus juratus dicit , quod vidit *Arrigum Cappellanum* , & omnes alios Teutonicos , quod tenuerunt Comitatum Senenſem , & *Macharium* , & *Lambecchinum* , & *Everardum* , & *Renardum* , & *Gualterium* , tenere Montepulcianum pro Comitatu Senenſi, ſicut tenebant Monticchiellum , & Montem de Follonica , & Sanctum Quiricum . Et vidit , quod Montepulcianenſes bis fecerunt hoſtem ad Montemalcinum , ſicut alii de Comitatu Senarum .

„ Guido Guittanelle juratus dicit , quod vidit *Comitem Paltonerium* , & dicit , quod , ut vidit , *erat Comes & Contadinus Comitatus Senenſis* , quia faciebat hoſtem & cavalcatam pro Comitatu Senenſi , & pro Civitate Senenſi , ſicut tunc communiter & publice audiebat dici, priuſquam Cacciacomes, & alii Comites de Scianenga . Et vidit ipſum Comitem habere & tenere Montepulcianum pro ſuo , & eum ibi ſtare & habitare & facere , ſicut faciebat in Torraneri . Et habebat de Montepulciano Datium & Bandum & Prendimentum & Camparia , ſicut volebat . Item dicit , quod poſtquam Comes Paltonerius amiſit Montepulcianum , *Comes Gulielmus* , & *Overardus* , & *Gualterius de Ranesbac*, qui fuerunt *Comites Comitatus Senenſis* , ut vidit , tenebant Caſtellum de Montepulciano , tenendo ibi Caſtaldos per ſe , & nominatim Guaſchum de Montepulciano ; & colligendo inde Datium , Prendi-

„ men-

(28) *Arrigo Faſſo* ſi dice Cittadino Saneſe. In uno ſpoglio di Strumenti , che è nello Spedale , leggeſi: *Inſtrumentum juramenti præſtiti ab Henrigo Faſſo de ſalvando & cuſtodiendo Senenſes , & de habitando in Civitate Senarum , & tenere factum Pacis & Societatis Thuſciæ ſub Anno Domini MCLXXXVII Menſe Junii Indictione XV. Publicatum manu Guidonis Notarii Domini Imperatoris* . In queſt' Anno il Capitano della Rena lo fa Vicario Imperiale.

(29) Del Conte Paltonieri ſi dice , che era *Contadinus, & Comes Comitatus Senenſis* . *Contadinus* vuol dire Signore di qualche Luogo del Contado Saneſe, altrimenti queſta Nobiltà era diviſa in Urbani , e Salvatici . Salvatico era lo ſteſſo, che Contadino . In queſto ſignificato la Cruſca non ne fa ricordanza. Queſti Accademici citano un paſſo di Giovanni Villani non molto giuſtamente : meglio nella Stampa di Milano Lib. VIII Cap. XII. *I Grandi per ſe a cavalli coverti , con lor ſeguito di Contadini , e con altri Maſnadieri a piè in grande quantitade* . In queſto paſſo a mio credere ſono diſtinti i Contadini da i Grandi della Città , che tutti militavano a cavallo , e i Maſnadieri erano gente ordinaria, che militavano a piedi. Queſta parola Contadino dalla Lingua Volgare è paſſata nella baſſa Latinità d'Italia , pero non conoſciuta dal celebre Du-Cange nel ſuo Gloſſario. Di queſto paſſo di Giovanni Villano il dotto Anonimo ſi è ſcordato di farne oſſervazione.

,, mentum , & Campariam ; & ducendo eos A
,, ad hoſtem , & nominatim ad Montem San-
,, ctæ Mariæ . Et dominabatur ei pro Comi-
,, mitatu Senenſi, ſicut aliis Caſtellis de eodem
,, Comitatu . Et hæc ſe vidiſſe dicit , & jam
,, ſunt quadraginta Anni , quod cœpit de his
,, videre . Et ſcit , & vidit , Montepulcia-
,, nenſes feciſſe hoſtem pro Senenſibus , &
,, pro Comitatu Senarum apud Montalcinum,
,, ſicut alios de Comitatu Senenſi .
,, Ranerius de Malacarta juratus dicit, quod
,, vidit *Golfolinum* , & alios dictos , qui fue-
,, runt Comites Comitatus Senenſis , & te-
,, nuerunt Montepulcianum pro Comitatu Se-
,, nenſi .
,, Teſtes de Corſignano . Johannes Sollus B
,, juratus dicit , quod vidit , *Comitem Paltone-*
,, *rium* , qui erat *Comes* , & *Contadinus Comi-*
,, *tatus Senenſis* , habère & tenere Montepul-
,, cianum pro ſuo proprio Caſtello . Et duce-
,, bat homines de Montepulciano , ubi vole-
,, bat , & ad hoſtem ſuper Corſignanum , &
,, ad Tintinnanum duxit . Et dicit, quod ſunt
,, quadraginta Anni , quod ita tenuit Paltone-
,, rius Montepulcianum pro ſuo proprio Ca-
,, ſtello . Item dicit , quod vidit diſcordiam
,, de Montepulciano inter *Gulielmum Comitem*,
,, qui erat *Comes Comitatus Senenſis* , & Teu-
,, tonicum , qui erat *Comes de Chiuſo* . Et ſic
,, fuit finita illa diſcordia , quod Montepulcia-
,, num remanſit Comiti Gulielmo pro Comita-
,, tu Senenſi . Et poſtea ſemper vidit omnes C
,, Teutonicos ſupradictos , qui tenuerunt Co-
,, mitatum , tenere Montepulcianum pro Co-
,, mitatu Senenſi : & quod Montepulcianen-
,, ſes fecerunt hoſtem ad Montalcinum , &
,, ad Sarteanum , ſicut alii de Comitatu Se-
,, nenſi .
,, Petrus Sollus juratus dicit idem per om-
,, nia , quæ Johannes Sollus .
,, Marcus Ranuccii juratus dicit idem per
,, omnia , quod Johannes Sollus, præterquam
,, quod non recordatur de diſcordia , quæ fuit
,, inter Comitem Gulielmum & Comitem de
,, Kiuſo .
,, Albertinus Bonizi juratus dicit , quod vi- D
,, dit *Comitem Macharium* , qui erat *Comes*
,, *Comitatus Senenſis* , habere & tenere Mon-
,, tepulcianum . Et faciebat inde colligi de
,, pane & vino : & dominabatur ibi . Et vi-
,, dit omnes Teutonicos tenere Montepulcia-
,, num , & facere Montepulcianenſes Hoſtem
,, & Cavalcatam Senenſibus , & ſicut alios de
,, Comitatu Senenſi ad Montalcinum , & ad
,, Sarteanum .
,, Ranuccius Romanelli juratus dicit , quod
,, *Comes Paltonerius* erat Dominus de Monte-
,, pulciano , & dominabatur ibi . Et Teuto-
,, nicos ſupradictos vidit tenere Montepulcia-
,, num , ſicut alia Caſtella de Comitatu Se-
,, nenſi . E
,, Nerus Titus juratus dicit idem per om-
,, nia , quæ Johannes Sollus . Et ipſe attulit
,, ſalmam vini de curatura Montis Pulciani ad
,, Macharium ſtantem tunc ad Sanctum Quiri-
,, cum ; & excepto quod dicit de triginta octo
,, Annis .. Et hoc plus dicit, quod vidit Mon-
,, tepulcianenſes facere Hoſtem ad Agellum ,
,, qui eſt inter Monteprcſim & Radicoſanum ,
,, pro Senenſibus , & ſicut alios de Comitatu
,, Senenſi .
,, Donus Fortini juratus dicit , quod *Ma-*
,, *charius* erat *Comes pro Comitatu Senenſi* ; &
,, tenebat Montem Politianum pro Comitatu
,, Senenſi ; ſicut fidem habet .

,, Johannes Berizzi juratus dicit , quod vi-
,, dit omnes ſupradictos Teutonicos , de qui-
,, bus dixit Perettus , habere & tenere Monte-
,, pulcianum , & bannire & diſbannire ipſum
,, pro Comitatu Senenſi . Et vidit eos domi-
,, nari Montepulciano , ſicut aliis de Comitatu
,, Senenſi. Et Hoſtem vidit eos facere ad Mon-
,, talcinum pro Comitatu Senenſi, & ſicut alios
,, de Comitatu .
,, Johannes Bajardus juratus dicit idem per
,, omnia, quod Johannes Sollus, excepto quod
,, de diſcordia , de qua non recordatur .
,, Teſtes de Montecchiello . Vaccarius ju-
,, ratus dicit , quod vidit *Comitem Paltone-*
,, *rium* , qui erat *Comes* & *Contadinus Comita-*
,, *tus Senenſis* , habere & tenere Montepulcia-
,, num , & ſtare ibi , ſicut in ſuo proprio Ca-
,, ſtello : & cum eo ibi ſtetit . Et dominaba-
,, tur ibi , ſicut in ſuo proprio Caſtello , &
,, habitabat ibi , ſicut Dominus ſui Caſtri .
,, Item dicit, quod vidit *Comitem Gulielmum*,
,, qui erat *Comes Comitatus Senenſis* , & *Arri-*
,, *gum* , qui erat *Comes de Chiuſo* : & Comes
,, Gulielmus dicebat , quod Montepulcianum
,, erat de Comitatu Senenſi , & Comes Arri-
,, gus de Chiuſo dicebat quod Montepulcianum
,, erat de Chiuſo Et ſic fuit finita diſcordia ,
,, quod Montepulcianum remanſit pro Comita-
,, tu Senenſi Comiti Gulielmo , & propterea
,, dominabatur illi , ſicut alii Comitatui Se-
,, nenſi , & pro Comitatu Senenſi . Et ita
,, dicit de omnibus Teutonicis, qui habuerunt
,, Comitatum Senenſem : ſcilicet quod tenue-
,, runt Montepulcianum pro Comitatu Senenſi,
,, & illi dominabantur . Et jam ſunt triginta
,, ſex Anni & plus , quod hæc vidit fieri , &
,, de his ; & quod Montepulcianenſes fecerunt
,, Hoſtem ad Montalcinum , ſicut alii de Co-
,, mitatu Senenſi dicunt .
,, Magio Vergarius juratus dicit idem per
,, omnia , quod Vacharius , excepto quod ne-
,, ſcit , qualiter illa diſcordia fuit ſopita . Sed
,, dicit , quod omnes alios poſt *Comitem Gu-*
,, *lielmum* , qui fuerunt Comites pro Comitatu
,, Senenſi , ſcilicet *Golfolinum* , *Macarium* ,
,, *Renaldum* , *Overardum* , & *Lambecchinum*,
,, & *Oddum de Barcheſtena* , vidit habere &
,, tenere Montepulcianum , & dominari ei ,
,, ſicut dicit Vacharius . Et plus dixit de
,, tempore , ſcilicet de quadraginta Annis .
,, Et idem dicit de Hoſte facta ad Montalci-
,, num .
,, Maggiolus juratus dicit idem , quod Va-
,, charius , & tanto plus , quod fuit Balitor
,, pro *Gualterio de Ramesbac* , *Lambecchino*, &
,, *Oddo de Barcheſtena*, & pro Mareſcalco. Et
,, de tempore quinquaginta Annorum dicit, ſe
,, cœpiſſe hæc videre.
,, Jacopus Ranuccini juratus dicit , quod vi-
,, dit *Macharium* , *Renardum* , *Overardum* ,
,, *Gualterium* , *Lambecchinum* , & *Oddonem* ,
,, qui fuerunt *Comites Comitatus Senenſis* , ha-
,, bere & tenere Montepulcianum per Comita-
,, tum Senenſem ; & pro eis Balitores ibi ſta-
,, re . Et cum Overardo ibi fuit . Et iſti fue-
,, runt Balitores , ſcilicet Overardus de Radi-
,, coſani , & filius Guaſchi , & maritus Ghe-
,, bolæ in Montepulciano , ut vidit , & de
,, ricompramento, quod Montepulcianenſes fe-
,, cerunt a Machario dicit idem , quod Uber-
,, tus Gualandelli .
,, Nero juratus dicit idem , quod Jacopus ,
,, excepto quod non dicit de ricompramento ,
,, & excepto, quod non dicit de filio Guaſchi .
,, Et

„ Et vidit facere Montepulcianenſes Hoſtem
„ pro Overardo ad Chiuſum & ad Torritam.
„ & pro Senenſibus ad Montalcinum. Et con-
„ ſtringebantur a Teutonicis, ſicut alii de Co-
„ mitatu Senenſi.

„ Tribaldus juratus dicit idem, quod Magio
„ Vergarius, & tanto plus, quod vidit Mon-
„ tepulcianenſes facere Hoſtem ad Torritam
„ pro Teutonicis.

„ Supradictos Teſtes, quos una cum prædi-
„ cto Ruggerotto Judice, de mandato dictæ
„ Poteſtatis Senenſis ego Chriſtophanus Judex
„ examinavi; ſequenti die poſt ſupradicta pu-
„ blicavi, ſcilicet publice legi in præſentia
„ præfati Domini Vulterrani Epiſcopi, & Do-
„ mini Glutti, & Domini Maizzi prædicto-
„ rum, & coram Ranaldo Ildibrandini, Gui-
„ do Cacciacontis, Ranerio Cacciaguerræ,
„ Ugo Cacciacontis, & Tancredo, & Ber-
„ nardino Comitis Manentis, Jacopo Ildebran-
„ dini, Joſeph Grugherio Milite Guidi Cac-
„ ciacontis, Ranerio Peri de Chiuſure, Ter-
„ raciolo ſupradicto, Uberto Gilii, Renaldi-
„ no Rectore tunc Mercatorum Senenſium,
„ Rainaldo Ranerii, Tomaſcio Brunecti, Fal-
„ chone Ruſtichini, & Tancredo Septalio, &
„ coram pluribus teſtibus ad hæc rogatis. in
„ quadam domo Orlandini Clerici poſt dictam
„ Plebem Sancti Quirici.

„ Ego Dietas uti Notarius, omnia quæ ſu-
„ perius continentur, vidi & legi in Chartu-
„ lario Communis Senenſis, publicato manu
„ Chriſtophani Judicis & Notarii, & ſecundùm
„ quod ibi continetur, diligenter auſcultavi
„ cum Viviano Notario coram infraſcriptis te-
„ ſtibus, & hìc nihil addito, vel diminuto,
„ præter ſignum & ſubſcriptionem meam fide-
„ liter ſcripſi, & manu propria ſignavi, in
„ Anno Domini MCCXXIX. Indictione II.
„ die IV. Kalendas Junii. Teſtes ſunt iſti.
„ Tomaſius Ajuti, Lutteringus Johannis, &
„ Buonſignore Bianchi.

NUM. VII.

Al Caleffo dell' Aſſunta, *fol.* 102.
Anno 1197.

„ IN nomine Domini. Amen. Nos Caccia-
„ comes (30), Cacciaguerra, Guido Cac-
„ ciacomitis, & Rainaldus Ildobrandini jura-
„ mus ad ſancta Dei Evangelia, quod deinceps
„ in perpetuum erimus Cives Senenſes, & ſal-
„ vabimus & cuſtodiemus omnes perſonas Ci-
„ vitatis Senarum & Burgorum & Suburbio-
„ rum ejus, & eorum (31) avere, & qui cum
„ ipſis erunt in perpetuum, ubicumque poteri-
„ mus. Et nos Cacciacomes, Cacciaguerra,
„ & Rainaldus habitabimus ſingulis annis in-
„ tra muros Civitatis Senarum per tres menſes

A „ continuos in pace & tres in guerra. Et ego
„ Guido Cacciacomitis habitabo ſingulis annis
„ intra muros Civitatis Senarum per duos con-
„ tinuos menſes in pace, & duos in guerra.
„ Et juramus comandamentum & comanda-
„ menta, quod & quæ & quanta Senenſes
„ Conſules, vel Rector (32) eorum, qui pro
„ tempore fuerint, pro honore & facto Com-
„ munis Senenſis, vel Conſules Placiti pro ju-
„ ſtitia facienda nomine ſacramenti per ſe, vel
„ ſuum Nuntium, vel Licteris fecerint, au-
„ diemus & obſervabimus, & audire & ob-
„ ſervare non ceſſabimus ſtudioſe. Et conſi-
„ lium & conſilia, quod & quæ & quanta a
„ nobis nomine ſacramenti pro honore & fa-
B „ cto Senarum petierint, ſecundùm quod no-
„ bis melius viſum fuerit pro Communi Sena-
„ rum, eis dabimus, & data non ſubtrahemus.
„ Et credentiam & credentias, quam vel quas no-
„ bis impoſuerint, vel quæ cum eis nobis impo-
„ ſitæ fuerint, ſicut impoſitæ fuerunt, tenebimus:
„ nec ad damnitatem Communis Senarum, vel il-
„ lius, qui credentiam dixerit, pandemus. Et bo-
„ num item, & non malum faciemus toti Com-
„ muni Senarum. Et franchitiam tenebimus,
„ ſicut in Brevi Conſulum per ſingula Capi-
„ tula. Et legationem, quæ nobis impoſita
„ fuerit, portabimus & tractabimus, ſicut
„ per omnia in Brevi Conſulum continetur.
„ Et uſque ad proximas Kalendas Julias habe-
C „ bimus datas quingentas Libras Senenſes, &
„ in vineis, & terris. Et faciemus dari ſin-
„ gulis annis Eccleſiæ Majori de Sena (33),
„ in Feſto Sanctæ Mariæ de Auguſto, unum
„ Cereum ſex librarum pro Monte Sanctæ Ma-
„ riæ, & unum octo librarum pro Chiuſure,
„ & unum ſex librarum pro Rapolano, &
„ unum medium Cereum pro Petrono, &
„ unum ſex librarum pro Aſinalonga, & unum
„ ſex librarum pro Montegiſi, & unum qua-
„ tuor librarum pro Turre ad Caſtellum, &
„ unum quatuor librarum pro Podio Sanctæ
„ Ceciliæ. (34)

„ Actum eſt Senis in Curia Conſulum ante
„ Eccleſiam Sancti Peregrini, coram Guiniſio
D „ Donoſdei, Rehaldo Rainerii, Tommaſio
„ Brunepti, Guelſo Cauli, Uberto Gilii,
„ Cancellario Guerruzzii, & Fratellano, &
„ Storaldanno, & coram Conſulibus Altoito,
„ Stradigotto, Jacob Ildibrandi, Aringario,
„ & Maconcino, & magno Populo Senarum,
„ Anno Domini Milleſimo Centeſimo Nonage-
„ ſimo ſeptimo, die XII. Kalendas Martii, In-
„ dictione Prima.

„ Ego Bindinus Judex & Notarius totum,
„ quod ſuperius legitur, mandato prædicto-
„ rum Comitum ſcripſi, & in publicam for-
„ mam redegi.

„ Ego Jacobus Notarius totum, quod ſupra
„ legitur in autentico Inſtrumento a Bandino
E „ Judice & Notario compoſito ſcriptum inveni,
„ & vidi, & legi, & ſcripſi, & ipſius Judi-
„ cis

(30) Queſto è uno Strumento de i Cacciaconti, Signori di molte Terre, e fra l'altre d'Aſciano, e di Sarteano. Queſti Signori ſtimo che ſieno un ramo de i Signori Conti Berardeſchi, e ſtimo che portaſſero tal nome, per eſſere ſtati d'aiuto a cacciare i Conti di qualche Città Toſcana.

(31) *Avere*: parola Toſcana, derivata dal Latino *habere*, e intruſa nella baſſa Latinità.

(32) *Rector*: ſignifica in queſto luogo il Capo de' Conſoli, e perciò ne' Contratti è nominato ſpeſſe fiate ſolo un Conſole, che doveva eſſere il Capo e il Rettore de' medeſimi. Veggaſi Giovanni Villani Lib. V. Cap. 32 il quale parlando de' Conſoli dice: *Ma gli Antichi noſtri non facevano menzione di tutti i nomi, ma dell' uno di loro di maggiore ſtato e fama, dicendo: al tempo di cotale Conſolo, e de' ſuoi Compagni.*

(33) *Eccleſiæ Majori de Sena*; e non dice *de Senis*, come in tal tempo ſi ſcriveva. La ragione ſi è, che la noſtra Chieſa Maggiore è poſta nel Terzo di Città, il qual Terzo ſi diceva nel numero del meno *Sena*.

(34) In queſto Strumento vi mancano Aſciano e Sarteano, perchè in tal torno Aſciano e Sarteano non erano più di queſti Signori Cacceconti ia.

A „ cis & Notarii ſigno obmiſſo, fideliter exem-
„ plavi , nihil addens vel diminuens ſeu præ-
„ termittens fraudolenter , ſecundùm conſcien-
„ tiam meam .

NUM. VIII.

Anno 1193.

„ CEleſtinus Epiſcopus , ſervus ſervorum
„ Dei , dilectis filiis Incontrato, & Fra-
„ tribus Hoſpitalis ante Majorem Senarum
„ Eccleſiam poſiti , ſalutem & Apoſtolicam
B „ benedictionem . In eo ſumus loco , licèt
„ immeriti conſtituti , ut devotionem fidelium
„ de bono debeamus in melius monitis & hor-
„ tationibus in Domino roborare , & eorum
„ juſtis deſideriis & petitionibus noſtri Apoſto-
„ latus favorem benignius impertiri . Sane
„ quia Senenſes Canonici poſſeſſiones ipſius
„ Hoſpitalis ex majori parte pro ſue volunta-
„ tis arbitrio , ſicut dicitur , inutiliter aliena-
„ runt , & ad hoc zelo cupiditatis inducti ip-
„ ſum opus pietatis a vobis & aliis in Domi-
„ no laudabiliter & moderate confectum in
„ elemoſinis & aliis beneficiis , quæ illic lar-
„ giente Domino conferuntur , moleſtare , &
„ Inſtrumentum compoſitionis de utriuſque
C „ partis conſenſu editum & approbatum in-
„ fringere , & vos nituntur eorum obedien-
„ tiæ ſubjugare : veſtri , & ipſius Hoſpitalis
„ indemnitati volentes nunc & in poſterum
„ providere , præſenti vobis paginâ duxi-
„ mus indulgendum , quatenus Canonicis ipſis
„ vel eorum ſucceſſoribus , vos vel ſucceſſores
„ veſtri , ſalvo tenore Inſtrumenti per manus
„ Raymundi Judicis , & Notarii Senenſis con-
„ fecti , & ab utraque parte recepti & appro-
„ bati , in nullo teneamini quomodolibet re-
„ ſpondere . Quod utique , ſicut rationabili-
„ ter factum eſt , & ab utraque parte appro-
„ batum , atque receptum , ratum & firmum
„ habentes , vobis & ſucceſſoribus veſtris ,
D „ decedente ipſius Hoſpitalis Rectore , ido-
„ neam ibi perſonam eligendi & inſtituendi ,
„ ſublato appellationis & contradictionis ob
„ ſtaculo , plenam concedimus poteſtatem ,
„ qui ſecundùm Deum fratribus præeſſe de-
„ beat , & receptioni & ſubſtentationi Pere-
„ grinorum & Pauperum , & commiſſæ ſibi
„ domus meliorationi intendere noverit , &
„ ipſam piis ſtudiis & bonis actibus amplia-
„ re. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc
„ paginam indulgentiæ noſtræ infringere , vel
„ ei auſu temerario contraire . Si quis autem
„ hoc attemptare præſumpſerit , indignatio-
„ nem omnipotentis Dei , & Beatorum Petri
„ & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incur-
„ ſurum .
„ Datùm Laterani XV. Kalendas Julii ,
„ Pontificatus noſtri Anno Tertio .

NUM. IX.

Anno 1194.

„ IN nomine Domini . Amen . Cum cauſa
„ verteret inter Archipresbyterum Ruſti-
„ cum, nomine Canonicæ Sanctæ Mariæ agen-
„ tem , & Incontratum , nomine Hoſpitalis
„ (35) ſiti ante (36) gradus ejuſdem Eccle-
„ ſie , agentem & contradicentem ſuper facto
„ Hoſpitalis , nobis Ugoni de Inſula (37) , &
„ Bernardo Sancti Eugenii Abbatibus a Sum-
„ mo Pontifice Cæleſtino præfata cauſa eſt de-
„ legata , concordiâ aut judicio terminanda .
„ Quæ talis erat . Dicebat enim Archipresby-
„ ter , prædictum Hoſpitale eſſe Canonicæ , &
„ Incontratum poſſeſſionem Hoſpitalis . . . . . .
„ & eſſe ſuam voluntatem tenere . Ideoque
„ poſſeſſionem prædicti Hoſpitalis ſibi reſtitui
„ petebat . Et dicebat , inſtitutionem & de-
„ ſtitutionem dicti Hoſpitalis ad ſe pertinere .
„ Incontratus verò in contrarium renitens di-
„ cebat , ſe eſſe Hoſpitalarium legitime inſti-
„ tutum , & plenam adminiſtrationem habere.
„ Inſuper & reſtitutionem poſſeſſionum a Ca-
„ nonicis alienatarum, aut tantumdem de pro-
„ priis Canonicæ petebat , ſicut in Præcepto
„ Domini Papæ continebatur , eis diſtricte
„ facto , ad uſum & ſubſtentationem Paupe-
„ rum. Nos verò præfati Abbates præceptum
„ ſummi Pontificis ſequentes, ad noſtram præ-
„ ſentiam partibus ſæpe ſæpius vocatis , quæ
„ hinc inde tam de facto , quàm de jure per-
„ pendebantur , cum Domino Bonone Judice ,
„ de conſenſu partium noſtro Aſſeſſore inſtitu-
„ to , diligenter audivimus . Sed cum præ-
„ fata cauſa in longum protraheretur, & partes
„ ſumptibus & expenſis nimis gravarentur , &
„ quid eſſet eventus litis dubitaretur: quorum-
„ dam exhortatione , & rogatu proborum Vi-
„ rorum , ſub pœna centum Librarum , præ-
„ dictam cauſam noſtro pleno arbitrio termi-
„ nan-

(35) La fondazione di queſto Spedale è antica . Comunemente ſi dice , che fuſſe eretto dal Beato Sorore intorno al 900. Moſtrano un ſanto Corpo , che dicono eſſere del medeſimo. Altri poi
E per le ſeguenti ragioni non ammettono queſt' antichità, e dicono , che fra gli Strumenti de' noſtri Veſcovi non appariſce queſt' antichità. Bonfiglio Veſcovo di Siena in uno Strumento fatto a' Canonaci , poſto al num. 984. dice , che concede loro : *Hoſpitale , quod habetis ante gradus Majoris Eccleſiæ , a vobis conſtructum*: le quali parole non denotano lungo tempo . Nello Spedale , ove ſi ſono conſervate con diligenza le antiche Scritture sì del luogo , com' anco del Comune di Siena . non evvi mai nominato queſto Spedale , ſe non dopo il 1100. In oltre , come ho detto nel Diario del Gigli , la noſtra Chieſa Maggiore in quel luogo , dov'è al preſente , non è fondata ſe non dopo queſto tempo . In quanto al Corpo Santo , che moſtrano, dubitano, che ſia d'un altro Corpo Santo. Comunque ciò ſia, certo ſi è, che queſto Spedale è aſſai ricco , mercè la bontà de' noſtri Maggiori : ed è arricchito di molti Privilegi , conceſſi da i Papi , e da i Principi . Ed è coſa ſingolare, che una volta la maggior parte delle Maeſtranze da queſto ſanto Luogo uſcivano ; ed il preſente Signor Rettore , ſecondo la condizione de i tempi , tenta con molta lode di rimettere in ſu queſti Lavori .

(36) Queſto Spedale ſi chiamava *Hoſpitale ante gradus Majoris Eccleſiæ* . Ma intorno a i tempi di Papa Bonifazio VIII. fu incominciato a chiamarſi *lo Spedale della Scala* . E di quì ſi vede , quanto ſognaſſe il Padre Gregorio Lombardelli intorno all' origine di queſta Scala nella Vita del Beato Sorore .

(37) *Ugone dell' Iſola* noi crediamo , che ſia Abbate dell' Iſola , che è nello Stato Saneſe verſo Poggibonzi . Queſta Chieſa fu fondata dalla Conteſſa Ava , volgarmente chiamata Matilda . La genealogia di ſuo Marito ſi truova nel Monaſtero di Santo Eugenio . fatta intorno al 1200.

,, nandam commiſerunt . Nos itaque diutius A
,, deliberantes, & indagare inſpicientes, habito
,, conſilio prædicti noſtri Aſſeſſoris & aliorum
,, prudentium : viſis etiam utriuſque partis In-
,, ſtrumentis , & inſpecto Privilegii , & Lite-
,, rarum Domini Papæ tenore , & auditis con-
,, feſſionibus & allegationibus utriuſque partis,
,, ex auctoritate Domini Papæ , & ex commiſ-
,, ſione nobis facta , arbitramur , laudamus ,
,, definimus , & pronuntiamus , proprietatem
,, prædicti Hoſpitalis eſſe Canonicæ Sanctæ
,, Mariæ . Item arbitramur , laudamus , defi-
,, nimus , & pronuntiamus , ut Incontratus ſit
,, Hoſpitalarius, & Rector Hoſpitalis , & ple-
,, nam habeat adminiſtrationem , & libere ad-
,, miniſtret , & obedientiam Archipresbytero B
,, promittat, & Archipresbyter eum de Hoſpi-
,, tali & adminiſtratione ejuſdem inveſtiat .
,, Item arbitramur , laudamus , definimus ,
,, & pronuntiamus , quod Incontratus Obla-
,, tos & Oblatas , quos voluerit , & utili-
,, tati Hoſpitalis expedire viderit , ad conver-
,, ſionem venire volentes recipiat . Item arbi-
,, tramur , laudamus , definimus , & pronun-
,, tiamus , quod decedente Rectore Hoſpita-
,, lis , familia ejuſdem Hoſpitalis idoneam per-
,, ſonam , quæ ſecundùm Deum Fratribus (38)
,, præeſſe debeat , in Rectorem eligat . Qua
,, electione facta , eam Archipresbytero , vel
,, Rectori Canonicæ, qui ibi pro tempore fue-
,, rit , repræſentabitur, quam Archipresbyter, C
,, vel Rector Canonicæ ſine dilatione confir-
,, ment . Quo facto ipſe , qui electus fuerit
,, Rector Hoſpitalis ejuſdem , Archipresbytero
,, & Rectori Canonicæ obedientiam promittat.
,, Et Archipresbyter , vel Rector Canonicæ
,, eum de Hoſpitali & adminiſtratione ejuſdem
,, inveſtiant . Et ſi Archipresbyter , vel Re-
,, ctor noluerint obedientiam recipere , & in-
,, veſtituram ſibi dare, nihilominus ſit Rector,
,, & adminiſtret . Item arbitramur , laudamus,
,, definimus , & pronuntiamus , quod Archi-
,, presbyter , vel Rector Canonicæ , nihil ob-
,, tentu obedientiæ Rectori Hoſpitalis præci-
,, piat , quod ſit contra honorem & utilitatem
,, Hoſpitalis emolumento Canonicæ . Et ſi D
,, præceperint , non teneatur obedire in hoc.
,, Item arbitramur , laudamus , definimus , &
,, pronuntiamus , quod nec Incontratus , nec
,, ſui ſucceſſores de cetero aliquo tempore poſ-
,, ſeſſiones terrarum & vinearum a Canonicis
,, alienatas , quæ dicebantur quondam fuiſſe
,, Hoſpitalis , quoquo modo repetant , vel ali-
,, quid nomine earum poſſeſſionum . Inſuper
,, quoque arbitramur , laudamus , definimus ,
,, & pronuntiamus , quod non liceat Archi-
,, presbytero, vel Rectori Canonicæ, vel Cano-
,, nicis , aliquid de bonis prædicti Xenodochii
,, vendere , obligare , tollere , moleſtare , vel
,, auferre , ſeu quoquo modo alienare , niſi
,, cauſa meliorationis , ſicut continetur in In-
,, ſtrumento per manum Ranerii Judicis facto.
,, Præterea quoque arbitramur , laudamus ,
,, definimus , & pronuntiamus , quod Rector
,, Hoſpitalis , & tota familia ejuſdem Hoſpi-
,, talis , ſani , & infirmi , & omnes Peregri-
,, ni , vel Pauperes , accipiant Pœnitentiam
,, a Rectore Canonicæ , vel ab alio Sacerdo-
,, te , qui ad hoc conſtitutus fuerit a Recto-
,, re Canonicæ . Item laudamus , & arbitra-
,, mur , & definimus , & pronuntiamus , Se-
,, pulturas Rectoris Hoſpitalis , & totius Fa-
,, miliæ , & Hoſpitum , eſſe Canonicæ . In-
,, ſuper arbitramur , laudamus , & pronuntia-
,, mus , quod ſi quæ delicta , vel exceſſus
,, manifeſti fuerint , quos Rector Hoſpitalis
,, per ſe emendare & corrigere non poſſit ,
,, ipſe Rector Hoſpitalis adeat Rectorem Ca-
,, nonicæ , & ſimul exceſſus corrigant . Item
,, arbitramur , & pronuntiamus , quod prædi-
,, ctæ partes dicta omnia & ſingula Capitula
,, ſicut ſuperius ſcripta ſunt, ſub pœna centum
,, Librarum obſervent . Et ſi aliqua partium
,, contra aliquod prædictorum Capitulorum
,, aliquo tempore venire temptaverit , prædi-
,, ctam pœnam centum Librarum alteri parti
,, hoc obſervanti perſolvat : & pœnâ datâ ar-
,, bitrium in ſuo robore permaneat .

,, Datum Senis in Eccleſia Sancti Deſiderii
,, in præſentia Stradigotti Ugolini , Magiſtri
,, Rolandi , Ildobrandini Flore , Chriſtophori
,, Ranerii , Daineſis Judicum , & Ranucci , &
,, Forenſis , Martini , & Frederigi Periccioli,
,, & Oliverii Nobilis , & aliorum quamplu-
,, rium , Anno Domini Milleſimo Centeſimo
,, Nonageſimo Quarto , die V. Nonas Martii,
,, Indictione XIII.

,, Ego Stradigottus Judex, totum , ut ſupra
,, legitur, mandato prædictorum Abbatum , &
,, prædicti Judicis & Aſſeſſoris , & mandato
,, ambarum partium ſcripſi , & in publicam
,, formam redegi .

NUM. X.

Da gli Strumenti del Signor Principe Chigi.
Anno 1071.

,, IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis .
,, Manifeſti ſumus nos Berardus fili s quon-
,, dam Winiſi (39) , qui fuit Salico , & Su-
,, pha (40) Jugalibus , filia quondam Rapiti,
,, qui

(38) *Fratribus* : Frati dell' Oſpedale : queſti erano Oblati, come erano anco coſtoro in tutte le Chieſe, e non erano Religioſi , come ſi può vedere negli antichiſſimi Statuti dell' Oſpedale , ſcritti tra il 1266. e 1282. in Lingua Vulgare , e parimenti in quelli rinovellati dal Beato Agoſtino Novello.

(39) *Berardo*, o *Bernardo di VVinigi* vivea nel 1070. Era figliuolo di VVinigi , e queſti figliuolo di Ranieri d'altro Ranieri di Berardo di VVinigi , che nel 881. era Conte o Governatore di Siena, figliuolo di Reghinari . Queſto Albero è approvato da Beliſario Bulgarini in una Lettera ſcritta al Padre Iſidoro Ugurgieri e regiſtrata al Tomo III. delle Pompe inedite del detto Ugurgieri . Ma quello, che più importa, il tutto ſi può giuſtificare dal Cartulario di queſt' Abbadia della Berardenga . Ne i Contratti del Duomo ſi legge, che Berardo, che viveva nel 1070. diſcenda da Bernardino , e da queſto Rafannello e Ugo , come ſi può vedere al Contratto del Duomo , num 561. dell' Anno 1126. *Ugo* mi giova credere , che ſia Ugo di Valcorteſe , dal quale vengono i Signori Ricaſoli di Firenze. Al foglio 95. ſi legge : *Carta quam fecit Ugo de Valcorteſe de Terra de Arbia* . Da Berardo ſono venuti li Conti Berardeſchi , e da Ugo , o Ugolino di Ruggieri , che vivea nel 1170. ne viene la preſente Famiglia degli Ugurgieri .

(40) *Supha* viveva *Lege Romanâ* . L'uſo di vivere con queſta Legge , era particolare degli Eccleſiaſtici, li quali , tuttochè fuſſero figliuoli di Padre , che vivea *Lege Salicâ* , o *Longobardâ* , nulladimeno eſſendo Eccleſiaſtici , prendevano Legge Romana . Dubito anco , che come fuſſero ſudditi di qualche Chieſa , viveſſero *Lege Romanâ* . I Conti di Pintinnano profeſſavano queſta Legge , ed erano a mio avviſo de i Nobili E
di

„ qui profeſſa ſum Lege vivere Romanâ , ſed
„ nunc pro ipſo viro meo Lege vivere videor
„ Saliga . Ipſo namque Jugale meo mihi
„ conſentiente & ſubter cofirmante prædixi-
„ mus , propterea per hunc ſcriptum promiſ-
„ ſionis & ſtipulationis atque tranſactionis pro-
„ mittimus , atque obligamus nos ſupraſcripto-
„ rum Jugalibus contra te Arnulſum quondam
„ Fantini , qui fûit Judex, pro Miſſo tuo Ru-
„ ſtichello , filius quondam Roizo : quod ne-
„ que ego Bernardus neque Supha uxor mea,
„ aut noſtri heredes , nec noſtri (41) homi-
„ nes , quos poteſtare poſſumus , nec alios per
„ noſtrum conſilium , debeamus contradicere
„ ad faciendum Caſtrum in Pojo illo , qui vo-
„ catur Monsclarus , neque opera , quæ tibi
„ facta fuerunt , per ullum ingenium , nec
„ bona Canonicæ Sanctæ Eccleſiæ , quæ eſt
„ ædificata Senâ (42) in honorem Sanctæ Ma-
„ riæ , diminuere nec rapere , nec tollere ,
„ nec contradicere , nec ullo modo inquieta-
„ re ultra quinque Soldos (43) in Anno rugi
„ de Lucenſ . . . . . . fuerimus , vel aliquis ex
„ noſtris hominibus , quos poteſtare poſſumus,
„ ſi nobis requiſitum fuerit . . . . . . niſi infra.
„ quindecim dies , quo nobis requiſitum fue-
„ rit , emendabimus , vel emendare faciemus .
„ Et ſi ſic obſervabo ego Bernardus & Supha
„ uxor mea & noſtri heredes , ſit poſtea Car-
„ tula ipſa , quam nos fecimus de Curte &
„ Caſtello de Pancule pro hac cauſa inanis &
„ vacua , & in ſe nullum obtineat robur . Et
„ ſi hæc non obſervabimus , ego Bernardus &
„ uxor mea Supha , noſtrique heredes , ſit ipſa
„ Cartula firma & bona . Et faciat ipſe Ar-
„ nulfus , in quem ipſam Cartulam fecimus ,
„ & ſuis heredibus de jam dicta Curte & Ca-
„ ſtello & Pancole a parti de ſupraſcripta Ca-
„ nonica Sanctæ Mariæ juris proprietario no-
„ mine quidquid voluerit, ita ut firmam jam
„ dictam Canonicam de jam dicta Curte &
„ Caſtello ſine omni calumpnia . Et per hæc
„ omnia confirmandum accepimus nos , qui
„ ſupra Jugalibus , Launichilt burſam cum de-
„ nariis da Ruſtichello (44) Clericus filio Roi-
„ zi, Miſſus eidem Arnulfi ad vice ſua, ut hoc
„ noſtrum factum firmum permaneat atque
„ perſiſtat . Et pergamena cum atramentario
„ de terra levavimus , & tibi Rolando Nota-
„ rius ad ſcribendum tradidimus, & ſcribere
„ rogavimus, in quo ſubter confirmatis a teſti-
„ bus optulimus roborandum .

„ Actum Sene (45) intus Caſtello de Colle-
„ lungo , intus caſa noſtra Dominicata & fa-
„ ctum eſt hoc in Anno ab Incarnatione Do-
„ mini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Septuage-
„ ſimo Primo , Menſe Martio , Indictione
„ Nona .

„ Signum manuum ſupraſcriptorum Jugali-
„ bus , qui hoc ſcriptum promiſſionis , ſicut
„ ſupra legitur , ſcribere rogaverunt .

„ Signum manuum ſupraſcripti Bernardi ,
„ qui ad ſupraſcripta uxore ſua hæc omnia
„ conſenſit .

„ Signum manuum Raynerii filius Widonis
„ Vicecomes , & Saligo & Widonis filio ſuo ,
„ & Nicholæ filius Domingi , & Bonſignore
„ filii Adami , & Gerardo filio Gulferanii , &
„ Romanelli filio Duranti , & Ingi filio Pe-
„ troni Clericus , & Rainerio filio Maizi Me-
„ dici , rogati teſtes .

„ Rolandus Notarius poſt tradita complevi
„ & dedi .

NUM. XI.

Anno 1072.

„ IN nomine Sanctæ & individuæ Trinita-
„ tis . Anno ab Incarnatione Domini Jeſu
„ Chriſti Milleſimo Septuageſimo Secundo ,
„ Sexto decimo Kalendas Martii , Indictione
„ XI.

---

di Radicofani , perchè in gran parte Radicofani era ſottopoſto agli Eccleſiaſtici . Segno di ciò baſta vedere le ſottoſcrizioni , che ſono nell' Iſtrumento fra Papa Eugenio *III.* e Ranieri Abbate di San Salvadore del Monte Amiata , nel quale l'Abbate concede in Feudo al Papa la parte di Radicofani , che godevano i Monaci , e fra quelli per la parte de i Monaci , che danno il conſenſo , evvi *Obicio Tinioſi Comes de Tintinnano* , che preſero il cognome de i Caſaconti , e ſi fècero Cittadini Saneſi . Devo anco oſſervare , che non erano molti , che viveſſero *Lege Longobardâ* : ma la maggior parte vivevano *Lege Salicâ* , vivere con queſte Leggi credo , che non ne fuſſe l'uſo più là , che intorno al 1200. nel qual tempo le Città d'Italia ſi poſero in piena Libertà , e ciaſcheduna delle medeſime formò Statuti , i quali ogni Suddito fu obbligato ſeguire .

(41) *Noſtri homines*. Vuol dire i Servi , qual' uſo ne i noſtri Paeſi qualche poco durò infino al 1400. Veggaſi ſopra di ciò il dottiſſimo Lorenzo Pignorio nel ſuo Trattato dei Servi . Come anco ſi può vedere il ragionamento ſopra le Maſnade , che erano Servi nati nella Maſſa , o nel Manſo , come va eſaminando il dotto Monſignor Fontanini .

(42) *Sena* in queſto tempo , cheche ſi dica in contrario il Letteratiſſimo Padre Beretta , ſi diceva nel numero del meno . In un' altro Strumento del Signor Principe Chigi dell' Anno 1072. ſi legge : *Actum Senâ* . In altro del 1013. che è nel mentovato Cartulario dell' Abbadia , ſtà ſcritto : *Actum Senâ , locus infra Caſa noſtra Domnicata , quæ eſt intus Caſtello noſtro de Monte Aperto* . Nel Privilegio di VVinigi fatto nell' Anno 881. abbiamo chiaramente : *Actum Senâ.* In altro dell' Anno 1121. leggeſi : *Actum Senâ* : e infiniti altri ſi potrebbono raccogliere , ſe faceſſe di biſogno . E queſto VVinigi nel 1071. dona anco Monte Chiaro , del quale ſi fa preciſa menzione nel preſente Documento , a i Canonici ; nel qual luogo i medeſimi Canonici vi godono , come ſi può vedere nell' Archivio del Duomo in un Contratto dell' Anno ſuddetto 1071.

(43) *Ultra quinque Soldos* . La parola *Soldo* è entrata dalla Lingua Vulgare nella baſſa Lingua Latina . De i Soldi e Denari ne parlano eccellentemente il Padre Abbate Don Guido Grandi nella Lettera intorno alle Pandette , e il gentiliſſimo Padre Don Virginio Valſecchi in altra Lettera intitolata *de veteribus Piſanæ Civitatis Conſtitutis* .

(44) *Da Ruſtichello* : parola pretta volgare . E' da notarſi , che queſte parole volgari ſono entrate nella Lingua Latina aſſai più ne i Contratti Toſcani , che d'altre parti d'Italia . Dal che a baſtanza ſi riconoſce , che i primi fra gl' Italiani a ripulire la noſtra Lingua , ſono ſtati li Toſcani .

(45) *Actum Sene intus Caſtello de Collelungo* . Collelungo era un Caſtello vicino a Pancole *Actum Sene* , vuol dire nel territorio di Siena . Simili modi di dire ſi truovano nel Martirologio Romano : dal che ſi vede , che l'ultima compilazione fatta ne i tempi antichi non ſia antichiſſima ; e a noi giova credere , che ſia fra i tempi di Carlo Magno e il Mille . Avanti ne i Libri Latini non ſi trova queſto modo di dire .

,, XI . . . . . . Bernardinus , & Ardingo (46)
,, germanis filiis Rahinerii (47) Comes : ipſo
,, namque Genitore noſtro nobis , quorum ſu-
,, pra , germanis conſentiente , & ſupter con-
,, firmante , præſentes præſentibus diximus .
,, Propterea per hunc ſcriptum promiſſionis &
,, convenientiæ noſtræ , & per noſtram bonam,
,, exſpontaneaque voluntas, promittimus, ſpon-
,, dimus , adque obligamus in Contratu Lam-
,, bertus Archipresbiter de Ordine & Canoni-
,, ca Sanctæ Mariæ Senenſis Eccleſiæ , & cun-
,, ctis tuis, poſteriſque ſucceſſoribus, ut dum-
,, modo in antea unquam modo tempore non
,, habeamus licentiam nec poteſtatem , neque
,, nobis germanis , neque noſtris heredibus ,
,, contra te jam dicto Archipresbitero , neque
,, contra tuis , poſteriſque ſucceſſoribus agere
,, aut cauſare , tollere , aut contendere , ſeu
,, ſupra agere vel minuere , aut in qualibet
,, litis cauſationis indicere per nos , vel per
,, noſtram ſummittentem perſonam , aut per
,, qualibet noſtro ingenio , nominative de om-
,, nibus illis caſis , hortis , terrineis , & don-
,, nicatis , & vineis, ſeu & ſylvis , ſeu & me-
,, dietatem de Curtem de Oprena , & de San-
,, ctari (48) de Acta, adque ad Lacu de Ver-
,, ranu de . . . . . . omnibus illis rebus, ſicut
,, hodie jam dicto Genitor noſter una cum
,, Genitrice noſtra per Cartula offerſionis emi-
,, ſit in jam dictam Canonicam Sanctæ Mariæ,
,, omnia in integrum , ſicuti in præfata Car-
,, tula ſcriptum eſt, & in ea relegitur, nullam
,, nos ſupraſcriptorum germanis, neque noſtris
,, heredibus contra jam dictum Archipresbite-
,, rum , neque contra ſuis , poſteriſque ſuis
,, ſucceſſoribus , neque contra pars de præfata
,, Canonica , neque de præfatis omnibus rebus
,, aliquam intentione aut cauſatione vel donni-
,, catas ſtudialiter vobis exinde faciamus , ſet
,, adjutores vobis ſimus aut erimus ad retinen
,, dum & defenſandum contra omnes homines,
,, qui vobis tolluerint , aut contempſerint , un-
,, de non potuerimus per rectam fidem . Et ſi
,, aliquando tempore in aliquo vobis exinde
,, intentionaverimus , aut tolli vel contendi ,
,, aut ſuptragi queſierimus, nos , vel ille , qui
,, cum quolibet contra factum veniad , eum-
,, dem datam aut traditam abeamus , aut in
,, antea faciamus , & omni tempore vobis &
,, pars de prædicta Canonicam quærere , ha-
,, bere , & tenere non permiſerimus , & in
,, omnia , qualiter ſuper legitur , non ſteteri-
,, mus , & non opſervaverimus , tunc ſpondi-
,, mus adque promittimus ſupraſcriptorum ger-
,, manis una cum noſtris heredibus tibi Lam-
,, berti Archipresbitero , & ad tuis , poſteriſ-

A ,, que ſucceſſoribus , & contra pars de prefata
,, Canonicam , componere penam numerum
,, de bono argentum Libras centum , quia in-
,, ter nobis taliter convenit . Et pro eo omnia,
,, ut ſupra legitur, confirmandum, Launichild
,, integrum accepimus nos ſupraſcripti germa-
,, nis da te jam dicto Lambertum Archipres-
,, bitero , burſciam cum denario pro Solidos
,, duocentum , ut hæc noſtra promiſſio , qua-
,, liter ſupra legitur , omnia firma & ſtabilem
,, permaneat adque perſiſtat . Hæc enim pro-
,, miſſio , qualiter ſupra legitur , Wido Nota-
,, rius tradidimus , & ſcrivere rogavimus .

,, Actum Sena , locus intus Caſtello de
,, Sancto Quirico .

B ,, Signum manuum ſupraſcriptorum germa-
,, nis , qui hunc ſcriptum , qualiter ſupra legi-
,, tur , & ſignum manibus eorum ſcribere ro-
,, gaverunt .

,, Signum manus jam dicti Raynerii Comi-
,, tis , qui ad predictis filiis ſuis conſenſi & li-
,, centiam dedi .

,, Signum manuum Rabbi filii quondam
,, Rollandi , & Raynerii filii Lulli , & Teunti,
,, & Ruſalecli , rogati teſtes .

,, Ego qui ſupra Wido Notarius poſt tra-
,, dita complevi & dedi .

C
NUM. XII.

Dall' Archivio dell' Opera del Duomo ,
num. 572. Anno 1074.

,, IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.
,, Anni ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu
,, Chriſti Milleſimo Septuageſimo Quarto ,
,, Menſe Aprilis , Indictione XII. Manifeſtus
,, ſum ego Lamberto Archipresbitero & Cu-
,, ſtos de Canonica Sanctæ Mariæ Senenſi Epi-
,, ſcopio , qualiter abeo ad regendum & cu-
,, ſtodiendum Caſis , Curtis , ſeu ſortis , ter-
,, ris , & rebus ibidem pertinentibus . Modò
,, verò per conſenſu Fratrum Canonicorum
D ,, noſtræ ejuſdem Canonicæ per unc ſcriptum,
,, & noſtra convenientia , apenſionis nomine
,, dare & confirmare previdi vobis Bernardi
,, filii quondam Winiſi , & Bertæ matri tuæ ,
,, (49) ideſt integra Curte , & Eccleſias . . . .
,, quæ dicitur in Cancio , quæ eſt medietatem
,, de ſupraſcripta Canonica , cum omnibus
,, pertinentiis & adjacentiis earum ſuarum ,
,, quantum ad ſupraſcripta medietate de pre-
,, dicta Curte & Eccleſiis , & rebus ſuis
,, pertinentes , & res cum Curtis , ortis ,
,, caſis ,

(46) *Ardingo*. Mi penſo , che queſto Ardingo abbia dato il nome a gli Ardengheſchi, che di molte Terre ſono ſtati padroni , come fra l'altre ſono Civitella , Torri , Gello , Montorſaio , Pari, ed altri Luoghi , come ſi vede allo Spedale in uno ſpoglio di Contratti del Comune di Siena .

(47) *Rabinerii* . Ranieri Conte : quì è in dubbio , ſe Ranieri fuſſe Conte di dignità , o veramente Conte, cioè Governatore . Il non eſſere i ſuoi figliuoli nominati Conti , mi fa dubitare , che Ranieri fuſſe Governatore ; ed eſſendo queſto Strumento fatto nel Saneſe , è da dubitare , che Ranieri fuſſe Governatore di Siena . I Conti di dignità ſono di due ſorti : gli uni ſono di Luoghi conceſſi per beneficenza de' Principi , e queſti ſi ritrovano aſſai in antico . Altri ſono nati dalla temenza , che i Signori di Contado avevano della potenza delle Città , che s'erano

E poſte in Libertà : perciò introduſſero di mettere ſotto la protezione dell' Imperadore tutti i loro Beni , come fecero i Conti Alberti , Famiglia molto potente in Toſcana , che ſi fecero dichiarare dall' Imperadore Federigo I. Conti , cioè perpetui Governatori di tutti i loro Beni ; nel qual Privilegio , che è nell' Archivio di Maſſa , ſono queſti Luoghi nominati . Queſta ſorte di Conti ſono in gran numero , particolarmente nello Stato Saneſe , che è aſſai grande . Ma queſti vennero aſſai tardi , e di queſti avanti l'Imperio di Federigo Primo credo che ſe ne trovino pochi , o neſſuno .

(48) *De Sanctari de Acta* . Credo che vi ſia qualche errore del Copiſta . Io non intendo quel , che vogliono dire .

(49) Da queſto Strumento ſi riconoſce , che la noſtra Chieſa era ſotto la protezione di queſti Signori Franceſi .

„ caſis, vineis, ſilvis, ripis, pratis, & paſcuis, cultis rebus, vel incultis, per ſingulis locis & vocabulis, movilias & immovilibus, omnia & in omnibus, quantum ad ſupraſcripta medietate de prædicta Curte & Eccleſia, rebus ſupraſcriptis, & ubicum que de ejus pertinentia, & cum omnia ſupra ſe & ſuper ſe abentis, ſeu dare & confirmare providi vobis Bernardi, & ſupradictæ Bertæ, ſunt integris caſis, & vineis, ſortis & rebus maſſariciis, cum Eccleſias Sancti Petri, quæ ſunt poſito in loco & vocabulo Barqua, ſicuti vos ſupraſcripti Bernardo & Berta per cartula venditionis . . . . . . in ſupraſcripta Canonica Sanctæ Mariæ, ut faciat exinde tu, qui ſupra Berta, & jam dicto Bernardo, & filiis maſculinis . . . . de ſupraſcripto Bernardo ſecundùm Lege quicquid volueris, libellario nomine de ſupraſcripto. Antepono uno modiorum de terra cum ſilvas ſuper ſe abentes in loco & vocabulo Cuniolo ℟ decem & nove ſiſtara de terra arabilis, que pertinere de ſorte, que jam detinuit Carboncello . . . . que poſita in loco & vocabulo Vico. Nam aliis omnibus ſupraſcriptis caſis tuis & vineis, & jam dictis Eccleſiis, ſicut ſuperius legitur, excepto quo ſuperius antepoſui, omnia in integrum, ſicut ſuper legitur, tibi qui ſupra Bernardi & Berta . . . . & ad filiis tuis maſculis, qui ſupra Bernardi, qui de uxore abuerit, damus & confirmamus ad abendum, tenendum, laborandum, laborare faciendum, & uſufruendum, ut melioretur & non pejoretur. Et pro omnia, qui ſupra legitur, detis & perſolvatis per te, qui ſupra Bernardi & Berta, aut per unum qui ſupra de vos, & pro tuis filiis maſculinis, qui ſupra Bernardi, aut per veſtros Miſſos mihi, qui ſupra, Lamberti Archipresbitero, & ad meis poſteris ſucceſſoribus, aut a Miniſteriale noſtro a prefata Canonica per ſingulos annos infra Menſe December de denariis de Luca Solidos ſex boni expendibilis, & non amplius pro nulla alia conditione, vel per qualibet ſuperfruam vobis nulla ſuperimponatur, movilias & fruges & laboratione, que infraſcriptis vineis, ſortis, & rebus maſſariſis, & Eccleſiis rebus ſunpertinentes . . . . . . aut abueritis in . . . . . . Berte & Bernardi & ad tuis filiis maſculinis ſit proteſtatione faciendu quod volueritis. Et ſic promitto ego qui ſupra Lamberto Archipresbitero una cum meis ſucceſſoribus ipſius de Canonica amplius violenter ſuperimpoſuerimus, aut ſi nos vobis tollere vel ſutrai queſierimus pro quovis ingenio, tunc componamus vobis pena numeru de bono arientum Libras quinquainta. Et per ideo promittimus nos ſupraſcripta Berta & Bernardo una cum meis filii maſculini, qui de leitimo coicio (50) nati ſunt, tibi, qui ſupra, Lamberti Archipresbitero, & ad tuis ſuceſori quoſviam, qualiter vos, ſicut ſuperius decreviſti, facere & adimplere neglexerimus per quovis ingenio, tunc componemus nos ſimili pena de bono arientu Libras quinquainta, quia inter nos taliter convenit. Quam verò duobus libelli uno tenore factos, qualiter ſupra legitur, Ildibrandi Notarius ſcrivere rogavi.

„ Acta in Loco a Monte Aperto territorio Senese.

„ ✠ Ego Lambertus Archiſpresbiter a me facto ſubſcripſi.

„ Ego Letus Presbiter ſubſcripſi.

„ Ego Johannes Presbiter ſubſcripſi.

„ Signum manibus Ildibrandi filii quondam Ruſtighi, & Berti . . . . filii Ardimanni & . . . . filii, rogati teſtes.

„ Ego Ildibrando Notarius poſt tradita complevi & dedi.

NUM. XIII.

Dal detto Archivio dell' Opera, al num. 751.
Anno 1079.

„ IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Septuageſimo Nono, Kalendis Martii, Indictione XI feliciter. Ideo ego in Dei nomine Rainerio (51) Comitem filio quondam Ardingi, qui fuit Comitem, & Bertam Jugalibus filia quondam Raineri, qui fui de Sciſcano, qualiter profeſſa ſumus ex nationem meam Legem vivere videor (52) Langobarda: ipſo namque Jugalem & Mundualdo meo michi conſentientem, & ſupter confirmantem, & juxta eamdem Legem noſtra ſic interrogatas ſum ego Berta a . . . . . de Nobbiano; ut ſi aliquam violentia paſſa fuiſſe ab ipſo ſupraſcripto Viro meo, vel ad qualibet . . . . & ego ejus preſentiam & teſtium, certam facio profeſſionem & manifeſtationem, quod nullam paſſa violentia ad quempiam hominem, nec ab ipſo Jugalem & Mundualdo meo, niſi tantum meam bonam & noſtra voluntatem. Comuniter noſtrique Jugalibus offertor & offertores ac donatores in Canonicam . . . . . . Senenſis Eccleſie & Epiſcopio, ubi modò Donnus Lambertus Archipresbiter preeſſe videtur: Quiſquis in ſanctis ac venerabilibus locis de ſuis

„ ali-

(50) *coicio* viene dal Latino *coitu*.

(51) E' un altro Strumento de' Signori Ardengheſchi. Ranieri vi ſi nomina Conte, figliuolo del già Ardingo, *qui fuit Comes*. Oſſervanſi molte voci con piegatura Italiana, come *Ranerio filio da Guiniſi filio Raineri, & da Berta conjuga ſua*. A mio credere *qui fuit Comes* voleva dire, che fu Governatore; e di queſti ſe ne trovano molti. Eccovene uno. Fra' Contratti del Duomo, al num. 575. dell' Anno 1087. ſi legge: *Vinea Ugolini & Raineri Comitibus, filiis bone memorie Raineri, qui fuit Comes*. Al num. 581. dell' Anno 1073. abbiamo: *Giſla Comitiſſa, que fuit uxor bone memorie Ranerii, qui fuit Comes*. Al foglio 127. del Libro delle Coppe, che ſi ritrova nell' Archivio di Montepulciano, dell' Anno 1055 ſtà ſcritto: *Manifeſti ſumus nos Ranerius & Petrus, qui Pepo eſt clamatus, & Farolfus germani Comites filii bone memorie VVinigildi, qui fuit Comes*. In queſto luogo *qui fuit Comes*, non credo veramente, che dir voglia, che fu Governatore; ma ſolo, che era Conte, come i figliuoli.

(52) Queſti Signori vivevano *Lege Langobardâ*: dal che ſi riconoſce, che coſtoro non erano di ſangue Franceſe. E' anco da notare, che i noſtri Antichi ſcrivevano *vivere Lege Langobardâ*, e non *Longobardâ*. La regola ſi è, che ne i Contratti antichi ſempre ſi legge *Langobardâ* per *A*, e non per *O Longobardâ*. E ſe ſi legge *Longobardâ*, è ſegno che ſono copie fatte in tempi più baſſi. E ciò facevano, perchè in quei tempi amavano una pronunzia più gutturale, come è l'*A*, e non già l'*O*. E non è già la ragione, che apporta il detto Marcheſe Maffei nella ſua ſcienza Cavallereſca.

A ,, aliquid contulerit rebus , juxta Actori ſuo
,, ... cendoplum accipiens ; inſuper &
,, quod melius , vitam poſſidebit eterna. Ideo-
,, que nos , qui ſupra , Jugalibus , & amore
,, Raineri dilecto filio noſtro donamus & offe-
,, rimus in prefata Canonicam , & ad Lamber-
,, tum Archipresbiterum , qui modo preeſt, &
,, ad illos Cleros , qui modo intus prefata Ca-
,, nonica ſunt , & in antea erunt eo ordine ,
,, qualiter ic ſuptus legitur , ideſt integram
,, medietatem de oc, quod nos abemus & poſ-
,, ſidemus per noſtram proprietatem de Curtem
,, illa noſtra , que dicitur Oprena , & Sancta
,, Reſtituta . . . . . . medietatem de Eccleſiis
,, infra ipſam Curtem poſitis, cum medietatem
,, de caſis , ſortis, & donnicatis . . . . . vineis,
B ,, adque ſilvis , & olivetis , quercetis , perti-
,, nentibus ad prefata noſtra medietatem de ſu-
,, praſcriptis rebus . . . . . . ſeu donamus , ad-
,, que adjudicavimus , & offerimus in prefata
,, Canonica Sancte Marie integram noſtram
,, medietatem de Curtem de Sancto Quirico ,
,, que eſt in loco , qui dicitur al Cagio , & de
,, Eccleſia. . . . . . . poſitam , cum omni ejus
,, pertinentia , & appiacientia ſua, ſicut ad ſu-
,, praſcriptam medietate . . . . . . & Eccleſia ,
,, & res illa juris noſtra ſunt pertinentibus ,
,, cum caſis & donnicatis & rebus maſſariciis ,
,, ortis , terris , & vineis , ſilvis , rivis , pra-
,, tis & paſcuis cultis vel incultis . . . . &
,, in omnibus quantum ad integram ſupraſcri-
C ,, ptam de ſupraſcripta Curte & de predicta
,, Eccleſia . . . . . . pertinentibus vel aſpicienti-
,, bus per ſingula loca & vocabula , ubi ubi
,, invenitur eſſe , ſicut . . . . Rainerio
,, Comite per Cartula venditionis advenit
,, da Rainerio filio Gualfredi , qui ſuis
,, ... ſicut mihi ſimiliter per Cartula ven-
,, ditionis adquiſivit da Guiniſi filio Raineri ,
,, & da Berta conjuge ſua, omnia in integrum,
,, ſicut in ipſa Cartula legitur . . . . . . & com-
,, plere in integrum . Similiter donamus in
,, prefata Canonica integro Servo uno . . . . .
,, famulo noſtro , nomen Vetulo , cum omnes
,, rationem , que de ejus perſona . . . . . . in
D ,, antea , & cum omni peculiare ſuo . Que
,, autem ſupraſcripta medietatem de ſupraſcri-
,, ptis Curtis & rebus cum caſis, terris, & vi-
,, neis , & rebus maſſaricies , que ad predicta
,, Curte de Uprena , & de Sancta Reſtituta ,
,, & de Sancto Quirico ſunt pertinentibus ,
,, cum Curtis , ortis , terris , & vineis, ſilvis,
,, rivis , pratis , & paſcuis , cultis vel incultis,
,, movilibus , & cum omni acceſſiones & in-
,, greſſorias earum , ſeu cum interioribus &
,, inferioribus earum , omnia in integrum , ſi-
,, cut ſuperius legitur , ab anc die in prefata
,, Canonica pro remedium anime noſtre , quo-
,, rum ſupra Jugalibus , & pro amore jam di-
,, cto Raneri , filio noſtro , quomodo in pre-
,, fata Canonica damus & tradimus ad ſtandum
E ,, & ibi manendum una cum aliis Confratribus,
,, qui modo intra predicta Canonica ſunt , &
,, in antea fuerint , jam dictis omnibus rebus,
,, ut ſupra legitur , donamus , cedimus , con-
,, firmamus, & per preſentem Cartula offerſio-
,, nis ibidem ad abendum , confirmandum .
,, Facientes exinde ipſe Archipresbiter una cum
,, Fratribus ſuis Sacerdotes & Cleros , qui modo
,, intus prefata Canonica ſunt ordinati , & re-
,, gulariter vivunt , vel qui pro tempore ordi-
,, nati fuerint , & Deum ſervierint , ad preſen-
,, ti die jure proprietario nomine quicquid vo-
,, luerint ſine omni noſtra Jugalibus, & de no-
,, ſtris heredibus contradictione , nomine pre-
,, dictorum , aut ullus de eredibus noſtris , qui
,, contra anc Cartula offerſionis noſtre ire
,, quandoque tentaverimus , aut eam infrange-
,, re , vel jam dictis rebus , qualiter ſupra le-
,, gitur , de ſupraſcripta Canonica tollere aut
,, ſuptragere queſierimus, & ab omni ominem
,, ad partem de ſupraſcripta Canonicam , vel
,, cui pars jam dicta Canonica dederint . ali-
,, quit de ſupraſcriptis rebus non defenſaveri-
,, mus ; quod ſi defendere non potuerimus , &
,, omni tempore jam dicti Presbiteri & Clerici
,, prefatis rebus quiete abere & tenere non
,, permiſerimus , tunc in duplum omnibus ſu-
,, praſcriptis rebus , qualiter ſuperius legitur ,
,, vobis reſtituamus , ſicuti pro tempore fue-
,, rint meliorate , aut pro extimatione value-
,, rit in conſimilis locis , & inſuper de bono
,, argentum Libras ſexſaginta ; & poſt penam
,, ſolutam anc Cartula offerſionis in ſua perma-
,, neat firmitatem & roborem cum ſupraſcri-
,, pta pena , & obbligo . . . . inter nobis
,, taliter convenit , & vobis neceſſe fuerit , li-
,, ceat vobis anc Cartula poſtea oſtendere
,, ... cauſa agere , quomodo inter vo-
,, bis juxta Legem melius potueritis facere .
,, Quam verò Cartulam offerſionis noſtre, qua-
,, liter ſupra legitur , Wido Notario ad ſcri-
,, bendum . . . . . .

,, Actum Sena .

,, Facta eſt iſta Cartula intus Caſtro de
,, Sancto Quirico .

,, Signum manuum de ſupraſcriptis Jugali-
,, bus , qui anc Cartula offerſionis, ut ſupra
,, legitur ſcribere rogaverunt ; & de ſupraſcri-
,, pto Rainerio Comitem , qui a ſupraſcripta
,, Conjuge ſua conſenſum dedi , & manu ſua
,, ſcrivere rogavit . . . .

,, ... & Corbititio filio quondam
,, ... Rainerio filio quondam Lulli de
,, Bibbiano .

,, Wido Notarius poſtradita complevi , &
,, dedi .

NUM. XIV.

Dal detto Archivio dell' Opera, *al numero* 1319.
Circiter Annum 1105.

,, IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.
,, Incipit Breve recordationis pro futura
,, memoria de Teſtamento , quod fecit Ber-
,, nardinus (53) Comes Canonice Sancte
,, Marie , in manu Domini Gregorii (54)
,, venerabilis Prepoſiti , eo tenore , ut nulli
,, venturo Prælato vel Canonico liceat vendere
,, vel donare , aut in Feudo alicui tribuere .
,, Sed (55) ſemper ad Canonicorum com-
,, muniter viventium in Canonicâ utilitate ma-
,, neat.

(53) *Bernardino Conte* ſtimo , che ſia figliuolo di Berardo , *qui fuit Saligo ex genere Francorum* , come ſi legge nel Capitolare della mentovata Abbadia .

(54) *Gregorio* Propoſto viveva nel 1100. e 1108.

(55) *Sed ſemper ad Canonicorum communiter viventium in Canonicâ utilitate permaneant* : parole del Teſtamento del Conte Bernardino , dalle quali oſſerviſi quanto s' inganni il Du-Pin , quale ragionando di San Brunone Veſcovo di Segni , va penſando , ch' ei non fuſſe Canonico Saneſe , perchè non credeva , che i noſtri Canonici viveſſero in tal torno in comune .

„ neat. Locorum verò nomina infra leguntur. A
„ Maſia (56) videlicet de filiis Serici de
„ Riſtano. Terra de Kargiolo, quam tenet
„ Ubertellus & Bonattinus germani, & filii
„ Azzonis Clerici, & filii Petri Clerici. Ma-
„ ſia de Bracalania. Terra, quam tenent filii
„ Ferruccii de Riſtano, & filii Jovanitti. Ma-
„ ſia de Piſcina Caſa. quam tenet Gualpuccius
„ cum conſortibus ſuis. Maſia de Tigiari de
„ Canucii, que fuit retenta per Albericulum,
„ & Pantum. Terra, quam tenet Zaicus
„ Cunnetta. Quicquid filii Stephani retinent
„ in Domnicato. Maſia, quam retinet Jovan-
„ niculus filius Johannis filii Stephani. Quod
„ retinuit Johannes pro Caſa Bernardini de
„ Orgia. Terra de Valceraſiu. Terra, quam B
„ retinent filii Beriuguli de Cinnano. Maſia
„ de Kavina. Terra de Scazucavato. Maſia
„ Giki de Arnano. Maſia Johannis de Pino.
„ Partem filii Bernardini, quam tenuit Pinciu-
„ lus de Campora. Quod tenuit Alligrittus
„ cum ſuis conſortibus a Perſenate. Maſia,
„ quam tenuit Presbiter Albertus de Perſenate
„ cum conſortibus ſuis. Terra, quam tenet
„ Stephanus filius Johannis de Ilci. Maſia de
„ Nottuli in Sancto Juſto in Valle. Maſia Pa-
„ ganelli de Fultignano. Maſia de Talfi de
„ Miſtriano. Maſia de Aquatiku, quam tenet
„ filius Guidonis Columbe, cum aliis (57)
„ Lambardis. Terra, quam retinet Presbiter
„ Johannes de Sancta Columba. Maſia, quam C
„ retinent filii Petri Clerici de Magiano. Ma-
„ ſia, quam retinet Donatus de Fultiniano.
„ Maſia de Vulpello. Terra & vinea prope
„ Plebem Sancti Juſti, quam retinent filii Pre
„ sbiteri Petri, & Mannarino. Maſia de Ter
„ mine, quam retinent Ubertus & Bonattinus
„ partem Bernardi. Maſia Galignaniſe, quam
„ retinet Albericus & Pantus. Maſia de Mo-
„ miule, quam retinet Ubertus & Bonattus.
„ Terra, quam tenet Ubertus & Bonattus de
„ (58) Malipaſſi. Maſia de Sancto Quirico,
„ & Vaccarizza, quam retinet Ubertellus,
„ que fuit Fuſcolini filii Brocculi. Terra de
„ Maginardi a Monte Sindari, quam retinet
„ ille Ubertus. Terra de Micilliano, quam D
„ retinet Ubertus & Bonattus. Maſia de Ro-
„ manci. Terra de Terzole, quam retinet
„ Presbiter Petrus de Sancta Chriſtina. Ter-
„ ra, quam retinet Martinus de Carpinita.
„ Terra, quam retinet Senucius filius Corbuli
„ de ſubtus Sancto Quirico. Maſia de Meda-
„ ni, quam retinet Ildibrandus filius Ciguli.
„ Maſia, quam retinet Pantus all' Iſula de Pe-
„ traficta uſque a Petraminucula. In his ter-
„ minis Terra modiorum quinque. Terra de
„ Caſalini, quam retinent filii Muſcule de Ma-
„ gnattule. Maſia de Cudelonguli, quam re-
„ tinent Albericus & Pantus. Terra, quam E
„ retinet Albertus filius Amaranduli a le Pala-
„ gie. Tertia pars de tenimento Sancte Ma-
„ rie de Treſſa, cum Eccleſia, quam retinent
„ filii Benzi Clerici. Terra, quam retinent
„ filii Erizi de Meltu. Caſa, quam retinent

„ filii Commi. . . . . ullia. Maſia da Ru-
„ pelodo in Monte Luco, quam retinent filii
„ Gerardi de Camullia (59). Terra & vi-
„ nea, quam retinent filii Boſomuli a Sancto
„ Dalmatio. Bernardus filius Beringeri Dena-
„ rios VI. De Vinea & Terra Piſcarie, quam
„ retinent filii Martini Biccanii Denarii II. De
„ Terra de Campo Rigi filii Rolandi, & Ma-
„ carelli, Denarios VI. Filii Charliti Denarios
„ XII. De Hoſpitio Sancti Donati, Denarii
„ II. Tenimento Fuſculi filii Brocculi, quam
„ retinent filii Creſcentii filii Meli apud San-
„ ctum Abundium. Maſia de Sartiano, quam
„ retinet Bernardus da filiis Petri Clerici. Ma-
„ ſia de Partina, quam retinet Guiduccius fi-
„ lius Treſfule. Maſia de Tracano, quam re-
„ tinent filii Paganelli Baſiabutte. Terra Ber-
„ nardini de Anchajano, quam retinet Berar-
„ duccius filius Barittuli Terra de Laſciano,
„ quam tenet Balduccius cum conſortibus ſuis.
„ Maſia Johannis de Pino. Terra, quam te-
„ net Berarduccius filius Ildizzelli dal Colle.
„ Terra de Fungaja, que tenetur per filios
„ Petri Clerici. Pars Bernardini de Feſtule.
„ Pars Bernardini Comitis de Prato Azzonis
„ Mariſcalki de Fonte Rocculi. Maſia, quam
„ detinet filius Pinci de Cerrito. Filii Ruſtici
„ Judicis Denarios VI. Uxor Fidelis Denarios
„ VI. Scavizza & Staſicca Denarios VI. Filius
„ Algiſi Denarios IV. Filius Baruncini de San-
„ cto Vigilio Denarios IV. Ugolinus Faber
„ Denarios III. Filius Petri Gocii III. Denarios.
„ Albertinus (60) Mignanelli III. Denarios.
„ Rolandus de Sciſcano Denarios III. Guillel-
„ mus Prudens . . . . Denarios VI. Filius
„ Petri Faſtelli VI. Denarios. Filius Mingulli
„ Denarios XII. Silvani Guiduccius Denarios
„ III. Presbiter Sancti Chriſtophori Denarios
„ VI. Albiſinda filius Petri Malagota . . . . . .
„ . . . Martinus Lari Denarios XII. Dominicus
„ Barbottus Denarios VI. Filii Rolandi filii
„ Gerardi Denarios XII. Filius Makarelli De-
„ narios III. Filii Aquiligii Denarios VI.
„ Gaipi Denarios III. Presbiter de Sancto Pe-
„ tro in Camullia Denarios II. Brancittus De-
„ narios VI. Majulus Denarios VI. Ciote De-
„ narios VI. Pedrinus Denarios VI. Filius
„ Morellini Denarios IV. Petrus Sartor Dena-
„ rios III. De Terra de Scalire, quam tenet
„ filius Lamberti Judicis, Denarium unum.
„ Nepos Azonis filii Faide Denarios XII. De
„ Campo Sancti Mauricii Denarios II.

NUM. XV.

Dal detto Archivio dell' Opera, al num. 1409. Anno 1108.

„ Tibi Domino Gregorio Præpoſito, Re-
„ ctori, & Cuſtodi Canonicæ Sanctæ
„ Mariæ Senenſis Eccleſiæ. Ego Opizellus
„ (61) filius quondam Alberici, qui profeſſu
„ ſum

(56) *Maſia*. Noi crediamo, che ſignifichi *Caſa*; e venga dalla parola Franceſe *Maiſon*.

(57) *Cum aliis Lambardis*. Lambardi, cioè Nobili. Sicchè queſte Caſe erano conceſſe dal Conte Bernardo e Bernardino a diverſi Nobili.

(58) *Da Mali paſſi*, voce pretta Italiana.

(59) *Camullia* oggi un Terzo della Città. Il noſtro Teofilo Gallacini in un ſuo MSto ſpiega ragionevolmente *Caſa Mulierum*.

(60) *Albertinus Mignanelli* crediamo, che dia origine alla Famiglia Mignanelli, Famiglia Magnatizia: e forſi è un ramo di queſti Conti Berardeſchi.

(61) *Opizzelus filius quondam Alberici*. Coſtui fu ſenza dubbio uno di queſti Conti Berardeſchi. Nel gran laſcito, che fece alla noſtra Canonica, ne rende il motivo: *ut faciat exinde pars ſuprascriptæ Canonicæ ſecundum Legem quicquid ſibi pla-*

,, ſum ex natione mea Lege (62) vivere Sa-
,, ligâ, præſens præſentibus dixi : quapropter
,, a præſenti die dono & trado, atque offero
,, tibi Deo & Canonicæ Sanctæ Mariæ, omnes
,, res in integrum, mobiles & immobiles, ſe
,, ſeque moventes tam de Servis, quàm de
,, Ancillis, Allodum, & Libellarias, ſicuti
,, eas abeo, & teneo per me, & per alios, &
,, mihi quolibet titulo vel jure pertinere vide-
,, tur in integrum tam per ſucceſſionem, quàm
,, per conquiſitum, tam in Comitatu Senenſe,
,, quàmque in Aretino, & in Florentino. Vi-
,, delicet in ea pars de Caſtello & Curte de
,, Valle de Platta, & Caſtello & Curte de
,, Doſano, atque de Caſtello & Curte de
,, Orgiale, & de Caſtello & Curte de Campi,
,, & de Caſtello & Curte de Monteluco, & de
,, Caſtello & Curte de Monte, & de Caſtello
,, & Curte de Moncilliano, & de Caſtello &
,, Curte de Rapratuſa : vel pro aliis locis, &
,, vocabulis, ubicunque invenitur eſſe de re-
,, bus meis proprus, & de Libellariis in inte-
,, grum, excepto antepono mea pars de Ca-
,, ſtello & Curte de Montalto. Nam de aliis
,, illis rebus meis propriis, mobilibus & im-
,, mobilibus, & de Libellariis, cum caſis, or-
,, tis, terris, & vineis, & ſilvis, una cum
,, acceſſionibus & ingreſſionibus & inferioribus
,, ſuis, cum omni jure & adjacentiis ac perti-
,, nentiis earum rerum, ſicut ſupra legitur, in
,, integrum, ab ac die tibi Deo & Canonicæ
,, Sanctæ Mariæ do & trado atque offero, ut
,, faciat exinde pars ſupraſcriptæ Canonicæ,
,, ſecundùm legem quicquid ſibi placuerit, pro
,, animæ meæ mercede, & parentum meorum
,, ſine mea, qui ſupra Opizzello, & eredum
,, meorum contradictione. Sic tantum, ut de
,, ſupraſcriptis Libellariis dent tantam penſio-
,, nem, quantam & ego exinde dare debeo per
,, ſingulos annos intra ſtatutum inter ſe, ad
,, illam ſcilicet partem, cui ego eam dare de-
,, beo. Equidem ſpondeo, atque promitto
,, me ego, qui ſupra Opizzello, una cum
,, meos eredes tibi prefato Gregorio Prepoſi-
,, to, tuiſque ſucceſſoribus prædictæ Canoni-
,, cæ, aut cui vos dederitis ſupraſcripta mea
,, oblita, ſicut ſupra legitur, in integrum,
,, ab omni omine defendere. Quod ſi defen-
,, dere non potuerimus, aut ſi vobis exinde
,, aliquit quovis ingenio per me, vel per ſum-
,, miſſi perſona ſubtrière queſierimus, tunc in
,, duplum ſupraſcripta mea oblita reſtituamus,
,, ſicut pro tempore fuerit meliorata, aut va-
,, luerit in conſimilibus locis. Et inſuper me
,, foras expuli, & apſens me feci, & corpo-
,, ralem inveſtituram tibi ſupraſcripto Prepo-
,, ſito feci per manum Uberti venerabili Vice-
,, domino.

,, Actum Senæ in ſupraſcripta Canonica,
,, Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu
,, Chriſti Milleſimo Centeſimo Octavo, menſe
,, Junii, Indictione Prima.

,, Signo manuum ſupraſcripto Opizzello,
,, qui ſupraſcripta oblata ſcribere rogavit.

,, Signa manuum Uberto & Antolini (63)
,, germani filii Johannis Vicedomino, & Petri
,, Bonfilli, & Pagani dicto Bonfellaio, &
,, Panci filio Rolandini, & Guidonis filio
,, Gualkieri, & Leucio filio Rodolfi teſtium.

,, Ego Jeronymus Judex Imperatoris interfui
,, & ſubſcripſi.

,, Ego Rolandus Judex ſacri Palatii interfui
,, & ſubſcripſi.

,, Ego Tebaldus Notarius poſtradita comple-
,, vi & dedi.

---

placuerit pro animæ meæ mercede, & parentum meorum. Dal che ſi vede, che in queſto tempo per anco non erano introdotte le Limoſine taſſative delle Meſſe. Io non credo però, che queſti Signori, o altri, nello ſpogliarſi di tanti Beni e Signorie, intendeſſero di ſpogliarſi di ogni coſa; ma mi giova credere, che più toſto intendeſſero di porre ſotto la protezione della Chieſa i loro Beni, e per tale protezione riconoſceſſero d'un tanto le Chieſe ſotto la protezione delle quali iſtavano. E ciò dovevano far volontieri, riconoſcendo, che ſtante i Privilegi, che Carlo Magno diede alle Chieſe, i Beni loro ſtavano preſſo che ſicuri. Di ciò me ne dà indizio la Legge degli Alemanni fatta al fogl. V. del Primo Tomo de i Capitulari de i Re di Francia, ove ſi legge: *Si quis Liber res ſuas ad Eccleſiam dederit, & per Chartam firmitatem fecerit, ſicut ſuperius dictum eſt: & poſt hæc a Paſtore Eccleſiæ per Beneficium ſuſceperit, ad victualem neceſſitatem conquirendam diebus vitæ ſuæ, & quod ſpondit, perſolvat ad Eccleſiam cenſum de illa Terra, & hoc per epiſtolam firmitatis fiat, ut poſt ejus diſceſſum nullus de heredibus non contradicat. Et ſi contigerit, ut poſt mortem ejus, qui dedit illas res, filium relinquat, & forſitan ipſe filius vult dicere, quod hereditas paterna ſibi ſit legitima ad poſſidendum, & pater ejus non dediſſet, nec firmitatem feciſſet, non liceat ei jurare: ſed ipſa Charta, quam pater ejus fecit, præſens veniat, & illi teſtes, qui manus ſuas in Charta miſerunt, una cum Presbytero Eccleſiæ, & ſicut Lex habet, ita teſtificentur, quod ipſi ad præſens fuiſſent, & oculis ſuis vidiſſent, & auribus audiſſent, quod Pater ejus illas res ad Eccleſiam dediſſet, & Chartam feciſſet, & illos advocaſſet. Hoc per ſacramentum dicant*: quod nos veri teſtes ſumus. *Poſt hæc Paſtor Eccleſiæ res ſuas poſſideat, & ille præſumptor, qui contradixerit, illam multam, quam Charta continet, ad Eccleſiam perſolvat*.

(62) *Lege vivere Saligâ*. I noſtri Maggiori ſi trovano, che vivevano ſolo con tre Leggi, Salica, Longobarda, e Romana. Con queſta ultima fuora de' Cherici, pochi ſtimo che viveſſero intorno al Mille. Ma era aſſai grande il numero coloro, che vivevano colla Legge Salica. Colla Lege Longobarda ſtimo, che vi foſſero tre ſingolari Famiglie, e ſono i Conti Ardenghi, i Conti Aldobrandeſchi, e i Signori di Staggia. Di queſti Signori di Staggia, come fondatori dell'Abadia dell'Iſola, che è venuta in potere de' Monaci di Santa Eugenia, il loro Albero è fatto intorno al Mille dugento dopo Criſto. Il quale Albero eſſendo aſſai curioſo, ne noterò il principio, ed è il ſeguente: *Remſrido. Giſalprando. Adelberto. Alfredo. Ildebrando. D'Ildebrando ne viene Berizzo, e Teuzo*. E ſi legge: *Qui Tegrimus fuit vocatus*. Ava fu moglie d'Ildobrando o Ildibrando, della quale ſi legge: *Ava uxor Ildibrandi cum Berizo & Teuzo filiis ſuis conſtituit hanc Abbatiam de Inſula, & ditavit eam de ſuis Bonis*. Berizzo ebbe per moglie Adalberta, e da amendumi ne nacque Bonifazio. Teuzo o Teuſſo ebbe per figliuoli Ranieri, di cui ſi legge: *Qui dictus fuit Falco filius Teuzi*. E di Tegrimo ivi ſi legge: *Tigrimus filius Teuzi, qui fuit Epiſcopus de Maſſa*. Genealogia, che a mio credere paſſa il 900.

(63) In queſto torno i Viſdomini, cioè i Protettori delle Chieſe erano Laici, come s'oſſerva in queſto luogo. *Signa manuum Uberto & Antolini germani filii Johannis Vicedomino*. Gli Antolini, e i Forteguerri, Famiglie de i Grandi, erano del medeſimo ceppo nella cacciata de' Grandi, fatta nel 1276 e 1277. deſcritta a fol. 91. del Libro de i Conſigli della Campana, dove ſi legge, che nel Terzo di Città fra gli altri furono cacciati *Caſamentum de Forteguerris, & Antolinis*: Famiglia oggi eſtinta. La facoltà di mettere in poſſeſſo il Veſcovo degli Antolini fu laſciata allo Spedale, e da i Forteguerri a Caſa Malavolti: E quell'uſo ancora è rimaſto in piedi: E in altro ruolo, che dalla forma del dire dovrebbe eſſere più antico, ſi legge: *de Domo filiorum Forteguerræ Antolini*. E da queſto modo di dire ne ſono venuti i Caſati, e s'è incominciato a dire *de i Forteguerri, e degli Antolini*. Ma i Caſati ſono incominciati un poco più tardi da noi, che altrove.

DE
ORIGINE
ET PROGRESSU
IN ITALIA
GIBELLINÆ ET GUELPHÆ
FACTIONUM.

DISSERTATIO
QUINQUAGESIMAPRIMA.

DISSERTATIO
QUINQUAGESIMAPRIMA.

MOrtalium Animos, non minus quàm Corpora, innumeris perturbationibus ac morbis obnoxios eſſe, nemo eſt qui neſciat, aut qui facile, ſi in mores & acta hominum attente inquirat, agnoſcere continuo non poſſit. Sed pauci intelligunt, ex Animorum, quàm ex Corporum, ægritudine plura incommoda ac detrimenta manare poſſe, & præcipue quod plerumque Animis ipſis vitiatis, aut vitio deditis tribuenda ſit Corporum ipſorum pernicies. Ut autem interdum peſtilentia ex Orientalibus, aut ab Auſtralibus Turcarum Provinciis in Europam devecta, ex uno in alterum hominem contagione progreditur, eo ſucceſſu & fœcunditate, ut univerſum ferme Populum inficiat, & Urbes integras mortibus illatis exhauriat: ita quandoque peſtis occulta in Phantaſias menteſve hominum illabi poteſt, & ampliſſimum corrumpere Regnum, nedum Populum unum; neque deſinere, donec incredibilem cladium & malorum Iliadem in rempublicam attulerit. Ex hiſce popularibus Animorum morbis nullum fortaſſe parem, neque pernicioſiorem, neque diuturniorem Italia peperit, atque experta eſt, quàm teterrimas *Gibellinorum* & *Guelphorum* factiones, quibus per tria Sæcula Regni tam nobilis viſcera dilacerata fuerunt. Videt interdum magna Britannia ſciſſos duobus contrariis, aut diverſis ſtudiis Populos ſuos. Vidimus & nos, quum bella olim ferverent inter Gallicos & Hiſpanos Reges, aut inter Cæſarem & Gallos, diverſis votis concitari & uri Italicæ gentis animos, quum hi unis, illi alteris faverent, & in contumelias, immo & in certamina ac cædes, eâ de cauſsâ interdum ſtulti proruerent. Sed nihil horum comparandum venit cum Factionibus iis, quas tamdiu Italia aluit, & quarum nunc, quàm expeditiſſime potero, delineare faciem ſtatui. Erit quod ſemper miremur, tantam peſtem, tantum dementiæ in pectore majorum noſtrorum irrepere, tamque altas in iis radices agere olim potuiſſe. Sed ubi recogitabimus, quæ quantaque ſit humani generis infirmitas, quamquam nos incredibilis ſuperbia quotidie inflet, mirandi finem faciemus; atque id tantum optandum erit, videlicet ne qua in poſterum cauſſa ullorum animos in ejuſmodi deteſtanda deliria abripiat. Itaque *Gibellinorum* nomine ii primo deſignabantur, qui aut Friderici I. Auguſti Familiam ſequebantur aut in fide Imperatorum Romanorum ſtabant, eorumque dominationi in Italia favebant, & ſubeſſe amabant. Contra, qui eorum familiam, imperium, atque auctoritatem averſabantur, *Guelphi* appellati fuere. Hæc primis Factionum iſtarum propugnatoribus mens fuit, hæc eorum cupido, unde ſchiſmata innumera prodiere. Neque tantùm furibunda hæc animorum diſcordia ſtudia & vota Urbium diviſit, ſed etiam inter ipſos unius ejuſdemque Urbis Populos pomum diſcordiæ latiſſime diſſeminavit. Procedente poſtea tempore veluti his contentionibus faſcinati homines, nihil interdum

A reſpexere, quid Factionem creaſſet, neque utrum Imperatoribus faverent, an obſiſterent; ſed ingenito ac pertinaci dumtaxat odio, quod perſæpe a majoribus uti hereditarium acceperant, unus adverſùs alterum agitati ac impulſi, unice ad illud inhiabant, ut adverſarios, ſive exteros, ſive Cives ſuos, deprimerent atque everterent, ſibique unis imperium in liberis Civitatibus aſſererent.

Originem ex Germania traxere Factiones iſtæ, ut jam certis rerum documentis eviciſſe mihi videor Par. I. Cap 31. pag. 355. Antiquitat. Eſtenſium. Quæ illic ſum commentatus, nihil eſt quod ego heic repetam. Illud ergo tantummodo refricandum puto, nempe B cauſſam & nomen Factionibus hiſce data fuiſſe a diutinis ferme ſimultatibus, quæ interceſſere inter Conradum Salicum Imperatorem, in villa *Guebelingi* aut progenitum, aut dominum, ejuſque poſteros maſculos Henricos Imperatores, & Fridericum I. ejuſque liberos per feminam ab ipſo Conrado deſcendentes ex una parte; & ex altera lineam illam Eſtenſis Familiæ, quæ Sæculo Chriſti Undecimo in Germaniam per *Guelphonem* Azonis magni Marchionis Ateſtini filium tranſlata, *Guelphæ* inclytæ olim Familiæ facta heres, Ducatibus Bavariæ & Saxoniæ diu præfuit. Hæc autem Familia, quæ antiquis temporibus celeberrimos Duces peperit, & nunc vividior quàm C antea floret in potentiſſimo magnæ Britanniæ Rege Georgio II. & in reliqua Brunſvicenſium Ducum & Principum, ſacri etiam Romani Imperii Electorum proſapia, *Guelphonum* nomine olim propagato, occaſionem præbuit adhærentibus ſibi, ut *Guelphos* ſeſe appellarent, aut ab aliis appellarentur, quum contra Friderico I. ejuſque deſcendentibus faventes, *Gibellinorum* nomenclaturâ diſtinguerentur. Sed quoniam *Welphonum* veterum proſapia mihi memorata, in quam inſita fuit Marchionum Eſtenſium proles adhuc ſplendidiſſima & potentiſſima, pauca adjungere heic liceat. Poſtrema Welphicæ ſtirpis fuit *Cunegundis* nuper laudato Azoni II. Marchioni Eſtenſi nupta, D quæ circiter Annum MLX naturæ debitum ſolvit, uti jamdiu in Antiquitatib. Eſtenſib. oſtendi. Heic autem minime fraudandus eſt Lector Epigraphe, ejus tumulo olim appoſitâ, quam debeo Clariſs. Viro Guidoni Grandio, Camaldulenſi Abbati, & publico Mathematices Profeſſori in Gymnaſio Piſano. Scripſit ille ad me, ſe inter veteres Chartas Monaſterii Vangadicienſis, ad Ordinem ſuum olim ſpectantis, reperiſſe memoriam loci, ubi tumulo data fuerat inſignis mulier. Scilicet in Charta quadam veteri adnotatum fuerat, dum in Templo ejuſdem Cœnobii fabricaretur, Anno MCCCXXXIV. Auguſto Menſe, apertam fuiſſe Arcam, in qua duo Corpora jacebant, E junctim poſita, ſed ita ut unius caput jaceret, ubi alterius pedes. Adhuc ibi veſtigia ſupererant panni, aureis ſericiſque filis contexti. Hoc fuit *tempore Domni Severi*, *Dei & Apoſtolicâ gratiâ venerabilis Abbatis Monaſterii*

Sanctæ Mariæ de Vangadicia. Marmore inſcripta erat memoria *Cunegundis* ibi ſepultæ, quam neſcio quibus tabulis fretus Chartæ Scriptor ajebat, Anno MLVII. finem vivendi feciſſe. Quod ſolùm doleo, nimiis erroribus ſcatet epitaphium ipſum, quos in antiquum deſcriptorem potius, quàm in primum Auctorem referendos opinor. Sed quale accepi ego, accipiat & a me Lector.

Epitaphium poſitum Cunegundi Guelphæ, Azonis II. Marchionis Eſtenſis Conjugi, fato poſtremo functæ circiter Annum MLX. & in Monaſterio Vangadicienſi tumulatæ.

VICTA (a) GVNEGVLDIS REGALI STEMMATE FVLSI.
INDOLE NOBILIOR NVLLVS IN ORBE FVIT.
GERMINE WELFONTIS (b) MAGNI SVM NATA GERMANA.
INDVPERATOR (c) ISTE FVIT TITVLVS.
VIR MEVS EGREGIVS: POPVLVS LOCVPLETIOR VLLVS
HAVD MANET: ITALIA HAVD SIMILE PEPERIT.
AZO (d) VIR PRVDENS, MAGNVSQVE MARCHIO FVLGET,
QVEM CREDO MEMOREM SEMPER ADESSE MEI.
IN TERRA CELESTIS SOBOLEM CONCESSIT VTRISQVE,
QVI WELFONS DICTVS, DVXQVE (e) POTENSQVE PIVS.
HVNC VIOLARE NEFAS LOCVLVM, NE INDE RECEDAM,
DONEC VERA CARNE RESVRGAM.

Dixi, inter Principes Guelphicæ ac Wibelingicæ ſtirpis æmulationem a majoribus acceptam viguiſſe. Et ſane quot iræ, quot bella inter ambas haſce nobiliſſimas Familias per duo ferme Sæcula continuata fuerint, non Germania ſolùm, ſed & Italia perſæpe ſenſit, quum in hac etiam Provincia tum Gibellini ſanguinis Imperatores, tum Welpho-Eſtenſes Duces ſæpe fuerint verſati, multiſque etiam ditionibus poſtremi potirentur. Sæculo tamen XII. quamquam in Italia forent, qui Friderico I. Imperatori ſtuderent, ejuſque filiis, & contra qui adverſarentur, nondum tamen erupere *Guelphorum* & *Gibellinorum* infauſta nomina. Factiones, inquam, invaluerunt Sæculo ipſo XII.; ſed ſubſequenti dumtaxat invidioſas illas appellationes aſſumſiſſe videntur. Auctor eſt Ricobaldus in Pomario Hiſtorico, Anno MCXC. Ferrarienſem Urbem duabus Factionibus longe antea excitatis ſciſſam fuiſſe, quarum uni Marchio Eſtenſis præerat, alteri Salinguerra Taurelli filius. Tradit etiam Rolandinus Lib. primo Hiſtor. Civitatem Veronenſem Anno MCCVII. ejuſmodi Factionibus dilaceratam fuiſſe, ut mittam Mediolanenſes, aliaſque Civitates, quæ Friderico I. adverſatæ ſunt, Ticinenſibus contra aliiſque Populis eidem faventibus. Propterea fidere noli Gualvaneo de la Flamma ſcribenti Cap. 169. Manipul. Flor. Tomo XI. Rer. Italicarum, *Guelphorum* & *Gibellinorum nomen* circiter Annum Chriſti MCXL. Conrado II. regnante, in *Sicilia inoleviſſe*. Ego primùm audita hæc nomina opinor, & ſenſim propagata, poſtquam Otto IV. Anno MCCIX. Imperatoriâ coronâ Romæ ab Innocentio III. Papa donatus, brevì in Pontificis odium incurrens, anathemate percuſſus declinare cœpit, eique Pontificiâ ſententiâ abrogatum Imperium fuit. Ottoni dejecto, ſed ſuam dignitatem viriliter tuenti, continuò Innocentius oppoſuit Fridericum II. Siciliæ Regem, Friderici I. nepotem, quem ſolicitatis Populis adverſus Ottonem, tot amicorum præſidiis, & tantâ officiorum mole juvit, ut is in Germaniam penetrans, Romanorum Rex primo ſalutatus, tum verò Ottone IV. tamdem e vivis ſublato, Anno MCCXX. Romæ Auguſtalia inſignia ac nomen Imperatoris ſuſceperit. Italicorum animos diſcordia tantorum Principum mirum in modum ſcidit, ſtantibus his pro Ottone, illis pro Friderico. Piſani, Mediolanenſes, Parmenſes, Placentini, Bononienſes, aliique Populi, amico ſtudio in Ottonem IV. ferebantur. Contra ſummus Pontifex, Genuenſes, Ticinenſes, Cremonenſes, Marchio Montisferrati, aliique Populi ac Principes, Fridericum II. pro viribus extollendum curarunt. Sciſſuram intulit hæc ipſa controverſia in Principum Eſtenſium Familiam. Nam, uti oſtendi Par. I. Cap 40. Antiquit. Eſtenſ. *Bonifacius Marchio Eſtenſis* Ottoni ſeſe adjunxit; *Azzo* autem *VI. Marchio* itidem *Eſtenſis*, illius ex fratre nepos, vir

(a) *Victa*. Fortaſſe *Viva*.
(b) *VVelfontis*, qui Dux Carinthiæ, & Marchiæ Veronenſis Dominus fuit, cui heres Cunegundis noſtræ filius fuit.
(c) Hoc eſt, *Imperator*. Sed quid iſta ſignificent definire difficile eſt.
(d) *Azo* II Magnus Italiæ Marchio, Rhodigii, Ateſtis, ac fertiliſſimæ regionis in variis Italiæ partibus Dominus, a quo Regia Brunſvicenſium Ducum, & Eſtenſium Ducum Familiæ procedunt.
(e) Nempe VVelpho IV. Bavariæ Dux, ejuſdem Azonis & Cunegundæ filius, celeberrimus Princeps, a quo potentiſſimus magnæ Britanniæ Rex Georgius II. nunc regnans deſcendit. Ergo longè poſt ejus mortem poſitum Cunegundi noſtræ Epitaphium, nam Bavariæ Dux is Anno tantùm MLXXI. renuntiatus eſt; ſed adhuc vivente Azone Marchione, ejus olim viro, qui Anno MXCVII. *centenario major* vivere deſiit, hæc ſcripta fuere.

vir celeberrimus ac potens, ita Friderico II. adhæſit (teſtibus Sicardo Cremonenſi, Monacho Patavino, & Alberico Monacho trium Fontium) vireſque tantas ad conſcendendum in Germaniam contulit, ut ejus præſidio inprimis fortunatum iter ſuum, fauſtaque conſectaria Fridericus debuerit.

Exinde ergo deducta omnino videtur *Guelphorum* & *Gibellinorum* appellatio. Otto enim Quartus, Henrici Leonis, olim Saxoniæ & Bavariæ Ducis inclyti filius, ex *Guelphis* Principibus ſanguinem ſuum trahebat; Fridericus verò Secundus per feminam ex Auguſta Familia *de Gueibelinga*, ſive de *Weibelingen* prodierat. Poſtremæ huic potiſſimùm infenſi Mediolanenſes erant, quod Fridericus I. Anno MCLXII. ſplendidiſſimâ eorum Urbe ſolo æquatâ, ipſos in extremum calamitatum conjeciſſet. Sed acrius invaluere Factiones iſtæ, quamquam non ſtatim in vulgus plene eruperint odioſa illarum nomina, quum Romani Pontifices Fridericum ipſum Secundum, quo ad dejiciendum Ottonem IV. uſi antea fuerant., mutatis rebus & animis, abominari & deprimere cœperunt, ab ejus etiam poſteris voluntate alieni. Tunc Populorum illorum portio, quæ in Lombardia, Tuſcia, Ducatu Spoletano, aliiſque Italiæ regionibus Friderico, ejuſque filiis patrocinium præbuere, *pars Imperii*, & *Gibellini* appellati ſunt; & contra *pars Eccleſiæ*, & *Guelphi*, qui adverſabantur. Neque prius in Hiſtoria occurrunt hujuſmodi nomina, ut propterea recte ſcripſerit Albertinus Muſſatus Patavinus Hiſtoricus Seculo Chriſti XIV. in Ludovico Bavaro, pag. 775. Tomi X. Rer. Italicarum: *In duas partes ſecta Chriſtianitas erat, & paucos inveniſſe contingens fuerit per hanc præcipue noſtram Italiam, quos una ex duabus optio non inquinaverit, aut illa, quam ajunt, Gibolenga* (ita is Gibellinos alibi quoque appellare amat) *vel Guelpha; Hæc enim a tempore Friderici II. vocabula duo inſeparabilia, germina ſeu potius peſtifera ſchiſmata, pullularunt, atque invaluerunt, quæ ſemper tenuere Italiam inquietam.* Hæc vera ſententia, quam etiam Sigonius, Mutinenſium decus, Lib. 13. & 17. de Regno Italiæ ſequutus eſt, aliique Eruditi jamdiu amplexi fuere. Nicolaus de Jamſilla in Hiſtor. de Reb. geſt. Friderici II. Tomo VIII. Rer. Italicar. pag. 594 & 595 Auctor ſynchronus aperte nominat ad Annum MCCLXV (hoc eſt, quindecim annis poſt Friderici II. obitum) *Guelfos & Gibellinos Romanos*, infra addens, *Jacobum Neapolionem, caput Gibellinorum Urbis propter Gibellinitatem ab Urbe dejectum*. Quod quum audis, jam intelligis, non tunc ea nomina nata fuiſſe. Sabas Malaſpina eodem Tomo pag. 787. illorum originem ad tempora tantùm Manfredi Regis, ideſt poſt Annum MCCL. referre videtur. Sed dubia ſunt illius verba; atque is præterea Lib. primo, Cap. 2. ſatis prodit, Friderico II regnante, diviſionem hanc, & *Gibellinitatem* prodiiſſe. Ricordanus autem Malaſpina, ejuſdem Sæculi Scriptor, in ipſo Tomo VIII. Rer. Ital. pag. 945. diſertis verbis narrat, Anno MCCXV. (ideſt contendentibus adhuc Ottone IV. & Friderico II.) invectas fuiſſe in Populum Florentinum antea concordem *le maladette parti Guelfe e Ghibelline*, itaut univerſæ Nobilium Florentinorum familiæ ſciſſæ fuerint, pars *Guelpham*, pars *Gibellinam* ſectam amplexæ, quas ille ſigillatim recenſet. Ricordani verba deſcripſit Johannes Villanius Lib. 5. Cap. 38. Hiſtoriar. agnoſcens & ipſe, ante ea tempora non defuiſſe in Populo Florentino Factiones, *per cagione delle brighe e quiſtioni della Chieſa e dell' Imperio*. Addit etiam Ricordanus, & quidem non inconſulte, factiones ejuſmodi ex Germania ad nos veniſſe, quamquam is non ſatis perſpexerit, qui revera illarum germani parentes fuerint, quum ſcribat, duos Duces, duobus finitimis Caſtellis in Alamannia dominantes, quorum alter *ſi chiamava Guelfo, e l'altro Ghibellino*, tam diu, tantâque pertinaciâ inter ſe bellum geſſiſſe, *che tutti gli Alamanni ſe ne partirono, e chi tenne l'una parte, e chi l'altra; ed eziandio inſino a Corte di Roma ne venne la quiſtione, e preſevi parte*. Multum veri, ſed aliquid fabuloſi intermixtum, ſententia iſta continet. Longius tamen a veritate abierunt, qui a Piſtorienſium Civium ſchiſmate, in *Nigros* (qui ſe Guelphis adjunxerunt) & in *Albos* (qui Gibellinorum partem auxere) peſtem hanc inchoatam ſunt opinati. Piſtorium iis ſectis ineunte tantùm Sæculo XIV. originem dedit, quum tamen tot ante annos per Italiam ſonarent *Guelphorum* & *Gibellinorum* vocabula atque diſſidia. Nam quod habet Auctor Vitæ Nicolai Laurentii (Scriptor & ipſe Sæculi XIV. in hoc eodem Opere videndus) *Florentiæ duos Canes*, Ludovico Bavaro regnante, in ſerum certamen inſurrexiſſe, *quorum uni nomen Guelphus, alteri Gibellinus fuit*; vulgus autem in contraria ſtudia abiens, aut uni aut alteri faviſſe; atque inde exortas *Gibellinorum* & *Guelphorum* ſectas: id profectò inter ridicula commenta recenſendum eſt. Commento tamen cauſſam aliquam præbuiſſe videtur Germanici nominis *Welph* interpretatio, quod *Canem* ſignificat. Hoc autem nomen, a majoribus ex parte matris derivatum, Germanica Eſtenſium Principum ſoboles, Guibellingicæ Henricorum & Fridericorum Auguſtorum toties oppoſita, diu retinuit. Sed minime mirandum, vel ipſos Sæculi XIV. Scriptores iſtorum nominum germanam originem ignoraſſe, quum unde *Hugonottæ* Sectæ appellatio prodierit, vix ipſi Galli noverint, & unde nomina Factionum *Wighs* & *Torris*, Angli vix intelligant.

Quid cauſſæ hos in *Guelphorum*, illos in *Gibellinorum* cœtum conjecerit, nunc diligentius perſequamur oportet: Primo fuere, qui inveterato odio in præcordiis innutrito concoquere non poterant, ſibi imperare Fridericum II. non quod prorſus Imperium odiſſent, aut Imperatori parere recuſarent, ſed quod is, ejuſque filii Conradus, & Manfredus, ac deinde Conradinus, ex odioſo ſtipite prognati fuiſſent, hoc eſt, ex Friderico I. Gibellinæ Familiæ herede, qui tot Italiæ Urbes ad extremum exitium redegerat, atque ex Henrico VI. ejuſdem Friderici filio, qui Apuliæ & Siciliæ innumeras calamitates non ita pridem intulerat. Inter hos, ut jam monui, Mediolanenſes numerabantur, Placentini, Dertonenſes, aliique Populi. Itaque ubi actum eſt, Friderico-ne Secundo, an Ottoni Quarto favendum eſſet, ii Ottonem ſtatim prætulere, ex nobiliſſima Welphorum Eſtenſium Familia procreatum; ac propterea *Guelphi* fuere nuncupati. Viciſſim verò iis *Gibellinorum* inditum eſt nomen, quibus ſatius viſum eſt adhærere Friderico II. ejuſque filiis, in quorum venis Gibellinus ſanguis fluebat. Anno MCCXV. quo nempe tempore vehementer fervebat contentio inter Ottonem, & Fridericum, auctor eſt Ptolomeus Lucenſis in Annalibus, ſacro die

Paſchatis Florentiæ *occiſum fuiſſe Dominum Bondelmontem Uguccionis ab Ubertis*; *& ex tunc pullulavit diviſio Guelpha & Ghibellina*. Secundo non defuere, quibus auctoritas ipſa Imperatorum Teutonici generis, gravis nimium ac intoleranda videbatur; ac proinde aut ab iis ſuæ timebant Libertati ac privilegiis; aut ipſis ſubeſſe omnino detrectabant, ac propterea quantis poterant viribus, ne ſubeſſent, curabant. Hi *Guelphorum* Factionem procedente tempore mirum in modum amplificarunt, aut ſuo patrocinio conſtantiſſimam in ea opinione effecere. Inter ceteros Carolus I. Siciliæ, & Apuliæ Rex, ejuſque poſteri, non ſegnes in ejuſmodi ſtudio ſeſe præbuere, itaut niſi erepta eidem Carolo ab Aragonenſibus Sicilia, illius ac nepotum vires debilitaſſet, aut a majoribus auſis revocaſſet, nulla fortaſſis in Italia Civitas ſuperfutura erat, quæ ad eorum potentiam non acceſſiſſet. Tertio, quoties inter Romanos Pontifices, & Romanorum Imperatores diſſidia emerſere, qui Guelphici nominis erant, aut ultro ibant, aut nullo negotio adducebantur in partes Romani Pontificis: rati, ſi cum eo ſociarentur, cui non in Italia ſolùm, ſed & in univerſis Regnis Chriſtianæ Religioni addictis, tanta erat auctoritas atque exiſtimatio, ut in iſpos etiam Imperatores telis quandoque Eccleſiaſticis, diriſque omnibus depugnare non dubitaret, bene utiliterque òmnia ſibi fore ceſſura. Tunc itidem *Guelphis* cum ſummo Pontifice junctis ſpes accreſcebat, fidentius reſiſtendi Romanis Auguſtis, aut arripiendæ poteſtatis in Urbe ſua, ſimulque exauctorandæ Factionis adverſæ. Ceterum minime ſtatuendum, Romanis Pontificibus ſemper Guelphos adhæſiſſe, eoque minus Pontifices ipſos Factionem illam fuiſſe profeſſos. Prout ſuadebat utilitas, & temporum ac diſcordiarum fortuna, in id fœdus, ac ſententiarum concordiam conveniebatur. Sed ubi politicæ rationes, hoc eſt, emolumenti majoris ſpes, aut diſcriminis alicujus metus inſtabat, Guelphi ipſi a Papis, & Papæ ab ipſis diſcedebant. Ita in Civitatibus Liberis, quoties utilitas, aliæve cauſſæ ſuadebant, Familiæ Guelpham ſectam profeſſæ, ad alteram ſe conferebant, & e converſo Gibellinæ in Guelpham tranſibant. Quarto, multos in obſequio erga Auguſtos retinebat, aut iis adjungebat, ira in Urbes Liberas, quod ſibi vetera Imperatorum privilegia ac Feuda erepta jam dolebant, aut ne eriperentur magnopere formidabant. Spe enim ducebantur, fore ut Auguſtorum præſidio antiquis dignitatibus ac beneficiis reſtituerentur, aut deperdita reciperent. Igitur ex his plerique, hoc eſt, Nobiles viri, cum Gibellinis faciebant. Marchiones potiſſimum, Comites Vaſſi Cæſarei, ceterique Optimates, olim juri unius Auguſti, aut Regis Italiæ ſubjecti, Gibellinæ parti adhærentes, Imperatorum dignitatem pro viribus tuebantur.

Id verò ea de cauſſa contingebat, quod Liberæ Civitates nihil non agebant, ut hoſce Principes ſive Proceres Regni, ſuis Caſtellis ac juribus ſpoliarent, ſibique ſubjicerent. Quo ſtudio certarunt ſere omnes Civitates, ſi Apuliam & Calabriam excipias, quæ Regem novum acceperant, aliiſque legibus & moribus regebantur. Vide Diſſertationem XLVII. *de amplificata Civitatum Italicarum potentia*: ex qua intelligas, quanto conatu Civitates Italicæ dejecerint quoſcumque potuere e Regulis, ac Primoribus Regni. In Vita Alexandri III. Romani Pontificis, Tomo III. pag. 456. Rerum Italicarum, legimus, Fridericum I. Auguſtum cœpiſſe *Italiæ Civitates omnino ſuſpectas habere. Unde factum eſt, quod de conſilio Marchionum, atque Capitaneorum, qui erant Civitatibus odioſi, arces inexpugnabiles, & alias munitiones fortiſſimas in manibus ſuis recepit, & per Theotonicos fideliores ſibi detineri & diligentius cuſtodiri fecit*. Acta hæc fuere Anno MCLXV. Non aliunde nata ſimultas iſta inter Civitates, atque Marchiones & Comites, niſi quod illæ Magnatibus antiqua Feuda ab Imperatoribus conceſſa èripere, ii verò ſua tueri enixiſſime conabantur, quod præſtare ſe non poſſe ſine ope ac patrocinio Auguſtorum facile ſentiebant. Propterea omnes ferme *Barones* (ita nempe appellati Proceres) *Guibellinæ* factioni, vel antequam infauſta hæc nomina prodirent, addicti fuere; Civitates verò pleræque ad *Guelphicam* acceſſere. Uti Landulphus junior Cap. 34. Hiſtoriæ a me editæ Tomo V. Rer. Italicar. pag. 504. memoriæ prodidit, Anno MCXVIII. Mediolanenſis Populus averſus erat ab Henrico inter Auguſtos Quarto, quem Archiepiſcopus ex præcepto Romanæ Curiæ anathemate percuſſerat. Tunc *Marchiones, & Comites Longobardiæ convenerunt Mediolani, ut ibi coram Epiſcopis ſuffraganeis & comprovincialibus explicarent Imperatoris innocentiam, & ipſum Imperatorem perducerent in Archiepiſcopi, & Epiſcoporum benevolentiam*. En ut Marchiones, & Comites Langobardiæ pro Auguſti tutela ſtarent. Quod ſi quis ex eis, ceteriſve Optimatibus, tantæ ſe eſſe potentiæ cognovit, ut & nihil ſibi timeret a Civitatibus (ad amplificandam ditionem ſuam perpetuo intentis) ſimulque in Libertatem aſſurgere, jugumque Cæſareum excutere poſſet, hic pari contentione ſe ſe adjungebat Urbibus Liberis, & in Imperatorem ſua arma convertebat, quod præ ceteris factum animadvertimus ab Opizone Malaſpina Marchione in Lombardorum bello ac Societate adversùs Fridericum I. Auguſtum. Sed illos potiſſimum in ſtudio erga Cæſareas partes interdum emicuiſſe vidiſſes, quos urebat cupiditas invadendæ dominationis, ſive tyrannidis in Urbe ſua, aut in ea Vicariatus impetrandi, aut protendendi imperii in finitimas Urbes. Si enim aſſequi poterant, ut aut conniventibus, aut rem probantibus Auguſtis res ſibi ſuccederet, præſertim verò ſi ad novos illorum faſces accedebant Cæſarum Diplomata ac privilegia: tunc ſub umbra Cæſareæ auctoritatis facilius in officio Populus continebatur, & imperia nova conſtabiliri conſueverunt. Tales fuere Ecceliꝰ nus de Romano, Obertus Pelavicinus Marchio, Matthæus ſive Maphæus Vicecomes, Scaligeri, Carrarienſes, & alii. Quincto, ſi qua potens Civitas Guelphæ factionis ſigna ſequuta finitimis jugum minitabatur, tunc familiare fuit minus potentibus eidem contermiꝰ nis nomen ſuum dare Gibellinorum cœtui, ut ſe tum Cæſareo patrocinio, tum ſociorum præſidiis in priſtina libertate ſervarent. Antequam Mediolanenſis inclyta Civitas imperio Viecomitum pareret, præ reliquis Guelphicam partem fovit. Hæc, ut opinor, ex præcipuis cauſſis fuit, cur Ticinenſes, & Cremonenſes Gibellinam tuerentur. Ita in Mutinenſi Urbe ſæpe viſum eſt e publica re Gibellinis adhærere, quum Bononienſes Guelphi nihil minus cogitarent, quàm circumjacentes quoſque ſuæ adjungere ditioni. Pari quoque ratione Piſani præ-

prætulere fere ſemper Gibellinorum fœdus, quod ſuo jugulo imminere cernerent Florentiam, Urbem potentiſſimam, Guelpharum fere ſemper partium ſectatricem. Poſtremo, ut multa paucis complectar, quæ prima, atque ultima conſiliorum ratio in politicis ſemper fuit, ſemperque erit, nempe Utilitas, hæc uſitatior cauſſa dicenda eſt, cur aut Romanorum Pontificum, aut Imperatorum partes, ſive Gibellinorum, Guelphorumque ſectam olim Optimates ac Populi amplecterentur, eamque interdum mutarent: neque enim aliis principiis regebatur antiquo tempore hominum genus, quàm quibus noſtro regitur.

Ita enatis, & in perniciem Italiæ confirmatis duabus hiſce Factionibus ſub Friderico potiſſimùm Secundo, quædam ex Italicis Urbibus Romano Pontifici, quædam Imperatori ſe ſe devoverunt. Parum id fuit. In ſinum ipſarum Urbium eadem diſcordia penetravit, ſciditque Nobilium præſertim familias, ita ut vix ulla eſſet, quæ hujuſmodi morbo non laboraret. Quod nuper ex Ricordano Malaſpina de Florentinis factum commemoravi, id in pleriſque aliis accidiſſe Hiſtoria teſtatur. Neque ſatis id fuit. Eodem viru afflatæ vel ipſæ familiæ, in eam devenere dementiam, ut non numquam parentes unam, liberi verò alteram Factionem tempore eodem profiterentur: & fratres, nedum reliqui ſanguine aut affinitate juncti, inter ſe diſſiderent, atque in pernicioſiſſima non raro odia viciſſim raperentur. Quid ergo aliud exſpectandum fuit ex tanto animorum, conſiliorumque diſſidio, niſi inteſtinæ ſimultates, exſilia, & mutuæ cædes, atque ingens perturbatio Urbium, immo & nonnullarum ſuprema pæne ruina? In ſingulis ſane Urbibus liberis utraque pars majores Magiſtratus ambiebat, primaſque tenere cupiebat. Altera alteri gravis ac moleſta facile apparebat; quare in publicis conſiliis ad contraria ſtudia ac jurgia ſæpe prolabebantur. Tum meditari clandeſtinas conjurationes, in ſeditionem dein de erumpere, & armis experiri, utra pars plus poſſet. Solenne etiam fuit, plateas, ac præcipue omnium maximam, occupare. Qui enim ibi, deturbatis æmulis, fortes perſeverabant in armis, plerumque victoriam cecinere. Victos Cives ea ſors manebat, ut aut ſponte ſolum verterent, aut inviti in exſilium truderentur. Ii autem ad ſocias Civitates ſe ſe conferebant, & quibus poterant artibus ac modis, patriam recipere, atque æmulis vicem rependere conabantur. Si res bene cedebat, adverſarii, converſo fortunæ vultu, ad fugam capeſſendam adigebantur & ipſi. Ita factum eſt, ut Civitates complures ſæpe viderint modò unam, modò alteram Factionem profugam, & ex culmine imperii ac opum in imum ærumnarum prolapſam. Eo autem collineabant utriuſque Sectæ conſilia, ut quantùm poſſent ſocios ſui nominis protegerent, tuerentur, augerent. Nemo erat, qui non ſolicitaret finitimos amicos ad arripiendam dominationem, atque ad exturbandos contrarii ſtudii Cives. Ubi etiam occaſio ſe ſe offerebat, vi adhibitâ, ac bello cogebant Populum conterminum ad ejurandam Sectam, quæ dominabatur, atque ad contrariam amplectendam. Qua ex re ſuo fœderi nova acceſſio potentiæ fiebat. Exemplis poſſem parcere; neque enim Hiſtoriam conſcribendam heic ſuſcepi; attamen unum dumtaxat adferre ſtatui. Nemo acriùs quàm Florentina Reſpublica, Guelphæ Factioni fere ſemper addicta, omnem lapidem movit, ut reliquos Guelphos ad nova moliendi incitaret, & vel externos Principes, nedum Italicos, armaret in gentem contrariæ Sectæ devotam, Populiſque arma miniſtraret adversùs Romanorum Imperatores. Mirum, quantum pecuniæ in ejuſmodi ſtudium expoſuerint olim Florentini. Quid autem ii egerint ineunte Sæculo XIV. quum in Italiam deſcendit optimus Cæſar Henricus VII. a compluribus Hiſtoriis diſcas, quas in Collectione Rer. Italicarum edidi. Addere nunc juvat Chartas nonnullas, teſtes tractatuum a Florentinis ipſis, & Bononienſibus habitorum Anno MCCCXI. quibus Guibertum de Corrigia abduxerunt a fide per eum ſacramento obligatâ eidem Henrico VII. Eas deſcripſit ex Archivo Noſocomii Senenſis Sanctæ Mariæ de Scala Clariſs. Vir Ubertus Benvoglientus Senenſis Patricius, dum in vivis erat.

Inſtrumenta Florentinorum, Bononienſium, aliorumque Guelphorum in fœdus coëuntium adversùs Henricum VII. Regem Romanorum, Anno 1311.

IN Chriſti nomine. Amen. Hec eſt concordia inter Ambaxatores & Procuratores Egregii Militis Domini Ghiberti de Corigia, & aliorum Nobilium Civitatum Parme & Regii ex parte una, & Sindicos Civitatum Bononie, Florentie, Luce, atque Senarum, & Procuratores Domini Guidonis de la Turre, & ſuorum ſequacium, & extrinſecorum Guelforum Civitatis Cremone, & Procuratores extrinſecorum Mutine Guelforum ex altera. Primo quidem pro executioni mandandis tractatis inter predictos, & que per ipſos invicem promittentur, fieri debet depoſitum penes Dominum Romeum de Pepolis Campſorem Civitatis Bononie per Sindicos ſupradictos de tregintamillibus Libris Bononien. Quod depoſitum, & quam pecunie quantitatem depoſitam, dictus Dominus Romeus dare & ſolvere debeat predicto Domino Ghiberto, vel ejus legitimo Procuratori hoc modo, videlicet, facta primo promiſſione per Procuratores eoſdem, quod dictus Dominus Ghibertus in rebelionem publicam & notoriam contra Regem Romanorum, & ejus complices & ſequaces ponet Civitatem Parme ac Regii, & eorum diſtrictus & terras, Caſtra & Villas, que preſentialiter tenentur & cuſtodiuntur per ipſas Civitates: expelendo de dicta Civitate Parme Vicarium dicti Regis Romanorum, & nomen Vicariatus dicti Regis Romanorum Civitatis Regii, & Ghibellinos, & alios adherentes ipſi Regi Romanorum. Ita quod facta dicta rebelione, dictus Dominus Ghibertus faciet & procurabit cum effectu, quod Comunia Civitatum Parme & Regii conſentient

A & facient ſuos ſolepnes Syndicos, & ipſe Dominus Ghibertus faciet ſuum ſolepnem Syndicum & Procuratorem ad contrahendam ligam, fraternitatem, & ſocietatem, & unionem cum Civitatibus predictis, & Sindicis earum, & cum Dominis Guidone de la Turre, & ſuis ſequacibus, & extrinſecis Guelfis Cremone, & etiam extrinſecis Guelfis Civitatis Mutine, ſi tunc temporis ipſi Mutinenſes comparebunt legiptime ad dictam Societatem fiendam: ita quod comparentibus in Civitate Bononie Sindicis Civitatum Parme & Regii, ad contrahendam dictam Societatem & ligam, & contracta dicta Societate cum predictis Syndicis Civitatum Bononie, Florentie, Luce, & Senarum, & Domino Guido-
B ne de la Turre & ſuis ſequacibus & extrinſecis Mutine Guelfis modo predicto, & extrinſecis Guelfis Cremone, dicta pecunia debeat tradi dicto Domino Ghiberto, aut ejus Procuratori; ſalvo quod comparentibus dictis Sindicis Civitatum Parme, & Regii in Civitate Bononie, ſi per aliquem Syndicum Civitatis Bononie, aut Florentie, aut Luce, aut Senarum remaneret dictam Societatem contrahere, dictis Syndicis Civitatis Parme & Regii volentibus eam Societatem adimplere, & per eos non remanentibus, quod tunc etiam & in eum caſum dicta pecunia debeat dari & tradi dicto Domino Ghiberto, aut ejus Procuratori ſine aliqua diminutione, & abſque aliqua contradictione.

C Ego Bartolinus Terzolini de Bocadellis Imperiali Auctoritate Notarius, & nunc Notarius Antianorum & Conſulum Populi Bononie, I. Menſis Novembris ſcripſi.

Exemplum cujuſdam Inſtrumenti Sindicatus Bononienſium cum die & Conſule, cujus tenor talis eſt. Anno 1311.

ANno Domini Milleſimo Trecenteſimo Undecimo, Indictione IX. die XXVI. Menſis Novembris. Conſilium Octingentorum & Populi Civitatis Bononie fecit Nobilis & diſcretus Milex Dominus Tavena de Tholomeis de Senis, honorabilis Poteſtas Civitatis Bononie in Pallatio veteri dicti Comunis ad ſonum campanarum, & voce Preconum, ut moris eſt, congregari de conſenſu & voluntate diſcreti, & ſapientis Viri Domini Bartolomei Cantis de Caſtro Florentino, Judicis & Vicarii atque Aſſeſſoris, Nobilis & potentis viri Domini Gerardi de Viſdominis de Florentia, Capitanei Comunis & Populi Bononie, ac etiam Antianorum & Conſulum Populi Bononie preſentis Menſis Novembris, ibidem exiſtentium. Qui predictus Dominus Poteſtas, Vicarius, Antiani, & Conſules, ac omnes in dicto Conſilio exiſtentes, & ipſum Conſilium ibidem congregatum, unanimiter & concorditer fecerunt, conſtituerunt, & ordinaverunt providum & diſcretum virum Dominum Petrum Domini Leonardi fratris Bornizini Notarium Civem Bononie, ibi-

D dem preſentem, & mandatum ſponte ſuſcipientem eorum & dicti Comunis & Populi Bononie Sindicum, Procuratorem, Factorem, & Nuncium ſpecialem, ad ineundam, contrahendam, ordinandam, firmandam, & faciendam Societatem, unionem, ligam, & juramentum cum quocumque ſeu quibuſcumque Domino ſeu Dominis, Baronibus, Comunibus, Civitatibus, Caſtris, & Terris, Univerſitatibus, & ſingularibus perſonis, ſeu cum Sindico, aut Sindacis, ſeu Procuratore, vel Procuratoribus ipſorum vel alicujus eorum, cum quo ſeu quibus comuniter aut ſingulariter inire, contrahere, ordinare, firmare, & facere voluerit jam dictus Syndicus Comunis Bononie cum illis, & ſub il-
E lis modis, pactis, conditionibus, ordinamentis, promiſſionibus, obligationibus, juramentis, & cum omni robore firmitatis, que & quas jam dictus Syndicus Comunis Bononie ordinare, firmare, & facere voluerit in predictis, & pro predictis & infraſcriptis omnibus & ſingulis, & circa ea, & pro eorum executione, obſervantia, & ratihabitione, prout & ſicut eidem

Syndico

Syndico placuerit & videbitur. Et ad faciendum & firmandum, ac etiam recipiendum, & ſtipulandum pro ipſo Populo & Comuni Bononie, & ipſius Populi & Comunis nomine & vice in predictis & ſuper predictis omnibus & ſingulis, & pro ipſorum omnium executione, obſervantia, & ratihabitione pacta, conventiones, promiſſiones, & obligationes ſimplices & penales, perſonales & reales, cum pene & penarum appoſitione. Et generaliter & ſpecialiter alia omnia & ſingula, que ipſi Syndico ordinare, firmare, & facere, recipere, & ſtipulari voluerit, & que predictorum omnium, & contractuum ſuper hiis, & predictorum occaſione celebrandorum, poſtulabunt qualitas & natura. Et ad obligandum propterea ipſum Populum & Comune Bononie, & omnia & ſingula bona ipſius Populi & Comunis. Dantes & concedentes eidem Syndico, & in totum in omnibus & ſuper omnibus & ſingulis ſupradictis plenum, liberum, generale, & ſpeciale mandatum, cum plena, & libera, generali, & ſpeciali admini- A *ſtratione, etiam in caſibus, in quibus mandatum requiritur ſpeciale. Ac etiam promittentes mihi Notario infraſcripto, tamquam publice perſone recipienti nomine & vice omnium & ſingulorum, quorum intereſt vel intererit, ſe & dictum Comune, & Populum Bononie, firmum & ratum habiturum totum & quicquid geſtum ſeu factum fuerit in predictis vel circa predicta per Syndicum ſupradictum, ſub ypoteca & obligatione omnium bonorum dicti Comunis.*

Actum Bononie in Pallatio veteri Comunis Bononie, preſentibus Domino Guidocto de Lazariis, Domino Petro de Manzolino Notario, Domino Bertolacio Domini Dominici Tholomei Notario, Domino Nicholao Domini Johannis B *de Mignanis Notario, & Domino Sandro de Sancto Petro, teſtibus in dicto Conſilio exiſtentibus.*

Ego Thomax Juliani Piſcatoris, Imperiali auctoritate Notarius, & nunc Notarius ad Diſcum Domini Poteſtatis, publice ſcripſi.

Exemplum cujuſdam Inſtrumenti Syndicatus & Procurationis Guelphorum Mediolanenſium, cum die & Conſule, cujus tenor talis eſt. Anno 1311.

IN *nomine Domini noſtri Jheſu Chriſti. Amen. Anno ejuſdem Milleſimo Trecenteſimo Undecimo, Indictione Decima, die Sabbati XXVII. Menſis Novembris. Dominus Guido de la Turre, & Symon ejus filius, Oliverius & Paſſarinus de la Turre, Johannes de Vedano, Girardinus Lauterius, Johannes Caymus, Jacobus Parapullus, Ubertus de Farra, Octonellus Otonis, Ottobellus Paſqualis, Leonardus de Vedano, Paghanus Manaſcottus, Ugolinus de Cazate, Bamius de Bami, Ottonius Zavatanus, Beltraminus Dolcebonus, Ubertinus Ser Raynerii de Lonate, Miranus de Vedano, Robertus Paſqualis, Anthoniolus de Madiis, Criſtofanus Cavallus, & Filixinus Caventanus, omnes* de parte Guelfa extrinſeca Mediolani, *eorum proprio nomine, & nomine & vice omnium ſequacium ſuorum, tam de dicta Domo & progenie de la Turre, quàm omnium aliorum de dicta parte extrinſeca Mediolani, fecerunt, conſtituerunt, & ordinaverunt eorum & omnium predictorum Procuratorem & Nuntium ſpecialem, providum virum Ubertinum Porenzonum dictæ* Partis *preſentem, ad ineundum, contrahendum, ordinandum, firmandum, & faciendum Societatem, unionem, & juramentum, ſive poſturam cum quocumque ſeu quibuſcumque Domino ſeu Dominis, Baronibus, Civitatibus, Caſtris & Terris, Univerſitatibus, & ſingularibus perſonis, ſeu cum Syndico aut Syndicis, ſeu Procuratore vel Procuratoribus ipſorum, vel alicujus eorum, cum quo, ſeu cum quibus comuniter aut ſingulariter inire, contrahere, ordinare, firmare, & facere voluerit jam dictus Procurator & Nuntius: cum illis & ſub illis modis & pactis & conventionibus, conditionibus & ordinamentis, promiſſionibus, obligationibus, & juramentis, & cum omni robore firmitatis, que & quas jam dictus Procurator & Nuntius ordinare, firmare, & facere voluerit in predictis & pro predictis & infra ſcriptis omnibus & ſingulis, & circa ea, & pro eorum executione, obſervantia, & rati habitione, prout & ſicut eidem Procuratori pla-* C *cuerit & videbitur. Et ad faciendum & firmandum, ac etiam recipiendum & ſtipulandum pro predicto Domino Guidone, & pro predictis ſuperius nominatis, & ſequacium ſuorum, & eorum nomine & vice in predictis & ſuper predictis omnibus & ſingulis, & pro ipſorum omnium executione, obſervantia, & rati habitione, pacta, conventiones, promiſſiones, & obligationes, ſimplices & penales, perſonales & reales, cum pene & penarum appoſitione. Et generaliter & ſpecialiter alia omnia & ſingula, que ipſe Procurator & Nuntius ordinare, firmare, & facere, recipere, & ſtipulari voluerit, & que predictorum omnium, & contractuum ſuper hiis, & predictorum occaſione cele-* D *brandorum poſtulabit qualitas & natura. Et ad obligandum propterea ipſum Dominum Guidonem & predictos ſuperius nominatos, & quemlibet eorum in ſolidum, & omnia & ſingula bona ipſorum, & cujuslibet eorum. Dantes & concedentes eidem Procuratori ſuo in omnibus & ſuper omnibus & ſingulis ſupradictis plenum, liberum, generale & ſpeciale mandatum, cum plena, libera, & generali, & ſpeciali adminiſtratione etiam in caſibus, in quibus ſpeciale mandatum requirunt. Ac etiam promittentes michi Maphiolo Notario ſupradicte* Partis *infraſcripto, tamquam publice perſone recipienti vice & nomine omnium & ſingulorum, quorum intereſt, vel intererit, ſe & dictos ſequaces ſuos* E *firmum & ratum habituros totum & quidquid geſtum ſeu factum fuerit in predictis vel circa predicta per Procuratorem ſuum & Nunptium ſupradictum, ſub hypotheca & obligatione omnium ſuorum bonorum.*

Actum in Civitate Bononie in Monaſterio Beati Proculi, in quo habitat dictus Dominus Guido, preſente Albertino Scudano Notario de dicta Parte. Interfuerunt ibi teſtes rogati Dominus Pinus de Vernaciis Milex de Parte extrinſeca Cremone, *filius quondam Domini Bartolomei de Vernaciis, Presbiter Johannes de Panentibus de Mediolano, Comus de Ferno filius Domini Ambroſii de Ferno, & Guillielmus de*

Anguarda

Anguarda filius quondam Maphei, omnes Cives Mediolani, & de dicta Parte extrinſeca Mediolani.

Ego Maphiolus filius Domini Uberti de Farra, Notarius *dicti Domini Guidonis & dicte* Partis, *rogatus predictum Inſtrumentum de mandato dicti Domini Guidonis, & omnium ſupraſcriptorum tradidi & ſcripſi*.

Exemplum cujuſdam Inſtrumenti Syndicatus & Procurationis Guelphorum Mutinenſium cum die & Conſule, cujus tenor talis eſt. Anno 1311.

IN Chriſti nomine. Amen. Milleſimo Trecenteſimo Undecimo, Indictione IX. die Jovis XVIII. Menſis Novembris. Nobiles Milites Domini Bernardinus de Saxolo, Guillelmus & Rodulphus de Garſonibus, quilibet eorum pro ſe ipſis & vice & nomine Dominorum Saxoli de Saxolo, Gerardi, Guidocti, Zinelli, Pellis, & Boglote de Savignano, Manfredini de Ganaceto, & omnium aliorum de dictis Dominibus, ſeu Saxolibus, ac etiam omnium & ſingulorum Partis Guelfe nunc extrinſece Civitatis Mutine, *& omni jure & modo, quibus melius poſſunt; pro quibus omnibus promiſerunt de rato: fecerunt, conſtituerunt, & ordinaverunt Nobilem virum Dominum Bonifacium de Livizano, ibi preſentem, & ſuſcipientem, ſuum, & Partis predicte Nunptium, Syndicum, & Procuratorem ſeu quem eorum, & eo nomine quo melius de jure fieri poteſt; ſpecialiter ad ineundam, faciendam, & contrahendam Ligam, Unionem, Societatem veram & fraternitatem cum quibuſcumque Partis Civitatibus, Comunibus, & Univerſitatibus, & Hominibus* Partis Guelfe de Lombardia, Tuſcia, Romandiola, *& aliunde. Et ad omnes & ſingulas promiſſiones, ſtipulationes, conventiones, pacta, & penas neceſſarias & utiles fieri in predictis & quolibet predictorum: & ad obligandum omnia ipſorum bona pro predictis, & quolibet predictorum faciendis & obſervandis. Et generaliter ad omnia alia & ſingula facienda & exercenda, que in predictis & circa predicta, ſeu aliquo predictorum fuerint utilia & opportuna. Dantes & concedentes dicto Procuratori ſeu Syndico plenum & generale mandatum & ſpeciale, ubi ſpeciale exigitur, & liberam adminiſtrationem. Necnon promittentes pro ſe, & vice & nomine omnium ſupraſcriptoram, pro quibus promiſerunt de rato, ſe firma & rata habituros quecunque dictus Procurator ſeu Syndicus in predictis & quolibet predictorum duxerit facienda, ſub obligatione omnium ſuorum bonorum.*

Actum in Caſtro Saxoli ſuper Pallatium Nobilis Militis Domini Bernardini de Saxolo, preſentibus teſtibus, Dominis Bartolomeo de Saxolo, Raynoccino de Monte, Zane de Paulo, & Albertino de Teza, & aliis.

Ego Preſolinus de Preſolinis Notarius ſcripſi.

Exemplum cujuſdam Inſtrumenti Syndicatus & Procurationis Parmenſium cum die & Conſule, cujus tenor talis eſt. Anno 1311.

IN Dei nomine. Amen. Anno ejuſdem Milleſimo Trecenteſimo Undecimo, Indictione IX. die XIX. menſis Novembris. Magnificus Vir Dominus Ghibertus de Corrigia, Poteſtas Merchadantie Civitatis Parme, Reverendus Pater Dominus Anſelinus de Marano, Dei gratiâ Abbas Monaſterii Sancti Johannis de Parma, & Dominus Jacobinus de Rufinis Legum Profeſſor, Matheus de Corigia Milex, Johannes de Sancto Vitali, Symon de Forapegoris, Johannes Guilicus de Sancto Vitali, Buglierinus de Servideis, Bonifacius de Corviaco, Guido Tercius, Boreta de Corviaco, Symon Anzilis, Rolandinus de Ramixinis, Giliolus de la Senaza, Andriottus de Marano, Brandalixius de Marano, Johannes de Barrattis, & Todixinus de Anzilibus, Cives Parme, pro ſe univerſaliter, & pro ſingulis omnes pro omnibus & ſinguli pro ſingulis, & pro omnibus ſuis amicis, & ſequacibus, fecerunt, conſtituerunt, & ordinaverunt, eorum, & cujuslibet eorum Syndicum, Procuratorem, & Nunptium ſpecialem, providum Virum Ser Armaninum de Zabrillis Civem Parme, abſentem tamquam preſentem: ad inhiendam, contrahendam, ordinandam, firmandam, & faciendam Societatem, Unionem, & Juram, ſive Poſturam cum quocumque ſeu quibuſcumque Domino ſeu Dominis, Baronibus, Comunibus, Civitatibus, Caſtris, & Terris, Univerſitatibus, & ſingularibus perſonis, ſeu cum Syndico aut Syndicis, ſeu Procuratore vel Procuratoribus ipſorum, vel alicujus eorum, cum quo ſeu quibus comuniter, aut ſingulariter inire, contrahere, ordinare, firmare, & facere voluerit jam dictus Syndicus & Procurator cum illis, & ſub illis modis, pactis, conventionibus, conditionibus, ordinamentis, promiſſionibus, obligationibus, & juramentis, & cum omni robore firmitatis, que & quas jam dictus Syndicus & Procurator ordinare, firmare, & facere voluerit in predictis, & pro predictis & infraſcriptis omnibus & ſingulis, & circa ea, & pro eorum executione, obſervantia, & rati habitione, pro ut & ſicut eidem Procuratori & Syndico videbitur & placuerit. Et ad faciendum & firmandum, & etiam recipiendum, & ſtipulandum pro ipſis Dominis & quolibet ipſorum, & eorum amicis & ſequacibus in predictis, & ſuper predictis omnibus & ſingulis, & pro ipſorum omnium executione, obſervantia, & rati habitione, pacta, convenctiones, promiſſiones, & obligationes, ſimplices, & penales, perſonales, & reales cum pene & penarum appoſitione. Et generaliter & ſpecialiter alia omnia & ſingula, que ipſe Syndicus & Procurator ordinare, firmare, & facere, recipere, & ſtipulari voluerit, & que predictorum omnium, & contractuum ſuper hiis, & predictorum

rum occaxione celebrandorum poſtulabunt qualitas & natura. Et ad obligandum propterea ipſos Dominos, & ſingula bona ipſorum, & cujuslibet ipſorum. Dantes & concedentes eidem Syndico & Procuratori in omnibus & ſuper omnibus & ſingulis ſupradictis plenum, liberum, generale, & ſpeciale mandatum, cum plena, & libera, generali, & ſpeciali adminiſtratione etiam in caſibus, in quibus mandatum exigitur ſpeciale. Ac etiam promictentes michi Johannino Notario infraſcripto, tamquam publice perſone recipienti vice & nomine omnium & ſingulorum, quorum intereſt vel intererit, ſe firmum & ratum habituros totum & quidquid geſtum ſeu factum fuerit in predictis & circa predicta per Syndicum vel Procuratorem ſupraſcriptum, ſub hypotheca, & obligatione omnium bonorum ſuorum.

Actum in Civitate Parme, in Camera prefati Domini Abbatis, preſentibus Dominis Birattino de Carbonibus, Fratre Johanne Camuaro, Jacobo Gato, & Petro de Bergunciis, omnibus Civibus Parme, teſtibus rogatis, & vocatis.

Ego Johanninus de Meldulo, ſacri Pallacii Notarius hiis omnibus interfui, audivi, vidi, & rogatus ſcripſi.

Exemplum cujuſdam Inſtrumenti Syndicatus & Procurationis Guelphorum Regienſium, cum die & Conſule, cujus tenor talis eſt. Anno 1311.

IN Dei nomine. Amen. Milleſimo Trecenteſimo Undecimo, Indictione IX. Vigeſimo primo menſis Novembris. Nobiles Viri Domini Matheus de Foliano, Guillielmus de Foliano, Thomaxinus quondam Domini Nicolai de Foliano, pro ſe ipſis & vice & nomine aliorum omnium Domus ſue; Dominus Guido de Tripulli de Robertis, Dominus Gerardus de Tripulli de Robertis pro ſe ipſis, & vice, & nomine omnium aliorum de eorum Domo; Dominus Guillielmus de Canoſſa, & Raynerius de Canoſſa pro ſe ipſis, & vice & nomine aliorum omnium de Domo ſua; Dominus Tadeus de Manfredis, & Dominus Ugolinus ejus filius pro ſe ipſis, & vice & nomine aliorum omnium ſue Domus; Dominus Gerardinus de Bojardis; Albertus quondam Domini Guidonis de Luvixinis; & Rolandinus de Robertis; & Brexanus de Luvixinis, omnes predicti honorabiles Cives Civitatis Regii, pro ſe univerſaliter, & pro ſingulis, omnes pro omnibus, & ſinguli pro ſingulis, & pro omnibus ſuis amicis & ſequacibus, fecerunt, conſtituerunt, & ordinaverunt eorum & cujuslibet eorum Syndicum, Procuratorem, & Nunctium ſpecialem, Providum Virum Dominum Johanninum de Malodulo Civem Regii, licèt abſentem tamquam preſentem: ad ineundam, contrahendam, ordinandam, firmandam, & faciendam Societatem, Unionem, & Juram, ſive Poſturam cum quocumque, ſeu quibuſcumque Domino ſeu Dominis, Baronibus, Comunibus, Civitatibus, Caſtris, & Terris, Univerſitatibus, & ſingularibus perſonis, ſeu cum Syndico aut Syndicis, Procuratore vel Procuratoribus ipſorum vel alicujus eorum, cum quo ſeu quibus comuniter aut ſingulariter inire, contrahere, ordinare, firmare, & facere voluerit jam dictus Syndicus & Procurator, cum illis & ſub illis modis, pactis, conventionibus, conditionibus, ordinamentis, promiſſionibus, obligationibus, & juramentis, & cum omni robore firmitatis, que & quas jam dictus Syndicus & Procurator ordinare, firmare, & facere voluerit in predictis & pro predictis & infraſcriptis omnibus & ſingulis, & circa ea, & pro eorum executione, obſervantia, & rati habitione, prout, & ſicut eidem Syndico & Procuratori placuerit & videbitur. Et ad faciendum & firmandum, ac etiam recipiendum, & ſtipulandum pro ipſis Dominis, & quolibet ipſorum, & eorum amicis & ſequacibus in predictis, & ſuper predictis omnibus & ſingulis, & pro ipſorum omnium executione, obſervantia, & rati habitione, pacta, conventiones, promiſſiones, & obligationes, ſimplices & penales, perſonales & reales, cum pene & penarum appoſitione; & generaliter & ſpecialiter alia omnia & ſingula, que ipſe Syndicus & Procurator ordinare, firmare, & facere, recipere, & ſtipulari voluerit, & que predictorum omnium, & contractuum ſuper hiis, & predictorum occaſione celebrandorum poſtulabunt qualitas, & natura. Et ad obligandum propterea ipſos Dominos, & omnia & ſingula bona ipſorum, & cujuslibet ipſorum. Dantes & concedentes eidem Syndico & Procuratori in omnibus & ſingulis ſupradictis plenum, liberum, generale, & ſpeciale mandatum, cum plena, libera, generali, & ſpeciali adminiſtratione, etiam in omnibus, in quibus mandatum requiritur ſpeciale. Ac etiam promittentes michi Petro Notario infraſcripto tamquam publice perſone recipienti vice & nomine omnium & ſingulorum, quorum intereſt vel intererit, ſe firmum & ratum habituros totum & quicquid geſtum ſeu factum fuerit in predictis vel circa predicta per Syndicum vel Procuratorem ſupraſcriptum, ſub ypotheca & obligatione omnium ſuorum bonorum.

Acta fuerunt omnia & ſingula ſupraſcripta in Civitate Regii ſub Porticu Tripudii poſiti juxta Molendinum Comunis Regii, quod dicitur Molendinum Albrigonum, ibidem ſub dicto Porticu predictis Nobilibus viris adunatis, preſentibus Dominis Guidone Ricio de Foliano, Azone Domini Thadei de Manfredis, Corrado de Bojardis, & Branca de Manfredis, ad hec teſtibus rogatis & vocatis.

Ego Petrus de Cartanis, Imperiali auctoritate Notarius, predictis omnibus interfui, & ea rogatus publice ſcripſi.

Propterea factum eſt, ut ſubſequenti Anno 1312. Henricus jam Coronâ Romanâ donatus, inſtituto proceſſu contra eumdem Guibertum Corrigienſem, alioſque Populos ſibi obſiſtentes, ſententiam damnationis in eos promulgarit: quam quia nondum editam vidi, ad lucem Hiſtoriæ temporis illius hiſce adjungendam cenſui, ex Archivo Eſtenſi depromtam.

Sententia contra Guibertum Corrigienſem, & aliquot Civitates ſibi adverſantes, ab Henrico VII. Auguſto lata, Anno 1312.

IN nomine Domini. Amen. Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Trecenteſimo Quinquageſimo Octavo, Indictione XI. die VIII. Septembris: Cremone in Palatio Comunis ad ſolitum bancum, ubi jus redditur, preſentibus Baldeſſaro de Burlaudis, Antoniolo de Paterno, & Bernardo de Pontevico de Cremona, Notariis, teſtibus ibi vocatis & rogatis. Noverint univerſi, preſens Inſtrumentum inſpecturi, quod ego Thomaſinus de Zampis Notarius de Collegio Notariorum Cremone, una cum ſupraſcriptis teſtibus & Notariis vidi & legi, & ipſi mecum viderunt & legerunt in quodam Libro, qui ſic intitulatur, videlicet Liber Petitionum, Reſponſionum, Juramentorum, Teſtium productionum, Inſtrumentorum, & Jurium, & Relationum, & aliarum diverſarum ſcripturarum, factorum & factarum ad Officium Zeppi Porte Ariberti Cremonenſis in Civitate tempore Poteſtarie Nobilis & egregii viri Domini Guidoli de Vicomercato, honorandi Poteſtatis Civitatis, & diſtrictus Cremone pro Magnifico & excelſo Domino, Domino Bernabove de Vicecomitibus, Civitatum Mediolani, Cremone &c. Domino generali: exiſtente ejus Judice, ſapiente & diſcreto viro Domino Thaddæo de Molcis de Parma Judice, Vicario ad dictum Officium per dictum Dominum Poteſtatem ſpecialiter deputato: & exiſtentibus pro Conſulibus ſapientibus & diſcretis viris Domino Antonio de la Foſſa, & Coradino de Arrigonibus: & exiſtente pro Notario ad dictum Officium Thomaſino de Zampis, & me Bernardo de Pontevico, Notariis de Collegio Notariorum Cremone. Currentibus Annis Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Trecenteſimo Quinquageſimo Octavo, Indictione XI. die & menſe infraſcriptis, infraſcripta Acta & Scripturas tenoris & continentie infraſcriptorum, videlicet: Milleſimo Trecenteſimo Quinquageſimo Octavo, Indictione XI. die Veneris VII. Septembris, coram vobis diſcretis viris Dominis Johannino de Sorexina Conſule Juſtitie Porte Pertuxii Cremone, & Guidone de Ripariis Conſule Juſtitie Porte Natalis Cremone, pro tribunali ſedentibus, comparuit Zacharias de la Senazia de Parma, Procurator & procuratorio nomine Reverendi in Chriſto Patris & Domini, Domini Hugolini de Rubeis, Dei gratiâ, Epiſcopi Parmenſis: & coram ipſis Conſulibus produxit, exhibuit, & depoſuit penes me Thomaſinum de Zampis Notarium preſentis Officii; Inſtrumentum tenoris & continentie infraſcriptorum, videlicet.

In Dei nomine. Amen. Henricus, Dei gratiâ, Romanorum Rex ſemper Auguſtus. Ad certitudinem preſentium, & memoriam futurorum. Ex quo Reipublice curam aſſumpſimus divina jubente clementia, ſedatiſque diſcordiis, que per Alamannie partes inimico pacis pullulaverant operante, in Italiam accedere feſtinavimus. In qua propter Romanorum Regis abſentiam univerſe Civitates & Comunitates regalia Romani Imperii occupaverant, & intra ſe civilibus bellis afflicte partialitatum diſcordiâ excreſcente, partibus certis

A bet quaſi dejectis, more tyrannico regebantur; multis, immo infinitis ipſarum Civibus exulantibus ab eiſdem, & bonis propriis per adverſarios occupatis, diffuſi cogebantur per Civitates exteras mendicare. Et per Dei gratiam univerſâ Lombardiâ, & Civitatibus & Communitatibus eiſdem ad pacis reductis concordiam, & extrinſecis exulibus cum intrinſecis compacatis, & aliquibus ex dictis Civitatibus poſtea coërrantibus emendatis, diſpoſuimus Tuſciam proficiſci, ubi guerrarum diſcrimina, partialitatum odia, ſcandala, univerſaque ex ipſis mala provenientia in perſonis & bonis Tuſcorum communiter intus & de foris per ſingulas Communitates ejuſdem adeo excreverant, & continue augebantur, B ut vix mens amplecti, & manus ſcribentis ſufficeret ad narrandum. A clamationibus etiam & a lacrymationibus multorum ex ipſis Terris exulum noſtra excitabatur intentio; menſque regalis & animus cura vigili non ceſſabat, ut univerſam prefatam Tuſciam, dictis exſtirpatis erroribus & diſcordiis, ad pacis federa reſtaurare poſſemus, & univerſis de Italici juris, & Romani Imperii fidelibus pacis & unitatis federe congaudentibus juſtitie conſtitutis exhibitione Romanum fulgeret Imperium, & regalis majeſtas ad ſacrarum ſuſceptionem infularum Romam progredi quieto animo cum Dei auxilio abjectis hoſtilitatis valeret conatibus. Verùm nonnullas dicte Tuſcie Civitates, ſcilicet Flo- C rentiam, Lucam, & Senas, omnium ipſius patrie malorum & ſcandalorum auctrices, ipſarumque tyrannos Cives, quorum iniquis & perverſis gubernatur conſiliariis, ut ſuorum concivium exulantium ſpoliis uti ſolitis non ceſſarent, humane nature hoſtis doloſitatibus ac ſuperbia obſtinanter offuſcante, contra nos & Romanum Imperium & fideles noſtros, cum nonnullis aliis dicte Tuſcie Communitatibus invicem temerarias ſeditiones, confederationes, conſpirationes iniviſſe, & in publicam rebellionem prorupiſſe comperimus, & ſeſe gentium, equitum, & peditum multitudine muniviſſe: paſſus etiam ipſarum territorii impeditos, & munitos tenere: Nuntios noſtros, & gentes, & Roma- D ni fideles Imperii per eoſdem facere tranſitum non ſinendo. Et quod inhumanius eſt, in ſe ipſos divinam & humanam Legem tranſgredi non contenti, tamquam proditionis filii, Lombardie noſtram provinciam, jam ad pacis concordiam reſtitutam reſubvertere, & ad ipſam proditionem adducere ſatagentes, hoſtis humani ſequentes veſtigia, qui primos homines dulce pomum contra ipſorum Conditoris prohibitionem comedere & guaſtare ſeduxit.

Ghibertum de Corrigia Civem Parmenſem, Vaſſallum & fidelem tunc Imperii, atque noſtrum, quem non modicis munificentiis & honoribus prefecimus, videlicet Caſtro Guaſtalle, quod ſibi in Feudum de Camera Regali conceſſi- E mus, & Vicarie Civitatis Regii, quam commiſimus eidem, & Johannem Chiricum de Sancto Vitali, ejuſdem Ghiberti generum & concivem, quorum magis conſilio dicte Civitatis Parme & Regii, eorumque concives uti & regi potiſſime dicebantur, deceptivâ pecuniâ, ac Floreno-

renorum non modica quantitate corruperunt, ut dictas Civitates Parme & Regii, & ipſarum homines ad confederandum cum ipſis Tuſcie Civitatibus rebellibus procurarent, ipſorum Tuſcorum doloſitatibus, & dictorum Ghiberti, & Johannis, & Opizini de Anzolla Judicis operibus & tractatu, Communia & homines dictarum Civitatum Parme & Regii ſubverterunt, ac etiam induxerunt, ut ſe cum eis conſpirarent & confederarent, ac etiam cum ipſis Civitatum Parme & Regii Communibus & hominibus, & cum dictis Ghiberto, & Johanne Communia, & homines dictarum Civitatum Florentie, Luce, & Senarum, dicte Communitates, & homines Parme & Regii, & dicti Socer & Gener cum dictis Civitatibus Florentie, Luce, & Senarum, & aliis noſtri Romani Imperii emulis & infidelibus, ac etiam exbannitis noſtris de Civitatibus Mediolani & Cremone, temerarie, doloſe, & nequiter contra nos, & Romanum Imperium & fideles ejuſdem, confederationem, conſpirationem, ac ſeditionem publica & notoria relatione percepimus iniviſſe: & contra nos, & Romanum Imperium in rebellionem publicam convolaſſe, noſtrum etiam expellendo Vicarium de regimine dicte Civitatis Parme, dicteque Civitatis Regii regimen, quod dictus nequam & infidelis Ghibertus noſtro regebat nomine, contra nos eodem ſuo privato & proprio nomine abutendo. Occupavit inſuper dictus Ghibertus violenter Caſtrum noſtrum Burgi Sancti Donini, & occupatum detinet, & Vicarium noſtrum de ipſius regimine intro expulit ſeu expelli fecit contra dicti noſtri Vicarii voluntatem, & dictum Opizinum de Anzolla in Poteſtatem Rectorem dicti Caſtri eligi fecit, & procuravit. Et ipſam Poteſtariam & regimen dictus Opizinus acceptavit, exercuit, & exercet. Dictique Ghibertus, & Johannes gentes equitum & peditum in favorem Cavalcabobum, & aliorum rebellium exbannitorum Imperii noſtri deſtinando, & perſonaliter eundo ad invadendum & occupandum noſtram Villam Caſalis Majoris, & Pontem Doxulli diſtrictus Cremone, que noſtro nomine tenebantur, & cavalcandum, & predandum dictam Civitatem Cremone, tunc in noſtra fidelitate manentem, & intrinſecos ejuſdem tunc fideles noſtros. Propter que in Lombardia predicta excitata ſunt guerrarum diſcrimina, ſcandala plurima, & turbationes commote in Terris quampluribus dicte noſtre provincie Lombardie. Committendo predicte Communitates omnes & ſingule, & ſingule perſone ſuperius nominate predicta omnia & ſingula temporibus in inquiſitione, quam inde fieri fecimus, denotatis, contra nos, & Romanum Imperium, & in derogationem juris & honoris noſtri, atque Imperii: prout hec omnia & ſingula publica & notoria ſunt, quamplurium fide dignorum eſt regalibus auribus patefactum. Et licèt hec omnia & alia per univerſas Lombardie & Tuſcie partes fama notoria divulgaret, divinum ſequentes exemplum, deſcendere voluimus & videre. Et per diſcretos viros Palmerium de Altuitis de Florentia Legum Profeſſorem, & Andream Calandrinum de Advocatis de Roma, Conſiliarios & Aule noſtre Judices, contra predictas Civitates de Tuſcia & de Lombardia, earumque homines, & dictos Ghibertum, & Johannem, & Opizinum, inquirere fecimus de predictis facinoribus, felloniis, ac criminibus memoratis. Ipſaque Communia, Civitates, & homines, & quemlibet ipſorum citari & requiri fecimus per noſtros Judices antedictos pre-

A *dictorum publicorum, propoſita voce preconia, ut certo jam elapſo termino coram nobis, & dictis noſtris Judicibus dicte Communitates per eorum Syndicos, & dicte ſpeciales perſone perſonaliter comparere curarent, noſtra facturi mandata, & ſeſe de premiſſis excuſaturi, ſi poſſent. Quod nequaquam facere curaverunt. Poſtmodum & iterato eoſdem citari fecimus, certis & legitimis eis terminis pro ſecundo, tertio, & peremtorio aſſignatis pro Judicibus prelibatis, ut coram nobis, & dictis noſtris Judicibus comparerent, noſtris parituri mandatis, & ſe, ſi poterunt, defendere de predictis; alias a dictis terminis in antea pro confeſſis & legitime convictis de predictis haberen-* B *tur, & ſingulis predictorum: & tamquam legitime convictos & confeſſos ex predictis damnaremus, & exbanniremus eoſdem. Qui ex tantorum ſcelerum comiſſione contra eorum Regem & Dominum protinus deſperati, noſtram miſericordem clementiam non attendentes, que petentibus quandocumque peccantibus miſericordiam debitam non negavit, pro obedientia contumaciam elegerunt, reatus reatibus, & ſcelera ſceleribus in deterius jugiter cumulando. Quis ergo Rex & Dominus ſuperni Regis iram provocare non timet, ſi tam enormia & deteſtabilia inulta dimittat? Et ſi contra tales jura & leges inanimate armantur, quomodo animata lex arma vellet deponere contra eos, quos quia* C *Dei timor non retraxit a malo, rigor ſaltem noſtre debet corrigere diſcipline? Nec enim Rex juſtus eſſe cenſetur, qui bonos premiis non exhortatur, & malos penâ debitâ non affligit.*

Volentes igitur more juſti Regis, ne Superioris iram contra nos adducere videamur, tales ſubjectorum noſtrorum exceſſus, ac ſcelera punire & corrigere, negligendo, arma juſtitie ſumſimus ad predictorum rebellium punitionem, ut eorum exemplo alii terreantur; ut noſtrum de vultu Dei prodeat judicium: Chriſti nomine invocato, pro tribunali ſedentes, habentes predicta Communia, Civitates, & Homines, & ſpeciales ſuperius denotatos ex notoriis, & ex eorum contumacia pro confeſſis, & legitime D *convictis de predictis omnibus & ſingulis exceſſibus & delictis: de plenitudine Regie Majeſtatis contra eos, ut infra, ſententias proferimus in his ſcriptis. Privamus quidem Communia & Homines dictarum Civitatum Luce, Senarum, Parme, & Regii, & quamlibet, & quemlibet ipſorum mero & mixto imperio, & jurisdictione, omnique jure, & dominio Poteſtarie ſeu Rectorie, & regimine ipſarum Civitatum, que habent vel habuerunt, vel quibus utuntur, ſeu uti conſueverunt pro ipſis Civitatibus, & eorum Diſtrictibus. Ipſaque merum & mixtum imperium, omnem jurisdictionem, atque regimen ipſarum, nec non omnia ipſarum Civitatum Caſtra, Villas, Poſſeſſiones, &* E *Bona intus & de foris, ubicumque ſint, omneſque ipſarum in cujuslibet ipſarum Civitatum introitus, redditus, & proventus, noſtris & Romani Imperii Erario & Camere advocamus, publicamus, & confiſcamus. Privantes eaſdem, & quamlibet ipſarum Civitatum & Communitatum, & perſonarum, & privatas declarantes omnibus franchiciis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, & honoribus, Feudis, & omnibus juribus, a nobis, vel ab Imperatoribus, ſeu Regibus Romanorum, & predeceſſoribus noſtris, conceſſis ſeu qualitercumque acquiſitis eiſdem: ipſaque revocantes caſſamus, irritamus, & ex certa ſcientia anullamus*

Pronuntiantes & declarantes, predicta Communia & perſonas predictas, & quelibet & quamlibet eorum & earum, felloniam, proditionem, & leſe Majeſtatis crimen contra Regiam celſitudinem noſtram, & Romanum Imperium ex predictis exceſſibus incurriſſe. Et nihilominus ipſa Communia & homines, & quodlibet ipſorum Communium multamus, ac condemnamus Fiſco Camere noſtre & Romani Imperii, videlicet Commune & Homines Civitatis Luce in tribus millibus Libris auri puri: Commune & Homines Civitatis Senarum in tribus millibus Libris auri puri: Commune & Homines Civitatis Parme in duobus millibus Libris auri puri: Commune & Homines Civitatis Regii in Libris mille auri puri. Predictum vero Ghibertum declaramus felloniam & proditionem & crimen leſe Majeſtatis contra nos, & Romanum Imperium commiſiſſe, & etiam feciſſe contra formam fidelitatis per eum preſtite nobis pro Feudo dicti Caſtri Guaſtalle, quod eidem conceſſeramus in Feudum. Privantes eum, & privatum declarantes Feudo Caſtri predicti: ipſumque Caſtrum, ejuſque diſtrictum, vaſſallos & habitatores cum omni jurisdictione & jure, & omnibus pertinentiis ſuis ad noſtram Cameram revocantes. Nec non ipſum Ghibertum, Johannem Chirici, Opizinum de Anzolla, tamquam rebelles & proditores Imperii, & leſe Majeſtatis crimine reos de toto Romano Imperio exbannimus, & eorum, & cujuslibet eorum bona omnia Camere noſtre & Romani Imperii advocamus & publicamus. Privantes eos, & quemlibet eorum omni honore & dignitate, immunitate, privilegiis, franchiciis, & libertatibus a nobis, & a Romanis Regibus, vel Imperatoribus predeceſſoribus noſtris, & quibuſcumque aliis conceſſis, ſeu qualitercumque eis acquiſitis. Et eos, & quemlibet eorum perpetua volumus laborare infamia. Et ſi quando aliquis predictorum ſingularium in forciam noſtram, ſeu Romani Imperii pervenerit, furcis ſuſpendatur, ita quod moriatur. Antianos quoque, Priores, Conſules, & Conſiliarios dictarum Terrarum, & cujuslibet earum, qui tempore dicte rebellionis erant, & ſucceſſive fuerunt, & in futurum fuerint dictâ rebellione durante, de toto Romano Imperio exbannimus, & perpetua notamus infamia. Privantes eoſdem, & quemlibet ipſorum omnibus privilegiis & honoribus, franchiciis & immunitatibus, a nobis, vel Romanis Imperatoribus, ſeu Regibus predeceſſoribus noſtris, conceſſis, vel aliter eiſdem acquiſitis. Et inabiles eſſe volumus judicandi, & aſſidendi Officio, & cujuslibet Magiſtratus honore. Poteſtates vero, Judices, Notarii a tempore dicte rebellionis, & ab inde citra, de predictis obnoxii ſunt, & qui deinceps in regimine ipſarum Terrarum prefuerint, & abſque noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum licentia ad ipſarum regimen exercendum acceſſerint, privamus, & privatos eſſe volumus ab officio judicandi & aſſidendi, & Notariatus, & cujuslibet Magiſtratus, & perpetue volumus infamie ſubjacere. Ac etiam omni privilegio, franchiciis, immunitatibus, & honoribus, & juribus, a nobis, vel predeceſſoribus noſtris conceſſis, vel aliter eiſdem queſitis privamus; ipſa privilegia, honores, franchicias, & immunitates, & jura ex certa ſcientia revocantes. Ipſoſque exbannimus, & tamquam rebelles Romani Imperii a cunctis noſtris, & dicti Imperii fidelibus volumus perſonaliter teneri, & impune offendi. Judices quoque, Advocatos, & Notarios dictarum Ci- A *vitatum, & earum diſtrictuum Cives vel incolas, judicandi & aſſidendi, & Tabellionatus officiis privamus, & perpetue volumus infamie ſubjacere.*

Item quia dictarum Civitatum Communia in dicte rebellionis, & tam deteſtabilium ſcelerum obſtinatione publica tanto tempore nullatenus perduraſſent, cum ipſorum Civium & incolarum patientia vel aſſenſu, & ut pene metu coacti, ſe & dicta eorum Communia a predictis nefandis erroribus retrahere, & ad debitam reverentiam noſtram, & Romani Imperii reducantur, univerſos & ſingulos dictarum Civitatum, earumque diſtrictuum Cives & incolas, tamquam noſtros, & Romani Imperii rebelles, B *de toto Romano Imperio exbannimus. Mandantes, quod nulla Civitas, Caſtrum, vel Villa, ſeu Baro, vel alia ſingularis perſona preſtet deinceps ipſis Communibus, vel ſingularibus perſonis eorum, vel dictis Ghiberto, Johanni, & Opizino, vel alicui ipſorum, auxilium vel favorem; nec dicta Communia vel aliquod ipſorum, vel ipſorum Cives, incolas, diſtrictuales, vel dictos Ghibertum, Johannem, Opizinum, vel aliquem ipſorum receptet, poſt unius menſis ſpatium a recitatione hujus noſtre ſententie decurrendum, ſub pena quinquaginta Librarum auri pro qualibet Civitate, & viginti Librarum auri pro quolibet Caſtro vel Barone, & decem Librarum auri pro qualibet per-* C *ſona, contrafacientibus, & quotiens contrafieret, & plus & minus ad noſtrum arbitrium, attenta qualitate perſonarum, & modo delicti, noſtre Camere perſolvendarum. Decernentes, quod quilibet poſſit & debeat Cives & incolas & diſtrictuales Civitatum predictarum tamquam bannitos & rebelles Romani Imperii perſonaliter capere, & in noſtram forciam conſignare, & ipſorum bona capere & habere. Inhibentes, quod nullus dictorum Communium vel ſingularium perſonarum, vel alicujus ipſorum Communium debitores de ipſorum debitis eiſdem ſatisfaciat, vel refundere preſumat. Ab omnibus autem predictis excipimus illos omnes, qui ſunt de noſtra familia, & illos, qui ſunt exules a* D *dictis Civitatibus ratione partium; eorumque familias & bona. Quos familiares noſtros & exules, eorumque familias & bona a dictis ſententia, penis, & bannis eximimus, & ſub protectione noſtra & Romani Imperii reſervamus. Nec non & illos omnes qui jam ad noſtra mandata venerunt & ſunt, vel qui infra unum Menſem proxime ſubſequentem ad noſtra, & Romani Imperii mandata redierint. Volumus tamen de benignitate Regia, ut ſpem miſericordie peccantibus non tollamus, ſed ut eis prebeamus ad gratiam materiam redeundi, quod dicta Communia, ſi venerint infra terminos infraſcriptos, noſtris ſuper premiſſis parituri mandatis, videlicet Commune Luce infra decem* E *dies, Commune Senarum infra quindecim dies, Communia Parme & Regii infra viginti dies proxime ſubſequentes, a nexibus dicte Sententie ſint ſoluta. Contra Commune vero Civitatis Florentie, ejuſque Cives, & diſtrictuales & Officiales, alios proceſſus & ſententias, penas & banna de dictis criminibus & exceſſibus, quot & que per nos & Judices noſtros fecimus & protulimus, qui & que in Archivo noſtro, & Romani Imperii conſervantur, confirmamus, corroboramus, ac etiam innovamus, reſervata nobis poteſtate in predictis criminibus mutandi, corrigendi, addendi, & detrahendi, prout de noſtre majeſtatis proceſſerit voluntate. Et pre-*

dicta

dicta omnia & ſingula ex certa ſcientia, & de plenitudine noſtre Regie poteſtatis pronuntiamus, facimus, & promulgamus. Statuentes predictas ſententias & proceſſus ſuper his habitis valere & tenere roboris perpetui firmitatem, non obſtantibus, ſi juris ordo & ſolemnitas in predictis non fuerit obſervata, vel ſi aliquis alius defectus opponi poſſit a quolibet contra ea: & non obſtantibus etiam Legibus aliquibus, quibus cavetur, abſentes condemnari non poſſe, & quod ordo juridicus ſit ſervandus. Quibus omnibus, & aliis contra facientibus, quo ad predicta, ex certa ſcientia, & ex poteſtate plenaria derogamus.

Data & pronuntiata fuit dicta ſententia per dictum Sereniſſimum Regem pro tribunali ſedentem, & lecta & publicata mandato & in preſentia ipſius Domini Regis per Paulum quondam Ser Ranucii de Podiobonicii Notarium, & Officialem ipſius Domini Regis, & in preſentia mei Leopardi Freneti de Piſis, Camere ipſius Domini Regis, in Civitate Piſarum, ſub logia domus viridarii Gerardi & Bonacoxii Gambacurtarum, in Capella Sancti Egidii poſiti. Quibus nobis Leopardo & Paulo Notariis ſuis ſupradictis idem Dominus Rex mandavit de predictis fieri per nos publica Inſtrumenta. Et hec omnia ibidem acta fuerunt, convocatâ ibi & adunatâ multitudine copioſâ Civium Piſarum, & diverſarum Terrarum Italicarum, & aliunde, de Regie Majeſtatis mandato. Preſentibus Magnificis & Nobilibus viris Domino Henrico de Flandria Mareſcalcho ipſius Domini Regis, Roberto de Flandria, Guifredo Comite de Levigava, Nicolao de Bonſignoribus de Senis, Thoma de Septemfontibus Camerario ipſius Domini Regis, Brancaleone de Auria de Genua, Umbertino de Lando de Placentia, Piſarum Poteſtate, Simone Domini Johannis de Spoleto Capitaneo Piſarum Populi, & Menſe de Vico Judice, Mattheo de Cantono, Vanne Torcino, Guigueto Graſſo, Ghegno Leuli, Batrameo Gonis, Betto Benaſati, & Pardo Botticelli, Antianis Piſarum Populi, & Antonio de Surdis de Placentia, Bartholomeo de Spoleto, Judicibus, Johannezono de Domo Lanfrancorum de Piſis, Simone Philippi de Piſtorio, Emfredo de Virgalenſibus de Piſtorio, Johanne de Cerchiis, & Johanne Jacotti de Florentia, & aliis pluribus fide dignis teſtibus ad hec: Dominice Nativitatis Anno Milleſimo Trecenteſimo Duodecimo, Indictione Decima, die Undecimo Menſis Aprilis, ac Regni ipſius Domini Regis Anno Quarto.

Ego Franciſcus filius Ser Ubaldi Freneti Notarii de Sancto Petro Vallis Here, Civis Piſarum, Imperiali auctoritate Notarius, authenticum hujus Sententie dicti Sereniſſimi Principis Domini Henrici, Dei gratia Romanorum Regis ſemper Auguſti, ſcriptum & rogatum per Leopardum Freneti de Piſis, Notarium Camere dicti Domini Regis, non vitiatum, non corruptum, non abraſum, nec in aliqua ſui parte abolitum vel cancellatum, vidi & legi una cum infraſcriptis Notariis de verbo ad verbum, coram Nobili & preclaro Milite Domino Lovio Domini Antonii de Montechio Marchie Piſis Poteſtate, atque Domino Petro Pucii de Trevizio Legum Doctore, Judice & aſſiſtente ſupraſcripto Domino Poteſtati in Curia Cancellarie Piſarum Communis, & una cum infraſcriptis Notariis & teſtibus auſcultavi. Et ipſe idem Dominus Piſarum Poteſtas, & dictus Dominus Petrus una mecum predictam Sententiam A *cum dicto authentico auſcultaverunt & viderunt, non abolito vel vitiato in aliqua parte ſui, ut ſupra dictum eſt. Ideoque de verbo ad verbum nihil addito vel diminuto, decreto & auctoritate predicti Domini Piſarum Poteſtatis & mandato, pro tribunali ſedentis, in his interpoſitis, fideliter ut dictum eſt ſupra, exemplavi. Et quia dictus Dominus Piſarum Poteſtas una mecum dictam Sententiam cum dicto authentico in omnibus concordare invenit, & dictum authenticum eſſe ſine aliquo vitio, ejus mandato, decreto & auctoritate ipſam Sententiam publicavi & authenticavi, & ad futuram rei memoriam ſignum & nomen meum appoſui aſſuetum. Que auſcultatio, lectura, viſio, & exemplatio, &* B *authenticatio, decreti & auctoritatis interpoſitio, facte fuerunt in preſentia ſupraſcripti Domini Piſarum Poteſtatis, & ejus decreto & auctoritate, pro tribunali ſedentis. Et in preſentia ſupraſcripti Domini Petri, & infraſcriptorum Notariorum & teſtium, videlicet Lippacini filii Cochatonis de Maſſa Marchie Anconitane Capitanei Populi Piſani, & Lovi Domini Roberti de Montechio dicte provincie, ſocii ſupraſcripti Domini Poteſtatis, Jacomini de Sanctis, & Fineti de Bernachais, amborum de Cremona, nec non Franciſci Colli de Piſis de Capella Sancti Andree, & Henrici Ser Tavelli de Ceulli Piſani, & Civis de Capella Sancti Martini, & Urſi de Pallaria Piſarum Comi-* C *tatus Notarii, ſubſcriptorum teſtium ibi ſpecialiter ad hec vocatorum & rogatorum, ad petitionem Johannis de Naſellis Notarii de Cremona, preſentis & petentis a predicto Domino Piſarum Poteſtate, & a me Franciſco Notario ſupraſcripto omnia ſupraſcripta fieri debere in Civitate Piſarum in Palatio Poteſtatis Piſarum Communis, poſito in Capella Sancti Ambroſii, preſentibus ſupraſcriptis teſtibus & Notariis ſub Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Trecenteſimo Quadrageſimo Septimo, Indictione Quintadecima, die Calendarum Martii, ſecundum curſum & conſuetudinem Notariorum Civitatis Piſarum.*

Ego Franciſcus filius Colli de Capella Sancti D *Andree Litere, Imperiali auctoritate Notarius, ſupraſcriptam ſententiam una cum ſupraſcripto Franciſco Notario, & infraſcriptis Notariis ad ſupraſcriptum authenticum coram dicto Domino Piſarum Poteſtate, & dicto Domino Petro, & cum eis diligenter & fideliter auſcultavi. Et quia utrumque concordare inveni, de ipſius licentia & mandato, & ejus decreto & auctoritate in his interpoſitis, ſupraſcriptis loco & die, & preſentibus ſupraſcriptis teſtibus, in ipſius ſententie plenam fidem & teſtimonium me ſubſcripſi, & ſignum & nomen meum appoſui conſuetum.*

Ego Urſus de Pallaria quondam Ser Nardi, Notarius de Capella Sancte Eufraſie Piſarum E *Civitatis, Imperiali auctoritate Notarius, ſupraſcriptam ſententiam una cum &c.* ut ſupra.

Ego Henricus filius Tavelli Notarius de Ceuli, Piſarum Civis, Imperiali auctoritate Notarius, ſupraſcriptam ſententiam cum ſupraſcriptis Notariis &c. ut ſupra.

Ego Thomaſinus de Z[illegible]aris, Civis Cremone, *publicus Imperiali auctoritate Notarius, ac Notarius & Scriba ad Officium Zeppi Porte Ariberti Cremonenſis, ſupraſcripta acta, Scripturis &c. fideliter extraxi & exemplavi, & in hanc formam publici Inſtrumenti redigi & ſcripſi, nil addito vel diminuto in eis, quod ſenſum mutet, vel variet intellectum; & ad eternam*

nam

nam rei memoriam & plenam fidem, de prædictis ubilibet faciendam, me cum meis ſigno & nomine ſubſcripſi, ſub ſupraſcriptis Milleſimo, Indictione, Menſe & Die.

Hæc ab Henrico VII. acta fuere; quamquam probo Principi, quum in Italiam deſcendit, id unum ſtatutum fuiſſet, tot animorum motus in Italia componere, nulloque partium ſtudio pacem cunctis afferre: cujus rei

A fidem facit non una eorum temporum Hiſtoria. Quid verò potiſſimum Mediolanenſi in Urbe ille præſtiterit, hoc eſt, quomodo diſſidentes animos *Turrianæ*, ideſt *Guelphæ* partis, & *Vicecomitum*, hoc eſt, *Gibellinæ* Factionis, ad concordiam redegerit, quoniam luce adhuc carent Acta illa, ego evulgare decrevi, ex MSto Codice Novarienſi depromta, grata, ut puto, futura Mediolanenſibus meis.

Pax ab Henrico VII. Romanorum Rege ſtabilita inter Gibellinos & Guelphos Mediolanenſes, Anno 1310.

In nomine Regis pacifici. Amen. Anno Nativitatis ejuſdem Milleſimo Trecenteſimo Undecimo, Indictione IX. die XXVII. menſis Decembris, Pontificatus Domini Clementis Papæ Quincti *Anno VI. ac Regni Sereniſſimi Principis* Domini Enrici, *Dei gratiâ* Romanorum Regis ſemper Auguſti *Anno III. Per hoc præſens Inſtrumentum cunctis appareat preſentibus & futuris, quod præfatus Dominus Rex remediis invigilans ſubditorum, & Regali providentia cupiens* fideles ſuos Cives Mediolani, diutius invicem diſſidentes, & in duas partes diviſos, quarum una erat illorum de la Turre, & altera Vicecomitum, *ad concordiam revocare, ſuper eorum diſſidiis & inimicitiis, præſentibus Majoribus eorumdem, quorum nomina inferius deſcribuntur, tam ex Regia auctoritate, quàm ex poteſtate in eum per ipſas Partes collata, pronuntiavit & ſtatuit, prout inferius continetur. In primis quod inter omnes Cives prædictos & Partes prædictas, & eorum ſequaces, & ſibi adhærentes ſit, & vigeat de cetero vera & perpetua Pax & unitas, amputatis & depoſitis hinc inde quibuslibet diſſidiis, rancoribus, & odiorum fomitibus, ac ceſſantibus verbis & actibus partialibus quibuſcumque. Item quod iidem Cives invicem ſibi condonent & remittant omnes injurias & offenſas hactenus alterutri in perſonis vel rebus illatas, & quamlibet emendam & reſtitutionem eis hujuſmodi injuriarum & offenſarum occaſione debitam. A quibus nihilominus idem Dominus Rex auctoritate & poteſtate prædictis, ex nunc omnes & ſingulos ipſorum abſolvit & liberat perpetuo. Item quod illi ex memoratis Civibus, qui exulabant a Civitate prædicta, occaſione prædictæ diſcordiæ, ex nunc revertantur ad bona & jura propria, eaque recipiant, & habeant, & eis gaudeant plene & libere ſicut prius, ſine contradictione cujuſque. Ad quæ nihilominus idem Dominus Rex ex nunc reſtituit & vult & decernit pro reſtitutis haberi, ita etiam quod nemini ipſorum in bonis & juribus ſuis prædictis quævis obſiſtat præſcriptio a tempore, quo Civitatem exiverunt prædictam. Item ralaxavit omnia banna, quibus ſuppoſiti forent hactenus a dicto tempore citra Cives, qui exulabant a Civitate prædicta. Sive pro contumacia, ſive pro offenſa, magna vel parva, vel alia quacumque de cauſa: omneſque Collectas ſive Taleas quoquo modo impoſitas remiſit eiſdem, abſolvens eos a prædictis omnibus, & a pœnis & mulctis, quas hujuſmodi occaſionibus incurriſſent, & quibuslibet condemnationibus, ſententiis, & pœnis propter hoc latis vel ſtatutis in eos. Item quod omnes Cives prædicti*

B *hanc Pacem, & ſupraſcripta omnia & ſingula obſervent & faciant cum effectu ſub debito præſtito a partibus juramento, & ſub indignatione ipſius Domini Regis, ac mille Librarum auri puri pœnâ, quoties contrafecerint, in ſingulis Capitulis contentâ, & exigendâ a ſecus facientibus, complicibus, & fautoribus eorumdem. Item quod illi ex dictis Civibus, qui nunc ſunt in ipſius Domini Regis præſentia conſtituti, pro ſe & ſuis omnibus Pacem hujuſmodi, Pacis intervenientibus oſculis, & prædicta omnia ex nunc acceptent & approbent ac emologent, & a ſuis ſequacibus & fautoribus curent & faciant pro viribus obſervari. Hæc autem, ut præmittitur, dictus Dominus Rex ſuper diſcordiis*

C *prædictorum ad præſens pronuntiavit & ſtatuit, retentâ videlicet, & reſervatâ ſibi omnimoda poteſtate, ea omnia & ſingula interpretandi, declarandi, ſupplendi, & corrigendi, ac ſuper aliis pronuntiandi, & ſtatuendi, ubi, quando, & quoties videbitur expedire. Nomina verò prædictorum in præſentia Regiæ Majeſtatis exiſtentium ſunt hæc. Et primo* de Parte illorum de Turre, *Domini* Caſto Archiepiſcopus Mediolani, Paganus Epiſcopus Paduenſis, *Guido de Turre, filius quondam Domini Franciſci de Turre, Simoninus de Turre, Zonfredus de Turre, Johanninus de Turre, Imberardus de Turre, Caſontius de Turre, Johannes & Raymundus de Turre fratres, Amphoſius & Jaco-*

D *binus de Turre fratres, Philippus de Turre, Paſſarinus de Turre, Monzininus de Modoëtia Juriſperitus, Oliverius de Turre, Leo de Turre, Vincentius de Turre, Philippus de Turre, Raymundus de Turre, Concinus de Turre, Vincentius de Turre, Philippus Niger, Jacobus Baruffius, Sambuelus de Turre, Villanus de Turre, Minatius & Bonifacius de Ozino fratres, Griſis Imperialis, Singebaldus, & Zanaterius, Ubertus & Croſinus de Cuticis, Senagius Spanzota, Johannes de Vedano, Merlus Tegeracha de Paravixino, Jacobus de Concoretio, Philippus de Mora, Dominus Jacobus Judex, Obizo & Thomaſius de Bernadigio, Paganus de Cernuſculo, Ingeramus de Barni,*

E *Carlottus de Barni, Beltraminus de Barni, Obertinus de Aliate, & Jacobus Mirabilia. Item* de Parte Vicecomitum *Dominus Matthæus Vicecomes pro ſe & Dominis Galeatio, Johanne, & Stephano filiis ſuis abſentibus, Luchinus & Marcus filii ſui præſentes, Ubertus Vicecomes pro ſe, & Vercellino, & Ottolino filiis ſuis abſentibus, Johanninus filius ejus præſens, Ludovicus Vicecomes filius Domini Petri pro ſe, & Gaſparino fratre ſuo abſente. Qui omnes & ſinguli ſupradicti unanimiter & concorditer*

corditer nominibus, quibus ſupra, auditâ & intellectâ ſupradictâ Domini Regis ſententiâ, ipſam, & omnia ejus Capitula ſponte & gratanter acceptaverunt, approbaverunt, & emologaverunt: promittentes ſibi ad invicem, ac dicto Domino Regi per pacta expreſſa, & ſub obligatione omnium bonorum ſuorum, & in pœnâ, & ſub pœnâ prædictâ, univerſa & ſingula attendere, facere, & complere. Et ad ſancta Dei Evangelia corporaliter tacta juraverunt, condonantes ſibi & remittentes invicem omnes injurias, reſtitutiones, & emendas prædictas, & ſeſe in ſignum pacis invicem oſculantes.

Acta ſunt hæc in Civitate Mediolani in Aula Domus Communis, præſentibus Dominis Balduino Archiepiſcopo Treverenſi, Tebaldo Epiſcopo Leodienſi, Pampiniano Epiſcopo Parmenſi, Aymone Epiſcopo Gebennenſi, Valerano fratre dicti Domini Regis, Amadeo Comite Sabaudiæ, Guidone & Henrico de Flandria *fratribus*, Theodoro Marchione Montisferrati, A *Ugone & Guidone Delfini fratribus*, Manfredo Marchione Salutiarum, *Henrico de Spanenſi Præpoſito Tertianenſi, Andrea de Garrettis, Berardo Layali, & pluribus teſtibus fide dignis, ad præmiſſa vocatis & rogatis.*

Ego Bernardus de Mercato de Janua, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & ſacri Imperii auctoritatibus publicus Notarius, ſupraſcriptis, una cum Johanne de Diſch Notario infraſcripto præſens fui, & hanc chartam manu propria ſcripſi, ſignoque meo conſueto ſignavi, & tradidi, feliciter rogatus.

Et Ego Johannes de Diſch, dictus de Cruce, Clericus Leodienſis diœceſis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, una cum ſupraſcriptis B *teſtibus, & Bernardo Notario ſupraſcripto, præmiſſis omnibus & ſingulis præſens interfui, & hanc chartam ſcriptam manu dicti Bernardi ſignavi, & ſubſcripſi rogatus.*

Quandoquidem verò obſcura quædam in ejuſmodi Pacem incurrerant, novo edicto Henricus eadem explicavit.

Additamenta ad Pacem ab Henrico VII. Rege Romanorum facta inter Gibellinos & Guelphos Mediolanenſes, Anno 1311.

IN nomine Domini. Amen. Anno Nativitatis ejuſdem Milleſimo Trecenteſimo Undecimo, Indictione IX die Secundo Menſis Januarii, Pontificatus Domini Clementis Papæ Quincti *Anno VI. ac Regni* Sereniſſimi Principis Domini Enrici *Dei gratiâ* Romanorum Regis *Anno III. Idem Dominus Rex, convocatis propter hoc & conſtitutis coram Regia majeſtate perſonis inferius nominatis, de plenitudine poteſtatis ſuæ determinando & declarando quemdam articulum Pacis, quam nuper compoſuit inter eos & quoſdam vicinos eorum, ſtatuit, præcepit, decrevit, & ordinavit, quod nullus eorum, vel ſibi adhærentium, bona vel jura occupet alterius: immo detenta & occupata per eum, ſine contradictione qualibet dimittat illi perſonæ, cujus ſunt. Quod ſi de dictis bonis aut juribus controverſia, aut reſiſtentia aliqua fuerit, recurrat petitor ad Vicarium Civitatis, qui vocato adverſario audiat & definiat cauſam eorum ſuper poſſeſſorio vel petitorio, prout actor voluerit eligere, ſine ſtrepitu & figura judicii, & puniat actorem ſuccumbentem in reſtitutione expenſarum litis facienda &c. Reum verò injuſte reſiſtentem ſeu contradicentem puniat pœnâ centum Librarum Imperialium pro qualibet die, qua detinuerit rem petitam a die factæ coram eo ſuper ipſa re petitionis. Nomina verò prædictorum hæc ſunt: Dominus Paganus de Turre, Ibarralis de Turre: Joſrinus de Turre nomine ſuo, & Domini Guidonis de Turre: Phœbus de Turre; Tigeracha de Paraviſino; Thomas de Bernadigio; Monzinus de Modoëtia Juriſperitus; Minatius de Oxio; Griffus Sanarum; Ubertinus Dalga; Philippus Mora; Palſarinus de Turre; Ardecinus Marcellinus; Johannes de Vedano; Neſtor Reyna; Iſorradus de Varna; Johannes Morigia de Modoëtia; Ubertus Codega; Merlus de Magis; Paganus de Raude, omnes Cives Mediolani.*

Actum eſt hoc in Civitate Mediolani in Palatio veteri, quod inhabitat ipſe Dominus Rex: præſentibus Dominis Theobaldo Epiſcopo Leodienſi, Pampiniano Epiſcopo Parmenſi, Amadeo C Comite Sabaudiæ, *Guidone & Henrico de Flandria fratribus, Sallano de Pellacano, & pluribus aliis teſtibus fide dignis, ad præmiſſa vocatis & rogatis.*

Subſequenter verò Anno, Indictione, & loco, quibus ſupra, die III. Menſis Januarii, coram eiſdem teſtibus præfatus Dominus Rex, convocatis propter hoc ſpecialiter & conſtitutis in præſentia Majeſtatis ſuæ perſonis inferius nominatis, de plenitudine poteſtatis ſuæ determinando iterum & declarando articulum ſupradictum Pacis prædictæ, ipſam declarationem, ut ſuperius ſcriptum eſt, fecit eis legi & publicari. Et iterum ipſis præſentibus ſtatuit, præcepit, decrevit, & ordinavit, prout ſuperius D *continetur. Nomina verò ipſorum ſunt hæc; Oliverius Marcellinus: Imberlandus de Mandello: Ottolinus de Soreſina: Ricardus Vicecomes: Lampugnanus de Puſterla: Mazinus de Mandello: Manzius Marcellinus: Puginus de Buzichio: Cabrinus de Lampugnano: Bazianus de Bevebò: Oldranus de Bizozero: Johannolus de Modoëtia: Anania de Beſutio: Marlianus de Marliano: Villanus Becarius, Francinus Vicecomes, omnes Cives Mediolani.*

Et ego Bernardus de Mercato de Janua, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac ſacri Imperii auctoritatibus publicus Notarius, his omnibus una cum Leopardo infraſcripto præſens fui, & hanc chartam ſcripſi, ſignoque meo conſueto E *ſignavi, & tradidi feliciter, rogatus.*

Ego Leopardus filius quondam Freneti Notarii de Sancto Petro di Piſis, Imperiale auctoritate, Judex ordinarius atque Notarius, prædictis omnibus & ſingulis in dicto ultimo Inſtrumento contentis, una cum Magiſtro Bernardo Notario præſens fui, & ipſi Inſtrumento, manu dicti Notarii ſcripto, me ſubſcripſi, ipſumque meo ſigno conſueto ſignavi fideliter, rogatus.

Ad hæc diverſa pro diverſis Urbibus fuit *Gibellinorum Guelphorumque* civilis diſcordia. Nonnullis ſat erat, adverſam partem e Civitate extrudere, eorumque fortunas addicere Fiſco,

ſco, ſanguini & animabus, quantum poterant, ſuorum Civium temperantes. Quam moderationem offendiſſe mihi viſus ſum præcipue in Genuenſi Populo: & quamvis non ſemper ſervata hæc fuerit, laude tamen ſuâ minime fraudandus eſt Populus ille. Annales Caffari, ejuſque Continuatorum percurre: ipſis quoque adde-ſis Annales Stellæ. Incredibili contentione animi ac virium utraque Factio, quibus eximia illa Civitas diutiſſime ſciſſa fuit, in id identidem nitebatur, ut alterum ſibi adverſantem dejiceret. Conferebantur ſæpe manus; ſed rarò e mente excidebat, iram & pugnam eſſe adversùs ſuos, hoc eſt ejuſdem Civitatis filios, ſibique non rarò vinculo affinitatis conjunctos. Stellam loquentem audiamus ad Annum MCCCXCIV. pag. 1143. Tomi XVII. Rer. Italicarum: *Si reprobandi ſunt Januenſes, quia tam de facili ſurgunt ad arma; eorum tamen eſt exprobratio mitiganda, quum his temporibus rarò armorum ſtrepitu ſcelus eveniat in ipſa Urbe. Abſunt enim prædæ, homicidia, & adulteria, aliaque nefaria. Sed ſi qua in ipſius Civitatis loco interfectio accidit, ſive præda, hæ rarò, & contra valde paucos eveniunt.* Sed alios acrior rabies armabat. Æmulis e lare paterno eliminatis, ſæviebant in eorum Palatia, Turres, ac ædes, eas nimirum funditus evertentes: quæ dementiſſima ira aliquot Civitatum faciem omnino deformavit. Id præſertim Florentiæ, Bononiæ, Cremonæ, ut ceteros Urbes omittam, accidit. Celeberrimum verò in Hiſtoria eſt Gibellinorum Florentinorum conſilium. Nempe extorres ii e patria, quum in prœlio ad Montem Apertum Anno MCCLX. Guelphos Florentiæ dominantes inſigni clade attriviſſent, ipſamque Urbem, elapſis inde partis adverſæ reliquiis, recepiſſent: ſtatuerant univerſam Urbem, Patriam videlicet ſuam, mœnibus exuere, ac ferme delere, ne æmulis profligatis ultra ſpes eſſet refugii. Vix abfuit, quin furioſam deliberationem effectus conſequeretur, verùm tantâ conſtantiâ animi ac vocis obſtitit Farinata de Ubertis vir ſapiens, ut ſuorum Civium furorem florens illa Civitas feliciſſime evaſerit. Equidem temperare non poſſum, quin heic Majorum noſtrorum inſaniam aperto ore prodam atque exſecrer. Vix ullam ex Civitatibus tunc Liberis mihi oſtendas, quæ, dum furentes ejuſmodi Factiones vigebant, aut inter Plebem & Nobiles diſcordia fervebat, non conſueverit, ut nuper ajebam, dejicere & ſolo æquare domos ac Palatia adverſorum Civium ſuccumbentium, aut in ſeditioſos quoſque & homicidas pari rigore animadverteret. Immo pœna hæc in municipalibus eorum temporum Legibus ſæpe conſtituta recurrit. Uni Mutinenſes inſtar omnium heic mihi ſunt. Ut eſt in Statutis MStis hujus Urbis, Anno MCCLXXV. decretum fuit: *ut ſi quis per ſe, vel per alium, Civem, vel Comitatinum Mutinæ, ſtudioſe interfecerit, in Banno perpetuali ponatur* &c. *Et omnia ſua bona immobilia devaſtentur; mobilia, & jura omnia, & rationes ipſius perveniant ad heredem defuncti; etiam immobilia, poſtquam devaſtata fuerint, integre pro medietate debeant pervenire ad ejus heredes* &c. Quod canes in lapidem contra ſe projectum iraſcantur, ridere ſolemus. At quod homines ratione utentes, & patriæ ſuæ, ut decet, ac opus eſt, amatores, quando in Cives inimicos, aut ſontes rabiem exercere non poterant, aut iis etiam proſtratis ac cæſis, in eorum ædes tam facile ſævierint, nemo niſi cæco furori id tribuat. Non adverſariis tantùm, ſive facinoroſis, eo conſilio officiebant, ſed & ſibi, ac ipſi Patriæ ſuæ, quam tot commodis ac ornamentis ſpoliabant, & ædes aliis profuturas prorſus evertebant. Quare non immerito Gualvaneus de la Flamma Anno MCCCXL. laudabiles conſuetudines a Principibus Vicecomitibus in Urbem Mediolanenſem invectas deſcribens Tomo XII. Rer. Italicar. pag. 1041. in hæc verba loquebatur: *Sexta Lex eſt, quod domus exbannitorum, ſeu proditorum non deſtruantur, immo pro communi utilitate ſerventur: quod hactenus non fiebat, immo quaſi pro nihilo ad terram projiciebantur: quod miro modo Civitatem deturpabat, & manifeſtam infamiam inducebat.* Deteſtabatur & Matthæus Villanius Lib. 9. Cap. 55 brutalem hunc morem, quem in concionibus ſuis laudarat Frater Jacobus Buſſolarius, Ticinenſis Populi tunc pæne Rector, nobis certe hac de cauſſa minime laudandus, immo ne ſuo quidem tempore meliorum vituperatione immunis. *Ma quello*, inquit Villanius de eodem Buſſolario, *che più parea ſuo nome d'errore nel coſpetto di tutti, erano le rovine de' nobili edificj di que' di Beccheria, e d'altri notabili Cittadini, che li ſeguivano: moſtrando, che l'abbattere il nido agli uomini rei, era meritorio; quaſi come ſe peccaſſono le caſe: che è ſtolta coſa, tuttochè per mala oſſervanza tutto giorno s'inſegna queſte coſe.*

Denique fuere, qui non ſecus, immo acrius, quàm contra exteros hoſtes, exarſerunt, atque egerunt adversùs Cives ſuos contrariæ Factionis. Peſſimam hanc laudem non inter ultimos occuparunt Mutinenſes mei, quibus uſque ad internecionem perſequi adverſarios ſuos mos fuit, quum heic Gibellina Secta, quam partem *Graſulforum* appellabant, & Guelpha ſub nomine *Aigonum* cognita, acerbiſſimis odiis inter ſe decertarent. Et vetuſtæ quidem ejuſmodi Factiones in Urbe noſtra fuere, ſcilicet vel antequam infanda nomina Guelphorum & Gibellinorum ex Erebo emerſiſſent, in montibus noſtris nata & ſuâ contagione in Civitatem ipſam illapſa. Mentio ſane earum occurrit in Actis, quæ manu exarata adſervat Regeſtum antiquiſſimum MStum Civitatis noſtræ, & nunc evulganda cenſui.

Juramentum

Juramentum præſtitum a Rectoribus Procerum & Valvaſſorum Mutinæ de recto regimine tenendo ſub Rectoribus Communis Mutinæ, Anno 1185.

IN nomine Domini noſtri Jheſu Chriſti. Milleſimo Centeſimo Octuageſimo Quinto, XI. Kalendas Junii, die Jovis. Breve recordationis, qualiter Barufaldus, & Lotherius, & Tibertus de Falſabrina, Bernardus de Campilio, Johannes Balugole, & Campiliolus, Rectores Procerum, & Valvaſorum Mutine, juraverunt regere omnes alios bona fide ad eorum conſcientiam, & tenere pacem inter eos, & bene operare ad Curiam & ad Civitatem, & non male eis, qui ſub eis juraverunt, vel deinceps jurabunt. Et ſi diſcordia eſt vel erit inter eos, facere fieri pacem, nec guerram facere, nec vindictam ſine parabola Rectorum, & dicere eis illud, quod melius viſum fuerit, & finire infra quadraginta dies, ſi per partes non ſteterit, ſine fraude. Et ſi qua pars ſub eis eſſe noluerit, & obedire, omnes tenentur adjuvare eum vel eos, qui obedire voluerint; & pacem tenere, ſcilicet Corboli, & Gualandelli, & Agiones. & illi de Campilio, & Valvaſſores Balagulæ. Et unuſquiſque de predictis juravit, quod faceret jurare unumquemque de eorum progeniis, ſtare & obedire mandatum & mandata Rectorum, & conſilium dare, & Credentias tenere inter ſe de eis, que erunt dicte

A per Rectoribus, vel per Nuncium, ſive literas; & pacem tenere contra omnes homines, preter contra Imperatorem, & Commune Mutine; & in eis adjuvare bona fide. Et ſi electi fuerint accipere Conſulatum, accipere debent; & ipſi Rectores debent eſſe ſub Rectoribus Civitatis Mutine, vel ſub Poteſtate, qui erit per tempora; & apud Curiam Imperatoris, & ſuis Nunciis ex parte Civitatis bene operare & agere & conſulere debent, quicquid eis, & nobis utile erit, bona fide, & ſine fraude; & hoc totum obſervare debent uſque ad decem annos; & ſemper in Kalendis Junii debent mutare Conſulem vel Conſules, ſive Poteſtatem; & jungere debet Communi concordia Rectorum, ſcilicet Civitatis

B & predictorum, ſalva fidelitate Imperatoris, id quod eis melius viſum fuerit.

Actum in Eccleſia de Caſtro Vignole feliciter.

Iſti ſunt, qui juraverunt de predictis Rectoribus, Jacobus, Enricus, Ildeprandinus, Albertocius, Salamon, Birvinus, Azolinus, Giroldus, Guido de Paule, Guido de la Montania, Ugolinus de Campilio, Ubertinus Bazalerius, Bonefacius, Gerardinus.

Laudum promulgatum a Conſulibus Mutinæ inter Fregnanenſes & Aginonos, Anno 1188.

IN Chriſti nomine. Milleſimo Centeſimo Octogeſimo Octavo, Indictione Sexta, XIX. Kalendas Januarii, die Mercurii. Nos Conſules Mutine, Radaldus Freditionum, Albertus Pildeguerre, Jacobus de Gorzano, Carnelvarius, Rolandus de Pregenariis, in quos, Fregnanenſes, ſcilicet Domini Gualandelli, quorum quidam erant ex una parte, & quidam ex altera, & Aginoni, quorum quidam ſimiliter erant ex una parte, & quidam ex altera, & Caſulanenſes, atque Punianenſes, & Gumulenſes, ſe compromiſerunt cum pignoribus & obſidibus, & ſacramentis preſtitis pro Communi Mutine, videlicet de omnibus guerris & maleficiis & dampnis, & de omnibus controverſiis, quarum occaſione guerre inter eos erant: convocato Conſilio totius Civitatis ad campanam ſonatam, concorditer tale Laudum inter eos conſtitutos in preſentia noſtra & predicti Conſilii tulimus: Ubaldum ſcilicet Gualandellum, tunc temporis Poteſtatem Fregnanenſium, & ſue partis Gualandellorum, & Bartholomeum, Henricum, Picam, Parixium, Grimaldum, & filios ejus Jacobum & Ugolinum, Thomaxium, Radaldum, Turiſianum, Bonifacium Rivelli, Paganellum, & Rialem, atque Ugolinum de Campilio, & fratres pro ſe, & pro aliis de ſua parte, & Tebertum Falſabrine, Loterium, Adegerium de Bagno, Bernardinum Buceferri, & Girardum, & Tebertum fratres, Beruinum, & filium Bonifacium, Albertocium, Lanfrancum, Cimigellum, & Rainerium Gualandellum, Petricinum de Gomula, & Rainerium, omnes ex alia pro ſe, & ſua par-

C te, videlicet ut ſententiam, ſive laudum Domini Epiſcopi latam inter Tebertum & ſuam partem, & Caſulanos & Pulianos, & ſuam partem ex alia, obſervent perpetuo & firmam teneant. Et pro morte Nicolai Tebertus, & Aginones emendent filiis Nicolai tres Libras Imperiales, & quadraginta Soldos Barufaldo. Et ut in ſingulis Rochis & Caſtris, illi, quorum Communia ſunt, ſecurent eas ad invicem ſibi per ſacramentum & confines earum. Et ut conſortes Domini Becafabe ſuam partem Benedelii & Curtis pro arbitrio tenere quiete, & pro ſuo velle alienare non impediant, quouſque per legitimas probationes oſtendant, quod ipſe debeat eis alienare, quando vult alienare. Et ut in Meſolata

D nullum edificium faciant, ſed ita dimittant, ſicut nunc eſt, uſqueque Rectoribus Mutine, qui per tempora erunt, placuerit cum communi Conſilio ad campanam ſonatam aliter precipere & ordinare. Et hoc retinemus in fortia Communis, nec aliter diffinimus. De omnibus verò maleficiis & dampnis & offenſis ab utraque parte commiſſis precipimus, ut finem factum viciſſim firmiter teneant, ſalvis preceptis, que fecimus de rebus invicem reſtituendis. Predictam verò ſecuritatem Rocharum & Caſtrorum, & reſtitutiones rerum ablatarum, ſicut precepimus, hinc uſque ad proximum annum novum fieri precepimus. Et fit omnia predicta per ſacramentum, & ſub pignoribus & obſidibus nobis

E datis, utrique parti pro ſe, & pro aliis precepimus.

Actum in Conſilio ad campanam ſonatam, Mutine feliciter.

Hi interfuerunt de Conſilio : Dominus Guiſcardus Parmenſis Advocatus Mutine , Johannes Canis Advocatus Mutine , Gerardus Judex de Bajoaria , Rolandus Bajamontis , Albertus de Pregenariis , Albertus Piligrini , Albertus Ubaldi , Guillielmus Acti , Lanfrancus Munarii , & Conradinus Boſſceti , Lambertinus Grepi , Adegerius Donusdei , Girardus Graciani , Bulgarinus , Ubertinatius , Rainucinus Bucebadate , Prodomus , Ubertinus Arcarie , Raynaldus Yſembardi , Albertus de Panzano , Modenenſis Ferrariorum , Guizardus Rocii Canelli , Gandulfus de Saltino , Armaninus Pegolocti , Squartia , Bravus , Rainerius , Albertus de Marano , Sinebaldus de Montevelio , Rolandus Richelmi , Wizardus Colonienſis , Johannes de Runcho , Bernardus Notarius , Petrus Pacifice , Guido Necius , Petricinus de Montevelio , & Gerardettus , & alii multi .

Ego Petrus ſacri Palatii Notarius juſſu predictorum Conſulum hoc ſcriptum , ut ſupra legitur , ſcripſi .

Attamen in hoc etiam non dicam diſcordiæ, ſed crudelitatis ſtudio Bononienſis Populus Mutinenſem poſt ſe reliquit . Ibi *Hieremienſium* factio ſub Guelphorum ſignis militans , *Lambertaciis* Gibellini nominis infeſta , Anno MCCLXXIV. (Ricobaldo teſte ſynchrono in ſuo Pomario , Tomo IX. Rerum Italicarum) in æmulos furibunda inſurrexit , eoſque poſt diras cædes ac incendia ſalutem fugâ quærere coëgit . Non ſatis fuit victoribus , exſilio victos multaſſe ; ne eos quidem , quod ſe in amicas Urbes recepiſſent , pace atque hoſpitio frui ſiverunt , ſed precibus ac minis inde exturbandos curarunt . Ita Genuæ (ut hoc obiter dicam) *Maſcherati* Gibellinam factionem, *Rampini* Guelpham profitebantur . Arretini verò Guelphi *la Parte Verde* appellati ſunt , Gibellini *i Secchi* . Poſt hæc Bononiæ invaluerunt geminæ Factiones , *Scacchefia* , videlicet, & *Maltraverſa* . Piſis quoque *Pergolini*, & *Raſpanti* internecinis odiis inter ſe certarunt. Sed ejuſmodi poſtremæ , aliæque ſimiles Civitatum Factiones, Familiæ potius alicujus amore, quàm Guelphi aut Gibellini nominis ſtudio furebant . In Actis Populi Ferrarienſis ſub Obizone Principe Eſtenſi Anno MCCLXXIV. ſtatutum fuit , ut *quicumque bannitus fuerit a Communi Bononiæ , ſive ſit pro parte Lambertacia , ſive Gibellina* , abeat , aut extrudatur e Civitate & diſtrictu Ferrariæ . Quod verò Imolenſes , Faventini , & Forolivienſes profugis hoſpitium præbuiſſent, neque eos dimittendos cenſerent, iis indictum eſt bellum a Bono-A nienſibus , qui poſt Imolam receptam , Faventiam quoque obſidione tentarunt . Sequenti Anno , inito prœlio inter ipſos & Lambertacios , ingenti clade fracti Hieremienſes , Carrocium in poteſtate hoſtium dereliquerunt . Tum reſtauratis viribus , iterum cum iis & Forolivienſibus manum conſeruere : in quo certamine Guelphorum Bononienſium plura millia deſiderata fuere ; atque ita eorum res afflictæ , ut quæ Civitas antea toti ferme Romandiolæ dominari videbatur, e priſtino ſplendore atque potentia aperte nimis decidere cœperit . Quod exempli cauſsâ de Bononienſibus memoratum eſt , compluribus aliis Urbibus pari infelicitate accidit , quæ ex hujuſmodi B odiorum diſſidiorumque immanitate , aut multum dignitatis , ac opum ſibi detractum viderunt , aut libertatis jacturam fecere . Infelicia ſane tempora , quibus nulla inteſtina quies pleriſque Civibus erat , & bella fere ſemper aut erant , aut imminebant , non cum hoſtibus tantùm externis , ſed & cum ſuis ; & exſilium ſubire modò una pars , modò altera cogebatur , & nemo ſinebatur domi conſiſtere tuto .

Sed jam inquies : nulla ne erat via ac ratio compeſcendi tanti furoris? Epiſcopos, alioſque Religioſos viros num zelus , num vox eâ tempeſtate deficiebat : quo ſubſidio numquam amplius quàm in tanta perturbatione Civium opus C fuit ? Utique non defuit in ſacris viris concordiæ ſtudium, & cura omnis reſtituendæ pacis; neque ulla prætermiſſa fuere officia atque experimenta , quæ Religio , Caritas , & ſacra Eloquentia miniſtrare conſueverunt . Interdum quoque ſolemnibus pactis ac ceremoniis ad oſculum pacis diſſidentium ira deducebatur. Anno MCCXXXIII. ut habent Annales veteres Mutinenſes , Tomo XI. Rer. Italicarum , *factæ fuerunt paces Mutinenſium , mediante Fratre Gerardo Ordinis Minorum , & omnes quacumque de cauſſa a Communi Mutinæ banniti , reverſi ſunt , præter quinque* . Sed brevi inita concordia ſciſſa fuit . Sæpe etiam quum inſtabat prœlium aliquod inter Cives , erumpebant D Epiſcopi & Clerus cum Crucibus , ſacriſque Reliquiis, furoremque inſanientis Populi reprimebant . Quæ grandia egerit Frater Johannes Vicentinus Ordinis Prædicatorum eodem Sæculo XIII. pro deducendis ad pacem Populis Marchiæ Tarviſinæ , Bononienſibus , & aliis , Rolandinus , Miſcella Bononienſis , & complura alia Chronica ediſſerunt. Atque heic editum volo Inſtrumentum ipſum Laudi , quod tunc idem religioſus vir pronuntiavit , adſervatum apud nobiles viros Monticellos Cremenſes .

Laudum pacis ſtabilitæ a Fratre Johanne Vicentino Ord. Prædic. inter Cives Veronenſes Gibellinos & Guelphos, Anno Ch. 1233.

„ IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti,
„ a Nativitate ejuſdem Milleſimo Ducente-
„ ſimo Trigeſimo Tertio, Indictione Sexta;
„ Domino *Federico* Imperatore regnante, die
„ Lunæ IV. Kalendas Septembris. In campa-
„ nea Veronæ versùs Mantuam, juxta fluvium
„ Ateſis, longe a Civitate Veronæ per tria
„ milliaria: ubi namque aderant Civitates Ve-
„ ronæ, Mantuæ, Brixiæ, Paduæ, & Vin-
„ centiæ cum Carociis, & Tarviſani, Veneti,
„ Bononienſes, Ferarienſes, & de diverſis
„ partibus in maxima quantitate gentium cum
„ Inſignis, & Vexillis. Præſentibus Dominis
„ *Jacobo Veronenſi*, Fratre *Gualla Brixienſi*,
„ *Guidotto Mantuano*, *Henrico Bononienſi*,
„ *Guillielmo Mutinenſi*, *Nicolao Regienſi*, *Ti-*
„ *ſio Tarviſino*, *Manfredo Vicentino*, & *Ni-*
„ *colao Paduano*, *Epiſcopis*: Tancredo Bono-
„ nienſi Archidiacono, Fratre Bartholomæo
„ Priore Fratrum Prædicatorum de Verona,
„ Fratre Jacobo de Bononia, Fratre Guidone
„ de Parma, Fratre Suſinello de Padua ejuſ
„ dem Ordinis: Dominis Uberto Vicecomite
„ Bononienſi, Petro Aluſerii Tarviſino, Ar-
„ ditione Advocato Paduano, Henrico Becaldi
„ de Rivolis Vicentino, Jacobo de Terzago
„ Brixienſi, & Johanne Bochax Ferarienſi,
„ Poteſtatibus: Domino Jordano Sancti Bene-
„ dicti de Padua, & Girardo de Ganauſis de
„ Padua. Cum quæſtio & diſcordia verteretur
„ de multis, & Guerra fuiſſet hactenus a mul-
„ tis retro temporibus inter *Dominum Rizar-*
„ *dum Comitem de Sancto Bonifacio* & partem
„ ejus ex una parte, & Quatuorviginti & Mon-
„ ticulos ex parte altera. Et cum utraque
„ pars compromiſiſſet in me Fratrem Joannem
„ Vicentinum de Ordine Fratrum Prædicato-
„ rum, tamquam in Arbitrum, arbitratorem,
„ & amicabilem compoſitorem; & meis man-
„ datis ſtare juraſſent, compromiſſo, ſeu pro-
„ miſſione vallata ſub pœna mille Marcharum
„ auri pro Parte, & pro quolibet Principe,
„ & ſub pœna mille Marcharum argenti pro
„ quolibet Milite, ſicut apparet Inſtrumento
„ facto per Girardum de Tramonte Notarium
„ Paduanum.

„ Ego Frater Joannes Vicentinus de Ordine
„ Fratrum Prædicatorum, primo divina gratia
„ invocata ex parte Redemptoris Domini no-
„ ſtri Jeſu Chriſti, & auctoritate beatorum
„ Apoſtolorum Petri & Pauli, & *Domini*
„ *Gregorii Papæ*, excommunico, maledico,
„ anathematizo, & trado Diabolo Sathanæ
„ omnes contradictores, & violatores Pacis,
„ quam ſuper prædictis, & inter prædictos
„ promulgavero, & pronuntiavero; & ſe-
„ quenter pronuntio & promulgo, arbitror &
„ ſentio, ſicut Arbiter, arbitrator, & amica-
„ bilis compoſitor, plenariam remiſſionem de
„ omnibus damnis datis, injuriis, & contume-
„ liis tam in perſonis, quàm in rebus, & juri-
„ bus, ut ita loquar, ab una parte in aliam,
„ & e converſo ab una perſona vel pluribus in
„ unam perſonam alterius partis, vel plures,
„ vel in unum jus alterius partis, vel plura.
„ Et de his omnibus, & conſimilibus pronun-

A „ tio, arbitror, & ſtatuo firmam Pacem in-
„ ter . . . . eſſe, & in perpetuum invio-
„ labiliter obſervari, ut & ipſi per ſuos ita
„ faciant obſervari, & conſervari, nec aliquo
„ modo, vel ingenio, ſeu fraude faciant, vel
„ procurent, aut ſuo poſſe permittant, ut alia
„ Pars offendatur, vel aliquis alterius partis,
„ vel favore ipſius Partis in rebus, ſive perſo-
„ nis, vel alio quovis modo, occaſione præ-
„ dictæ guerræ. Item volo, & mando, ut
„ Comes cum ſua Parte tam de Civitate,
„ quàm de Villis, ad ſua Loca revertatur li-
„ bere ac ſecure, de quibus propter guerram
„ exiverunt, ſive de Civitate, ſive de diſtri-
„ ctu. Item præcipio ſub pœna ſacramenti,
B „ quod illi, qui ſteterunt in Civitate, & in
„ Villis, nullam injuriam inferant illis, qui
„ revertentur, ſed tamquam fratres eos beni-
„ gne ac pacifice recipiant, atque tractent.
„ Item præcipio per aſperſionem Sanguinis Do-
„ mini mei Jeſu Chriſti, ſub atteſtatione divi-
„ ni Judicii, & ſub ejus maledictione, atque
„ mea, utramque Partem, & ſingulos de ipſa,
„ & in remiſſionem omnium peccatorum in-
„ jungo, ut omnem injuriam ſibi ad invicem
„ factam verbo vel facto, de puro corde re-
„ mittant, omne odium & omnem rancorem
„ de ſuis cordibus expellentes. Quæ quidem
„ Partes in continenti ſibi invicem remiſerunt
„ omnia ſupradicta, ut dictum eſt, ſtipulatio-
C „ ne præmiſſa. Item decerno, volo, & di-
„ ſtricte præcipiendo mando, ut quicumque
„ de parte alterutra in Civitate, vel extra oc-
„ caſione hujus guerræ poſſeſſionem ſuam, vel
„ quaſi dimiſit. Item ſi rem quamcumque
„ mobilem vel ſemoventem ad ipſum abſque
„ difficultate & contradictione alicujus rever-
„ tantur; & ipſam rem habeant cum effectu:
„ ita tamen quod nulli ex hoc in petitorio vel
„ poſſeſſorio præjudicium generetur, non ob-
„ ſtante occupatione, adjudicatione, ſive de-
„ ſignatione per quamcumque perſonam priva-
„ tam, ſeu publicam, ſive per Commune tem-
„ pore guerræ, factam, ſeu ſalvis omnibus
„ actionibus, & juribus utrique parti nunc
D „ competentibus in omnibus poſſeſſionibus aliis
„ vendicandis, ſive procernendis, quas aliquo
„ tempore perdiderunt. De damnis verò ab
„ utraque parte factis & datis poſt treguam
„ meam, ſub debito juramenti diſtricte præ-
„ cipiendo, ut reſtituatur hinc inde; tamen
„ ab alterutra partium nulla propter hoc ſu-
„ matur vindicta, ſed pro reſtitutione obti-
„ nenda recurratur ad illos, quos ſuper hoc
„ duxero deputandos. De damnis tempore
„ guerrarum datis, nihil definio ad præſens,
„ ſed meæ poteſtati, & arbitrio reſervo. Item
„ dico & præcipio de debitis pecuniariis ex
„ cauſa mutui vel quaſi mutui factis, non fiat
„ jus, vel reddatur, niſi prout ego meo con-
E „ ſilio diſpoſuero plus vel minus, ſecundùm
„ meam voluntatem. Item volo & jubeo quod
„ omnes condemnationes non exactæ vel ſolu-
„ tæ, & banna uſque ad tempus treguæ meæ,
„ quocumque tempore, ante etiam a centum
„ annis facta, irrita penitus ſint & caſſa, &

 „ ipſa

,, ipſa reſtringo & caſſo : & præcipio , quod omnes banniti de Libro bannitorum extrahantur , qui poſiti ſunt ante tempus treguæ prædictæ . De damnis autem datis Epiſcopatui Veronenſi , & aliis Eccleſiis ab utraque parte, meo arbitrio reſervo . Item laudo & præcipio , quod omnes Dajæ , Collectæ , atque Taleæ hactenus impoſitæ , quæ exactæ non ſunt , caſſæ ſint, & amplius non exigantur ſine mea licentia ſpeciali , vel ejus cui dilaxavero . Item Colligationes & conjurationes huic Paci contrarias , ab utraque parte factas & faciendas caſſo penitus , & damno , pronuntians illos , qui ſe talibus ſacramentis aſtrinxerunt aliquatenus , non teneri . Et pronuntio , ut ad invicem ſe abſolvant .

,, Et hæc omnia laudo , pronuntio , atque præcipio , in perpetuum in ſingulis Capitulis obſervari ſub pœna & in pœna mille Marcharum auri , & ſub maledictione Domini mei Jeſu Chriſti atque mea, facta contra violatores Pacis , & contradictores mandatorum meorum . Ut autem Pax iſta , Deo auctore promota , ipſo adjuvante remaneat inconcuſſa , pro ipſa fulcienda pœnas duxi contra violatores , & perturbatores ipſi meritò apponendas . Ex parte igitur Dei Patris & Filii & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Apoſtolorum Petri & Pauli , maledico , excommunico , & anathematizo illam Partem , vel illos , ſeu illum de alterutra partium , qui hanc Pacem non ſuſceperint , & mandata mea , & pro ea factis non paruerint , vel non ſervaverint , vel dictam Pacem violaverint , avt turbaverint , ſeu quovis modo contravenerint , partem aliquam , vel aliquem de ipſa in rebus , vel perſonis per dolum , vel violentiam graviter offendendo . Cui ſententiæ volo ſubjacere omnes , qui violatoribus , & turbatoribus hujus Pacis dederint in hoc auxilium , conſilium , vel favorem . In qua ſententia volo etiam comprehendi circumvicinarum Poteſtates & Conſilia Civitatum . . . . vel in unam alterius partis , vel plures . . . . . . ſed ſit res in eo ſtatu , quo erat ante per octo dies , quod occaſione prædicta eam taliter dimiſiſſet .

,, Ego Bonifacius Regalis Aulæ Notarius , quondam Aſpectati filius , Mutinenſis Civis, & nunc Notarius dicti Fratris , prædictis omnibus interfui , una cum Girardo de Tramonte Paduano , & Jacobino Gratioli de Bononia Notariis , & juſſu prædicti Fratris , ejuſdem tenoris cum eidem plura Inſtrumenta ſcripſi , & ſuperius correxi & emendavi , vel in unam ac etiam & alibi , ſed ſic res eſt .

,, Ego Boniprandus de Spitiariis Notarius Domini Regis Federici autenticum hujus exempli vidi & legi , & ut in eo continebatur , ita in hoc legitur exemplo , nihil per me juncto nec diminuto præter literas vel ſillabas , ſeu ſigna, pro quo ſenſum vel ſententiam mutet in aliquo &c. rogatus ſcripſi .

Porro dies me deficeret , ſi quoslibet Religioſorum virorum conatus pro reintegranda tunc pace & amore inter Cives , enumerandos ſuſciperem . Verùm quod una dies , ſingulari omnium plauſu & gaudio ſarciebat, altera ſubſequens dilacerabit : adeo exulcerati erant animi , & ad tumultum ultionemque proni , & quietis ac pacis impatientes . Vide in Tomo IX. Rer. Italicar. quæ Jacobus de Varagine Archiepiſcopus Genuenſis Anno MCCXCV. egerit , ut immani diſcordiæ finem faceret inter Cives ſuos, & quàm brevi pax parta labore ſummo evanuerit in leves auras . Attamen dolens repetam : nulla fortaſſe Civitas civilis belli ac odii pertinaciâ cum Mutinenſi certare potuit . Anno MCCLXXXIV. ſeditiones , ac mutuæ cædes miſeram faciem , & extremum pæne diſcrimen diviſæ Urbi attulerant . Nihil omiſere tunc ſocii Parmenſes induſtriæ , officiorum , & precum , ut turbinem pejora minitantem ſedarent . Sed primo ne auditi quidem fuere illorum Legati . Suis addidere illi Bononienſium Legatos , ac tamdem adhibitis tot arietibus fractus eſt Muntinenſium furor ; atque Epiſcopo & Clero cum Reliquiis Sanctorum intercedente , in Palatio Reipublicæ ad concordiam res adducta eſt , & pax conſtituta . Sed non ita multo poſt ignis ſopitus quidem , non autem extinctus , in gravius incendium erupit , uſque adeo ut Mutinenſis Populus nunc mitiſſimus , ac in omnia humanitatis , comitatis & pacis conſilia proclivis , Majores ſuos mirari poſſit , qui aſperitate ac pervicaciâ ceteris ferme Italiæ Populis infeliciſſime olim anteibant . Atque ii propterea , neque fortaſſe immerito , in ſe pertraxerunt duram illam notam , qua eos aſperſit Anonymus Auctor Hiſtoriæ Parmenſis , & quidem ſynchronus Scriptor , in eodem Tomo IX Rer Italicarum , quum ad Annum MCCCVII. ait: *In Civitate Mutinæ , quæ ſemper fuit in his partibus Lombardiæ exordium motionum , & novitatum origo , ex antiquis odiis partium , ſcilicet Guelfæ & Gibellinæ , multæ novitates fuerunt. Nam Mutinenſes non valentes ſimul quieſcere , ſe noviter diviſerunt &c.*

Jam ſupra monui , ex hiſce feralibus diſcordiis debilitatas Urbes non paucas , aut vicinis potentioribus in prædam tamdem ceſſiſſe , aut coactas fuiſſe ſibi adſciſcere , ſive pati novos Dominos , veteri Libertate amiſsâ. Ultro Ferrarienſis Civitas Sæculo Chriſti Tertiodecimo Eſtenſium Marchionum placido regimini ſeſe commiſit . Ultro quoque Mutinenſes Anno MCCLXXXVIII. omnia ſua ſubdidere Obizoni Marchioni Eſtenſi , Ferrariæ ac Rhodigii domino , ejuſque ſucceſſoribus ; quo exemplo permoti Regienſes Anno MCCXC. & ipſi in ejus ditionem ſponte conceſſerunt . Nimirum nullum aliud præſentius ac efficacius remedium eſt adinventum a quibuſdam Populis , quo tollerentur tot peſſima abominandæ illius diviſionis conſectaria , quàm Principem ſibi deligere, cujus prudentiâ ac potentiâ ſinguli in pace ac officio continerentur . Libertatem enim cum Servitute commutare tunc optimum eſt, quum Libertas in extremam perniciem rem publicam trahit . Non juvat inquirere , an iiſdem gradibus , ac voluntariâ Populorum deditione , aut electione, tot alii per ea tempora, & poſt etiam , ad principatum in ſua patria , aut in finitimis Urbibus aſcenderint . Illud tantummodo innuendum , vix ullam numerari poſſe e liberis olim Italiæ Civitatibus , quæ non aliquando in poteſtatem alicujus ſive Domini , ſive Tyranni , aut ſponte, aut invita migrarit ; idque præcipue tribuendum eſſe inſanis earum Factionum motibus, & calamitatibus inde ſubſequutis . Quamquam ne ſic quidem quieſcere multi didicerunt . Neque Libertatem , neque Servitutem pati noverant animi adeo ab affectibus turgidi ac incitati . Proinde ubi ſeſe offerebat

rebat occaſio, tumultuari denuo mos fuit, & excuſſis prioribus Dominis, aut alii ad clavum rei publicæ admovebantur, aut Libertas pernicioſior interdum recipiebatur. Fuerunt etiam Urbes & Populi, in quibus tam alte ejuſmodi teterrima odia radicem fixerant, ut vel ſub ipſis Principibus altera Factio in alteram ſæviret, earumque furor cohiberi nullâ ratione poſſet. Jam evulgavi Diarium rerum Bergomatum, Auctore Caſtello, Tomo XVI. Rer. Italicarum. Suberat ea Civitas a multis annis Vicecomitum Mediolani dominantium imperio. Attamen vide, quot calamitates, quot cædes vel circiter Annum MCCCC. eam ob cauſſam inter Bergomates acciderint, ita ut lacerata & collapſa fere tota illa Civitas fuerit, quum ſub Philippo Maria Mediolani Duce ditioni Venetorum Anno MCCCCXXVIII. adjuncta eſt.

Ceterum juſtæ Hiſtoriæ locus foret, ſi quis Guelphorum & Gibellinorum deteſtanda facinora, frequentiſſimas cædes, dominatuum mutationes, fluxum & refluxum, variamque fortunam latius enarrandam ſuſciperet. Mihi paucis agere in illo argumento conſtitutum eſt. Sed minime reticebo, exitiales haſce Sectas non in furialia tantùm certamina fuiſſe raptas, ſed & in deliria perquam ridenda declinaſſe. Aliis enim vexillis, aliis veſtibus, ut veteres Hiſtorici tradunt, alio tegumento capitis utebatur una Factio, aliis altera. Guelphum & Gibellinum a certo veſtium colore dignoviſſes, a capillis demiſſis, aut in nodum collectis, aut aliam in ſpeciem educatis, a ſalutationis quoque formula, immo vel ab ipſa incidendi panis, aut mappulæ componendæ ratione. Et hæc quidem diſſidentium Populorum rabies potiorem Sæculi XIII. partem & per totum Sæculum XIV. Italiam fere univerſam afflixit. Neque ab ea immune fuit Sæculi XV. exordium. Sunt mihi Literæ eo tempore ſcriptæ a Florentinis ad Pandulfum Malateſtam Brixiæ dominantem, quas tenebris ereptas volo, deſumtas ex Codice MSto Chronici Mediolanenſis: ut inde intelligas, quàm bene animati forent in Gibellinos Guelphi illius temporis.

Epiſtola Populi Florentini ad Pandulfum Malateſtam, Brixiæ Dominum, Anno 1406.

Magnifice Domine, amice cariſſime. Poſtquam per Dei gratiam inclyta Pars Guelforum, quæ jam annis plus quam nonaginta ſæviſſimâ peſſumdata tyrannide jacuit ſub umbra mortis, velut vitæ reddita reſurrexit, *velit veſtra nobilitas & magnanimitas* Lombardorum ipſam ſicut matrem optimam exaltare; *fovere vos invicem; & ſtatum, quem multa cum gloria quæſiviſtis, omni cum diligentia conſervare. Nos hinc curabimus favore divi Numinis*, nedum Gibellinæ Factionis extinguere, & Piſanam Urbem ſub ditione noſtra in honorem & gloriam Guelfi nominis conſervare. Cavete proditiones Gibellinorum. Nolite credere blanditiis eorum. Sint vobis ſuſpecta Gibellinorum colloquia, quæ numquam eſſe poſſunt niſi fraudibus plena & inſidiis. Ubi tractatur de confirmatione & utilitate Guelforum, *facite quod extra poſt facto non contingat vos dicere*: Non putavi. *Nos autem offerimus poſſe noſtrum; & numquam deficiet, quod fieri poterit in exaltationem hujus ſanctiſſimæ Societatis.*

Data Florentiæ XII. Januarii MCCCCVI.

Priores Artium, & Vexillifer Juſtitiæ Populi & Communis Florentiæ.

Magnifico Domino, Domino Pandulpho de Malateſtis Brixiæ &c. amico cariſſimo.

Verùm poſt illos annos funeſtiſſima hæc peſtilentia decreſcere cœpit, ſive quod conſtabiliti Principatus multi ac potentes in Italia, Populos meliora ſapere cogerent, ſive quod homines ipſi ad affectuum & Factionum hujuſmodi inſaniam reſpicientes, ſuæ tamdem mentis eſſe inciperent. Factionibus profecto, & ingenti bellorum tumultu ne illud quidem Sæculum caruit; attamen ſub aperto nomine Guelphorum & Gibellinorum vix quidquam actum eſt. Nempe in Caſtella quædam, & in privatas tantùm Familias odioſa hæc nomina ſenſim recepere ſeſe, tum denique ita exolevere, ut ex memoria hominum obliterata, in Hiſtoriis duntaxat a multo tempore vivant. Attamen Jacobus Philippus Bergomenſis Lib. XV. Chronic. ad Annum MCCXXXIV Guelphorum & Gibellinorum originem, & incredibilia inde profecta mala deſcribens, hæc addit: *Et utinam ſaltem noſtris temporibus extincti fuiſſent.* Hæc ille circiter Annum MDIII. & cur ei fidem non adhibeam, nihil occurrit. Contra erunt, qui illam ægre adjungere velint Ghirardaccio ſcribenti in Hiſtoriæ Bononienſis Libro quincto ad Annum MCCXXVII. de hiſce Factionibus: *Peſte veramente orribile, e fuoco ineſtinguibile, che in danno e rovina di tante miſere Città, e di tante nobili Famiglie, ancora non è interamente eſtinta.* Anno MDXCVI. hæc literis mandabat Ghirardaccius, quo tempore mirum videatur, Bononiæ iſtarum Sectarum ſuperfuiſſe veſtigia, quando tot ante annos ipſa earum nomina prorſus per Italiam defeciſſe videntur. Fulvius verò Azzarius in Hiſtor. Eccleſ. Regienſi MSta, quam adſervat Eſtenſis Bibliotheca, ſcribit & ipſe, ejuſmodi Factiones ne Anno quidem MDX. e Regio Lepidi exterminatas fuiſſe. Quod ſupereſt, Sæculis noſtris certe ſua non deſunt incommoda, & cum publicæ tum privatæ calamitates: hiſce enim tribulis æternùm abundabit miſerum hominum genus. Sed quum leviſſima hæc ſint præ illis malis, quæ olim invexit peſtilens *Guelphorum* & *Gibellinorum* contagio, ætati noſtræ gratulandum, quod quamquam bella, eaque pernicioſiſſima, non deſint, interna ſaltem Civium pax & concordia in Civitatibus Italicis habitet, atque amor (utinam non interdum quoque nimius) antiquis odiis ſucceſſerit.

DE REGIMINE AC DIVISIONE NOBILIUM & PLEBIS IN CIVITATIBUS LIBERIS ITALIÆ.

DISSERTATIO QUINQUAGESIMASECUNDA.

DISSERTATIO
QUINQUAGESIMASECUNDA.

IN quot ærumnis Italiam conjecerit Guelfæ & Gibellinæ factionum deploranda origo & pertinaciſſimus curſus, in præcedenti Diſſertatione innui potius quàm deſcripſi. Sed non hæc una peſtis Italicas Civitates afflixit. Altera etiam acceſſit, quamquam non adeo late dominans, multorum tamen & ipſa malorum ferax: nempe ſciſſura in nonnullis Civitatibus orta inter Cives Nobiles, & Plebem. Guelphos & Ghibellinos vix mihi temperare poſſum, quin dementiæ arguam, quod poſtpoſitâ concordiâ & quiete tam publicâ, quam privatâ, inani affectu ac ſtudio ſeducti, tot turbas ac bella, in propriam, aut propriæ patriæ perniciem, excitarint & foverint: ſcilicet pro vanis nominibus invicem concertantes, nihilque interdum animadvertentes, an juſtâ ac utili de cauſsâ ſanguinem & vitas profunderent. Quæ verò diſcordiarum ſemina Patricios a' Plebejis diviſere, aut a dominandi libidine, aut a ſuæ libertatis tuendæ ardore, originem duxere. Quum enim Populi Civitatum Italicarum ad Reipublicæ ſtatum aſſurrexiſſent, alicubi contigit, ut Nobilium ordo Plebem immoderatius, quàm par eſſet, contemneret & conculcaret, ſibique omnia ferme officia, immo & integrum regimen vendicaret. Contra Plebs, ſeu Populus infra Nobiles ſitus, uti Artifices, & vile Vulgus, cujus potiſſimùm numero ac robore bella gerebantur, ægre ferens, ſe tributis quidem & bellicis expeditionibus ſæpe affligi, ac nullos deinde honores ſibi communes eſſe, aut a Patriciis ſuperbe ſe deſpici: in ſeditionem acta, ſæpe nihil intentatum reliquit, ut ſibi clavum Reipublicæ aſſereret, ſuoſque contemtores dejiceret, atque deprimeret. Et ſane, uti norunt Eruditi, ſi non eadem prorſus, certe ſimiles olim cauſſæ, vigente Romanorum Republicâ, diſcordiam concitavere non ſemel inter Optimates & Plebem; ita ut Patricii imperium ſaltem partiri, & Tribunos Plebis ampliſſimâ facultate adlectos tolerare, atque interdum ſuccumbere coacti fuerint: quæ omnia narrat Romanorum Hiſtoria. Nullus dubito, quin hæc ipſa potentiſſimæ ac omnium celebratiſſimæ Reipublicæ exempla, vel ipſis ignorantiæ Sæculis, in oculos alicujus incurrerint uti obvia in veterum Libris, iiſque uſum quempiam fuiſſe ad excitandas adversùs cœtum Nobilium Populi vires. Nomine autem *Populi* liceat mihi quoſcumque non Nobiles, & interdum ipſam ſignificare *Plebem*, quum tamen apud nonnullos olim diſtincta hæc nomina viderim. Sed etiamſi exempla ſciſſuræ præcedentis Sæculis rudibus defuiſſent, attamen alii ſtimuli, ſive juſti, ſive

A injuſti, non defuere interdum Vulgo inſtabili, ut in arma proruerct, atque e potentum manu lora imperii eripienda curaret. Quo tempore Civitates Italicæ complures, amotis aut dejectis Comitibus Sæcularibus, aut Epiſcoporum regentium loco Comitis potentiâ imminutâ, Libertatem ac regimen ſuſcepere politicum (quod Sæculo Chriſti Undecimo factum) quænam portio auctoritatis cum Plebe communicata fuerit, nondum aperte agnoſcere potui. Multum ſane juris tunc Epiſcopis aut relictum, aut datum, multumque etiam Nobilibus. In celebris Monaſterii Mantuani Padolironenſis Tabulario pergamena adſervatur,
B Anno MCXXVI. *Quinto Nonas Julii* ſcripta, complectens exitum controverſiæ agitatæ inter Henricum ejuſdem Cœnobii Abbatem, & Mantuanæ Civitatis Rempublicam cauſsâ quorumdam prædiorum. *Finem fecerunt* Cives Abbati, hoc eſt, *Conſules* quinque Civitatis, & *Arimanni*. Conſulum nomina alibi commemoravi. Singuli *Arimanni* illic recenſentur, ideſt *Ingelladus filius Muciani*, *Otto & Wibertus & Anſelmus filii Ingellandi*: *Albertus Azonis filius*: *Johannes-Bonus*, *filius Blanci de Levata*: *Albertus filius Girberti de Gudino*, & reliqui. Atqui *Arimanni*, uti jam oſtendi in Diſſertatione XIII. Liberorum hominum
C quorumvis, interdum verò unum Nobilium Ordinem conſtituiſſe videntur, quorum dignitatem ac nomen præcipue in Urbe Mantuana effulſiſſe, monumenta a me producta ſat produnt. Quare ne hinc quidem elucet, an regimen Civitatis illius Nobiles uni, Plebe excluſâ, tenuerint. Illud tamen certum puto, plerumque, ſi non ſemper, in Italicarum Rerumpublicarum inſtitutione ſuum Plebi quoque in regimine locum fuiſſe. Teſtem offero, idoneum profectò, Ottonem videlicet Friſingenſem, Lib. 2. Cap. 13. de Geſt. Friderici. Scribit ille, quo tempore *Conſules* in Civitatibus liberis ad clavum Reipublicæ adhibebantur, ex Popularium factione aliquot etiam fuiſſe
D adlectos. *Quumque*, ait, *tres inter eos* (nempe Italos) *ordines*, *ideſt Capitaneorum*, *Valvaſſorum*, *& Plebis eſſe noſcantur*, *ad reprimendam ſuperbiam*, *non de uno*, *ſed de ſingulis prædicti Conſules eliguntur*; *neve ad dominandi libidinem prorumpant*, *ſingulis pæne annis variantur*. Immo & id extra Italiam factum video: quam in rem proferre juvat Chartam, cujus exemplum debeo humaniſſimo viro P. D. Bernardo Cretonio Monacho & Priori Benedictino. Deſcripta autem fuit ex antiqua membrana exſiſtente in Archivo Monaſterii Benedictinorum Raguſii.

Reſtitutio facultatum facta a Republica Raguſina Petro Abbati Monaſterii Sanctæ Mariæ de Lacroma, Anno Chriſti 1044.

A ✠ IN nomine Sanctæ & unicæ Trinitatis. Undecimo Kalendas Martii, Luna II. Indictione XII. Con. IIII. Temporibus piiſſimi Auguſti Conſtantino ſcilicet Monomacho una cum Domina Theodora piiſſima Auguſta: apud nos verò degente Vitalis Epiſcopus Prior quoque Petrus, cognominatus Slaba. Ego denique Petrus præfatus Prior cum omnes pariter Nobiles atque ignobiles mei tam ſenes, juvenes, adoleſcentuli, quam etiam pueri, ſecuritatem quidem firmam, atque inclitam facimus huic Monachus Presbiter Dominicus, tam ei, quam & omnes parentos ejus, quo ad huc ſit & erat uſque in finem ſeculi. Ex eo igitur qualiter B Anteceſſores noſtri tulerunt ei per vim hereditatem Sancti Coſmæ & Damiani cum domibus, quæ ſunt circa eam, quæ quondam emerant parentes ejus ex quodam vir, nomine Balſamus, in centum & decem Solidis; & miſerunt eum per pecuniam Græcorum in puplico, ut fieret Prætorium, plus miſeri obſervantes eorum mandata, quàm Domini præcepta, qui dicit: Domus mea domus orationis vocabitur. Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Et iterum: vacate & videte, quoniam ego ſum Deus. Et illud: in Eccleſia Dei aut orate ſeu pſallite, verba otioſa nolite dicere. Unde notandum eſt nobis, fratres cariſſimi, ut ſi verba otioſa Dominus in Eccleſia ſua prohibet dicere, quod leve eſt: C quanto magis nos prohibet in domo ſua lupanar facere, quod nimis gravum eſt? Et ſi ego tantillus homo nihil volo in domo mea cernere ſordidum, ſed omnia pulchra ac nitida: quanto magis Deus, qui eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium, vult habere omnia pulchriſſima & nitidiſſima in domo ſua? Quapropter timore perterriti, optanteſque nos ex antiqui hoſtis laqueo eripere, rogavimus prædictus Monachus unanimiter, ut in loco fabricæ conſtituto alterum Prætorium . . . . & præfatam hereditatem fiat ſecundùm Domini præceptum amodo & uſque in ſempiternum liberam, ut decet domum Dei. Et hoc factum eſt, ſicuti præfati ſumus, D ex conſenſu omni Populo, & Domini Petri venerabilis Abbatis, quantis morabatur temporibus in Inſula, quæ vocatur Lacrumno, ſub cujus regula degebat etiam & ipſe Monachus. Unde non audeat ei an nullus cujuslibet homo contradicere, nec ſucceſſor ſcilicet noſter, nec Nobilis noſter. Quod ſi quis noſter ſive ſucceſſor, vel Nobilis noſter temerare præſumpſerit, ſolvereque attemptaverit firmiſſimo pactui noſtro, habeat ille mancip. . . . . io videatur, iram Dei Omnipotentis Patris, Filii, & Spiritus Sancti incurrat, & Sanctorum omnium, & a maledictiones vinculo tercentorum & octo Patrum inſolubiliter denodetur, & in noviſſimo maranatha cum Diabolo, & ejus tetros miniſtros, ac Juda Schariothæa in gehenæ E baratrum muneretur, & ſtatuta privilegii redintegrare duplicia pretio judiciali ſententia perdonetur atque convinciatur.

Actum eſt hoc palam teſtibus corroboratum tempore ſupraſcripto menſe Februarii. Et noſmetipſi ſcilicet privilegia qui diſpoſuimus facere, elegimus tantos ac tales teſtes.

Primitus omnium ego prænominatus Prior teſtis ſum, & hoc eſt ✠ ſignum meum.

Signum ✠ manu Stephani Presbiteri, filii . . . .

Signum ✠ manu Domini Lampridii Presbiteri frater Joannis.

Signum ✠ manu Lampridii Presbiteri filius Joannis Presbiteri.

Signum ✠ manu Urſacii Diaconi.

Signum ✠ manu Triphonii Diaconi.

Signum ✠ manu Petraca Diaconi.

Signum ✠ manu Nicerphori Diaconi.

Signum ✠ manu Dabri Diaconi.

Signum ✠ manu Petri Diaconi frater Georgii.

Signum ✠ manu Andreæ Diaconi.

Signum ✠ manu Cani-albi.

Signum ✠ manu Petri frater Urſani Presbiteri cum filio ſuo Dobro.

Signum ✠ manu Andreæ filius Norati Presbiteri.

Signum ✠ manu Mitro-capud.

Signum ✠ manu Joannis filius Serſi.

Signum ✠ manu Aiabale.

Signum ✠ manu Peruani . . . . Puſci.

Signum ✠ manu Benlesmini.

Signum ✠ manu Petri Arebarbi.

Signum ✠ manu Proculi fratris Urſaci Diaconi.

Signum ✠ manu Petri filius . . . .

Signum ✠ manu Andreæ filii Marnaci.

Signum ✠ manu Lampridii filius Michatil Monachi.

Signum ✠ manu Zamati.

Signum ✠ manu Urſaci filii Jacobi.

Signum ✠ manu Andreæ filius Sclepi.

Signum ✠ manu Ingatii eum fratre ſuo Urſaci filius Siſinii.

Signum ✠ manu Lampridii filius Bubanni.

Signum ✠ manu Vitalis indigni meritis, peccatorque, atque infimi Subdiaconi, qui hanc ſcripſit paginulam.

Multis tenebris obſeptæ ſunt Notæ Chronologicæ. *Indictio XII.* Annum profectò prodit a Chriſto nato MXLIV. cujus menſe Februario decurrebat *Luna II.* Literas illas *Con. IIII.* ex conjecturâ, dum meliora doceant alii, interpretor *Conſulatu Quarto*. Caffari Genuenſes Annales vide Tomo VI. Rer. Italicarum. Genuenſes enim Primum, Secundum &c. Conſulatum numerabant. At quid eſt, quod Charta exarata dicitur *temporibus piiſſimi Auguſti, Conſtantino ſcilicet Monomacho, una cum Domina Theodora piiſſima Auguſta*? Utique ſublato e vivis Michaële Calaphata, Græcorum E Imperatore, Theodoram Zoës ſororem Populus Auguſtam renuntiavit. Id actum Anno MXLII. Cedreno teſte, uti animadvertit etiam Pagius in Critic. Baroniana. Rurſus eodem Anno ac Menſe Junio *Conſtantinus Monomachus* nuptiis cum Zoë celebratis, Imperator electus,

electus, *poſt tres menſes*, teſtante Pſello, *Theodoram* e gradu dejecit. Quei ergo Februario Menſe Anni MXLIV. adhuc Raguſii imperaſſe dicitur *Conſtantinus Monomachus* cum *Theodora Auguſta*? Duplex reſponſum habeto. Aut Conſtantinus Monomachus ſeriùs quàm traditur Theodoram e ſolio exturbavit: aut non ita oppreſſit, ut eam ab omni honore excluſerit. Et ſane, uti idem Cedrenus, & Johannes Curopalates ſcribunt, Anno MXLIV. Indictione XII. ſubortâ ſeditione contra Monomachum αἱ Βασιλίδες προκύψασαι ἄνωθεν κατεςόρεσαν τὸ πλῆθος, *Reginæ*, ſive *Auguſtæ*, (hoc eſt, Theodora, & Zoë) *de ſublimi proſpicientes multitudinem placaſſent*. Neque enim veri videtur ſimile, quamquam Raguſium a Conſtantinopoli tot centena paſſuum millia diſtet, nondum illuc delatum fuiſſe nuntium de abdicatione Theodoræ Auguſtæ. Redeo nunc ad Chartam ipſam. Niſi mea me fallit opinio, inde elucere poteſt, in Raguſinæ Reipublicæ regimine ſuas partes fuiſſe *Vitali* Urbis illius *Epiſcopo*. Nobilibus verò æque ac Ignobilibus ſuffragium relictum in publicis conſiliis. *Petrus* verò *Prior* ibi commemoratus, primus fuiſſe videtur Conſulum, qui totius Reipublicæ verbis contractum iſtum celebrat. Idem ferme in Italicis Urbibus primo factum. At ipſo Sæculo Chriſtianæ Salutis Undecimo ſimultates ac bella inter utrumque Ordinem exardere cœperunt, quibus vix umquam finis fuit, niſi quum Reipublicæ ſtatus multis in Urbibus Monarchiæ legibus ceſſit. Primi, quos civilis hujus diſcordiæ exemplum poſt Annum Chriſtianæ Æræ Milleſimum reliquæ Italiæ dediſſe reperio, Mediolanenſes fuere. Illic enim circiter Annum MXLI. inter *Plebem*, & *Milites* odium primo, tum bellum atrociſſimum exarſit, ita ut poſtremi impares ſolum vertere coacti fuerint, ac deinde ad ipſam

A patriam obſidendam, adjunctis ſibi finitimis ſociis convolarint. Sub nomine *Militum* heic veniunt *Vaſſi*, ſeu *Vaſſalli*, qui ſcilicet Feudo aliquo aut Regio, aut Archiepiſcopali fruebantur, *Nobileſque* propterea cenſebantur. *Miles* enim pro *Vaſſallo* in veterum monumentis ſæpe occurrit. Procedente autem tempore appellatione *Militum* deſignatum videmus univerſum ordinem *Nobilium*, ſive quod Nobili cuicumque Feudum aliquod nobile eſſet, ſive quod nomen *Militis* translatum fuerit ad quoslibet illuſtris Familiæ Nobiles. Sunt quidam, qui *Militum* nomine reperto in antiquis Hiſtoriis, etiamſi ibi *Milites* opponantur *Populo*, ſeu *Plebi*, eam vocem perperam Italice reddunt
B *Soldati*. Tunc *Nobiles* ſignificat, inter quos & *Plebem* bella pluſquam civilia ſæpe continuata fuerunt. In Statutis MStis Ferrarienſibus Anno MCCLXVIII. promulgatis Lib. 4. Rubr. 27. legitur: *Qui aſſaltum fecerit* (ſcilicet in bello) & *non percuſſerit*, *ſolvat pro banno Communi ſi fuerit Capitaneus*, *viginti Libras Ferrarinorum*; *Valvaſſor*, *vel Milex*, *decem*; *homo Popularis quinque Libras*. Vides æquiparari pœnâ *Vavaſſores* & *Milites*, immo præferri etiam *Vavaſſorum* nomen: ſed ſimul vides: ita eos diſtingui, ut Vavaſſor non idem videatur ac Miles. Alibi quoque Vavaſſores a Militibus diſtincti occurrunt. Fortaſſe quod olim duplex *Valvaſſorum* ordo fuerit;
C quippe alii *Majores* erant, alii *Minores*, de quibus conſule Legem Friderici I. Auguſti apud Radevicum Lib. 2. Cap. 7. Tomo VI. Rerum Italicarum. Qui Majores erant, Caſtello alicui, aut Feudo nobili dominabantur, & parum diverſi fuere ab ipſis Vaſſis. Alii autem Vavaſſores erant Minores, quod ab eiſdem Vaſſis aliquo Feudo ſubinveſtirentur. In vetuſtiſſimo Regeſto MSto Communitatis Mutinæ legitur ſubſequens Charta.

Qualiter Albertus Radaldi, & Arduinus Raffacanis juraverunt ſequi Conſules Mutinæ, Anno 1179.

Anno Milleſimo Centeſimo Septuageſimo Nono, Indictione Duodecima, XII. intrante menſe Junii, die Martis. Jurant Albertus de Radaldo, & Arduinus Raffacanis, ſequi Conſules Mutinæ, & quod facient jurare univerſis hominibus Terræ ſuæ, *& parentum ſuorum*, Vavaſſoribus *videlicet*, *&* Caſtellanis, *ac* paiſanis, *qui ſunt idonei ad jurandum tale ſacramentum, quale præſtiterunt nunc illi de Montealto Civitati; & quod facient jurare ſacramentum Cittadinantiæ parentibus ſuis. Teſtes interfuerunt Bravus, Scurtapelle, Guillelmus de Acto, Ubertus de Gazo, & multi alii.*

Ego Gerardus ſacri Palatii Notarius interfui, & juſſu Conſulum ſcripſi.

Albertus ille & Arduinus, alicujus Caſtelli domini erant, quum polliceantur ſe adducturos ad idem ſacramentum *univerſos homines Terræ ſuæ*: quorum tria genera fuere, *Vavaſſores*, *Caſtellani*, ideſt habitantes in Caſtello, & *Paiſani*, hoc eſt ruſtici, in agro habitantes. En videmus Vavaſſores a Vaſſallis iis Feudo aliquo donatos, Vaſſis propterea minores fuiſſe. In fœdere Anni MCLXXIII. inter Mutinenſes & Parmenſes inito hi jurant: *Et hoc ſacramentum faciam facere univerſo Conſilio meæ Civitatis, & centum hominibus per unam quamque Portam, & omnes Cataneos, & Vavaſſores, & Caſtellanos equites mei Epiſcopatus & Diſtrictus.* Verùm progredi lubet, ac repetere civile bellum Mediolanenſium. Rem narrat Arnulphus Mediolanenſis Hiſtoricus Lib. 2. Cap. 18. Tomo IV. Rer. Italicar., hiſce verbis: *Pacatis rebus omnibus, inteſtinum jurgium, bellumque civile ſuccedit, adeo exſecrandum & lachrymabile, ut præter innumeras bellorum clades immutatus ſit ſtatus Urbis, & Eccleſiæ. Factum eſt autem, ut privato inter ſe jurgio Plebejus quidam graviter cæderetur a Milite. Unde Plebs dedignanter commota, repente adversùm Milites in arma conſurgit. Inde fomes pullulat odiorum, & partium fiunt juramenta quamplurima.* Tum addit, Lanzonem quemdam e cœtu Militum ſeſe adjunxiſſe Plebejis. *Hoc indignata cetera Nobilitas, partim tamen ſuorum amore fidelium, Militibus ſeſe conſociat.* Heic nomine *Militum* deſignantur, qui Feudo aliquo a *Nobilibus* accepto fruebantur. Vocabulo verò *Nobilium* deſignantur *Capitanei*, quos etiam *Cattaneos* appellabant. Pergit deinde Arnulphus deſcribere dirum prœlium inter eos actum, tum receſſum Nobilium ex Urbe, atque ipſius Urbis obſidionem. Per triennium certatum eſt inter furentes Cives; nec iræ modus fuiſſet, niſi profecti ab Henrico inter Auguſtos Secundo Legati Regio imperio inducias ſtatuiſſent, quas deinde pax firma eſt ſubſequuta. Hanc eamdem civilem diſcordiam, *quæ fuit inter Capitaneos & Valvaſſores ex parte una, & Populum Mediolanenſem ex altera*, fuſius deſcribit Landulphus ſenior (Scriptor & ipſe ejuſdem Sæculi non ſecus atque Arnulphus) Lib. 2. Cap. 26. Hiſtor. Mediolanenſ. Tomo IV. Rer. Italicar. Teſtatur autem & ille, Populum dure ac ſuperbe habitum ab iiſdem Capitaneis ac Valvaſſoribus, demum *ab illorum dominio ſeſe defendere ac liberare diſpoſuiſſe, & adversùs majores pro libertate acquirenda fuiſſe prœliatum*. Quibus pactis, conditionibuſve tunc Ordo Equeſtris cum Plebe concordiam inierit, & quæ partes unius & alterius exinde fuerint in regimine Urbis, deperditis eorum temporum monumentis, ignoramus. Illud patet. in Civitatibus Italicis liberis, non unum regiminis genus perpetuum fuiſſe, ſed quidem triplex obſervatum ac variatum, prout rerum mutatio ac viciſſitudo ſuaſit. Primum fuit *Ariſtocraticum*, hoc eſt, Optimatum, ſive Nobilium, excluſâ Plebe, quod adhuc cernimus apud Venetos, Genuenſes, ac Luceníes. Secundum *Democraticum*, hoc eſt, Populi, ſive Plebis, excluſis Nobilibus, quale plerumque fuit Senenſis Urbis. Tertium denique *Mixtum*, hoc eſt, auctoritate ac officiis inter Nobiles & Populares diviſis: quod interdum apud Florentinos, Bononienſes, Mediolanenſes, alioſque Populos in honore fuit. Italia, Græcia, aliæque Provinciæ antiquitus horum trium regiminum plura exempla dedere.

Bernardinus Corius, cui multa debemus Mediolanenſis Reipublicæ monumenta, non aliunde ſperanda, auctor eſt Part. primâ Hiſtor. Mediolan. fuiſſe Anno MCXCI. *tria Mediolani Dominia*. Primum *Archiepiſcopi*, cui tradita fuerat auctoritas & jus ſanguinis in Nobiles Privilegiis Imperialibus munitos, & jus Monetæ, ac Stateræ publicæ. Alterum *Poteſtas*, ſive *Prætor* fuit, qui ab Archiepiſcopo jus gladii accipiebat. Tertium *Conſules*, e quibus unus appellabatur *Judex Communis*, ſive *Communitatis*. Hi univerſam Civitatem regebant, atque a Populo eligebantur, hoc eſt, a centum Artificibus totius Populi nomine, non tamen e Plebe, ſed e cœtu Nobilium ſelecti. Ita ille, qui deinde ad Annum MCXCVIII. tradit, tunc Mediolanenſis Urbis regimen in quatuor Magiſtratus fuiſſe diviſum: *Il Popolo graſſo*, ita ille ſcribit, *come Mercatanti, o altri uomini mediocri, i quali deſideravano di quieſcere, inclinavano al reggimento de i Duchi. Il ſecondo reggimento fu la Credenza di Santo Ambrogio. Queſti erano i Mecanici, come Macellai, Fornari, Calzolari, e ſimili, i quali per difenderſi dalle contumelie & eſtorſioni, che di continuo ricevevano da i Nobili, fecero un Tribuno per loro difenſore, il quale fu Drudo Marcellino, uomo di grande animo, e gli ſtatuirono cento Libre di terzoli in ciaſcun' anno per iſtipendio ſuo. E da quelli nominati de' Botaci comperarono una Torre, la quale fino a' noſtri giorni ſi nomina della Credenza. E tra loro fecero Conſoli, e Giudici; e tutti queſti Artiſti portavano una balzana bianca e nera.* En ut Plebs & ipſa arripuit imperii partem, ut ſibi eâ ratione a Nobilium impotentiâ caverent. Pergit ſcribere Corius: *Il terzo reggimento fu quello di Motta,*

Motta, i quali a petizione ſua eleſſero Rainero de' Cotti. Il quarto reggimento fu la parte de' Cattanii, e Valvaſſori, i quali ſi governavano ſotto dell' Arciveſcovo: e aſſerivano coſtoro, che anticamente il dominio di Milano, tanto temporale, quanto ſpirituale, apparteneva al Preſule della Città. E queſta parte de' Nobili furono le infraſcritte Famiglie, cioè Viſconti, Landriani &c. Sed uti unuſquiſque præſentire poteſt, diviſum Regnum multis incommodis obnoxium futurum erat; & reapſe conſequuta eſt inde teterrima diſcordia, cui ut finis imponeretur, Anno MCCV. ſtudioſe curatum eſt. Etenim, ut idem Corius narrat, *i Nobili della Republica Milaneſe feecro accordo con quei della Credenza, proccurando Lantelmo di Landriano: & in eſſo ſi compromiſero, acciò provedeſſe del reggimento comune.* Non eum tamen ſucceſſum, quem boni optabant, ejuſmodi cura habuit: quare eo itum eſt, ut Conſulibus utrinque amotis, Prætor rurſus adhiberetur annuus, in quem, ejuſque Miniſtros, Principatus jura transferebantur. Sed ne ſic quidem publicæ tranquillitati conſultum eſt ſatis: quippe Anno MCCXIX. eodem Hiſtorico teſte, *fra' Nobili e Plebei fu rinovata l'antica ſedizione; conciò foſſe che i Catanj e Valvaſſori tenevano dalla parte dell' Arciveſcovo. E Principe della guerra fu coſtituito Otto Mandello. L'altra parte era il Popolo e Credenza, e per ſuo capo eleſſero Ardigetto Marcellino.* Ac propterea ſubſequente Anno MCCXX. quum Fridericus II. a Mediolanenſibus coronationem expoſceret, Nobiles quidem ſibi aſſentientes invenit; verùm Plebs cum *Conſilio Credentiæ* obſtitit, uti Imperatori rebellis.

Liceat heic conſiſtere, ut quid revera fuerit olim *Credentia*, & *Conſilium Credentiæ*, inveſtigem. Corius, ut nuper vidimus, eo nomine ſignificatam putat Plebejorum factionem, hoc eſt vilium Artificum colluviem, quæ congregata *Conſilium Credentiæ* efformabat. Paria habent Triſtanus Calchus, Johannes Antonius Caſtillioneus, Oſius, ac alii Scriptores Mediolanenſes. Sigonium quoque meum in ſuam ſententiam pertraxiſſe Corius videtur: hic enim Lib. 7. de Regno Italiæ ad Annum DCCCCXCV. poſt enarratam *Capitaneorum* & *Valvaſſorum* inſtitutionem addit: *Reliqui verò, qui Artes, opificiaque tractarunt, novo ſe Credentiæ nomine appellarunt.* Tum initio Libri decimi, tria in Civitatibus liberis Conſilia recenſet, videlicet *Speciale*, *Generale*, & *Credentiæ*. Quin *Credentiæ* nomen aliquando aſſumſerit Mediolanenſium Artificum cœtus, negari vix poteſt, quum Gualvaneus de la Flamma in Manipul Florum, Cap. 134. ſcripſerit, ſub Ottone I. aut III. ſive, ut veriſimilius eſt, longe ſerius, invaluiſſe Mediolani duos Ordines, ſive Factiones Populi. Alteri, *ne Plebeji viderentur, ſe dixerunt eſſe Motta. Sed Artiſtæ dicti ſunt Credentia, ſicut Carnifices, Furnarii, Caligarii, Sutores, Fabri, Laniſtæ, Speciarii, Cæmentarii, & ſimiles.* Attamen vereri heic loci non deſino, ne Gualvaneus parum alioquin accuratus Scriptor, nobis fucum fecerit, hoc eſt, ne quum *Credentiam Populi* ſive *Artium*, in antiquis monumentis invenerit, ſibi viſum id fuerit nomen Artificum, inter ſe tunc fœdere junctorum. Eumdem quoque vide Cap. 231. ad Annum MCXCVIII. Sed ipſum dimittamus, inveſtigaturi potius, quid revera olim *Credentiæ* vox deſignarit. *Credentia* nihil aliud ſignificat, quàm *Secretum* ſive *Arcanum*, ut erudite jamdiu animadverterunt Florentini Vocabularii Auctores, productis exemplis non paucis e Boccaccio, Johanne Villanio, & aliis. Hinc *jurare Credentiam*, *polliceri Credentiam*, *tenere Credentiam*, atque aliæ hujuſmodi phraſes apud Italicos Scriptores poſt Sæculum XI. occurrunt. Atque inde orta vox, quod aut Secreta & conſilia arcana alicui *credebantur*; aut quum ſecretorum particeps aliquis fiebat; *credebatur* fidei ab eo datæ de ſilentio obſervando; aut, quod veri videtur ſimilius, ab uſu Linguæ antiquæ ea vox deducta eſt; nam *homines credentes* apud Langobardos appellati ſunt *homines fide digni*, ut eſt in Lege Nona Langobard. Pippini Regis. Ita apud Francos olim *Creditarii* vocabantur viri fidi. Nos nunc appellamus *perſone di credito*; *perſone accreditate*. In Chronico Mediolanenſi MSto *Conſules Credentiæ ſic dicti, quia erant viri Creditivi, & fide digni*. Illud ergo ante omnia noſcendum eſt, in quavis Italicæ gentis Republica Concilium, ſive *Conſilium Generale* fuiſſe, coactum e ſingulis, ſive e Nobilium, ſive e Popularium turbâ, jus habentibus ad regimen Civitatis. Non centenis tantùm, ſed & interdum millenis Civibus locus erat in ejuſmodi Conſilio, in cujus auctoritate ſitum erat ſupremum Reipublicæ imperium. At quoniam in politicis negotiis tum belli tum pacis ſæpe ſe offerunt conſilia cautiſſime & ſecretiſſime peragenda, ſi hæc omnia ad Generale Concilium deferenda fuiſſent, vix fieri potuiſſet, ut tot capita, quorum tot erant voluntates, in unam facile ſententiam convenirent. Immo quei communicato tot hominibus conſilio, ſecretum aliqua ex parte non efflueret cum ipſius Reipublicæ detrimento; Propterea alterum *Conſilium minus*, e ſelectis & longe paucioribus conſtitutum, unaquæque Reſpublica inſtituere conſuevit, ad quod ſecretiora negotia deferebantur, & quidquid ibi plurium ſuffragiis decretum erat, opere complere mos fuit. Alterum iſtud Conſilium appellabatur *Conſilium Credentiæ*, quia quicumque ad illud adlectus erat, ſacramento dato pollicebatur, ſe nemini revelaturum rem ſibi creditam. Quei ergo univerſum Plebis cœtum, hoc eſt, Artifices ac Opifices quoſvis ad Reipublicæ curam adſcitos, *Credentiæ* nomine donatos Corius, & Gualvaneus ſcripſerint, vix aſſequi poſſum. Quod certum mihi eſt, non minus Nobilium quàm Popularium regimen *Credentia* reſpiciebat, dum Conſilium habebatur, ubi delicatiora Reipublicæ negotia pertractabantur, quæ ſilentium expoſcerent. Sed pauci & electi ex univerſo cœtu ſive Nobilium ſive Plebis adhibebantur. Nunc appellamus *Conſilium ſecretum*, quo nulla Reſpublica caret, ſive illud ſtabile ſit, ſive pro rerum opportunitate identidem efformetur. Quare dubitare ſubit, num Gualvaneus & reliqui eum ſequuti, & Du-Cangius in Gloſſario Latin. germanam *Credentiæ* ſignificationem ſint aſſequuti. Annales Patavinos adi, editos Tomo VIII. pag 387. Rer. Italicarum. Ibi ad Annum MCCXCIII. hæc legas: *In principio præſentis guerræ per Conſilium & Commune Paduæ* (ideſt per Conſilium majus, ſeu Generale) *electi fuerunt duodecim Sapientes, qui Sapientes a Credentia dicebantur, & in guerra iſta merum & miſtum imperium habebant, & tantùm quindecim diebus in dicto officio permanebant; & peractis quindecim diebus,*

bus, proponebatur ad majus Conſilium Communis Paduæ, utrum prædicti Sapientes deberent ſequentibus quindecim diebus in prædicto officio permanere. Neque ullam nunc oſtendas Rempublicam, quæ non eâdem methodo nunc etiam utatur: nulla enim negotia ardua, quæ ſecreto, expeditione, ſubitiſque remediis & conſiliis indigent, regi, compleriquepoſſent, niſi ad pauca & ſaniora capita auctoritas imperii redigeretur. Aulicus Ticinenſis Cap. 13. de Laudibus Papiæ, Tomo XI. Rer. Italicar. regimen ſuæ patriæ deſcribens, ait. *In Civitate ſunt quidam pauciſſimi per Commune Sapientes electi, per quos omnia ardua & ſecreta negotia pertractantur, qui per certum campanæ ſonum vocantur.* En Conſilium Credentiæ. *Poſt illos ſunt alii plures, per quos tractantur negotia non tam ardua, & ii dicuntur Centum. Et ſi per alium diſſimilem ſonum vocantur, ii dicuntur Mille. Poſtremò quum debet totus Populus convocari, fit alius diverſus ſonus.*

Hiſce præmiſſis nullo negotio intelligas, quid Ottonis Morenæ verba ſignificent in Hiſtor. Laudenſ. Tomo VI. pag. 961. Rer. Italicar. ubi ait, Laudenſes quoſdam e Curia Imperatoris regreſſos, nuntiaſſe quæ geſſerant *Conſulum Conſilio, aliorumque Sapientum de Laude, qui Credentiam Conſulum jurarant.* En ut Sapientes & Conſules tantummodo eidem Conſilio intererant. Infra idem commemorat *Conſules & Sapientes, qui de Credentia fuerant.* Alibi inquit, Cremonenſium Legatos Laudem profectos, *Conſilium, ac totam Laudenſium Credentiam convocaſſe.* Sed ut, quæ ſupra attuli de vi vocabuli *Credentiæ*, evidentius eluceant, accipe verba Statuti Reipublicæ Mutinenſis, Anno MCCCXXVII. exarati, Lib. primo, Rubr. 53. *Juret Miles Poteſtatis, quod Credentias ipſius Poteſtatis, & Communis Mutinæ perpetuò tenebit, & nemini pandet.* Scilicet quiſque Prætor ſecum adducebat duos Nobiles viros, *Milites, ſive Socios*, ut eſt in eodem Statutò, ſeu *Aſſeſſores*, ut habent aliæ Leges municipales, quorum unus jus dicere ſolebat ſub Prætore, & alter armis, quum opus erat, decreta Prætoris & Reipublicæ peragenda curabat. In eodem Mutinenſium Statuto MSto Lib. 6. Rubricâ *de puniendo pandentes Credencias*, legitur: *Si aliquâ tractarentur, ordinarentur, vel fierent per Dominum Poteſtatem, vel Sapientes ſuper aliquo facto ſeu negocio, & impoſita eſſet Credencia de prædictis; & aliquis panderet alicui, vel in aliquo referret, quæ ordinata eſſent: Dominus Poteſtas habeat liberum arbitrium inquirendi & puniendi* &c. Ita in Bononienſium Statutis Lib. 5. Rubr. 6 inſcribitur *de pœna propalantis aliquam Credentiam ſibi*

A *impoſitam per Regimina Civitatis Bononiæ*. Eadem accipe e Statuto Ferrarienſium, quod in membranis ſcriptum Anno MCCLXIV. adſervat Bibliotheca Eſtenſis: Lib. primo, Rubr. 2. legitur *Juramentum omnium Ferrariæ Domino Marchioni Obizoni*; atque ibi inter cetera habetur: *Et omnes Credentias a Domino Marchione, vel ab ipſius Capitaneis, mihi commiſſas, celatas habebo & tenebo ad ipſorum voluntatem* &c. Lib. 2. Rubr. 3. *Et Credentiam tenebo, & non manifeſtabo, niſi manifeſta fuerit.* Ad hæc in eodem Libro primo Rubr. 8. decernuntur ſexcentæ Libræ Ferrarinorum, *quæ per duos bonos & legales viros, electos per Conſilium parvum Credentiæ teneantur expendi in*

B *munimine Caſtri Adriani.* Ideo iſtud *Conſilium parvum Credentiæ* appellatur, quia Ferrarienſibus erat alterum *Conſilium Majus*, itidem *Credentiæ* nuncupatum, ut patet e Libro quincto, Rubricâ undecimâ Statuti MSti Anno MCCLXXXVIII. conditi, in quo hæc verba: *Judex Aggerum teneatur, quotieſcumque Padus parvus fuerit, & incipiet creſcere, ipſa die vel infra tertiam diem, facere Conſilium Majus Credentiæ, & conſilium poſtulare, in quibus ſclapis & locis habeat facere poni aquam Padi* &c. Sed & ſupra iſtud *Conſilium Majus* fuit Conſilium plenum & maximum, in quo locus erat univerſo Populo, ſive omnium Familiarum capitibus. In eodem quoque Statuto

C Ferrarienſi ſcriptum eſt: *Et accuſator habeatur in Credentia*: ideſt. nemini ejus nomen reveletur. Præterea Lib 2. Rubr. 3. *Nec de cetero faciam Credentiam per ſacramentum alicui vel aliquibus pro facto Communis Ferrariæ in detrimentum Communis Ferrariæ, ſine parabola Poteſtatis, niſi quando poſſim manifeſtare Poteſtati.* Atque hæc, quæ de hujus vocis ſignificatione diſſeruimus, claudat Charta, e Tabulario Mutinenſis Reipublicæ depromta. Anno MCCLIV. Mutinam regebant Prætores duo, quem morem temporibus iis & aliæ Civitates obſervarunt: unum quippe legebat Ordo Nobilium, alterum Plebejorum; aut unum Gibellinorum factio, alterum Guelphorum.

D Sæpe enim ac ſæpius Plebs ſive Populus Guelphis nomen ſuum dabat, & Romanæ Eccleſiæ fœderibus adhærebat. Contra Gibellinæ factioni, & Auguſtis, Nobiles favere conſueverunt. Quum inter hoſce Prætores diſcordia invaluiſſet, & ſummo quidem cum incommodo publicæ rei, *Conſilium Credentiæ*, ſive Conſilium ſecretum, advocatum utrumque ad ſe clam ad concordiam hortatum eſt, aut ut ambo ſe munere abdicarent, rogavit. Quid factum fuerit, Lectorem ipſa Charta docebit.

Mutinenſes in Conſilio Credentiæ duobus Prætoribus ſuis auctores ſunt, ut Magiſtratum deponant, Anno 1254.

In nomine Jeſu Chriſti . Amen . A Nativitate ejuſdem Milleſimo Ducenteſimo Quinquageſimo Quarto , Indictione Duodecima , die Jovis VI. intrante Auguſto . Cum Domini Ventura de Zeza , Valentinus Bebii , Gandulfus Caſtaldus , & Michaël Verati , Anciani Populi Mutinæ , *pro eis & ſociis ipſorum , &* Conſiliorum eorum de Credentia , *propoſuiſſent & proponi feciſſent per Dominos Spinellum de Sicorzolexio , & Guirixium Nicholai , Procuratores Populi & Communis Mutinæ , coram* Poteſtatibus Mutinæ , *ſcilicet* Domino Caſtellano Domini Andaloy , *&* Domino Rambertino Domini Matthei , *qualiter propter eorum diſcordiam Civitas & Commune Mutinæ erat in malo ſtatu , & timebatur etiam , ne ad deteriorem ſtatum pervenirent propter multa pericula, quæ imminebant , & contingere poſſent : eiſdem Poteſtatibus humiliter ſupplicarunt, quatenus Dei reverentiá & amore, & honore & bono ſtatu Communis Bononiæ & Mutinæ , ipſorum Regimen communi concordiá facere & exercere deberent : vel ſi concordare nollent , vel non poſſent , ipſorum Regimini & Poteſtariæ ſponte renunciare deberent . Quo intellecto & audito a Poteſtatibus memoratis , cognoſcentes , quod non erant concordes, nec de facili in dicto Regimine poterant concordare , ſponte & voluntate dictis Ancianis , & in manibus eorum recipientibus pro Populo & Communi Mutinæ , renunciaverunt Poteſtariæ & Regimini eorum ; concedendo eis liberam poteſtatem pro Populo & Communi Mutinæ eligendi Poteſtatem & Rectorem in Civitate Mutinæ ad eorum voluntatem , & Conſilii Mutinæ , recipiendi prædictam renunciationem ; & omnia prædicta & infraſcripta attendere & obſervare , & non contravenire ſub pœna centum Marcharum argenti , eis ſolvendá ſtipulatione præmiſsá , ratá manente renunciatione , & omnibus ſupraſcriptis & infraſcriptis poſt pœnam ſolutam . Super quibus omnibus infraſcriptis & ſupraſcriptis renunciaverunt conditioni ſine cauſa, vel ex injuſta cauſa, & exceptioni doli mali, & in factum & omnibus exceptionibus, promittentes ſe nullas exceptiones appoſituros . Præterea dicti Poteſtates fuerunt confeſſi & in concordia cum prædictis Ancianis pro Populo & Communi Mutinæ , ſibi eſſe integraliter ſatisfactum de toto eorum ſalario quod percipere debebant de preterito tempore & futuro, & de omni eo & toto , quod ipſi Poteſtates , vel Judex eorum, vel aliquis de ſua familia petere poſſet occaſione ſui Regiminis vel Officii pro ſuo ſalario , vel aliqua alia ratione : facientes eis pro Communi Mutinæ finem & refutationem de predicto ſalario , & omni eo , quod ei petere poſſent occaſione ſui Regiminis & Officii , vel quacumque alia occaſſione vel jure . Et eam firmam & ratam , & omnia predicta habere promittentes ſub dicta pena , renunciando ſuper predictis omnibus & ſingulis , ut ſuperius eſt expreſſum in renunciationibus ſupraſcriptis , pacto manente rato poſt penam ſolutam .*

Actum Mutine in Palatio Communis Mutine, preſentibus teſtibus rogatis , Paſqua Scudario, Geminiano de Marano , Benencaſa de Miciſminutis , Jacobo Lanzani , Guidone de Quatuorfratribus , Bonagente Rainazocone &c.

Ego Joannes de Monte Branzono, auctoritate Imperiali Notarius , omnibus predictis interfui, & rogatus ſcripſi .

Repetamus jam tamdem ſuſceptum iter. Sopita quidem , præcipue Sæculo Duodecimo , ſed numquam extincta fuit Mediolani concertatio Nobilium & Plebis , utriſque imperii habenas affectantibus . Anno tamdem MCCLVII. in apertum incendium latens ignis erupit . Paulus de Soreſina Optimatibus ; Martinus de la Turre Populo præfecti fuere . Ambo Prætores in exſilium acti ; ſed Turrianus mandata contemnens , in Urbem regreſſus , rerum cum ſua factione potitus eſt . Audi Stephanardum Tomo IX. pag. 67. Rer. Italicar. in Poëmate de Geſtis in Civitate Mediolani .

Dantur adverſis Ducibus confinia : juſſis
Contemtis repetit Populi ſed mœnia Prætor
Feſtinus , vicoſque capit. Non obviat ullus .

Hæc narrant Triſtanus Calchus , & Sigonius ad Annum MCCLVII. Corius verò ad Annum MCCXL. tradit , Paganum Turrianum jam tunc *Populi Ducem ac Tutorem fuiſſe conſtitutum* , uti in eius Epitaphio legitur Anno ſubſequenti MCCXLI. marmoreá tabulá inſcripto: ac deinde Anno MCCXLVII. Martinum Turrianum ad idem munus evectum fuiſſe. Illud exploratum eſt , Anno MCCLIX. eluſis per Turrianos clandeſtinis Nobilium conſiliis , & fœderibus cum Eccelino de Romano percuſſis, coactos fuiſſe eoſdem Nobiles Urbe excedere : quæ rerum converſio pleno Populari regimini aditum aperuit . Sed quid dico regimini Populari ? Jam omnia ad Monarchiam inclinabant. Turriani Capitanei , ac Duces ipſius Populi creati , ſenſim Principatum ac Regnum , non nomine quidem , ſed re conſtabilierunt , ita ut Calcho ſupra laudato teſte ad Annum MCCLIX. *Credentiam Populi* (ideſt , ut ego interpretor , ſecretum *Populi Conſilium* appellatum *Credentiæ*) *in totum ſuſtulerint* , *negotiaque publica pro arbitrio adminiſtrarint* . Subſequuta ſunt deinde bella pluſquam civilia inter Populum Urbi dominantem , & Optimates proſcriptos , quæ Stephanardus Synchronus Scriptor nuper memoratus in ſuo Poëmate deſcribit . Anno demum MCCLXXVII. partá Ottoni Vicecomiti Archiepiſcopo victoriá ad vicum Decimum , & cæſis , aut captis Turrianis , reſtituti ſunt Patriæ Nobiles , & novum regimen inſtitutum eſt , in quo primæ partes Nobilibus , ſed ſuus etiam locus Populo fuit . Tunc autem Vicecomitum potentiæ major in dies acceſſio facta eſt , ita ut dominationem paullatim arripuerit Matthæus magnus ; qui paucis poſt annis dejectus , rurſuſque ſub Henrico Sexto Auguſto , quem Septimum vulgo appellamus , reſtitutus , inſigni Ducatui Mediolanenſi tamdem fundamenta ſubſtravit .

ſtravit. Ita Optimatum regimen & Populi, rerum viciſſitudine ferente, & familiari olim Rerum publicarum fato, in unum caput coivit. Memineris interea temporum illorum morem. Hoc eſt, quod una ex præcipuis Italiæ Civitatibus liberis per ea Sæcula moliebatur, aut peragebat, exemplo reliquis ſæpe erat, ut idem tentarent atque imitarentur. Atque heic mihi commemoranda Civitas Regienſis, quam inteſtinis ejuſmodi diſcordiis laboraſſe Anno MCXLI. didici e tabulis, quas ex Archivo Canonicorum ejuſdem Urbis depromptas, in ſuam Hiſtoriam Regienſem adhuc MStam intulit Fulvius Azzarius. Illis enim teſtibus, Anno illo Gualterius Archiepiſcopus Ravennas, cujus Metropolitano juri tunc ſuberat Eccleſia Regienſis, ad eam Urbem profectus eſt *pro pace inter Reginos Cives & Capitaneos componenda*. Nomine *Capitaneorum* Nobiles deſignari notum, ii tamen, qui Caſtello alicui dominabantur, & ab uno Imperatore Feudali titulo pendebant. Chartam hanc infra dabo in Diſſertatione LXI. *de Cardinalibus*.

Sed Florentia in primis, acribus ſemper ingeniis abundans, & ad mutationem pronis, heic ſupra ceterarum modum ſpectandam ſe præbuit. Auctor eſt Ricordanus Malaſpina Cap. 141. Hiſtor. Florentin. cœpiſſe Plebem in ea Urbe Anno MCCL. extollere caput, quum a Nobilibus Gibellinæ factionis nimiis tributis ac probris affligeretur. Itaque ſeditione factâ *levarono la Signoria al Podeſtà, ch' era allora in Firenze; tutti gli Ufiziali rimovarono; e ciò fatto ſenza contraſto, feciono Popolo, e con certi nuovi Ordini e Statuti eleſſono Capitano di Popolo Meſſer' Uberto da Lucca; e fu il primo Capitano di Firenze. E fecìono dodici Anziani di Popolo, due per Seſto, i quali guidavano il Popolo, e conſigliavano il detto Capitano*. Militiam deinde tum Urbis, tum Comitatus, in varias turmas diviſerunt: uno verbo, totius Reipublicæ regimen ſibi vendicarunt. Mercatores ergo & Artifices ii erant, qui leges condebant. Prætorem, ceteroſque Magiſtratus eligebant, & pleraque majora, minoraque officia & honores ſibi tribuebant. Adhibebantur quidem & Nobiles ad varios Magiſtratus, ac præcipue ad munia Militiæ. Sed hi Populo ſuberant, quum ab iſto dumtaxat penderet Prætor; & Antiani Populares cum iſto ſupremam dominationem in omnes exercerent. Fatentem habemus Ricordanum, ſub ejuſmodi regimine optime ceſſiſſe Florentinæ Urbi, adeoque invidendam concordiam cum fortitudine in negotiis tum belli, tum pacis conjunxiſſe Cives, ut proſpere cuncta procederent, & feliciſſimo ſtatu, præſertim ob amorem & cultum juſtitiæ, tunc univerſa Civitas frueretur. Uberti, aliique potentes, ad uſitatum imperium inhiantes, & res novas molientes, a furente Populo oppreſſi, ſolum vertere coacti ſunt. Verùm paucos annos in iſto pede Florentiæ fortuna ſtetit. Anno quippe MCCLX. ad Montem Apertum a Senenſibus, & a viribus Manfredi Siciliæ Regis, quas Nobiles proſcripti ſingulari arte ſibi procurarant, fracti, & cæde miſerrimâ affecti Guelphi regnantes, Gibellinis victoribus ceſſere, atque imperium Optimatum Manfredo Regi addictum, inſtauratum fuit. Rurſus verò quum Carolus Andegavenſis Apuliâ, ac Siciliâ potitus, Guelphorum factioni in Tuſcia, ac Lombardia animos, ac robur addidiſſet, Anno MCCLXVI. Populus Florentinus rurſus domi-
A nari cœpit; atque inde novum regimen emerſit, in quo ſuæ etiam partes Proceribus Guelphis fuere, ſed potiores Plebi. Reſtitutis deinde Civitati Gibellinis familiis, ne iſtis quidem negatus eſt aditus ad munera Reipublicæ. Nimius eſſem, & facillime Lectori tœdium crearem, ſi ſingulas Reipublicæ Florentinæ mutationes, quod eſt ad regiminis formam, recenſere vellem. Sæpe enim ſceptrum uſurparunt Nobiles, ſed ſæpius Populares, qui ſeveriſſimis Legibus ipſorum Procerum impotentiam coërcebant atque puniebant. Modò Nobiles univerſi e patriâ abacti, bellum patriæ inferebant, quod bene multis exemplis conſtat; modò concordes animis ac ſtudiis utrique
B Rempublicam adminiſtrarunt. Peculiarem quoque Magiſtratum, ut Nobilibus concominantibus obſiſteret, ſibi Populus eligebat, qui *Capitaneus Populi* appellabatur, a *Tribuno Plebis* non diſpar, quem Romana Plebs per vim impetravit. Ejuſmodi Capitaneum Anno MCCL. Florentiæ conſtitutum nuper vidimus. Genuenſes eumdem Magiſtratum Anno MCCLVI. & ipſi Populo concedere coacti ſunt. Fuit etiam tempus, quo a Mercatoribus, ac Popularibus ditioribus (*il Popolo graſſo* ii nuncupabantur) diſceſſere Artifices minores ac ignobile vulgus. Ejuſmodi exempla bene multa Genuenſium, Bononienſium, Senenſium, Placentinorum, aliarumque Civitatum Hiſtoria ſuppeditat.
C Nam & ipſæ ejuſmodi ægritudine multùm laborarunt, atque in nonnullis regimen Populare fere ſemper præcellere viſum eſt. Celebris eſt Florentiæ ſeditio ac regimen *Ciomporum* Anno MCCCLXXVIII. & ſubſequentibus continuatum. Hoc nomine donata fex vilis Artificum.

Popularis autem Factio potiſſimùm conſtituebatur e Mercatoribus, Artificibus, ac Opificibus Urbis. Arti unicuique præficiebatur Tribunus, ſive Confanonerius, qui Vexillum illius deferens, quum opus erat, homines cunctos in eam Artem adſcriptos colligebat, atque regebat. Varius autem Artium numerus fuit pro voluntate Civium. Alicubi enim
D rerum potiebantur *Artes majores*, uti Florentiæ, ac deinde acceſſerunt & *Artes Minores*. Primam inter illas conficiebant *Judices*, ſive *Doctores*, & *Notarii*: ſecundam *Mercatores pannorum Francorum*: tertiam *Argentarii*, ſive *Nummularii*, vulgo *Campſores* appellati; reliquas conſtituebant *Artifices pannorum*, *Medici*, *Aromatarii*, ſive *Seplaſiarii*, *telarum ſericarum Opifices*, *minutarum mercium Propolæ*, vulgo *Merciarii*; denique *Pelliones*, *Pelliparii* tunc appellati. Conſtabant Artes Minores e *Lanionibus*, *Fabris*, *Calceolariis*, *Carminatoribus*, *Cerdonibus*, *Sarcinatoribus*, *Barbitonſoribus*, *Piſtoribus &c.* A vero non abhorret, naſcentes, eoque magis adultas in Italia Reſ-
E publicas multos e Romanorum, immo & Græcorum moribus, fuiſſe mutuatas, atque inter cetera didiciſſe ex iis varia hæc Artificum Collegia. Nam uti Plutarchus monuit, Numa Rex *Artium diviſionem excogitavit, Tibicinum, Aurificum, Fabrûm, Tinctorum, Sutorum, Cerdonum, Fabrûm ærariorum, & Figulorum. Reliquas verò Artes in unum redigens, unum ex his Collegium inſtituit*. Alexander quoque Severus, Lampridio teſte, Romæ *Corpora* conſtituit, ideſt Societates & Collegia Artificum; atque inde *Corporatorum* nomen in Codice Theodoſiano, atque apud alios vetuſtos Scriptores Græcos & Latinos.

Itali poſt tot Sæcula eundem morem renovarunt. Quum verò de tumultu, ac ſeditione metus erat, aut revera motus aliquis in Urbe contingebat, erumpebant omnes arreptis armis, ſinguli ad Vexilliferum ſuæ Artis coëuntes, atque inclamantes: *Vivant Artes & Populus*. De iſtis *Artium Collegiis*, *Scholis*, ſeu *Frataliis* pauca alia infra innuam in Diſſertatione LXXV. *de Piis Laicorum Confraternitatibus*. Hæc autem Collegia Artium, teſte Aulico Ticinenſi, Tomo XI. Rer. Italicarum, *Paratica* alicubi ſunt appellata; ex quo diſcas, non idem fuiſſe apud Italos *Paraticum*, atque *Paragium*, uti Du-Cangius opinari videtur. Singula autem *Paratica*, pergit ſcribere idem Aulicus, *habent ſua Statuta, eorumque ſingula eligunt Conſules ſuos, & Seniores, quos Antianos appellant; & aliquem de Sapientibus & Majoribus patronum habent, cui de certo ſalario providetur*. Omnes iſtæ Artes *Palatium aliud magnum habent pro ſe, quod Palatium Populi nominatur, magnamque campanam, quæ quotieſcumque pulſatur (quod rariſſime fit) totus Populus arma ſumit*. Ita Anno MCCLIX. uti tradit Gualvaneus de la Flamma in Manipul. Flor. Cap. 293. Tomo XI. Rer. Italicarum, *Martinus de la Turre juravit Anzianiam & Dominium Credentiæ & Paraticorum Mediolani*. Is nempe electus Caput & Præſes Populi Mediolanenſis adversùs factionem Nobilium. *Paraticorum* quoque mentio eſt in Charta Ferrarienſi Anno MCCVIII. ſupra in Diſſertatione XXX. *de Mercatibus*. Ita in Chronico Mediolanenſi MSto apud me legitur: *Nobiles, ideſt Catanei & Valvaſores, non ſuſtinentes, quod Paratici eligerent Conſules, hoc jus ad ſe converterunt*. Occurrit & alibi eadem vox.

Denique hi ipſi Artifices de bello & pace decernebant; fœdera cum finitimis percutiebant; & quandoque neminem ex Equeſtri Ordine, aut ſaltem nullum e potentioribus, ac primoribus ſinebant gerere Magiſtratum. Quantum iræ in animis Patriciorum poſtremus hic rigor excitaret nonnunquam, vel me tacente unuſquiſque intelligit. Quare ut clavum arriperent integrum, aut ſaltem ejus partem, conſiliis, artibus, ac viribus, perpetuo Nobiles ſtudebant, nunc felici, nunc funeſto ſucceſſu. Accidit autem hac in re aliquid ſingulare, quod tenebris obſitum lucem nunc a me poſcit. Scilicet quum Nobilium cœtus publicos honores avidiſſime & ipſe expeteret, neque ulla alia ratione voti compotes fieri poſſent, complures ex iis conſuevere nomen ſuum ipſis Artibus dare (quod plerumque minime interdictum fuit) atque ita connumerati inter Artifices, publicorum munerum compotes ac participes efficiebantur, id interdum hac oſtentatione fidei & amoris conſequuti, ut ſuis dominatoribus dominarentur. Dedecori ſibi verterent noſtri temporis Proceres tam alte deſcendere: ſed non erant adeo delicati [illegible] Sæculorum magnates viri, dum ſe deprimendo aſcendere poſſent. Accipe quid Anno MCCCVI. conſtituerit Reſpublica Mutinenſis, quæ tunc ad aliarum complurium morem a Populo ſive a Plebe dominante regebatur. *Quilibet de Societate Populi Mutinæ ſcriptus in aliqua vel aliquibus Profeſſionibus, Arte, vel Artibus approbatis per Commune Mutinæ, poſſit & debeat ſolummodo habere & admitti ad Officium, beneficium, & ad electionem Defenſorum, Vexilliferi, & cujuslibet alterius Officii, & beneficii, & honoris Communis & Populi Mutinæ. Et ſi quis non exercet* (Nobiles quoque heic deſignatos animadverte) *eligat unam, in qua eſſe velit, & pro illa ſolummodo poſſit habere dicta Officia & beneficia. Et poſtquam unam elegerit, poſtea variare non poſſit, nec aliam eligere* &c. Ita factum eſt in nonnullis Civitatibus, ac præcipue Mediolani, ut Nobiles ad Popularium factionem accedentes, imperium pæne univerſum arripuerint, & Principatum inierint in patria ſua. Non ſunt obvia in Hiſtoriis & Archivis conſuetudinis hujus exempla: fortaſſis enim recentiores moleſte tulerunt Majores ſuos intueri, quamquam illuſtri loco natos, Artificum, & quandoque vilium, albo adjunctos. Attamen ego, quum Genuæ eſſem, animadverti nobiliſſimæ Urbis nobiliores Cives olim paſſos, ſe in alicujus Artis catalogo ac Societate inſcribi, quo tempore videlicet Populare regimen ab adminiſtratione Reipublicæ Proceres quoque excludebat. Præterea in MSto Codice membranaceo Bibliothecæ Eſtenſis, complectente Commentarios Benevenuti de Imola in Comœdiam Dantis, offendi etiam duo folia pergamena, ad compingendum Codicem in calce addita; atque inde hauſi Inſtrumenta duo authentica, quæ heic inferenda cenſui. Videas ibi memoratas *Societates Becbariorum*, ſive *Lanionum*, Bononienſium, & *Sbararum*, hoc eſt, ut opinor, Fabrorum lignariorum, quorum fuit, ſepta ædificare ad publica Torneamenta, ac ſingularia certamina; aut illorum, qui deſtinati erant a Republica ad impediendas repagulis vias publicas, quum rumor, aut ſeditio erumpebat in Urbe. Inſuper animadvertas *Dominos* appellari quoſdam ex ordine *Lanionum*. Hos ego ſuſpicor Nobiles viros, eidem Societati adſcriptos, & potiſſimùm, quod ibi viſus mihi fuerim intueri duos e Familia quadam, quæ a nonnullis Sæculis cum præclarioribus non Bononiæ tantùm, ſed & Italiæ certat. Id profectò nihil detrahit ſplendori illius: attamen ſatius duxi, appoſito aſteriſco, rem tenebris obducere, ne cui moleſtiam nolens ego creem.

Emtio cujuſdam domus facta a Societate Bechariorum, ſive Lanionum Bononiæ, Anno 1293.

Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Nonageſimo Tercio, Indictione Sexta, die VI. Aprelis. Dominus Daniel quondam . . . . . . Fabri Capelle Sancte Tecle de Lambertatiis, jure proprio in perpetuum dedit, vendidit, & tradidit Domino Niholito *quondam* Domini (* . . . . .) Bechario, *ementi, & recipienti nomine & vice* Sociorum ejus Bechariorum, *ad Becharias novas nuper factas juxta Plateam Comunis Bononiæ, & juxta domos Lambertinorum, Edificium cujuſdam Domus longitudinis viginti ſeptem pedum, & largitudinis decem pedum & dimidii, ſcilicet Cupos, Lambreclas, Columpnas, Spondas, Mureas, poſitas in ea: ſalvo Spondam anteriorem, que eſt Comunis Bononie. Et omnia que ſpectant de jure dicto Edificio poſito ſuper terreno partim Fratrum Prædicatorum Bononie, & partim Domini Guizardini de Lambertaciis in Capella Sanctæ Crucis infra tales confines: ab uno latere Becharias, & ab alio quodam Edificium Comunis Bononie: a latere anteriori Via plubica, & Platea Comunis Bononie. Ad habendum, tenendum, & poſſidendum, & quidquid ſibi vel alteri eorum vel ſuorum ſucceſſorum placuerit, perpetuo faciendum: cum omnibus & ſingulis, que infra predictos continentur confines, vel alios ſi qui forent, acefibus & egreſibus in vias plubicas. Et hoc pro precio & nomine precii viginti trium Librarum Bononie. Quod precium dictus venditor confeſus & conteptus fuit ab ipſo emptore habuiſſe & recepiſſe; renuntians, & ſibi promitens dictam venditionem firmam habere &c. & reficere damna & expenſas &c.*

Actum Bononie in Strata Sancti Donati ſub porticu Dicti Domini Niholiti, *preſentibus Domino Laurentio Barberio, Prandino Egidii Calzolarii, & Vatendeo Au . . . . . . Capelle Sancte Tecle de Lambertaciis, qui dixerunt partes cognoſcere, teſtibus preſentibus.*

Poſitum in Memoriali Comunis Bononie per Bonacurſium Petri Notarium dicto Oficio.

Compromiſſum quorumdam in Miniſtros Societatis Bechariorum, & Sbararum, factum Bononiæ Anno 1293.

Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Nonagexime Tercio, Indictione Sexta, die decimo nono Aprelis. Chier, & Federicus Figotius fratres & filii quondam Domini Petrizoli Domini Lambertini de Ulgiano, & Bitinus quondam Manzini, eorum nomine, & nomine & vice Domine Burghine eorum matris, & Albertucii Bonromei, Jacobi Amirati, Jacobi quondam Simonis de . . . . Bonomi & Albertinelli fratrum filiorum quondam Stephani Bonomi, & Albertucii Figlocaro, Benzevonis quondam Johannini de Butomini, & omnium aliorum ſuorum ſequacium ex una parte: & Jacobellus quondam Bonzeneris Brunelli, Benzenove & Ugolinus ejus filus, eorum nomine, & nomine & vice ſimiliter dicti Jacobelli, & omnium ſuorum ſequacium ex altera parte, compromiſerunt ſe communiter & concorditer, unanimiter & ſponte in Dominos Johannem Bariſellum, Johannem Bixanellum, Petrizolum de Manzolis . . . . . num Azonis Raninghi Symoninum (. . . . . .) Jacobinum Yvani, Bonazunta de Manzolino . . . .* Miniſtrales Societatis Bechariorum, *Guidolinum Lanfranchinum, Berthalomeum de Caſtagnolo, ... Ardizonis, Jacobum Arardi de Menzonibus, Laurencium Gondoaldi, Johannem Guillielmi, Thomacem Petri Bonaventris, Jacobum de Sancta Maria in Donis,* Miniſtrales Societatis Sbararum, *tamquam in arbitros, arbitratores amicabiles, diſpenſatores, & bonos viros, de litibus & queſtionibus & controverſiis, que vertebantur inter predictas partes, ſeu verti poterant, occaxione injuriarum, offenſionum, vulnerum, & percuſionum factarum per unum de parte in alterum de altera, vel que dicuntur fore facta per aliquem de partibus predictis in aliquem de parte. De quibus vulneribus, percuſionibus, & ofenſionibus facte erant accuſaciones hinc inde. Et generaliter de omnibus & ſingulis ofenſionibus & injuriis, malis & contumeliis factis per dictas partes: & de omnibus litibus & controverſiis tam civilibus quàm criminalibus, que vertuntur ſeu verti poſent inter partes predictas dicta de cauſa. Comitentes predictis arbitris & arbitratoribus plenam licentiam, & liberam poteſtatem, autoritatem & bayliam laudandi, difiniendi, pronunciandi, & ſentenciandi, atque mandandi ſuper predictis, generaliter quidquid eis, vel duabus partibus ipſorum placuerit, & voluerint pro bono pacis & concordie. Promittens una pars alteri ad invicem, & ipſe ambe partes diviſim dictis arbitris & arbitratoribus ſtare, parere, & obedire omni eorum Laudo, vel duarum partium ipſorum dicto, difinicioni, & pronunciacioni ipſorum, que vel quam dixerint, pronunciaverint, vel ſentenciaverint cum ſcriptura vel ſine ſcriptura ſemel vel pluries, diebus feriatis vel non feriatis, ſimul & ſeparatim, partibus preſentibus & abſentibus, ſedendo, ſtando, ubicumque, quandocumque, & quocieſcunque eis placuerit, cum juris ſolepnitate, & omni juris & Statutorum ſolepnitate obmiſſa. Et quidquid laudatum fuerit per dictos arbitros ſuper predictis & quolibet predictorum, illud in continenti retificare, aprobare, & emologare, & efectui demandare, non petendo illud reduci ad arbitrium boni viri. Et predicta omnia & ſingula atendere & obſervare ſub pena quingentarum Librarum Bononie: que pena tociens comitatur, & exigi poſit in ſingulis capitulis hujus Compromiſi & Laudi ferendi, quociens contrafactum fuerit. Et pena ſoluta vel non, nichilominus dictum compromiſſum & laudum in ſua maneat firmitate. Item reficere & reſtituere una pars alteri, & ad invicem, omnia ſingula dapna, & expenſas, hac intereſe litis & extra. Pro quibus omnibus & ſingu-*

ſingulis firmiter obſervandis & adimplendis obligavit una pars alteri omnia ſua bona tam preſentia quam futura. Inſuper promiſerunt predicti Chier & Federicus & Bitinus, ſe facturos & curaturos omni exceptione remota, quod Domina Burghina mater predictorum Federici & Chieris, & predicti Albertuccius Bonromei, Benzevone Johannini, Albertuccinus Figlocaro, Bonomo, & Ubertinus, & Jacobus Amirati, & Jacobus Symonis, & omnes ſui ſequaces atendent & obſervabunt, & efectui demandabunt omnia & ſingula, que dicta ſeu laudata fuerint per dictos arbitros, vel per duas partes ipſorum: & ſubjacebunt omnibus penis, promiſionibus, & obligacionibus, quibus ſubjacent predicti Federicus, Chier, & Bitinus dictis nominatis & ſpecificatis in Compromiſo predicto &c.

Poſitum fuit in Memorialibus Comunis Bononie per Girdum de Doacii Notarium dicto Oficio Memorialium.

Quod tamen animadvertendum eſt, quamquam inficiari nemo poſſit, quin multa interdum ex Populari regimine in Rempublicam bona & commoda effluxerint, quæ enumerare non vacat: attamen exploratum eſt, multa etiam incommoda inde manaſſe, præſertim quum non ſit Populi plerumque indocti, atque in politicis negotiis imperiti ac rudis, immo turbidis animi affectibus præ ceteris obnoxii, recte decernere de magnis rebus, atque utiliora capere conſilia; & potiſſimum ubi Vulgo ipſi facile furenti liceat ſententiam ſuam intermiſcere, & meliorum conſilium pluralitate votorum dejicere. Ad hæc quàm facile ſit Vulgus ad jurgia, ad rixas, ad ſeditiones, nihil eſt quod ego commemorem. Propterea Plebejos viros, vileſque Artifices, Ferretus Vicentinus Lib. 3. Hiſtor. Tom. IX. pag 1053. Rer. Italicarum, veluti ineptos ad Reipublicæ gubernationem, immo uti pernicioſos, ſuo tempore exſecrabatur atque irridebat. Digna ſunt quæ audiantur illius verba, dum narrat indictum temere bellum Venetis a Populo Patavino. *Ad hæc plebiſcita*, inquit, *vocati ſunt Plebis Magiſtratus, & inanis Populi multitudo, qui, velut æſtuans dictabat impetus, fieri prorſus denſis vocibus clamitabant. Nempe veſana eſt Vulgi latrantis opinio, quum imperite judicium profert de rebus incognitis. Quid enim huic cum Virtute, cum Prudentia? Quid temperatum aut forte eſt? Vendant Opifices, emantque merces ſordidas. Fabri incudes feriant; & ceteri illiberalium cultores Artium ſua lucra provideant: non ſe gravibus, optimiſque Viris, quotiens de Virtute agitur, ſtolidi inſerant: quod non intelligunt, diſcutere nolint; nec velut putant, id bonum eſſe fateantur*. Hec Ferretus circiter Annum MCCCXXX. ſcribebat, probe experientiâ edoctus, quid in publicis conſiliis, rebuſque magni momenti, ſperandum ſit ab inſcitia ac temeritate intemperantis Plebis. Albertinus etiam Muſſatus, Ferreti æqualis, Lib 2. Rubricâ 2. de Geſt. Italicor. referens translatum ad Patavinam Plebem regimen Civitatis, hæc habet: *Ad Tribunos quidem, quos Gaſtaldiones vocitabant, omnia publica, privataque judicia tranſtulere; & hi omnes Opifices erant, & qui ſordidis commerciis vitabundi volutabantur. Hi forenſes, publicaſque cauſſas, ſedentes, applaudentibus, hortantibuſque Gibolengorum Demagogis, audiebant, judicioque gloriantes finiebant*. Iiſdem, ut opinor, temporibus, aut paulo ante, floruit Frater Jacobus Genuenſis, Ordinis Prædicatorum, qui Libellum MStum

A reliquit, in Eſtenſi Bibliotheca adſervatum, *de Ludo Schachorum*, ſive *de Moribus hominum*. Ibi Lib. 2. Cap. primo ſcribit: *Populares diſcant ſuis officiis & Artibus intendere. Conſilia verò, & Civitatis regimen, ac bellorum ordinem, Nobilibus permittant tractare. Qualiter enim ſciret conſulere Popularis, qui numquam ſtuduit circa conſilia? Quale dabit conſilium, qui adhuc ignorat naturam rei ſuper qua conſilium eſt habendum? Vacent ergo & intendant officiis aut miniſteriis, quibus ſunt apti* &c. Neque diverſa fuit ſententia Johanni Villanio, qui Lib. 12. Cap. 42. Hiſtoriar. immane diſſidium, bellumque civile deſcribens, obortum Florentiæ inter Nobiles ac Populum, legeſque ab eodem Populo furente, Anno MCCCXLV. promulgatas, dolens ait: B *E nota, che fa il reggimento delle Cittadi, eſſendone Signori Arteſici, e gente Manuale, e idioti* &c. *Male ſiamo retti per li Popolani graſſi, e per li piccoli via peggio*.

At inquies: ergo omnia peſſum ierint in regimine Populari, quando non ſolùm ad conſultandum de ſalute Reipublicæ adhibere opus erat ejuſmodi capita, rationis non raro experta, ſed etiam eorum judiciis ac ſententiis parendum fuit. Bona verba, quæſo. Ut ut certe ex Generali Conſilio Populi, quo tum ſapientes, tum inſipientes longe plures coibant, incommoda hæc nonnumquam emergerent: attamen C e minori Conſilio, hoc eſt *Credentiæ*, ſive *Secreto*, a quo pleraque Reipublicæ negotia pertractabantur atque expediebantur, plerumque hæc minime timenda erant. Iſtud enim conſtituebant Prætor, ſeu Capitaneus, inter prudentiores fere ſemper ſelectus, tum *Antiani*, aut *Sapientes*, e Populo ob eorum prudentiam ac mores, probati. Accedere etiam conſueverunt ad omnes deliberationes, & præſertim in arduis, *Judices*, hoc eſt, *Doctores*, quorum vel in ipſo Optimatum regimine magna ſemper fuit exiſtimatio & uſus; ita ut neque prudentia, neque ſana conſilia, Plebe etiam regnante, ſæpe deſiderarentur. Olim propterea Doctoralis laurea maximi facta eſt, D atque ipſi Nobiles ſolicite operam ſtudio Legum dabant, ut Doctorum inſignia ſibi compararent: hac enim ratione ad intima Reipublicæ conſilia facilius advocabantur, & glorioſum erat appellari *Miles & Doctor*, ſive *Dottore e Cavaliere*. Unum tamen experientia docuit, melius ſemper fuiſſe Civitatibus atque Provinciis, quum uni Nobiles, aut ſaltem æque Nobiles ac Populus concordibus animis & poteſtate temperata Rempublicam adminiſtrarunt. Certe quoties in alterutram partem dominatio inclinavit, uberiores fructus ſapientiæ ac felicitatis plerumque ex Nobilium, quàm e Plebis regimine proceſſere. Generoſis autem ac bonis Regibus, & Principibus Populum regentibus, nihil in Monarchia plerumque E deſideratum eſt, quod Ariſtocratia, aut Democratia polliceri poſſit. Sed & illud in mores eorundem temporum invectum eſt, videlicet etiamſi per Nobiles & Plebejos junctis animis Reſpublica regeretur, attamen excluſos fuiſſe e regimine illos Nobiles, qui potentiâ ceteris præſtabant. Neque enim ſat libertatis relictum videbatur ſuffragiis ac deliberationibus Civium, ſi homines tot opibus & clientelis turgidi aliquid auctoritatis in publicis conſiliis retinerent. Hac etiam ratione cavebatur, ne præpotentes ad clavum Reipublicæ adſciti, contra illius libertatem quidquam facilè molirentur. Id præcipue actum

Mutinæ, ut vetera Urbis acta produnt, in quibus Nobilium familiæ a Conſilio excluſæ ſigillatim recenſentur. Id quoque a Brixiana Republica Anno Chriſti MCCCXXX. præſtitum memoriæ prodidit Jacobus Malvecius, in ejus Urbis Chronico pag. 1000. Tomi XIV. Rer. Italicarum. Neque in aliis Civitatibus ejuſmodi cautelæ exempla deſiderantur. Habeo heic vetera Mutinenſium acta, quibus ejuſmodi conſuetudo mirifice illuſtretur. In Archivo, inquam, ejuſdem Civitatis adſervatur *Liber Nobilium & Potentum Civitatis Mutinæ & Diſtrictus, nec non & quorumdam aliorum Popularium* (en ut præter potentes Cives, Nobilitate generis præſtantes, aliqui etiam Populares ad gubernaculum Reipublicæ accedere non ſinebantur) *qui digni non ſunt eſſe in Populo præſenti; conditus & factus tempore Magnifici viri Domini Munſi de Sabatinis de Bononia, honorabilis primi Capitanei Civitatis & Populi Mutinæ, ſub Anno Domini MCCCVI. Indictione IV. de Menſe Februario.* Subſequuntur nomina ſingulorum. Ego nonnulla excerpam. *In Porta Sancti Petri* (hoc eſt, in primo e quatuor Quarteriis Urbis) *Dominus Bernardinus de Garſonibus*. Adduntur alii ejuſdem Familiæ, uti & in ſubſequentibus: *Dominus Nicolaus de Bochetis: Dominus Rambalducius de Munariis: Dominus Guilielmus* &c. *Comites de Gomola: Dominus Albertus de Livizzano.* Succedunt aliæ Familiæ *de Malguizardis; de Monturſio; de Campilio; de Gorzano; de Guillia; de Bazzano*, aliquo tamen diſcrimine; nam ex his Familiis nonnulli ſigillatim nominantur ut excluſi; in aliis vero *omnes de dicta Domo* excluſi dicuntur. *In Porta Albareti*, *Dominus Ugolinus* &c. *de Savignano*; tum Familiæ *de Nonantula; de Guidoctis; de Paſſapontibus; de Baſtardis. In Porta Cittanovæ Dominus Thobias, Dominus Jacopinus, Dominus Gerardus, Dominus Franciſcus, Dominus Gerardinus de Rangonibus, Dominus Saxolus de Saxolo.* Adtexuntur Familiæ *de Fredezonibus, de Fredo, de Gorzano*: deinde *Dominus Franciſcus* &c. *de Pizis, ſive de Mirandula*: nunc *i Pichi*, olim Mirandulæ Domini. Tum pone ſequuntur Familiæ *de Doxiis; de Gazo, ſive de Soleria; de Sancto Martino. Dominus Guidoctus Archipresbyter de Ziliano* (nunc *Ciano*); *Dominus Zampaulus Archipresbyter de Cittanova; Dominus Guido Archipresbyter de Sorbaria.* Adduntur Familiæ *de Guidonibus; de Spezzano; de Paltoneriis; de Ganaceto. Dominus Ægidius* &c. *de Piis: de Adelardis: de Macreto: de Boccadeluziis: de Papazonibus: omnes illi de Bochabadatis: de Pizis: de Fregnano: de Balugola: de Fante: de Padellis: de Doxiis. In Porta Bajoariæ Dominus Manfredinus de Saxolo: de Rodelia: de Garſonibus: de Balugula: de Varana, ſive de Lecaterris.* Reliquos omitto. Non uni Familiæ apponuntur hæc verba; *& omnes alii de dicta Domo, tam Clerici quam Laici, & tam naturales quam legitimi.* Eodem tempore inter proſcriptos connumerantur quidam *Nobiles & Populares*, ac præ ceteris nonnulli *de Boſchetis, de Rangonibus, de Guidonibus, de Saxolo, & omnes de Garſonibus*, & complures *de Rodelia*. Denique illic habetur *Magna Maſſa Populi*. Hoc eſt, omnes, quibus erat locus in generali Conſilio Mutinenſis Democratiæ, ſigillatim recenſentur, tam Nobiles, quàm ignobiles.

DE INSTITUTIONE

M I L I T U M,

quos *CAVALIERI* appellamus,

& de *INSIGNIIS*,

quæ nunc *ARME* vocantur.

D I S S E R T A T I O

QUINQUAGESIMATERTIA.

DISSERTATIO QUINQUAGESIMATERTIA.

INter Sæculorum barbaricorum mores unus præcipue maxime tunc commendatus ſe offert nobis : ſed qui jamdiu in deſuetudinem abiit , & in Hiſtoria tantummodo eorum temporum legendus eſt . Is fuit inſtitutio *Militum* , qui vulgari noſtrâ Linguâ *Cavalieri* appellabantur . Jam vidimus in Diſſertatione XXVI. de *Militia* , apud Italicos præſertim , ſub *Militum* nomine veniſſe Equites legionarios, qui videlicet equo militabant, aut merebant in bello, quum contra *Pedites* dicerentur , qui pedibus militiæ vacabant . Hi *Plebeji Milites* ab aliquibus appellati ſunt . Sed aliâ ſignificatione , & quidem longe nobiliori , adhibita etiam fuit vox *Miles* , nempe ad eos Nobiles deſignandos , qui præcipuis ceremoniis militari cingulo donabantur , quales noſtris diebus ſunt Equites Ordinum Militarium . Ita apud Romanos non minus *Equites* nuncupati fuere legionarii equo merentes , uti *Peditibus* oppoſiti , etiamſi nobilitatis inſigniis carerent , quam qui Equeſtris ordinis erant , & *Equites Romani* vocabantur , & poſt Senatores illuſtri nobilitate fulgebant . Peculiaris igitur hujuſmodi *Militiæ* (*Cavalleria* a nobis appellatæ) origo a Populis Septemtrionalibus petenda eſt , quorum innumeræ phalanges , Gothi , Langobardi , Franci , Germani , Italiâ potiti , ſuos mores in haſce Provincias intulere . Vetuſtiſſimus & diligentiſſimus Germaniæ pictor Tacitus in Libro de Moribus Germanorum , Cap. 13. hæc ſcripſit : *Arma ſumere non ante cuiquam moris , quàm Civitas ſuffecturum probaverit . Tum in ipſo Concilio vel Principum aliquis , vel pater , vel propinquus , ſcuto frameâque juvenem ornant . Hæc apud illos toga , hic primus juventæ honos : ante hoc domus pars videntur , mox Reipublicæ* . En quàm ſolenne tum foret gentibus illis Arma primum ſumere , & honore Militiæ ornari : Militiam enim Populi ii ingentis decoris loco ſemper habuere . Langobardis autem , Populis & ipſis Germaniæ tribuendis , & ab ipſo Tacito attributis , conſuetudo fuit , ut Regum filii , non a patre, ſed ab alterius gentis Rege armis primum induerentur . Apud Paullum Diaconum Libro primo Cap. 23. de Geſtis Langobardorum , petentibus ab Audoino Rege Langobardis , ut Alboinum filium convivam ſecum haberet , is reſpondit : *Se hoc facere minime poſſe , ne ritum gentis infringeret . Scitis enim , inquit , non eſſe apud nos conſuetudinem , ut Regis cum patre filius prandeat , niſi prius a Rege gentis exteræ , arma ſuſcipiat* : hoc eſt , ſolenni ritu Miles conſtituatur . Jam Alboinus idem Gepidarum Regis filium *ſpatâ percutiens* in prœlio proſtraverat . Et nihilominus profectus ſubinde eſt Alboinus ad eumdem Gepidarum Regem , antea hoſtem , qui *ſumens arma Turiſmundi filii ſui , jam interfecti , ea Alboin tradidit , eumque cum pace incolumem ad patris Regnum remiſit*. At Franci , Germanici Populi & ipſi , ne enſem quidem filiis Regum dabant ſine aliquot rituum pompa . Id autem fiebat , quum adoleſcentiam inibant . Auctor Vitæ Ludovici Pii apud Ducheſnium ad Annum Chriſti DCCXCI. inquit : A *Patri Regi Rex Ludovicus Ingelheim occurrit , indeque Renesburg cum eo abiit : ibique enſe jam appetens adoleſcentiæ tempora , accinctus eſt* . Nemo non intelligit , id ab Hiſtorico adnotatum , quod pluribus ceremoniis res tunc ageretur , & celebrata multum foret . Atque ob eamdem cauſam Anonymus Salernitanus in Paralipomenis a me editis Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. Cap. 80. pag. 233 memoriæ prodidit , Siconem puerum , Siconolfi Salernitani Principis filium , aliquot annos in aula Ludovici II. Auguſti verſatum fuiſſe. *Sed dum adoleſcens factus fuiſſet , ex more ipſi jam dictus Rex arma donavit , atque cum honore Salernum miſit* . Inquit ille *ex more* : invalue- B rat enim conſuetudo , ut illuſtrium virorum filii honoris gratiâ a Regibus , ac Principibus armis primùm induerentur , uti etiam moris fuit , eadem arma dono dare accipientibus . *Arma* autem *dare* idem erat , ac Militari cingulo accingere , ſive *Militem* , aut Equitem creare . Quum verò *Militaris cinguli* mentionem apud veteres comperimus , non aliud videtur per eam vocem ſignificari , niſi *Enſem* , quo cingebatur , quiſquis ad honorem Militiæ admittebatur . *Militare cingulum* , aut *cingulum Militiæ* non ſemel occurrit in Codice Theodoſiano . Vetuſtis autem Sæculis latior hujus vocis ſignificatio fuit , quum quoſcumque Milites indicaret , ſive equo , ſive pedibus C militarent . Non idem fuit Sæculis barbaricis. In Vita Sancti Authperti Vulturnenſis Abbatis , ævo Caroli Magni , *plurimi ex Aula Regia Militiæ cingulum deponentes , in ſancto propoſito Religionis ei* (Authperto) *adhæſerunt*. Sed præcipue poſt Decimum a Chriſto nato Sæculum , *cinguli Militaris* nomen , & honor pertinuit ad Equites nobiles , de quibus nunc nobis ſermo .

Et horum ſane frequentior mentio occurrit apud Hiſtoricos Italicos , Germanos , Francos , Britannos , poſt Annum Chriſti Milleſimum , quia res peragi tunc cœpta eſt diverſis, ac illuſtrioribus etiam ritibus , quàm qui apud veteres adhibebantur . Duobus autem modis D *Militarem* honorem conſequi conſueverunt Nobiles viri (non enim niſi Nobilibus ejuſmodi ornamentum conferre mos fuit) ſcilicet aut in bellicis expeditionibus , aut pacis tempore, occaſione inſignis alicujus celebritatis . Tunc enim , quo præclarior erat Princeps , aut Militiæ Dux , arma tyroni conferens ; & quo ſplendidior , ac magis memorandus locus & tempus collati muneris : eo major gloria , & decus in novos Milites redundabat . Sed ii potiſſimum ſe felices , ac honoratiores cenſebant , quibus licebat in prœlio militaria arma primum ſuſcipere . Propterea nobiles adoleſcentes convolabant ad bellum , ut egregio aliquo facinore fortitudinem ſuam probarent , E eâque ratione tamquam præmium decus ejuſmodi conſequerentur . Iſti verò , antequam *Milites* crearentur , *Armigeri* vocabantur , ſive *Scutiferi* , & *Scutarii* , vulgo *Scudieri* : quæ nominum diverſitas probe tenenda eſt, ad aſſequendam Hiſtoricorum mentem , a quibus memorantur interdum in aciebus *Milites* , & *Scutarii* , *Cavalieri* , e *Scudieri*. Non loquar heic de

de Scutiferis gregariis : ſolebat enim quiſque Militum , ſeu Equitum adducere ſecum unum, aut plures Armigeros , eiſque ſcutum ſuum, ac lanceam commendare , repetiturus quum pugna imminebat . Neque ſpectatores nudi prœliorum fuere id genus ignobiles Armigeri ; quippe enſe & haſtâ , ac aliis armis accincti pugnabant & ipſi , quoties conferendæ manus erant . De hiſce agi puto in Statutis Populi Veronenſis Anno MCCXXVIII. promulgatis , ac ab amico meo Bartholomæo Campagnola editis , Cap. 183. *Item prohibebo , ne quis deferat lanceam vel lanzonem , nec haſtam acutam, vel paratam ad ponendum intus ferrum lanceæ vel lanzonis , vel arcum baleſtum cum pilotis & ſagittis, per Civitatem vel ejus diſtrictum , niſi ſit Miles , vel ejus Scutifer , cum vadit cum domino ſuo ſine fraude , qui poſſit portare lanceam* . Principibus quoque ſui erant Armigeri , utique Nobiles . Rogerius poſtea Siciliæ Comes , uti ſcribit Gaufredus Malaterra Lib. 2. Cap. 4. Hiſtor. Siculæ , Tomo V. Rer. Italicar. *inermis , excepto clypeo ſolo , & enſe , quo accinctus erat* , nocte quadam Siculam tellurem ſcrutabatur ; *Armiger namque cum armis ſubſequebatur* . Occurrunt hoſtes . Ille *perlongum ducens ab Armigero arma recipere , ſolo enſe ſuper eos irruit*. Itaque loquor de *Scutiferis* hiſce illuſtri loco natis , quibus commune id nomen fuit , quod , uti opinor, ſe comites adderent Principibus , aut exercituum Ducibus , aut illuſtrioribus Militibus; eorumque Scutum ac haſtam deferrent, donec ob merita virtutis & obſequii dignos ſe oſtenderent , quibus Militaria inſignia ac arma traderentur . *Armigeri honorarii* interdum ii appellantur , ut a plebeijs diſtinguantur . Landulphus de Sancto Paulo in Vita Sancti Arialdi, Auctor pæne ſynchronus, apud Puricellium hæc habet : *Iiſdem temporibus* (hoc eſt, circiter Annum Chriſti MLX.) *Herlembaldus de Cottis , frater Landulphi , a Hieroſolymis redierat , Miles factus* . Vetuſtiorem quoque ejuſmodi *Militum* mentionem habemus in Diplomate Ottonis III. Auguſti , Tomo I. pag. 493. Hiſtor. Eccleſ. Placentinæ , edito jamdudum a Campio . Nimirum eſt Privilegium Anno DCCC CLXXXIX. ab eodem Ottone conceſſum Lanfranco , Opizoni &c. Brachifortibus , quos , ait , *cum nos hodie ante in Miſſarum ſolemniis in Eccleſia Sanctæ Brigidæ Milites novos creaverimus , deceatque ipſos uti novos Milites novâ noſtrorum beneficiorum largitione prærogativâ lætari &c.* Verùm Diploma illud commentitium undique ſe prodit , tum quod Otto ibi teſtans inducitur , ſe fidem Nobilium Brachifortium fuiſſe expertum *in noſtris exercitibus , quos tam contra Latinos , quàm contra Græcos exercuimus*: quod omnino falſum , præſertim quum Diploma datum dicitur *XV. Kalendas Decembris , Anno Incarnationis Domini DCCCCLXXXIX. Indictione Primâ , Anno Domini Ottonis Tertii , Imperii ejus Quinto* . Apage impoſtorem . Anno tantùm DCCCCXCVI. Otto Tertius Imperium iniit . Sed hæc miſſa faciamus .

Quum verò inſtabat acre aliquod prœlium, ſive diſcrimen bellicum , aut poſt prœlium parta erat victoria , tunc nobilibus *Scutiferis* nuper deſcriptis loco ſtimuli ad fortiter agendum , ut præmii loco pro fortiter geſtis , Militaris honor conferebatur. Non omnibus quidem , ſed quibus aut inſignior nobilitas , aut apud Principem major gratia , aut in pugna A eminentior fortitudo , decus ejuſmodi procurabat ; niſi fortè extraordinarius aliquis caſus multis aditum ad illud conſequendum aperiret. Fulcherius Carnotenſis Lib 2. Hiſtor. Hieroſolymitan. Cap. 2. hæc habet : *Monente Rege quicumque potuit , de Armigero ſuo Militem fecit* . Teſte quoque Dominico de Gravina in Chronico , Tomo XII Rerum Italicar. pag. 649. quum condictum fuiſſet prœlium inter Ludovicum Tarentinum , poſtea Apuliæ Regem, & Hungaros Anno MCCCL. *Plurimi Neapolitani Nobiles , filii Nobilium Militum , occaſione faciendi prœlii , eidem Domino Ludovico honorem Militiæ poſtularunt ; ut quum Nobiles ſint , ſi aliquem eorum deficere contingat in* B *prœlio , fama vel nomen Militiæ ſibi reſtet, ut moris eſt bellicorum. Ut autem unuſquiſque dictorum Nobilium ad committendum prœlium animoſior ſe demonſtret , ſpopondit , & placuit dictorum Nobilium petitio ſibi facta . Et eodem die zonâ Militiæ decoravit nobiliſſimos Juvenes ſeptingentos & ultra* . Prodigalitas hæc viſa fuerit anterioris ævi moderationem metientibus. Appellati quoque fuerunt *Domicelli*, qui ad Militaris cinguli honorem adſpirabant , e nobilibus ac Militaribus viris plerique progeniti. Inde Italicum *Donzello* eâ ſignificatione: quæ vox apud Johannem Boccacium , aliosque veteres Etruſcos Scriptores occurrit . In Annalibus Genuenſibus Caffari, ad Annum MCC- C XXV. mentio eſt Militum quinquaginta Thomæ Comitis Sabaudiæ , quorum ſinguli procedebant *cum Donzello , & duobus Scutiferis* . Alii quinquaginta Milites ſub Lotheringo de Martinengo militabant , *quorum quiſque erat cum duobus equis, & cum tribus Scutiferis, & Donzellis bene armatis* . Nempe *Scutiferi* hoc in loco gregarii milites ſignificantur ; *Donzelli* verò illuſtri loco nati . Propterea Ugutio Grammaticus ſcripſit : *Domicelli* , & *Domicellæ dicuntur, quando pulchri juvenes Magnatum ſunt ſicut ſervientes*. Vox ipſa eorum nobilitatem indicat : *Domicelli* quippe nuncupati , nempe *Domnicelli* , quod eſt diminutivum nominis *Domnus* , quodque reſpondet Italico *Si-* D *gnorotto* aut *Signorello*. Johannes quoque Villanius Lib. 7. Cap. 63. Hiſtoriar. ſcribit , miſſos a Florentinis ad Carolum I. Siciliæ Regem *cinquanta Cavalieri di corredo , e cinquanta Donzelli gentili uomini di tutte le principali Caſe di Firenze per farli Cavalieri* . Frater Jacoponus Tudertinus circiter Annum MCCXCVIII. ajebat :

Che fui , como a me pare,
Donzello en bel ſervire ,
E ornato Cavaliere ,
Bello e coſtumato .

Hiſce verò non licebat ad eamdem menſam E cum Militibus aſſidere : quod ſi ſimul ſedebant , humilior erat ſella Scutiferi , quàm Militis . Calcaribus argentatis dumtaxat utebantur , quum Calcaria deaurata , ornamentum ac inſigne peculiare Militum forent , qui propterea *Cavalieri a ſperoni d'oro* appellabantur . Erant etiam , qui locum ſibi in Torneamentis quærebant , ut ibi virtutis ſive fortitudinis ſuæ experimento dato cingulum Militare conſequerentur . Id certe apud Anglos in uſu fuit. Matthæus Paris ad Annum MCCXLVIII. hæc habet : *Die Cinerum cœptum eſt Torneamentum magnum, ibique Willelmus frater Domini Regis uterinus , Tyro novellus , ut titulos*

Militiæ

Militiæ ſibi famoſos adquireret, *ſe animoſa præſumtione ingeſſit*. *Sed ætate tener*, *& viribus imperfectus*, *impetus Militum durorum & Martiorum ſuſtinere non prævalens*, *manſit proſtratus*. Qui verò ex imperitia in hiſce certaminibus deficiebant, ex legibus Militiæ flagra ſuſtinere cogebantur. Quare de illo Willelmo ſubdit Paris: *Et egregie*, *ut introductiones Militiæ initiales addiſceret*, *baculatus eſt*. Alia lepidi hujus moris exempla prætereo, quem tamen Itali numquam adoptaſſe mihi creduntur. Alteram creandi Milites occaſionem ſuppeditare conſuevit ſplendida aliqua Curia, ſive ſolennis conventus a Principibus habitus, aut adventus Imperatoris, Regis, eximiive alicujus Principis, aut alius aliquis feliciſſimus rerum eventus. Tunc enim qui generis nobilitate ſupra ceteros eminebant, aut gratiores Principibus, Regibuſve erant, opportuno illo tempore honore Militiæ ornabantur. Anno MCXXXV. uti memoriæ prodidit Alexander Abbas Teleſinus Lib. 4. Cap. 5. Hiſtor. Rogerius Siciliæ ac Apuliæ *Rex duos liberos ſuos ad Militiam promovit*, *Rogerium ſcilicet Ducem*, *& Tancredum*, *Barenſem Principem*. *Ad quorum laudem & honorem quadraginta Equites cum eiſdem ipſis Militari Cingulo decoravit*. Quum Anno MCCCXXVIII. Canis Scaliger, Veronæ ac Vicentiæ Dominus, Patavinam Civitatem ſuæ ditioni addidiſſet, ut eſt in Additamentis ad Chronicon Veronenſe Pariſii de Cerreta, Tomo VIII. Rerum Italicar. *Veronam reverſus ad gloriam ampliorem de obtentu Civitatis Paduæ ultimo Octobris maximum gaudium & Curiam celebravit*; *& creavit triginta octo Milites manu ſua de diverſis partibus Lombardiæ*. Leguntur ibi nomina ſingulorum, eorumque Familiæ inter Italicas præcipua nobilitate ſplendebant. Et quod ibi, atque alibi animadvertendum eſt, non adoleſcentes tantùm, ſed & viri maturi; neque Proceres dumtaxat ad hocce ornamentum inhiabant, verùm etiam Principes ipſi ſublimiores. Azzo Marchio Eſtenſis, Ferrariæ, Mutinæ, Regii &c dominus, teſte Auctore Chronici Eſtenſis, Tomo XV. Rerum Italicar. Anno MCCXCIV. *factus fuit Miles per Dominum Ghirardum de Camino*, *qui tunc erat Dominus Civitatis Trivixii*, *ſuper Plateam Communis Ferrariæ*, *ante portam Epiſcopatus*. *Et eodem die & horâ dictus Dominus Marchio Azzo fecit quinquaginta duos Milites ſuis manibus*, *ſcilicet Dominum Franciſcum ejus fratrem*, *& alios Ferrarienſes & Mutinenſes*, *Bononienſes*, *Florentinos*, *Paduanos*, *Lombardos*; *& magna Curia tunc fuit in Ferraria*. Audi & Auctorem Chronici Parmenſis ſynchronum, Tomo IX. Rer. Italicar. eadem narrantem his verbis ad Annnm MCCXCIV. *In feſtivitate omnium Sanctorum Dominus Azzo Marchio Eſtenſis*, *una cum Domino Franciſchino fratre ſuo congregavit in Civitate Ferrariæ maximam & honorabilem Curiam omnium Procerum Civitatum Lombardiæ de amicis ſuis*. *In qua Curia factus fuit Miles cum prædicto fratre ſuo per Dominum Gerardum de Camino Dominum Treviſii*. *Et ipſe Dominus Azzo Miles factus*, *incontinenti fecit alios quinquaginta duos Milites ſuis propriis expenſis*, *quamdiu fuerunt in Civitate Ferrariæ &c.* Verba illa *ſuis propriis expenſis* animadverte: quippe Principum liberalium mos fuit in Curiis ſolennibus arma, equos, veſtes, ac alimenta novis Militibus a ſe creatis largiri.

Ceterum quibus in Urbibus multum aut nimium Populo, ſive Plebi, auctoritatis erat, ex ipſa etiam Plebe interdum viri ad nobile Militiæ cingulum promovebantur. Quod & animadvertit Otto Friſingenſis Lib. 2. Cap. 13. de geſt. Friderici, ubi de Italicarum Urbium regimine ſcribens, ait: *Ut etiam ad comprimendos vicinos materia non careat*, *inferioris conditionis juvenes*, *vel quoslibet contemtibilium etiam Mechanicarum artium Opifices*, *quos ceteræ gentes ab honeſtioribus & liberioribus ſtudiis tamquam peſtem propellunt*, *ad Militiæ cingulum vel Dignitatum gradus aſſumere non dedignantur*. Quod ſi non in prœliorum diſcrimine, neque poſt victoriam hoſtium, neque in ſolennibus Principum Curiis, ſed in Urbibus pacificis, Militiæ honor conferendus erat, tunc eximio apparatu, grandibuſque expenſis res peragebatur, ſcilicet equis, armis, veſtibus, comitatu, & conviviis, magnificentiam undique ſpirantibus. Quare qui rei familiari conſulere ſtudebant, in bella proficiſci amabant, & prœlii potius occaſionem præſtolabantur, quæ ſibi honorem ejuſmodi parerent ſine marſupii jactura, & præcipue quod parta in agone Martis ejuſmodi dignitas glorioſior eſſet, & longe pluris haberetur, quàm collata extra armorum pericula. Avarities autem iis objecta, qui bella averſati, alias conquirebant rationes cinguli Militaris captandi, ſimulque parcendi expenſis in illo recipiendo conſuetis. Matthæum Villanium audi Lib. V. Cap 14. hæc ita ſcribentem ad Annum MCCCLV. de Carolo IV. Auguſto, in Urbem Senenſem ingrediente: *In queſto abboccamento oſtu Cittadini pompoſi e avari*, *per ceſſare la debita ſpeſa alla Cavalleria*, *ſi feciono a lui fare Cavalieri*. *E appreſſo entrato nella Città gliene ccorreano molti ſenza ordine o proviſione*. *Egli avviſato del lieve e vano movimento di quella gente*, *commiſe al Patriarca*, *che in ſuo nome gli faceſſe*. *Il Patriarca non potea reſiſtere a farne tanti*, *quanti nella via glien' erano appreſentati*. *E vedendone così gran mercato*, *aſſai ſe ne feciono*, *che innanzi a quell' ora niun penſiero aveano avuto di farſi Cavaliere*, *nè provveduto quello*, *che richiede a volere ricevere Cavalleria*. *Ma con lieve movimento ſi faceano portare ſopra le braccia a coloro*, *ch'erano intorno al Patriarca*: *e quando erano a lui nella via*, *lo levavano alto*, *e traevangli il cappuccio uſato*; *e ricevuta la guanciata uſata in ſegno di Cavalleria*, *li mettevano un Cappuccio accattato col fregio dell' oro*, *e traevanlo della preſſa*, *ed era fatto Cavaliere*. Tum illos Villanius ridet, & avaritiæ arguit, quod Militiæ decus conquiſierint, *ſenza avere fatto alcuna ſolennità in comune*, *o in diviſo*, *a onore della Cavalleria*, quamquam forent *Nobili e ricchi Cittadini*, *& Uomini di natura pompoſi*. Verùm Militiæ honore inſigniti tam commodâ ratione ac viâ pauci æſtimabantur, aut nihili faciendi erant, uti animadvertit Sæculo Chriſti Quintodecimo Michaël Savonarola in Opuſculo *de laudibus Patavii*, quod, uti nondum editum, ego in hoc Opus inferam. Ejuſmodi Equites, ſive Milites, iis comparabantur, qui Lauream Doctoralem ſine ſtudio Literarum olim quoque corradebant. Nimirum iis tantùm digne conferebantur ornamenta Militiæ, qui aut fortiter in bello egiſſent, aut acturi proxime in aliquo prœlio erant. Quid verò Senenſi in Urbe moris obtinuerit, quum novi Milites crearentur, quæ etiam dona tunc oblata fuerint, docent nos Clariſſimi Benvoglienti

glienti Notæ ad Chronicon Senenſe ad Annum MCCCXXVI. Tomo XV Rer. Italicarum. Non omnium autem fuit novos conſtituere Milites, quum id ſpectare conſueverit ad eos, qui ſimili ornamento antea condecorati fuerant, uti nunc fieri videmus in adjungendis præclariſſimo Ordini Militum, ſeu Equitum Velleris Aurei, novis Militibus. Aliquando tamen contigit, ut Senatus, Populuſque alicujus liberæ Urbis facultatem ſibi tribueret creandorum Militum. Exemplo erunt Florentina Civitas, atque Arretina, & Senenſis, quæ Syndicum non ſemel, ſive Procuratorem, conſtituerunt ad creandum Militem, ſtrenuum aliquem ſpectatæ virtutis virum. Multo autem æquius id ſibi licere cenſuerunt Reges, ac Principes Regalibus quibuſque fruentes. Porro vulgaris ritus in conſtituendis Militibus hic fuit. Princeps, ſive alius quicumque ejuſmodi honorem conferens, percutiebat collum aut humerum tyronis Armigeri, genibus terram tangentis, enſe ex illius manibus accepto, hæc verba dicens: *Eſto probus Miles*. Interdum etiam oſculum ejus ori dabat. Tum juſſu Principis, unus aut duo veterani Milites talis ambobus novi Militis calcaria alligabant. Ea verò deaurata eſſe, ſive, ut appellabant, aurea, conſueverunt: unde manavit frequens apud nonnullos uſus, eos nuncupandi *Cavalieri a ſperon d'oro*. Neque tantùm calcaribus deauratis utebantur Militiæ dignitatem conſequuti, ſed etiam Pomum enſis, ac ferrum illius capulo impoſitum, auro illita geſtabant. Dantes Purgator. Cap. 16.

- - - - - - - - - - - - ed avea Galigaio
Dorata in caſa ſua già l'elſa, e 'l pome.

Hoc eſt Militiæ honore inſignitus fuerat, uti antiquus Dantis Scholiaſtes Benevenutus de Imola teſtatur.

Itaque Militari Cingulo, ut cum Latinis loquar, cincti eâ ratione Nobiles Viri, appellari etiam conſueverunt *Milites adobati*, hoc eſt ſolenni ritu *armis inſtructi & ornati*. Eſt enim Italis *Adobbare*, ſive *Addobbare*, *Ornare*,

A *Fornire*, idem atque exornare. In Statuto Mediolanenſi Part. 2. Cap. 5 legitur: *Juriſperiti Collegii Judicum Mediolani, & Milites adoptati, ſint ipſo jure de Conſilio majori Communis Mediolani*. Scribendum *Milites adobati*. Hanc vocem Du-Cangius in Gloſſario e Latino *adoptare confectam* putat. Viro magno non aſſentior, quum Italica Lingua Latinum adoptare reddat *adottare*, non *adobbare*. Uti neque Menagio, qui a neſcio quo *adduplicare* (nobis *addoppiare*) arceſſit. Neque Fureterio, qui ab *adaptare* derivat: quod Italis eſt *adattare*. Nulla ex hiſce interpretationibus, uti contorta & coacta, probanda videtur. Nobis Italis ſunt voces ex Gothica, ex antiqua Saxonica, ex Arabica, aliiſque peregrinis Linguis, immo ex antiquioribus omnino deperditis deſcendentes, quarum originem facile nunc nemo indicet. Inde potius petenda eſt hujus vocis nativitas. Georgius Hickeſius in Grammatica Franco-Theotiſca, pag. 91. animadvertit, apud Islandos, Scandios, & Saxones, adhiberi voces *at dubba*, *dubban*, ſignificantes *Equitem creare, vel ad honorem Equitis aliquem ſolemniter provehere. Inde quod Equitem creatum veſtimentis, & armis ſplendidis ornare ſolebant, Addobbare in ſpeciali ſenſu, Adornare* dixerunt. Quod certum habeo, apud Italicos vox *Adobare* ante multa Sæcula in uſu fuit: nam inter Cives præcipuos & Conſules Reipublicæ Mutinenſis, Anno MCLXXIII. & ſubſequentibus ſplendebat *Mal-adobatus de Parma*. Immo longe antea idem nomen *Maladubatus* occurrit mihi in egregio Placito Henrici IV. Imperatoris, cujus autographum Mutinæ adſervat nobilis vir Marchio Johannes Baptiſta Corteſius. Egregium, inquam, Placitum, tum quòd Henricus vice nominis ſui Chartam Cruce ſignat, tum etiam quòd illi interfuit & ſubſcripſit *Warnerius Bononienſis Judex* (is verò ſe *Wernerium* in ſubſcriptione appellat) idem mihi creditus, a quo primum Leges Romanæ explicatæ Bononiæ feruntur. Supra de ipſo diſputationem habui in Diſſertatione XLIV. *de Literar. Fortuna*.

Placitum

Placitum Gubernoli habitum ab Henrico inter Imperatores Quarto, cum ſententia pro Monaſterio Pompoſiano, de terris poſitis in agro Soleriæ Uberti, Anno 1116.

✠ D*Um in Dei nomine, die Sabati, que eſt Sexta dies, intrante Menſe Madii, in loco Gubernule, ſcilicet in Canonica Sancti Remigii*, Henricus *Dei gratia* Quartus Romanorum Imperator Auguſtus *in Conſilio ſtaret, pro ſui Imperii, ſuorumque fidelium utilitate: adeſſent cum eo* Warnerius Bononienſis, *Ubaldus de Carpenetha, Ribaldus Veronenſis, Judices, Albertus Comes de Martoringo, Albertus Comes de Sablonetha, Maltraverſus, Girardus de Boſcito, Arduinus de Palude, Guido de Maifredo, Saſſo de Bibianello*, Maladubatus, *Albertus & Bernardus frater ejus, Girardus de Cornazano, & reliqui quamplures Viri Nobiles; ibi in il lorum veniens preſentiam Martinus Sanctæ Mariæ Monaſterii Pompoſæ Monachus, una cum Martino de Sancto Marino, & Johanne de Bertulaſco, ceperunt petere ac poſtulare mercedem Domno Henrico Imperatori piiſſimo, ut predicto Monaſterio Sanctæ Mariæ de Pomposa juſticiam faceret de Ubaldo Ugonis filio de Maifredo, qui injuſte turbaverat poſſeſſionem de quadam terra, quam predictum Monaſterium tenuerat in loco, qui dicitur Solera Uberti. Ubaldus autem* Conradum Comitem *auctorem nominavit. Sed idem Comes Conradus paucis ante diebus per ipſius Imperatoris ſententiam ſuper eadem poſſeſſione victus fuerat. Juſſit ergo Imperator, ne predictus Ubaldus aliquam moleſtiam eo nomine contra predictum Monaſterium faceret, & inſuper per Judicum conſilium, per lignum, quod in ſua tenebat manu, bannum ſuper Martinum Monachum in vice totiuſque Congregationis, & nominatim ſcilicet de predicta poſſeſſione, & inſuper de omnibus poſſeſſionibus & rebus, quas predictum Monaſterium tunc temporis habuit, vel in futurum adquirere potuerit cum racione: ut nullus Dux, Marchio, Comes, Capitaneus, Vavaſſor, vel aliqua magna, parvaque perſona predictum Monaſterium de prenuntiatis rebus ſine legali judicio diſveſtire vel inquietare audeat. Quod ſi quis hoc Preceptum in aliquo violare temptaverit, ſciat ſe compoſiturum centum Libras auri, medietatem Imperatoris Camere, & medietatem predicto Monaſterio.*

Factum eſt hoc Anno ab Incarnacione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Centeſimo Decimo Sexto, Indictione VIIII.

✝ *Hoc ſigno Crucis idem Imperator hanc Noticiam corroboravit.*

✠ *Ego* Wernerius Judex *affui & ſubſcripſi.*
Ego Ribaldus Judex interfui & ſubſcripſi.
Ego Ubaldus Judex interfui & ſubſcripſi.
✠ *Ego Obertus Domni Henrici Imperatoris Judex interfui, & per ejuſdem Imperatoris preceptum hanc Noticiam ſcripſi.*

Apud Italicos etiam ejuſmodi Milites appellati ſunt *Cavalieri di Corredo. Perchè quando pigliavano il grado della Cavalleria, facevano*

A *un Convito pubblico*: ita Auctores Vocabularii Florentini. Et ſane *Corredo* pro Convivio in uſu fuit Italicæ Linguæ. Sed videndum, an non potius hoc eis nomen additum fuerit, quòd ornati Militiâ, ſive *Adobati* fuiſſent. Nam *Corredo* etiam ſignificat *Arredo, fornimento, addobbamento, abbigliamento*. In Statutis Piſtorienſibus ſupra Differt. L. a me evulgatis, §. 25. legitur: *Poteſtas Piſtorii non portet Corredum de collo, vel de doſſo*. Alapam autem infligere aut collo, aut genæ novi Militis, familiare fuit. Uti Johannes Villanius animadvertit Lib. 10. Cap. 54. Ludovicus Bavarus Anno MCCCXXVIII Romæ *fece Cavaliere Caſtruccio, cingendoli la ſpada con le ſue*
B *mani, e dandoli la Collana*. Ita in editione Junctarum. Sed rectiùs in mea, Tomo XIII. Rer. Italicar. *e dandogli la gotata*, ideſt *alapam*. Hunc ritum etiam in ſacra Confirmatione ſervatum videmus, *ut ſciat Chriſtianus* (inquit Sanctus Carolus) *ſe jam Militem eſſe*. Et profectò a profana Militia in Spiritualem mos iſte translatus videtur, quum nullus antiquior Durando Mimatenſi occurrat, qui de Alapa in Cônfirmatione mentionem fecerit. Fortaſſe verò hic ritus derivatus ab antiquo Manumiſſionum uſu: manu enim miſſi, teſte Scholiaſte Perſii, *alapâ circumagebantur*. Ita ſui juris Miles creatus efficiebatur. Alapa tamen militaris plerumque collo aut humero Mi-
C litis infligebatur, aut enſe humerus percutiebatur. Nempe pro variis regionibus varii etiam fuere mores. Anno MCCCLIV. teſtibus Cortuſiis in Chronic. Lib. XI. Cap. 2. Carolus IV. Imperator, *quum per Marchiam iter faceret, & jam tranſiſſet flumen Olei, ſtans juxta confinia Cremonenſium, ſuo in campo ſuper nivem, probum virum & Nobilem, Franciſcum de Carraria, qui continuò fuit cum Imperatore cum maxima comitiva, ſedens in equo fecit Militem; & cum palma eum percutiens ſuper collum, ait: Eſto bonus Miles, & fidelis Imperii. Statim Nobiles Comites Theutonici deſcenderunt de equis, & eidem ſtatim Equitis impoſuerunt calcaria. His Dominus Franciſcus do-*
D *navit dextrerios, & equos alios de melioribus, quos habebat*. Sed aliis pluribus ceremoniis alibi hoc negotium peragi cœptum eſt, & præcipue *balneatione* præmiſsâ, unde poſtea appellati ſunt *Cavalieri bagnati*. Originem in Anglia is ritus habuiſſe videtur, & ad Francos, ac demum ad Italos fuiſſe translatus. Scilicet veſpere, præcedente diem conferendæ Militiæ, Tyro in Balneum paratum, multâ cum pompâ, multiſque comitibus ac ceremoniis ducebatur. Ibi per aliquod temporis ſpatium moratus, ac probe lotus, in lectulo deinde componebatur. Tum ſurgens, ſtatutiſque a Rituali veſtibus indutus, compluribus Militibus & Scutiferis ſtipatus, ad ſacram
E Ædem pergebat, *Vigilias*, ut ajebant, facturus. Integra autem nox ei ducebatur inſomnis, precibus interim ad Deum fuſis, ut equeſtris Ordo ab eo aſſumendus in honorem ipſius Dei & Eccleſiæ digne converteretur. Quod ſi

quis petat, cur Balneo locus fuerit inter ejuſmodi ceremonias, reſpondeo, id videri mihi factum, quod quantum fieri poteſt, curanda erat Candidato mundities tum animæ tum corporis ad ineundam Militiam. Ea de cauſſa præcedere ſolebant confeſſio peccatorum, communio Corporis Dominici, Vigiliæ, preces. Tum corpus poliebatur tonſione barbæ & comæ, Balneo, & novis indumentis. Nicolaus Laurentii, vulgo *Cola di Rienzo*, Romanorum Tribunus, ut in ejus Vita habetur Cap. 25. in hoc ipſo Opere a me evulgata, *fo' fatto Cavalieri Vagniato nella notte de Santa Maria de mieſo Agoſto*, Anno MCCCXLVII Ille ut erat homo phantaſticus, non vulgari Balneo uti voluit. ſed magnificentiam affectans, in ipſa Concha porphyretica ſe lavit, ubi Conſtantinus Magnus, ſi vulgo fides, lotus aut ſanitatem, aut Baptiſmum quæſivit. *Entrò nel Vagno* (ita Auctor Vitæ ſcribit) *e vagnaoſe ne la Conca di lo Imperadore Coſtantino, la quale ene de pretioſiſſimo paraone. Stupore eno queſto a dicere. Moito fece la jente favellare. Uno Cittatino de Roma Miſſore Vico Scuotto Cavalieri li cinſe la Spata. Puoi ſe addormio in uno lietto venerabile: e iacque in quello Loco, che ſe dice l. Fonti de Santo Janni. Là compío tutta quella notte.*

Sed qui plura hujuſce conſuetudinis exempla, & ritus univerſos olim in creatione Militum adhibitos, fuſeque deſcriptos, noſſe cupit, adeat Notas Edoardi Biſſæi Britanni ad Nicolai Uptoni Librum de Studio Militari, Londini editum Anno MDCLIV. tum Clariſſimum Du-Cangium in Gloſſar. Latin. ad vocem *Miles*, & *Militia*. Et conſulat in primis Franciſcum Redium celebrem Virum, utpote qui inter Italicos non vulgari eruditione illuſtravit hunc ritum in Notis ad ſuum Dityrambum *Bacco in Toſcana* pag. 149. & ex Italicâ Hiſtoriâ multa congeſſit, quæ, ne nimius ſim, apud eum legenda dimitto. Ego tantum adferam verba Franci Sacchetti Scriptoris Florentini, qui circiter Annum Ch. 1390 ſuas Fabulas (*Novelle*) ſcribebat. Ita ille Cap. 153. *In quattro modi ſon fatti Cavalieri*, cioè *Cavalieri Bagnati, Cavalieri di Corredo, Cavalieri di Scudo, e Cavalieri d'Arme. I Cavalieri Bagnati ſi fanno con grandiſſime cerimonie, e conviene che ſieno bagnati e lavati d'ogni vizio. Cavalieri di Corredo ſon quelli, che con la Veſte verdebruna, e con la dorata ghirlanda prendono la Cavalleria. Cavalieri di Scudo ſon quelli, che ſon fatti Cavalieri o da Popoli, o da Signori, e vanno a pigliare la Cavalleria armati, e con la barbuta in teſta. Cavalieri d'arme ſon quelli, che nel principio delle battaglie, o nelle battaglie, ſi fanno Cavalieri*. Ad hæc meminiſſe juvabit, in Bibliotheca Eſtenſi MStum Codicem adſervari cum hoc titulo: *De Ludo Schacchorum, ſive de Moribus hominum, & de officiis Nobilium: quem compoſuit Frater Jacobus de Z.....* (fort. *de Zoaliis*, fugerunt enim literæ) *Ordinis Fratrum Prædicatorum, Januæ natus*. Is alibi a me laudatus fuit, & Sæculo XIII. aut ſaltem XIV. floruit. Annus, quo exaratus Codex fuit, in calce adnotatur his verbis: *Scripta Veronæ per me Marcum de Murigiis Civem Papienſem MCCCLXXX. Indictione Tertia de Menſe Aprilis, cum ibi eſſem in officio Militari cum egregio & Nobili Milite Domino Ricardino Comite de Languſcho, honorabili Civitatis & diſtrictus Veronæ Poteſtate, pro ma-*

A *gnificis & potentibus Dominis Dom. Bartholomæo & Antonio Fratribus de la Scala. In quibus, ſcilicet ſcripturis, ſi error aliquis reperiretur, non mihi, ſed exemplari imputetur*. Ibi verò Cap. 4. hæc leguntur: „Militem ſuper equum, „armis omnibus decoratum, impoſitum, & „formatum novimus Habuit enim galeam „in capite, haſtam in manu dextra. Clypeo „protectus fuit in lævâ. Enſis & clava in „eâdem. Gladius in dexterâ. Loricâ veſti- „tus; plectas in pectore; ferreas ocreas in „tibiâ; calcaria in pedibus; in ambabus ma- „nibus ferreas chirothecas; equum doctum, „& ad bellum aptum cum faleribus. Hi dum „accinguntur, balneantur, ut novam vitam
B „ducant, & mores. In orationibus pernoctant, a Deo poſtulantes per gratiam ejus „donari, quod eis deficit a natura Per Re- „gem vel Principem accinguntur, ut cujus „debent eſſe cuſtodes, ab eo accipiant digni- „tatem, & ſumtus. Sapientia. Fidelitas. Li- „beralitas, Fortitudo, Miſericordia, Cuſto- „dia Populi, Legum Zelus in eis ſunt, ut „qui armis corporeis decorantur, etiam mo- „ribus polleant; & quanto Militaris dignitas „alios excedit reverentiâ & honore, tanto „magis debet eminere virtute.„ Hæc ille

Tyrones autem appellabantur recens creati Milites, atque ipſa conferendi balthei Militaris ſolemnitas *Tyrocinium* eſt nuncupata Ne-
C que omittendum eſt, eos, qui Equeſtris Ordinis ornamenta referebant, debitum quoddam contraxiſſe *Fidelitatis* erga auctorem honoris ſui. Idque duplici modo contingebat, nimirum tacite, aut aperte. Apud Redium ſupra laudatum Ildebrandus Girataſca Anno MCCLX. cingulo Militari inſignitus eſt *ad expenſas publicas* Civitatis Arretii Eâ occaſione is *juravit fidelitatem Dominis*, ideſt Reipublicæ Arretinæ. *Et poſt Evangelium juravit altâ voce, quod ab illa hora in antea foret fidelis & Vaſſallus Dominorum Communis Civitatis Arretii*. At quamvis nullum plerumque intercederet ſacramentum Fidelitatis, attamen inter conſuetudines equeſtris hujus Militiæ hæc
D erat, ut contra eum, qui Militarem contulerat dignitatem, numquam Militi liceret arma convertere. Johannes Villanius Lib 9. Hiſtoriar. Cap. 304. prœlium infelix deſcribens a Florentinis commiſſum Anno MCCCXXV. cum Caſtruccio Lucæ Domino, atque Azone Vicecomite, culpam profligati exercitus transfert in Bornium Mareſcallum Florentinorum, *il quale ſi miſſe prima a fuggire, che al fedire. E ciò ſi trovò, ch' elli era ſtato Cavaliere per mano di Meſſer Galeazzo Viſconti padre del detto Azzo, e ſtato lungamente al ſuo ſoldo*. Sunt & alia ejuſdem moris exempla. Ad hæc novus Miles, aut difertis verbis jurejurando ſeſe obligabat, aut etiam tacens a legibus Ordinis Militaris obligabatur *ad defendendas ſemper Dominas, Domicellas* (ideſt *le Donne, e le Donzelle*, ſive mulieres & virgines) *pupillos, orphanos, & bona Eccleſiarum contra vim & potentiam injuſtam potentium, juxta ſuum poſſe*. Romanenſium Fabularum, & Poëmatum Auctores, & præſertim ex noſtris Bojardus & Areoſtus, præ oculis hanc legem perpetuò habentes, uberem illic ſegetem invenere ad effingenda egregia facta ſuorum Militum confictorum. Erant & alia honeſta aut pia onera Militibus hiſce impoſita, quæ prætereo, unum tantummodo memoraturus, videlicet ſtudendum fuiſſe Militi ſumma ſolicitudine, ne

quid

quid turpe, inhoneſtum, aut injuſtum umquam perpetraret; eumque ab illo propoſito neque timore mortis, neque carceris incommodo, paſſurum ſe dimoveri. Quod ſi quis ea patrabat, quæ ab honore probi Militis aliena nimium forent, exauctorationis pœna ei imminebat, hoc eſt per publicum Magiſtratum, uti dicere conſueverunt, degradabatur, amputatis ei ad talos calcaribus; ex hoc enim inſigni Nobiles equo inſidentes, qui Militiæ honore fruebantur, dignoſci inter ceteros conſueverunt. *Securi ad talos ejus eadem amputabantur Calcaria*, inquit Thomas Walſingamus in Hiſtor. de Reb. Anglicis. An iſta conſuetudo in Italia quoque viguerit, nondum deprehendi. Verum ne quid diſſimulem, auctor eſt Francus Sacchettus, Scriptor mihi nuper memoratus, circiter Annum Ch. 1390., quo ille florebat, Militiæ hujus honorem in abjectam omnino conditionem proruiſſe, quum homines nullâ Nobilitatis, aut Fortitudinis, aut morum prærogativâ inſigniti, immo vilis & contaminatæ vitæ, ad honorem Militiæ promoverentur.

Quod tamen animadvertas velim, ex iſta Militum nobilium inſtitutione prodierunt ſenſim ſacri Ordines Militares, celebratiſſimi in Oriente & Occidente, nempe *Templarii*, ſub Clemente V. Papa exciſi, & inſignis Ordo eorum, qui olim *Hoſpitalarii*, nunc Equites Melitenſes appellantur, & *Milites Teutonici*, qui ſe voto multis Chriſtianæ pietatis legibus obligarunt. Tum *Fratres Ordinis Militiæ Beatæ Mariæ Virginis*, quos *Fratres Gaudentes* poſtea vulgus nuncupavit. Poſtremi iſti fuere inſtituti a duobus nobilibus Civibus Bononienſibus, ab uno Regienſi, atque a *Raynerio de Adelardis Cive Mutinenſi, & aliis quampluribus de Civitatibus eorumdem* Anno MCCLXI. non verò MCCLXII ut Juſtinianus cenſuit. Inſtitutum autem eorum ab Urbano IV. Papa probatum, & leges iis præſcriptas, ac potiſſimum facultatem conceſſam, cui melius videretur, ducendi aut retinendi uxorem, atque alias Conſtitutiones editas Anno MCCLXXXVIII. in eorum Capitulo generali legebam ego olim in MSto Codice Bibliothecæ Ambroſianæ. Bulla verò Urbani, & Leges primæ evulgatæ fuerunt a Ghirardaccio in Indice ad Tomum primum Hiſtoriæ Bononienſis. Succeſſere deinde Ordines alii Militum, honoris præcipue cauſſâ a Regibus ac Principibus inſtituti, ut Garterii, Sancti Michaëlis, Velleris Aurei, Calatravæ &c. Verùm de his alii pleniſſime egerunt. Ego his dimiſſis aliquid potiùs adferendum puto de origine *Inſignium*, quæ nunc Italice *Armi*, & *Arme* appellamus; nam ab hactenus commemoratâ Militiâ eorum inſtitutio ac uſus petendus videtur. Non is ſum, qui diſputationem aggredi velim a multis agitatam, nimirum ſit-ne tribuenda antiquis Hebræis, Græcis, Latinis, aliiſque florentibus ante Chriſtum natum gentibus, Inſignium iſtorum origo; an moribus longe poſteriorum temporum, & Sæculis ipſis barbaricis: quam controverſiam potiſſimùm verſarunt Henricus Spelmannus in ſua Aſpilogia, & Meneſtrerius V. Cl. e Societate Jeſu, ex hiſce ſtudiis ſatis celebris. Quid ego heic ſentiam, tantummodo innuam. Nulla dubitatio eſt, quin Græcis ac Romanis fuerint *Inſignia*, in Vexillis præſertim ac Scutis uſurpata. Sunt etiam veterum Poëtarum loca, e quibus colligi poſſe videtur, eadem ex patribus ad filios,

A ex filiis ad nepotes fuiſſe tranſlata. Itaque non injuriâ exiſtimatum eſt a multis, *gentilitia* noſtrorum temporum *Inſignia* ex antiquiſſimis Sæculis per imitationem fluxiſſe. Attamen quod de *Cognominum* origine dixi in Diſſertatione XLII. heic itidem repetendum puto: nimirum fuiſſe quidem antiquis Latinis Cognomina & Agnomina, quibus inter ſe una Familia ab altera, & una ejuſdem Familiæ linea ab altera diſtingueretur. Nihilo tamen ſecius, ut vidimus, Cognomina nunc uſitata, poſt Annum dumtaxat a Chriſto nato Milleſimum cœpta ſunt uſurpari. Ita & de gentilitiis Inſignibus dicendum reor. Hæc enim quamvis apud veteres Latinos & Græcos non levia illorum
B veſtigia occurrant, ubi tamen, qualia nunc ſunt, conſiderentur, ideſt certo colorum ac typorum ſigno ornata, eaque hereditaria, & in Sigillis, Nummis, Vexillis, Picturis, aliiſque locis ad Familiarum diſcrimen adhibita, tantummodo poſt Sæculum Decimum, immo & poſt Undecimum, ac præcipue poſt ſuſceptam a Latinis ſacram expeditionem in Orientem, ſenſim invaluiſſe videntur. Quam ſententiam ex Italis Marius Æquicola, Machiavellus, & alii, tum Petrus Pithœus, Philippus Morellus, Sammarthani, Fauchetus, Spelmannus, Johannes Jacobus Chifletius, Meneſtrerius, Fureterius, ac alii Scriptores jam dudum probarunt. Certe ante Sæculum XI nul-
C lum ſynchronum Auctorem, nullum monumentum adferri video, quo ejuſmodi peculiares Familiarum teſſeræ in uſu fuiſſe oſtendantur. Non Sigilla, non Nummos, non Sepulcra; nihil enim moror fabuloſas recentium quorumdam Scriptorum narrationes, dum ſine tabulis vetuſtati tribuunt ſuorum temporum mores. Exemplo ſint, qui ab antiquiſſimis Francorum Regibus tamquam Inſigne avitum Lilia uſurpata tradunt, quum tamen, ut idem Chifletius ac alii evicere, longe poſt Sæculum XI. Francica Lilia emerſerint. Neque aliter ſuadent Francorum Regum Nummi a Blanco collecti atque evulgati.

Lubens autem do, vel ſub Langobardis,
D Francis, ac Germanis antiquis Regia Vexilla ſigno aliquo decorata fuiſſe, quo a reliquis exteris, & inter ſe diſtincta agnoſcerentur. Fuit is mos & antiquis Romanis, uti numiſmata, Lipſius, aliique docent. Sed & Petrus Diaconus Lib. 4. Cap. 39. Chronici Caſinenſ. tradit, Anno MCXI. occurriſſe Henrico V. Regi Populum Romanum, *Staurophoros, Aquiliferos, Leoniferos, Lupiferos, & Draconarios*. Paria Signa vetus Roma prætulit; & a Panegyriſte Berengarii Auguſti Lib. 4. memoratur Senatus Romanus,

Præfigens ſudibus rictus ſine carne ferarum.

E Verùm Inſignia quidem Regum, Populorum, Legionum iſta fuere, non verò hereditaria Familiæ alicujus. Fabulis parco, quas liberaliſſime aut vulgus, aut aſſentatores in honorem illuſtrium Familiarum olim procuderunt. Neque Scuta ante Sæculum Chriſti Undecimum ullum avitum ſignum præ ſe tuliſſe creduntur. Normannorum Scuta *picta* nobis exhibet ad Annum DCCCLXXXVII. Tomo 2. Scriptor. Franc. Du-Cheſnii, Abbo Monachus Sancti Germani Pariſienſis Lib. primo ſui Poëmatis, obſidionem Pariſiorum deſcribit. Non diſſimilia erant incolis Britanniæ Minoris Anno DCCCXVIII. quum eorum Rex Murmannus rebel-

rebellem ſe prodidit Ludovico Pio Auguſto. Habeo teſtem Ermoldum Nigellum Lib. 3. de Reb. geſt. ejuſdem Imperatoris, in Poëmate a me evulgato Part. II. Tomi II. Rer. Italicarum. Immo is innuere mihi videtur, Francorum clypeos nullo colore fuiſſe illitos, aut ſi inductus iis color fuit, album tantummodo fuiſſe. Ajebat enim Murmannus ad Legatum Ludovici:

Scuta mihi fucata, tamen ſunt candida vobis.

Quo autem revera tempore clypeis inſcribi cœpta ſint, quæ nunc gentilitia Inſignia appellantur, adhuc abditum eſt, mihi ſaltem. Illud tantummodo veri mihi videtur ſimile, aut a publicis Duellis, aut a Torneamentis ante Annum MLXVI. apud Gallos inſtitutis, uti ſcribebam in Diſſertatione XXIX. *de Spectaculis*, aut a ſacro Bello per Latinos in Oriente ſub finem ejuſdem Sæculi inchoato, & per duo ferme Sæcula continuato, originem duxiſſe ejuſmodi Signa clypeis depictis impreſſa. Scilicet in certaminibus, atque in publicis Ludis, ut Milites alter ab altero diſtinguerentur, teſſeram aliquam omnium oculis obviam in Scuto pingendam curabant. Auctor eſt Willelmus Malmesburienſis Lib 3. de Geſt. Reg. Anglor. Gaufridum Martellum I. Andegavenſium Comitem certamen obtuliſſe Willelmo Notho Normanniæ Duci, cui *eximiâ arrogantiâ colorem equi ſui, & armorum Inſignia, quæ habiturus ſit, inſinuat*. Acta hæc videntur Anno MXLVII. teſte Willelmo Gemmeticenſi Lib. 7. Hiſtor. Normann. Ergo hinc inferre licet, Nobiles ad certamen Signum attuliſſe aliquod in armis inſcriptum, per quod inter ceteros dignoſcerentur. Verùm hæc Signa nondum Familiæ propria erant, ſed unuſquiſque pro libito ſibi ſumebat: alioqui nihil fuiſſet, quod Comes Andegavenſis clariſſimus Princeps Inſignia ſibi adhibenda Guillelmo Duci ſignificaſſet. Iiſdem quoque *Inſignibus armorum* uſi fuerunt in ſacra expeditione Hieroſolymitana tot Occidentis Nationes, Principes, ac Milites, ut ſenſim inter ſe diſtinctionem procurarent ejuſmodi ratione. Crucem præſertim diverſi coloris in Vexillis adhibuere Nationes, ac unius Urbis Populi. Quum autem ſub eo Signo celebrem plerumque famam ſibi peperiſſent Nobiles ac fortes Viri, idem propterea Signum, ante arbitrarium, ſive eodem Symbolo Clypeum diſtinctum, adhibere cœperunt eorum filii atque nepotes, tum in bellicis tum in ludicris certaminibus. Atque hinc paullatim invaluit peculiarium *Inſignium* uſus in Familiis Nobilibus virorum, quæ ideo *Arme* & *Armi* ab Italis appellata ſunt, & *Armes* ſive *Armoiries* a Gallis, quod in Armis effingi, ſeu pingi conſueverint, hoc eſt in Clypeis ſive Scutis. Summa autem prærogativa, ac nobilitatis indicium fuit, ejuſmodi Scuta præferre; ac proinde uti antiquiſſimis temporibus Græci & Latini, ita & Sæculis barbaricis Boreales Nationes Nobilium tumulis Clypeos appendere honoris gratiâ ſolebant. In Legibus Henrici I. Angliæ Regis legitur *Clypeus ſepulcris Militum* appenſus. Baldricus Abbas Burgulienſis in Carmin ad Scutum Raherii illuſtris viri, Tom. 4 Scriptor Francic. Du-Cheſnii circiter Annum MCXVIII. hæc habet:

A Domino viduata tuo jam parma quieſce &c.
Tuque diu valeas in titulo poſita.

Hujus moris meminit etiam Matthæus Paris ad Annum MCCLIV. Franciſcus Sanſovinus Lib 13. Venet. deſcription tradit, Marini Mauroceni, Anno MCCLI. Venetiarum Ducis, Scutum poſt ejus mortem ſuſpenſum fuiſſe cum ejus Inſigniis in Sancti Marci: quem morem ſubſequuti Duces retinuere. Ad hæc tabulis marmoreis ad ſepulcra Principum, ac inſignium Virorum apponendis addere mos fuit illorum effigiem inſculptam. Atque ex iis complures adhuc viſuntur manu Scutum militare tenentes, in quo gentilitia Symbola deſcripta apparent. Principes autem eadem Inſignia tamdem tranſtulere non tantùm ad Vexilla, ſed etiam ad Numiſmata, ſub eorum nomine percuſſa. Ita in Francorum Regum Vexillis, Nummis, ac Sigillis dumtaxat ſub Ludovico VII circiter Annum MCL. *Lilium*, ſive *Flos Lilii* fulgere cœpit, quod Symbolum reliqui Chriſtianiſſimi Reges familiare ſubinde habuerunt, uti Blondellus, Chifletius, & Nummi a Blanco collecti fidem faciunt, abjectis fabuloſis aliorum narrationibus.

Marchionum Eſtenſium Inſigne avitum eſt Aquila Alba. Hæc eadem in eorum militaribus Signis Anno MCCXXXIX. enitebat. Rolandinus Lib. 4. Cap. 12. ad eum Annum narrat, *Azzonem Marchionem Eſtenſem ad Caſtrum de Cittadella quaſi cum centum militibus equitaſſe. Eccelinus de Romano eâdem horâ cum militibus viginti vel circa de exercitu equitabat ad Cittadellam. His ergo duabus Aquilis ſibi ad invicem rectâ lineâ appropinquantibus equitando* &c In Decreto Populi Ferrarienſis Anno MCCLXIX. pro honore *Obizonis Dei & Apoſtolicâ gratiâ Eſtenſis & Anconitani Marchionis*, & perpetui Domini ſui, *& ad exaltationem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & excelſi Domini Karoli Regis Siciliæ, quorum devotum & fidelem ſe clamat Dominus Marchio*, iſta leguntur: *Quilibet octingentorum Peditum electorum, ſeu qui in poſterum eligentur, teneantur & debeant habere Inſignia Domini Marchionis, ſcilicet Aquilam, in ſuis armis, & cum ipſis trahere, & non cum aliis. Et qui contra fecerit, puniatur in quingentis Libris Ferrarinorum*. Eadem quoque Inſignia ad Nummos tranſlata dixi: & quoniam Scutum, in quo uſitatius erat, Inſignia ipſa picta deferre, ſculptum fuit in hujuſmodi Nummis, hinc *Scuta* appellari cœpti ſunt Nummi, ſub ea forma percuſſi: atque hæc appellatio adhuc in pluribus Italiæ Civitatibus conſtans perdurat. Deinde non tantùm in Clypeis inſcripta fuere gentilitia hæc Signa, ſed etiam in chlamyde, ſeu ſago militum, *nella Sopraveſte*, atque in ſtragulis equorum, uti Spelmannus & Biſſæus multis exemplis oſtenderunt. *Cognitiones picturatæ* appellantur a Matthæo Paris in Hiſtoria ad Annum Ch. MCCL. Ego plura non perſequor. Unum tantummodo memoraturus, ejuſmodi Familiarum Inſignia olim in veris tantùm Clypeis & ſagis ſpectata, ſpectari nunc ubivis, ſæpe etiam ſine Scuto, picta, inſculpta, inſuta, impreſſa. Præterea olim ad jus tantummodo Militum, ac proinde Nobilium, ſpectarunt; noſtris verò temporibus in Italia vel a cerdonibus, lanionibus, & reliquo ignobili vulgo, cui aliquantulum turgeat marſupium, ſummâ licentiâ uſurpantur. Videas etiam contemni paſſim apud Italos leges Heraldicæ Artis, quæ hac de re in aliis regionibus obſervantur. Et quidni? quum hæc levia, nulliuſque momenti pleriſque videantur.

antur. Si ita eſt, ego leviora, quàm alii, hæc ipſa putabo. Sunt autem, qui recens inventum arbitrantur teſſeras illas gentilitias, quibus Cognomina Familiarum exprimuntur. *Armi parlanti* nos ea appellamus. Et profectò ex iis complures nullâ antiquitate conſtant; nonnullæ etiam riſum vel a ſeverioribus extorquent. Attamen errant, qui omnia ejuſmodi Inſignia Cognominibus conformia unico decreto veluti vetuſtate carentia de medio tollunt. Nam etſi non ſatis mihi perſuaſerint nonnulli Artis hujus Scriptores, videlicet vetuſtiora potius eſſe quàm reliqua ea Symbola gentilitia, quibus Cognomen proditur: adhuc tamen pro certo habendum eſt, antiquiſſimas etiam Nobilium Familias, ubi ad ornamentum ſuum typum aliquem excogitarunt, arripuiſſe interdum, quos ipſum ſuum Cognomen ſtatim offerebat, ſive ii cognomentum iſtud ab aliquo ſuæ ditionis, ſive ab aliis cauſſis, quas in nuper memorata Diſſertatione XLII. *de Cognominibus* enumeravi, ii aſſumſiſſent. *Columnam* in ſuis clypeis impreſſit gens nobiliſſima *Columnenſium* Romanorum, quibus Caſtrum ſive Oppidum Columnæ Cognomen dederat. Ita præclariſſima Famiglia *Turrianorum*, ſive *della Turre*, quæ Mediolani olim dominata eſt, & adhuc in Foro Julii effulget, atque a Sæculis compluribus eximium nobilitatis locum apud Gallos retinet, *Turrim* pro Inſigni elegere. Ita ex arce Canoſſæ in Regienſi agro nobilis *Canoſſia* gens agnomen ſuum deduxit, quum ibi poſt inclytæ Comitiſſæ Mathildis obitum dominari cœperit, ut alibi oſtendi. Propterea *Canem os* (ſive *oſſum*, aut *oſſuum*, quod veteres nonnulli dixere) *ore ferentem* Scuto ſuo indidere. Potentiâ quoque olim, ac illuſtribus Viris in Tuſcia floruit Familia *Pannochieſca*, unde propagati ſunt Comites *d'Elci*, ornamenta antiquæ nobilitatis noſtris quoque temporibus ſervantes. Uti me per literas olim monuit Cl. V. Hubertus Benvoglientus Patricius Senenſis, in Charta nondum editâ concordiæ initæ inter Aldimarium Epiſcopum Volaterranum, & Raynerium Epiſcopum Senenſem, ſcripta Anno MCXXXVII. quam etiam commemorat Ughellius Tom. primo Ital. Sacr. in Epiſcop. Volaterran. hæc leguntur: *Itemque do & trado medietatem de augenteria, ſi inventa fuerit in terra, quam Creſcentius deceſſor meus beatæ memoriæ Volaterranus Epiſcopus*

A *emit a Comite Ranuccino Pannocchia*. Veri videtur ſimile, Ranuccino Comiti pro more eorum temporum, ut indicavi in Diſſertat. nuper memorata, accreviſſe apud vulgus Agnomen *Pannocchia*, quod in Cognomen gentis poſtea evaſerit; *Pannocchieſchi* enim appellati ſunt. Ea de cauſſa olim Inſigne ſibi ſtatuerunt modò ſex, modò quatuor, modò duas ſpicas, quas Latini meliores *Panuculas*, ſeu *Paniculas* vocitarunt, quales ſunt milicæ, milii &c. uti ex eorum Sigillis conſtat, atque ex antiquiſſimo lapide ſito in clauſtro Fratrum Minorum Maſſæ. Procedente verò tempore, eo Symbolo abjecto, quidam ex ipſis Aquilam bicipitem aſſumſere. Alii ſub Aquilæ pedibus B duas Paniculas locavere: quæ Inſignia in Scuto Comitum *de Elci* adhuc perdurant. Pannochieſchæ Familiæ Ughellius Tomo primo Ital. Sacr. tribuit, neque immeritò, Hildebrandum Epiſcopum Volaterranum, creatum Anno MCLXXXIV. Ad eamdem ſpectare Paganum quoque ejus Succeſſorem, Benvoglientus ſupralaudatus, dum vivebat, mihi ſignificavit. Celebratiſſima quoque apud Gallos Familia *de Crequy* nulli antiquitate concedit. At hæc teſſeræ loco Arborem ſtatuit, quam Galli *Crequier* appellant, Spenerus verò *Chamecæraſum* vocat. Plura addere nil intereſt. Diu autem mos obſervatus in Italia fuit, jus ejuſmodi Inſignium petere honoris cauſâ atque impetrare C ab Imperatoribus, aut a magnis Principibus. Cujus rei complura exempla apud veteres proſtant. Unum tantummodo in medium adferam, petitum ex Gualvanei de la Flamma Opuſculo Hiſtorico, quod evulgatum habes in Tomo XII Rer. Italicar. Quum Bruzius Vicecomes Anno MCCCXXXVI. in Germania militaret ſub Ducibus Auſtriacis, ab ipſis *poſſe Coronam Auream ſuper caput Briviæ* (ideſt Viperæ) *deferre ex maxima gratia poſtulavit. Quod ipſi Duces Auſtriæ cum magna difficultate conceſſerunt, quia hoc ſolis Ducibus Auſtriæ quondam pro magno munere conceſſum fuit. Tenor Privilegii talis eſt: Nos albertus & Otto Duces Auſtriæ* &c. & infra: *Bruzio Vicecomi-* D *ti, Viro ſtrenuo, Militi concedimus, totique parentelæ Vicecomitum, videlicet illis, qui de Matthæo & Uberto nati deſcenderunt, quod Coronam Auream poſſint portare ſuper caput Biveræ in galea, & bandereis, & clypeis, titulo feudali* &c.

DE PRINCIPIBUS AUT TYRANNIS ITALIÆ.

DISSERTATIO QUINQUAGESIMAQUARTA.

DISSERTATIO
QUINQUAGESIMAQUARTA.

AGe verò, poſtquam conſpeximus tot liberos olim in Italia Populos, oſtendamus etiam, qua ratione fere omnes ad Principes ſuam poſtea dominationem tranſtulerint, aut a Tyrannis primo oppreſſi, non ſuo, ſed alieno arbitrio, vitam ducere denique ſub Dominis didicerint. Et numquam quidem Principibus Italia caruit, poſtquam in ea ſedem fixere barbaricæ gentes. *Principis* appellationem latiori ſenſu heic ſumo, ut eos ſignificem, qui non Imperatoris, non Regis titulo præfulgebant, & nihilominus primas in Regno tenentes, Populo alicui imperabant, ſive id vicariâ poteſtate a Rege acceptâ facerent, ſive electione Populi, ſive autocratiâ, aliove titulo inter gentes legitimo. Quippe *Principis* nomen preſſiùs ſumtum, Auguſtis tantummodo, ac Regibus, Deſpotiſque a nullius temporalis Domini ſuperioritate pendentibus, tribui antiquitus conſuevit. Langobardis ac Francis in Italia regnantibus, immo & ſub priorum Cæſarum Germanicorum dominatione, hujuſmodi minorum Principum cœtum conſtituebant *Duces*, quales fuere *Beneventani*, *Spoletini*, *Tuſci*, *Forojulienſes*; e quibus primi autocratiam quoque, exciſo Langobardorum Regno, ſenſim arripuerunt, ſed inſtabilem, Occidentalis Imperii Auguſtis jura ſua in regione illa identidem vindicantibus. Erchemperto teſte in Hiſtor. Princip. Langobard. num 3. *Arichis primus Beneventi Principem ſe appellari juſſit, quum uſque ad iſtum, qui Benevento præfuerant, Duces appellarentur*. *Principis*, inquam, non *Regis*, titulum Arichis ſumſit ſtrictiori illa ſignificatione, ut ſe ſupremum Beneventani Ducatus dominum indicaret, neque Carolo Magno obnoxium, qui nuper, dejecto Deſiderio Rege, reliquum Langobardici Regni occuparat. Ita Dynaſtæ *Salernitani*, & *Capuani* ſeriùs enati, *Principis* appellatione ſunt uſi. Quem titulum etſi numquam uſurparint, qui Neapoli olim imperabant (ſatis enim iis fuit *Ducis*, aut *Magiſtri Militum*, aut *Conſulis* nomen) attamen & ipſi inter Principes ſine hæſitatione adnumerandi ſunt. Atque illi plerumque electione Populi creati ſunt, a quo, interdum quoque & ab Auguſtis Orientalibus, poteſtatem conſequebantur. Neque diſſimiles olim fuere *Venetorum Duces*. Principum præterea albo inſcribebantur antiquis iis Sæculis *Marchiones* & *Comites*, qui poſtremi apud Langobardos *Judices* etiam appellati fuere; illi Provinciæ uni, hi Civitati alicui per electionem Regis præfecti. Non nomine quidem ſed re, omnes iſti *Principes* ſunt habiti; & quoties in Hiſtoria temporum illorum commemorantur *Primores Regni*, *Principes Regni*, non alii ſignificantur quam *Duces*, *Marchiones*, & *Comites*; quibus & *Archiepiſcopi*, & *Epiſcopi*, & poſtea quidam præcipui *Abbates* adjuncti fuerunt. Quod verò in Italia contigit, idem in Regno Germaniæ, & Galliæ, ſive Franciæ Orientalis & Occidentalis, occurrit. Arnulphus Mediolanenſis Hiſtor. Lib. I. Cap. 2. Tomo IV. Rer. Italicar auctor eſt, circiter Annum Chriſti DCCCCXXXV. *ſtatutum fuiſſe generale Papiæ colloquium cunctorum Regni Principum*. Tum Cap. 7. tradit, Ottonem Magnum *conſilio Walperti Archiepiſcopi Mediolanenſis, aliorumque Regni Principum*, deſcendiſſe in Italiam. Ita alibi Scriptor ille Sæculi XI quo eodem Sæculo Wippo in Vita Conradi Salici, Lambertus Scafnaburgenſis, & Liutprandus Sæculi præcedentis Hiſtoricus, ac ſubinde alii paſſim ſub nomine *Principum* commemorant, quos nuper deſignavi. Porro antiquiſſimos hoſce Duces, Marchiones, & Comites, eorumque continuatam ditionem ac ſtirpem, nunc indica mihi, ſi potis es. Pleroſque ſuſtulit humanarum rerum viciſſitudo, ac temporis edacitas. *Veneti* tantummodo munus ac ſeriem ſuorum *Ducum* numquam interruptam ſervarunt, qui tamen, non uti olim per ſucceſſionem, ſed per electionem, ad ejuſmodi dignitatem nunc provehuntur; & ampliſſimam poteſtatem, qua vetuſtiſſimi Duces fruebantur, cum Senatu, aliiſque Magiſtratibus partiuntur, honore potius quàm re Duces. Prætergreſſa tamen eſt, divino munere, tot Sæculorum turbidum curſum inclyta *Marchionum Eſtenſium*, nunc *Mutinæ* &c. *Ducum* Familia, cui in Italia nullam antiquitate parem reperias, quæque Sæculo Chriſti Undecimo propagata in Germania præclariſſimam Brunſvicenſium Ducum ſobolem ad ſummam potentiam & gloriam evexit; eam ipſam videlicet, quæ nunc in magnæ etiam Britanniæ throno ſplendet. Hæc omnia certis rerum documentis ego jam ſtatui in Antiquitatibus Eſtenſibus Part. Primâ. Ita felici ſanguinis ſucceſſione ac poſſeſſione amplæ ditionis, ad noſtra uſque tempora perdurat ac floret antiquorum *Comitum Maurianenſium* (di Morienna) *ſimulque Marchionum* proſapia, in *Regiâ Sabaudienſium Ducum Familiâ*, cui Sardiniæ Regnum nunc ſubjectum illuſtres titulos auxit. *Marchiones* quoque *Malaſpinæ*, vetuſtiſſimâ nobilitate ſpectatiſſimi proceres, reliquias priſtinæ gentis ac ditionis tuentur; & ſi qui ſunt alii, certe pauci, qui ad Sæcula remotiora, ſine fabuloſis dubiiſve Chartis, aut Hiſtoriis, Genealogiam ſuam deducere poſſint. *Marchiones Montisferrati*, *Pelavicini*, *Cavalcaboves*, *Cevæ*, *Boſchi*, *de Carretto* &c. *Comites Guidones*, *Laumelli*, *Sancti Bonifacii*, *de Blandrate*, & horum ſimiles quondam percelebres, aut prorſus interierunt, aut in reliquorum Nobilium ſortem jamdiu conjecti fuere.

Nunc venio ad Civitates liberas. Cur ad Principes aut Tyrannos earum dominatio tranſlata ſubinde fuerit, brevibus dicam: Potiſſima cauſſa immutati regiminis fuit factionum Guelphæ & Gibellinæ furor, de quibus actum eſt ſupra in Diſſertatione LI. Aliis aut Imperatorum voluntas, aut vicinarum Civitatum ſive Principum potentia eminentior, aut induſtria, interdum etiam impotentia Civis alicujus modò volentibus, modò nolentibus jugum impoſuit. Hæc autem accurate diſtinguenda. Sunt enim ex ipſis antiquis Hiſtoricis, qui ſine ullo diſcrimine Principes poſt Sæculum XII. in Italia enatos, invidioſo *Tyrannorum* titulo traducunt. Qui ſi hanc vocem ſignificatione antiquiſſima uſur-

uſurpant, *Reges* tantùm, ſive *Regulos* indicantem, non obſiſto; ſi ut illegitimos dominos, atque immites in Populum deſignent, hercle ii falluntur, & de alienis actibus præcipiti affectu & judicio ſententiam ferunt. Dantes Alighierius Lib. 6. Purgatorii, circiter Annum MCCCVI. ſcribebat:

Che le Città d'Italia tutte piene
Son di Tiranni, & un Marcel diventa
Ogni villan, che parteggiando viene.

Itaque recolendum nunc eſt, quot ſimultatibus, odiis, belliſque etiam inteſtinis aditum olim aperuerit ſtudium Factionum, his Gibellinam, illis Guelpham ſectantibus. Vix ulla Civitas fuit, quam diſcordia non invaſerit, ac Cives diviſerit. Prœlia ſubſequuta ſunt, cædes & creberrimæ proſcriptiones. Quæ Civium pars ſolum vertere cogebatur, quæſitis ſociorum præſidiis, bello ſtatim patriam impetebat: & ubi vires majores ſuppetebant, alteram victam ipſa quoque pari exſilio multabat. Hinc nulla quies, nulla ſecuritas Urbibus tam diro morbo laborantibus. Quod ergo ſæpe accidit, aut altera ex ejuſmodi Factionibus illuſtrem aliquem virum ſibi in *Dominum* præficiebat, ut ejus ductu & auctoritate adverſarios comprimeret; aut inito conſilio utriuſque Factionis primores *Principem* ſibi deligebant, cujus prudentia & in eum translata poteſtas, idonea crederetur ad reſtaurandam pacem ruentis Reipublicæ. Quid heic, amabo, contra juſtitiam, aut adversùs gentium jura? Et iſtâ quidem ratione non raro factum eſt, ut revocatis exſulibus in patriam, ac pace reſtitutâ, animi pridem exulcerati tamdem quieverint, induerintque novam faciem Civitates uni Domino obedientes, quæ liberæ ſibi relictæ antea tam fœde inſaniebant. Ejuſmodi potiſſimùm beneficio ſubjectos Populos ſibi devinxit Azo Vicecomes, Mediolanenſium Princeps, e Beatrice Eſtenſi natus, qui Anno MCCCXXX. virtutibus non paucis effulſit. Gualvaneus de la Flamma in Opuſcul. de ejus reb. geſt. Tomo XII. Rer. Italicar. pag. 1040. inter conſuetudines ab eo invectas hanc primo laudat. *Prima lex fuit, quod omnes Civitates ſibi ſubjectæ abſque omni perſonarum acceptione ſuis Civibus eſſent habitatio tutiſſima, & omnes intrinſeci reducerentur in ſuam patriam. Et iſtius juſtiſſimæ legis & ſanctiſſimæ inceptor* (inter Vicecomites) *fuit illuſtris Miles Azo Vicecomes, ob cujus meritum poſſidet Paradiſum.* Certe non propterea extinguebantur inteſtina Civium odia, quæ & ſub Principibus in cædes interdum ac ſeditiones erumpebant; attamen Principum auctoritas tumultuantium animos plerumque in officio continebat. Primi autem, quibus Liberarum Urbium dominatio delata eſt, fortaſſe fuere *Marchiones Eſtenſes*. In duas Factiones (*Guelpham* & *Gibellinam* vulgus poſt aliquot annos appellare cœpit) ſciſſa erat Veronenſis Civitas ineunte Sæculo XIII. Imperatori faventem regebant Monticuli; adverſantem Comes Sancti Bonifacii, cujus majores titulo *Comitis* eamdem antea rexerant. Sibi ſocium adjunxit Comes Anno MCCVII. Azonem VI. Marchionem Eſtenſem, eumque Prætorem Urbis inſtituendum curavit. Exturbatus autem Marchio ab Eccelino II Eccelini III. Tyranni crudeliſſimi patre, armis rem egit, & fracto eodem Eccelino, atque Monticulis in prœlio, uti Rolandinus Lib. primo, Cap. 9. ſcribit, *ex tunc Marchio, & Comes Sancti Bonifacii toto tempore vitæ ſuæ, Veronæ dominium habuerunt*. En quomodo alterâ partium prævalente, dominatio Urbis ad eos Principes translata fuerit. Quod idem Ferrariæ contigit iis ipſis temporibus.

A morte Comitiſſæ Mathildis Libertatem ſibi aſſeruerat illa Civitas, aſſumtâ Reipublicæ formâ, quam diu etiam incolumem ſervavit. Multa in hanc rem dedi monumenta, in hoc ipſo Opere legenda. Immo & ante Mathildem, ſcilicet poſt Bonifacii Marchionis ejus patris obitum, ab illo Populo quæſitam fuiſſe Libertatem, Diploma indicat Henrici inter Auguſtos Secundi, Anno Chriſti MLV. ſcriptum, atque a me evulgandum infra in Diſſertatione LXVIII. *de Redemtione peccatorum*. Nunc eamdem veritatem confirmatum eo duobus aliis authenticis teſtibus, quos mihi Sereniſſimi Ducis Mutinæ Archivum ſuppeditavit.

Henrici V. inter Auguſtos, VI. inter Reges, Diploma, per quod Ferrarienſi Reipublicæ jus eligendi Judicem Appellationum concedit, circiter Annum 1195.

HEnricus *Dei gratiâ* Romanorum Imperator *ſemper Auguſtus*, *&* Rex Siciliæ. *Notum ſit omnibus preſentem pa- inſpecturis, quod nos fidelibus noſtris* ...ati *&* Communi Ferrarienſi, *Imperiali* ...itate *indulſimus, quatenus de Concivibus* ...liquem *eligant, qui Cognitor Appellatio-* ... *que ibidem emerſerint, exiſtat noſtrâ* ...ſione *& auctoritate. Ad cujus rei eviden-* ... *preſentem Cartam conſcribi juſſimus, &* ...o *noſtro communiri.*

...tum *apud Sanctum Johannem de Tavaza-* ...I. *Kalendas Junii.*

... *ego Armannus, Dei gratiâ Imperialis* ... *& tunc Poteſtatis & Communis Ferrarie* ...rius, *ut in Privilegio Domini Henrici*

A *Imperatoris ſua Bulla bullato vidi ſcriptum, & attente perlegi, ita nil addens & nil minuens, niſi fortè in compoſitione ſillabarum, ſed non quod ſenſus mutetur me ſciente, in hoc exemplo ſcripſi & ſubſcripſi. In Milleſimo Ducenteſimo Trigeſimo Primo, in Menſe Julii, currente Indictione IV. Ferrariæ.*

Atque hæc componenda ſunt cum Actis Pacis Conſtantiæ, Anno MCLXXXIII. ſtabilitæ, ubi de Appellationibus Civitatum Lombardicarum ſermo fuit, uti & de *Ferraria*, cui Fridericus I. tempus ſtatuit ad amplectendam pacem, ac ſuam gratiam. Subſequitur altera Charta ex eodem Archivo depromta.

Concordia inita inter Brixianos & Ferrarienſes occaſione controverſiarum inter Mercatores utriuſque Civitatis, Anno 1195.

... *Chriſti nomine. Anno Dominice Nativi-* ...tis *Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Quin-* ..., *tempore* Celeſtini Pape, *&* Henrici ...atoris, *die Tertio introëunte Menſe Ju-* ... *Indictione Tertiadecima, ſuper Palatio* ...unis *Ferrarie. Quoniam decet, univer-* ...ivitatum *Rectores dilectiones aliarum Ci-* ...um, *cum quibus familiaritatem habent,* ...tenere, *& ea, que ad concordiam, &* ... *inter eos pertinent, ut juſtitia, & ratio* ...eos *perſeveret, in omnibus facere: ideo* ...bercendas *malitias, & iniquitates homi-* ... *& ut dilectio & firma amicitia manute-* ... *inter Civitatem Brixie & ejus habitato-* ... *diſtrictum, & Civitatem Ferrarie, &* ...abitatores *& diſtrictum:* Nos Sallinguer... ...rrarie Poteſtas, *habito Sapientum Ferra-* ...nſilio, *& eorum voluntate Conſilio facto* ...mpanam *pulſatam, volens, ſi qua perpe-* ...ſunt *geſta inter Brixienſes & Ferrarien-* ... *bonum conducere: cum per Sapientes* ...rie, *ſcilicet per Ottolinum Mainardi, &* ...tum *de Luſia, qui voluntate noſtra, &* ...ntum *Ferrarie iverunt Brixiam ad ſta-* ...um *cum Conſulibus Brixie, & Commu-* ... *Mercatorum, de diſcordiis inter Ferra-* ... *& Brixienſes de rationibus Ferrarien-* ... *Brixienſium, eorum concordiam vidi-* ... *ſcriptis: quam concordiam Sapientibus* ... *placuit firmatam, & eam ratam habe-* ... *pro Conſilio, & eorum voluntate, Sa-* ... *in Conſilio approbaverunt. Unde ve-* ... *Manuel de Conciſio Conſul Communis* ...enſis, *& Albertus Gratacollus Conſul* ...torum *Brixie, & Inverardus de Guſſia* ... *Jacobus de Omis Nuntii & Delegati a* ...uni *Brixienſi, & a nobis petierunt ea,* ... *Cartula continebantur pro Ferrarienſibus* ... *per manum Johannis Notarii Henrici* ...atoris, *recipere velle: voluntate & con-* ...Communis *Ferrarie, & vice totius Populi* ...nſilio, *talem concordiam & convenientiam*

B *inter nos, & predictos Nuntios de Brixia fecimus. Quod Albertus de Luſia Miles, & Albertus de Luſia Judex, & Ottolinus Mainardorum, & Zininus, fecerunt finem in manibus Manuelis Conſulis Communis Brixiæ, & Alberti Gratacolli Conſulis Mercatorum Brixie pro Communi & pro Mercatoribus Brixie de omni eo, quod poſſent agere, vel d cere contra Commune Brixie, vel contra Marcatores, vel Homines Brixie, vel ejus Diſtrictus, exceptis Dominis de Bugizalis, quod non debent eos inquietare, vel aliquod malum eis facere. Et ita Dominus Sallinguerra Ferrarie Poteſtas promiſit pro Communi Ferrarie attendere & obſervare contra Commune Brixie, & contra Merca-*C *tores, ſicut in Carta pacti & concordie facte per Ottolinum Mainardi, & Albertum de Luſia continetur. Que concordia talis fuit. Quod Sallinguerra Poteſtas Ferrarie promiſit & convenit pro Communi Ferrarie ſupradictis Nuntiis Brixiæ nomine Communis & Mercatorum Brixie, quod de cetero non debent inquietare, nec violentiam facere contra aliquem hominem de Civitate Brixie, vel ejus diſtrictus: ſed ſolummodo ei, cum quo contraxerint, vel cui creditum fecerint. Item ſtatuit, & convenit cum eis, quod amodo in antea ſi aliquis de Civitate Ferrarie vel diſtrictus contractum, vel creditum fecerit, vel cui credidit, vel cui credet. Et verſa vice homines Brixie, & ejus*D *diſtrictus contra Ferrarienſes & ejus diſtrictus facere debent. Et ita promiſerunt. Et ſi aliquis de Civitate Brixie, vel de ejus forcia, contraxerit, vel creditum fecerit cum aliquo Ferrarienſe, vel aliquo Civitatis Ferrarie, vel diſtrictus, non debet inquietare vel petere, ſive exigere contra aliquem de Communi, vel de Mercatoribus Ferrarie, niſi cum quo contraxerit, vel cui credidit: ſed caute quiſque caveat, cui credat, vel cum quo contrahat. Et ita Sallinguerra Ferrarie Poteſtas ſupradicta omnia attendere nomine Communis Ferrarie, & obſer-*

vare,

vare, & facere attendere & conſervare Conſules Ferrarie, vel Poteſtatem, qui erunt per tempora, parabola & voluntate Conſiliatorum, qui erunt in Conſilio facto & pulſato cum campana Conſilium promiſit. Et Manuel de Conciſio Conſul Brixie, & Albertus Gratacollus Conſul Mercatorum Brixie, & Hinverardus de Guſſiago, & Jacobus de Omis Nuntii Communis Brixie pro Communi, & pro Mercatoribus Brixie promiſerunt idem attendere & conſervare. Et ideo prenominati Conſules Communis Brixie & Mercatorum dederunt nomine Communis & Mercatorum Brixiæ in manibus Domini Sallinguerre Poteſtatis Ferrarie pro Communi Ferrarie in predicto Conſilio quindecim Libras Imperialium pro pacto & concordia ſupradicta interveniente.

Quam concordiam & cartam, atque pactum factum confirmavit Dominus Sallinguerra Ferrarie Poteſtas, nomine Communis Ferrarie, voluntate Conſiliatorum, qui inferius ſcripti ſunt, qui hanc Cartulam confirmaverunt, & eis placuit: ideſt Jacobus Tročto, Petrus Bonus Procuratores Communis, qui fuerunt teſtes, Pecorarius, Guntardus, Petrus de Remengarda, Pes-ſuricis, Petrus Vicentiæ, Albertus de Veo, Gimbaldus, Rainaldus de Guatarella, Banojus, Tranſmundus, Iſnardus de Quarazolo, Sucius, Zilius Furni, Petrus de Albaro, Baſilius, Deodatus Judex, Girardus Benboni, Pelegrinus Notarius, Zuprianus Daniel, Lenguetta, Jacobinus Jacobi de Trotte, Albertus Zorzi, Capudulupi, Saviolus, Simeon, Marchiſinus Biaque, Rainerius, Zambonus, Bonus, Gozettus, Guido Baituus, Gibilius, Ubaldus Notarius, Peligrinus, Arlottus, Uguicio, Presbiterellus, Capudbovis, Bonusinſegna, Michilittus, Aldrovandinus, Gibertinus, Artuicus, Johannes Capallus, Banzolinus, Donus dictus Tacanus, Ubaldinus de A *Uguizone, Ricobaldus, Saviolus, Manarettus, Clarimbaldus, Girardinus Tantobelle, Albertus Maglavacca, & plures alii in pleno Conſilio.*

Verùm Ferrariæ invaluerant jam Factiones. Altera ab Imperatoribus ſtabat; nam & hi in eam Urbem, ut nuper innui, ſupremum jus ad ſe pertinere cenſebant. Altera vero Pontificum Romanorum partes tuebatur: ii enim ex antiquis Regum donationibus, immo peculiari quadam ratione, ſui juris Ferrarienſe contendebant. Donizo in Vita Mathildis Comitiſſæ auctor eſt, Thedaldum Marchionem illius Avum, Ferrariæ dominatum fuiſſe ex conceſſione Romani Pontificis. An is B Inveſtituram Pontificiam viderit, dubitare fortaſſis alicui ſuccurrat. Sed quod ille tradit, certos nos ſaltem facit, non alio titulo, quàm Pontificio Comitiſſam illic imperaſſe, ipſamque Urbem, rebellione antea ſubtractam, receptam fuiſſe ab ea Anno MCI. Itaque ſtudia Ferrarienſis Populi diu diviſa ſtetere. Præerant factioni Pontificiæ, quam Guelpham poſtea appellarunt, *Guilielmus* ſenior *de Marcheſella*, ejuſque filii *Guilielmus* atque *Adelardus*. *Princeps in Populo Ferrarienſi* appellatur Guilielmus junior a Ricobaldo, hoc eſt, eorum dux, & caput, qui juribus Romani Pontificis ſtudebant. Alterius partis Principes fuere C *Salinguerra* ſenior, de qua in Charta Veronenſi Anni MCLI. Tomo V. Italiæ Sacræ hæc leguntur: *Dominus Salinguerra, cui ſoli, Ferrarienſes omnem Reipublicæ curam gubernandam mandaverant*. Huic ſucceſſit Taurellus ejus filius, ad quem ſpectat Charta, a Collectaneis MStis Peregrini Priſciani mihi ſuppeditata, quam e tenebris eductam Lectori heic offero.

Inveſtitura multorum bonorum data Taurello filio Salinguerræ Nobili viro a Stephano Epiſcopo Ferrarienſe, Anno 1186.

IN *Dei nomine. Anno Chriſti Nativitatis Milleſimo Centeſimo Octuageſimo Sexto, tempore* Urbani Pape, & Federici Imperatoris, *die XII. exeunte menſe Julii, Indictione IV. Ferrarie, in domo Epiſcopi. Ego* Stephanus *Dei gratiâ ſancte* Ferrarienſis Ecclesie Epiſcopus, *inveſtio te* Taurellum de Salinguerra *per Feudum ad uſum Regni, de omnibus rebus & poſſeſſionibus illis, quas* Comes Manfredus *per Dominam Agnetem Uxorem ſuam quondam habuit, vel habere debuit de Feudo a Sichelmo & Imiza Uxore ſua, vel a Caſoto eorum filio invento, ut in Chartulis Feudi ab Eccleſia Sancti Georgii Epiſcopatus Ferrarie acquiſiti continetur, ſecundùm quod facere audeo & poſſum. Et ſimiliter omnia ea, que in emphyteotycariis illorum Inſtrumentis ab Eccleſia predicta illis conceſſis continetur, & ſcripta eſſe reperiuntur, jure emphyteotyco ſecundùm formam communem Eccleſie noſtre, tibi, tuiſque filiis & nepotibus concedo: ita ut tu, filiique tui & nepotes annualiter in omni menſe Martii penſionis nomine debeas mihi, meiſque ſucceſſoribus dare Imperiales duodecim. Et omnia, ut ſuperius legitur, in Feudum & emphyteoſym tibi concedo, que in Cartulis reperiuntur; excepto Bradiam Firminiane, que* D *fuit quondam Johannis Pauli, & tenutam, quam tenet Albertus de Aldigerio, & Rainaldus de Guaterela de bodere predicto, quod quondam fuit de Domino Sickelmo, & Imiza Uxore ſua, atque de Caſoto eorum filio. Pro eo quia recuperaſti Francolinum, per Libras XXVI. denariorum Imperialium, a Manfredino Tallevacio, quas ei debebam pro debito a* Presbiterino Epiſcopo *Predeceſſore meo facto, & ſolviſti Libras CCXXV. denariorum Veronenſium Amnano de Giruino Verone, pro debito a* Domino Tebaldo Epiſcopo *Predeceſſore meo facto. Et ita do tibi Albertum de Aldigerio, qui tenutam predictarum rerum mea vice corporaliter tibi, ut ſupra legitur, tradat. Et inſuper* E *rogo Notarium, ut ſcribat, & omnes circumſtantes, ut teſtes conſiſtant, videlicet Dominum Guidonem Aruerium, Stephanum de Gabiana Judicem, Martinum de Ricardo, Albertum de Aldigerio, & Pegolotum, aliosque omnes.*

Et ego Enricus Dei gratiâ ſancte Ferrarienſis Eccleſie, ſacrique Palacii Notarius interfui, & coram teſtibus rogatus, ut intellexi, ſcripſi.

Taurello tamdem ſucceſſit in dominatione Ferrariæ *Salinguerra* nepos, ille ipſe videlicet,

cet, qui, ut nuper vidimus, Anno MCXCV. Præturam Ferrarienſium egit, vir mirâ calliditate, geſtiſque ſuis inter illius temporis Proceres famoſiſſimus. Is, Rolandino teſte, Lib II. Cap. II. Hiſtor. Vaſſallus erat Marchionum Eſtenſium. Auctor Chronici Parvi Ferrarienſis Tomo VIII. Rerum Italicar. pag. 481. hæc habet: *Guillielmus Marcheſellæ de Familia Adelardorum, unius partis Princeps erat Ferrariæ: alterius verò Taurellus Salinguerræ.* E vivis circiter Annum MCXC. exceſſit ſine ulla maſcula prole Guilielmus, & unicam filiam reliquit, Salinguerræ juniori uxorem poſtea deſtinatam: quod conjugium dicitur ipſe parens collaudaſſe, *ſaluti Reipublicæ Ferrariæ providere cupiens, ne Civitas diſcordiis laceraretur & bellis.* Verùm Petrus de Traverſaria in Ravennate Populo Princeps, aliique æmuli infeſti Taurello, ejuſque filio Salinguerræ, puellam ex eorum domo ſubductam, Obizoni, ſeu potius Azzoni VI. Marchioni Eſtenſi in matrimonium conjunxere, *ut is* A *Capitaneus eſſet ejus partis, quam foverat Guilielmus*, & cui antea Marchiones Eſtenſes fuerant adverſati. Hæc omnia tradunt idem Auctor Chronici Parvi, & Ricobaldus, & Franciſcus Pipinus in Hiſtoriis, a me editis in Collectione Rer. Italicarum. Atque hinc amplificata eſt Eſtenſium potentia; qui enim antea dominabantur Oppido Ateſtino, Montagnanæ, Rhodigio, ejuſque Policino, aliiſque Oppidis & Caſtellis in feliciſſima Italiæ plaga, præter opulentiſſimam aliorum Caſtrorum, ac Allodiorum hereditatem, ex iis nuptiis reportatam, etiam dominationis partem accepere Ferrariæ. Et aliquot quidem annis concordi conſilio hi duo Principes Populi, veluti B Romanorum olim Conſules, non ſolùm Urbem illam in tranquillitate rexerunt, ſed etiam inter finitimas Civitates læſam pacem reſtituendam curarunt: quod elucebit e Charta quam vetuſtiſſimo Regeſto Civitatis Mutinenſis acceptam refero.

Charta Compromiſſi diſcordiarum inter Populum Mutinenſem & Regienſem vigentium facta a Prætoribus Mutinenſibus in Prætores Cræmonæ & Parmæ, curâ Azonis Marchionis Eſtenſis, & Salinguerræ, Anno 1202.

C IN *Chriſti nomine. In Milleſimo Ducenteſimo Secundo: tempore* Innocentii Papæ, *die XI. exeunte menſe Junii, Indictione V. in Caſtro Marzaliæ, in præſentia* Domini Marchionis Azi, *&* Salinguerræ, *& Domini Uberti de Imblavato Poteſtatis Ferrariæ, Marcheſini & Octolini de Maënardis, Jacobi Fontanæ, & aliorum multorum, juraverunt ad ſancta Dei Evangelia Manfredus de Pizo, & Barufaldus Poteſtates Mutinæ pro Communi Mutinæ, & aliis inferius ſcriptis, ſtare & obedire omnibus præceptis Domini Conradi de Summo Poteſtatis vice ſuorum ſociorum Poteſtatum Cremonæ, & Domini Guidonis Lupi Poteſtatis Parmæ, nomine Communis Parmæ, vel aliorum, quibus a Conſiliariis utriuſque Civitatis ſimul congregatis ad campanam ſonatam ſine fraude commiſſum fuerit, quod fecerint concorditer, ſcilicet de omnibus diſcordiis & litibus, quas habet Commune Mutinæ cum Commune de Regio, & Commune de Regio cum Commune de Mutina, & de pignoribus dandis, & juratoribus, & obſidibus, & de omni ſecuritate, quam petierint in concordia per rationem, ſi placuerit partibus, vel per convenientiam uſque ad finem ſine timore, & ſine omni fraude. Iſti verò juraverunt eodem modo, Guizardus de Colornio, & alii plures.*

Ego Magiſter Presbyterinus, Dei gratiâ Imperialis Aulæ Notarius ad hæc præſens rogatus ſcripſi.

Concordes quoque *Azonis Marchionis Eſtenſis*, & *Salinguerræ* junioris animos in Reipublicæ Ferrarienſis regimine, ex altera Charta D ejuſdem Archivi edisces, nempe ex pactis initis inter Mercatores Mutinenſes ac Ferrarienſes Anno MCXCIX. quo ipſo tempore Salinguerra Prætorem Ferrariæ agebat, & Azo Marchio Præturam Patavinam gerebat.

Compromiſſum & Sententia inter Mercatores Mutinæ, & Aſſazatores Salis Ferrariæ, Anno 1199.

IN *Chriſti nomine . Anno Dominicæ Nativitatis Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Nono,* tempore Innocentii Papæ , *die VII. intrante menſe Aprili , Indictione Secunda , in Canonica Eccleſie Sancti Nicholai de domo Domini Taurelli . Cum diſcordia fuiſſet inter Mercatores Salis de Mutina & Aſſazatores Salis Ferrarie , de Sale , quia dicebant Mercatores Salis de Mutina, quod non debebant dare Aſſazatoribus Ferrarienſibus aliquid pro aſſazatura vel denonciatura, vel pro alio aliquo in Ferraria vel ejus diſtrictu : econtra Aſſazatores Ferrarie dicebant , dare Mutinenſes eis aſſazaturam , & aliud , ſicut alii dabant . Unde Dominus Guizardus de Colornio Judex Domini Comitis Ugolini de Panico Poteſtatis Mutine , & Judex Communis Mutine , & Benencaſa Conſul Mercatorum Mutine pro Mercatoribus Mutine , & Communi Mutine, Nuntii a Poteſtate Mutine delegati , & a Mercatoribus ſuis, Ferrariam venientes , de predicta lite in* Dominum Salinguerram Poteſtatem Ferrariæ , *& Dominum Pium , & Jacobum de Trota , & Cyprianum , amicabili compoſitione ſe dimiſerunt , promittentes obſervare , quæ inter eos laudaverint . Et Maſſarii Aſſazatorum Ferrarie , ſcilicet Guido , Avianus , Capibonus , pro ſe & aliis Aſſazatoribus Ferrarienſibus hoc idem fecerunt , & attendere promiſerunt . Qui concorditer laudaverunt , ut Aſſazatores Ferrarie habeant pro aſſazatura Salis pro unaquaque Navi de Sale , ſive ſit parva , ſive ſit magna , pro unaquaque volta , ſeptem Imperiales , & non plus , ſive pro aſſazatura , ſive pro denontiatione , vel pro alio a Mutinenſibus. Et Mutinenſes illos ſeptem Imperiales pro unaquaque Navi magna vel parva , pro unaquaque volta pro Navi Salis Aſſazatoribus Ferrarie in Ferraria vel ejus diſtrictu ſolvant . Et ita inter ſe laudaverunt & firma eſſe præceperunt, Teſtes adfuerunt Dominus Duxius , Prodomus, Bonus Martinus de Mutina , Andreas , Benecaſa , & alii plures . Poſt hæc die IX. ejuſdem menſis Aprilis in pleno Conſilio Ferrarie* Dominus Salinguerra Ferrarie Poteſtas *de voluntate Conſiliatorum Ferrarie laudamentum factum confirmavit Domino Guizardo Advocato Mutine vice Mercatorum de Sale , & pro his Mercatoribus Salis, & Benencaſa Conſuli Mercatorum Mutine , & pro omnibus Mercatoribus Mutine . Ad quam publicationem laudamenti & confirmationem fuerunt teſtes* Dominus Marchio Azo , *Dominus Pio , Signorellus , Octolinus Mainardi , Marchixinus Mainardi , Tuurolus , Ugutio Contrarius , Jacobus Trote , Marchixinus Parvus , Gontardus , Ginibaldus , Johannes Periculi , Traſmondus , Landulfinus , Guido Sabloncelli , Petrus de Albaro , Andreas Judex , Albertus de Luſia Miles , Johannes Juridicono , & alii .*

Et ego Magiſter Presbiterinus , Dei gratiâ Imperialis Aulæ Notarius , ad hec preſens & rogatus voluntate Poteſtatis Ferrarie & Conſilii hanc Chartam ſcripſi .

Ut vides, Patavina Prætura *Azonem Marchionem* minime impediebat , quin identidem Ferrariam proficiſceretur , & Reipublicæ illius negotiis vacaret . Verùm ex quo , ut ſupra innui , ſimultates exarſere inter eumdem Marchionem Anno MCCVII. & Eccelinum poſtea Monachum , occaſione Veronenſis Præturæ Salinguerra Gibellinus Eccelino ſuæ factionis ſodali auxiliares manus præbens , Ferrariæ ſeditiones movit, atque inde eliminandum Marchionem , ejuſque partem curavit . Secus tamen accidit ; nam uti in Antiquitat. Eſtenſ. Par. I. Cap. 39. oſtendi , & Antonius Godius in Chronic. March. Tarviſin. Tomo VIII. Rer. Italicarum , nos docuit , Marchio Salinguerram Anno MCCVIII. *cum parte ſua expulit de Civitate Ferrariæ* , & Ferrariæ *Dominus generalis ac perpetuus* a Populo fuit renuntiatus . Acta hujus electionis in iiſdem Antiquitatibus Eſtenſibus protuli. Atque ita ſibi conſulere cœperunt Factiones Urbium , quoties æmulis præpollebant , juſtumque titulum imperandi novis Dominis detulere . Verùm inſequenti Anno MCCIX. aut MCCX. Ferrariæ receptus eſt Salinguerra , quum inter illum & Azonem Marchionem Otto IV. Auguſtus pacem reſtauraſſet . Sublato e vivis eodem Azone VI. Marchione Anno MCCXII. factionis Guelphæ regimen in Ferrarienſi Civitate devenit ad *Aldevrandinum Marchionem Eſtenſem* illius filium, qui tunc eidem Civitati præerat, munere Prætoris fungens . Itaque rurſum dejecto cum aſſeclis ſuis & expulſo Salinguerrâ , Aldevrandinus cum Parmenſibus & Mutinenſibus fœdus iniit , ut hoſti ſubſidiis exteris ſuffulto obſiſteret . Verùm non ita multo poſt Salinguerra a Ferrarienſibus receptus , dominationis conſors factus cum Marchione videtur , ſed & ſubinde dejectus . Quumque is in Caſtro Pontis Ducis Mutinenſes infeſtaret, iſti in obſidionem loci juſto exercitu convolarunt, & nova pacta inierunt cum nuper memorato Marchione & Republica Ferrarienſi , de evertendo Caſtro eodem , uti fidem facit Charta, ex Regeſto Communis Mutinæ depromta .

Qualiter

Qualiter Ferrarienſes jurant Mutinenſibus pacem tenere, & operam dare, ut Caſtrum Pontis Ducis deſtruatur, & deſtructum perpetuo teneatur, Anno 1212.

Sancti Spiritus adſit nobis gratia. Anno a Nativitate Domini MCCXII. Indictione XV. in Palatio Communis Ferrariæ, temporibus Innocentii Papæ, *&* Octonis IV. Imperatoris Romani, *die Dominico XVI. menſe Decembri. Forma ſacramenti & promiſſionis factæ a Ferrarienſibus Communi Mutinæ, & Mutinenſibus, talis eſt. Ego Ferrarienſis juro bona fide facere & operam dare, quod Caſtrum Pontis Ducis totum deſtruatur, & deſtructum habeatur & teneatur, nec perpetuò pro Communi Ferrariæ, nec pro aliquo Communi alicujus Civitatis, vel Terræ, ſive perſonæ, vel perſonis Secularibus vel Eccleſiaſticis reædificetur. Et omnibus reædificare volentibus, aut aliquo modo ibi domum vel Villam, ſive aliquod ædificium facientibus pro poſſe reſiſtam. Item juro, quod a Muclena ſuperiùs versùs Mutinam aliquod Caſtrum vel Villam, ſive habitantiam pro Communi Ferrariæ, nec pro aliqua perſona vel perſonis Epiſcopatus Ferrariæ vel diſtrictus, aut aliunde, non faciam, nec eſſe permittam. Et ſi aliquo tempore Caſtrum Pontis deſtrueretur pro Communi Mutinæ, vel pro aliqua Terra vel perſona ſive perſonis occaſione Communis Mutinæ, totum quod ſuperius legitur, obſervabo; nec umquam de Communi Mutinæ, nec de aliqua perſona vel perſonis de Epiſcopatu Mutinæ vel diſtrictu pro damno dato in Ponte & ejus pertinentiis de deſtructione ipſius vel alicujus Terræ, ſive perſonæ, quæ fuerit in ſervitio Communis Mutinæ, vindictam in perſona nec in avere recipiam vel imponam, nec recipi permittam: nec querimoniam aliquam inde faciam, nec fieri permittam; & perpetuò Commune Mutinæ & homines ejuſdem Civitatis, & omnes ad hoc Commune Mutinæ adjuvantes, indemnes conſervabo. Nec cum* Salinguerra, *nec cum* Ariverio ejus filio, *nec cum* Albertino nepote ſuo, *nec cum aliqua perſona vel perſonis de Ferraria, vel diſtrictu ejuſdem, pacem vel concordiam faciam, nec eſſe permittam, nec in Ferraria, neque in diſtrictu Ferrariæ habitare, niſi prius juraverint & promiſerint ad voluntatem Communis Mutinæ totum, quod ſuperius legitur, obſervare, & perpetuò firmum tenere, & dictum Caſtrum penitus deſtruxerint. Et totum, quod continetur in pacto & concordia inter Ferrarienſes & Mutinenſes, ſecundùm quod continetur in Inſtrumento ſcripto per manum Berardi Notarii, perpetuò obſervabo, eo excepto, quod non tenear dare totum Salem Mutinæ, nec Mutina accipere teneatur, niſi quantum accipere voluerit. Item juro Mutinæ dare quantum Salem emere voluerit, & ad raſoram rotundam, habentes Mutinenſes poteſtatem emendi ubicumque, & a quocumque Ferrarienſi voluerint in Ferraria, & non ad ſortem. Et Piliparios Mutinæ ponam in rectitudine binæ Pilipariorum Ferrariæ, & tenebo de ſoto. Et Merzarios Mutinæ ponam & tenebo in bina Merzariorum Ferrariæ, & eiſdem dabo & aſſignabo Stationes, quantaſcumque voluerint. Et nullam datiam auferam Mutinæ, ultra quàm ſtatutum eſt in Charta prænominata, occaſione ſigilli, vel pontis, ſive aſſazatorum, vel ali-*

A *qua alia occaſione. Nec imponam amplius ad hoc, ut cum aliquo prædictorum graventur. Et ſi mihi impoſuero amplius deſuper impoſito, Mutinenſes non gravabo. Nec Piſcatoribus Mutinæ auferam aliquid de centonario piſcium. Item do licentiam & poteſtatem Mutinenſibus faciendi & tenendi Caſtrum a Croxeta, qui eſt proximior Fornaci de Ponte versùs ſero, ubicumque voluerint: & illud Caſtrum habeant, & teneant, & diſtringant ad utilitatem & voluntatem Communis Mutinæ, ſine contradictione Communis Ferrariæ, vel alicujus Ferrarienſium. Et ſi quod jus habeo pro Communi Ferrariæ, vel aliqua alia occaſione in Ponte Ducis & ejus Curia, territorio & diſtrictu, & in*
B *illo loco, ubi Caſtrum ædificabitur, illud do, cedo, & remitto Mutinenſibus, & Communi Mutinæ. Item juro & promitto dictum Caſtrum, quod Mutinenſes ibi fecerint, & locum & jus, quod habeo in prædictis locis, perpetuò conſervare & defendere Communi Mutinæ ab omni contradicente perſona. Nec unquam dicam, nec querimoniam imponam de Mutinenſibus, nec de Communi Mutinæ, de prædictis locis. Nec operam dabo, ut prædictum Caſtrum deſtruatur, & quod prædicta omnia Mutinenſibus a Ferrarienſibus & Communi Ferrariæ non teneantur & conſerventur. Et juvabo Mutinenſes & Commune Mutinæ a* Salinguerra, *& contra Albertinum, & eorum filios, &*
C *contra omnes Ferrarienſes de eorum parte in toto Epiſcopatu & diſtrictu Mutinæ. Et faciam jurare Poteſtatem Ferrariæ, attendere & obſervare totum, quod ſuperius legitur. Et Poteſtas & Rectores Ferrariæ teneantur facere jurare omnes Ferrarienſes de diſtrictu Ferrariæ, hæc omnia obſervare de diſtrictu Ferrariæ a XIV. annis ſupra, & ab LXXX. infra. Et teneantur Poteſtas & Rectores Ferrariæ facere jurare ſuos ſucceſſores in regimine, omnia ſupradicta perpetuò obſervare & tenere. Et non tenebo ego Ferrarienſis per Poteſtatem, vel Rectorem Ferrariæ aliquem, qui hoc ſacramentum non fecerint, & quod ſuperius legitur, non obſervaverint. Et ſingulis quinque annis te-*
D *neantur Ferrarienſes renovare hoc ſacramentum ad voluntatem Rectorum Mutinæ.*

Actum eſt hoc ſolemniter, & ſacramento firmatum in publico Conſilio Ferrarienſium ad campanam pulſatam per infraſcriptos Cives Ferrariæ, quorum nomina ſunt hæc: Dominus Zoculus de Girardo de Riticherio, & Dominus Guillielmus de Joculo, Dominus Bazalerius, Tedelgardus Bernardus, Jacobinus de Trota, Dominus Aldevrandinus de Suxinello, Jacobinus de Vetula, tunc Judex Domini Aldevrandini Poteſtatis Ferrariæ, Guido Vicedomini, Dominus Philippus, Dominus Gavinellus, Jacobinus Bocapizole, Bondenarius, Bonvicinus, Paganellus, Octolinus de Aral-
E *dino, Petrus de Gragnano, Prandus, Abellertus, Bolognolus, Gregorius, Bonzaninus, Gatarius, Yſepus, Petrus de Anſaldo, Cavalerius, Petrocinus, Petrus Blancus, Martinus Bancius, Altronus, Girardus, Petrus de Vaſallo, Ferriſius de Ariberto, Petrus de Bergamo, Mercadellus, Aicardinus, Bonuſ-*

dies,

dies, Blaxiolus, Rodulfus, Ugicio, Ugolinus, Benatus, Girardinus, Janebonus, Benaſutus, Bonenſegna, Blancus, Bonenſegna, Dominicus, Peligrinus, Giliolus, Arduinus, Guilltelminus, Martiliolus, Novelonus, Petrus, Martinus, Curtus, Bonaccurſus, Bonmercatus, Lanfrancus, Martinus, Bonaventura, Fulcolinus, Vivianus, Vitalis, Orabona, Bancius Ariſendæ, Formignanus, Martinus de Guidone Magino, Dominicus, Aprilis, Girardus, Ubertinus, Valerius, Leonardinus, Domnicellus, Paulinus, Aldigerius, Martinus, Ugiclo Preitis, Diodatus, Tebaldinus, Fenzolinus, Warnellus, Dominus Guadolo, Stephaninus, Paga Notarius, Bonus mercatus, Gregorius, Recordatus, Animanigra, Morinus Bellinus, Bonenſegna, Petrocinus, Johannes Guillielminus, Bonusjohannes, Acarinus, Belcarus, Ugnibene Tabelio, Michaëlè, Peligrinus Notarius, Bonaventura Præco, Johannes de Ficario, Manzoffus Notarius, & Bonusfacianus Præco. Bulgarellus, Guidetus de Arduino, Tebaldinus Hombonus, Nicola Piſtor, Fereareſius de Cardello, Janebonus de Aldevrando, Paſſolinus, Mathiolus Zeſſariæ; Acuriglatti, Lixignolus, Dominicus Zeſſariæ, Ginamus Petrus de Ramburga, Picettus, Omnebonum, Petricinus de Curlo, Petrusbonus, Jacobus, Aymericus, Henricus Teotonicus, Maguncellas, Pelligrinus de Ciſta, Gualterius, Guidolinus Bernardinus, Manzolus; Guidoctus, Florellus, Blancus, Bonmartinus de Boſio, Dominicus Caſſani, Johannes de Carpenteria, Guidolinus de Manzenculo, Mercadellus, Omnembonum, Petrus Bellinus, Carnelvarius, Romanellus, Petrus de Baila, Petrus Lombardus, Johannes Clemens Zambonellus, Martinus de Imola, Damianus, Petrus Ubaldinus de Sanſilveſtro, Ugolinus de Tricenta, Egidiolus de Fabio, Jacobinus Guidi, Hoſpinellus, Guidetus, Guido Medicus, Lambertellus, & Bertoloctus, Martinellus, Bommartinus, Lazarinus Vitalis, Albertinus, Geminianus, Rubeus Notarius, Jacobinus Præco, Aicardinus Præco, Michaël Præco, Donzellus Præco, Mercadellus, Martinus dal Canone Præco, Bocabella Præco, Jacobinus de Padua Præco, Iſaias Præco, Donnicellus Præco, Dunzellus Præco, Selvagnus Præco, Azolinus Præco, Johannes Hoſpinelli, Bonusjohannes Præco, Marchixinus Biaque, Leonardus, Tuſcus, Ricus, Baxilius, Ferarius, Martinus de Bondeno, Johanninus Albarinus, & Lobertus Falbinus, Petrus Paulus, Petrus Dalmianus, Petrus Andreas, Bonfantinus de Sileto, Mainardinus Domini Octolini de Ainardo quondam filius, Bonaventura, Guido Boxii, Richelmus, Guido de Arnaldis, Giliolus de Biſſone, Mainardinus de Beis, Marchixinus Pizolus, Petrus Caracius, Girardinus Palmirolus, Baſtardus Alferii, Nicolaus de Cildetino, Cudiginus, Molendinarius, Mercadellus, Matthæus, Monachinus, Leus, Rodulfus, Egiliolus de Ferara, Donnicellus, Ferarixius de Calcagno, Bajolus, Girardinus Arloctus, Girardinus de Bancio, Petrus filius quondam Domini Marchixini, Vivianus Burniola, Guido de Bochenpane, Girardinus de Alberto Cobello, Martinus quondam Mainardini, Ledoicus Judex, Martinus, Pelligrinus Cavacie, Coculus, Bonusjohannes, Albertinus de Muſſa, Damianus, Girardus de Rivarolo, Johannes de Bernamo, Daineſius, Donadinus, Ugicionus Ferarixius, Crivilarius, Bonuſſegnor, Airicus, Albertinus, Rainaldinus, Coloredus, Michaël Bonzaninus, Baxilius Rubeus, Johannes de Donorio, Stephaninus, Cagnolus, Petrizolus, Pelligrinus, Ugolinus, Ramondellus, Gibertinus de Boaria, Guido, Bernardinus, Johannes, Ugolinus, Johannes de Gibertino, Marzolus, Segnorius, Albertinus, Andreas Gregorius, Guillielminus, Martinus, Fantebonus, Valanellus Ugetus, Zamboninus de Boaria, Bonefacinus, Aimolinus, Albertinus, Adamus, Paſqualis, Jacobinus Sartus, Sigicius, Foſcardus, Jacobinus, Guillielminus, Mercadellus, Benedictus, Petricinus, Carnelvarius, Belliemus, Ricetus, Rainerius Canzolinus, Arnulfus, Gregorius, Dominus Ubertinus, Martinellus, Peppus, Bozarius, Anſelminus, Selvagnus, Bonfantinus, Albertinus de Bulgaro, Baxilius, Zoannes, Jacobinus, Iſnardus, Benatus de Pezulo, Bonfilius, Gabus, Nataluctus, Marcius, Bonfadus de Omelde, Guido, Ugolinus, Bonusjohannes, Brunus, Manzolus, Bene, Pajentellus, Johannes, Jacobinus, Manzinus, Sigifredus, Laviencius, Araldolus, Bolgarellus, Cavaldolus, Petrus, Jacobinus, Ugolinus de Gondoalto, Anzelus, Bonaventura, Albertinus, Jacobinus Notarius, Stephaninus, Ubertinus de Coradino, Waleca, Vandus, Muttus, Mercadellus, Henrigetus, Manfredus, Nicolaus, Dozarius, Juſtus Jacobinus, Fantinellus, Zaninus filius Federici, Ugolinus, Petrocinus, Romaranus, Bonifacius, Benvenutus, Thomaxius, Guido Contrarius, Petrizolus, Capparellus, Donnicellus, Andriolus, Jacobinus Magiſter, Freducius, Frugerius, Bancolinus, Petrus Raſorius, Salix, Albertone, Coradinus, Guillielmus, Maurixius, Marchus, Stephanellus de Rigale, Laurentius, Benencaſa, Aurius, Zorzius, Martinellus, Albertus de Gambulata, Gerardus Cavaciis Contis, Guido, Rainaldinus, Johannes Bernardi, Johanninus, Bertoloctus, Paganinus, Poltonerius, Marabotus, Martinus Petrusbonus, Johannes, Zambelus, Johannes, Acurſius, Zanetus, Albertinus, Homobonus, Graciadeus, Martinus, Petrus de Adam, Requianus, Albertinus, Paſqualinus, Martinus, Coradus, Ugo, Lazarellus, Mabiſter Johannes, Dondius, Bonuſmercatus, Gregorius Aguſtinus, Tavianus, Matalianus, Jacobus, Ubaldinus, Datarius, Johannes, Nordilius, Zamboninus, Johannes, Paulus, Martinus, Guido, Paduanus, Lanfrancus, Johanninus, Pellizolius, Grataculus, Guido de Mutina, Petrus Ugolinus, Mareſcottus, Donuſdei, Caudilius, Andriotus, Andalò, Bertoloctus, Rigacius, Marcus Notarius, Marcignonus Notarius, Bardus Præco, Donicellus Præco, Ognabellus Præco, Guido de Manzenculo, Guizardinus, Ubertinus, Zanetus, Azo, Rainus, Laurentius, Ubaldoinus, Petrus Girardus, Albrigetus, Pomectus, Petrus Canis, Ugicio, Albertinus, Matthæus, Banzolinus, Trintinus, Bajolinus, Ugolinus, Petrocinus, Mainus, Albertus, Malclavante. Guido de Mangone, Guitaclinus, Dominicus, Ainardus, Moſetus, Dominicus, Hosleus, Orius, Nigerbonus, Riminulfus, Opicinus, Ricobaldus, Guido de Rainerio, Ziraldinus, Albertinus de Giſelberto, Traitabene, Gandulfinus, Richelminus, Aldevrandinus, Pelligrinus, Marchixinus, Petricinus, Bentedia, Guido de Arcoada, Venturala, Petrus Aglata, Zaffonus, Guizardinellus, Bartholomæus, Petrus Bonuſmercatus, Tivirolus, Petrocinus de

de Gufredo , Ribaldinus , Guilhelminus , Carlevarius , Albertinus de Petro de Caſano , Octolinus minor , Squilinus , Audriolus , Gulielminus de Ubertograſſo , Conradus , Martinus de Solario , Adaminus , Girardus Calegarius , Girardinellus de Girardo de Presbytero Martino , Bellonus , Niger , Mercadellus , Paiſanus , Urſolinus , Martinus , Trentabaſi , Calianus', Crexentinus , Nigrobonus , Vivianus , Paſetus , Johannes de Albina , Guizardinus , Leonardus , Luſcus , Dominus Sarazenus , Ambroxinus , Johanninus Ervaxii , Petrus de Catechino & Mercadello . Præſente etiam in ipſo Conſilio Domino Petro Traverſario , Viro nobile , fungente Poteſtariâ Ferrarienſi vice Domini Aldevrandini Marchionis Eſtenſis , *tunc Poteſtatis Ferrariæ . Qui Dominus Petrus voluntate & præcepto Conſilii præſcripti , Domino Jacopo de Bazoara , & Alberto de Sigizo Ambaxatoribus Mutinæ recipientibus pro ipſo Communi, prædicta ſolemni ſtipulatione pro Communi Ferrariæ attendere & obſervare promiſit. Et præſcripti homines omnes prædictis Ambaxatoribus Mutinæ, pro Communi Mutinæ recipientibus omnia ſupra-* A *ſcripta perpetuò firma tenere & obſervare nec contravenire promiſerunt ; dando ei licentiam pro Communi Mutinæ accipiendi poſſeſſionem de prædictis locis & territoriis , & Curia , & territorio , atque diſtrictu eorum , & dicti Communis auctoritate .*

Ego Tedericus prænomine Rigaeius , ſacri Palatii , & tunc Communis Ferrariæ Notarius, iis omnibus præſens adſui , & rogatus ſcripſi , atque manu propria hæc firmavi .

Caſtrum Pontis Ducis ſitum erat inter Finale Mutinenſium, & Ravedam, qui Vicus nunc ultra Rhenum poſitus Bononienſibus paret . Ejus fines ita deſcribuntur in Charta Anni MCCLXXXIX. *A mane Val-de-Raveda , & Caſale . A meridie Cazanetica , ſive Cazanedega,* B *& Roxeleſe . A ſero Finale de Videgoſo , & Berbexello . Et de ſubtus Aqua-longa , quæ dicitur Moclena , ſive Canale Moclenæ , & Moclenella .* Sequenti verò Anno , quum ſuſtinere . Mutinenſium vires Salinguerra non poſſet, de pace actum eſt , cujus veſtigia habentur in duabus aliis Chartis , ex Mutinenſis Communitatis Archivo deſcriptis :

Pacta concordiæ initæ inter Mutinenſem Populum & Salinguerram occaſione Caſtri Pontis Ducis, Anno 1213.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti . Talis pactio & concordia fiet inter Commune Mutinæ , & Dominum Salinguerram , *& Nepotem , & ſuos : videlicet , quod Salinguerra debet dare Caſtrum Pontis Ducis Communi Mutinæ ad deſtruendum , & ad faciendum totam ſuam voluntatem , deferendo homines ipſius Caſtri totum mobile, quod habent in ipſo Caſtro, ſine fraude . De aliis rebus omnibus erit arbitrio Poteſtatis Mutinæ . Et debet reſtituere omnes prixonerios , quos habet de Civitate & Epiſcopatu Mutinenſi cum navibus ſuis , quæ allatæ fuerunt , vel exiſtimantur , ſi quæ eſſent deperditæ ; & cum ſcutis & zappis , quæ in Caſtro invenientur . Et debent jurare , tenere dictum Caſtrum Pontis Ducis deſtructum , ſecundùm quod alii homines Ferrariæ , &* Marchio *juravere & promiſere . Et debent dare & datum facere & promittere ſecundùm quod & homines Ferrariæ &* Marchio *dederunt & fecerunt de dicto Caſtro & Curia tota & diſtrictu . Et debent Salinguerra & Nepos jurare ſtare præceptis Poteſtatis Mutinæ, & Poteſtatis Parmæ, & avere Mercatorum Parmenſium reddere . Et Commune Mutinæ debet dare Salin-* C *guerræ & Nepoti mille Libras ad rationem Imperialem ; quod & debet eos extrahere de banno , & reſtituere ejus podere Regaliæ Imperatoris , quod habebat in Epiſcopatu Mutinæ , & jure tantùm quod habebat prius . Item debet promittere Communi Mutinæ , quod faciet ponere in Statuto Civitatis , quod ſi aliqua partium Ferrariæ* Marchionis , *vel* Salinguerræ *fuerit de Civitate Ferrariæ expulſa , non debeat prohiberi pro Communi amicis partis expulſæ , quin poſſint parare auxilium , & adjutorium , ſecundùm quod voluerint , parti expulſæ . Idem in omnibus & per omnia promiſerunt , & juraverunt Domino Bernardo Poteſtati Mutinæ , & Domino Rambertino Poteſtati Parmæ , ſua* D *bona ipſis ſimiliter obligando in pœna quinque millium Marcharum argenti .*

Actum apud Pontem Ducis , in exercitu , in caſtris hominum Parmæ , Milleſimo Ducenteſimo Decimo Tertio , Indictione Prima , die Veneris VIII. intrante Novembris , præſentiâ & teſtimonio Bernardo de Cornazano &c.

Ego Petrus de Oliveto , quondam Imperatoris Henrici Notarius , & tunc Poteſtatis Mutinæ, & Communis , interfui , & rogatus ſcripſi .

De concordia facta inter Commune Mutinæ, & Dominum Salinguerram de Ponte Ducis, Anno 1213.

IN *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Anno a Nativitate ejuſdem MCCXIII. Indictione Primâ, die Jovis V. intrante Decembri*, Domino Imperatore Ottone *regnante: in Civitate Ferrariæ, in Palatio Epiſcopali, in præſentia* Domini Aldeurandini Marchionis de Eſte, *Domini Jacobi de Fontana, Jacobini de Trota, Gandulfini de Caſtronovo, Conradi de Munario, Girardi de Boſſceto, Advocati de Ferraria, Guillielmini de Contrario, Guillielmi Pedocha, Hengerami de Cazaguerra, Guidonis de Marchixino Maynardi, Domini Guillelmi Rangoni, Alberti de Sigizo, Nicolai de Adelardis, Domini Lonardi Rolandini de Bretono, Uberti de Fredo, Richerii de Bocadeluzo, Domini Silecti, Girardi de Careto, & aliorum plurium, juraverunt* Dominus Salinguerra, *& ejus* Nepos Albertinus, *obedire & obſervare in omnibus omnia præcepta* Domini Bernardi de Rolando Ruſſo Poteſtatis Mutinæ, *& Communis Mutinæ; & quod neſciebant, quæ vel qualia præcepta deberent ſibi fieri. Item promiſerunt eidem Domino Bernardo Poteſtati & Communi Mutinæ, & dederunt & ceſſerunt de Caſtro & pertinentia Pontis de Duce & diſtrictu & juriſdictione ejuſdem, ſecundùm quod alii Ferrarienſes de parte* Marchionis Eſtenſis, *& ipſe* Dominus Marchio *dederant & promiſerant. Et in omnibus & per omnia obſervare juraverunt in perpetuum, ſecundùm quod eſt ſcriptum in Charta facta per manum Tederici Notarii, quod Rigacius dicitur, inter Commune Mutinæ & Ferrariæ de parte Marchionis: & obſervare illud totum, quod in eodem Inſtrumento de veteri pacto & concordia inter Ferrariam & Mutinam continetur, ſicut eſt ſcriptum in Inſtrumento ſcripto per manum Berardi Notarii. Et omnia, quæ in prædictis pactionibus & inſtrumentis ſunt, in perpetuum obſervare. Inſtrumenti ſcripti per manum Tederici, qui Rigacius dicitur, forma talis eſt:* Sancti Spiritus adſit nobis gratia: Anno a Nativitate Domini MCCXII. Indictione XV. *&c.* (a) *Et ita in omnibus & per omnia, ut dictum eſt, promiſerunt, dederunt, & conceſſerunt* Dominus Salinguerra, & Dominus Albertinus *ejus Nepos, Domino Bernardo Rolandi Roſſi Poteſtati Mutinæ pro Communi Mutinæ recipienti & ſtipulanti, & ſic obſervare & ratum habere, & tenere in totum ſuper libro, in quo erat Charta prænominata, ad ſancta Dei Euangelia juraverunt.*

Ego Petrus de Uliveto, quondam Imperatoris Henrici & tunc Communis Mutinæ & Poteſtatis Notarius interfui, & rogatus ſcripſi & ſubſcripſi.

Ex his habes, Salinguerram, ejuſque factionem Gibellinam repetiiſſe Ferrariam, atque a Marchione, & illius factione Guelpha, locum illi fuiſſe factum in regimine Urbis. Idemque ordo Anno etiam MCCXVI. ibidem obſervabatur: præerat enim Guelphis *Azo VII. Marchio*, fatis functo *Aldevrandino* fratre Anno MCCXV. præcedenti. Cujus rei teſtes habeo tabulas ex Archivo Principum Eſtenſium depromtas.

Pacta concordiæ inter Ferrarienſes & Mantuanos, Anno 1216.

S*Ancti Spiritus adſit nobis gratia. Anno a Nativitate Domini Milleſimo Ducenteſimo Decimo Sexto, Indictione Quarta, Ferrariæ, in domo quondam Zilioli de Guizardo, temporibus* Innocentii Papæ, *&* Friderici Romanorum Regis, *die IV. exeunte Majo, preſentia Domini Peregrini Judicis, Aliotti, & Farzarii, ad hec teſtium rogatorum. Domini Suſinellus Zacharias, Jacobinus de Trotta, & Jacobinus de Vetula, pro facto contentionis, que eſt inter Ferrarienſes & Mantuanos, unum Breve in concordia dederunt Domino Rodulfo Guidonis Burgognoni Comitis Poteſtatis Ferrariæ, in quo continebatur:* In nomine Domini noſtri Jeſu Criſti. Concordia talis eſt, quod Mantuani jurabunt Commune Ferrariæ manutenere in communitatem & pacem. Et ſi diſcordia, ſive guerra erit inter *partem Sallinguerre & partem Marchionis*, jurabunt, ipſam diſcordiam & guerram citius quàm poterunt, redire ad concordiam & pacem, & Commune Ferrarie manutenere factâ concordiâ & pace in communitatem & pacem.

Et ego Tadericus prenomine Rigatius, ſacri Palatii Notarius, preſens eram, quando prædicti Domini hoc Breve dederunt Domino Rodulfo, & ut in eo ſcriptum inveni, ſic manu propria in publica forma reducens ſcripſi & firmavi.

En ut Ferraria ſimul aleret *partem Salinguerræ, & partem Marchionis*. Variæ poſtea bellorum vices ſucceſſere, & Salinguerra viribus Friderici II. Auguſti, & Eccelini de Romano, Marchionem deturbavit. Tum Ferrariâ ab ipſo Azone VII. Marchione, & Principibus fœderatis, eidem Salinguerræ ereptâ Anno MCCXL. ipſo quoque Venetias in captivitatem adducto, aditus eſt factus ad pacificam dominationem Marchionum Eſtenſium, quos deinde concordibus animis Ferrarienſes in Dominos ſuos elegerunt, & conſtantiſſime caros habuerunt, accedente etiam Apoſtolicæ Sedis confirmatione. Et quamvis rerum facies immutata demum fuerit, eorum tamen jura in Urbem illam illæſa, & numquam obliterata perſiſtent. Anno quoque MCCLXXXVIII. quum diu Mutinenſis Civitas diris factionibus, perpetuiſque civilibus bellis laceraretur, *Obizonem Marchionem Eſtenſem*, tot calamitatibus finem facturum, amavit habere Dominum; ejuſque exemplum imitati ſubinde Regienſes fuerunt. Nunc ergo erumpat aliquis, audeatque Tyrannorum nomine Eſtenſes Marchiones compellare. Is certe iniqui ſtultique Judicis titu-

(a) uti ſupra legitur in Charta Anni MCCXII.

col. 711.

titulum minime effugiet. Si ab Homero in Iliad. II. πολυκοιρανίη, ſive *multorum imperium* bonum minime cenſetur, & Monarchicum regimen præfertur: quanto enixius optanda atque eligenda erit Monarchia in Urbibus, quæ peſtiferis factionibus atque ſciſſuris laborat, & laceratur? Quod autem Civitatibus iſtis placuit, ſubinde & aliæ Civitates Italiæ, illuſtri hoc exemplo uſæ, ſenſim fecere. Vix ulla erat, quam non inteſtina diſcordia convelleret, aut Populo cum Nobilibus, aut Guelphis cum Gibellinis certantibus. Mecum Mediolanum adi. Graviſſimo ſchiſmate divexabatur nobiliſſima Civitas Sæculo Chriſti Tertiodecimo, quum hinc Plebs, inde Milites hoc eſt Nobiles, potiorem regiminis partem affectarent. Plebs prima Anno MCCXL. ſuum ſibi caput delegit Paganum, tum Martinum, alioſque ſobolis *Turrianæ* Proceres. Nobiles verò deinde Ottonem *Vicecomitem*, ac Matthæum illius nepotem. Variâ fortunâ, diuque decertatum eſt inter utramque Familiam, ac tamdem dejectis Turrianis, Matthæus magnus ſibi ſuiſque poſteris dominationem Urbis, conſentientibus etiam Auguſtis, comparavit: quod felicitati Mediolanenſium nemo neget, quin tribuendum ſit, quando & eorum Civitati tanta amplitudo ac ornamenta deinde ſunt addita, atque illius ditioni numeroſa adeo aliarum Urbium facta eſt acceſſio, ut inde potentiſſimus & inſignis Ducatus fuerit conſtitutus. Facinus profecto foret, ampliſſimam *Vicecomitum* Familiam in album Tyrannorum referre. Idemque de *Scaligeris* dicendum. Extincto ſæviſſimo Eccelino de Romano, inter Guelphos & Gibellinos Veronæ obortum eſt ingens certamen, utra pars in regimine Urbis primas obtineret. Itaque Anno MCCLXII. teſte Pariſio de Cereta in Chronico Veronenſi Tomo VIII. Rer. Italicar. *Maſtinus I. de la Scala*, quem nonnulli infimo loco natum tradunt, immo Patavini, teſte Muſſato Lib. X. Rubric. 2. *ex ſordido Olei venditorum genere editum* diſerte dictitabant, *factus fuit & creatus Capitaneus totius Populi Civitatis Veronæ de communi voluntate & conſilio Populi Civitatis ejuſdem*. Succeſſere deinde *Albertus*, *Bartholomæus*, *Alboinus*, *Canis Grandis*, aliique *Scaligeri*, quorum, ut vides, legitimus ad dominandum ingreſſus deinde peperit Veronenſi Civitati egregia emolumenta, uberem videlicet gloriam atque potentiam, niſi quod poſtremi in ea dominatione a priorum virtutibus degeneres ſiniſtram ſui nominis famam poſt ſe reliquere. Fateri certe cogimur, turpia videri gentis *de Gonzaga* exordia in imperio Mantuæ, quum nemo neſciat, partam Anno MCCCXXVIII. eis dominationem ex cæde Raynaldi cognomento Paſſarini, qui Urbi pro Imperatore Vicarius præerat. Attamen Paſſarinus malis artibus & ipſe imperium illud quæſierat, & gravis fortaſſe Populo evaſerat. Utcumque ſit, ea fuit deinde probitas, fortitudo, placidumque regimen Familiæ iſtius, ut obſequium & amorem totius Populi ſibi conciliarit, dignaque fuerit, quam Cæſares ampliſſimis honoribus condecorarint, & omnium Hiſtoricorum chorus cum laude de ipſa loquatur.

Carrarienſes quoque ad imperium Patavinæ Urbis deduxit Anno MCCCXVIII. Populi diſcordia, qui tamen ad eum eligendum concors effectus eſt, difficillimis nempe illius Reipublicæ temporibus, quibus ſanius conſilium viſum eſt, uni deferre diviſam in multos pote-
A ſtatem. Et ea quidem Familia fortibus poſtea viris abundavit, donec majoris potentiæ pondere oppreſſa jacuit. Perpendant alii, quid pronuntiandum ſit de *Malateſtis* olim dominatis Arimini; *Alidoxiis* Fori Cornelii, ſive Imolæ; *Traverſariis* ac *Polentanis* Ravennæ; *Manfredis* Faventiæ; *Ordelaffis* Fori Livii; *Pepulis* ac *Bentivolis* Bononiæ; *Comitibus de Monte Feretro* Urbini; *Varanis* Camerini; *Trinciis* Fulginii; *Rubeis*, & *Corrigienſibus* Parmæ; *Scotis* Placentiæ; *Tarlatis* Arretii; *Caſaliis* Cortonæ; *De Becharia* Ticini. Reliquas Urbes prætereo: vix enim ullam ex liberis oſtendas (Venetias ſemper excipio) quæ aliquando aut ſponte, aut invita Dominum B non acceperit, ſive Tyrannum. Illud mihi in præſentia dicendum, quando tot inteſtinis diſcordiis & ſtudiis partium diſcerpebantur Italicæ Civitates, tum Cives patriæ amatores, tum Epiſcopos, Sacerdotes, alioſque Religioſos viros nulli peperciſſe diligentiæ, ut amorem & concordiam inter ſuum Populum conciliarent ac reſtituerent. Verùm hodie pax, cras bellum ſuccedebat; nullaque utilis ſtabiliſve ratio erat adeo exulceratos furenteſque animos componendi atque pacandi. Expeditiorem ergo viam eventus oſtendit ad compeſcendos tam enormes motus, temperatâ aut immutatâ Reipublicæ formâ, transferre jura imperii in unum, qui veluti Rector & Pater C omnium foret, & ad obſervandam pacem quoſcumque ſua auctoritate adigeret. Quare hiſce Principibus & Dynaſtis Tyrannidis notam inurere, nemini in mentem veniat, cui vel leviter perſpecta ſint æqua Juriſprudentiæ, & Politices dogmata. Neque tamen omnes iſti Principes uno ſunt modulo metiendi. Non enim ſingulis par poteſtas antiquitus fuit a Populis contributa. Fuerunt Urbes, in quibus vel ſub Principe vigebat Reipublicæ, ſive *Communis* aut *Communitatis* ordo atque auctoritas, ita ut Princeps tamquam caput Senatus, Populique haberetur. Aut imperator militiæ, atque adminiſtrator belli & pacis, ardua Reipublicæ negotia expediebat, ita tamen ut in D gravioribus rebus Reſpublica ſimul ſuum conſenſum & nomen daret: neque enim in hoſce Regulos transfuſa ſunt illico cuncta Majeſtatis jura, neque abolita eſt Reipublicæ forma atque poteſtas. Proinde videas Vicecomites, Scaligeros, alioſque hujuſmodi, quum primùm ad potentatum evecti ſunt, non alio titulo uſos, quàm *Capitanei*. Quod ſi quidam etiam *Domini perpetui & generales* appellati ſunt, non tamen id excludebat *Reipublicæ* regimen, quemadmodum & apud Britannos, Polonos, Suecos, Venetos &c. Regum & Ducum electio, aut ſucceſſio minime obſtat, quin vigeat adhuc Reipublicæ conſtitutio, quamquam minor heic, major illic ſit eidem Reipublicæ ſer- E vata auctoritas. Accipe nunc, quid Anno MCCLXIV. decreverit Ferrarienſis Populus in eligendo Obizone Marchione Eſtenſi. Extat ejuſmodi decretum in vetuſtiſſimo membranaceo Codice Legum municipalium Civitatis Ferrariæ, quem Eſtenſis Bibliotheca cuſtodit; eique ſubjiciuntur alia Statuta, poteſtatem Marchioni collatam ſatis exprimentia.

Decreta

Decreta Populi Ferrarienſis in eligendo Obizone Marchione Eſtenſi & Anconitano in Gubernatorem & Rectorem, & perpetuum Dominum Civitatis Ferrariæ & diſtrictus, Anno 1264.

„ AD honorem Dei & ſanctæ & indivi-
„ duæ Trinitatis, & laudem ejus Ma-
„ tris Virginis Mariæ, & reverentiam
„ beati Georgii Martyris, & omnium Sancto-
„ rum, & ad bonum ſtatum Civitatis, & ad
„ laudem & commodum omnium amicorum,
„ ut Civitati eidem ſalubriter ſit proviſum
„ non ſolùm in præſenti tempore, ſed etiam
„ in futuro: nos Petrus Comes de Carrara
„ Poteſtas Ferrariæ in plena concione omnium
„ & ſingulorum Civitatis Ferrariæ, in Platea
„ ipſius Civitatis, campanarum ſono more ſo-
„ lito congregatorum ibidem, voluntate, con-
„ ſenſu, & mandato totius Civitatis Ferra-
„ rienſis, & omnium & ſingulorum de Fer-
„ raria in ipſa concione exiſtentium, & totius B
„ Communis Ferrariæ, & omnes & ſinguli
„ de dicta concione pro Communi Ferrariæ
„ una nobiſcum, ſtatuimus, & volumus, &
„ duximus inviolabiliter obſervandum, & per
„ hanc noſtram Legem municipalem per nos,
„ & heredes & deſcendentes & ſucceſſores no-
„ ſtros perpetuò decernimus obſervari: quod
„ *Magnificus Vir, & inclytus Dominus Obizo,*
„ *Nepos & heres olim bonæ memoriæ Magnifici*
„ *Viri Domini Azonis, Dei & Apoſtolicâ gra-*
„ *tiâ Eſtenſis & Anconitanus Marchio, ſit Gu-*
„ *bernator & Rector, & generalis & perpetuus*
„ *Dominus Civitatis Ferrariæ & diſtrictus*, in
„ omnibus negotiis providendis & emendandis
„ & reformandis ipſius Civitatis & diſtrictus, C
„ ad ſuæ arbitrium voluntatis. Et juriſdictio-
„ nem, poteſtatem, atque imperium intus &
„ extra ipſius Civitatis gerat, & habeat domi-
„ nium addendi, faciendi, & præcipiendi,
„ providendi, & diſponendi, prout eidem
„ placuerit, & eidem utile viſum fuerit. Et
„ generaliter poſſit & valeat, ſicut perpetuus
„ Dominus Civitatis Ferrariæ & diſtrictus,
„ omnia & ſingula facere & diſponere ad ſuum
„ beneplacitum & mandatum, ita quidem
„ quod ipſa Civitas & diſtrictus & homines
„ habitantes nunc & in poſterum in ipſa Civi-
„ tate Ferrariæ & diſtrictu cum plena juriſdi-
„ ctione dominii eidem Domino Obizoni, Dei
„ gratiâ Eſtenſi & Anconitano Marchioni, ſi- D
„ cut ſuo generali Domino & perpetuo obe-
„ diant & intendant. Quæ omnia & ſingula
„ ſupradicta locum habere volumus & perpe-
„ tuam firmitatem non ſolùm in perſona præ-
„ fati Domini Obizonis Eſtenſis & Anconitani
„ Marchionis, donec vixerit, verùm etiam
„ poſt ejus deceſſum heredem ipſius volumus
„ in locum ſuum Gubernatorem, & Rectorem,
„ & generalem Dominum Civitatis Ferrariæ
„ & diſtrictus: & habeat dominium & impe-
„ rium & poteſtatem & juriſdictionem plenam,
„ ſicut ſupra continetur, in omnibus & per
„ omnia in perſona Domini Obizonis. Adji-
„ cientes, quod de anno in annum hoc Statu- E
„ tum firmetur, & cetera ſupradicta, & ſcri-
„ batur annuatim in corpore Statuti, ita quod
„ Rectores & Poteſtas & Homines Ferrariæ
„ & diſtrictus jurent, prædicta omnia præ-
„ ciſe, ſicut ſuperius ſeriatim legitur, obſer-

A „ vare. Et Poteſtates, qui per tempora fue-
„ rint, hæc Statuta, & cetera ſupradicta, te-
„ neantur firmare, & ſcribi facere in Volu-
„ mine Statutorum Communis Ferrariæ. Quod
„ ſi neglexerint, pœnâ quingentarum Libra-
„ rum Ferrarienſium quilibet feriatur, & ni-
„ hilominus habeantur quæcumque dicta ſunt
„ pro Statutis Civitatis & Communis Ferra-
„ riæ, & tamquam Statuta debeant obſervari.

„ Et ſi qui ullo tempore attentarent cor-
„ rumpere vel mutare ſeu infringere prædicta
„ vel aliquod prædictorum, ſicut violatores
„ ipſius Civitatis Ferrarienſis ipſo jure perpe-
„ tuo ſint in banno, & omnia ſua bona Com-
„ muni Ferrariæ applicentur, & in Civitate
„ Ferrarienſi vel diſtrictu non habitent neque
„ intrent, ſed ſemper ab hac Aula ſint exules
„ & dejecti. Et in bonis talium ſolummodo
„ dotes uxoribus conſerventur, quas ipſæ,
„ vel aliqui pro eis monſtraverint ſe ſolviſſe.
„ Et ſi in fortia Communis pervenerint quo-
„ cumque tempore, ultimo ſupplicio punian-
„ tur. Hæc enim omnia, & ſingula ſupradi-
„ cta, ut generaliter ſuperius continetur, ſpe-
„ cialiter & immutabiliter & præciſe, perpe-
„ tuò per nos, & heredes & deſcendentes &
„ ſucceſſores noſtros ordinamus & volumus
„ obſervari, nullo alio Statuto, ordinamento,
„ conſilio, & arengo facto & faciendo in ali-
„ quo obſtante huic præſenti Statuto & ordi-
„ nationibus ſupradictis tam ſolemniter & di-
„ ſcrete ac ex certa ſcientia prænotatis. Et
„ quod ſi reſiſtere ſeu contra ſtare reperiretur
„ in præſenti tempore vel futuro aliquod Sta-
„ tutum factum vel faciendum, ex nunc pro
„ caſſo habeatur & inutili. Et per præſens
„ Statutum & ea, quæ in eo continentur,
„ omnibus aliis Statutis & ordinamentis, con-
„ ſiliis & arengis derogari volumus, & dero-
„ gamus. Inſuper continuo in præfata concio-
„ ne Magiſter Apollonius Notarius, Syndicus
„ ab Univerſitate & plena concione, nomine
„ & vice Communis Ferrariæ, & totius Uni-
„ verſitatis ejuſdem legitime ibidem conſtitu-
„ tus ad ſupradicta & infraſcripta, nomine &
„ vice totius Communis & Univerſitatis Fer-
„ rarienſis, promiſit nobiliſſimo Viro Domino
„ Obizoni, Dei & Apoſtolicâ gratiâ Eſtenſi
„ & Anconitano Marchioni, nepoti & heredi
„ Magnifici Viri olim bonæ memoriæ Domini
„ Azonis Marchionis Eſtenſis, ſolemni ſtipu-
„ latione, pro ſe & ſuis filiis & heredibus ſti-
„ pulanti, ſupradicta omnia & ſingula in ſin-
„ gulis capitulis ſpecialiter nominatis, quæ in
„ Statuto præfato continentur, de juriſdictio-
„ ne, dominio & imperio conceſſo & con-
„ ceſsâ præfato Domino Obizoni Marchioni
„ Eſtenſi, a Communi Ferrariæ facto eodem
„ die, firma habere & tenere perpetuò pro
„ Communi Ferrariæ, & non contravenire
„ modo aliquo vel ingenio ſive cauſa, aliquo
„ tempore, ſub obligatione ſuorum bonorum,
„ & Communis Ferrariæ, & ſub pœna & in
„ pœna tria millia Marcharum argenti. Quæ
„ quidem pœna toties peti & exigi poſſit cum

„ effe-

A „ effectu , quoties in prædictis vel aliquibus
„ prædictorum contrafactum fuerit : & ipſâ
„ pœnâ ſolutâ vel non , nihilominus omnia &
„ ſingula , quæ in ſupradicto continentur Sta-
„ tuto , perpetuò firma & inrevocabilia per-
„ maneant & permanere debeant . Et ad ma-
„ jorem hujus rei perpetuam firmitatem , præ-
„ nominatus Magiſter Apollonius Notarius ,
„ Syndicus pro Communi Ferrariæ conſtitutus
„ ſpecialiter ad ſupradicta promittenda , ut ſu-
„ perius continetur & legitur , de plenaria
„ voluntate Domini Petri Comitis de Carrara
„ Ferrarienſis Poteſtatis , & omnium de Fer-
„ raria in ipſa concione exiſtentium , jurave-
„ runt ad ſancta Dei Euangelia in animabus
B „ prædicti Domini Petri Comitis Poteſtatis
„ Ferrariæ , & omnium de dicta concione ,
„ prædicta omnia attendere & obſervare , &
„ non contravenire ſub pœna ſuperius nomi-
„ nata & ſtipulata & promiſſa .

„ Quod quidem Statutum & omnia , quæ
„ in eo continentur , ut ſuperius ſcripta ſunt ,
„ publicata , facta , promiſſa & confirmata
„ fuerunt in ipſa plena Concione , in Platea
„ Communis Ferrariæ , currente Milleſimo
„ Ducenteſimo Sexageſimo Quarto , Indictione
„ Septima, die XIII. exeunte Februario . Præ-
„ ſentibus teſtibus rogatis & vocatis , venera-
„ bile patre *Domino Philippo* Dei gratiâ *Ar-*
„ *chiepiſcopo Ravennæ* , *Domino Ledoyco Co-*
„ *mite Veronæ* , Domino Jacomino Pizolo de
„ Bononia , Domino Girardo Gallutio , Do-
„ mino Bonifacio de Sala , Domino Tiſone
„ de Campo Sancti Petri , Domino Pappafava
„ de Carraria , Domino Jacopino Rangono ,
„ Domino Ruffino de Zanicallo, Domino Bar-
„ tholomæo de Palatio , Domino Aldigerio de
„ Fontana , Domino Jocolo de Jocolis , Do-
„ mino Aldrevandino de Turclis, Domino Pe-
„ trocino de Menabobus, Domino Rafaldo de
„ Eſt , Petrobono Notario filio Vitalis Mura-
„ toris , Petrocino Notario de Bergamo , Pa-
„ ganino Notario filio Guidonis de Tuſco ,
„ Domino Nigrobono Judice de Ferraria, Do-
„ natino quondam Marcii , Domino Antonio
„ Croſna Judice de Padua , Domino Xuino
„ Judice de Vincentia , & aliis multis .

De præceptis obſervandis ab omnibus Civibus Ferrariæ a Domino Marchione factis , & manutènendo & defendendo eum.

C „ JUro obedire & obſervare omnia & ſin-
„ gula præcepta *Domini Obizonis Mar-*
„ *chionis Eſtenſis* , quotquot mihi facta
„ fuerint per ſe vel per Nuntium , vel
„ ſcripturam ad ſuam voluntatem & intelle-
„ ctum . Et ſpecialiter manutenere ipſum &
„ defendere in omni ſuo honore & ſtatu con-
„ tra omnem perſonam & hominem ; & illos
„ homines & ſingulos , quos pro amicis habe-
„ bit , ſerviam ad ſuam voluntatem , & pro
„ amicis habebo & tenebo ; & eos omnes &
„ ſingulos toto meo poſſe offendam & inimi-
„ cabo ad ſuam voluntatem & intellectum ,
„ qui erunt inimici Domini Marchionis vel
„ ſunt , nec cum ipſis vel cum aliquo alio pro
D „ eis , vel eorum occaſione tractatum aliquem
„ per me vel alium habebo , nec literas vel
„ ambaxatam aliquam recipiam ab eis , nec
„ eis mittam . Et ſi aliquam ambaxatam aut
„ literam mihi miſerint , nuntium vel literam,
„ quam mihi miſerint , quamprimum potero ,
„ præſentabo , conſignabo , & revelabo Do-
„ mino Marchioni . Et non ero in conſilio vel
„ tractatu , quod honor Domini Marchionis
„ vel jura debeant minorari , nec alicujus al-
„ terius Civis Ferrariæ & diſtrictus , qui Do-
„ mino Marchioni obediat , & ſit ſuæ partis ,
„ & ſit fidelis ipſius . Et ſi ſcivero vel credi-
„ dero firmiter , aliquem vel aliquam tractare
„ volentem aliquod contra Dominum Marchio-
E „ nem , vel aliquem amicum ipſius , ipſi Do-
„ mino Marchioni , vel alteri perſonæ , in cu-
„ jus præjudicium fieret , quamcitius declara-
„ bo . Et ad manutenendum Civitatem Ferra-
„ riæ & diſtrictum , & ipſius Domini Mar-
„ chionis honores & juriſdictiones , conſilium
„ & operam bona fide dabo per milites , pedi-
„ tes , baliſterios, & navigium ad totam ipſius
„ Domini voluntatem , tam cives quam extra-
„ neos . Et ad manutenendum pacem & con-
„ cordiam inter cunctas gentes, Domino Mar-
„ chioni ſuppoſitas & fideles dabo operam
„ bona fide ad pacem & concordiam facien-
„ dam ad voluntatem Domini Marchionis . Et
„ pro pace & concordia & bona voluntate
„ habenda & tenenda cum omni homine &
„ perſona ſubdita & fideli Domino Marchioni,
„ parentelam , affinitatem , & amicitiam & ſe-
„ curitatem faciam , tenebo , & obſervabo ad
„ voluntatem ipſius Domini Marchionis . Et
„ obediam & parebo omnibus & ſingulis præ-
„ ceptis mihi factis ab illis , qui electi erunt
„ in Capitaneos partis pro Domino Marchio-
„ ne . Et omnes credentias a Domino Mar-
„ chione , vel ab ipſis Capitaneis mihi com-
„ miſſas, celatas habebo & tenebo ad ipſorum
„ voluntatem : & quoties ab ipſo Domino
„ Marchione , vel ab ipſis Capitaneis vocatus
„ fuero , ibo , & ad id , quod a me petierint,
„ conſilium eis bona fide præſtabo , ad hono-
„ rem Domini Marchionis & ſtatum & Civi-
„ tatis Ferrariæ , & deſtructionem inimico-
„ rum . Et de novo propinquitatem , parente-
„ lam, affinitatem, amicitiam , vel ſocietatem
„ cum aliquo inimicorum Domini Marchionis
„ non contraham nec habebo , nec ei aliquem
„ dabo favorem , conſilium , vel auxilium ,
„ nec dari faciam nec permittam . Et ſi quis
„ eſt mihi adſtrictus ſacramento vel promiſſio-
„ ne, vel fidelitatis ſecuritate , vel alterius
„ cujuslibet promiſſionis vel obligationis, ipſum
„ penitus ab omnibus prædictis abſolvo & ſin-
„ gulis , ita quod prædicta omnia & ſingula
„ obſervent & attendant in omnibus & per
„ omnia ad voluntatem ipſius Domini Mar-
„ chionis , & ejus intellectum . Et ſi qua ſe-
„ ditio , rumor , vel ſcandalum , vel vulnera-
„ tio, vel aliqua offenſio acciderit vel advene-
„ rit in Civitate Ferrariæ vel diſtrictu ipſius ,
„ ad ipſum Dominum Marchionem , vel ad
„ alium ad ſuam voluntatem attendam , & ei
„ fortiam , & conſilium & adjutorium bona
„ fide cum armis, & ſine armis pro meo poſſe
„ ad ipſius voluntatem & intellectum dabo in
„ omnibus & per omnia . Et nullum hominem
„ de Macinata Domini Marchionis recipiam
„ in Vaſſallum , nec filium vel nepotem Vaſ-
„ ſalli Domini Marchionis recipiam in

„ Vaſſal-

A „ Vaſſallum, niſi de voluntate, & licentia expreſſa ipſius Domini Marchionis, de qua licentia fieri debeat publicum Inſtrumentum manu boni & legalis Notarii. Nec recipiam aliquem in Vaſſallum, nec filium vel nepotem alicujus, qui ſit Vaſſallus alterius, qui ſit ſubditus & fidelis Domino Marchioni, ſine licentia & voluntate ipſius Domini Marchionis, & ejus, cujus Vaſſallus erit, ſcripta publico Inſtrumento.

Quod Poteſtas, & ſua familia teneatur obſervare & obſervari facere omnia Statuta, data vel facta per Dominum Marchionem.

B *Item ſtatuimus, quod Poteſtas, & Milites, & ſinguli de familia, teneantur præciſe obſervare & obſervari facere pro efficaci Statuta Communis Ferrariæ, ac ſi in Volumine Statutorum Communis Ferrariæ eſſet ſcriptum, & expreſſe juratum per Poteſtatem & ſuam familiam, omnia & ſingula ordinamenta ſeu Statuta, quæ eidem Poteſtati vel alicui de ſua familia data eſſent vel oblata vel miſſi per ipſum* Dominum Obizonem Marchionem Eſtenſem *per publicum Inſtrumentum, vel per ſuas literas, vel alio quocumque modo. Et ſi Poteſtas hoc neglexerit obſervare, perdat pro qualibet vice de ſuo ſalario Centum Libras Ferrarienſium veterum. Nihilominus quod factum fuerit contra, ipſo jure ſit caſſum, irritum, & inane.*

Quod Poteſtas & ſui Judices teneantur obſervare additiones factas Statutis per Dominum Marchionem; & quod a Statutis caſſatis per ipſum ſit abſolutus.

C *Item quod Dominus Poteſtas & ſui Judices & Milites, & omnes & ſinguli de ſua familia, teneantur habere pro caſſis & irritis omnia & ſingula capitula & ordinamenta, quæ ſunt, vel erunt in Volumine Statutorum Communis, quæ idem* Dominus Marchio *ordinaverit vel ſtatuerit, quod debeant eſſe caſſa, & eidem Poteſtati vel alicui de ſua familia denuntiaverit, vel denuntiari fecerit, quod debeant eſſe caſſa. Et quod dictus Poteſtas & omnes & ſinguli de ſua familia teneantur obſervare, & obſervari facere additionem vel additiones factam vel factas alicui Statuto, vel Volumini Statutorum per ipſum Dominum Marchionem. Adminutis verò, ſive caſſatis in toto vel in parte per Dominum Marchionem ſe noverit abſolutum.*

Reliqua omitto. Continuò autem in eodem Codice ſubſequuntur *Statuta facta per Nobilem Virum Dominum Obizonem Marchionem Eſtenſem*, cum hac præfatione: *Ad honorem Dei, & Beatæ Mariæ Virginis, Beati Georgii, & omnium Sanctorum: ad exaltationem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & excelſi Domini Caroli Regis Siciliæ, quorum devotum & fidelem ſe clamat Dominus Marchio, & ad bonum & ſecurum ſtatum Domini Marchionis, & Communis Ferrariæ, Vir Nobilis Dominus Obizo, Dei & Apoſtolicâ gratiâ Eſtenſis & Anconæ Marchio, perpetuus Dominus Civitatis Ferrariæ, auctoritate ſui dominii, & voluntate omnium & ſingulorum exiſtentium in plena concione Civitatis Ferrariæ, ad ſonum campanæ in Platea ejuſdem Civitatis Ferrariæ, more ſolito congregatâ, infraſcripta Statuta & banna fecit in Milleſimo Ducenteſimo Sexageſimo Nono, XII. die Veneris, penultimo menſis Novembris &c.* En ut ampliſſimi tituli, ampliſſima poteſtas in Marchionem Eſtenſem a Ferrarienſi Populo manarunt; ac paria ſubinde præſtitere Mutinenſes, atque Regienſes. Sed earum Urbium *Communia* etſi plurimum auctoritatis in Principem tranſtulerint, minime tamen ſibi totam ademere, uti ſubſequentia eorum acta produnt, in quibus tam *Principis*, quàm *Communis* nomen interponitur. Ita multos olim, vel ipſis Homericis temporibus, Reges Græcia habuit, quorum poteſtas circumſcripta erat terminis quibuſdam. Imperabant Reges ſive Reguli Populo; Leges verò imperabant Regibus ipſis; ac poteſtatis partem Populo Ordo retinebat: quod & de primis Romanorum Imperatoribus factum legimus. At procedente tempore in Principes ſenſim coaluit tota ferè Italicorum Principatuum ratio. Ii primo *Vicarii Imperialis* ab Auguſtis conſtituti: idque in Principibus Eſtenſibus, Vicecomitibus, Scaligeris, Carrarienſibus, Gonzagis &c. factum novimus. Deinde *Marchionum*, aut *Ducum* titulo inſigniti. Partes titulos alii Principes in Terris Eccleſiæ a Romanis Pontificibus ſunt conſequuti. Et quamquam *Communitatis* appellatio & congregatio in compluribus adhuc Civitatibus perduret, ſive ſub aliis nominibus
D Nobilium cœtus Civitatis aut Populi univerſitatem referat, nihilo tamen ſecius in pleriſque conſtricta eſt eorum poteſtas ad electionem tantummodo quorumdam Magiſtratuum, ad Urbis annonam & ornatum, ad curandos Pontes, Vias, & fluminum aggeres, reddituſque Communis miniſtrandos, dimiſſis Principi Regalibus ferme quibuſcumque. Sæculo etiam XIII. ſub Ludovico VII. Francorum Rege, uti animadverterunt Eruditi Galli, ac præcipue Du Cangius in Gloſſario Latino ad vocem *Communia*, invaluerunt *Communitates*, ſive *Communiæ* in Regno Galliæ, non diſſimiles ab iis, quas Italicis in Urbibus nunc cernimus: ſed inter Italicas & Gallicas in origine ingens diſcrimen interceſſit. Quippe apud nos idem
E fuit *Commune*, atque Reſpublica, ſive Civitas libera, ſuis legibus, ſuiſque Magiſtratibus utens, & uni Imperatori, aut Romano Pontifici ſubjecta; quarum Communitatum Regalia in Principem aliquem deinde fuere tranſlata. Gallicæ verò *Communiæ* a Regibus aut Principibus inſtitutæ fuerunt, & Privilegiis quidem ornatæ; ſed numquam autocratiâ & jure Principatus donatæ. Ceterum nequaquam negandum, quin anteactis Sæculis Tyrannos etiam, deteſtandum hominum genus, & quidem non paucos, Italia pepererit. Decernere tamen, in quos revera, juſtoque titulo conjicienda ſit ejuſmodi infamia, non facile negotium fuerit. Id ſingulæ tantummodo Urbes fortaſſe dignoſcere queant, ſpectatâ rerum ſuarum Hiſtoriâ,

ac

ac bene perpenſis temporum turbidorum motibus variis, Populorumque voluntatibus, aut infortuniis. Fuerunt enim, qui per vim liberis Civitatibus jugum ſervitutis impoſuerunt, ac tyrannice propterea dominationem invaſere. Sed quum poſtea æquitatem in regendis Populis ducem habuerint, & in procuranda ſubjecti Populi quiete, gloria, & incremento ſtudium perenne poſuerint, boni ac legitimi Domini evaſere, ac præcipue ubi ſupremi Principis calculo & inveſtitura probata eſt eorum ditio. Quid de Julio Cæſare, quid de Auguſto, Romanorum Imperatoribus diſputetur, ſatis norunt Eruditi. Belli quoque jura attendenda ſunt in ejuſmodi concertationibus; neque enim tyrannicæ impotentiæ ſtatim *Florentinos* arceſſas, quod Piſanum Populum libertate ſpoliarint, aut *Vicecomites*, quod Ticinum, aliaſque Urbes ſuo imperio addiderint, ut alia omittam omnium temporum conſimilia exempla. Alii verò dominationem Civitatis alicujus inierunt laudabili viâ, & prævio Populorum conſenſu: ſed ſenſim in tyrannidem ſe abripi paſſi ſunt, ſui tantùm amore obcæcati, & nimiâ regnandi cupiditate abrepti.

Gualtherium Athenarum Ducem Anno MCCCXLII. ſponte ſibi Dominum ſtatuerunt Florentini; at ille poteſtate acceptâ brevi abuſus, eò progreſſus eſt, ut ſeditione Populi in ſe concitatâ vix poſtrema fata evadens, beneficii loco acceperit, ſolum vertere poſſe. Neque ex iſtorum albo eximendus videtur *Bernabos Vicecomes*, quem ſæviſſimi mores inviſum Populo Mediolanenſi effecere, ac propterea a nepote dejectum nemo probus doluit. Paria paſſus eſt a Forlivienſibus *Cecbus de Ordelaffis*. Denique numerati ſunt, qui violentis ac improbis artibus Principatum primo conquiſiere, tum in pejora lapſi miſeros Cives crudeliſſime habuerunt, atque omnium ore Tyranni ſunt appellati: quales certe nemo non appellet *Eccellinum de Romano*, Patavii Tyrannum, *Benedictum Monaldeſcum* in Urbevetana Civitate, *Jacobum de Appiano* Piſis, *Gabrinum Fondulum* Cremonæ, *Ottonem de Tertiis* Parmæ, *Johannem de Olegio* Bononiæ, *Boccalinum Guzzonum* Auximi. Reliquos Hiſtoria ſuppeditabit. Nam quod nonnulli ex Principibus ſecuri interdum & carceribus uſi ſint, aut tributis gravibus Populum fatigarint, nec ob eam quidem cauſſam inferendum continuo eſt eis Tyrannidis probrum. Faciunt hoc & legitimi Reges, & conſiderandæ ſunt bellorum neceſſitates, tutela Urbis ac imperii, & difficillima præſertim tempora, quibus licere poſſunt, quæ in ſumma quiete ac pace Reipublicæ, minime licerent. *Neque quies gentium ſine armis; neque arma ſine ſtipendiis; neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt*: ajebat Tacitus Lib. IV. Hiſtor. Cap. 74 Violenti ſane morbi tunc Italiam, & ſingulas pæne Urbes lacerabant: quid ergo fortia medicamenta, ac inſueta remedia culpemus; ſi hæc ipſa plerumque expoſcebat ægrorum ſalus & cura? Quod tantummodo exſecratione etiam noſtrâ dignum eſt, inquietis turbulentiſque temporibus illis non raro viſi ſunt inter Principes, qui incenſi deteſtandâ cupiditate regni ſanguine cognato ſuas fœdarunt manus: quæ exempla crudelitatis & ambitionis dedere Scaligeri, Carrarienſes, Gonzagæ, Polentani, Malateſtæ, aliique ævi illius. Ad hæc tunc venena multo in uſu fuiſſe creduntur, ita ut Petrum Paulum Vergerium ſcribentem viderim, pau-

A cos Principum ſuis temporibus e vivis exceſſiſſe ſine ſuſpicione propinati veneni. Et profecto exempla deteſtandi facinoris non deſunt; neque iis anteriora, aut poſteriora Sæcula caruere. Ut cetera omittam, neminem fugit, invaluiſſe rumorem, ineunte Sæculo XIV. Henricum VII. Auguſtum in Senenſi agro e vivis ſublatum fuiſſe veneno, ei in ipſa Euchariſtia præbito. Fama quoque percrebuit, inclytum & ſanctiſſimum virum Thomam Aquinatem hac ipsâ ratione immaturâ morte præreptum. Do Johannis Villanii verba Lib. 9. Cap. 217. Hiſtoriar. (cui præiverat non ſolum Ricordanus Malaſpina, ſed etiam Dantes, Purgator. Cant. 209.) *Si dice, che per* B *un Fiſiciano del detto Re, per veleno li miſſe in confetti, il fece morire, credendone piacere al Re Carlo, però ch' era del lignaggio de' Signori d'Aquino &c.* Vide Excerpta in Commentariis Benvenuti Imolenſis in hoc Opere edita. Fides quoque in fœderibus, pactis, & promiſſionibus non raro iis Sæculis deſiderata eſt: quo poſtremo tamen morbo ne noſtra quidem tempora immunia poſſunt appellari. Atque iſta ego commemorans, antiquiſſimæ ac nobiliſſimæ Eſtenſium Principum Familiæ prærogativam neutiquam obliviſci poſſum, aut debeo. Neque enim ii umquam crudelem dominandi methodum tenuere, immo mitibus ſtudiis ita Populorum amorem ſibi compararunt, C ut numquam illi ab Eſtenſibus volentes defecerint, neque eos tyrannidis inſimularint, ſed potius in iis tuendis fortunas ac vitam ſæpe expoſuerint. Nam quod Anno MCCCVI. e dominatione Mutinæ & Regii exciderit Azzo VIII. non ejus crudelitas in cauſſa fuit, ſed Bononienſium, Parmenſium, & Guiberti Corrigienſis artibus ac potentiæ tribuendum eſt. Tyrannorum autem genus ac rabiem majores noſtri non novere tantummodo poſt Sæculum a Chriſto nato Duodecimum. Vel ante ea tempora ejuſmodi monſtra tellus Italica ediderat. Nam ubi ſublatus eſt e vivis Anno DCCCLXXXVIII. Carolus Craſſus, poſtremus Auguſtorum Carolinæ ſtirpis, tunc Italia D ſciſſa in diverſa ſtudia, variis, atque interdum geminis Regibus ſubjecta, in feritatem quamdam ac barbariem majorem quàm antea prolabi cœpit. Tunc diruptæ compages publicæ tranquillitatis, tunc legum nulla veneratio apud potentes. Fortunas Cleri, quicumque viribus prævalebat, eripere religioni ſibi minime ducebat: neque infirmiores Laici immunes ab iſta calamitate abibant. Antea invecti fuerant Vaſſi, Caſtellis etiam dominantes: augeri enormiter eorum numerus cœpit, quum in illa rerum perturbatione quiſque ſuis emolumentis ſtuderet, & Reges multa largirentur, ut ſibi fideles compararent. A juriſdictione Comitum Urbanorum E exemti hi Vaſſi, Comitum etiam ruralium nomen adepti, potentiam amplificare in dies pergebant, muniebantque Caſtella ſua; novaſque res, ubi prima occaſio ſe præbebat, moliri non deſinebant. Quin ex tot, ut ita dicam, Regulis complures probitate ſuâ commendandi forent, nulla eſt mihi dubitatio: ſed certe non deerant, qui tyrannidem pro viribus exercerent, præcipue contra Eccleſias. In Tabulario Capituli Canonicorum Mutinenſium adſervatur *Sacramentarium Sancti Gregorii*, Sæculo Nono aut Decimo exaratum majuſculis characteribus. Additæ ſunt in margine res quædam geſtæ Sæculo Undecimo; quod anti-

antiquitatem Codicis prodit. Subjungitur *Miſſa contra Tyrannos*, eodem, ut videtur, Sæculo Decimo conſcripta, quæ uti non ſpernendum antiquitatis fragmentum heic eſt evulganda.

Miſſa contra Tyrannos, circiter Annum 950.

„ EXaudi, Domine, quæſumus, Eccleſiam „ tuam, non ſolùm Paganorum percuſſio„nibus adtritam, ſed etiam malorum Chriſtia„norum pravitatibus miſerabiliter adflictam, „ & concede propicius, ut qui terrenæ recu„ſant ſubdi Poteſtati, dexterâ tuæ Majeſta„tis cicius dejiciantur inviti. Per Dominum „ &c.

„ *Alia*. Deus pater orfanorum, judexque „ viduarum, lacrymis Eccleſiæ tuæ miſeratus „ intende, illamque tua miſericorditer eripiat „ majeſtas, quam nulla terrena defendit pote„ſtas. Per Dominum &c.

„ *Secreta*. Suſcipe, Domine, preces Ec„cleſiæ tuæ cum oblationibus hoſtiarum, & „ in protectione fidelium Populorum antiqua „ brachii tui operare miracula, ut ſuperatis „ pacis inimicis ſecura tibi ſerviat Chriſtiana „ libertas. Per Dominum &c.

„ *Præfatio*. Omnipotens æterne Deus, re„ſpice propicius in faciem Eccleſiæ tuæ, quæ „ de ſuorum gemit contritione membrorum. „ Eſſet namque tolerabilius, ſi gentili gladio „ ferienda traderetur, quàm Chriſtianorum „ deſtrueretur incurſione malorum. Ne pra„vis, Domine, pœna cumuletur æterna; „ nobiſque eorum ſit infeſtationibus oneroſa, „ diutius illorum non ſine prævalere ſeverita„tem: Per Chriſtum &c.

„ Deus, qui Eccleſiam tuam ineffabili pre„tio redemtam ſemper mirificis ſacramentis „ reficis, concede propicius, ut quæ de ma„lorum percuſſionibus gemit exterius, tuis „ jugiter conſolationibus reparetur interius. „ Per Dominum &c.

„ *Alia*. Reprime, quæſumus, omnipotens „ Deus, jura *Tyrannorum*; & tibimet adver„ſantium, ut diſcant te fore protectorem „ Eccleſiæ tuæ precioſo ſanguine redemtæ. „ Per Dominum &c.

Neque mirere Miſſam *contra Tyrannos* inſtitutam fuiſſe. Ita in antiquiſſimo Codice Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ, quem publici juris fecit piæ ac immortalis memoriæ Joſeph Maria Thomaſius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis *Miſſa* habetur *contra Judices male agentes*: & *Miſſa contra obloquentes*. Per plura deinde Sæcula ejuſmodi Tyrannulorum ſemen perduravit. Neque in Hiſtoria tantùm Italica, ſed & in aliarum gentium, veſtigia habemus ejuſmodi præpotentium ac improborum hominum: eaque etiam occurrunt in publicis tabulis illius ævi. Geminas ego dumtaxat proferam, e quibus primam deſcripſi e Chartophylacio nuper laudati Capituli Canonicorum Mutinenſium.

Alfredus, Petrus, & alii de Saviniano coram Comitiſſa Matilda concedunt Dodoni Epiſcopo Mutinenſi omnia ſua jura contra Ardizonem de Bagno pro damnis ſibi illatis Anno 1107.

„ ANno ab Incarnatione Domini Milleſimo „ Centeſimo Septimo, de menſe Se„ptembri, Indictione Prima. Cum „ adeſſet, *Domna Matilda*, Dei gratiâ *Ducatrix* & *Comitiſſa* in loco Bajoaria, ibique „ cum ea Bonu Judice de Nonantola, aliis „ verò bonis hominibus, ſcilicet Reginarius, „ filius Bulgarelli, & Albricus, & Tebertus „ de Nonantola, & Azone de Sala, Lanfran„cus, & Iginulfus de Gandaceto, & Grimal„dus, & Arnuile de Feroniano, Rotechildus „ Avvocatus, & Tetelmus, & Ragnifredus „ de Balugula, atque Magnifredus Cantellus, „ & aliis quampluribus. In eorum preſentia „ Alfredus, & Petrus germanis filii quondam „ Alberti de loco Savegnano, & Alfredus, & „ Rolandus germanis filii Guidonis, & Tec„colus nepotem eorum, & Alfredus de Mer„lo, pro eis & eorum conſortibus, dederunt, „ & conceſſerunt *Dodoni Mutinenſi Epiſcopo*, „ ſuiſque Succeſſoribus, a parte Eccleſie San„cti Geminiani, omnes actiones & querimo„nias, & omne jus petendi, quod habebant „ adversùs *Ardizonem de Bagno*, de omnibus „ illis rebus mobilibus, quas violenter & in„juſte eis abſtulerat; ut prenominatus Epi„ſcopus, & ſui Succeſſores, habeat jus pe„tendi ſuo nomine, ſicuti ipſi petere debuiſ„ſent. Inſuper etiam promiſerunt atque obli„gaverunt ſe, ſuoſque heredes omni tempore „ auctores eſſe, ita ut ſi oportuerit jurant, „ quod tantas res eis abſtulerit. Et ſi ita non „ obſervaverint, tunc obligaverunt componere „ ſe ſuoſque heredes nomine pene Libras qua„draginta denariorum Lucenſium ſupraſcripto „ Dodoni Epiſcopo, ſuiſque Succeſſoribus a „ parte predicte Eccleſie. Res autem ita ſe „ habebat, quod ſupraſcriptus Hardezion de„predaverat jam dictos homines de Savegna„no: unde ſepiſſime apud Domnam Comitiſ„ſam Matildam conqueſti erant. Tandem „ poſt multas querimonias venit Ardezion in „ preſentia Domne Comitiſſæ Matildis, & de„dit guadimonium emendare ea, que abſtu„lit, rogavitque prenominatum Dodonem „ Epiſcopum, ut ejus fidejuſſor exiſteret. Fi„dejuſſore itaque Epiſcopo conſtituto, predi„ctus Ardezion nullo modo ſolvere ſtuduit, „ ſed ſtudio & vi jam dicte Domne Comitiſſe „ Matilde coactus Epiſcopus ſolvit, quam „ ob rem predicti homines de Savegnano ſu„praſcripto modo ſuas ei querimonias dede„runt.

„ Actum in Bajoaria feliciter.

„ Ego Dominicus ſacri Palacii Notarius „ ſcripſi, & ſubſcribendo complevi.

Alteram Chartam refero acceptam ab Huberto Benvogliento, nobili olim viro Senenſi, qui eam ex Archivo Civitatis Montis Politiani hauſit.

Sententia

Sententia Judicum Imperialium Anno MCLXXXV. promulgata contra Manentem Comitem de Sartiano, uſurpatorem bonorum Monaſterii de Vivo, & exſequutioni mandata Anno 1210.

„ ANno Dominicæ Incarnationis Milleſimo A
„ Ducenteſimo Decimo , Indictione
„ XIII. die Veneris IV. ante Kalendas
„ Februarii , in Sena . Dopnus Petrus Prior
„ Monaſterii de Vivo , veniens ante preſen-
„ tiam *Domni Henrici* Dei gratiâ *Mantuani*
„ *Epiſcopi* , *Domini Octonis Romanorum Impe-*
„ *ratoris* invictiſſimi *Vicarii* , & Alberti Stru-
„ zii Cremonenſis , & Paſſaguerre de Medio-
„ lano , & Monaci de Villa de Mediolano , &
„ Ruffini de Placentia , Imperialis Curie Judi-
„ cum , petiit infraſcriptam ſententiam contra
„ heredes quondam Comitis Manentis execu
„ tioni mandari , cujus tenor talis eſt .
„ In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti .
„ Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Cente-
„ ſimo Octuageſimo Quinto , Indictione III. B
„ die Mercurii IX. menſis Octubris . De lite ,
„ que vertebatur inter Dopnum Marcum Prio-
„ rem Monaſterii de Vivo , nomine predicti
„ Monaſterii ex una parte , nec non & ex alia
„ parte *Comitem Manentem de Sartiano* ; pete-
„ bat dictus Prior a predicto Manente decem
„ & ſeptem inter equas & pullos , & tot bo-
„ ves & vaccas ; unde habuit Libras duode-
„ cim , & ſex paria bovum , & centum pecu-
„ des , & triginta tres Libras denariorum Piſe
„ & Luce , & tres boves , & tres Libras de-
„ nariorum , quas abſtulit Eccleſie de Mojano,
„ & quindecim Libras , quas abſtulit cuidam
„ noſtro Abbati , & Libras ſexaginta , quas C
„ habuit de rebus , quas extraxit de Eccleſia
„ de Mojano , & triginta duas ſarcinas ordei ,
„ quas abſtulit Eccleſie Sancti Petri de Cam-
„ po , & centum pecudes ejuſdem Abbatie :
„ de quibus predictis confeſſus eſt predictus
„ Comes Manens , de quibuſdam negavit . Su-
„ per quibus predictus Prior ſuos produxit te-
„ ſtes. Petebat quoque predictus Prior a pre-
„ dicto Manente poſſeſſionem de Braſcagia ,
„ & de Caſtello Cetulo , & de Spiſcis , & de
„ Caſtagno , & poſſeſſionem datam a Bernar-
„ dino Bicchari , & ejus fratribus , & poſſeſ-
„ ſionem Bivini , & vineam Offredelli , & poſ-
„ ſeſſionem Annicii , & predium Sancti Fa-
„ biani , quod filii Mercenarii Nigri tenebant , D
„ & Marziuolum , & ejus Curte , & Caſarne ,
„ & Caſtilionem : ſuper quibus poſſeſſionibus
„ fere omnibus predictus Prior Inſtrumenta
„ acquiſitionis exhibuit . Quibus viſis , & au-
„ ditis teſtibus , Inſtrumentis diligenter inſpe-
„ ctis , *Domno Bonifatio Novarienſe Epiſcopo*
„ Dei gratiâ , & *Domini* invictiſſimi *Impera-*
„ *toris Federici Vicario* , ad juſtitias faciendas
„ ſedente pro tribunali : ego Otto Zendeda
„ rius Mediolanenſis Imperialis Aule Judex ,
„ conſilio ſociorum meorum , videlicet Abbati
„ de Adegherio Ferrarienſis , & Groſſi de Bri-
„ ſcia Judicum Curie : Manentem a petitione
„ inter decem & ſeptem inter equas & pullos,
„ & tot inter boves & equas , unde habuit Li-
„ bras duodecim , & ſex paria bovum & cen-
„ tum pecudes , abſolvo . Item predictum
„ Manentem a petitione predii Sancti Fabiani,
„ quod tenebant filii Mercenarii Nigri , abſol-
„ vo , preſtito ſacramento a predicto Manen-
„ te , quod predictum predium erat ſuum .
„ Item de novem Libris Senenſis pro tribus
„ bobus , & de tribus Libris Senenſis pro
„ porcis , & aliis rebus ablatis ; & de quin-
„ decim Libris , quas abſtulit cuidam Abbati
„ predicti Monaſterii , predictum Manentem
„ abſolvo . In triginta tribus Libris & dimi-
„ dii denariorum Luce & Piſe , & in triginta
„ Libris , quas habuit de centum pecudibus
„ ablatis, & in decem & ſeptem ſomas ordei ,
„ & in triginta Libris de rebus , quas abſtulit
„ de Eccleſia predicta, Manentem eidem Prio-
„ ri , & nomine ſupraſcripti Monaſterii con-
„ demno . Item in poſſeſſione de Braſcagia ,
„ & de Caſtello Cetulo , & de Spiſcis , & de
„ Caſtagno , & de poſſeſſione data a Bernar-
„ dino Vicario , & ejus fratribus , & de poſ-
„ ſeſſione Bivini, & de vinea Offredelli , & de
„ poſſeſſione Annicii , & de Marzuolo , &
„ ejus Curtis , & de Caſarno , & de Caſtel-
„ lione , ut dimittat predicto Monaſterio , &
„ non impediat , predictum Comitem Manen-
„ tem condepno .
„ Et cum veniſſet reſponſurus Rambottus ,
„ filius quondam Comitis Manentis, propoſuit,
„ predictam ſententiam non debere executioni
„ mandari , quia dicebat eam injuſtam , tum
„ quod , ut dicebat , fuit data contra predi-
„ ctum patrem ſuum , eo abſente , tum quod
„ data fuit contra non poſſidentem , & multa
„ alia allegabat . Tandem predictus Monacus,
„ preſentibus & volentibus dictis Domino Vi-
„ cario , & Judicibus , & eorum conſilio , &
„ preſente ſupraſcripto Rembotto , dictam ſen-
„ tentiam contra heredes predicti Comitis Ma-
„ nentis tamquam juſtam executioni mandari
„ pronunptiavit , & executioni mandavit , &
„ mandari juſſit in omnibus & per omnia , ſe-
„ cundùm quod in memorata ſententia conti-
„ netur . Predictus Monacus hanc Cartulam
„ inde fieri precepit . Interfuerunt Azo Caſa
„ Notarius de Briſcia , & Bondinerio de
„ Mantua , Petrus Aretinus Judex , Roghe-
„ rettus Senenſis Judex , & alii quamplures
„ inde teſtes .
„ Ego Alberigus de Rovareto Imperialis
„ Curie Notarius interfui , & hanc Cartulam
„ ſcripſi .

Ad argumentum hoc accedat & Charta , quam ex Archivo Capituli Canonicorum Lucenſium deſcripſi . Inde conſtabit , quanto animo ii Canonici , jam tunc Domini Curtis & Caſtelli Maſſagroſi , Tyrannulis quibuſdam ſua infeſtantibus ſe ſe oppoſuerint .

Concordia inita inter Canonicos Sancti Martini Lucenſis, & Widonem filium Hildebrandi, eis antea infeſtum; Anno 1099.

,, IN Chriſti nomine. Notitia brevis pro
,, modernis & futuris temporibus ſecurita-
,, tis hac firmitatis, ad memoriam aben-
,, dam vel retinendam, qualiter in loco & fi-
,, nibus Cerreto prope Burgo de Montemagno,
,, & prope illo Caſtro, qui inceptus erat edi-
,, ficandum in loco & finibus, ubi dicitur Ri-
,, ſcitulo, preſentia bonorum hominum, co-
,, rum nomina ſubter leguntur. Propter hanc
,, litem & illam controverſiam, que orta erant
,, inter *Canonici de Eccleſia Sancti Martini Lu-*
,, *cenſis Civitatis*, & Caſa *Widonis filius Ilde-*
,, *brandi*, & *Ildibrandini* filio ejus, propter
,, illam rapinam & predam, ſeo aſaltum, quos
,, hominibus de Caſa predicti Widonis & Ildi-
,, brandini filio ejus ſepe faciebant ad homini-
,, bus de Curtibus de Canonici jam dicti San-
,, cti Martini de loco & finibus Maſſagroſi, &
,, Riſcetulo, & Waldo, & Montiſciana,
,, propter ipſas injurias, ſeo maleficia, quas
,, ipſi faciebant, jan dicti preclari Canonici
,, Sancti Martini rubuſtiſſime & honeſtiſſime
,, aſcenderunt in ſupraſcripto loco Riſcetulo ad
,, Caſtrum ibidem edificandum, & deinde ce-
,, perunt fortiſſime mirifice edificare jam di-
,, ctum Caſtrum, & has magnas monitiones
,, ad deponendas has magna contumacia, quas
,, predictis hominibus de Caſa jam dicti Wi-
,, donis & Ildibrandini filio ejus ad jam dictis
,, hominibus Sancti Martini facere ſolebant.
,, Propter hanc cauſam fidelibus de Caſa jam
,, dicti Widonis & Ildibrandini filio ejus cepe-
,, runt rogare, & multum ſuppliciter depre-
,, care, & ſe ipſis in omnibus umiliare adver-
,, ſus jam dictos Canonicos Sancti Martini, &
,, eorum fidelibus & amicis, necnon & *Domna*
,, *Matilda Comitiſſa*, ſeo *Marchioniſſa*, que
,, eodem tempore juſta Civitatem Luca, cau-
,, ſa juſtitie faciendam morabatur, ut ipſum
,, Caſtrum de prefato loco Riſcetulo deſtruan-
,, tur, eo vero modo, ut amplius jam dictis
,, maleficiis ad jam dictis hominibus Sancti
,, Martini de predictis locis amplius non ſuſti-
,, neantur, cum firmitatem & ſecuritatem per
,, ſacramenta, quas hominibus de ſupraſcripto
,, loco Montemagno, & de ejus Burgo, ad
,, jam dicti Canonici & ad hominibus de pre-
,, dictis locis & Curtibus fecerunt, ſicut ſup-
,, ter ſcriptum eſt, & fidelibus jam dicti Ildi-
,, brandini per pignora de alodio jam dicti Ca-
,, nonici ſicuraverunt, ſicut in eadem Cartule
,, legitur. Tunc jan dicti Canonici auditas
,, has preces. ſeo dulces deprecationes jan
,, dicte Domne Mattilde Marchioniſſe, & pre-
,, ſati fidelibus jan dicti Ildibrandini declinave-
,, runt aures eorum ad has preces, & juſſe-
,, runt, ut Caſtrum ipſum de Riſcetulo de-
,, ſtruantur. Tunc hominibus de ſupraſcripto
,, loco Montemagno, eorum nomina ſunt hæc:
,, tres filii Willielmi, Bellincione quondam
,, Martini, Albertino quondam Albiti &c. Hi
,, omnes ore proprio juraverunt ad ſancta Dei
,, Evangelia, quod *ab hac ora in antea dum*
,, *vixero, ſtudioſe non offendam, neque offen-*

A ,, *dere faciam, neque de habere, neque de per-*
,, *ſona in rebus beati Sancti Martini, & Ca-*
,, *nonicorum ejus, ſeo Clericorum, qui ſunt ad*
,, *ſtrada Montemagni uſque ad mare, & ad lo-*
,, *co, qui dividit res beati Sancti Martini inter*
,, *Fabianula, & Vualdum, uſque ad Caſtrum,*
,, *quod dicitur Pedoni. Et ſi offendero, infra*
,, *triginta dies, quod mihi a ſcire feceretis vos,*
,, *vel veſtris Miſſus, vel ille cui injuria facta*
,, *fuerit, ſi de habere, emendabo idem vel idem*
,, *valens; ſi de perſona, ita quod inde requie-*
,, *ſcere poſſit, niſi remanſerit per ejus parabo-*
,, *lam, cujus injuria vel damnum factum fue-*
,, *rit, que ſit ſine aliqua violentia. Et ſi ali-*
,, *quis de virtutis Montiſmagni offenderit de*
B ,, *predictis rebus infra predictos terminos, emen-*
,, *dare faciam, ſi potuero, ſicut predictum eſt,*
,, *ſine meo habere, dando uſque ad illum diem,*
,, *eo Ildibrandinus faciet hanc eandem ſecurita-*
,, *tem, vel cum ſacramento, vel pignore quin-*
,, *quaginta Librarum de alodio infra Curtem de*
,, *Luca. Malum meritum non reddam, neque*
,, *rendere faciam alicui homini propter illo fa-*
,, *cto, quod Canonici in Riſcetulo fecerunt, vel*
,, *fieri fecerunt. Et non ero in conſilio, ne-*
,, *que in facto, quod hoc Caſtrum redificietur*
,, *contra voluntatem omnium Canonicorum San-*
,, *cti Martini, vel majoris partis. Et non ero*
,, *in conſilio, neque in facto, quod homines de*
,, *Riſcetulo faciant placitum per aliquem homi-*
C ,, *nem de Caſa Widonis quondam Ildebrandi,*
,, *niſi de illis offenſionibus, quas facient infra*
,, *Caſtrum Montemagno foris de Riſcetulo, &*
,, *Vualdo & Montiſciana. Et ſi illis foras Ca-*
,, *ſtrum & Burgo de Montemagno offenderit ſe*
,, *inter ſe, non de rebus predicte Curtis, non*
,, *ero in conſilio neque in facto, ut faciant Pla-*
,, *citum per aliquem hominem de Caſa Widonis*
,, *quondam Ildebrandi. Et per me non rema-*
,, *nebit, neque per meum ingenium, eſſepto meo*
,, *habere dando, quod Ildibrandinus filius Wi-*
,, *donis non faciat eandem ſecuritatem de ſupra-*
,, *dictis rebus, quas ego juro per ſacramentum,*
,, *vel per pignus quinquaginta Librarum de*
,, *alodio infra Curte de Luca, poſtquam ad*
D ,, *etatem evenerit infra unum annum, poſtquam*
,, *inde requiſitus fuerit. Hec omnia, que ſu-*
,, *praſcripta ſunt, obſervabo per bonam fidem,*
,, *niſi Canonici ſeu Clerici Sancti Martini, vel*
,, *aliquis homo per illos non incipient reedifica-*
,, *re Caſtrum de Riſcetulo contra voluntatem*
,, *Ildibrandini, vel illius heredibus*. Hoc fa-
,, ctum eſt in preſentia Johanni Judex, Fraol-
,, mi Cauſidicus, Rainerii Notarius, Lamber-
,, to quondam Villani &c. & reliqui plures.

,, Hoc factum eſt Anno Dominicæ Incarna-
,, tionis Milleſimo Nonageſimo Nono, menſe
,, Junio, Indictione Septima.

,, Rodulfus Notarius Domni Imperatoris,
,, qui hunc breve ſcripſi, & ibidem fui.

E

Hujuſmodi Tyrannulorum perpetuum ſtudium erat, bella ſuſcitare contra vicinos minus potentes, atque in ipſos etiam Dominos inſurgere

inſurgere, ſi ſpes lucri affulgebat. Neapolitani potiſſimum Regni Hiſtoria innumera in hanc rem exempla miniſtrat. Vide etiam in Hiſtoria Montisferratenſi Benevenuti de Sancto Georgio, Tom. XXIII. Rer. Italicar. editâ, fœdus Anno MCCCXCIV. initum inter Delphinum Viennæ, Ducem Aurelianenſem dominum Civitatis Aſtæ, & Theodorum Marchionem Montisferrati: in quo ratio excogitata fuit comprimendi id hominum genus, publicæ quieti perniciofum. Quod gravius fuit, non plebeji tantùm, ſed nobiles etiam latrones iſti, vias ita infeſtabant, ut nemini tutum foret peregrinari, & ubique inſidias pertimeſcere oporteret. Quo nobiliores ac ditiores erant peregrini, eo diligentius cavere ſibi quiſque cogebatur; facile enim ab iniquis Caſtellorum dominis, dum per ſuum agrum tranſibant, intercepti, & in carcerem conjecti, libertatem ſine ingenti lytro minime recipiebant. Ex ejuſmodi latronum genere ille fuit, quem *Gino di Tacco* Boccaccius in ſuis Fabulis deſcripſit, ex occupato Radicofano viatorum perſonis & crumenis bella perpetua inferens. Proinde nil mirum, ſi male ceſſit Nicolao III. Principi, & Marchioni Eſtenſi inclyto viro, Domino Ferrariæ, Mutinæ, Regii, Parmæ, &c., quum Anno MCCCCXIV. Viennam Galliæ Narbonenſis devotionis cauſsâ perrexit, atque inde Pariſios profecturus, deinde Compoſtellam Gallæciæ ad viſitandum celebre Templum Sancti Jacobi Apoſtoli. Verùm ab ulteriori itinere deterritus, dum reverteretur, a Caſtellano Montis Sancti Michaëlis captus, & in pro-

A funda turri per integrum menſem maceratus fuit, ut enorme redemtionis pretium ſibi indictum perſolveret. At impii interea facinoris certior factus Carolus VI. Galliarum Rex. qui Marchionem paullo antea honoribus eximiis cumulaverat, eique inter cetera Liliorum inſignia Regia fecerat communia, literis ac minis Caſtellano præcepit, ut innocentem Principem liberum dimitteret. Non paruit ille: quare opus tamdem fuit juſto exercitu ad officium cogere nobilem latronem, qui capite pœnas luit, ejus etiam Caſtello a fundamentis exciſo, ne locus impoſterum eſſet ejuſmodi inſidiis. Hæc habemus in Annalibus Eſtenſibus a me editis, quæ tamen juſtiori examine recenſui in

B Par. II. Antiquitatum Eſtenſium, a me paulo antea edita. Sed gratiæ Deo nunc habendæ, quod nobiles ejuſmodi prædones a multo tempore deſierint, attriti nempe aut a Civitatibus liberis, aut a Principibus, majori contra eos potentiâ uſis. Sunt & qui de noſtris temporibus cauſſas conquerendi ſe plures habere putant: verùm ſi cum præcedentibus Sæculis ætas hæc noſtra componatur, quicumque intelligit, quàm invidendum inter temporalia bonum ſit, poſſe frui inteſtinâ quiete & tranquillitate publicâ, levia continuo reputet mala atque incommoda rei publicæ præſentis. Neque enim excogitandum eſt, dum in Mundo vivimus, fieri poſſe, ut bellorum, atque ma-

C lorum ſcaturigo prorſus areſcat & ceſſet. Heic in exſilio ſumus, atque in patria tantùm, ad quam tentandum eſt totis viribus, quies & perfecta felicitas nobis ſperanda eſt.

DE
REPRESALIIS.
DISSERTATIO
QUINQUAGESIMAQUINCTA.

DISSERTATIO QUINQUAGESIMAQUINCTA.

JAcobus Malvecius in Chronico Brixiano, quod publici juris feci in Tomo XIII. Rer. Italicar. hæc habet Diſt. 8. Cap. 115. *Per hæc tempora* (ideſt Anno Chriſti MCCLXXXIX.) *Repreſaliæ in ſingulis Civitatibus Lombardorum conceſſæ fuere. Quod factum adeo contra rem publicam invaluit, ut non dumtaxat mercimonia per nulla loca diſcurrerent, ſed neque ad alienas Civitates ullus iter arriperet. Denique harum Repreſaliarum abhorrendus uſus non ſolùm Lombardiam, ſed & totam Italiam, alias quoque nonnullas Provincias diſcordiis ac malis plurimis conturbavit.* Recte hæc Malvecius. Et famoſa quidem olim fuit, ſimulque pernicioſa, ac prope eſt, ut ita dicam, deteſtanda *Repreſaliarum* conſuetudo. Quæ quid fuerint, ab Auctore *Briviloqui* apud Du-Cangium diſcimus, eas ita definiente: *Repreſaliæ dicuntur, quando aliquis oriundus de una Terra ſpoliatur vel damnificatur ab alio oriundo de alia Terra, vel etiam, ſi debitum non ſolverit ei. Tunc enim datur poteſtas iſti ſpoliato, quod ſibi ſatisfaciat contra quemlibet de Terra illa, unde eſt ſpoliator vel debitor.* Exempli gratiâ, ſi contingebat, ut Mutinenſis quiſquam a certo quodam homine Bononienſi ſpoliaretur, ac delatâ ad Bononienſis Populi Magiſtratus querelâ, repetenti ſuum nulla miniſtraretur juſtitia: tunc ſpoliatus a Reipublicæ ſuæ, hoc eſt Mutinenſis, Prætore ſubſidium implorabat; qui propterea *Repreſaliæ* jus ei concedebat, facultatem videlicet ſpoliandi quemcumque Bononienſem poſſet, ac ab eo auferendi tantumdem, quantum ſibi antea fuerat ereptum. Vocabularii Cruſcani Auctores vocem hanc ita definierunt: *Il ritenere, e l'arreſtare quel d'altrui per forza, quando ſi capita in tua podeſtà.* Sed mancam eſſe ejuſmodi definitionem ex iis, quæ jam præfatus ſum, continuò intelliget Lector. Nominis etymologiam ſcrutatur Voſſius Lib. 3. Cap. 43. de Vitiis Sermonis, atque in eam ſententiam concedit, ut ejus origo ab Italico deſcendat. Et meritò quidem, quum apud nos natus plane videatur *Repreſaliarum* uſus, ſive abuſus; atque a voce *Preſo* & *Repreſo*, ſeu *Ripreſo*, hoc eſt a rurſus *prehendendo* quod ſibi *prehenſum* ante fuerat, actio ipſa hoc nomen ſumſerit. Neque Latinum *clarigatio*, ut Hermolao Barbaro placuit, neque Græcum ἀνδροληψία, ut Budeus ſenſit, veram *Repreſaliæ* ſignificationem nobis exhibent, uti earum vocum vim ac uſum perpendenti patebit. Multa de *clarigatione* habet Salmaſius in Libr. de modo Uſur. Porro certum eſt, inſuetum apud antiquos fuiſſe ejuſmodi modum res ſuas vendicandi, facultates innocentium invadendo. Immo id fuit aut tacite aut aperte Legibus interdictum, ut patet ex Auth. *ne fiant pignorationes*, Collat. V. & l. *ſicut* §. i. ff. *Quod cujuſque univerſ. nom.* Alias Leges omitto, quas Grotius congerit Lib. 3. Cap. 2. de Jure Belli & Pacis. Certe nuſquam apparet, violentam hanc agendi rationem, de qua ſum loquuturus, legibus fuiſſe probatam, quum ſapientibus viris impium videretur ab uno exigere, quod ab altero deberetur. Violenti tamen hujus remedii veſtigia elucere videntur in Capitulari Sicardi Principis Beneventani, Anno DCCCXXXVI. quod Peregrinius edidit Tom. II. pag. 258. Rer. Italicar. Statuitur ibi, ut ſi quis juſtitiam impetrare minime potuerit a Judice, *tunc habeat licentiam foris Civitatem qualiter pignus facere tam in Langobardos, quàm etiam in inquilinos, vel qualibet perſona prætendere potuerit, excepto negotiante.* Hæc tamen obſcura. Illud certum eſt, familiares demum evaſiſſe *Repreſaliis*, poſtquam Italicæ Urbes, Libertate aſſumtâ, cœperunt ſingulæ dominari: quod poſt Sæculum Æræ Vulgaris Decimum contigit, uti in Diſſertatione XLV. oſtendi. Tunc tot Principes erant, quot liberæ Civitates; tunc æmulatione quælibet accenſa, aut augendi imperii cupiditate, facile in ſimultates ac bella contra vicinas rapiebatur. Succedentibus poſtea teterrimis ſciſſuris inter Pontifices Romanos & Imperatores, additiſque factionibus Gibellinorum & Guelforum, diſcordia major ubique invaluit, & inextinguibiles flammas in cunctis pæne Urbibus excitavit. Potentium, immo impotentium germen eo tempore paſſim pullulabat, ac proinde nullo negotio inveniebantur, qui viatoribus, ac præcipue divitibus, & mercatoribus injurias ac vim inferebant, eorumque facultates quæſitis cauſſis, atque etiam violenter, niſi alia erat via, rapiebant. Idque impune non raro fiebat, quum accuſationem Magiſtratus loci negligerent, aut nullus auderet inſurgere in Civem ſuperbum & contumelioſum, patronis etiam ad ſcelera ſua fovenda minime deſtitutum. Erant etiam, qui debitorem ſuum in alieno Comitatu habitantem fruſtra ad debitum perſolvendum aut verbis ac precibus utendo, aut apud Judices loci jure experiendo agebant. Quid heic agerent miſeri, quum nihil amplius ſpei ad ſua recuperanda in alieno territorio reliquum ſibi eſſet? Igitur veluti deſperatione acti, apud ſuæ Urbis Magiſtratus querimoniam deponebant, atque ab iis opem deprecabantur. Tunc Prætor illius Urbis, læſi Civis patrocinium aſſumens, apud Prætorem alterius Civitatis agebat, ut juſtitiæ fieret ſatis. Quod ſi irrita relinquebantur illius officia, tum *Repreſaliarum* facultas damnum paſſo concedebatur, ut ab aliquo Cive Caſtelli aut Urbis illius, quæ juſta facere negaverat, tantum auferretur, quantum ſatis eſſet ad reſarciendum detrimentum Civi ſuo illatum. Hæc omnia ex publicis Actis Mutinenſis Reipublicæ, quæ manu exarata in ejus Archivo ſervantur, lucem accipient.

Ex Legibus Anno MCCCXXVII. ſtatutis ab eodem Populo Mutinenſi elucet, antequam *Repreſaliæ* cuiquam concederentur, qui in aliena Civitate aut Comitatu ſpoliatus fuiſſet, aut pecuniam ſibi debitam conſequi minime potuiſſet, petitionem ac jura petentis diligenti examine ponderata fuiſſe. Tum verò, ſi juſtitia apud eum ſtare deprehendebatur, Reſpublica

blica primo literis negotium ſui Civis procurabat. Deinde, ubi inanem literarum vocem fuiſſe animadvertebant, ære ſuo Nuntium ad Rectores Civitatis mittebant, ubi ſpoliator aut debitor degebat, ut illic rei veritatem ſtudioſius inquireret, & quæ jus gentium exigit, ab iis repeteret. Si ſurdis adhuc canebatur, *Repreſaliæ* tunc concedebantur. Quæcumque verò, *Repreſaliis* conceſſis, ab extero homine auferebantur, ſub haſta venum ibant. Cura autem ejuſmodi *Repreſaliarum* Conſulibus Mercatorum commendata erat. Quod ſi ab alienis Civitatibus contra Mutinenſes *Repreſaliæ* emanaverant, Prætoris munus erat intercedere, ut res componeretur, atque a Populo ſuo, ſi fieri poſſet, omnis averteretur moleſtia. In eodem Volumine Legum MSto. Lib. primo, Rubricâ 55. *Statutum eſt pro publica utilitate Mercatorum, quod Poteſtas Mutinæ teneatur præciſe in primo Menſe ſui regiminis ponere ad Conſilium Generale de Repreſaleis omnino tollendis, & de attendendis, quæ ſunt inter Commune & Homines Mutinæ, & Communia & Homines Civitatis Parmæ, Cremonæ, & Regii, & omnia alia Communia & Civitates, quæ habent Repreſaleas contra Commune & Homines Mutinæ, ad hoc ut Homines Civitatis Mutinæ poſſint ire & ſtare ſecure cum perſonis & rebus in dictis Civitatibus.* Et Anno quidem MCCCVI. nonnullis Civibus Mutinenſibus *Repreſaliarum* facta eſt copia a Conſilio Generali Populi Mutinenſis. Exemplo res patebit. *Nicolaus filius quondam Domini Montecli, ſpoliatus & derobatus in Civitate Cremonæ, per quondam Dominum Melium de Comitibus Civem Cremonæ, de unâ peziâ de blaveto de Zalaono: item de ſex brachiis panni Perſi: item de duabus paribus caligarum de Saliâ: item de unâ bragâ: & unâ camisâ: & decem filzis de Paternoſtris: item de decem & octo faldis feltri: item tantumdem boracium: item de uno Codice ſcripto in chartis hedinis: item de uno ſuo equo exiſtimato decem & octo Libras Imperiales de bona moneta de Mutina: item de quadraginta Solidis de Turonenſibus, quos habebat cum eo. Quæ res exiſtimatione communi valebant ſeptuaginta & octo Libras Imperiales de bona moneta de Mutina. Petiit Repreſalias contra perſonas & bona Communis Cremonæ, & ſingulos homines & perſonas Civitatis Cremonæ & ejus diſtrictus: inſuper petens damna & intereſſe.* Et quandoquidem Reſpublica Cremonenſis, quamquam per Literas, immo & per Legatos a Prætore & Communi Mutinæ de iſtis, aliiſque damnis illatis, ſolicitata, ut aut ejuſmodi res ablatas, aut earum pretium, reſtituenda curaret, Mutinenſium exſpectationem fruſtrarat, propterea *Repreſaliæ* eidem Nicolao conceduntur. Idem jus impetrant Nicolaus Anzelerius ac alii, quibus ereptum fuerat in nundinis Parmenſibus pretium CCC. Librarum pecuniæ Parmenſis. Vedrianus noſter in Hiſtor. Mutinenſ. ſcribit, Saracenum Lambertinum Bononienſem Anno MCCLXXII. pro ſex poſtremis menſibus Præturam Mutinenſem geſſiſſe, in qua *ſe la paſsò con ogni quiete*. Verùm ex Actis publicis MStis Reipublicæ Mutinenſis, & ex Annalib. veter. Mutin. a me editis Tomo XI. Rer. Italicar. conſtat, Prætorem hunc, obortis controverſiis gravibus, nondum completo anno, ſeſe Magiſtratu abdicaſſe. Expoſtulabat ille, quod contra ſuam dignitatem a Mutinenſibus ad hujuſmodi conſilium fuiſſet adactus. Contra contendebant Mutinenſes, ipſum ſponte receſſiſſe. Bononiam profectus Lambertinus, ingentem pecuniæ vim a Mutinenſi Populo petiit ob injuriam ſibi, ut ajebat, illatam. Et viciſſim non minorem ab eo repetebant Mutinenſes, quod munus ſuum contra pacta & jusjurandum deſeruiſſet, uti colligitur ex Actis, quæ protuli in Diſſertatione XLVI. *de Magiſtrat. Civitat. Italicar.* Itaque delatâ ad Bononienſem Rempublicam controverſiâ, impetravit ille *Repreſalias* Anno MCCLXXIII. adversùs Mutinenſes. Cujus conceſſionis acta, uti leguntur in antiquo membranaceo Regeſto Populi Mutinenſis, exhibenda cenſeo, ut inde elucefcat, quo ordine in ejuſmodi negotio olim procederetur.

Repreſaliarum

Repreſaliarum facultas conceſſa Saraceno Lambertino contra Mutinenſes a Prætore, Capitaneo, & Antianis Populi Bononienſis, Anno 1273.

A ANno *Domini Milleſimo Ducenteſimo Septuageſimo Tertio, Indictione Prima, die XIII. exeunte Julio*, Dominus Guidoctus de Ponte Carali Poteſtas Bononie, *propoſita querela coram ipſo per* Dominum Saracenum de Lambertinis Civem Bononie, *quod cum predictus Dominus Saracenus eſſet Poteſtas Mutine impeditus fuit in regimen ipſius Civitatis per capitula viginti quatuor, & homines dicte Terre. Itaque non potuit complere dictum regimen. Et ea de cauſa requiſitus ſit Poteſtas, & Conſilium & Commune Mutine per Literas dicti Domini Poteſtatis, Capitanei, Antianorum, & Conſilii Communis Bononie, quod ſatisfaceret dicto Domino Saraceno de dictis dampnis & injuria: & ſatisfacere noluerunt,*
B *contra quod reformatum ſit in Conſilio & maſſa Populi ipſo Domino Jacopi Amorecti Lanzavecle, Capitaneo Populi Bononie ad ſcrutinium, cum ferlinis datis, ac etiam in Conſilio generali & ſpeciali Communis Bononie factum pro partito per Dominum Guidoctum de Ponte Carali Poteſtatem Bononie & Imole*: quod Repreſalia dari debeat dicto Domino Saraceno contra Commune Mutine Civitatis & diſtrictus Mutine, *pro dictis dampnis & injuria, & bannum dicto Communi & hominibus Terre predicte: predictus Dominus Poteſtas, ac etiam Conſilium ſpeciale & generale Communis Bononie, ſecundùm formam predictarum reformationum,*
C *dat & concedit predicto Domino Saraceno Repreſaliam contra Commune & homines Civitatis Mutine & diſtrictus, in avere & perſonis. Ita quod ſua auctoritate, & ſine requiſitione Poteſtatis, Capitanei, vel aliorum Officialium Communis Bononie, poſſit capere homines Civitatis Mutine & diſtrictus, ac reprendere pro ſatisfactione predictorum dampnorum & injurie ad voluntatem predicti Domini Saraceni. Et quod liceat predicto Domino Saraceno res predictorum accipere, ubicumque ex eis repererit, ſive reperire poterit ad ſuam voluntatem. Et nihilominus predictus Dominus Poteſtas & Conſilium predicto Communi Mutine, & hominibus Civitatis & diſtrictus Mutine dat bannum pro predictis injuriis & dampno, & ex nunc ſic intelligantur eſſe banniti Communis Bononie. Et predicta dat & concedit & voluit, robur habere, non obſtante Statuto reformato vel aliquo jure, quod predictis, vel alicui predictorum poſſet aliquo derogare.*

Que omnia & ſingula acta fuerunt in Palacio veteri Communis Bononie, congregato Conſilio generali & ſpeciali Communis Bononie ad ſonum utriuſque campane more ſolito, preſentibus Petro Franchedi Notario, Bonacoſa Muranarii Cachanelli, & alii.

Ego Amatore Zagni piſtoris, & nunc pro Communi Bononie ad ſcribendum reformationes Communis ad diſcum cum Domino Poteſtate, ut ſupra legitur, interfui, & de mandato dicti Domini Poteſtatis & Conſilii ſcripſi.

Antequam hujuſmodi facultate uteretur Lambertinus, ejuſdem exemplum ad Mutinenſes miſit, qui non ſegnes ad ſua jura tuenda fuere, & diſputationem traxerunt in annos multos, donec Arbitris ex utraque Republica electis, finis eſt ei factus. Et mos quidem, ut jam dixi, fuit, quoties de *Repreſaliis* contra ſe conceſſis alicui Civitati conſtabat, aut per Legatos, aut per Literas curare, ut æquitati daretur locus, & majorum diſcordiarum ſemina ſopirentur. Eam ob cauſſam Anno MCCLXXIX. & MCCLXXXI. conſtituti ſunt Arbitri a Bononienſibus ac Mutinenſibus, quorum foret omnes *Repreſaliarum* cauſſas cognoſcere atque dirimere. Exſtant Acta in Regeſto Reipublicæ Mutinenſis, e quibus hæc pauca delibavi.

Petitio Alberti Vidæ Bononienſis contra Mutinenſes occaſione Repreſaliarum, Anno 1281.

A *ANno MCCLXXXI. die IX. exeunte Februario, coram vobis Dominis Arbitris, qui eſtis deputati ad examinandum, definiendum, & terminandum omnes queſtiones, lites, & cauſas, que ſunt, vertuntur, ſeu verti poſſunt inter utrumque Commune & ſingulares perſonas utriuſque Civitatis & diſtrictus, dicit & exponit Albertus quondam Petri Vidæ de Caſtro Francho; quod cum ipſe duceret unum ſuum bovem a merchato Civitatis Mutine, & fuiſſet imbrigatus inter Caſtrum Leonis & Zenam in Strata publica, dictus bos fuit eidem acceptus per Beruarios, ſive Cuſtodes Communis Mutine, & per ipſos Beruarios ductus ad Civitatem Mutine; & repreſentatum uni ex Judicibus Poteſtatis in Comuni Mutine publicatus & venditus pro Communi Mutine ad incantum.* Unde petit dictus Albertus per vos Dominos Arbitros, Commune Mutine condempnari ad reſtitutionem dicti bovis, *vel ejus extimationem, quam facit decem Libras Bononienſes, & ad dampnum & intereſſe & expenſas factas, quas facit quadraginta Solidos Bononienſes, & de faciendis proteſtatur. Et predicta dicit fuiſſe de Menſe Septembris & Octubris proxime preteriti.*

Uti ex eodem Codice hauſi, die VI. Junii, *Bonagratia filius quondam Domini Raimundini Presbiteri de Caſtro Francho* conqueſtus eſt, ſe duxiſſe ad mercatum Mutinæ duos boves; & quum eos domum reduceret, *& fuiſſet inter Caſtrum Leonem & Genam in Burgo Novo in Strata publica, Beruarii Mutinenſes* (nunc *Birri*) eoſdem boves abſtulerant; quorum pretium aſcendiſſe contendit ad viginti quatuor Libras pecuniæ Bononienſis, & damnum ad decem Libras. Pro hiſce damnatum fuit Commune Mutinæ ad perſolvendas vigintiduas Libras Bononienſes. Ita bos alteri Bononienſi, *quum fuiſſet in Burgeto intra Caſtrum Leonem & Zenam in Strata publica*, ablatus fuit per eoſdem Satellites, ſive Apparitores, ſive Beruarios, quem ipſe æſtimabat Libras quatuordecim pecuniæ Bononienſis. Sequenti Anno
B MCCLXXXII. uti ex Regeſto eodem didici, mercatoribus Venetis contra Mutinenſes mercatores *Repreſaliæ* conceſſæ fuerunt pro Libris ſexcentis ſexaginta octo, & Solidis tribus. Propterea iſti Venetias profecti ſtetere *coram Scribanis tabulæ Lombardorum*, ut ſuam cauſſam tuerentur. Invenio perſolutas Venetiis Libras viginti novem & Solidos decem & octo pecuniæ Mutinenſis a *Bonacorſo de Bonacorſis Miſſario Generali Communis Mutinæ pro liberatione, & maltolte, que Civibus Mutinenſibus tollebatur in Civitate prædicta*. Sed præſtat, Chartam ipſam producere.

Acta Mercatorum Mutinenſium Venetiis ad removendas Repreſalias contra Mutinenſes a Venetis conceſſas, Anno 1282.

IN nomine Dei. Amen. Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Octuageſimo Secundo, die XIII. intrante Menſe Julio, Indictione X. præſentibus Magiſtro Oderico Scolarum, Aſaldino Scribano, Fruzerio filio quondam Angeli Zapani, tunc omnibus Scribanis Tabule Lombardorum. Cum nobiles viri Creſſi & Antonius Bochinus, Cives & Mercatores Mutine Civitatis venirent coram Vicedominis Tabule Lombardorum, videlicet Dominis Johanne Aurio, Raynerio Darpo, atque Marco Manoleſſo, allegarent ac dicerent eiſdem ex parte Domini Poteſtatis Mutine, & omnium Mercatorum ejuſdem Civitatis & Communis, atque ſuppliciter deprecarentur, ut ipſi deberent eos edocere de pignorationibus, & Repreſentaliis, quæ Homines Venetie haberent ſuper Commune, & contra Commune & Homines Mutine, *& earum quantitatem, & nomina illorum, qui debent habere. Unde volentes ad eorum petitiones condeſcendere, fecerunt libros, eas pignorationes & ſolutiones habentes, cum inſtantia inquirere & perſcrutari. In quibus invenerunt, quod Richerius Baliſterius de confinibus Sancti Juliani, Raynerius Drapperius de eodem confinio, Cavorzius de confinio Sancti Pauli, atque Bonadoma de confinibus Sancti Jeminiani, omnes de Venetiis, & Petrus Zenzyro frater Johannis Villani, & Martinus de Vivaroto avunculus ejuſdem Johannis, ambo de Clugia minori, habebant* pi-
C gnorationes & repreſentalia *ſuper Commune, & contra Commune & Homines Mutine in Libris ſexcentis & ſeptuaginta octo, & Solidis tribus. Verum eſt, quod reperitur in dicto quaterno pignorationum Mutine, quod Dominus Nicolaus Tardivello de confinio Sancti Juliani, Bartholomæus Ponderator Stateræ Communis, Johanninus Scribanus Armamenti de confinibus Sancte Marie Formoſe, atque Bonadoma Sancti Jeminiani, omnes de Venetiis, & Johannes Villanus, Baſilius Zuffo, & Benvenutus Cazo, omnes tres de Clugia minori, habebant jus excutiendi dictas pignorationes & repreſentalia, vice & nomine omnium ſupradictorum. Reperitur etiam in dicto quaterno, ſolutio eſſe facta
D eiſdem de Libris quingentis & quadraginta duabus, & Denariis novem. Et videtur, quod reſiduum omnium ſupradictorum ſit Librarum centum & triginta ſex, & Solidorum duorum, & denariorum trium. De quibus predicti Creſſi & Antonius, Cives & Mercatores Mutine fecerunt pactum & concordiam cum omnibus ſupradictis in Libris nonaginta quinque & Solidos decem & Denarios octo ad Denarios Groſſos. Quos dicti Creſſi & Antonius Bochinus Cives & Mercatores Mutine Civitatis dederunt Vicedominis, ſolventibus omnibus ſupradictis. Unde predicti Vicedomini fecerunt eidem integram ſolutionem ſecundùm pactum & concordiam utriuſque partis, excepto uni, quem non potuerunt inve-*

invenire, nec aliquem, qui pro eo eſſet, nomine Bonadoma Sancti Jeminiani. Quantitatem reſidui pignorationis cujus predicti Creſſi & Antonius ſolverunt predictis Vicedominis, ſecundùm modum & tenorem factum aliis hominibus, qui debent accipere; qui denarii fuerunt Libre duodecim & Soldi novem ad Denarios groſſos: & fuerunt poſiti in uno fiſculo in uno bancho, ubi ponuntur denarii Communis: que Libre duodecim & Soldi novem ad Denarios groſſos fuerunt de illis Libris nonaginta & Soldis decem & Denariis octo ſupradictis. Ita quod quando appareret dictus Bonadoma, aut aliquis, qui pro eo eſſet, dicte Libre duodecim & Soldi novem ad Denarios groſſos ſibi darentur. Unde facta predicta ſolutione, predicti Vicedomini invenerunt, quod Libre ſexaginta due & Soldi novem ad Groſſos erant exacte de pignorationibus ſupradictis, quas predicti Vicedomini habebant in cuſtodia & in ſolutione integre de omnibus pignorationibus, predicti Vicedomini reddiderunt predictas Libras ſexaginta duas, & Soldos novem ad Groſſos predictis Creſſi, & Antonio Mutinenſibus: videtur quod ſumma denariorum, quos predicti Creſſi & Antonius, Cives & Mercatores Mutine Civitatis ſolverunt pro Communi Mutine, ſit Librarum triginta trium, & Denariorum viginti ad Denarios. Item expenſaverunt tam eundo Clugiam ad faciendum pactum & concordiam cum ſupraſcriptis Clugienſibus, & in labore Scribanorum Tabule Lombardorum, & in Notario, qui fecit dictum Inſtrumentum, & aliis expenſis, Soldos Groſſorum ſex. Unde predicti Vicedomini fecerunt caſſare & mortificare omnes pignorationes & repreſentalia, quas haberent Homines Venetie ſuper Commune & Contra Commune & Homines Mutine, *taliter quod amodo in antea ſint nullius valentie, & vigoris. Dantes eiſdem & omnibus aliis hominibus de Mutina licentiam ire & redire cum ſuis mercimoniis & ſine, abſque impedimento aliquo pro illis pignorationibus & repreſentaliis, ſalva juriſdictione Communis Venetiarum utique & honore.*

Actum hoc in Venetiis apud Tabulam Lombardorum in Rivoalto. Hoc Inſtrumentum factum fuit & confirmatum per voluntatem duorum ſupradictorum Vicedominorum, videlicet Johannis Aurio, & Rayncrii Darpo.

✠ *Ego Johannes Aurio Vicedomino manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Raynerius Darpo Vicedominus Lumbardorum manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Donatus de Richerio, Imperiali auctoritate Notarius & Judex, ac Scribanus predicte Tabule Lumbardorum, rogatus fui ſcribere, ſcripſi.*

In Chriſti nomine; Milleſimo Ducenteſimo Octuageſimo Secundo, Indictione X. die Jovis V. intrante Novembri. Viginti novem Libras, & decem & octo Soldos Mutinæ dedit & ſolvit Dominus Bonacurſius de Bonacurſiis Maſarius Generalis Communis Mutine, Domino Andreæ Salamonis, recipienti pro Domino Antonio (Bochino) *Merzadro predicto, pro triginta & . . . . . Soldis Venizianis Groſſis, quos ſolvit in Civitate Venetiarum*, pro liberatione Maltolte, que Civibus Mutine tollebatur in Civitate predicta, *& pro predicta cauſa.*

Actum in Palatio Domini Capitanei, preſentibus teſtibus Domino Guillielmo de Bonacurſiis, & Nicolao de Preſulis.

Ego Delacora de Ganaceto Notarius dicti Maſſarii ſcripſi.

A Interea percontaris: cur aliena debita ſibi ſolvenda ſumebat Reſpublica? Nimirum ut quieti reliquorum conſuleretur. Verùm non adeo liberales erant eorum temporum homines, ut publico ære æs alienum tollentes, nihil a debitore repeterent, ſi ei ſatis facultatum erat ad perſolvendum. Quid Mutinæ actum fuerit Anno MCCCXVI. accipe. *Nobilis Milex* (ita in publicis tabulis ſcriptum eſt) *Dominus Henſelminus de Henſelminis de Padua, honorabilis Capitaneus Populi Mutinenſis, in Palatio Populi ad ſonum campanæ, & voce Præconis congregati, in quo de conſcientia & voluntate Dominorum Sexdecim Defenſorum libertatis Communis & Populi Mutinenſis propo-* B *ſuit infraſcripta, ſuper quibus conſilium poſtulavit. Quid placet Conſilio providere, ordinare & firmare ſuper infraſcriptis poſtis, deliberatis & approbatis per dictos Dominos Defenſores, tenor quorum talis eſt: Item cum aliàs ſit proviſum, quod per Commune Mutinæ mittantur ad Commune Venetiarum duo boni homines & legales de Mutina, expenſis Communis Mutinæ, causâ tractandi & paciſcendi cum creditoribus de Venetiis quondam Domini Ambroxii de Ymola pro Repreſaliis ſedandis* &c. Deliberationi huic acceſſit albus omnium calculus, & hujus debita ſublata fuere Venetiis. Sed illius filii tantumdem de ſuis bonis Reipublicæ tradiderunt, quantum ipſa pro illorum C patre perſolverat. Privata autem hæc, ut ita dicam, bella mirum eſt, quantum incrementi ſuſceperint inclinante Sæculo Chriſti Tertiodecimo, ut non injuriâ Malvecius in Hiſtoria Brixiana eadem fuerit deteſtatus, quod hac agendi ratione inſtitutâ per Italiam ingens inoleverit rerum perturbatio. Certe aſpectu primo neutiquam damnanda videatur hujuſmodi conſuetudo. Eſt enim Principis aut Reipublicæ non ſolùm univerſitatis, ſed & privatorum hominum fortunas tueri; & quando per remedia, ut ajunt, ordinaria vendicare ſuum non licet, extraordinaria adhibere fas eſt. Quod innocens læditur, ſibi tribuat Princeps aut Civitas, quæ juſte poſtulata exaudire noluit. Et certe quum in bello juſto hoſtium res capere, culpâ carere credatur: idem de *Repreſaliis* ſtatuendum videtur, quæ inſtar belli ſunt, ejuſque ſpeciem referunt, dum ob denegatam juſtitiam conceduntur ab iis, qui legitima poteſtate ac jure concedendi fruuntur. Ultra non progredior, ut *Repreſaliarum* uſum illæsâ juſtitiâ invectum oſtendam: quod & Juriſconſulti complures, & Politicæ rei Scriptores jamdiu ſe feciſſe contendunt. Attamen minime deſiderantur rationes, quæ *Repreſalias* ab Italicis Urbibus olim uſurpatas damnent, aut ſaltem minime ferendas, nimiumque pernicioſas evincant. Neque enim fas eſſe videtur, ut unius ob noxam Reſpublica univerſa vexe- E tur, adituſque aperiatur tot malis, quæ *Repreſaliarum* conceſſionem antiquis temporibus conſequebantur. Ubi enim ob crimen aut debitum Civis alicujus, *Repreſaliæ* contra illius Civitatem a Civitate aliena concedebantur, mercatorum nullus, immo ne Civium quidem ullus, alienæ Civitatis territorium ingredi audebat: qua ex re ſublatum omnino commercium erat cum nimio ipſius Reipublicæ, ac tot innocentium incommodo. Præterea innocenti ſpoliato rarò modus erat vendicandæ rei ſuæ, & damna inde conſequuta reſarciendi. Sæpe etiam ſpoliatorum ira in alios pariter innocentes ſine publica auctoritate ruebat: neque

que

que erat finis ſcelerum ac latrociniorum, facile abutentibus ejuſmodi facultate hominibus, & lucrum inde referentibus cum aliena jactura. Reliqua prætermitto. Quamobrem non leve negotium Civitatum Italicarum Magiſtratibus olim fuit *Repreſalias* prævertere, ac peſſima earum conſectaria tollere. Id, quod potiſſimùm curaſſe Mutinenſes video, (uti ex Actis MStis Reipublicæ ejuſdem edidici) apud Placentinos Anno MCCCXVIII. Nimirum *Nobilis vir Dominus Ylarius de Zochis Civis Parmenſis honorabilis Poteſtas Civitatis & Communis Placentiæ, nomine Communis Placentini, ex nunc ſuſpendit omnes & ſingulas Repreſalias, conceſſas in Civitate Placentiæ contra omnes & ſingulos Cives & diſtrictuales Mutinæ, omnibus & ſingulis Placentinis hinc retro quacumque ratione & cauſa. Et hæc ad poſtulationem & inſtantiam Domini Lambertini Graciæ Ambaxatoris, Syndici, & Procuratoris Dominorum Poteſtatis, Communis, & Hominum Civitatis Mutinæ* &c. *Dans & concedens plenam, liberam, & integram bayliam, auctoritatem, & poteſtatem, ac fidantiam, quod omnes & ſinguli Civitatis Mutinæ Cives & Diſtrictuales poſſint & valeant ad eorum liberan & omnimodam voluntatem ire, redire, ſtare, & tranſire per Civitatem & Epiſcopatum Placentiæ cum rebus, perſonis, mercaturis* &c. *Et hæc facta ſunt de licentia & mandato Magnifici Militis Domini Galeacii Vicecomitis, Civitatis & Diſtrictus Placentiæ Domini Generalis* &c. Longe verò antea Mutinenſis Populus ſibi proſpexerat, ne inter ſuos Cives ac finitimos *Repreſaliis* ullis locus in poſterum eſſet. Id factum vidi Annis MCXCVIII. MCCXIII. & MCCXIX. Ex quo intelligimus, non tam ſerò, ut Malvecius in Hiſtoria Brixiana tradidit, Repreſaliarum uſum periculoſum emerſiſſe inter Italicos. En ipſa Acta deprompta ex antiquo Regeſto MSto Reipublicæ Mutinenſis.

Concordia inter Mutinenſes & Ferrarienſes, ne propter creditores fiat præda inter eos, ſed cui debetur, ab eodem requiratur: Anno 1198.

IN Chriſti nomine. Anno Dòminicæ Nativitatis Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Octavo, tempore Innocentii Pape, nullo Imperatore in Italia regnante, die XVI. intrante menſe Novembri, Indictione Prima, ſupra Domum Communis Ferrarie. Talis eſt concordia, quam Iſaac de Dovaria Ferrarie Poteſtas pro Communi Ferrarie, voluntate Conſiliariorum Ferrarie, fecit cum Jacobo de Gorzano Conſule Mutine Communis, & cum Rainerio Arditione Conſule Mercatorum Mutine pro Communi Mutine & pro Mercatoribus Mutine. Quod de cetero ſi aliquis Ferrarienſis fecerit aliquam credentiam vel mutuum, ſive debitum contra Mutinenſes, vel de ſuo diſtrictu, commune vel diviſum, Ferrarienſes non poſſint facere cambium vel predam, ſive querelam contra alium, niſi contra principalem debitorem. Et ſi Mutinenſes fecerint aliquam credentiam, vel mutuum ſive debitum contra Ferrarienſes vel ſuum diſtrictum, commune vel diviſum, Mutinenſes non debeant facere cambium, vel predam, ſive querelam contra alium, niſi contra principalem debitorem. Et ita attendere pro Communi Ferrarie & Jacobus de Gorzano Conſul Mutine, & Rainerius Conſul Mercatorum Mutine, pro Communi Mutine promiſerunt, & Iſaac de Dovaria Ferrarie Poteſtas. Teſtes rogati Gaidoldus Judex Poteſtatis, Salinguerra, Petrus de Alberto, Bonuſvicinus, Ubaldus Fontane, Giliolus Guizardi, Jacobinus de Jacobo, Aldigerius Bernardus de Venerio, Achilixinus Niger, & alii plures.

Ego Magiſter Presbiterinus, dei gratiâ Imperialis Aule Notarius ad hec preſens rogatus ſcripſi.

Conventa inter Mutinenſes ac Bononienſes de non concedendis Repreſaliis, Anno 1213.

EGidius Conſul Mercatorum Bononiæ, Nuntius & Procurator pro Communi Bononiæ conſtitutus per Dominum Matthæum de Corrigia Poteſtatem Bononiæ, in Palatio Communis Mutinæ, & in Conſilio Mutinæ, ſtatuit & ordinavit cum Domino Balduino Vicedomino Poteſtate Mutinæ, & cum Hominibus de Conſilio Mutinæ in Palatio exiſtentibus: quod ſi contingerit, quod aliquis de Bononia, vel ejus diſtrictu aliquem contractum, vel aliquam obligationem fecerit cum aliquo vel aliquibus de Civitate Mutinæ vel ejus diſtrictus, vel qui per Mutinenſes diſtringuntur & reguntur, unde ad dandum vel ſatisfaciendum teneatur, & contingerit, eum nolle, aut non poſſe ſolvere vel ſatisfacere ſecundùm formam contractus vel obligationis, alii de Bononia vel ejus diſtrictu in perſona nec in rebùs ullo modo, & in nulla parte inquietentur, nec impediantur, aut detineantur, vel intramittantur propter hoc, ſed nec ad ſolutionem vel ſatisfactionem ipſi, vel eorum res cogantur: ſed ipſe ſolus, vel ipſi, qui contractum vel obligationem fecerit vel fecerint, debent vel debeant conveniri, & ad ſolutionem vel ſatisfactionem compelli ipſi & eorum bona. Verſa vice ſupraſcriptus Dominus Balduinus Poteſtas Mutinæ &c. idem ſtatuit & ordinavit de Mutinenſibus.

Concodia

Concordia inter Mutinenſes & Veronenſes de non concedendis Repreſaliis, Anno 1219.

DIe XI. exeunte Madio, in Palatio Communis Verone, preſentibus Domino Octone de Rege, Domino Alberto de Maone Pergamenſi Judicibus Verone, Domino Balduino de Scalis, Domino Groſſio de Naimero, Domino Ardizono de Advocatis Procuratore Verone, Domino Bartolomeo de Broilo Judice, Domino Johanne de Lomeco Judice, & Conſulibus Verone Domino Petro de Zunella, Domino Rodulfino Caliſtrino, Falceto de Laico Notario, & aliis multis in Conſilio Verone coadunato ad ſonum campane. Dominus Rotundellus de Carceribus Poteſtas Mercatorum Verone, concionando dixit, quod Ambaxatores Mutine, qui erant in Civitate hac pro ſuo Communi, ſibi propoſuerunt, quod ipſi pro ſuo Communi volebant facere talem concordiam cum Communi Verone, quod ſi aliquis de utraque Civitate, unus ad alium, aliquid de ſuo crediderit, quod volebat, quod creditor deberet convenire tantùm debitorem, vel heredem illius, & bona ſua, & propter hoc non debeat pro Communi illarum Civitatum, neque per creditorem aliquem alium impediri aliquo modo, ſed bona debitoris deſtruant, & ipſum debitorem in banno ponant, ſi non habuerit ad ſolvendum. Unde poſtulabat a Domino Rufino Poteſtate Veronæ, quatenus deberet ſuper his propoſitis habere Conſilium, utrum placeret Conſilio faciendi hoc, nec ne. Qui Dominus Rufinus Poteſtas Verone ſurrexit, & concionando dixit in Conſilio, & a Conſiliariis poſtulavit, ſi volebant illud concordium debere fieri cum Hominibus & Communi Mutine. Ad hec Conſilium ad vocem dixit, quod ſic volebat, nullo contradicente. Poſtea eâdem die in camera Judicum Communis Verone, preſentibus Domino Octone de Rege, Domino Alberto de Maone Pergamenſe, Judicibus Communis Verone, Domino Balduino de Scalis, Judice & Procuratore Verone, Domino Jacobo Cremonenſi, Judice & Conſule Verone, Domino Jacopino de Guidone de Runcho, Domino Henricho de Plaiſina Conſulibus Mercatorum Civitatis Verone, Domino Bartolomeo de Nog ..... Judice, Jacopino Notario Veronenſe, & aliis; ad removendum omne malignitatis ſcandalum, unde poſſet inter Veronenſes & Mutinenſes dilectio violari, tale concordium factum eſt inter Dominum Rufinum de Capite Pontis Poteſtatem Verone pro Communi Verone ex parte una, & Dominum Albertum

A *de Panzano Judicem, & Dominum Coradum Munarii, Ambaxatores Communis Mutine pro Communi Mutine ex altera, videlicet, quod pro his contractibus & obligationibus, quos & quas Veronenſes & Mutinenſes inter ſe viciſſim hinc ad decem annos proximos advenientes facient, non debeat haberi regreſſum adversùs Commune alicujus illarum Civitatum, vel adversùs aliquam ſingularem perſonam: ſed ab eo tantùm requiratur, cui dabitur; & qui ſe obligabunt, vel ab eorum heredibus, vel a poſſeſſoribus bonorum ſuorum; & nulla alia perſona inde impediatur per Commune alicujus illarum Civitatum, neque per aliquem alium, vel per ipſum creditorem. Et ſi debitor non habuerit,* B *unde ſolvat, ponatur in bannum, & amplius non extrahatur de banno, ſi fuerit pro ſententia; niſi voluntate creditoris. Et ſi fuerit bannitus pro reclamo, non extrahatur de banno, niſi primo creditor requiratur, expenſis debitoris banniti: & eo poſito in banno, ejus bona deſtruantur, ſecundùm tenorem poſte Civitatis Verone, que talis eſt:* Eum quoque debitorem adultum, nec beneficio inventarii munitum, ſuo vel alieno nomine debentem, qui non ſolverit, vel ſolvere non poterit, extraam de tregua, omnibus, vel bona ejus deſtruam, vel vendam. Et hec omnia ſcilicet de deſtructione ad voluntatem creditorum priori tempore, vel majoris partis pro rata debiti, & C non pro numero perſonarum, ſi inde requiſitus fuero.

Anno a Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti MCCXIX. Indictione VII.

Ego Jacobus ſacri Palatii Notarius, huic ultimo contractui interfui, & juſſu Domini Rufini Poteſtatis Verone, & dictorum Ambaxatorum Mutine ſcribi, & anterius contractu ſcriptum per manum Jacobi Notarii, ut in ipſo authentico reperi, continetur, nihil addens vel minuens, preter ſillabam vel literam, ſcripſi & exemplavi.

Neque minori ſolicitudine paucos poſt annos Brixiani Mercatores, immo Brixiana ipſa Reſ- D publica, ut inter ſe & Populum Ferrarienſem perniciofiſſimus *Repreſaliarum* uſus ceſſaret, pacta egerunt. Cujus rei fidem faciet Charta, quam mihi in antiquo Regeſto obtulit Archivum Eſtenſe, hoc titulo ſignata.

Charta

Charta Procurationis Brixienſium de Repreſaliis, Anno 1226.

IN Chriſti nomine. Amen. Anno ab ejus Nativitate Milleſimo Ducenteſimo Vigeſimo Sexto, Indictione XIV. die Mercurii XIV. intrante Octobri. In pleno Conſilio Communis Brixiæ, campanâ ſonato & congregato more ſolito, in Palatio novo Communis Brixiæ, præſentibus infraſcriptis, quorum nomina inferius continentur. Ibi in continenti Dominus Rambertinus Ramberti Poteſtas Communis Brixiæ, nomine & vice Communis Brixienſis, verbo, conſenſu, & voluntate totius Conſilii dicti, dedit plenam auctoritatem, virtutem, licentiam, & poteſtatem Domino Codebovi Barpaſojate, & Domino Alberto Sorogolo, Militibus & Mercatoribus Brixiæ, faciendi omnem conventionem & pactionem cum Ferraria, de facto Mercatorum Brixienſium, & omnium Hominum Brixiæ, & ejus diſtrictus, & Mercatorum Ferrariæ, & omnium Hominum virtutis & diſtrictus Ferrariæ, ut alius pro alio non conveniatur; ſed cum quis crediderit, ab eo petat & exigat, & curet cautius negotiari; & quod non debeat petere nec exigere ab aliquo, nec a Communi, nec ab alia ſingulari perſona, niſi ab eo cum quo contraxit; ſed caute prævideat & caveat cum quo contrahat, aut cui credat, etiamſi condemnaretur, vel præceptum ei fieret a Poteſtate vel a Conſule. Et confirmandi inſuper pactionem factam & concordiam inter Dominum Salinguerram tunc Poteſtatem Ferrariæ, & Dominum Manuellem de Conciſio tunc Conſulem Communis Brixiæ, & Dominum Albertum Gratacellum tunc Conſulem Mercatorum Brixiæ, & Dominum Henverardum de Guſſago, & Dominum Jacobum de Homis, Miſſos tunc & Procuratores ſeu delegatos Communis Brixiæ, ſicut in Charta illius pactionis continetur, facta a Presbyterino Notario. Et faciendi omnem concordiam in Arbitris inter utramque Civitatem eligendis. Et in omnibus, A *quæ in prædictis omnibus faciendis & conſtituendis inter dictas Civitates neceſſaria fuerint, & concordes erunt. Et quidquid in prædictis omnibus dicti duo Domini Codebos & Albertus fecerint pro Communi Brixiæ, dictus Dominus Rambertinus Poteſtas Brixiæ, nomine & vice Communis Brixiæ, ratum habere promiſit perpetuo, & quod non contraveniet, parabolâ & voluntate totius Conſilii dicti. Interfuerunt autem hi teſtes rogati: Dominus Thomaſinus Manfredi Judex: Dominus Aſpectatus de Ziſſo de Bononia, ſocii dictæ Poteſtatis. Item hi Conſules Juſtitiæ, Dominus Tetotius Manegoldi, Dominus Petracus de la Nuſe, Dominus Algiſius Mandugaſinus, Dominus Piurdus de* B *Palatio, Dominus Bentius de Amicis. Item ex Mercatoribus Brixiæ, & ex ipſo Conſilio hi Dominus Federicus de Porta, Imbertus Barpafoglata, Jacobus de Funtino Conſules Mercatorum Brixiæ: Albertus Bruiſidus, Petrus Villani, Albertus Ranga, Secator de Ponte, Lanfrancus de Ponte, Raymundus de Ugone, Ariprandus Faba, Cazajonus de Conciſio, Obizo Ugonis, Domafollus de Cazago, Coradus de Cozago, Benvenutus Billini, Zufredus Cagnolus, Marobofius Thoragi, Marcheſius Pethoni, Lanfrancus de Cocalio.*

Ita olim Brixiani, Mutinenſes, Ferrarienſes, aliique Populi, ne publico commercio officeretur, & ſua unicuique illæſa ſervarentur. C Verùm quàm inanis ſucceſſus iſta plerumque ſubſequeretur, jam ſupra vidimus. Turbulenti tunc Italicorum mores, eorumque inſtabilitas omnia ſus deque miſcebat, ita ut ſub finem Sæculi XIII. omnes fere Civitates *Repreſaliis* ſcaterent. Ejuſdem quoque violentæ medicinæ exempla occurrunt in ſubſequenti Sæculo XIV. Unum accipe ex eodem Tabulario Mutinenſis Reipublicæ deſcriptum.

Repreſaliarum ſuſpenſio inter Mutinenſes & Placentinos, Anno 1318.

IN *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Amen. Anno ab ejus Incarnatione Milleſimo Treceenteſimo Decimo Octavo, Indictione Prima, die VII. Menſis Julii, Placentiæ in Hoſpicio infraſcripti Domini Poteſtatis, coram Bonjohanne Trepino, Guillielmino Majolo, & Amico de Pigazano, Nuntiis Communis Placentiæ, & aliis multis teſtibus vocatis & rogatis: Nobilis Vir Dominus Ilarius de Zochis, Civis Parmæ, honorabilis Poteſtas Civitatis & Communis Placentiæ, nomine Communis Placentiæ,* ex nunc ſuſpendit omnes & ſingulas Repreſalias, conceſſas in Civitate Placentiæ contra omnes & ſingulos Cives & diſtrictuales Mutinæ omnibus & ſingulis Placentinis hinc retro quacumque ratione & cauſa. *Et hæc ad poſtulationem, requiſitionem & inſtantiam Domini Lambertini Graciæ, Ambaxatoris, Syndici, & Procuratoris Dominorum Poteſtatis, Communis, & Hominum Civitatis Mutinæ. Et ipſas omnes Repreſalias quibuſcumque Placentinis conceſſas contra Homines & Diſtrictuales Mutinæ ſuſpenſas eſſe voluit dictus Dominus Poteſtas, ſtatuit & decrevit uſque ad decem annos proxime venturos: & concedens dictus Dominus Poteſtas præfato Domino Lambertino, tamquam Ambaxatori & Syndico dictorum Communis & Hominum Civitatis Mutinæ, præſenti & recipienti ſuo nomine, & nomine & vice omnium Civium & diſtrictualium Civitatis Mutinæ, plenam, liberam, & integram bayliam, auctoritatem, poteſtatem ac fidantiam, quod omnes & ſinguli Civitatis Mutinæ Cives & diſtrictuales poſſint & valeant ad eorum liberam & omnimodam voluntatem ire, redire, ſtare, & tranſire per Civitatem & Epiſcopatum Placentiæ cum rebus & perſonis & mercaturis Repreſaliis eis, & eorum bonis in aliquo non obſtantibus: a quibus Repreſaliis expediti, liberique ſint uſque ad dictum tempus decem annorum. De quibus omnibus ſupradictis dictus Syndicus rogavit me Notarium, quatenus inde publicum conficerem Inſtrumentum. In* A *quorum omnium teſtimonium dictus Dominus Poteſtas mandavit præſens Inſtrumentum Sigilli Communis Placentiæ munimine roborari. Et hæc facta ſunt de licentia & mandato* Magnifici Militis Domini Galeacii Vicecomitis, Civitatis & diſtrictus Placentiæ Domini generalis.

Ego Gabriel de Muſſis, Notarius & Dictator dicti Communis Placentiæ, hoc Inſtrumentum de mandato dicti Domini Poteſtatis, & rogatu dicti Syndici ita ſcripſi, & manu propria me ſubſcribens ſignum meum appoſui conſuetum.

Sed & Anno MCCCLXXI. viguiſſe *Repreſalias* inter Genuenſes, Senenſes, & Piſanos, videas in Chronico Senenſi Nerii Donati, Tomo XV. Rer. Italicarum pag. 229. & ſequenti. B Penetravit etiam ad Germanos peſtilentiſſima conſuetudo, atque ad alias Gentes. Et quoniam quotidie lites & queſtiones ea de cauſſa pullulabant, Bartolus, Juriſperitorum ſuo tempore princeps, in iſtud argumentum invaſit, ediditque *Tractatum de Repreſaliis*, quem veluti loco Legis habuere poſt illum nati. Verùm ubi deferbuit Italicarum factionum furor, tunc Urbes ſeriò perpendentes, quot turbas & damna ſecum adduceret privati hujus belli experientia, finem fecerunt concedendis *Repreſaliis*, ita ut earum quidem nomen vigeat, ſed raro aut numquam tempeſtate noſtrâ per eas quiſquam turbetur. Porro C eaſdem Jure etiam Germanico proſcriptas fuiſſe, & Imperatores ab iis concedendis abhorrere, jamdiu animadverterunt Gailius, Regnerus, Sixtinus, Limnæus, Schilterus, & alii, quos compendii cauſsâ prætereo. Profectò optandum, ut numquam ea tempora recurrant, quæ violentiam hanc & informem juſtitiæ methodum, pæne conſepultam, ad vitam revocent. Nam ut ut eam juſtam legitimamque in caſu denegatæ juſtitiæ appelles, peſſima tamen illius conſectaria minime eligendam, minimeque ferendam plerumque evincunt.

DE
RELIGIONE
CHRISTIANORUM
PER ITALIAM
POST ANNUM CHRISTIANÆ EPOCHÆ QUINGENTESIMUM.

DISSERTATIO
QUINQUAGESIMASEXTA.

DISSERTATIO QUINQUAGESIMASEXTA.

Age verò quis ſtatus, quæ facies Religionis in Italia fuerit, poſtquam barbaricis nationibus datum eſt pedem in Italia figere, intueamur. Gothi quidem & Langobardi in hæc arva prolapſi, profligatum jamdiu Arianiſmum rurſus huc advexere. Sed ubi peſtilentem doctrinam & ipſi ejurarunt, tum nullus in Italia Populus fuit, qui Catholicam Fidem non profiteretur, & Eccleſiæ Romanæ omnium Magiſtræ fidiſſime non adhæreret. Neque tantam unitatem & concordiam in Dogmate ulla ætas, ulla magni nominis & publica hæreſis exinde apud Italos uſque ad noſtra tempora ſcidit. Nam quod cauſsâ Synodi Quintæ univerſalis, quidam Aquilejenſes Patriarchæ, eorumque Suffraganei diu diviſi fuerint ab Apoſtolica Sede, nullum tamen peſtiferum Dogma animos alioqui diviſos infecit. Et quamquam poſt Sæculum Chriſti Nonum & Decimum Italicæ quædam Urbes in Calabria, ſive in aliis Regni nunc Neapolitani Provinciis ſubeſſent Græcorum Imperio, nulla tamen ex iis obedientiam Romanis Pontificibus negavit, aut certe non diu in Orientalium Schiſmate perduravit. Præterea quamvis poſt Annum Chriſti Milleſimum aliquot clandeſtinæ, aut rudis Populi Hæreſes Eccleſiam in ipſa Italia perturbarint, nihilominus nulla ex eis caput extulit, neque docti viri in eas conſenſere; veraque Fides regnare ubique perrexit, & pœnæ contumacibus adhibitæ reliquos meliora ſapere docuerunt. De hiſce erit mihi ſermo in Diſſertatione LX. Diſſimulare inſuper nolim, teterrima aliquando Schiſmata in ipſius Italiæ ſinu erupiſſe aut ex electione dubia ſummorum Pontificum, aut ex obtruſis Antipapis, & ſciſſionis pertinaciam in annos etiam plurimos protractam interdum fuiſſe. Verùm inter tot animorum diſſidia mentes ſemper in confeſſione veræ Fidei, ac orthodoxæ doctrinæ concordes perſtitere. Immo quum Leo Iſauricus in pium ſacratum Imaginum uſum & cultum debaccharetur, & Gregorio II. Pontifici maximo necem moliretur, Anaſtaſio teſte in ejus Vita, ac Paullo Diacono in Hiſtor. Langobard. improbo Imperatori univerſa Italia reſtitit, & *conſilium iniit, ut alterum ſibi Imperatorem eligerent*. Ipſi quoque Langobardi totius ferme Italiæ tunc domini, in tutelam Catholicæ Eccleſiæ & Romani Pontificis exarſere vehementer, quamquam ſuſpicioni locus ſit, eo lubentius ipſos in hujuſmodi diſſidio ſeſe immiſcuiſſe, ut Ravennam & reliquas Exarchatus Urbes Græcorum dominio eriperent, ſuoque adjicerent Regno. Qualia verò Sæculis iis forent ſanctiſſimæ Religionis munia, & qualis cultus externus, nunc mihi edicendum. Præcipuum Chriſtianorum ſtudium tunc enituit in condendis Baſilicis, Oratoriis, Monaſteriis, & Xenodochiis, ſive in iis amplificandis atque ditandis. Certabant in ejuſmodi agone boni fere omnes, quibus eſſent fortunæ, neque interdum circumſpicientes, numfiliorum ac affinium ſpem in hereditatis portione ultra æquum fraudarent. Immo tempora fuere, quibus parentes non ſolùm integra patrimonia ſua, ſed & ſe ipſos ac liberos ſuis Monaſteriis offerebant. Neque ab hujuſmodi oblationibus, fundationibus, atque donariis abhorrebat ipſe improborum Populus, dum aliquis iis iræ divinæ metus ineſſet. Nam uti probos ad conferenda bona ſua Eccleſiis certa fiducia excitabat numquam defecturi præmii in cælis, ita ad idem præſtandum confluebant Fideles quoque vitiis inquinati, ut ſuis ſceleribus Deum propitium haberent. Et ſane in hujus liberalitatis uſu tunc ingens Pietatis ac Religionis pondus, & facillima via ad obſtringendum ſibi Deum ſtatuebatur. Certatim autem cum religioſi Monachi complures, & permulti Clero addicti, tum ipſi etiam Laici Virtute ſpectabiles ad ornanda Templa, ſacriſque ac pretioſis vaſis ex argento aut auro, & lautâ ac magnificâ ſupellectili, Altaria & Sacraria cumulanda non ſegnes properabant. Lege Romanorum Pontificum Vitas, quæ ſub nomine Anaſtaſii Bibliothecarii circumferuntur. Ibi utramque paginam implent ſacræ Ædes aut reſtauratæ, aut conditæ, & ornamenta iis pleniore manu contributa. Paria quoque præſtitere Epiſcopi illi ac Abbates, in quorum cordibus non Sæculares cupiditates, ſed Pietas fervebat. Vix ullus ex iis erat, qui non ante mortem aliquod Templum aut Monaſterium novum excitaret, aut antiqua ditaret. Exemplum unum proferam. Mediolani inſignis adhuc eſt Baſilica Sancti Georgii. Illic in pavimento, teſte Franciſco Caſtello (Cujus Collectanea MSta ego olim legebam, ſcripta circiter Annum MDL.) ſpectabatur ſepulcralis Inſcriptio *Natalis Archiepiſcopi Mediolanenſis*, cui ſacra illa Ædes originem ſuam debet. Hanc, utpote hactenus luce carentem oblivioni ereptam volo. Papebrochius V. Cl. in Exegeſi de Epiſcopis Mediolanenſibus Tom. 7. Actor. Sanctor. Maji opinatur, Natalem hunc Archiepiſcopum, quem uti Sanctum Mediolanenſes colunt III. Idus Majas, ordinatum fuiſſe Anno Chriſti DCCXL. atque Anno ſubſequenti finem vivendi feciſſe. Caſtellus poſt Inſcriptionem hæc notat (eum quippe hæc addidiſſe puto). *Obiit autem Anno Incarnationis Domini DCCLXIV. Pridie Idus Maji*, *Indictione Quarta*. Atqui Anno Chriſti DCCLXIV. decurrebat *Indictio Secunda*, non verò *Quarta*. Sed ecce Epitaphium ipſum, ex quo intelliges, *Regem* quoque Langobardorum *plurima dona* contuliſſe ad illius Eccleſiæ Ædituos alendos.

Tumulus

Tumulus Natalis Archiepiſcopi Mediolanenſis circiter Annum Chriſti 741.

MARMORE CONCLUSUM TEGITUR VENERABILE CORPUS,
NATALIS PRÆSUL, QVI FUIT ORBE BONUS.
GRANDIS HONOR PATRUM FUERAT NAM PASTOR ET ALMUS
NOBILITATE (*) VIXIT, REXIT OVESQVE PATER.
CONDIDIT HANC AULAM, CRISTO PRÆSTANTE JUVAMEN.
REX DEDIT ET RECTE PLURIMA DONA QVOQVE.
UNDE QVEANT VIGILES DOMINO SERVIRE PER ÆVA.
PROQVE SUIS CULPIS POSSIT HABERE PRECES.
ECCLESIAM REXIT BIS SEPTEM&MENSIBUS, ANNOS
SEXIES ATQVE DECEM QVQQVE (**) DUOBUS HABENS.

Ticini quoque in majori Baſilica Epigraphe legebatur ferreo clathro inſcripta, regnante Liutprando Rege circiter Annum Chriſti DCC-XXX. quod inde ablatum infeliciſſime in fabri A alicujus ferrarii officina periiſſe creditur. Illam, dum in vivis eſſet, deſcripſit Cl. V. P. Gaſpar Berettus, Monachus Benedictinus, ſingularis amicus meus, & ad me miſit.

NOMINE GUODUO CITANS ORNAVIT MARMORE PULCHRO
❦ INTIMA CUM VARII TEMPLI FULGORE METALLI
TEMPLUM DOMINO DEVOTVS CONDEDIT AVSO
❦ TEMPORE PRÆCELSI LIUTPRANDI DENIQVE REGIS
❦ ÆDIBUS IN PROPRIIS MARIÆ VIRGINIS ALMÆ,
❦ ORANTES PENITRENT HINC CÆLOS VOTA GOD.

Vide in hoc marmore, quamdiu perdurarit in Inſcriptionibus uſus Signorum illorum, quæ nonnulli corda olim arbitrati ſunt, ſed veriſilius nunc putantur folia arborum, quæ aut ornamenti, aut interpunctionis cauſsâ a ludentibus Marmorariis ex arbitrio ſuo addebantur. Neque abs re erit huc adferre, quanta egerit B & collegerit ad unum Monaſteriolum exornandum Theobaldus Benedictinus Abbas, ineunte Sæculo XI. Chartam debeo inſigni Archivo Monaſterii Montis Caſini, eamque lubentius profero, quod multa habeat minime contemnenda ad eorum temporum eruditionem illuſtrandam.

(*) Lego *Nobiliter*.

(**) Legendum arbitror *Cumque*.

Catalogus omnium, quæ Theobaldus Abbas fecerat aut comparaverat ad reparationem & ornamentum Monaſterii Sancti Liberatoris in Comitatu Teatino, Anno 1019.

IN Dei nomine . Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Decimo Nono , Indictione XII. Tertio Kalendas Septembris . Commemoratorium pro futuris temporibus factum a me, Theobaldus Monachus ex Monaſterio ſanctiſſimi Patris Benedicti , qui ſitum eſt in Monte , qui vocatur Caſtro Caſini , ubi ſanctiſſimi ejus Corpus humatum eſt . Quique prædictus ego Theobaldus Monachus relictis parentibus meis , quartodecimo ætatis meæ Anno , & quidquid in ſeculo habere poteram , ad eumdem venerabilem Monaſterium invitis parentibus fugii . Eodem verò tempore vir venerabilis Alſernus Abbas Monaſterii præfati ſpiritaliter curam gerebat , a quo cumque benigne ſuſceptus eſſem , Monachicho habitu indutus , atque abeo omnem regularem normam , quantum meæ parvitatis ingenii ſtudium capere poterat , eruditus adque inſtructus ſum . Elaventibus verò annis poſt ejus exceſſu , trigeſimo primo anno adventus mei ad eumdem venerabilem Locum , jubente pariter adque juvante Domnus Johannes Abbas ejuſdem ſancti noſtri Monaſterii , hujus Monaſterii Sancti Liberatoris , qui ſitum eſt in Comitatu Theatino juxta fluvio Laënto , qui & ſubjectus eſt præfati Monaſterii Sancti Benedicti , regiminis curam , Deo juvante , ſuſcepi . Ubi inveni parvam admodum Eccleſiam , adque omnino obſcuram ; ædificia verò alia omnia lignia adque vetuſta . Ubi cum paucis diebus moratus eſſem , inſpirante Deo atque juvante , cum Fratrum adjutorio , quos hìc inveneram , & quos ego ipſe ſuſceperam , omnia ædificia Monaſterii ex lapidibus adque cementis a fundamento conſtruxi , ſicuti in preſens cernitur . In Eccleſia verò , que ut predictum eſt , parva & obſcura mihi eſſe videatur , adjeci hunc titulum cum Confeſſione ſua , & ad Regiam paſſus plus minus tres, & in altitudine cubitos tres , quas decoravi feneſtris adque picturis , in quem ſtatui Altaria ſex . Primum verò ſacrari feci in honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti Salvatoris adque Liberatoris omnium fidelium , & Sanctæ Mariæ ſemper Virginis Genitricis ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Sancti Johannis Baptiſtæ, nec non & Beati Johannis Euangeliſtæ , & Sancti Archangeli Michaëlis ; in quem reconditæ ſunt Reliquiæ Sanctorum Felicis , Simplicii , Fauſtini , & Beatricis , & ex veſtimento Sancti Johannis Apoſtoli & Euangeliſtæ , & ex Sanguine Sanctæ Cæciliæ , & de Keliquiæ Sanctorum Martyrum Quadraginta , & Sancti Cæſarii Diaconi , & Sancti Sebaſtiani Martyris . Ante ipſum verò Altarium ſtatui tabula argentea miræ pulcritudinis , quam ex parte deaurare feci ; quem verò argentum a parentibus meis ego ipſe accepi . Indumenta autem ipſius Altarii ſunt duo Cercitoria & Coopertoria tres ſerica Conſtantinopolitana . Altarium verò Septemtrionale in honore Sancti patris noſtri Benedicti & Sancti Mauri & Sanctæ Scholaſticæ Virginis conſecrari fecimus , ubi ſunt Reliquiæ reconditæ Sancti Hippolythi Martyris & Sancti Euticii ; ubi poſui Cercitorium ſericum Conſtan-

A tinopolitano , & duo Coopertoria ſimilia ſericas, & indumentum aliud quotidianum , & Coopertorium de cendato rubeo , zendato purpureo . Alia duo Cercitoria ſerica Africana . Alium verò Altare , qui poſitus eſt ad meridianam plagam in honore omnium Sanctorum Apoſtolorum, & Sancti Protomartyris Stephani , & Sancti Laurentii Levitæ & Martyris conſecrari fecimus , ubi & reconditæ ſunt Reliquiæ Sancti Stephani Papæ & Martyris , & Sancti Euticii Martyris , & Sancti Timothei , & Sancti Sebaſtiani Martyris . Indumenta verò ejuſdem Altaris Cercitorium & duo Coopertoria ſerica Conſtantinopolitana , & alium Cercitorium & Coopertorium de Zendato . Quadrageſimali verò

B indumenta ipſorum Altaria linea opere plumario adornata tria . Ipſa verò tria Altaria, quæ ſunt ad Confeſſionem , primus ædificatus eſt in honore Sancti Sepulcri Domini noſtri Jeſu Chriſti , & ejus ſanctæ Reſurrectionis , & ſanctæ Crucis , & Omnium Sanctorum . Sunt Reliquiæ Sancti Valentini Martyris , & ex petra ſancti Sepulcri Domini. In Altare meridianum, qui ædificatum eſt in honore Sancti Nicolai & Sancti Ambroſii & Sanct. . . . . . Confeſſorum Chriſti, ſunt Reliquiæ Sancti Cyriaci , & Sancti Euticii , & Ciciliæ Virginis . Altare verò ſeptemtrionale ædificatum eſt in honore Sancti Martini Epiſcopi & Confeſſoris Chriſti , & ſunt ibi Reliquiæ Sancti Pancratii & Euticii .

C Interea ego ipſe prædictus Theobaldus Monachus & Præpoſitus feci in hac præfata Eccleſia Domini Liberatoris duo thuribula ex argento optimo , quam ex parte deaurari fecimus miris adque pulcri operis , ſcilicet Librarum decem ; & alium thuribulum ſimiliter argenteum hic poſui , qui fuit quondam Genitori meo , cum bullis & figuris deauratis . Similiter & fecit unum Calicem de optimo argento cum duobus pateris , qui habent plus minus Libras ſex : & alii duo Calices parvi argentei cum coopertoriis & corporalibus ſuis ; & alium Calicem argenteum deauratum librarum . . . . & dimidia. Et alium thuribulum de argento . Feci autem & unam Crucem argenteam , quam deauravi tota auro

D puriſſimo , & alia ſimiliter Cruce de auro puro , quas condivi ex Ligno ſancte Crucis Domini , & ex Reliquiis plurimorum Sanctorum . Poſui verò ſuper Altare Sancti Liberatoris unam Iconam eburnea , in qua celata eſt imago ſanctiſſimæ Genitricis Dei & Virginis Mariæ , & hinc inde imagines Sanctorum Martyrum , adque & duas Cruces cryſtalinas . Poſuimus autem ſuper ipſum Altare una Lena ſerica Conſtantinopolitana . Emimus hìc duo Scaramange, una diarodana & una purpurea . In una dedimus Bizanteos triginta ſeptem , in alia Libras ſeptem & duo Africanos. Fecimus autem in ac præfata Eccleſia Coronas de optimo auricalchus , quas hìc pendentes , & unum veſtimentum ſeri-

E cum , qui fuit quondam Tranſmundi Comitis , quem pro illius memoria in diebus feſtis hìc appendere conſtituimus . Inveni autem hìc unam pectoralem ſericam cum quatuor leones , quam ego undique adornari feci ex obtimo pallio : ſi-

militer coopertorium ejuſdem operis. Feci autem ſcribere in hac prædicta Eccleſia ad honore Sancti Liberatoris & Sancti Benedicti hos Libros. Primis textum Sancti Euangelii ex integro ex Libris Conſtitutionis, & Manuale unum, quas veſtivi ex ſericis indumentis, & deſuper Cruces argenteas & gammas & bulla & fibulas ſimiliter argenteas. Paſſionarium unum a feſtivitate Sancti Andreæ uſque in Sancti Petri. Omilia Paſchale unum uſque in Adventum Domini, diviſa in duo volumina. Prophetarum unum. Regum unum. Hiſtoriarum unum. Vita Patrum majorum unum. Collocutiones Patrum, Collactiones Patrum, & Inſtituta eorum in duo volumina. Moralia Pars prima & ſecunda & tertia ſuper Eliud. Super Marcum unum Regiſtrum unum. Hiſtoria Eccleſiaſtica una. Super Ezechiel duo. Vita Sancti Benedicti, & Sancti Mauri, & Sanctæ Scholaſticæ in uno volumine. Diadema Monachorum una. Cæſarium unum. Epiſtolæ Pauli unum. Actum Apoſtolorum unum. Iſidorum unum. Librum Sanctæ Trinitatis unum. Super Epiſtolæ Sancti Johannis Librum unum. Matricula una. Quæſtionarium Sancti Auguſtini unum. Donatum unum. Himnuarium unum. Pronoſtica una. Proſperum unum. Concordia Canonum, & alium Librum Canonum. Orationale unum. Omilia de circuitu anni una. Conflictu vitiorum unum. Regula una ſuper Cantica Canticorum. Inchoaimus autem Omiliam Quadrageſimale Storia Anglorum, Dialogum Sancti Martini, Epiſtolæ Sancti Hieronymi. Quaterni pro Defunctis, Hiſtoria Pauli Oroſii, & Medi. Indumenta verò Sacerdotalia fecimus hìc Pluviales octo, Planetæ ſericæ quatuor, & Caſtaneæ tres cum Tunicis & Amictis & Stolis & Mappulis ſuis, & Dalmaticæ quinque. Inveni autem & hìc aliæ quatuor Planetæ ſericæ vetuſtæ ſimiliter cum ordinibus ſuis. Sunt autem & hìc duæ tres Stolæ ſericæ cum auro, quas ego acquiſivi. Emimus autem & Campanas tres: quartam verò ego ipſe fundere feci; ſimiliter & quinta. Poſuimus autem ante Altare Sancti Liberatoris ſubtus arcum a pariete uſque in pariete virgam ferream, quam replevimus candelis optimis de Babylonia, & ſtatuimus, ut in Nativitate Domini, & feſtivitate Sancti Benedicti, & in Reſurrectione Domini noſtri Jeſu Chriſti de predictis candelis repleatur, & omnes accendantur. Similiter fecimus ante Altare Sancti Petri Apoſtoli, & Sancti Benedicti, ad Altare Omnium Sanctorum ſingulas virgas ferreas anacubitis tres poſui, & hìc duas conchas de oricalco optimas ad mandatum ut ſibi Fratres pedes labent.

Nunc autem obſecro omnes Monachos & Clericos, Abbates & Præpoſitos, necnon & omnes Laicos tam magnos quàm & parvos, tam Prælatos quàm & ſubditos, & omnes, qui Chriſtiano vocabulo cenſetur in Chriſti Baptiſmate ſunt abluti, per Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ, & per Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum, qui pro ſalute totius Mundi carnem ſumere & mortem ſuſcipere voluit, & per Spiritum Sanctum, qui ex Patre Filioque procedit, ut nullos de os ſupra vel ſubter ſcriptos Codices vel ornamenta hujus ſacratiſſimæ Eccleſiæ Domini Liberatoris, in qua præfati Codices & ornamenta ego ſupraſcriptus Theobaldus Præpoſitus ſcribere feci vel acquiſivi aut fieri præcepi, nullo modo tollere vel auferre præſumat, neque in lato pignoris ponere, neque per alliud quolibet

A ingenio hinc, ut prædictum eſt, tollere præſumat. Quod ſi quis hanc noſtram obſecrationem vel obteſtationem pro nihilo duxerit, & de hæc omnia, quæ ſuperius ſcripta ſunt, aliquid tollere aut minuare præſumſerit, in primis in ira Dei Patris omnipotentis incurrat, & maledictionem habeat a Deo Patre omnipotente, & Jeſu Chriſto Filius ejus Domino noſtro, & a Spiritu Sancto, qui ex Patre Filioque procedit, & non habeat ſors neque partem in reſurrectione juſtorum, neque in regno Dei, ſet ſit pars illius cum Juda traditore Domini noſtri Jeſu Chriſti, & cum Diabolo & ejus atrociſſimis miniſtris in ignem æternum, qui numquam extinguitur, & anathematis vinculis ſit relegatus hìc & in futuro. Di-
B cite quæſo omnes. Amen: Fiat, fiat. Similiter ſortiatur & ille, qui hanc Cartula obſecrationis ſeu anathematis de hanc Eccleſiam Sancti Liberatoris quolibet modo vel ingenio tollere aut exturbare ſumſerit. Amen. Scripſimus autem Thimologia Sancti Iſidori, & unum Quæſtionarium, & alia Concordia Canonum, & tres Antiphonaria de die, unum qui fuit Frater Aperdolfi, & unum qui fuit Frater Petri Guandali, & alium qui fuit Fratris Sifredi: & una Planeta de Caſtanea cum Camiſo & Amicto & Stola & Mappula: & unum Calicem argenteum ab intus deaurato, & Patena: & unum Manuale optimum, quæ fuerunt Fratri Johanni Romani, quem ego hìc obtuli in Ec-
C cleſia Sancti Liberatoris pro illius anima. Omnes autem Planetæ ſericæ, quæ hìc habentur, ſunt . . . . . & una de zendato, omnes cum ordine ſuo. Dalmaticæ de ſerico quatuor: duo de ſtaminea, una de pallio rubeo, omnes cum ordine ſuo, qui fiunt omnes triginta quatuor; & uno Sedello argenteo ſuper Altare Sancti Petri, ille, quod . . . . . in die feſtivitatis unum purpurea, & unam Luppa, & unum Corium de Cervo miræ magnitudinis: & Calices undecim de argento, & unum Pallium Spaneſcum ad honorem Sancti Agnelli. Miſſali tres, & Manuali tres, & duæ Matriculæ: Cortinæ majores duæ, minores quatuor: Conchas de aricarco tres. Duo Lenzona linei operati propter
D Altaris, & unum propter Licterio, & unum Pallio Spaneſco, que dedit Adammo filius Bonifiliæ pro redemtione animæ ſuæ: & unum Antiphonarium de nocte, quod dedit Johannes Diaconus & Monachus: & unum Ingreſſurium.

✠ Ego Theobaldus Monachus, Sacerdos, & Præpoſitus hunc teſtamentum atque commoratorium fieri rogavi.

✠ Ego Azzo Sacerdos & Monachus conſentio.

✠ Ego Urſus Sacerdos & Monachus aſſentio.

✠ Ego Petrus Sacerdos & Monachus aſſentio.

E ✠ Ego Treſidius Sacerdos & Monachus aſſentio.

✠ Ego Petrus Sacerdos & Monachus aſſentio.

✠ Ego Sifredus Sacerdos & Monachus aſſentio.

✠ Ego Petrus Sacerdos & Monachus aſſentio.

✠ Ego Maifredus Levita & Monachus conſentio.

✠ Ego Bernardus Sacerdos & Monachus conſentio.

✠ Ego qui ſupra Theobaldus Abbas hunc teſtamentum firmavi, & inconvulſum in perpetuum eſſe conſtituo.

✠ Ego

✠ *Ego Theobaldus Abbas pro redemtione animæ meæ conſtitui in hoc Monaſterio Sancti Liberatoris, Quaterni de Euangelia plenarii, cum Epiſtolæ Sancti Pauli in ſimul ſe tenentes: unum Himnuarium cum Orationale & Breviario, & unum Pſalterium: unum Antiphonarium de die, bullatum, inveſtitum de rubeo: & Quaterni de Paſſionario de Computo, qui eſt inveſtito de corio nigro: & Quaterni de Quaſtionario. Altare Majore, qui eſt in medio Eccleſiæ Sancti Liberatoris ædificatum in honore Dei Patris omnipotentis & Jeſu Chriſti filii ejuſdem Domini noſtri, & Sancti Spiritus, & Beatæ Mariæ ſemper Virginis ejuſdem Dei Domini Jeſu Chriſti, & in honorem Sancti patris noſtri Benedicti, Sanctorum Martyrum, quorum Reliquiæ illic reconditæ ſunt, ideſt Sanctorum Cornelii & Cypriani, Marii, Marthæ, Haudifas & Abacuc & Quirini, Urbani & Flaviani, & Sancti Euticii, & Sancti Iſidori, Martyrum, & Sanctorum Chriſanti & Dariæ, & Sanctæ Felicitatis, & Sanctæ Rufinæ & Secundæ, & aliorum Sanctorum Martyrum, quorum nomina neſcimus, quæ venerunt nobis de Lateranenſis Palatio. In Altare meridianum, quod eſt ſuper Campanile, dedicatum eſt in honore Sancti Blaſii, & Sancti Johannis Chryſoſtomi, & Sancti Remigii, & Sancti Severini, & Reliquiæ Sancti Chriſanti & Dariæ. Altare verò ſeptemtrionale dedicatum eſt in honore Sancti Agnelli & Sancti Antonii, & Sancti Sabæ, & Sancti Galli Confeſſoris. Frater Petrus Aldoni duo Pluviales, & unum Circitorium, & unum Coopertorium, & unum parium de cera aptata de argenteo, & una Cruce de argento. Frater Lupus unum Pluviale. Frater Benedictus unum Pluviale, & unum Circitorium, quod fuit de muliere Zacconi. Adalberto filio Guidonis una Planeta do . . . . . unum parium de cera aptata, & unam tabulam de argento. Frater Fozzo unum Calicem de argento. Frater Stabile unam Planetam de caſtanea. Frater Azzo unum Antiphonarium de die. Bruczo unum Pluviale. Giſo unum Pluviale. Johannes Presbiter unum Pluviale. Genebaldo una Dalmatica. Johannes Monachus una Cortina. Duo Pluviali, & unum Coopertorium, quod fecit Johannes Eremita.*

Scriptum eſt hoc Teſtamentum temporibus Domni Henrici, Catholici adque ſereniſſimi Imperatoris, Anno Imperii ejus, Deo propitio, in Italia Septimo.

Quod tamen animadvertendum, turbulentiſſimis iis temporibus tot ſacra Cimelia direptioni latronum, hoſtium, Principum impiorum, immo ipſorum quoque Eccleſiæ Paſtorum, Deum præ oculis minime habentium, quotidie A obnoxia erant, adeo ut ſapientiores ſatius ducerent in ſinus Pauperum ſuam liberalitatem effundere; probe arbitrati, neque fures, neque tineas, neque æruginem theſauris ita diſtributis bellum amplius illatura. Et quamquam liberales erga Eccleſias juſta apud homines commendatio, & merces in cælis copioſa maneat: Pauperum tamen cura ab iis præferebatur, veluti res ſæpe Deo gratior. Vide Diſſertationem XXXVI. *de Hoſpitalibus*. Alterum gentis religioſæ munus familiare tunc fuit, divino cultui in Templo ſolicite operam dare, Pſalmos & Hymnos canere, & ſingulas Liturgiæ partes decenti ſplendore ac pietate peragere. Præ ceteris heic pia eminebat Mo- B nachorum ſolertia. Eorum cantus, preces aſſiduæ, compoſitio corporis, & nocturnæ Vigiliæ, ita in oculos & aures ſpectantis aut audientis Populi incurrebant, atque in omnium animos tam ſuaviter penetrabant, ut opinari liceat, tum ex aliis cauſſis, tum etiam ex iſta originem ſumſiſſe tot Monaſteriorum fundationes, & munificentiam Fidelium in ordinem Monaſticum. Præter diurnas Pſalmodias & Cantica, quæ Horas Canonicas nunc appellamus, exſurgebant ii nocte ex antiqua inſtitutione, quam Sanctus Benedictus in Occidente propagavit, ad Matutinum, ſacramque Synaxim peragendam; ſuumque Creatorem ac Dominum laudantes diu ac interdiu, C intermixto Hymnorum & Pſalmorum cantu, auditorum præcipue animos pia ac mirabili delectatione rapiebant. Non ſatis hoc fuit. Inſignia Cœnobia tum in Oriente, tum in Occidente, his etiam ſingularem addidere prærogativam, invectâ videlicet perenni ac perpetuâ Pſalmodiâ, quum ſibi viciſſim ad Pſalmos recitandos Monachorum Chori ſuccedentes nullum diei ac noctis momentum a divinis laudibus vacare ſinerent. Propterea non vulgus tantummodo, ſed & Principes viri ac feminæ, & plerique Regum, multique etiam ex Epiſcopis, obſequio ac amore peculiari Monachos proſequebantur, eorumque domicilia ſtudioſiſſime multiplicabant. Anſpertus Mediolanenſis D Archiepiſcopus, ut uno exemplo utar, Xenodochium & Baſilicam conſtruxerat, quorum curam Monachis Benedictinis commendavit, præcipiens, ut ibi *quotidie octo Monachi Monaſterii ipſius Sancti Ambroſii eſſe debeant, qui in jam dicta Baſilica mea Officium & luminaria faciant, & pro me & jam dictis parentibus meis Miſſas, Veſperum, Vigilias, & Matutinum Defunctorum faciant*. Inſtitutionis hujus tabulas (quales tamen, infra dicam) e ſchedis MStis Clariſs. Puricelli in Archivo Monachorum Ciſtercienſium Sancti Ambroſii Majoris adſervatas ego deſcripſi.

Anſperti Archiepiſcopi Mediolanenſis Teſtamentum, quo Xenodochium in Civitate conſtituit, atque illud relinquit Monaſterio Sancti Ambroſii, diſtributiones ibi faciendas præſcribens, Anno 879.

„ IN nomine Domini Dei, & Salvatoris no-
„ ſtri Jeſu Chriſti. *Karlomannus* divina
„ providentia ordinante *Rex Longobardo-*
„ *rum* in Italia Anno Regni ejus Secundo, X.
„ die menſis Septembris, ingrediente Indictio-
„ ne Tertiadecima. Ego in Dei omnipoten-
„ tis nomine *Anſpertus* humilis *Archiepiſcopus*
„ ſanctæ *Mediolanenſis Eccleſiæ*, & *filius* bone
„ memorie *Albucii de Blaſſono*, qui vixit Lege
„ Longobardorum, preſentibus dixi. Sacerdo-
„ talis dignitas convenit, ut ad exemplum
„ aliorum ſuis rebus procuret pro remedio ani-
„ me ſue, quatenus dum ſuis rebus bene di-
„ ſponens apud omnipotentem Dominum me-
„ reatur inde retributionem promereri. Et
„ ideo ego, qui ſupra, Anſpertus Archiepi-
„ ſcopus per hanc paginam ordinationis mee
„ diſponere & ordinare videor omnia pro ani-
„ me mee remedio, ſeu ſupraſcripti Albucii
„ genitoris mei, & *Garidrude genetricis mee*,
„ ac *fratris mei Benedicti*, & *filii ejus Albucii*,
„ ſeu reliquorum parentum meorum, ut in-
„ ordinata non relinquam. Primis omnium
„ volo & ſtatuo, atque per hunc textum ju-
„ dicati mei confirmo pro amore Dei & Do-
„ mini noſtri Jeſu Chriſti, ut caſas illas tam
„ ſolariatas quàm & ſalas intra hanc Civitatem
„ Mediolani, que fuit domus habitationis mee,
„ ubi ego in propria clauſura mea in honorem
„ Dei & Sanctorum Chriſti Confeſſorum Saty-
„ ri, & Silveſtri Pape, & beati Ambroſii Epi-
„ ſcopi Baſilicam a fundamentis edificavi, &
„ illas caſas tam ſolariatas quàm & ſalas, que
„ mihi ex commutatione advenerunt da parte
„ Monaſterii Sancti Silveſtri, ſitum Nonantula,
„ que ſecum ad eaſdem caſas, que fuit domus
„ habitationis mee, tenere videntur cum areas,
„ curtes, hortos, puteos, clauſuras, ac pri-
„ ſtina omnia una tenentem cum omnibus edi-
„ ficiis inibi conſtructis; cum finibus & acceſ-
„ ſionibus ſuis in integrum, ſit Senodochium
„ preſenti die obitus mei in elemoſinis paupe-
„ rum, & ſuſceptione peregrinorum, eo or-
„ dine ſicut hic ſubter ſtatuero. Et volo ut
„ habeat ipſum Senodochium meum, ut ibi
„ debeat pertinere jam dicta Baſilica a me inibi
„ conſtructa cum omnibus quicquid a me, vel
„ a quacunque perſona collatum fuerit. In
„ primis volo & ſtatuo idem Senodochium ha-
„ bere & tenere Curtem illam, que *Palatio-*
„ *lum* dicitur, *quam per Preceptum a memo-*
„ *rande ac reverende recordationis piiſſimo Ar-*
„ *nulfo Rege adquiſivimus*, cum omnibus ad
„ eandem Cortem pertinentiis & adjacentiis,
„ quatenus anime ſue noſtreque perenniter
„ proficiat in integrum; ſeu & Cortem illam
„ domui coltilem juris mei, quam habeo in
„ loco & fundo Blaſſono, cum omnibus caſis
„ & rebus ad ipſam Cortem domui coltilem
„ pertinentibus vel aſpicientibus, atque caſis
„ maſſaritiis, libellariis in eodem fundo Blaſ-
„ ſono cum omnibus rebus, ut diximus, ad ſe

A „ pertinentibus, quicquid mihi in jam dicto
„ loco & fundo Blaſſono, ex ſucceſſione pa-
„ rentum advenit, ſeu per qualeſcumque firmi-
„ tates, vel undecunque a me inibi devolute
„ ſunt; ante poſitum illud, quod exinde per
„ aliam ordinationem meam *Ariprando* &
„ *Liutprando germanis*, *nepotibus meis*, vel
„ ut ſupra in predictis locis Sanctorum ha-
„ bendum confirmo, aut in . . . . meis
„ hic ſubter habere dixero, vel amodo exin-
„ de per ſcriptum manibus meis firmatum ali-
„ cui dedero vel dedi; nam alia omnia quid-
„ quid in jam dicto loco & fundo Blaſſono in
„ integrum habere ſtatuimus, & habet Seno-
„ dochium ipſum Silvas meas ſtallarias, quas
B „ habeo in loco ubi nominatur Ciucuni & Ba-
„ riuni ex integrum. Simili modo ſtatuo ha-
„ bere idem Senodochium meum Curtem illam
„ domui coltilem juris mei, quam habeo in
„ loco & fundo Cavannaco cum caſis maſſari-
„ ciis, libellariis & omnibus rebus, ſeu terri-
„ toriis ad ipſam Cortem domui coltilem, &
„ caſis maſſariciis, ſeu libellariis pertinentibus
„ in integrum, atque caſis & omnibus rebus
„ juris mei, quas habeo in locis & fundis Li-
„ nione & Balſemo, Monticello & Quinto
„ prope Vico Campornico, ſeu Panteriano,
„ atque Capunnago; & cum omnibus rebus,
„ diverſiſque territoriis ad ipſam Cortem &
„ caſis & maſſariciis pertinentibus in integrum
C „ antepoſita mobilia & familia. Inſuper volo,
„ ut pertineat ad ipſum Senodochium meum
„ caſas illas ſolariatas & ſalas, que ſunt pri-
„ ſtina juris mei, cum areis, curte, & pu-
„ teo, & omnibus edificiis mihi conſtitutis,
„ quas habere videor intra hanc Civitatem
„ Mediolani, non longe a Foro publico, quod
„ vocatur Aſamblatorio, cum finibus & ac-
„ ceſſionibus ſuis in integrum, ut dictum eſt,
„ pro anime noſtre remedio.

„ Simili modo habeat ipſum Senodochium
„ meum caſas illas juris mei, quas habeo ex-
„ tra hanc Civitatem non longe a Porta Ro-
„ mana, cum areis, curte, & horto, & pu-
„ teo una tenente cum acceſſione ſua in inte-
D „ grum ad utilitatem ipſius Senodochii, habe-
„ re poſſit boves & reliqua animalia. Inſuper
„ etiam habeat, & in ipſo ſancto Senodochio
„ pertineat a preſenti die obitus mei, quod
„ habere viſus ſum in loco & fundo Leuco
„ prope Lacum, faciatque inde luminaria pro
„ anime mee remedio, ſeu predictorum pa-
„ rentum meorum, ſicut & de aliis rebus meis
„ a me inibi collatis pro anime noſtre reme-
„ dio. Illud ſtatuo & confirmo, ut ſit Seno-
„ dochium ipſum a preſenti die obitus cum
„ omni integritate ſua in jura & poteſtatem
„ Monaſterii Sancti Ambroſii, ſitum foris mu-
„ ros ipſius Civitatis Mediolani, ubi ejus ſan-
„ ctum Corpus quieſcit humatum, in ſubſi-
„ dium Fratrum Monachorum ibi Deo deſer-
„ vientium, perpetuis futuris temporibus ha-
bendum

„ bendum , *& inibi Cellam Monachorum in-*
„ *ſempiternum eſſe debeat , ubi quotidie octo*
„ *Monachi Monaſterii ipſius Sancti Ambroſii*
„ *eſſe debeant , qui in jam dicta Baſilica mea*
„ *& Officium & luminaria faciant , & pro me*
„ *& jam dictis parentibus meis Miſſas , Veſpe-*
„ *rum , Vigilias , & Matutinam Defunctorum*
„ *faciant* , & in ipſa Cella regulariter vivant,
„ ſeu etiam perpetuis temporibus elemoſinam,
„ quam ſubter terminavero, pro animabus no-
„ ſtris diſpergant : & ipſi octo Monachi ab
„ Abbate Monaſterii ſemper ordinentur . Et
„ ipſum Senodochium & Cella cum omnibus
„ rebus ibi pertinentibus in integrum, ſub ejus
„ Abbatis , qui pro tempore fuerit , poteſtate
„ & dominio recta ſint . Et hoc volo atque
„ confirmo , ut Monachi , qui in eadem Cel
„ la ab Abbate ſupraſcripti Monaſterii Sancti
„ Ambroſii ordinati fuerint , paſcere debeant
„ in ipſum ſanctum Senodochium meum per
„ omnes Kalendas pauperes centum , & dare
„ debeant per unumquemque eorum dimidium
„ panem , & inter quatuor vinum ſeſtario
„ uno , companaticum lardo aut caſeum inter
„ quatuor homines libram unam , legumina
„ per Kalendas totis inſimul ſextaria quatuor.
„ Similiter per omnes Kalendas paſcant ibi
„ Pauperes , qui dicuntur Schola Sancti Am-
„ broſii , inter maſculos & feminas numero
„ viginti , & dent per unumquemque ſingulos
„ panes , vinum ſingulas minas , companati-
„ cum lardum aut caſeum dimidia libra , le-
„ gumina per Kalendas totis ſimul ſextaria
„ duo . Et per omnes dies Veneris de Qua-
„ drageſima paſcant ibi Pauperes centum ,
„ & dent unicuique dimidium panem , & pi-
„ ſces , & vinum . Et cum refecti fuerint ,
„ & Domino dixerint laudes , *jam dicti Senio-*
„ *ris mei Arnulfi Regis anime proficiat* , mihi-
„ que , ſeu predictorum parentum meorum
„ ſimiliter proficiat ad gaudium, animarumque
„ ſalutem . Et paſcant per annum die annua-
„ lis defunctionis mee infra ipſum Senodo-
„ chium & Cellas Presbiteros viginti quatuor
„ decenter , & dent unicuique eorum ſingulos
„ cereos , & offerſiones , & denarios ſex , ut
„ predicto & in omnibus memorato Auguſto ,
„ mihique, & omnibus ſupra nominatis paren-
„ tibus meis ſempiternaliter proficiat. Et qua-
„ liter Abbas , qui in jam dicto Monaſterio
„ pro tempore fuerit , & Monachi in ſepe no-
„ minato Senodochio & Cella mea inſtituti ,
„ ab eodem Abbate ordinati fuerint , & ibi
„ habitaverint, de his omnibus fecerint, Deum
„ omnipotentem & Jeſum Chriſtum Filium
„ ejus habeant propitiatorem . Quod ſi fortè,
„ quod abſit , hujus noſtri judicati prevarica-
„ tores fuerint , & ſecundùm quod ſuperius
„ diximus , non fecerint , indignos Chriſti re-
„ muneratione , ſempiterno anathematis vin-
„ culo reos, damnandoſque cenſemus, & cum
„ Chriſti proditore Juda pena indeficienti ple-
„ ctendos ſtabilientes innodamus . Inſuper
„ ſtatuimus , ut his pretermiſſis, non jam Ab-
„ bati pretaxato , aut Monachis ſub ejus di-
„ ctione degentibus , ſed his ſolummodo , qui
„ noſtri extiterint erogatores deveniant que-
„ cumque ſuperius fieri adjudicavimus, & ipſi
„ prout melius paruerint , *pro remedio anime*
„ *dive memorie Regis Arnulfi* , noſtreque , ac
„ parentum noſtrorum , Genitoris mei , vide-
„ licet Albucii , & Garidrudæ Genitricis , ſeu
„ Benedicti fratris mei , atque Albucii nepo-
„ tis mei , diſtribuant . Hec autem , cum ad-

A „ vixero, in mea reſervo poteſtate ordinandi,
„ diſponendi in aliis modis , qualiter voluero.
„ Nam quod in alio modo non tranſmutavero,
„ ſic permaneat firmius & ſtabilius juxta le-
„ gem , ſicut ſuperius legitur , pro anima Re-
„ gie , noſtreque , parentum noſtrorum , ut
„ ſupra , remedio , quia in omnibus ſic decre-
„ vit mea bona voluntas . Hanc enim Cartu-
„ lam ordinationis mee Gervaſium Notarium
„ ſcribere rogavi , in qua ſubter confirmans
„ teſtibus obtuli roborandam .
„ Actum autem Civitate Mediolanium .

Notæ Chronologicæ Annum deſignant DCCC-LXXIX. quo revera decurrebat Carlomanno Annus Secundus Regni Italici , *decima die Menſis Septembris , ingrediente Indictione Tertiadecima* : quod poſtremum eſt adnotandum . Verùm animadverte , memorari heic ab Anſperto Curtem Palatiolum , *quam per Præceptum a memorandæ & reverendæ recordationis piiſſimo Arnulfo Rege adquiſivimus* . Infra paſcendos Pauperes quotannis jubet , ut eleemoſyna *jam dicti Senioris mei Arnulfi Regis animæ proficiat* . Id etiam repetit , addens infra, ſibi in votis eſſe , ut pia ejuſmodi liberalitas vim habeat *pro remedio animæ divæ memoriæ Regis Arnulfi* . Sed quis iſte *Arnulfus Rex* , qui ex ipſis quoque Chartæ verbis jam e vita exceſſiſſe videtur ? Non certe Arnulfus Carlomanni Regis ſupra memorati filius : is enim non niſi aliquot poſt annos Regium titulum aſſumſit , & ſerius Italici Regni , immo & Imperii coronam ſibi procuravit . Præter illum , alium Arnulfum eo tempore quiſnam mihi indicet ? Equidem nodum hunc ſolvere ut quiſquam poſſit , vereor ; ac proinde ſuſpicari interim cogor , aut interpolatam aut confictam Chartam hanc, licèt aliis ſinceritatis notis non deſtitutam. Accedit , quod nullum ſe mihi obtulit antiquum illius exemplum , eamque ego unice debeo Puricellii ſchedulis . At in viam redeamus . Splendorem quoque addidere externo cultui Religionis Catholicæ Canonici , quorum inſtitutio Sæculo præſertim vulgaris Epochæ Nono propagata eſt per Italiam , Galliam , atque Germaniam , ut infra in Diſſertatione LXII. oſtendam . Quum enim ſumme laudandus Pſalmodiæ ac Hymnodiæ uſus apud Monachos ferveret , ceteræ verò Clericorum Sæcularium Eccleſiæ in ejuſmodi ornamento vix ſeſe cum Monaſticis comparare poſſent , viſum eſt ad decorem domus Dei ſpectare , ſimulque ad pietatis augmentum , ſaltem in Cathedralibus inſtituere Choros canentium divinas laudes ſtatis horis diurnis atque nocturnis: quod reipſa multâ cum laude peragere cœperunt , & adhuc ab iis peractum intuemur. At inquies : nulla-ne erat in Clero Sæculari ante Canonicorum inſtitutionem Pſalmodia , nulla divinarum laudum & precum modulatio? Erat ſane vel a primis Eccleſiæ Sæculis , ſed non ordine illo , plenitudine , ac majeſtate , quam poſtea invexit Monachorum & Canonicorum chorus . Neque ulla ferme erat Baptiſmalis , hoc eſt Parochialis Eccleſia tam in Urbibus quàm ruri , quæ feſtivis diebus Miſſam & aliquam Officii divini partem non caneret , ſive Matutinum , ſive Veſperas , aliiſve Pſalmis ac Hymnis decantatis Deo tributum laudis & precationum non ſolveret . Vide infra Diſſertationem LXXIV. *de Parochiis* , ubi Chartam proferam ſpectantem ad Annum Chriſti DCC-XV. & de ruralibus Parochiis agentem . Cul-

patur ibi Adeodatus Epiſcopus Senenſis, quod *infantulum habentem annos non plus duodecim* ad Presbyteratus Ordinem evexiſſet, *qui nec Veſpero ſapit, nec Madodinos* (ideſt *Matutina*) *facere, nec Miſſa cantare novit*. Verùm Canonicorum ordine inſtituto, tunc cœpit frequentius agi, & auguſtius procedere divina res & cantus in Templis Cathedralibus: Immo ad eorum exemplum permultæ Eccleſiæ minores, ſive urbanæ ſive rurales, Collegium & ipſæ Canonicorum (eas proinde Eccleſias Collegiatas nunc appellamus) ſibi conſtituerunt ad cultum Dei rectius peragendum. Certatim autem piorum Populus, recurrente die Dominico, ceteriſque ſacris anni feſtivitatibus, confluebat ad audiendam Pſalmodiam, & gravem illam Sacerdotalium vocum muſicam. Intereſſe Miſſæ & divinis hiſce laudibus, præcipuum tunc fuit Chriſtianæ gentis ſtudium atque delicium. Immo religioni ſibi quiſque ducebat a ſacris hiſce Myſteriis abeſſe. Multis etiam in locis ad pſallendum Laici ipſi admittebantur. Mirum autem in modum aucta deinde eſt Populi delectatio, & ad ſacras ædes concurſus, quum primum ex Oriente in Occidentem translatus eſt Organi pneumatici uſus & melos. Incredibile dictu eſt, quanto ſtupore ac voluptate primùm exceptum fuerit. Aquiſgrani ejuſmodi ingenioſum plane inventum, hoc eſt Anno Chriſti DCCCXXVI quo tempore Venetus quidam Presbyter ad Ludovicum Pium profectus, ſecum e Græcia tulit artem Organa conficiendi. Vide quæ attuli in Diſſertatione XXIV. de *Artibus Italicorum*. Præterea Imperatores ac Reges, & ad eorum imitationem alii quoque Principes, Oratorium ſive Cappellam in proprio Palatio habere conſueverunt, ubi Cappellani ad id ſelecti Miſſam ac divina Officia ſingulis diebus ac noctibus peragebant. Thomaſinus V. Cl. Part. Primâ Lib 2. Cap. 109. de Beneficiis, opinatur, ſub prima Regum Francorum ſtirpe fuiſſe *Oratorium in Palatio Regio cum ſuo Clero*. Mihi contra major habenda fides videtur Paullo Diacono, qui Liutprando Langobardorum Regi inventum hoc tribuit, ſcribens Lib. 6. Cap. 58. de Geſtis Langobardorum: *Intra ſuum quoque Palatium Oraculum*, (hoc eſt *Oratorium*) *Domini Salvatoris ædificavit; & quod nulli alii Reges habuerant, Sacerdotes & Clericos inſtituit, qui ei quotidie divina Officia decantarent*. Id verò factum, ut commodior ſummis Principibus acceſſus eſſet ad divinum cultum, & horas Canonicas: ſæpe enim & ipſi intererant una cum ſua familia ſacris hiſce Officiis. Parco aliis exemplis, unum ex Donizone petiturus, qui Libro Primo Cap. 14. Vitæ Mathildis, Tomo V. Rer. Italicar. de Bonifacio Duce ac Marchione Tuſciæ Mathildis patre hæc ſcribit:

Pſallebant ſemper Capellani reverenter
Horas nocturnas ſibi quotidieque diurnas.
Nemo Capellam ſuper ipſum Præſul habebat:

ideſt *Oratorium*, ubi magnificentius divinæ laudes pſallerentur, & ſacris operarentur Eccleſiæ Miniſtri.

Ceterum pietas Chriſtianorum, dum barbarica Secula fluebant, erga Sanctos potiſſimum enituit: quod argumentum infra in Diſſertatione LVIII. mihi pertractabitur. Nunc aliquid dicendum de eorum pietate erga vitâ defunctos. Certe vel ab ipſo exordio Chri-

A ſtiani nominis mos fuit, per Eccleſiaſtica ſuffragia, hoc eſt per incruentum Sacrificium, Eleemoſynas, & Preces pias, conciliare Fidelium mortuorum Animabus pacem & requiem apud miſericordem Deum. Cujus rei teſtes innumeros & locupletiſſimos ex univerſa antiquitate petitos præ manibus habemus. Pari ſtudio, ne dicam flagrantiori, ſubſequuta Chriſtianorum Sæcula aut ſibi poſt mortem, aut aliis jam defunctis præſidium quærere a Deo non deſiverunt. Eâ de cauſâ integras hereditates, aut alia dona in ſinum Monachorum & reliqui Cleri, aut in ſubſidium egenorum, certatim effundebant. Hæc mihi, utpote explorata, nullo exemplo confirmanda B duco. Itaque duo dumtaxat adnotabo. Alterum eſt, conſueviſſe antiquitus Chriſti fideles ſibi quidem, agnatis, amicis, ac de ſe bene meritis propitium Deum facere, ut a pœnis poſt mortem illatis, & culpis veniâ dignis exſolverentur. Sed ad omnes demortuos hactenus non legi propagatam tunc fuiſſe piam privatæ gentis munificentiam. Omnium in ſigno Fidei decedentium neceſſitatibus conſulere munus tunc fuiſſe videtur unius Cleri, ſive Eccleſiaſtici ordinis; nam & in quotidianis Sacris, & in Pſalmodiis, aliiſque ſacris precibus, commemoratio fiebat univerſorum Fidelium vitâ functorum, & pro cunctis deprecatio erat, & adhuc eſt, ad Deum. Inſtitutum C quoque fuit ante plurima Sæcula *Officium Defunctorum*, teſte Amalario, qui circiter Annum DCCCXXXVI., ſuos Libros ſcribebat. Excogitatæ quoque fuerunt *Miſſæ pro Defunctis*; atque a Sancto Benedicto Ananienſi Abbate (qui & ipſe ineunte Sæculo Nono floruit) excogitatum eſt *quinarium Pſalmorum pro omnibus Fidelibus defunctis*, ut alia omittam. Denique ſtata dies Anni præſcripta fuit, qua omnium Defunctorum commemoratio haberetur. Ejus inſtitutionis auctor a multis fertur Sanctus Odilo Cluniacenſis Abbas, circiter Annum Chriſti MXL. Piiſſimum verò inventum Romani Pontifices ad univerſam Eccleſiam extenderunt. Seriùs ergo audiri cœpta eſt D Sacerdotum vox, & cura perennis tum in concionibus, tum in aliis locis, ut Fidelium mortuorum Reipublicæ per univerſum viventium Populum ſubveniretur. Seriùs excitatæ fuerunt tot diſputationes de pœnis Purgatoriis, atque de Animarum ſtatu in iis locis; hoc eſt, certiſſimo Dogmati additæ ſunt non paucæ quæſtiones, de quibus veri quidem ſimilia, ſed nihil certi pronuntiare poſſumus. Seriùs tamdem nihil prætermiſſum eſt, quo tum hominum mentes, tum oculi commoverentur ad præſtanda Defunctis omnibus officia pietatis, quæ tamen plerumque ad unam celebrationem Miſſarum & Officiorum redigebantur. Invaluere iſta præſertim, poſtquam uſus E Canonum Pœnitentialium attenuatus eſt, graviuſque poſtquam ii penitus ſunt e medio ſublati. Alterum, quod heic animadvertendum eſt, pertinet ad ſalutare Sacrificium Miſſæ, quod mortuis quoque Fidelibus prodeſſe, conſtans & antiquiſſima eſt Eccleſiæ Catholicæ doctrina. Non tantùm die obitus, ſed antiquiſſimis etiam temporibus ſenſim invecta fuit a Fidelibus *Anniverſaria* dies obitus ſui, aut ſuorum: quo die illorum animabus præſtita ſunt ſuffragia Miſſarum aut precum, aut eleemoſynarum. *Anniverſaria dies, vel Triceſima, Tertia, vel Septima* alicujus *Defuncti* memoratur ab Hincmaro Remenſi in Capitul.

ad

ad Presbyteros , Cap. 14. Alcuinus quoque , Amalarius , ac alii ex antiquis eadem memoriæ tradiderunt . Sed hunc eumdem ritum longe antiquiorem Inſcriptio prodit , Romæ in Æde Sancti poſita , quam Turrigius refert in Lib. de Crypt. Vatican. Part. 2. pag. 405 & apud Boſium in Roma Subterran. Lib. 2 Cap. 8. Nempe , ut ibi legitur ,

DEP. EST BOETIUS CL. P.
OCT. KAL. NOBER IND. XI.
DOM. N. JUSTINO PP. AUG. ANN. XII.
ET TIBERIO CONST. CÆS. ANN. III.

ideſt Anno Chriſti DLXXVII. ex quo intelligis, exordium *Indictioni Undecimæ* datum fuiſſe Septembri Menſe ejuſdem Anni . Succedunt hæc alia :

DEPUTAVIMUS IN ISTA SEPULTURA NOSTRA
EX TM PAGINM AD OBLATIONE VEL
LUMINARIA NOSTRA
ORTI TRANSTIBERINI
UNCIAS SEX FORIS MUROS: &c.

hoc eſt , ut opinor , *deputavimus in iſta Sepultura noſtra ex Teſtamenti pagina ad oblationem* &c. En quo in loco tunc foret vel in ipſa Urbe Lingua Latina . Heic autem deſignari intelligas Oblationes & Luminaria non ſemel facienda pro illius Anima . Ad hæc Monachi ſuorum Fratrum *Anniverſaria* inſtituerunt, ut prodit Clariſs. Mabillonius in Præfatione ad Sæculum Tertium Actor. Sanctor. Ordin. Sancti Benedict. Obſervat. 27. Roſium Patavinum Epiſcopum fama adhuc commendat , quòd Templo Sanctæ Juſtinæ Cœnobium (poſtea celeberrimum) in ſua Urbe addiderit , traditumque Monachis Benedictinis nobili Xenodochio amplificarit. An eidem tribuenda ſit Monaſterii illius ædificatio (quod Cavaccius , Ughellius , Urſatus , ac alii tradunt) aliis inquirendum relinquo . Plura in hoc idem argumentum ego ſupra congeſſi in Diſſertatione XXXIV. *de Diplomatibus* . Xenodochii quidem fundatio certa videtur: cujus inſtrumentum , quoniam ſupra laudatus Mabillonius in Annalib. Benedictin. ad Annum DCCCLXX. optabat , ut Cavaccius , aliive publicâ luce donaſſent , ego quod ille neglexit , perficiam, eâ præcipue de cauſsâ, quod ibi *Anniverſaria* dies illius obitus celebranda ſtatuitur . Autographa minime eſt Charta illa : eſt tamen exemplum pervetuſtum , in quo non *Roſius* , ſed modo *Rorſus* , modò *Rorius* (neſcio an ex incuria Librarii) ſcriptum fuit . Spectat autem Charta , non ad Annum DCCCLXX. ut hucuſque creditum , ſed quidem ad Annum DCCCLXXIV. de quo dubitare nos non ſinunt notæ Chronologicæ .

Rorius Epiſcopus Patavinus Xenodochio Sanctæ Juſtinæ a ſe ædificato magnificam donationem terrarum & ſervorum facit, Anno 874.

IN *nomine Domini . Imperante* Domno *noſtro* Hlodowico Imperatore , Hlotharii filius , *poſtquam imperiare cepit , Anno Viceſimo Quincto, VI. Nonas Madii , Indictione Septima , feliciter . Offerſionem vel tradicione que facere viſus ſum ego in Dei nomine* Rorſus *ſancte* Patavine Ecclefie Epiſcopus *una per conſenſu & voluntate Avocato meo nomine Hercomario , in Eccleſia Sancte & venerabilis Juſtine vel Senædochium , quo ego ipſe a fundamentis pro remedium anime mee edificare precepi , que ſita eſt prope Eccleſiam ejuſdem venerabilis Virginis Juſtine , in qua ejus ſanctiſſimum Corpus humatum requieſcere videtur : ubi vir venerabilis* Chriſtiano Presbiter *& a nobis electum & ordinatum* Abbą *preeſſe cernitur . Ideoque ego qui ſupra Rorſus nunc Pontifex , conſiderante me Dei omnipotentis miſericordia & remedium anime mee offero atque trado ego Rorſus Epiſcopus* ſecundùm Legem Salicam *ad preſenti die omnes res meas, quas habere & poſſidere videor in Monte Silicis , ſive in finibus Patavenſe vel Comitatu Vicentino , offero & trado ad ſupradictum almificum locum , & tibi Chriſtiano Abbati , vel ad Fratres , qui in ipſo Senodochium religioſe vivere degunt , ut abeatis exinde alimonia ſive veſtimentum ad uſui veſtro , ut pro me indigno peccatore preces omnipotenti Deo fundere incenſanter dignetis, vel in ipſum venerabile locum deſervire valeatis. Ideſt in primis offero atque trado ego Rorſus humilis Epiſcopus Curte mea , que nuncupatur Maſerada cum Capella que in honorem beati Martini Confeſſoris ego ipſe a fundamentis edificavi vel conſecravi , cum caſales & omnia , quantum ad ipſam Curtem pertinere dinoſcitur , & ſimiliter trado & offero Curte mea infra Civitatem Patavi cum Oratorio ſuo , qui in onore beati Petri Principis Apoſtolorum dedicata eſt , cum omnia, que ad ipſam prefatam Curtem vel Oratorium pertinere videtur . Nec non & Curtem meam in Cervariſes cum Oratorio ſuo , quod in onore Sancte Crucis eſt conſecratus , que ſita eſt in Comitatu Vicentino , trado & offero cum omnia adjacencia & pertinentia ſua . Has prenominatas Curtes ex integrum , quantum ad manu mea hodie abere vel poſſidere viſus ſum , trado & offero ad preſenti die in jam prenominata Eccleſia beate Juſtine Virginis, vel in Senodochium cum omnibus edificiis earum , & cum ſilbis , aplectaneis , ortis, areis , vineis , campis, pratis , ſalectis , paſcuis , ac ſtallareis , pomiferis arboribus , paludibus , uſis aquarum , rivis , rubinis , monte , plano , omnia in integrum , cultum & incultum , quantum ad me pertinet , vel pertinere vel poſſidere viſus ſum . Et offero atque trado in predicto venerabili Loco ſimiliter a die preſenti & hora Servis & Ancilis meis pro anima mea , corum nomina ſunt: Lupulus , & Juſtiolus cum filio ſuo item Juſtolo , Rodulfus , Luvari , Petrus, Vidolus, Adam, Beſſanius cum uxore ſua nomine Eta , Felicitas cum filia ſua , Gallidolus cum uxore ſua & duos filios ſuos , Riculfus , Regiſilda & filia ejus Rotruda ,* Willi, *Juba , Rotruda , Altemanno cum uxore ſua Gaudencia & filia ſua Anſperga, Liutecarda & filia ejus Helmedruda , Radperga ,* Willi , *Liuba cum filias ſuas Egena & Videlinda & Liucinda & Giſemperga , Juſtola, Regingunda , Agneola cum filias ſuas Orſolane & Senatre , Unica , Fuſcola , Giſemperga , & quanti nati vel procreati fuerint , poſtquam in poteſtate mea devenerunt .*

Iſtas ſupraſcriptas res vel mancipiis, quorum nomina vel loca ſuperius leguntur , & ubicumque proprietario nomine a me poſſeſſum vel devolutum eſt , & hodie a manu mea teneo per liberam racionem & vendicionem & emcionem ſive per donacionem nec non & commutacionem vel blandimentum ſecundùm Legem meam Salica poſſeſſum habeo , offero adque trado ego Rorius Epiſcopus ad preſenti in jam prenominatum locum pro remedium anime mee , & exinde nihil michi reſervavi . Profeſſus ſum , in tali verò tinore offero & trado ſupra nominatas res ſeu familias , ut ſi ego Rorius Epiſcopus, quod fieri minime credo , vel aliquis ex Succeſſoribus meis de predictas res vel mancipiis , corum nomina & loca ſupra annotatas eſſe videntur , vel qui de ipſis hominibus nati vel procreati fuerint , retollere de ipſo venerabili Loco , aut contrare voluerimus , ſive tibi Chriſtiano Abbati vel a Succeſſoribus tuis , & omnia , ſicut ſupra legitur , non adſervaverimus ego Rorius Epiſcopus vel Succeſſoribus meis , tunc deveniat ipſas res vel familias quod ſupra legitur , in poteſtatem Regis , qui pro tempore Italia regere videtur . Hec ideo adfiximus , ut mea que ſupra Rorius Epiſcopus offerſio ſive tradictio perhennis temporibus in ipſum almificum Locum , quod ſupra legitur , inviolabilis & inconcuſſa permaneat . Iterum volo adque inſtituo, ut tu Criſtianus Abba vel Succeſſores tui ab hac preſenti die , quod eſt Sexto Nonas Madii pro ipſa offerſionem vel tradicionem , quod ego hodie facio per omni die pro me paſcere debeatis pauperes numero tres , dum ego , qui ſupra Rorſus Epiſcopus , advixero , ſive poſt meum deceſſum , & in Annuale verò meo per remedium anime mee *paſcere debeatis ter Sacerdotes , & Levitas numero quadraginta .* In alio verò die quod poſt Annuale meum evenerit , *volo adque inſtituo , ut reficiantur ibi in predicto loco pauperes numero centum . Et cum ipſis pauperes refecti fuerint uſque ad ſaturitatem , laudem Deo referant , & proficiant ad ſalutem pro anima mea . Quod ſi tu Criſtianus Abba vel Succeſſores tui de predicta elemoſina quod pro anima mea dare inſtituo , aliquid retraère volueritis , una negleſſeritis facere , in omnipotenti Dei judicio reſervo cui omnia manifeſta ſunt , & nihil ei latet . Sed nolle quod volui , niſi quod a me ſemel factum bono animo eſt , perhennis temporibus inviolabilis permaneat . Et manifeſtus ſum ego Rorſus Epiſcopus* qui a pagina & calamo cum pinna de terra levavi , *& Ulfari Nothario ſcribere ſic rogavi , & teſtibus obtuli roborandam , ut hanc donacio ſive offerſio ſupra legitur firma & ſtabilis ſine alicui hominum contradictione permaneat .*

Actum in Cenobio Sancte Juſtine , in Dei nomine feliciter .

Ego

Ego Rorius *quamvis* indignus Epiſcopus *in hanc offerſionem ſeu tradicionem a me facta manu mea ſubſcripſi*.

Ego Ercomarius Advocatus conſenſi manu mea ſubſcripſi.

Ego Juſtinus Archidiaconus rogatus manu mea ſubſcripſi.

Ego Leopertus Presbiter & Prepoſitus Sanlle Marie manu mea ſubſcripſi.

Ego Dominicus Presbiter Canonicus manu mea ſubſcripſi.

Ego Joannes Presbiter manu mea ſubſcripſi.

Ego Fradellus Presbiter manu mea ſubſcripſi.

Ego Juſtinus Presbiter Arcarius Sanlle Marie manu mea ſubſcripſi.

Ego Dominicus Presbiter &c.

✠ *Ulfari Notharius rogatus a Domno Rorio venerabili Epiſcopo, hanc Cartulam, offerſionem, vel tradicionem ſcripſi & ſubſcripſi & poſt tradita complevi*.

Quod heic animadvertas velim, hæc donat Rorius Epiſcopus *ſecundùm Legem Salicam*; atque hoc etiam in fine prodit, *paginâ calamo cum pinnâ de terrâ levatis*. Ludovicus Pius in Lege 55. inter Langobardicas Part. I. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 135. ſtatuit, *ut omnis Ordo Eccleſiarum ſecundùm Legem Romanam vivat*. Sed erant, qui Legem hanc interpre-

A tabantur, veluti non imperantem, ſed tantummodo indulgentem, ut quicumque in Monaſterio aut Clero Deo militaret, utendi Romana Lege facultatem haberet. Vide Diſſertationem XXII. *de Legibus*, ubi ſimilia exempla congeſta habebis. Rorius ergo conſtituit, ut quoties ſibi perſolverentur juſta annua, Sacerdotes & Levitæ quadraginta paſcerentur. Subſequenti verò die, *qui poſt Annuale* ſuum *evenerit*, centum Pauperes ad ſaturitatem reficiendos jubet. Animadverte, quæſo, quàm ſoliciti forent Majores noſtri de Caritate erga Pauperes. Neque enim temporibus iis conſuevere Chriſti fideles in uno ferme ſalutari Sacrificio ſtatuere Suffragia Defunctorum

B (quod ævo noſtro tot faciunt) ſed ſimul Miſſas atque Eleemoſynas fere ſemper jungebant, certi quippe, maximam quoque vim eſſe Miſericordiæ in Pauperes ad impetrandam a Deo Miſericordiam, atque ad eluendas etiam poſt mortem maculas præteritæ vitæ. Plura hac de re ego attuli in Tractatu Italicè edito *de Caritate erga Proximum*. At nunc exemplo Romanorum Pontificum rem eamdem confirmatum eo. Accipe, quid Alexander IV. Papa decreverit de Anniverſariis ipſorum Pontificum celebrandis quotannis. E Regeſto Cencii Camerarii Chartam deſcripſi, quæ hunc titulum præfert.

Ordinatio Alexandri Papæ IV. de Anniverſariis Romanorum Pontificum & Cardinalium obeuntium, Nonis Septembris annis ſingulis celebrandis, Anno 1259.

QUum fideles animas Defunctorum, ſibi ſalutis procurare conſilium nequeuntes, humanæ Caritatis inſtinctu conveniat orationum Suffragiis adjuvari, ſanctiſſimus pater Dominus Alexander Papa IV. *de Fratrum ſuorum unanimi conſilio & aſſenſu*, Anniverſarium ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Pontificum & Cardinalium obeuntium, *Nonis Septembris, Annis ſingulis fieri taliter ordinavit: Ut ſcilicet prius per Romanum Pontificem & Cardinales in Capellis propriis* Veſperis & Vigiliis pro Defunctis cum novem Lectionibus, & cum notâ ſolemniter decantatis, *ipſe Romanus Pontifex, aſſiſtentibus ſibi Cardinalibus, ut eſt moris*, Miſſam pro Defunctis ſolemniter celebret, ipsâ die ducentos

D Pauperes refecturus, & viginti quinque reficiat Cardinalium unuſquiſque. *Ordinavit quoque de dictorum Fratrum conſilio & aſſenſu*, ut quum Romanum Antiſtitem è vita migrari contigerit, die defunctionis ipſius, Cardinales *ſolemniter & cum nota* celebrent Officium pro Defunctis, & eſum quinquaginta Pauperibus pro anima defuncti Pontificis Cardinalium quilibet ſubminiſtret, Miſſas totidem pro Defunctis *faciens poſtmodum decantari*. *Ordinavit etiam, ut Cardinali obeunte, tàm idem ſummus Pontifex quàm Cardinales in Capellis ſuis cantent cum nota ſolemniter* Officium pro Defunctis; *idemque Romanus Pontifex* ducentos Pauperes pro anima ejus paſcat, & viginti quin-

E que quilibet Cardinalis: *nec non & ipſe Dominus Papa* Miſſas pro Defunctis ducentas, & viginti quiſque Cardinalis *poſtmodum* faciat celebrari.

Interdum quoque Monaſteriorum aut Templorum ædificatores reperiuntur Miſſas præ-

C ſcripſiſſe pro Anima ſua celebrandas. Verùm id antiquiſſimis temporibus rarò factum videas. Innumeræ profectò Chartæ tum editæ, tum in Tabulariis latentes ſe offerunt, in quibus leguntur immenſæ largitiones erga loca ſacra & Eccleſiaſticos cœtus. At ibi aut nullum onus imponitur dona illa ſuſcipientibus (quod quidem familiaris omnium pæne mos erat) aut generali tantùm prece rogabantur Clerici & Monachi, ut in ſynaxi & orationibus Deo commendarent donantis Animam, eique propitium Deum efficerent. Sed ne ſic quidem certus Miſſarum numerus injungebatur; neque exigebatur, ut Sacrificia offerrentur pro uno dumtaxat oblatore benefico, quum vel ipſo Sæculo Nono non ſatis probarentur Sacerdotes, qui *ſingulas oblationes pro ſingulis offerrent*, uti Walafridus Strabo in lib. de Reb. Eccleſ. Cap. 22. monere videtur. Adhuc enim Sacerdotes, etiam ſi a pluribus eleemoſynas, ſive oblationes reciperent, non pro ſingulis, ſed pro omnibus ſacrificium offerebant: qua de re Concilium Romanum Anno DCCCXXXVII. habitum loquitur. Accipe nunc Oratorii fundationem, quamquam alicubi mutilam, quam olim autographam ex inſigni Archivo Archiepiſcopii Lucenſis deſcripſi. Illic jubetur *Presbyter ille, qui pro tempore ibidem fuerit, luminaria, incenſum, Pſalmorum vigilantiam, & Miſſarum ſolemnia pro anima fundatorum facere*. Hoc eſt nihil decernit de numero Miſſarum, neque eas ſibi tantùm impendi vult, ita ut liberum Presbytero foret pro aliis etiam offerre ſacrificium, dummodo animæ fundatoris minime oblviſceretur. En ipſam Chartam.

Rottruda Sanctimonialis, ejuſque filius Gumbertus Oratorio a ſe ædificato in agro Lucenſi dotem conſtituunt, Anno 916.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni Berengarius glorioſus Imperator Auguſtus, Anno Imperii ejus Primo, Quartu Kalendas Aprelis, Indictione Quarta, feliciter. Manifeſti ſumus nos Rottruda religionis velamen induta, filia bone memorie Siſimundi, & relicta bone memorie Ghumberti, ſed & Ghuniberto infantulo filio bone memorie Gumberti, ghenetrice & filio, unacum conſenſum & data licentia ſupraſcripto Ghumberto filio, & mundualdo meus manifeſti & preclara cauſa eſt mihi Rottruda, religionis velamen induta, ſeo & Gumberto genetrice & filio, quia eum Domini adjutorium, & Chriſti magna miſericordia pro remedium anime noſtre, & pro remedium bone memorie Gumberti, qui fuit vir meus & genitor .... in propriis rebus meis de fundamentis conſtruere vida...... Sancti Petri Princeps omnium Apoſtolorum, ſito locus nominato Valles Thunichiſi, tum decernimus ipſo fundo, ubi ipſo Oraturio noſtro eſſe videtur de uno caput, in quo alio caput in via publica uno lato tenet in ...... & alio lato tenet in terra Sancti Martini, & inſimul cum ipſo Oraturio per hanc dote paginam pro anime & remedium cum noſtro fundo, ubi ipſo Oraturio eſſe videtur, confirmare videor; & una petia de terra, quòd eſt vinea in locus, qui dicitur Valle Thunichiſii, uno caput tenet, in quo alio caput tenet in terra, quod eſt ſilva noſtra, nobis reſervatum, uno lato tenet in terra Sancti Martini, alio lato tenet in terra bone memorie Riberti; & alia petia de terra in locus, qui dicitur Dullolo, uno caput & uno lato tenet in terra bone memorie Eriberti, uno caput tenet in terra Sancte Marie, alio lato tenet in terras Sancti Martini; tertia petia de terra in Valle Burbutuli, uno caput tenet in via publica, alio caput tenet in terra Imille, uno lato tenet in terra bone memorie Eriberti, alio lato in terra Gherardi &c. ideo cum ipſa caſa cum ſolamento, caſe & ortas, terris, vineis, pratis, paſcuis &c. quidquid ubique de caſa & noſtra ſorte pertenere videtur res noſtro Maſſario ad ſuum pertinere videtur cum noſtro fundo de terra ubi ipſo Oraturio avere videtur in integrum in ipſum ſanctum & venerabilem Locho, pro remedium anime noſtre per hanc dotem dare & confirmare videor, quatinus ab ac die noſtris manibus qualiter inibi ſuperius confirmavi uſque in finem Seculi ſecuriter adque firmiter in ipſum ſanctum venerabile manere deveas, ut nobis .... anime noſtre .... Petrus, ea ratione, ut Presbiter ille, qui pro tempore ibidem fuerit, & luminaria, incenſum, Salmorum vigilantia, & Miſſarum ..... ibi per anime noſtre facere ...... ut in noſtrorum & de noſtris heredibus adque nepotis, nepotorum noſtrorum in noſtra reſervamus exinde poteſtatem de ipſo Oraturio de omnem adverſùm partem defenſandi cauſa exinde agendum, requirendum, reſponſum reddendum, & fine ponendum omnino juxta Legem, quid aut qualiter vel quomodo pro melius paruerit &c. quia tali ordine, qualiter ſuperius confirmavi dictas Chartulas dotalis uno tinore Adalprando Notario & Scabino ſcrivere rogavimus.

Actum Valle Chuniehiſii, & territurio Lucenſe.

Signum manus ✠ Rottrude, religionis velamen induta, qui anc cartula dotalis fieri rogavit.

Ego Gumberto in unc dotem ad nos facto manus mea ſubſcripſi & eidem genetrici mea conſenſi & licentiam dedi.

Ego Nandibono rogatus ad Rottruda, religionis velamen induta, & Gumberto. ſubſcripſi.

Ego Adalberto rogatus a Rottruda, religionis &c.

Ego qui ſupra Adalprando Notarius & Scabino, ſcriptor poſt traditione complevit.

Neque hoc dixi, quaſi affirmare velim, ignotum prorſus vetuſtis Sæculis fuiſſe Miſſarum perpetuarum penſum pro certis perſonis. Id tantùm ajo, raró id factum, & fere ab unis Principibus atque Magnatibus, qui aut Monaſteria aut Eccleſias a fundamentis exſcitabant, & magnifice ditabant. Ludovicus II. Auguſtus Anno Chriſti DCCCLXXIV. uti habetur in ejus Diplomate pag. 812. Chronici Caſaurienſis, Part. II. Tomi II. Rer. Italicar., exigit, ut Monachi Caſaurienſes *tres quotidie pro nobis Miſſas, & omnibus diurnis ac nocturnis Officiis centeſimum vigeſimum decantare non deſinant Pſalmum &c.* Angilberga quoque ejuſdem Ludovici II. Auguſti vidua, fundatrix inſignis Parthenonis Placentini Sancti Sixti, in poſtremis ſuis tabellis, Anno DCCCLXXVII. confectis, quas Campius evulgavit Tom. primo Hiſtor. Eccleſ. Placentin. pag. 461. hæc inter cetera ſtatuit: *Volumus atque inſtituimus, ut pro requie jam dicti Domini & Senioris mei & mea, quotidie in ipſo Monaſterio Miſſa celebretur; & ad omne diurnum & nocturnum Officium ſinguli Pſalmi in commune cantentur:* Anno quoque DCCCCV. Sergius III. Papa, ut conſtat ex ejus tabulis Tomo primo Italiæ Sacræ, Sylvæ Candidæ Eccleſiam multis cumulans donis, exigit in futurum *tres oblationes in Miſſarum ſolemniis* a Sacerdotibus ibi Deo militantibus. Ita Aldricus Cenomannenſis Antiſtes medio Sæculo Nono in poſtremis ſuis tabulis annuas *Miſſas* complures pro anima ſua conſtituit, ut ex ejus Vita a Baluzio edita conſtat. Notcherus quoque Veronenſis Epiſcopus in ſuo teſtamento apud Ughellium in Epiſcop. Veronenſib. Tomo Quincto Ital. Sacr. eleemoſynas multas decrevit (his enim præcipue tunc abundabat pietas Chriſtianorum) *pro anima Domini Berengarii Senioris mei amabilis Imperatoris*. Tum præcipit, *ut in tribus diebus ante ejus annualem, & tribus poſtea omnes generaliter Sacerdotes de intus & de foris, omni die Miſſas cantent, & Domino preces offerant pro ejus anima*. Scripta fuit Charta illa, *imperante Domno noſtro Berengario Imperatore Anno Sexto, ſub die X. de menſe Februarii, Indictione Nona*, hoc eſt, Anno Chriſti DCCCCXXI. Si fides Chartæ huic addenda

denda foret, nutaret ſententia Valeſii & Pagii contendentium, Berengario nomen & coronam Imperii Anno DCCCCXVI. fuiſſe collata, recurrente die Paſchali XXIV. Martii. Sed Ughellio, parum accurate multa ab aliis aut a ſe deſcripta, afferenti, ſat fidere nequimus. Ita & apud Campium ſupra laudatum pag. 482. legitur ejuſdem Berengarii Diploma, in quo notæ iſtæ: *Data XIII. Kalendas Januarii, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXI. Domni Berengarii Regis XXXIV. Imperii Quinto, Indictione Nona.* Ejuſmodi notæ vitio aliquo laborarent, niſi heic ſtatueremus, Anni DCCCCXXI. exordium ductum fuiſſe ex ipſo die Natali Domini Anni ſecundùm Æram noſtram DCCCCXX. Sed præter ea, quæ Pagius congeſſit ad ſtatuendam eo Anno DCCCCXVI. coronationem Romanam Berengarii, non autem Anno præcedenti DCCCCXV. menſe Septembri, uti Sigonius putavit, & ex eo Baronius, confluunt monumenta, quæ in nuper memorato Chartophylacio Lucenſis Archiepiſcopii ſub oculis habui. Ibi Charta eſt ſcripta *Anno I. Berengarii Auguſti, XVIII. Kalendas Majas, Indictione IV.* ideſt Anno DCCCCXVI. Altera *Anno I. Berengarii Auguſti, XIV. Kalendas Decembris, Indictione V.* ſcilicet Anno eodem DCCCCXVI. Tertia ſcripta fuit *Anno II. Berengarii Imperatoris, VI. Kalendas Auguſti, Indictione V.* ideſt Anno DCCCCXVII. Huic ſubſcribunt complures *Presbyteri Cardinales* ſanctæ Lucenſis Eccleſiæ. Quarta præfert *Annum III. Berengarii Imperatoris, VIII. Idus Decembris, Indictione VII.* Is eſt Annus DCCCCXVIII. Quincta exhibet *Annum IV. Domini noſtri Berengarii Imperatoris, IV. Kalendas Decembris, Indictione VIII.* Hic eſt Annus Chriſti DCCCCXIX. Reliquas Chartas ibi a me inſpectas prætereo: ſatis quippe iſtæ produnt, corruere

A Sigonii ac Baronii ſententiam, & Imperii coronam Berengario fuiſſe impoſitam die XXIV. menſis Martii Anno DCCCCXVI. Vide etiam Diſſertationem LXVI. *de Monaſteriis Monialium*. In ſemitam redeo. Sæpe etiam Miſſas Sacerdotes Sæculares & Monachi pro Defunctis decantabant, & pro iis eleemoſyna conferebatur. Cujus ritus teſtem habeo Chartam ex Archivo Monachorum Camaldulenſium, Monaſterium Piſanum Sancti Michaëlis incolentium, quam ad me miſit Cl. V. P. D. Guido Grandius, ejuſdem ſacri loci Abbas, & publicus Matheſeos Profeſſor in Piſano Gymnaſio. Spectat ipſa ad beatum Bonum Fundatorem ejuſdem Cœnobii Anno MXVIII. B Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad eum Annum hanc ipſam Chartam commemorat, & ſcribit, ædificatum fuiſſe illud Monaſterium a *Monachis Nonantulæ*. Ibi reapſe dicit Bonus Abbas: *Fecit me venire Senior Stephanus de Nonantula*. Putantes Piſani, *de Nonantulis* cognomen fuiſſe Familiæ cujuſpiam extinctæ, palmari ſane errore. Agitur ibi de celeberrimo Monaſterio Nonantulæ ſito in agro Mutinenſi. Num verò is patriâ Mutinenſis, an Piſanus fuerit, ignotum eſt. Is autem Piſas non uno in loco *Civitatem noſtram* appellat, quod neſcio factum-ne fuerit, quod ob longum incolatum Civis ibi & Abbas fuerit, an potius quod Piſas patriam habuerit. Ei certe C in illa Civitate patruus & nepos erant: quæ indicia ſunt originis ſuæ. Illud quoque certum, Bonum egiſſe primò Monachum in Cœnobio Nonantulano. In Charta ait, ſe collegiſſe eleemoſynas *de Miſſis, quas ego & Monachi mei decantaverunt*. Integram Chartam accipe, magni faciendam, quod ibi de illuſtri viro agatur & Fundatore Monaſterii, quod poſtea Camaldulenſibus traditum eſt.

Narratio omnium, quæ fecit Beatus Bonus Abbas pro fundando ac ditando Monaſterio Piſano Sancti Michaëlis, circiter Annum 1048.

„ IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei „ eterni. Breve recordationis facio ego „ *Bonus Abbas, qualiter ab initio incohoavi* „ *converſari in Eccleſia Sancti Michaëlis, que* „ *nunc eſt Cœnobium. Fecit me venire Senior* „ *Stephanus de Nonantulis cum avunculo meo* „ *Petro*, & inveſtivit me de ipſa Capella, „ que tunc temporis detinebatur a Presbiteris, „ & neque Monachum neque Abbatem ibidem „ inveni, & non caſam neque manſionem, ſed „ tantùm unum tugurium, ubi cepi habitare „ cum Avunculo meo, & operabatur tunc „ temporis in Turre ipſius Eccleſie. Et quod „ habebam & habere potui, dedi in reſtaurationem ipſius Turris ad Magiſtros, & ad „ Manuales, & ad quod neceſſe erat. Et „ ceſſavit ipſe Stephanus laborare in ipſa Eccleſia poſt unum menſem, quàm ego cepi „ habitare in ipſo loco. Et non levavit in „ altitudinem ipſam Turrim niſi tantummodo „ unum paſſum ſuper ipſam Eccleſiam. Et „ poſt hec finitus eſt annus, quod in ipſa Eccleſia fuit offerta ad honorem Dei & Sancti „ Michaëlis, & ad officium Sancti Benedicti, „ & ad ipſius Regulam Monachis ibidem in

D „ perpetuum converſandis. Et hoc vobis notum ſit, quia in ipſa Eccleſia non inveni „ aliud, niſi unum Miſſale, & unum Calicem „ de Stagno, & unum Camiſum cum Amicto, „ & unam Stolam de Lino, & unam Planetulam, que nunc ſupereſt . . . . quia „ non inveni in ipſo loco neque Sqillam neque „ Campanam, ſed tantummodo unam tabulam, „ & cum ipſa tabula . . . . ipſa Eccleſia „ quatuor . . . . Nunc audite & intelligite, qualiterelioratus eſt locus ipſe cum „ auxilio omnipotentis Dei & meo, & de meis „ Monachis, & de bonis Chriſtianis *noſtre Civitatis*. Poſt quinque annos cepi laborare „ in ipſam Turrem, quam nunc videtis, de E „ helemoſina bonorum hominum, que nobis „ dabatur. Et edificavi in ipſa Turre Eccleſiam, que nunc videtur ab omnibus. Et „ perrexi ad Romam per columnas ipſius Eccleſie; & comparavi, & feci eas venire in „ navim per mare de noſtro pretio; & poſt „ hec hedificavi ſuper ipſam Eccleſiam Campanilem. Cum autem conſummatum fuiſſet „ Campanilem cum Turris & Eccleſia, ambulavi per *Civitatem* noſtram cum Burello

„ quondam bone memorie , & cum Landulfo
„ parente ipſius , & cum tribus aliis religioſis
„ hominibus. Et acquiſivimus ipſa die centum
„ Solidos, quos dedi pro pretio ad Magiſtros.
„ Et poſui in ipſum Campanile duas Campa-
„ nas . Et poſt quindecim annos videbatur
„ mihi & Fratribus meis ipſum Campanilem
„ parvum , & ruſticior . Et verti eum a fun-
„ damentis , & feci fabricare illum, quomodo
„ videtis valde pulcrior . Et poſui in ipſum
„ Campanas ſeptem , quas omnes de helemo-
„ ſinis fecit *Domnus Dominicus* meus *Prior* ,
„ quem ego enutrivi , & nunc eſt *Abbas Mo-*
„ *naſterii Sancti Zenonis* , *Sancti Leonis* , *&*
„ *Sancti Ruſtici* . Et omnes facte ſunt hele-
„ moſinis , que nobis facte ſunt , & *de Miſſe* ,
„ *quas ego & Monachi mei decantaverunt* . . .
„ . . . . . & habent in ſe ipſe Campane Libras
„ metallorum tantas : una Campana major eſt
„ ponderis mille ducentarum . . . . alia
„ quingentarum , tertia trecentarum viginti
„ quinque , quarta ducentarum , quinta cen-
„ tum , ſexta & ſeptima quinquagintarum .
„ Quando veni in ipſum locum non inveni ,
„ ſicut ſuperius memoravimus , niſi unum Ca-
„ miſum cum Planetula & Stola ſua linea .
„ Nunc autem habemus in ipſum locum ſan-
„ ctum Camiſi tredecim cum Amictis ſuis , &
„ tres Camiſi ſunt tam perfecti & optimi , ut
„ *Epiſcopus Opizus* Domui Sancte Marie
„ poſſit cum honore cantare Miſſas in die Pa-
„ ſche ; & tres Planetas , due de pallio, una
„ valentes Solidos centum , alia valentes Soli-
„ dos triginta, tertia de caſtanea, & tres Sto-
„ las optimas cum Manipulis ſuis , due de
„ purpure , & alia de pallio , & tres Corpo-
„ rales de pallio valde optimo. Unum Corpo-
„ rale de ipſis tribus eſt de bruſco deaurato ,
„ valente Solidos viginti, quem fecit *Leo Papa*
„ *IV. Romanus* , & habet in ſe depicta imago
„ Salvatoris noſtri de bruſco , & ex una parte
„ imago Sancti Petri Apoſtoli , & ex alia
„ parte Sancti Johannis Evangeliſte. Et unum
„ Pluviale de purpura , & alium de pallio val-
„ de bonum .

„ Quando veni in ipſum locum non legeba-
„ tur in ipſa Eccleſia per totum fere annum
„ niſi Epiſtole & Evangelia , quia non habe-
„ batur niſi unum Miſſale . Nunc autem ſcito-
„ te , quomodo melioratus eſt de Libris ipſum
„ locum . Sermonum Liber unus , quem ego
„ ſcripſi ſolus cum Priore meo , ſicut habetur
„ Domui Sancte Marie , valde optimus . Li-
„ ber Iſtoriarum unus , ubi continetur quid-
„ quid in ſancta Eccleſia pertinet ad legendum
„ per totum annum . Textum Evangeliorum
„ unum valde optime ſcriptus cum tabula de
„ argento valde bone . Paſſionarium unum
„ novum , ubi ſunt omnes Paſſiones Eccleſia-
„ ſtice . Tractatus ſuper Geneſis , Sancti Au-
„ guſtini Liber unus. Dialogorum Liber unus.
„ Moralium Job Liber unus . Summum bonum
„ Liber unus . Diadema Liber unus . Para-
„ diſi Liber unus . Gloſſarum Liber unus.
„ Canones Liber unus . Sancti Benedicti Re-
„ gula Liber unus . Paſtorale Liber unus .
„ Antiphonarii octo , quinque diurnales , tres
„ nocturnales . Liber Bibliothece novum ,
„ quod eſt comparatum Libras decem . Miſ-
„ ſales quinque . Unum Miſſale valde opti-
„ mum , quod ſemper in arca manebit , va-
„ lentem Solidos centum . Super Ezechiel Li-
„ ber unus . Libri Pſalmorum valde optimi
quinque . Quot ſunt inſuper totum nume-
A „ rum triginta quatuor . Quando veni in ipſa
„ Eccleſia , non inveni niſi unum Calicem de
„ Stagno . Modò autem cum auxilio Domini
„ habentur ibi Calices quatuor, unum de auro
„ valde bonus, & habet uncias undecim, alius
„ de argento major , & habet Libras tres , &
„ mediam , alii duo habentes in ſe Libram
„ unam de argento per unumquemque. Quan-
„ do veni in ipſam domum , non inveni niſi
„ unam parvam domum ; & poſquam cepi
„ commorari cum meis Monachis , feci levare
„ manſiones ibidem novas , & poſt decem an-
„ nos diſrumpebantur ipſe manſiones , quas fe-
„ ci , quoniam erant de ligno de mala gene-
„ ratione , hoc eſt fuere de Cerro . Et dejeci
B „ ipſe manſiones a fundamentis , & hedificavi
„ alias manſiones de caſtanietis , quas venire
„ feci per mare de Luni . Et non poſt multum
„ tempus comparavi da Erigo filio Eritii ter-
„ ram , ubi nunc ipſum Monaſterium conſiſtit,
„ & dedi in ipſa terra Libras quadraginta duo.
„ Et poſt hec edificavi ipſam domum a petra
„ & calcina , ubi ſunt omnes Officine , ſicut
„ Abbatia habere debet . Et eſt tam perfecta
„ domus , ubi in tota Marcha melior non eſt,
„ cum columnas quas de Inſula Ilba & de Lu-
„ ni adduci feci . Et hoc ſciatis , quia quan-
„ do veni in ipſum locum , non dedit amplius
„ terre Stephanus in offertionem in ipſa Eccle-
„ ſia niſi ſtariorum ſex in loco Sejo , de valde
C „ mala , & ſtariorum viginti quatuor ad Tra-
„ marice , & ſimiliter mala . Nunc audite ,
„ qualiter adjuvante Deo amplificatus eſt lo-
„ cus ipſe de bona terra. Habet Monaſterium
„ Sancti Michaëlis modo ſexcentorum ſiſtario-
„ rum de terra . Dedimus nos pretium in ipſa
„ terra , quod nobis Dominus dedit magnam
„ partem , videlicet Libras centum valde mo-
„ dice minus , & de alie terre canſavimus &
„ promiſimus ad ipſos parentes , quem in
„ ipſum locum dari fecerunt in animabus no-
„ ſtris , *multe Miſſe decantari , cui mille* ,
„ *cui quingente* , *cui trecente* , *cui centum* ;
„ & adjutorium & conſilium habuimus in ali-
„ quantulum de noſtris Senioribus. Et dedit
D „ Albertus de Acuto in ipſum locum Curtem
„ unam in Corſica propter amorem & ſervi-
„ tium , quod ego miſi in ipſum Albertum ,
„ quando infantulus erat ; & propter amorem
„ & ſervitium , quod fecit *Johannes nepoti*
„ *meo* ad predicto Alberto . Et promiſi dare
„ predicto Johanni ſervitium decem Librarum,
„ ut me adjuvaret , & non tulit mihi propter
„ meum amorem niſi Solidos viginti . Et fecit
„ mihi dare hanc Curtem , & detinet ipſam
„ Curtem inter montes & colles & planities
„ & agros ſiſtariorum innumerabiles . Hoc eſt
„ malum , quod ego feci cum Monachis meis
„ per annos triginta in ipſum locum . Et non
„ vobis abſcondam verecundiam meam , quo-
E „ niam quando inchoavi habitare in eodem lo-
„ co , tam pauper erat locus , in duobus an-
„ nis non habui niſi unam ſtamineam per an-
„ num , & tempore eſtatis in meridie , quan-
„ do dormire pergebam , ipſam ſtaminam ad
„ lavandum dabam , & quando ſurgebam ,
„ predicta lota ſtaminea induebar . Et num-
„ quam habui equum , ſicut ceteri Abbates
„ habent , & etiam viles Monachi . Sed ſi ne-
„ ceſſe erat in ſilva ambulare aut in aliquo lo-
„ co , pedibus meis ambulabam . Et non du-
„ plicia veſtimenta deſideravi , ſed quando no-
„ vum induebar , neque per Paſcha neque per
„ Natalem alium mutavi , uſque dum ſcinde-
„ retur

„ retur , quia conſideravi paupertatem loci , „ ut cum debito non maneret . Et multa alia „ feci , que commemorare longum eſt . . . . . „ argenteum & alium ereum ; quando elonga- „ vi Eccleſiam Sancti Michaëlis , expendi in „ ipſa Eccleſia Solidos mille , ſine pane & ſine „ vino , & ſine carne , & ſine piſces . Omnia „ iſta expenſaria in Breve habentur ſcripta .

Sed & longe ante ea tempora Anniverſarii dies obitus pro Sæcularibus aliquo ſacrorum numero celebrandi reperiuntur. Antiquiſſimum apographum vidi in Archivo Monaſterii Piſtorienſis Sancti Bartholomæi , in quo Raffuns , ſive Raffunſus Presbyter quolibet anno depoſitionis ſuæ *pro medela animæ ſuæ Miſſas ſexaginta cani* , *& in eleemoſynis & frugis paſci pauperes ducentos* ſtatuit . Digna plane Charta eſt , quæ e tenebris deducatur in lucem .

Gauſprandi Abbatis Monaſterii Piſtorienſis Sancti Bartholomæi Charta , qua in emphyteuſim concedit Raffunſo & Lamprando Presbyteris multa ſuo Monaſterio donata , Anno 831.

I*N nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti . Imperantibus Domnis noſtris* Hludovicus & Lutharius *dilectiſſimo* filio ejus *Imperatoribus , Anno Imperii eorum Octavo decimo & Duodecimo , Nona Kalendas Aprilis , Indictione Nona , feliciter . Manifeſtus ſum ego* Gauſprand Abas Monaſterio Sancti Bartholomei , *a bone memorie Gaiuduald Medicus conſtructum foras muro Civitatis noſtre Piſtorienſis , eo quod ante os dies tu* Raffuns Presbiter filio quondam Raſcauſi *pro remiſſione anime tue tali tinore judicaſti & tradediſti mibi , & Liamprand Presbiteri filio quondam Baroncelli , & prefati Monaſterii offertionis titulo . . . . ſtatuiſti caſis habitationis tue locus , nuncupante Celeriano , cum ſolamentis , Curte , borto , terris , & vineis fundo illo , in quo predictis edificiis domorum conſtructum , qualiter fundo ipſo ſepis circundatum eſt in integrum ; ſimiliter caſa cum edificiis illis , que babere videbaris locus , nuncupante Domitiano , prope Eccleſiam Sancti Martini , cum ſolamentis , curtis , orto , terris , & vineis , qualiter ſepibus fundo ipſo circumdatum eſt in integrum ; & terra petia una loco Ruffito in integrum ; atque terra vinea plantata clauſura una locus , qui dicitur Cavaliano in integrum ; ſeo terra & vinea clauſura una in loco Centora in integrum , & virgareis atque ſtalareis , quantis in monte & in plano babere viſus fuiſti in integrum hec omnibus ſupraſcriptis rebus nobis , atque predicti Monaſterii tali tinore tradidiſti , ut ad preſenti die rebus . , ... in poteſtatem , atque defenſione ſicut ceteris rebus eidem Monaſterii eſſe noſcuntur , niſi tantum hoc eſt* in capite anni depoſitionis tue pro medela anime tue tam per nos metipſos , aut per alio Sacerdotes canere ſtudeamus Miſſas ſexaginta , & in elemoſinis & frugis de ſupraſcriptis rebus paſcere faciamus pauperes ducenti , *ſicut hec omnia per Cartula confirmaſti conſcripta per manus Giſelprandi diſcenti ex dictato Gauſperti Notarii & Scabino Magiſtro ſuo . Modò verò precaſti nos , ut tibi hec ſupraſcripto Lamprandi Presbiteri . . . . per Carta in tali ordine concedimus ſupraſcriptis caſis & rebus , quibus tu nobis per ſupraſcripta Cartula tradidiſti , & adderemus vobis in ipſa precaria Eccleſia & res Sancte Marie , ſito locus Pacationo , qui ex jura & proprietas ſepe dicti Monaſterii ſupraſcripti Sancti Bartbolomei pertinentem videntur . Ego quidem pro congruo conſilio & voluntate Monachorum , tua audientis petitione conceſſi & tradidi tibi jam dicto Raffuns Presbiter & Lamprandi idem Presbitero , ſicut tu a me poſtulaſti , omnibus ſupraſcriptis caſis & rebus , quicquid per ſupraſcripta Cartula ad temetipſum nobis vel ſacri Monaſterio Sancti Bartholomei , advenere & augere vobis in ano precaria viſi ſumus ſupraſcripta Eccleſia & res Sancte Marie ante poſitas dom. . . . . aplicta cum Curticella & orto ſuo , quod exinde Benedicti & Teuſperte Ancilla Dei in beneficium dedi . Nam aliis omnibus rebus & edificiis earum ad ipſa Eccleſia pertinentibus ſimul & ipſa Eccleſia hec omnia cum predictis rebus , quomodo tu nobis vel Monaſterii noſtri decreviſti , in integrum omnibus his vobis Raffuns & Lamprand Presbiteri ſub eam videlicet rationem tradidi , ut dum tu Raffuns Presbiter vixeris , omnibus ſupraſcriptis rebus , quibus tu nobis habere decreviſti , in tua propria ſit poteſtate habendum , laborandum , atque uſufructuandum , & cuncta movilia dandum aut judicandum , ſeo foras ex ipſis caſis vel rebus traëndum , & ſupraſcripta Eccleſia Sancte Marie , cum omnibus rebus ad eam pertinente abere debeatis tu Raffans Presbiter una cum Lamprand Presbiter dum ambo vixeritis , comuniter habendum , gubernandum , atque rebus ipſis uſufructuandum , & ſicut ſupra legitur , mobilibus rebus pro animabus veſtris dandum vel judicandum . Et quicquid exinde alteri homini libellario nomine , vel ad cenſum reddendum , datum habere vos juxta ipſius ſcripti paginam cenſum exinde pleniter exigere , & ſuſcipere debeatis , ſicut ego exigere , aut ſuſcipere debui , niſi tantum ſiligine , favas , & vino , quod Dominus vobis per ſingulos annos de ſupraſcriptis rebus predicte Eccleſie Sancte Marie dederit , reddere deveatis michi , qui ſupra Gauſprandi Abbati , vel ad Succeſſoribus meis , tertiam portionem ex omnibus ,* & ſupraſcripta elemoſina & Miſſarum p. . . . . *vel* canationumque *michi vel Succeſſorum meorum facere decreviſti tu Raffuns Presbiter . . . . que tu nobis dediſti , dum tua fuerit vita , per temetipſum ex ipſis rebus facere ſtudeas ; & nos exinde in vita tua permaneamus abſoluti . Nam poſt veſtros deceſſum taliter omnino deveamus exinde perficere , ſicut tu per ſupraſcripta Cartula decreviſti . Et ſi Lamprand Presbiter ante obyerit , tota Eccleſia & omnibus rebus ſuperius ſcriptis in tua , qui ſupra tu Raffuns Presbiter , remaneat poteſtate ſub eam ſcilicet rationem & redditum nobis faciendum , ſicut ſupra legitur . Et ſi tu ante ipſo Lamprand deceſſeris Presbiter , ſimiliter ipſe Lamprand diebus vite ſue Eccleſia & omnibus rebus ipſis deveat babere , & nobis cenſum reddere , ſicut ambo facere debuiſtis . Nam poſt amborum veſtrorum ſupra-*

ſcriptorum deceſſum , Eccleſia , caſis , & omnibus rebus ipſis ſuperius circumſcriptis, mibi qui ſupra Gauſprand Abbati , vel ad Succeſſores meos , apud parte jam fati Monaſterii Sancti Bartholomei , cujus proprietas eſt , ſine ulla diminutione revertantur , excepto de movilibus fiat , ſicut ſuperius legitur . Et ſi adimpleti vos fueritis parti noſtre , vel ad parte ſupraſcripti Monaſterii noſtri omnino , qualiter ſuperius legitur, & vobis amplius ſuper imponere preſumpſerimus ego Gauſprand Abbas vel Succeſſores meos , aut ex ea , que ſuperius ſtatui , & circha vero noſtrum fuerit ad obſervandum vobis in aliquo minus exinde fecerimus , aut in vita veſtra rebus ipſis vobis minuare aut retollere queſierimus , tunc componere debeamus ego Gauſprand Abbas vel Succeſſores meos vobis ſupraſcriptis Raffuns & Lamprandi Presbiteri , vel cui ipſa movilia pro animabus veſtris judicaveritis aut dederitis pene nomine argento Solidos duo millia . Nam poſt amborum veſtrorum deceſſum Eccleſia , caſis , & rebus ipſis , ſicut ſuperius dictum eſt, nobis remaneant, & ſupraſcripta elemoſina & Miſſarum ſolemnia , *ſicut tu Raffuns Presbiter decreviſti , adimplere debeamus : quia ſic inter nobis convenit , hanc precaria firmitatis veſtre Giſelprando diſcente & dictante Gauſperto Notario & Scabino Magiſtro ſuo ſcribere rogavi .*

Actum Piſtoria , feliciter .

✠ *Ego* Gauſprandus Abbas *manu mea ſubſcripſi .*

A ✠ *Ego Tato Clericus rogatus ad Gauſprand Abbate , teſte ſubſcripſi .*

✠ *Iſo rogatus ad Gauſprandu Abbate , teſte ſubſcripſi .*

✠ *Ego Alo rogatus ad Gauſprand Abbate , teſte ſubſcripſi .*

✠ *Ego Johannes Clericus rogatus ad Gauſprand Abbate , teſte ſubſcripſi .*

✠ *Ego Pertualdu Clericus rogatus ad Gauſprandu &c.*

✠ *Ego Gumprandu rogatus ad Gauſprandu &c.*

✠ *Ego Petrus Clericus rogatus &c.*

Signum ✠ *manus Archiperti, filius Athoni teſte .*

B ✠ *Ego Gauſpertus Notarius & Scabinus , rogatus ad Gauſprandu Abbate ſcribere , dictavi , & ad confirmandum manu mea ſubſcripſi.*

Ego qui ſupra Giſelprandus ſcriptor poſt traditione complevi & dedi .

✠ *Ego Gualbertus Notarius & Judex ſacri Palatii ſcriptor , qualiter in autenticum ſcriptum inveni , fideliter exemplavi .*

Alteram ſubnecto Chartam , quam ex pergamenis Ferrarienſibus deſcripſit amantiſſimus mei Joſeph Antenor Scalabrinius , ſæpius in hoc Opere mihi laudatus . Ibi die emortuali donatoris *omnes Fratres annuam Miſſam* celebrare jubentur , præter alia onera .

Charta Harnaldi Archiepiſcopi Ravennatis, concedentis titulo emphyteuſis piſcariam in Portu Petro Abbati Pompoſiano, Anno 1018. ſive potius 1017.

I*N nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno Deo propicio Pontificatus* Domni Benedicti ſummi Pontificis , & huniverſalis Pape *in Apoſtolica ſacratiſſima beati Petri ſede Quinto , ſed & Imperatore* Domno Henrico *mangno* Imperatore *in Italia Anno Quarto, die Vigeſimo menſis Februarii , Indictione Prima .* Harnaldus *ſervus ſervorum Dei , divina gratia* Archiepiſcopus Petro *venerabili* Abbati Sancte *Dei Genitricis* Virginis Marie , *que vocatur* in Pompoſia , *& pro te , tuiſque Succeſſoribus in eade venerabili Monaſterio in perpetuum . Petitioni veſtre , que abentur in ſubditis , libenter hac quomodocumque aſſenſum ob oc , quia nec munificentia deperit , nec percipientibus in Pompoſia quod datur adqueritur , eo quod ſperaſtis , videlicet Portum , ſicut vos ante os dies abuiſtis & detinuiſtis , & nunc a noſtris jure iterum tenere videmini , enfiteuticario modo poſtulaſtis largiri . Sic juſte & rationabiliter a nobis petiſtis vos qui ſupra Petrus jam dictus Abbas Monaſterii ſancte Dei Genitricis Virginis Marie , que vocatur in Pompoſia , pro omnipotentis Dei timore , & Genitricis Domini noſtri Jheſu Chriſti amore , & ut participes mereamur fieri orationibus Fratrum ibi Domino ſervientium , ut quorum in neceſſitatibus eorum ſublevemur , a Domino precibus quodque ipſa Dei Genitrix in temerata audiad ſervulos , nos comendet proprio Filio , & ut hoc votum impleatur devotius pro noſtris ſolvendis criminibus* Miſſas duodecim per ſingulos Sacerdotes cantare volumus . *Sacerdotes verò qui non fuerint , decantent tria Salteria :* die verò deceſſionis omnes Fratres annuam Miſſam celebrent. *Et inſuper omnes Marcio menſe dare d beatis vos veſtriſque Succeſſores nobis noſtriſque Succeſſoribus Storiones duos penſione ſingulis quibuſcunque Indictionibus ſancte noſtre Ravennatis Eccleſie inferre debeatis . Ea verò conditione prefixa , ut ſupraſcripta Piſcaria cum omnibus ſuis pertinentiis veſtris propriis expenſis ſeu laboribus piſcare , laborare , defenſare d. . . . . . debeatis adducere , nichque de omni expenſa , quam inibi feceritis , ab Actoribus ſancte Ravennatis Eccleſie in ſuperius affixo per quoquo modo reputari debbeatis , nullaque tardietate aut negligentia ſ. . . . . ad inferendas predictas penſiones , quamque ad melioratione predictis Piſcaris facere debeatis . . . . aliqua excuſatione aut dilactatione Actoribus ſancte noſtre Ravennatis Eccleſie perſolvere debeatis , & nec quiquam . . . . . . precepdum aut partem Piſcariam alicui homini dare vel vendere ſeu transferre , aut in alio venerabili loco relinquere audeatis . Quod ſi in aliqua tardietate aut nec lite vel controverſia inventi fueritis extra aggere de. . . . . . . affixis conditionibus non ſolum de a precepto recadatis , & ne nos neque Succeſſores noſtri vos veſtriſque Succeſſores . . . . . Si quis verò preſumpſerit facere , trecentorum decem & octo ſanctorum Patrum anathematis vinculo vulneretur . Obſervator autem qui extiterit, Domini benedictione redundetur . Et qui hoc obſervare noluerit , & preſentem painam aliquo dolo infringere teptaverit , compoſiturum ſe*

ſe ſiad auri obtimi Libras centum , & hec painam in ſua firmitate maneat . Quam verò painam noſtre preceptionis Honeſto Notario ſanćte noſtre Ravennatis Eccleſie ſcribendam juſſi , in qua nos ſubſcripſimus ſub die , menſis , & Indiđione Prima , Ravenne .

✣ LEGIMUS ✣

Si recte deſcriptæ fuiſſent notæ Chronologicæ Chartæ hujus , & cum Februario menſe Anni MXVIII. revera concurriſſet *Annus Quinctus Benedicti* VIII. Papæ , deferenda foret ſententia Pagii , ſtatuentis Pontificis illius electionem ſaltem Novembri menſe Anni MXII. & reſurgeret Cardinalis Baronii opinio , conſignantis eamdem electionem Anno MXIII. Verùm minime certus ſum , an Pergamena autographa exhibeat notas omnes , quales ego deſcripſi , quum præſertim mihimet ſignificaverit prælaudatus Scalabrinius , exordium hujus Chartæ , in autographo temporis injuriâ mutilum & corroſum , ſuppletum ac reſtitutum a ſe fuiſſe ex apographo pervetuſto . Et ſane contra video apud Rubeum in Hiſtor. Ravenn. Libro V. Chartam ſcriptam *Anno Benedicti Papæ Quinto , Heinrici Imperatoris Anno Ter-* A *tio , die XV. Februarii , Indictione XV.* Video pariter in Chronico Farfenſi a me edito Part. II. Tomi II Rer. Italicar. monumenta duo ſcripta *Auguſto menſe , Anno Primo Benedicti Octavi , Indictione X.* quæ evincunt , Benedictum eumdem ante Auguſtum Anni MXII. Cathedram Petri conſcendiſſe . Conſule & alia documenta Chronici ejuſdem . Atque heic edendum reor Inſtrumentum , quod Honuphrius Panvinius in Opuſculo MSto de Gente Fregepania (nobiliſſimâ utique , uti in Diſſertatione XLII. *de Cognominum origine* oſtendi) ex antiquo Codice Inſtrumentorum Monaſterii Sanctorum Andreæ & Gregorii in Clivo Scauri deſcripſit . In eo autem animad-B vertas velim ſubſcriptionem Benedicti VIII. Papæ , cui præponuntur eædem literæ , quas ego perpendi in Chronico Farfenſi Part. II. Tomi II. Rerum Italicar. pag. 526. In eam quippe ſententiam inclinavi , nomen *Theophylacti* legendum ibi eſſe . Conjecturam deinde confirmatam vidi a Cl. V. Guidone Grandio Abbate Camaldulenſi , non minus Mathematicæ Scientiæ , quàm Eruditionis cultore eximio , in Epiſtola de Pandectis, Anno MDCCXXVII. evulgata , pag. 57.

Refutatio fundi cujuſdam facta a Gerardo & Sergio nobilibus Romanis Johanni Abbati Monaſterii Sanctorum Andreæ & Gregorii , approbante Benedicto VIII. Papâ , Anno 1014.

IN *nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti . Anno Deo propitio Pontificatus* Domni Benedicti ſummi Pontificis & univerſalis Octavi Pape *in ſacratiſſima Sede beati Petri Apoſtoli* Secundo : *Imperante* Domino *piiſſimo perpetuo* Auguſto Henrico *a Deo coronato , magno & pacifico* Imperatore *Anno Primo , Indictione Duodecima , menſis Martii , die V. Decet autem bone fidei ſolo verbo ſufficere ; ſed aliquando ſolet tempus longinquitatis extendere , & non valet , quod conventum , vel geſtum fuerit , ſerò memoriter retinere . Ob hec enim neceſſe eſt , quidquid inter partes convenitur , ſcripturâ notari , ut quandoque fortaſſe , ſi expedit , aut oſtenſa fuerit , omnem totius litis amoveat queſtionem . Et ideo quoniam certum eſt , nos* Gherardum *&* Sergium *nobiles Viros , fratreſque germanos hac deceſſiſſe , & deceſſimus & tradimus , nec non & per omnia & in omnibus deliberavimus & deſinivimus , ſimulque refutavimus , nullo nos cogente , neque contradicente , aut vim faciente , ſed propria ſpontaneaque noſtra voluntate , vobis* Domno Johanni *Dei gratiâ religioſo* Presbitero *&* Monacho , *atque coangelico* Abbati *venerabilis* Monaſterii beati Andreæ Apoſtoli, & Sancti Gregorii , quod appellatur Clivus Scauri , *Succeſſoribus tuis in perpetuum , ideſt Fundum unum in integrum , quod dicitur Ceſamora , cum omni integritate ſua , una cum finibus , terminis , limitibuſque ſuis , terris , campis , pratis , paſcuis , ſilvis , ſalectis , arboribus pomiferis, fructiferis vel infructiferis diverſi generis, puteis, fontibus, rivis aque perennis , edificiis parietinis , criptis , harenariis,* C *montibus & collibus , plagis & planitiis , cultum vel incultum , vacuum & plenum , & cum omnibus a dicto fundo uno , quod vocatur a Ceſamora , generaliter & in integrum pertinentibus, poſitis foris Portam Sancti Pancratii, Viâ Aureliâ , & juxta unum Caſale , quod dicitur Malarupta . Affines vero ejus, ſicuti nunc modo ſunt , & ab origine fuerunt , & ex omnibus lateribus terra tui Monaſterii . Hic namque ſuprаſcriptus fundus in integrum , qui vocatur Ceſamora, & omnia ejus pertinentia per Cartulam tertii generis conceſſus eſt nobis ab iniquo* Silveſtro Abbate veſtri Monaſterii : *unde tu quidem Abbas cum tuis Monacis multas interpellationes ſupra nos feciſti , eo quod ipſe iniquus &* D *ſceleratus Silveſter pro ſuis ſceleribus Abbatiâ caruit , & refutavit . Sed diabolica fraude deceptus poſt renunciatam Abbatiam ipſos emphiteos nobis precatus eſt , ſed falſa ſimulatione, quaſi dum eſſet Abbas, deprecaturus fuiſſet . Ideo refutamus & renunciamus vobis , ut dictum eſt , hereditatem coram preſentia Domni Preſulis , & ſubſcriptorum Judiciis & teſtium. Cartulas autem Emphiteoticarias inanes & vacuas per omnia eſſe conſtituimus , nullumque habere in ſe robur firmitatis , eo quod per eas legibus nullo modo querere valemus , quoniam injuſte & contra legem eas accepiſſe confitemur. Unde & hanc refutationem , refutationiſque Cartulam contradidimus , & nullo in tempore* E *neque a nobis , neque ab heredibus & conſanguineis noſtris , aut a nobis ſubmiſſa magna parvaque perſona contra vos veſtroſque ſucceſſores aliquam habebis queſtionem aut requiſitionem litis vel calumnie . Sed a nobis & noſtris heredi-*

redibus ſecurus & quietus permaneas tu & ſucceſſores tui modo uſque & in perpetuum . In qua & jurati dicimus per Deum omnipotentem, ſanƈteque Sedis Apoſtolice Domni Benediƈti *ſanƈtiſſimi* Oƈtavi Pape *ſalutem , hec omnia , que ſecuritatis refutationiſque Cartule ſerie textus eloquitur , inviolabiliter conſervare atque adimplere promittimus . Nam , quod abſit , & quoquo tempore ſi noſ vel heredes vel conſangninei noſtri contra vos , veſtroſque ſucceſſores , aut contra hanc Cartulam , quam ſponte fieri rogavimus, agere aut cauſare, contendere vel litigare preſumpſerimus & cunƈta non obſervaverimus, ſive Inſtrumentum cartarium , tunc ubicumque ea apparuerint pro veſtra leſione , inanis & vacua permanere , nullumque in ſe habere robur firmitatis . Et inſuper compoſituri debitores exiſtimamus nos cum heredibus noſtris , veſtriſque ſucceſſoribus ante omne litis initium pene nomine auri obrizias Libras ſex , & poſt ſolutam penam hec ſecuritatis , refutationiſque Cartula in ſua nihilominus maneat firmitatem, quam ſubſcribendam rogavimus Sergium Scriniarium ſanƈte Romane Eccleſie , in Menſe & Indiƈtione ſupraſcripta Duodecima .*

Signum ✠ ✠ manu ſubſcriptorum Gherardi & Sergii nobilium Virorum , germanorum fratrum rogatoriorum , ut ſupra legitur :

T h f p H l b c t x s. *Ego* Benediƈtus ſanƈte Catholice & Apoſtolice Romane Eccleſie Preſul ſubſcripſi .

✠ *Benediƈtus Sacellarius ſanƈte Apoſtolice Sedis .*

✠ *Petrus de Nutu Jüdex ſubſcripſi .*

✠ *Leo Frajapanus .*

✠ *Berio de Leo .*

✠ *Berio de Leo Spolpeƈto .*

✠ *Theodorus .*

✠ *Theudonianus .*

✠ *Aſtaldo de Joanne de Antonio .*

Ego Sergius ſanƈte Romane Eccleſie Scriniarius ſupraſcriptiones & traditiones faƈtas complevi & abſolvi .

Convenire poſſunt iſtæ Notæ in ſententiam Pagii ; ſimulque concordes ſunt cum Ravennate Charta , quam nuper edidi , & in qua conſiderandus eſt etiam *Annus Quinƈtus Henrici Primi , decurrens die XX. Februarii* Anno MXVIII. Chronicon Hildensheimenſe ſcribit : Henricum Romæ coronatum *VI. Kalendas Martias* Anno MXIV. Pagius ait , ſcribendum *XVI. Kalendas Martias* , quum Ditmarus memoriæ prodiderit , eumdem Auguſtum Romæ benediƈtionem Pontificis accepiſſe *die Dominica* . Et revera *dies Dominicus* Anno illo neutiquam decurrebat *Sexto Kalendas Martias*, uti non tantùm Hildensheimenſe Chronicon habet , ſed & ipſe Ditmarus , & Annaliſta Saxo , ab Eccardo evulgatus habent , apud quos cum *die Dominica* perperam jungitur *dies XXIII. Februarii* . Sed videndum , an emendaturo textum illud ſit ſcribendum *VIII. Kalendas Martias* , qui dies etiam , ſcilicet *XXI. Februarii* in Dominicam incidit, potius , quàm *XVI. Kalendas Martias* , ut Pagius opinabatur . In Charta Ravennate nuper editâ *Annus IV.* Henrici diſerte componitur cum *die XX. Februarii* Anni MXVIII. Ergo is poſt eam diem coronatus fuerit Anno MXIV. Alteram ſubneƈto Chartam ad prælaudatum Farfenſe Cœnobium ſpeƈtantem , quam ad me miſit egregius Vir , mihique ob nobilitatem , pietatem , aliaſque virtutes ſpeƈtatiſſimus , Domnus Euſtachius Caracciolus Neapolitanus Clericus Regularis .

Donatio

Donatio terrarum facta Farfenſi Cœnobio ejuſque Abbati Guidoni a Benedicto VIII. Pontifice maximo, Anno 1013.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno Deo propitio Pontificatus Domni Benedicti ſummi Pontificis & univerſalis Pape VIII. in ſacratiſſima ſede beati Petri Primo, Indictione XI. menſe Junio, die II. Dum pro adipiſcendis celeſtis Regni gaudiis eternis procul dubio ad cultum divine Majeſtatis conferenda ſtipendia omnino fas exigit, eo quod valemus, niſu queque ad ſtabilitatem integritatis perfectam in venerabilibus locis permanere, & non tantùm verbo firmitatis maneat, verùm etiam per ſeriem ſcripturarum paginam volumus eſſe teſtatum, maxime in quibus omnipotenti Deo laudes referuntur; ut Redemptori noſtro hoc ipſum, quod ad gloriam ſancti nominis ejus dignoſcitur procuraſſe, ſit acceptabile, a nobis inferius adſcriptum; & Domno Gregorio & Domne Marie genitorum meorum, pro quorum amore & venia, meorumque delictorum offero, ut ab eodem Domino Deo noſtro. ſanctiſſimis ſuis miſerationibus in ethereis arcibus conferatur remuneratio, & veniam delictorum omnium conſequi mereantur. Quapropter ego ſupraſcriptus Domnus Benedictus alme Rome Preſul a preſenti die do, dono, cedo, trado, & irrevocabiliter largior, ſimul, atque concedo ex propria met ſubſtantia, propria, ſpontanea, meaque voluntate, vobis Guido venerabilis Presbiter & Monachus atque Abbas venerabilis Monaſterii Sancte Dei Genitricis Marie Domine noſtre, Terre Sabinenſis in loco, qui dicitur Acutianus, veſtriſque ſucceſſoribus Abbatibus, Presbiteris & Monachis, majoribus minoribuſque, qui in eodem venerabili Monaſterio Deo ſerviturì ſunt, pro veſtris ſacroſanctis fidelibus & quotidianis orationibus, quas pro ſalute animarum noſtrarum facere non ceſſatis. Ideoque remunero & dono & offero pro anima mea, & animabus prenominatorum pie recordationis olim genitorum meorum. Ideſt totam integram vineam & terram, quas ad laborandum detinuit Benedictulus, qui dicebatur de Laxo, & Peculus filius ejus, qui fuerunt famuli noſtri: cum caſis, vineis, & terris, campis, paſcuis, ſilvis, ſalectis, arboribus pomiferis, fructiferis vel infructiferis, diverſique generis, rivis, fontibus aque perennibus, cultum vel incultum, vacuum & plenum, ſic in integrum, quomodo ſupradicti famuli noſtri ad laborandum ſuis detinuerunt manibus, in montibus & planiciebus per diverſa loca & vocabula, ubicumque poſita eſſe videntur, cum introitu & exitu ſuo, & cum omnibus ad ea generaliter in integrum pertinentibus, poſita in territorio Collinenſi in fundo Flajano, ſicuti ejus affines ab origine fuerunt, vel modò deſignari poſſunt, juris, cui exiſtunt. Que a preſenti die largimur vobis, ita ut a vobis continuas orationes
A ſuſcipiamus; qui ſi carnalia vobis concedimus, ſpiritualia a vobis percipere debemus. Et a preſenti die pro redemptione animarum fratrum & ſororum meorum, & mee, qui ſupra donator, habeatis, teneatis, poſſideatis, & utendi, fruendi, poſſidendi, vendendi, donandi, commutandi, vel quidquid ad luminariorum concinnationem vel ſancte Ecleſie utilitatem veſtri Monaſterii facere ſive peragere volueritis, in veſtra, veſtrorumque ſucceſſorum ſit poteſtate. Et nullo umquam tempore a me, neque ab heredibus & ſucceſſoribus meis, neque a me ſubmiſſa magna vel parva perſona aliquam aliquando habebitis queſtionem aut calumniam. Et ſi vobis, veſtriſque Succeſſoribus opus inter-
B venerit, ſtare me una cum heredibus & ſucceſſoribus meis, & defendere promitto ab omni homine in omni tempore & in omni loco, ubi vobis neceſſe fuerit. Et hec omnia, que hujus donationis Chartule ſeries textus eloquitur, inviolabiter conſervare atque adimplere promitto. Nam, quod abſit, ſi contra hec, que ſuperius notata ſunt, vel adſcripta leguntur, agere preſumſerimus, & cuncta non obſervaverimus, tunc daturos nos promittimus vobis ante omnis litis initium pene nomine auri optimi Libras duas: & poſt ſolutam penam hujus donationis Chartule ſeries in ſua nihilominus maneat firmitate. Quam ſcribendam rogavi Roccionem Scriniarium ſancte Romane Eccleſie. Et ego,
C qui ſupra ſcriptus manu propria ſubſcripſi, & teſtes qui ſubſcriberent, rogavi, & vobis, qui ſupra, contradidi in Menſe & Indictione ſupraſcripta XI.

✠ T h F K I. h C T X C, qui & Benedictus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.
✠ Hilperinus filius Hilperini.
✠ Franco filius Duranti.
✠ Johannes, qui Paparone vocatur.
✠ Octavianus filius Sergii de Tranſtiberim.
✠ Creſcentius filius Johannis de Lottecar.
✠ Ego Roccio Scriniarius ſancte Romane Eccleſie, qui ſupra ſcriptor hujus Chartule complevi & abſolvi.

At his tamdem miſſis, ritum repetamus Sacrificii
D incruenti pro Animabus Defunctorum ſtatis diebus offerendi. Atque heic Chartis hactenus productis altera adjungatur, cujus pervetuſtum exemplum vidi in Archivo Monaſterii Lucenſis Sancti Fridiani; rara ſane, quod eſt ad ea tempora, quum ex ea conſtet, Henricum II. Auguſtum duos Manſos eidem Monaſterio fuiſſe largitum, ut Presbyter, qui hos Manſos ſuſcipiat, per ſingulos dies, pro recordatione Diemari, patris nempe Siceboti militis celebret, tum pro omnium fidelium Defunctorum commendatione.

Henrici

Henrici inter Auguſtos Secundi Præceptum, per quod Lucenſi Cœnobio Sancti Fridiani duos Manſos donat, ut ſingulis diebus Miſſa celebretur, Anno 1046.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis*. Henricus *divina favente clementia* Rex. *Si pro redimendis animabus fidelibus de regalium noſtrarum facultatum excellentiis quiddam liberaliter condonaverimus, ad anime noſtre perpetuam felicitatem maxime profuturum eſſe confidimus. Quapropter omnium ſancte Dei Eccleſie, noſtrorumque fidelium, preſentium ſcilicet & futurorum, noverit induſtria, qualiter nos pro amore divino, animeque noſtre remedio, tum ob petitionem fidelis noſtri* Militis Siciboto *dicti, ad Altare in honorem Sancte Marie & Sancti Petri Apoſtoli & Sancti Juliani Martyris & Sancti Martini Confeſſoris conſtructum, duos Manſos pro remedio anime* Diemari *inibi quieſcentis*, patris *videlicet predicti* Sicibotonis, *ſito in loco Luneja: unum tenet Stefanus, & alterum excolit Petrimarcho, habentes cultras viginti. Et ſi amplius quidquam ad preſcriptos Manſos pertineat, Regali noſtra munificentia in proprium tradidimus cum omni utilitate, que ullo modo inde poterit provenire: ea videlicet ratione, ut Fratres hujus Monaſterii in honorem Sancti Fridiani conſtructi habeant poteſtatem eligendi inter ſe Virum probabilem, religioſum quidem Presbiterum, qui hos Manſos ſuſcipiat, & ad uſum ſui privatim obtineat eo tenore*, ut per ſingulos dies pro recordatione Diemari ſpecialiter Miſſam celebret, tum pro omnium fidelium Defunctorum commendatione ad predictum Altare. *Et idem Presbyter inibi omni nocte lumen ſubminiſtret. Inſuper etiam ſtatuimus, ut dum*

A *quilibet ad id officium electus lege neceſſaria nature concedit, alter ſub eorumdem Fratrum conſenſione & electione ad explendum prioris propoſitum per omnia probabilis ſuccedat, & ipſe de prefatis Manſis cum ſuis pertinentiis liberam poteſtatem habeat obtinendi ad expletionem in omnibus prelibati ſtatuti, omnium hominum contradictione remotis. Et ut hec noſtre traditionis auctoritas ſtabilis & inconvulſa omni tempore permaneat, hanc Chartam inde conſcriptam, manu propria, ut infra, videlicet corroborantes, Sigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri.*

Signum|Domni Henrici Tertii Regis invictiſſimi

Henricus Cancellarius vice Herimanni Archicancellarii recognovi. B

Data VII. Kalendas Decembris Anno Dominice Incarnationis MXLVI. Indictione XV. Anno autem Domni Henrici III. ordinationis ejus XVIII. Regni verò VIII.

Actum Luce in Dei nomine feliciter. Amen.

Heic ergo habemus Miſſam perpetuam, hoc eſt, ſingulis Anni diebus celebrandam. Sed vide, non eam præſcribi tantùm *pro Diemaro*, ſed & *pro omnibus fidelibus defunctis*. Denique accedat Charta deſcripta ab amiciſſimo Gherardio meo ex antiquiſſimo apographo, exſiſtente in Archivo Archiepiſcopali Ravennæ: quippe præfert Miſſam celebrandam C quotannis die anniverſario obitus Heinrici Archiepiſcopi donatoris.

Charta Heinrici Ravennatis Archiepiſcopi, donantis Liuzæ Abbatiſſæ Monaſterii Sancti Andreæ Majoris Monaſterium dirutum Sancti Laurentii, Anno 1060.

IN *nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: ſub Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Sexageſimo*, Regnante *verò* Heinrico *honeſto puero*, filius *quondam* Heinrici Imperatoris *Anno Quarto, die XXIX. menſis Decembris, Indictione XIII. Ravenne*. Heinricus *ſervus ſervorum Dei, divina gratia* Archiepiſcopus, Liuze *venerabili* Abbatiſſe Monaſterii Sancti Andree Apoſtoli, *qui vocatur Majoris, & pro te in eodem Monaſterio, tuiſque ſuccedentibus in perpetuum, que per tempora ordinate fuerint. Congruum atque utilimum eſſe decernimus, ut petentium deſideriis non oborrere, ſed Domini miſericordia conſiderantes cicius ſubvenire; ut in futuro nobis proficiat ad augmentum, ac petentes graciarum referant actiones. Icirco damus & donamus tibi ſupraſcripta Liuza venerabili Abbatiſſa prelibati Monaſterii, tuiſque Succeſſoribus in perpetuum, ſicut ſupra legitur, pro oblacione de inluminacione, ſeu pro eterna remuneracione atque remedio anime mee, in honore beatorum Martirum Mauricii & Adelberti & Pangraci ac Nicholai ac Georgii ac Blaſii, ſeu ad honorem*

D *Sanctorum Apoſtolorum ac Sancte Theodore ac Lucie, quorum Altare conſecravi ſubtus Confeſſione predicti Monaſterii, ideſt Monaſterium, quod nunc demolitum eſſe videtur, cui vocabulum fuit Sancti Laurentii, quod vocabulo a Summo Vico, quod poſitum fuit foris Porta Puſterule Sancti Zenonis, cum omnibus rebus & poſſeſſionibus atque pertinenciis ſuis, & cum omnibus ad predictum Monaſterium intus pertinentibus. Quod ſupraſcriptum Monaſterium integrum vobis damus & donamus atque concedimus cum omnibus rebus ac poſſeſſionibus, ut ſupra legitur. Ad habendum, tenendum, atque ad lucrum ac utilitatem prefati venerabilis Monaſterii Sancti Andree Apoſtoli Domini, quod* E *vocatur Majoris, poſidendum, ſicut ſupra legitur, & ad honorem ſupraſcriptorum Sanctorum Martirum. Ita tamen donec ego Heinricus gratia Dei Archiepiſcopus prelibatus vixero, ſemper in die conſecracionis mee, quod eſt Pridie Idus Marcii per unamquamque Monacha, quod ibi fuerint, canant pro facinoris meis ſingulum Pſalterium*, ac poſt obitum meum in die Anniverſarii mei ſimiliter celebrabitis nobis Miſ-

ſam

ſiam ac Pſalterium ; *ac omni annualiter perſolvere debeatis Hactoribus ſancte noſtre Ravennatis Eccleſie Denarios tres . Ac ne cuiquam preſens Preceptum aut prefatum Monaſterium, aut pertinenciis ejus alicui homini dare vel vendere, ſeu transferre per nullum ingenium vel argumentum , niſi tantummodo per enfiteuſin aut per pactum renovare , ſive per libellum ad fruges reddendum , ac ad lucrum ac utilitatem ipſius ſancti ac veneravilis loci beati Andree Apoſtoli ac beatorum ſupraſcriptorum Sanctorum Martirum . Si quis vero majoris vel minoris perſone contra hoc noſtrum Preceptum egerit, aut illum corrumperit , aut prefatum Monaſterium , aut ejus pertinentiis a jure & dominio prefati Monaſterii Sancti Andree Apoſtoli aut a beatorum ſupraſcriptorum Sanctorum Martirum , quorum Altare conſecravi , ſubtraxerit , trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum anathematis vinculo obligetur . Obſervator autem qui extiterit , Domini benedictione redundetur . Quam preceptionis noſtre pagine Deuſdedit Notarius ſancte noſtre Ravennatis Eccleſie ſcribendum juſſimus . Et ut verius ab omnibus credatur , diligenciuſque obſervetur , manu noſtra propria firmavimus , ſub die & menſe & Indictione ſupraſcripta Tertiadecima . Ravenne .*

Ceterum ſi Chartas ante tempora hactenus deſcripta exaratas verſabimus , utique paucæ occurrent , in quibus Donatores certum aliquem numerum Miſſarum pro ſe celebrandarum indicant . Verùm ſubſequentibus Sæculis ſenſim radices agere cœpit fortiores hic uſus , quamquam adhuc innumeræ donationes & tunc ſe nobis offerant , in quibus nullum hujuſmodi onus Eccleſiis imponitur . Apud Comitem Gaſparem Maſdonium Furnium Patricium Mutinenſem & Regienſem , antiquum adſervatur exemplum Chartæ teſtantis , *Arduinum Comitem Parmenſem* , Anno MLVIII. conſtituiſſe Beneficium in Cathedrali Regienſi quatuor Presbyteris , *qui omni tempore ad Altare Dei Genitricis Marie cantent Primam & Completam per unum quemlibet, & cum Letaniis celebrent Miſſas omni tempore uſque in perpetuum . Non inutile erit ipſam Chartam producere .*

Donatio prædiorum facta Cathedrali Regienſi ab Arduino Comite Comitatus Parmenſis pro quatuor Presbyteris Manſionariis ibi ordinandis, Anno 1058.

IN *nomine Dom. Dei eterni. Anno ab Incarnatione ejuſdem Milleſimo Quinquageſimo Octavo, XIII. menſis Martii, Indictione XI. Sancte autem matris Eccleſie Epiſcopio Sancte Dei Genitricis Virginis Marie ſita Regio , ego* Ardoinus Comes Comitatus Parmenſis , *& filius quondam Attonis , qui profeſſus ſum ex natione mea Legem vivere Langobardorum , offertor & donator ipſius Epiſcopii , preſens preſentibus dixi : Quiſquis in ſanctis ac venerabilibus locis ex ſuis aliquid rebus dederit , juxta Auctoris vocem , in futuro Seculo accipiet centuplum . Inſuper , quod melius eſt , vitam poſſidebit eternam . Ideoque prefatus Ardoinus Comes dono & offero in eodem venerabili Epiſcopio Sancte Dei Genitricis Virginis Marie , eo tamen ordine , ſicut heic ſubtus legitur , a preſenti die proprietario nomine , pro anima mea , & quondam Julitte , que fuit jugalis mea , & quondam genitoris , & genitricis mee mercede: hec ſunt; Caſas cum rebus & territoriis juris mei , quas habere viſus ſum in Quingente , locus qui vocatur Communie , & Bubiano , & in Gavaſſeto , atque in Marmirollo , & in Sablone , cum infraſcripta Plebe de Rivalta , & prope Regio in locis , que nominantur Coviollo , & in loco Breuli , & in Vico Disbragà , atque in Merſa . Illis rebus de Cugnente ſunt rectis per Martinum Leani & Aſpreciolo , & ſunt ſuper totis inſimul ſedimen cum vineis ſeu terris arabilis atque pratis juga quatuordecim & dimidium . Illis caſis cum rebus de Bubiano ſunt ſuper totis inſimul juga ſex inter ſedimen, cum vineis ſeu terris arabilis atque pratis , & fiunt rectis per Ongaro , qui dicitur de Barbudo . Illis caſis & rebus de predicto loco Gavaſſetto ſunt ſuper totis & inter ſedimen & areis , ubi vites exſtant , ſeu terris arabilis & pratis juga duodecim & dimidium , & ſunt rectis & laboratis per Gonzo Cuſinii de Sorte . Illis caſis & rebus de prefato loco Marmirollo, ſunt ſuper totis inter ſedimen cum vineis ſeu terris arabilis atque pratis , juga decem , & fiunt rectis per Johannem , qui dicitur Planzono . Et prefatis caſamentis & rebus de jam nominato loco Sablono ſunt per Inſtrumentum inter ſedimen cum vineis , ſeu terris arabilis & pratis juga octo , & fiunt rectis per Johannem, qui dicitur Abondo , & Martinum de Plano . Illis terris cum rebus , que ſunt infra Plebe de Rivalta , & prope Regio in jam nominatis locis Coviolo , locus Breuli , & Vico Disbragato , ſeu Merſa , ſunt ſuper totis etiam ſimul juga quinque in terris arabilis & pratis ſeu vineis , omnia in integrum . Que autem ſupraſcriptas caſis & omnibus rebus territoriis juris mei in prenominatis locis ſupraſcriptis , una cum acceſſionibus & ingreſſionibus & cum ſuperioribus & inferioribus ſupra , cum quantitatibus ſupraſcriptis , ad habendum ab hac die in eodem Epiſcopio venerabilis ſancte Dei Genitricis Marie predictis caſamentis & rebus dono & offero , eo verò ordine ſicut hìc ſubtus habetur.* Ut per inveſtituram Archipresbiteri & Archidiaconi de eodem Epiſcopio ordinentur quatuor Presbiteri , *abſque pecuniarum datione* , qui in eodem Epiſcopio omni tempore ad Altare prefate Dei Genitricis Marie cantent Primam & Completam per unum quemlibet , & cum Letaniis celebrent Miſſas omni tempore uſque in perpetuum, exceptis feſtivitatibus: ideſt unum diem pro ſalute vivorum , alium diem pro omnium Fidelium defunctorum , & pro animabus Arduini & Julitte ; ſeu genitoris & genitricis prefati Arduini . *Et ſi aliquis ex ipſis Presbiteris ab hac luce migraverit , alter ejus in loco ordinetur ſimiliter , ſine datione pecunie , per inveſtituram predictorum Archipresbiterorum & Archidiaconorum , qui pro tempore fuerint in jam dicto Epiſcopio . Quod ſi venerit (quod Divina potentia avertat) quod Pontifex de eodem Epiſcopio , vel aliqua magna parvaque perſona habeat meum factum aliter revolvere , niſi quomodo hoc meum factum declaratum legitur , tunc volo , & in omnibus affirmo, ut prefatis caſamentis & rebus tamdiu in mea , meorum-*

rumque heredum & proheredum poteſtate permaneant, quamdiu venerit poteſtas ex prefatis Presbiteris jam factis caſamentis & rebus eis libere & quiete habere permiſerit. Et faciant de ipſis caſamentis & rebus omni tempore, de frugibus & laboribus, ſive cenſu, quos de prefatis rebus Dominus annue dederit, ad eorum uſum & ſumptum proprietario nomine quidquid voluerint, ſi ita obſervatum eſt, ut ſupra habetur, ſine omni mea & heredum meorum contradictione. Veruntamen ne liceat predictis Presbiteris jam dictas res in viles conferre perſonas, per quas Eccleſia damnum patiatur, vel uſus terrarum minoretur. Quidem & ſpondeo atque promitto me Ego predictus Ardoinus Comes, una cum meis heredibus, pars ſupraſcripto Epiſcopio in fatis caſamentis & rebus omni tempore ab omni homine defenſare; quod ſi defendere non potuerimus, aut ſi pars jam dicti Epiſcopii per quovis ingenium ſubtrahere queſierimus, tunc in duplum iſtis caſamentis & rebus, ſicut ſupra habetur, reſtituatur pars predicta Epiſcopii, ſicut pro tempore fuerit, melioratis, aut valuerit, ſub eſtimatione in cunſimilibus locis. Si quis verò de meis heredibus vel proheredibus, vel aliqua magna parvaque perſona hanc meam offerſionis Cartam irrompere vel frangere tentaverit, Dei omnipotentis, Sanctorumque omnium recipiat maledictionem, & in die Judicii non cum Angelis ad dextram Dei veniat, ſed cum Diabolo in perpetuo igne permaneat. Fiat, fiat. Quia ſic in omnibus mea decrevit bona voluntas pro anima mea, & quondam Julitte, ſeu genitoris & genitricis mee mercede. Hanc enim Cartam offerſionis mee paginam Romanus Judex ſacri Palatii ad ſcribendum dedi atque rogavi: in qua ſubter confirmans teſtibus, quos obtulit roborandam.

Actum in Caſtro, quod vocatur Cella: feliciter.

Signum manus iſtius Ardoini Comitis, qui hanc Cartam iſtius offerſionis, ut ſupra fieri rogavit.

Signa manus Ingezoni, & Bernardo, ſeu Alberti, Lege viventes Longobardorum, rogati ſunt teſtes, & alii plures.

Scripſi ego quidem Romanus Judex ſacri Palatii poſt tradita complevi & dedi.

Arduinus iſte Comes dubito ego, num Parmenſi Civitati præfuerit, an potius in Parmenſi agro Comes fuerit. Is enim in altera Charta Anno MLXII. ſcriptâ appellatur *Arduinus Comes de Comitatu Parmenſi*. Quare ſuſpicioni juſtæ locus eſt, ipſum fuiſſe unum ex Comitibus ruralibus, e quibus non pauci eo Sæculo emergere cœperunt. Sed quæſtionem hanc verſavi ſupra in Diſſertatione VIII. *de Comitibus*, ubi alias Chartas ſpectantes ad hoſce ipſos Comites evulgavi. Clariſſimus Bacchinius in Hiſtoria Monaſterii Padolironenſis pag. 38. Appendic. Chartam exhibet Anno MXLV. exaratam, ubi occurrit *Gisla filia Arduini filium quondam Attonis de Comitatu Parmenſi*, utique ſupra laudati Comitis Arduini filia. Tum alteram Chartam profert Anno MLIV. ſcriptam, in qua legitur *Arduinus Comes de Comitatu Parmenſe, filiuſque Attonis*. Sunt & apud eumdem Bacchinium pag. 33 tabulæ confectæ Anno MXCV. ibique hæc verba: *Ego Ubertus filius quondam Arduini Comitis Parmenſis*. Recte conjicit idem Bacchinius, Arduinum hunc Comitem Attonis filium, ex eodem ſtipite progenitum, ac Bonifacius Marchio & Dux Tuſciæ, pater celeberrimæ Comitiſſæ Mathildis. Sed ut ad Chartam nuper a me productam regrediar, ibi videas impoſitum Presbyteris iis onus celebrandi ſacrum ſingulis diebus, *exceptis feſtivis*, *ideſt uno die pro ſalute vivorum*, *altero*, *pro omnium Defunctorum*, & ipſius *Arduini* donantis & *Julittæ* uxoris ſuæ *animabus*. En qualis tunc mos eſſet conſtituentibus *Manſionarias*, *Cappellanias*, atque hujuſmodi Beneficia Eccleſiaſtica. Quam rem confirmabunt geminæ aliæ Chartæ, ſimile onus imponentes in fundatione alterius *Manſionariæ* in Cathedrali Regienſi. Debeo illas prælaudato Comiti Maldonio Furnio.

Odo & Ardoinus fratres, filii quondam Guidonis Comitis Regienſis, novis redditibus augent Manſionariam ab eorum patre fundatam in Cathedrali Regienſi, Anno 1073.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Septuageſimo Tertio, X. die intrante menſis Aprilis, Indictione XI. Eccleſie Sancte Marie matris, ſita Regio. Nos Odo & Ardoino fratres & filii quondam Guidonis de Comitatu Regienſi, atque Aldegarda mater ipſorum, relicta ſupraſcrpiti Guidonis, *qui profeſſi ſumus ex natione noſtra, Lege vivere Longobardorum, conſentientibus mihi, cui ſupra Aldegarda ſupraſcripta filiis & mundoaldis meis, offertores & donatores ipſius Eccleſie diximus: Quiſquis in ſanctis & venerabilibus locis &c. Ideoque nos, qui ſupra, mater & filii donamus & offerimus in eadem Eccleſia Sancte Marie*, ad Manſionariam, quam ſupraſcriptus Guido genitor noſter conſtituit in eadem Eccleſia, *pro animarum noſtrarum & ſupraſcripti Guidonis genitor noſter, & fratrum ipſorum mercede, eo tenore, ut ſubter legitur: hoc eſt. Maſſaricia una de terris juris noſtri, que rejacent in loco, ubi dicitur Valo nominative, que ſit recta & laborata per Martino Maſſario, & eſt per menſuram juſtam inter ſedimen & areis, ubi vites exſtant, ſeu terras arabiles, jugera .... ut dictum eſt, cum caſis & ſediminibus, ſeu reliquis terris, campis, pratis, paſcuis, ſilvis, inſulis, ripis, rupinis, paludibus, cultis & incultis, diviſis & indiviſis, una confinibus, terminibus, acceſſionibus earum rebus per loca & vocabula ad ſupraſcriptam Maſſariciam pertinentia in integrum. Que ſupraſcripta Maſſaricia juris noſtri ſupradicta, una cum acceſſionibus & ingreſſionibus, ſeu cum ſuperioribus & inferioribus ſuis, qualiter ſuperius dicitur, ab hac die in eadem Eccleſia Sancte Marie* ad Manſionariam *donamus & offerimus, & per preſentem Cartam offerſionis ibidem habendam confirmamus: eo verò ordine*; Ut Presbiteri, qui inibi ſunt ordinati, cantent Primam & Completam ad horam legitimam & Miſſam celebrent cum Tanais una die pro ſalute vivorum, alia die pro requie defunctorum, omni die, excepta die Dominica, & feſtivis diebus, pro remedio anime noſtre & parentum noſtrorum: *habeant ſupraſcriptam* A *Maſſariciam ad eorum uſum & ſumptum, qui nunc ordinati ſunt, vel in antea ordinati fuerint, ſecundùm inſtitutum ſupraſcripti Guidonis genitoris noſtri, ſcilicet abſque datione pecunie. Et ſi Epiſcopus, vel ulla alia perſona ſupraſcriptam Maſſariciam eiſdem Presbiteris, qui ibi ordinati fuerint, tollere voluerit, vel aliquem per pecuniam ordinare ibi, aut aliter revolvere quàm conſtitutum eſt, preſumſerit, tunc volumus, ut ſupraſcripta Maſſaricia deveniat in noſtra poteſtate vel heredum ac proheredum noſtrorum, donec ita adimpleatur, ſicut a nobis conſtitutum eſt. Ita ut faciant exinde Presbiteri, qui nunc, vel pro tempore fuerint, ad eorum uſum & ſumptum quidquid voluerint* B *ſine omni noſtra & heredum noſtrorum contradictione. Quidem & ſpondemus & promittimus nos, qui ſupra, mater & filii, una cum noſtris heredibus parti ipſius Eccleſie, ſupraſcriptam Maſſariciam, qualiter ſupra, ab omni homine defenſare. Et ſi defendere non potuerimus, aut ſi parti ipſius Eccleſie exinde aliquid per quodvis ingenium exinde ſubtrahere queſierimus, tunc in duplum eamdem Maſſariciam, ut ſupra, parti ipſius Eccleſie reſtituemus, ſicut pro tempore meliorata fuerit, aut valuerit ſub eſtimatione in conſimilibus locis. Si quis verò de heredibus aut proheredibus noſtris, vel ulla alia perſona hanc offerſionis Cartam irrumpere tentaverit, maledictionem Dei Patris* C *omnipotentis, & omnium Sanctorum habeat. Hanc enim Cartam offerſionis pagine Petri Notarii tradidimus, & ſcribere rogavimus; in qua ſubter confirmamus, teſtibuſque obtulimus roborandam.*

Actum Regio feliciter.

Signum manus ſupraſcripti Ardoini, atque Aldegarde, qui hanc Cartam offerſionis fieri rogaverunt, ut ſupra.

Signum manus Rolandi, & Ingezonis, ſeu Johannes, Lege Longobardorum viventes, rogati teſtes.

Ego qui ſupra Petrus Notarius ſacri Palatii, ſcriptor hujus Carte offerſionis, poſt tradita complevi & dedi.

Guido, Ardoinus, atque Odo fratres, filii quondam Guidonis Comitis Regienſis, nova dona conferunt Manſionariæ ab eorum genitore fundatæ in majori Templo Regienſi, Anno 1073.

In nomine Sancte & individue Trinitatis. Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti MLXXIII. die III. menſis Septembris, Indictione XI. Eccleſie Sancte Marie matris, ſite Regii. Nos Guido, & Ardoinus, atque Odo germani filii quondam Comitis Guidonis de Comitatu Regienſi, atque Ildegarda mater ipſorum, relicta ſupraſcripti Guidonis; *qui profeſſi ſumus omnes ex natione noſtra, Lege vivere Longobardorum, conſentientibus mihi etiam Ildegarde ſupraſcriptis filiis, & mondoaldis meis, offertores & donatores ipſius Eccleſie, preſentes preſentibus diximus: Quiſquis in ſanctis &c. Ideoque nos quidem mater & filii donamus & offerimus in eadem Eccleſia Sancte Marie* ad Manſionariam, quam ſupraſcriptus genitor noſter conſtituit in eadem Eccleſia, *pro animarum noſtrarum, & ſupraſcripti genitoris noſtri, ſeu* Gerardi *fratris noſtri mercede eo tenore, ut ſubter legitur. Hec eſt Maſſaricia una de terra juris noſtri, que rejacet in loco, ubi dicitur Bibiano, nominative, que fit recta & laborata per Johannem & filios Amizoni; & eſt inter ſedimen & areis, ubi vites exſtant, ſeu terris arabilis, jugera decem. Quam autem ſupraſcriptam Maſſariciam juris noſtri ſupradictam, una cum acceſſionibus & ingreſſibus, ſeu cum ſuperioribus & inferioribus ſuis, qualiter ſupra dicitur, ab hac die in eadem Eccleſia Sancte Marie* ad Manſionariam *donamus & offerimus, & per preſentem Cartam offerſionis ibidem ad habendum confirmamus. Eo verò ordine*, ut Presbiteri, qui nunc ibi ſunt ordinati, cantent Primam & Completam ad horam legitimam, & Miſſam celebrent cum Letaniis, una die pro ſalute vivorum, alia pro requie defontorum omni tempore, excepta die Dominica, & feſtivis diebus, *pro remedio ſupraſcripti genitoris noſtri, ſeu Gerardi* A *fratris noſtri, & noſtrorum. Habeant ſupraſcriptam Maſſariciam ad eorum uſum & ſumptum, qui nunc ordinati ſunt, vel in antea ordinati fuerint, ſecundùm inſtitutum ſupraſcripti Guidonis genitoris noſtri, ſcilicet abſque datione pecunie. Et ſi Epiſcopus, vel alia perſona ſupraſcriptam Maſſariciam &c.* (uti in præcedenti Charta.) *Hanc enim Cartam offerſionis pagine Leoni Notario tradimus, & ſcribere rogavimus, in qua ſubter confirmamus, teſtibuſque obtulimus roborandam.*

Actum Regii, feliciter.

Signum manus ſupraſcripti Guidonis, & Ardoini, atque Ildegarde, qui hanc Cartam offerſionis fieri rogaverunt, ut ſupra.

B *Signum manus Petri, & Dignini Manfredi, Lege Longobardorum viventium, rogati teſtes.*

Ego quidem Leo Notarius ſacri Palatii, Scriptor hujus Carte offerſionis, complevi & dedi.

Nunc mecum Lector, ſi lubet, accedat ad Sæculum Chriſti Duodecimum, atque ad celebre Caſinenſe Cœnobium, ex cujus Archivo tres alias Chartas elicere mihi licuit, non inutiles ad oſtendendum, quibus pactis eo tempore obligarentur dona facta Locis ſacris. Prima pertinet ad Raonem filium quondam Rahelis, Teani Dominum, præcipientem, ut Monachi *per ſingulos menſes ſequenti die poſt Kalendas habeant refectionem pro anima mea;* C *& faciant in eiſdem diebus, nec non per Anniverſarios dies noſtros in commemoratione noſtra plenarium Defunctorum Officium, quemadmodum faciunt in Anniverſariis diebus Ducis Roberti Viſcardi, & Sikelgaitæ uxoris ejuſdem &c.* Sacrificia iſta unice offerenda videntur pro anima donatoris ipſius.

Oblatio terrarum Caſinenſi Monaſterio facta a Raone filio quondam Rahelis, Teanenſis Urbis Domino. Anno 1140.

IN *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno ab Incarnationis ejus Millesimo Centeſimo Quadrageſimo, menſe Martio, Indictione III.* Ego Rao, filius quondam Rahelis, Thianæ Civitatis Dominus, *dono, offero, atque concedo Monaſterio Sancti Benedicti, quod ſitum eſt in Monte Caſtro Caſini, & tibi* Domno Raynaldo de Columento *ejuſdem loci* Abbati: *ideſt omnes terras & vineas & villanos & molendinum, quod eſt ad Pontem ligneum; quæ habeo & poſſideo in Terra Sancti Benedicti, quæ fuerant quondam Dominæ Hodiernæ Marſicanæ: præter unum hortale, quod ante hos annos dedi Caſinenſi Hoſpitali, cujus Cuſtos & Rector erat Domnus Jeorgius Monachus; & præter domum, quæ fuit ejuſdem Hodiernæ, quam mihi reſervo, & virum quemdam nomine Zoffum Johannis Fuſti cum rebus ſuis. Concedo etiam præfato Monaſterio, & jam dicto Domno Abbati molendinum illud, quod conſtruxit* Domnus Abbas Senjorectus *juxta Civitatem Sancti Germani, in loco, ubi dicitur ad Roforſorium: & quinque Apothecas Amalphitanorum: quæ omnia erant obligata pignori, pro quibus recolligendis, ex voluntate Domni Abbatis & Fratrum, dedi Libras Denariorum Papienſium quadraginta. Hoc videlicet modo*, ut ex reditu jam dicti molendini & villanorum habeant Fratres Caſinenſes per ſingulos menſes ſequenti die poſt Kalendas refectionem pro anima mea, & Agneſis uxoris meæ, ac Goffredi de Aquila Generi mei, & Aderictiæ filiæ meæ, uxoris ſuæ, & aliorum parentum noſtrorum. Et faciant in eiſdem diebus, nec non per Anniverſarios dies noſtros in commemoratione noſtra plenarium Defunctorum Officium, quemadmodum faciunt in Anniverſariis diebus Ducis Roberti Viſcardi, & Sikelgaitæ uxoris ejuſdem. Quod ex reditu prædictarum Apothecarum, & ex fructibus terræ, vinearum, & hortorum, & prædicti molendini, quod eſt ad Pontem ligneum, pervenerit, totum in veſtibus Fratrum detur, A expendatur, atque proficiat. *Neque liceat nobis, vel heredibus noſtris, ullo tempore nolle, quod volumus, ſed quod a nobis ſemel factum eſt, in perpetuum obſervare promittimus. Et inſuper obligamus nos & heredes noſtros, quod ſi hanc noſtram donationem, oblationem, atque concesſionem infringere vel removere quæſierimus, vel ſi calumniam ſeu moleſtationem prædicto Monaſterio aut Rectoribus ejus facere temptaverimus, promittimus & obligamus nos ſoluturos præfato Monaſterio & Rectoribus ejus auri optimi Libras quadraginta, & poſt pœnam ſolutam hæc noſtra donatio, oblatio, atque concesſio firma & inviolabilis permaneat ſemper.*

B *Hanc autem oblationis, ſeu notationis, ſeu concesſionis Cartam ſcripſi ego Johannes Diaconus, & Curiæ Notarius ex rogatu prædicti Domini Raonis.*

Actum in ſupradicto Monte Caſtro Caſino.

✠ *Ego qui ſupra Rao filius Rahelis, ſignum Crucis feci.*

✠ *Ego qui ſupra Goffredus de Aquila, ſignum Crucis feci.*

✠ *Ego Rao filius Gulielmi, ſignum Crucis feci.*

✠ *Ego Tanceredus filius quondam Petri Canzolini, ſignum Crucis feci.*

✠ *Ego Belgrinus Judex ſubſcripſi.*

✠ *Ego Petrus Decanus Theanenſis.*

C

Libro Quarto Cap. 44. Chronici Caſinenſis memoratur hic idem *Rao Teanenſis Civitatis Comes*. Jamque habes, Sæculo XII. multum invaluiſſe Anniverſarios dies, ſive juſta quotannis perſolvenda animabus beneficæ gentis: qui ritus, uti jam monui, aliquot antea Sæculis fuerat inſtitutus. Hoc autem luculentius perſpicies in Charta ſequenti, quæ ad Cœnobium alterum Caſinenſi ſubjunctum ſpectat, ubi agitur de terris, quæ *Congregationi antea ab hominibus defunctis pro ſuis Anniverſariis faciendis datæ fuerant.*

Raynaldus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis & Abbas Caſinenſis, confirmat Monaſterio ſancti Angeli ad Formas ordinationem antea factam a Stephano ejuſdem Præpoſito, Anno 1159.

I*N nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno Incarnationis ejus Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Nono, Indictione Septima. Cum quadam die nos* Raynaldus *Dei gratiâ* Cardinalis & Caſinenſis Abbas *apud Sanctum Angelum in Formis moraremus, retulerunt ipſi Fratres, quod eorum* Præpoſitus, Stephanus *nomine, quandam ordinationem fecerat de quibuſdam petiis de terra, quas ſupradictus Præpoſitus tempore ſui Præpoſitatus acquiſierat*, & de nonnullis aliis terris, quæ Congregationi antea ab hominibus defunctis pro ſuis Anniverſariis faciendis datæ fuerant, & de quodam Molendino. *Ordinatio autem ſic acta fuerat, ſcilicet, ut ſingulis annis refugium, quod de illis terris exierit, & de ſupraſcripto Molendino*, in Anniverſariis, quæ in eorum Regula ſcripta ſunt, *expendantur. Quicquid autem reſiduum fuerit, in miſericordiis Fratrum dividatur. Quod illis referentibus & nobis audientibus, placuit nobis; & ſicut ipſe prædictus dilectus Frater noſter Stephanus Præpoſitus ordinarat, conceſſimus, confirmavimus, & ſtabilivimus,* A *ut quicumque jam dictam ordinationem violare temptaverit, excommunicationi ſubjaceat, niſi congrua ſatisfactione emendaverit.*

✠ *Ego qui ſupra Raynaldus Dei gratiâ Cardinalis & Caſinenſis Abbas ſignum Crucis feci.*

Ego Frater Moyſes Diaconus Monachus.

Ego Frater Bernardus Sacerdos Monachus.

Heic tantummodo mentio eſt *Anniverſariorum*, quo nomine incertum eſt, num Officium dumtaxat Defunctorum cum ſolenni Miſſâ celebratum deſignetur, an etiam Sacrificia alia forent adjungenda. Attamen per ea quoque tempora a nonnullis exactum fuiſſe certum B illorum numerum, ex alia Charta patebit, in qua Monachi pollicentur, *ſe omnibus Kalendis Miſſas celebraturos pro peccatis* ſodalis de ſe bene meriti, *dum ille vixerit; & poſt ejus mortem ſimiliter celebraturos Miſſas pro Defunctis*. En ipſam Chartam ex eodem Archivo Caſinenſi depromtam.

Donatio facta Monaſterio Sancti Angeli ad Formas a Fratre Petro Rufo ejuſdem Cœnobii Præpoſito cum quibuſdam conditionibus, Anno 1145.

I*N nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Centeſimo Quadrageſimo Quinto, XV. Anno, regnante* Domino *noſtro* Rogerio Rege, *menſe December, Indictione VIII. Dum quadam die* Domnus Raynaldus *Dei gratiâ* Cardinalis & Caſinenſis Abbas, *veniſſet ad Monaſterium Sancti Angeli ad Formas, ego* Frater Petrus Rufus Præpoſitus *præfati* Monaſterii Sancti Angeli, *per juſſionem & licentiam jam dicti Domni Raynaldi Caſinenſis Abbatis, invicem dedi & tradidi triginta modio terrarum Sacrario ejuſdem Monaſterio Sancti Angeli, ſicut habetur in Cartis, quas jam eidem Sacrario tradideram, hoc videlicet tenore* . . . . fructibus vel lucro earum terrarum quibuſque Kalendis Fratribus dicti Monaſterii Sancti Angeli refectio præparetur. Reliquum verò, quod ſuperfuerit in Olibanum & Ceram ad obſequium præfati Sacrarii expendatur: *ſalvo tamen eo, quod eidem Sacrario debebatur. Et* promiſerunt Fratres *ejuſdem Monaſterii Sancti Angeli, ex auctoritate prædicti Domni Raynaldi Caſinenſis Abbatis*, ſe omnibus Kalendis Miſſas celebraturos pro peccatis meis, dum vixero: poſt mortem verò meam ſimiliter celebraturos Miſſas pro Defunctis. *Unde jam dictus Domnus Raynaldus Dei gratiâ Caſinenſis Abbas, cum tota Congregatione, excommunicavit, ſi quando per quodlibet ingenium, vel humanam aſtutiam aliquis prædictas terras a* C *prædicto Sacrario ſecundùm jam dictum tenorem ſubtrahere voluerit, & qui prædictam conſtitutionem removere quæſierit.*

Ego qui ſupra Raynaldus Dei gratiâ Cardinalis & Caſinenſis Abbas ſubſcripſi.

✠ *Ego qui ſupra Frater Petrus Rufus Præpoſitus, ſignum Crucis feci.*

Ego Frater Riccardus Sacerdos & Monachus & Decanus ſubſcripſi.

Ego Frater Landulfus Sacerdos & Monachus Sacriſta hujus Monaſterii ſubſcripſi.

Ita Anno MCXCIII. Ricciardus Ayelli Comes, ut habet Charta ab Ughellio edita Tom. 7 Ital. Sacræ, in Archiepiſcop. Sipontin. multa donat Salernitano Clero, eâ conditione D adjectâ, *ut ſingulis diebus Miſſam viciſſim cantent pro ſalute ſua, & filiorum ipſius*; & anniverſario die mortis ſuæ *omnes Sacerdotes pro anima ipſius Comitis Miſſas devote cantent*. Attamen inter tot monumenta ejuſdem Sæculi Duodecimi adhuc deprehendas parce impoſita, ac parce ſuſcepta onera certa Miſſarum pro ſingulis celebrandarum. Proxime ſequenti Sæculo ſacris Familiis Fratrum, ut appellabant, Mendicantium Eccleſia aucta eſt. Tunc lora laxata ſunt offerentibus dona Templo; & vix quiſquam fuit, qui non exinde quaſlibet pias oblationes acciperet, quamquam duris oneribus & conditionibus gravatas. Tunc nullus modus fuit in præſcribendis & exigendis Anniver-

niverſariis ac Miſſis. Perpetuæ etiam Miſſæ ſæpius ac liberalius inſtitutæ ſunt; & quum Sacrum offerre pro conferente eleemoſynam jam invaluiſſet, quiſque ſtudere ſolicite cœpit, ut ex hujuſmodi uſu lucrum qualecumque poſſet, in ſe aut in ſuum cœtum derivaret. Paucis dicam. Eo ſenſim nonnullorum cupiditas proceſſit, ut plura, quàm ferri poſſent, onera ſuſciperentur, ne alieni fundi, aut pecunia, aut oblationes cujuſcumque generis, ſibi elaberentur e manibus. Propterea inter Theologos morum Magiſtros emergere cœperunt variæ hac de re quæſtiones; & Tridentina Synodus, atque Apoſtolica Sedes coactæ ſunt poſtmodum varia promulgare antidota ac medicamina, tum ad avertendos, tum ad curandos morbos non leves, neque paucos humanæ Avaritiæ, quæ in Sanctuarium ipſum irrepere interdum audet. Sed heic plura addere non juvat.

Solemne quoque fuit Majoribus noſtris, præcipue poſt Sæculum a Chriſto nato Decimum, Dedicationes, ſive Conſecrationes Templorum, ſumma pietate ac pompa, & immani Populorum concurſu celebrare. Ii præ ceteris feliciores reputati, quibus contingebat, ut Apoſtolicæ Sedis Præſules aut per loca illa tranſirent, aut conſulto (precibus nempe victi) illuc proficiſcerentur. Tunc enim & Populi religio, & gloria loci augebatur, ſi Pontificis Maximi majeſtas aderat, ac Baſilicam dedicabat. Eam ob cauſſam complures annos differebatur ſolemnis Templorum Conſecratio, ſperantibus Civibus, aut Monachis, adducendum aliquando ad eorum vota Romanum Pontificem. Quantâ magnificentiâ dedicata fue- A rit Anno MLXXI. Baſilica Monaſterii Caſinenſis ab Alexandro II. Papa, pluribus narrat Leo Marſicanus in Chronici Caſinenſis Lib. 3. Cap. 30. Reliqua exempla prætereo. Porro exploratum eſt, ex remotioribus Eccleſiæ Sæculis, immo & ex Judæorum ſacrâ diſciplinâ deſcendere ſolemnem hunc ritum Dedicationum & Conſecrationum Templorum, effuſumque in iis gaudium Populorum. Neque ſecus factum ab ipſis Ethnicis, uti Laurentius Pignorius in Symbol. Epiſtolic. Epiſtolâ 32. oſtendit, cui grati animi cauſsâ adtexo virum alterum doctiſſimum, & amicum meum, ſcilicet Alexium Symmachum Mazochium Canonicum Capuanum, qui Anno MDCCXXVII. in erudito B Opere *de Campano Amphitheatro*, Cap. 3. Diatribam de Dedicationibus inſtituit. Vide quæ de noſtra Cathedrali Mutinenſi, in quam Corpus Sancti Geminiani Epiſcopi, & Patroni Urbis, transferendum erat, ſcripſit Anno Chriſti MCVI. Anonymus quidam, ſed ſynchronus, Tomo VI. Rer. Italicarum. Porro quàm prolixis ac religioſis cæremoniis pia iſta ſpectacula peragerentur, & adhuc in Eccleſia Dei peragantur, ignotum minime eſt Eruditis. Attamen qualis hic ritus antiquis Sæculis fuerit, ante oculos Lectorum ſiſtere ſtatui, hoc eſt, evulgare Ordinem a Romana Eccleſia olim præſcriptum atque adhibitum ad dedicandam Baſilicam. Illum e vetuſtiſſimo Sacramentario C MSto, adſervato in Bibliotheca Eminentiſſimi & ampliſſimi Cardinalis Petri Othoboni, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarii, deſcripſit olim doctiſſimus vir & Monachus Benedictus Bacchinius, & mihi vivens tradidit.

Ordo Romanus ad dedicandam Baſilicam.

„ PRimitus vadit Epiſcopus, indutus veſti- A
„ bus ſacris ad Eccleſiam, vel ad locum,
„ ubi Reliquiæ repoſitæ ſunt, & facit
„ Letaniam, & dat Orationem hanc: *Auſer a*
„ *nobis, Deus, &c. Fac nos Sanctorum tuo-*
„ *rum, Deus &c.* Poſtea ponit Reliquias in
„ patena, & porrigit eas Presbyteris in ulnas
„ ſuas ſuper ſindonem, quam habent in collo
„ ligatam; & cooperit illas: & exeunt pſal-
„ lendo, cum jocunditate exhibentes & cum
„ gaudio. Et pergunt ad Eccleſiam novam,
„ ubi recludi debent Reliquiæ. Et antequam
„ Pontifex introëat in Eccleſiam, Diaconus
„ recludatur in ipſa. Et illuminentur duodecim
„ Candelæ in circuitu Eccleſiæ. Et induat ſe
„ veſtimentis ſacris. Et quum venerit ad oſtium B
„ Eccleſiæ, percutiens ter ſuper liminare cum
„ (a) Cambuttâ ſuâ; dicens antiphonam iſtam:
„ *Tollite portas &c.* Reſponſum det Diaco-
„ nus intro. *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Ite-
„ rum Pontifex ſimiliter dicat, & Diaconus
„ ut ſupra uſque tertia vice: *Dominus virtu-*
„ *tum ipſe eſt Rex gloriæ.* Reſpondeat: *Deo*
„ *gratias.* Et aperto oſtio, intrans Eccleſiam
„ cum Miniſtris duobus vel tribus, dicat:
„ *Pax huic domui.* Reſpondeatur: *Amen.*
„ Et clauditur oſtium Eccleſiæ. Deinde inci-
„ pit Clerus Letaniam. Et quum venerit Sa-
„ cerdos ante Altare, proſternat ſe cum Mini-
„ ſtris ſuper ſtramenta, uſque dum dicat Schola:
„ *Agnus Dei.* Ut autem ſurrexerint ab oratio- C
„ ne; dicat Pontifex excelſa voce: *Oremus.*
„ Et dicat Diaconus: *Flectamus genua.* Poſt-
„ quam oraverint, dicatur: *Levate.* Et tunc
„ ſequatur Oratio: *Magnificare, Domine*
„ *Deus noſter &c.* Deinceps Pontifex a ſiniſtro
„ angulo ab oriente incipiat ſcribere per pavi-
„ mentum cum Cambutta ſua Alfavetum
„ uſque in dextrum angulum orientalem. In-
„ cipiens igitur ſimiliter de dextro angulo
„ orientali Alfavetum ſcribat uſque in ſiniſtrum
„ angulum occidentis. Deinde veniens ante
„ Eccleſiam dicat: *Deus, in adjutorium meum*
„ *intende*, cum *Gloriâ*, abſque *Alleluja*.
„ Inde benedicat ſalem & aquam cum cinere
„ mixtam, & dicat hanc Orationem: *Exor-* D
„ *cizo te, Creatura aquæ. Deus qui ſalutem*
„ *humani generis &c.*

Sequitur Exorciſmus ſalis:

„ EXorcizo te, *Creatura ſalis, per Deum*
„ *vivum, per Deum ſanctum, per Deum*
„ *totius Creaturæ, qui te per Heliſæum Pro-*
„ *phetam in aquam mitti juſſit, ut ſanaretur*
„ *ſterilitas aquæ; qui per Apoſtolum Paulum*
„ *dicere dignatus eſt: Sit cor veſtrum ſale*
„ *conditum. Ideoque efficere ſal exorcizatum*
„ *ad evacuandum & expellendum inimicum,*
„ *omnemque virtutem & putredinem, in nomi-*
„ *ne Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui &c.* Et E
„ miſcet ſalem cum cinere. Facit exinde cru-
„ cem ſuper ipſam aquam, dicens: *Exorcizo*
„ *te Creatura aquæ.* Deinde ponit vinum in
„ ipſa aqua benedicta, dicens: *Omnipotens*
„ *ſempiterne Deus, creator & conſervator &c.*
„ Inde faciat crucem digito ſuo cum ipſa aqua
„ in dextera parte Altaris, & per quatuor
„ cornua. Inde cum hyſſopo adſpergat Altare
„ in circuitu ſeptem vicibus, canendo antipho-
„ nam: *Adſperges me hyſſopo*, cum Pſalmo
„ *Miſerere mei Deus &c.* Tunc eat in circuitu
„ Eccleſiæ per parietes ſpargendo, de dextra
„ parte incipiens, uſque dum veniens ante Al-
„ tare, ſpargat iterum in circuitu Eccleſiæ,
„ antiphonam cantando: *Exſurgat & diſper-*
„ *dat &c.* cum Pſalmo ipſo. Iterum veniens
„ ante Altare, ſpargat in circuitu Eccleſiæ,
„ antiphonam canendo: *Qui habitat &c.* cum
„ ipſo Pſalmo. Et mittat ex Miniſtris & Cle-
„ ricis duos vel tres, qui extrinſecus Eccleſiæ
„ parietes una vice pſallentes ſpargant. Iterum
„ ipſe Pontifex eat de Altari, ſpargendo per
„ medium Eccleſiæ in longum & in latum,
„ crucem faciendo, & per omne pavimentum
„ ſpargendo, cum antiphona: *Domus mea &c.*
„ cum verſu: *Narrabo nomen tuum &c.* &
„ cum *Gloriâ*. Et quum veniens in medium
„ Eccleſiæ, dicat: *Oremus*. Et Diaconus
„ dicat: *Flectamus genua. Levate.* Et di-
„ cat Pontifex Orationem: *Deus, qui loca*
„ *nomini tuo &c.* Iterum dicat excelſa voce:
„ *Oremus*, & Diaconus, ut ſupra:

Conſecratio.

„ DEus, *ſanctificationum omnipotens domi-*
„ *nator &c.* Tunc eat ante Altare canen-
„ do antiphonam: *Introibo ad Altare &c.* cum
„ Pſalmo: *Judica me Deus &c.* Tunc faciat
„ (b) maltam de calce, & tegula, cum aqua
„ benedicta, & poſtea ipſam aquam, quæ re-
„ manet fundat ad baſim Altaris. Et exter-
„ gatur Altare de linteo. Poſtea offerat in-
„ cenſum, & mittat oleum ſuper Altare, in
„ medio crucem faciens, & ſuper quatuor cor-
„ nua, cum antiphona: *Erexit Jacob lapidem*
„ *&c. Quàm dilecta &c.* Et unguat manu ſua
„ totum illud Altare. Alius verò Sacerdos fa-
„ ciat incenſum in circuitu Altaris. Expleto
„ Pſalmo, mittat iterum oleum, ſicut prius
„ canendo antiphonam: *Ædificavit Moyſes &c.*
„ cum Pſalmo: *Dominus noſter &c.* Et mittat
„ chriſma ſuper Altare, cum antiphona:
„ *Ecce odor filii mei &c.* & Pſalmo *Fundamen-*
„ *ta &c.* Deinde in circuitu Eccleſiæ per pa-
„ rietes de dextro uſque in dextrum faciat
„ cruces cum pollice de chriſmate in duode-
„ cim locis, dicens: *Sanctificetur hoc Templum*
„ *in nomine Patris &c.* Inde faciens crucem
„ incenſi ſuper Altare, dicat hanc Orationem
„ ſuper Altare; *Dei Patris omnipotentis miſe-*
„ *ricordiam &c.* Iterum dicat: *Oremus*; &
„ Diaconus, ut ſupra. *Deus omnipotens, in*
„ *cujus honore Altare hoc ſub invocatione &c.*
„ Deinde dicat antiphonam iſtam: *Confirma*
„ *hoc Deus &c.* adjungens *Gloria Patri &c.*
„ Inde benedicat tabulas his verbis ſuper Al-
„ tare,

(a) Cambutta, *Cambata, Cambuca, Gambutta, Baculus incurvatus, Virga Paſtoralis Epiſcoporum*, inquit Du-Cangius in Gloſſario Med. Latinitat. pag. 696.

(b) Malta, *Cæmentum, Mortier*, apud eumdem Du Cangium pag. 370. Hac ſignificatione vocabulum iſtud *Malta* in Italicum noſtrum Idioma jamdudum invectum fuit.

A „ tare, dicens : *Per illud propitiatorium, quod*
„ *ſe in Altare Crucis pro nobis redimendis ob-*
„ *tulit immolandum, cujus præfiguratione Pa-*
„ *triarcha Jacob lapidem hunc erexit in titu-*
„ *lum, quo fieret ſacrificium, ut portæ cæli*
„ *deſuper aperiretur oraculum, ſuppliciter ti-*
„ *bi, Domine, preces fundimus, ut metalli hu-*
„ *jus expoliti materiem, ſupernis ſacrificiis im-*
„ *buendam, ipſe tuæ dotare ſanctificationis*
„ *ubertate præcipias, qui quondam lapideis Le-*
„ *gem ſcripſiſti in tabulis. Per &c.* Poſt *Amen*,
„ dicat : *Deus omnipotens, univerſarum rerum*
„ *rationabilis artifex &c.* Alia : *Domine, ſan-*
„ *cte pater, omnipotens æterne Deus, clemens*
„ *& propitius &c.* Præfatio excelſa voce : *Sur-*
B „ *ſum corda* : Reſpondeatur : *Habemus &c.*
„ *Gratias agamus Domino Deo noſtro.* Reſpon-
„ deatur : *Dignum & juſtum eſt* ; uſque ad
„ *æterne Deus, qui poſt offendicula lapſus &c.*
„ ut in Pontificali. *Adſit igitur redemtionis*
„ *tuæ ineffabilis pietas, & ſuper hos lapides*
„ *opera tuæ benedictionis infunde, ut, te lar-*
„ *giente referat præmium quiſquis intulerit vo-*
„ *tum. Qui te ergo angularem lapidem &*
„ *ſaxum ſine manibus nominari ipſe voluiſti,*
„ *tu lapides iſtos, divinis cultibus apparatos,*
„ *benedic atque ſanctifica, & ſacri hujus my-*
„ *ſterii ſicut inſtitutor, ita etiam ſanctificator*
„ *appare.* Deinde tenentibus Subdiaconis vel
„ Acolytis linteamina, vel omnia ornamenta
C „ Eccleſiæ, ſeu vaſa ſacra, quæcumque ad
„ cultum Dei & Eccleſiæ pertinere videntur,
„ benedicit ea Pontifex ſicut in Sacramentario
„ continetur. Ipſis completis, egreditur Epi-
„ ſcopus, & dat Orationem ante oſtium :
„ *Deus, qui in omni loco dominationis tuæ de-*
„ *dicationis adſiſtis &c* Ipsâ finitâ ſuſcipit ipſas
„ Reliquias a Presbytero, & portat eas cum
„ honore, laudes decantando, cum cruce &
„ thuribulis, & luminibus multis ad Altare
„ intus in Eccleſia ; & ponit ſuper Altare no-
„ vum, & extenſo velo inter eas, & Popu-
„ lum, recondit ipſe Pontifex manu ſua ipſas
„ Reliquias in loco Altaris, canendo : *Exſul-*
„ *tabunt Sancti in Gloria &c.* cum Pſalmo :
D „ *Cantate Domino &c.* Et antequam recludan-
„ tur, ponit chriſma intus in confeſſionem per
„ angulos quatuor in cruce, ita dicendo : *In*
„ *nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*
„ *Pax tibi.* Reſpondetur : *Et cum ſpiritu tuo.*
„ Deinde ponit tres portiones Corporis Domi-
„ ni intus confeſſionem, & tres de incenſo. Et
„ recluduntur Reliquiæ intus in confeſſione.
„ Et dum recluduntur, cantatur antiphona :
„ *Super Altare Dei ſedes accepiſtis. Interce-*
„ *dite pro &c.* Et accipiens tabulam, quæ
„ ſuper Reliquias poni debet, antea confirmat
„ eam ſubtus cum chriſmate, dicendo, ut ſu-
„ pra : *In nomine Patris &c.* Et ponit tabulam
„ ſuper Reliquias, & dat Orationem hanc :
E „ *Deus, qui ex omni . . . . Sanctorum &c.*
„ Deinde linit eam cum calce, quæ fuerat
„ præparata ; & poſtquam fuerit linita, faciat
„ crucem deſuper cum chriſmate, dicendo,
„ ut ſupra. Et faciat crucem ſimiliter cum
„ chriſmate per quatuor angulos Altaris deſu-
„ per, dicendo ut ſupra. Et tunc velat Alta-
„ re, & dat Orationem hanc : *Deſcendat,*
„ *quæſumus, Domine, Deus noſter &c.* Inde
„ verò revertitur Pontifex in Sacrarium cum
„ Ordinibus ſacris, & induit ſe veſtimentis
„ aliis ſolemnibus, & iterum veſtiuntur Alta-
„ ria vel Eccleſiæ, & accenduntur luminaria.
„ Hoc peracto canit Schola antiphonam ad In-

„ troitum. Et procedit Pontifex de Sacrario
„ cum Ordinibus ſacris, ſicut conſuetudo eſt.
„ Et poſt *Kyrie eleiſon* dicit *Gloria in excelſis.*
„ Et compleatur Miſſa ordine ſuo, ſicut in
„ Sacramentario continetur ; & per totam eb-
„ domadam Miſſa publica in ipſa Eccleſia
„ celebretur, uſquedum octo dies completi
„ ſunt.

„ Canon de ædificanda Eccleſia.

„ NEmo Eccleſiam ædificet, antequam Ci-
„ vitatis Epiſcopus illuc veniat, & ibi-
„ dem crucem figat publice, & ante præfiniat
„ qui ædificare vult, quid ad luminaria, & ad
„ cuſtodiam & ſtipendia cuſtodum, & ad ſup-
„ pletionem neceſſitatum Presbyteri, dotem-
„ que Eccleſiæ ſufficiat atque pertineat. Et
„ factâ donatione ſic domum ædificet.
„ Poſtquam ergo Epiſcopus crucem in loco,
„ in quo Altare fabricandum eſt, fixerit, tunc
„ aſpergat aquâ locum benedictâ, hanc ca-
„ nendo antiphonam : *Signum ſalutis pone &c.*
„ cum Pſalmo *Quàm dilecta &c.* uſque in fi-
„ nem. Finito Pſalmo dicat Epiſcopus hanc
„ Orationem pro conſervatione loci : *Domine*
„ *Deus, qui licèt cælo & terrâ non capiaris,*
„ *domum tamen tibi in terra fieri juſſiſti, in*
„ *qua nomen tuum jugiter invocaretur : hunc*
„ *locum, Beatæ Mariæ ſemper Virginis, om-*
„ *niumque Sanctorum tuorum intercedentibus*
„ *meritis, intuitu viſita & vide, & illum ad*
„ *fabricandum elige, eumque infuſione tuæ*
„ *gratiæ cæleſtis ab omni inquinamento purifi-*
„ *ca, purificatumque conſerva. Et qui dile-*
„ *cti tui David devotionem in filii ſui Salomonis*
„ *opere compleſti, tu famuli tui N. in hoc*
„ *opere, ita precamur, vota perfice, ut il-*
„ *lud, te inſpirante incipiat, te adjuvante*
„ *perficiat, ſuique laboris præmium in Terra*
„ *conſequatur viventium. Aufugiant ergo hinc*
„ *jubente te, Deus, omnes nequitiæ ſpiritua-*
„ *les ; & cum fraudibus ſuis cunctâ Diaboli*
„ *turmâ, tuâ virtute depulſa, reſurgat heic*
„ *Eccleſiæ tuæ pura ſimplicitas, & amabilis*
„ *tibi innocentiæ candor, ſicque hunc locum per*
„ *unigeniti filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti*
„ *dilectionem . . . . tibi. Spiritus Para-*
„ *cliti rore fœcunda gratiſſimo, ut quicumque*
„ *heic pro ſuis neceſſitatibus auribus tuæ beni-*
„ *gnitatis ingerit vota, votorum ſuorum conſe-*
„ *quatur effectum.*

„ De Oratorio.

„ QUi in domo ſua Oratorium habuerit,
„ orare ibi poteſt. Tamen non audeat
„ in eo ſacras Miſſas, ſine permiſſione
„ Epiſcopi loci illius. Quod ſi fecerit, do-
„ mus illius Fiſci juribus addicatur, & ab Epi-
„ ſcopo diſtrictâ pœnitentiâ coërceatur. Co-
„ mes, qui hæc Epiſcopo morante cognovit,
„ & non prohibuit, librâ auri multabitur, &
„ ab Epiſcopo loci illius canonicam ſuſcipiat
„ excommunicationem, & excluſionem.

„ Denuntiatio, quum Reliquiæ Sanctorum
„ ponendæ ſunt in Atrium.

„ *DIlectiſſimi fratres, inter cetera virtutum*
„ *ſolemnia, quæ ad gloriam pertinent*
„ *Jeſu Chriſti Domini noſtri ; hoc quoque ſuis*
„ *præſtitit Martyribus, qui pro nominis ejus*
„ *confeſſione morte ſuſceptâ cæleſtia præmia me-*

„ *ruerunt , ut Fidelium votis eorum præclaris*
„ *Reliquiis collocatis , integritas ſacri Corporis*
„ *eſſe credatur . Et ideo commonemus dilectio-*
„ *nem veſtram , quoniam illa . . . . . N. illo*
„ *loco N. Reliquiæ Sancti N. Martyris collo-*
„ *candæ ſunt , ut veſtram præſentiam nobis*
„ *commonentibus non negetis .*

„ In præparando ſe ad divinum officium
„ Epiſcopus dicat hanc Orationem : *Virtutum*
„ *cæleſtium Deus , de cujus gratiæ rore deſcen-*
„ *dit , ut ad miniſteria tua purgatis ſenſibus*
„ *accedamus , præſta , quæſumus , ut in eorum*
„ *traditione ſolempniter celebranda tibi placi-*
„ *tum deferamus obſequium : per &c.* Item de
„ eodem : *Deus , qui ad ineffabilis obſervan-*
„ *tiam ſacramenti , famulorum tuorum præpa-*
„ *ras voluntates , donis tuis corda noſtra puri-*
„ *fica , ut quod ſancta eſt devotione tractan-*
„ *dum , ſinceris mentibus exſequamur : per*
„ *&c.*

„ Ordo ad benedicendum Eccleſiam.

„ PRimum veniat Epiſcopus indutus veſti-
„ mentis ſacris . Similiter & Clerus , ad
„ tentorium , in quo Reliquiæ præteritâ nocte
„ cum vigiliis fuerunt . Fiantque ibi Letaniæ :
„ *Kyrie eleiſon . Chriſte audi nos . Salvator*
„ *Mundi adjuva nos . Sancte Andrea, ora &c.*
„ uſque : *Propitius eſto . Parce &c. Ab omni*
„ *malo libera . Ab inſidiis Diaboli libera .*
„ *Ab omni temptatione diabolica libera . Ab*
„ *ira tua libera . Ab omni iniquitate li-*
„ *bera . Ab omni immunditia cordis & corpo-*
„ *ris libera . Per Nativitatem tuam libera .*
„ *Per Crucem tuam libera. Per Paſſionem tuam*
„ *libera . Per Mortem tuam libera . Per Re-*
„ *ſurrectionem tuam libera . Per Adventum*
„ *Spiritus Sancti Paracliti libera . In die Ju-*
„ *dicii libera . Peccatores te rogamus . Ut pa-*
„ *cem nobis dones , te rogamus . Ut ſanitatem*
„ *nobis dones , te rogamus . Ut terris tempe-*
„ *riem bonam nobis dones, te rogamus. Ut fru-*
„ *ges terræ nobis dones , te rogamus . Ut ſpa-*
„ *tium pœnitentiæ nobis dones , te rogamus. Ut*
„ *remiſſionem peccatorum noſtrorum nobis dones,*
„ *te rogamus . Ut gratiam Spiritus Sancti no-*
„ *bis clementer infundere digneris , te rogamus .*
„ *Ut Donum Apoſtolicum , & omnes Ordines*
„ *Eccleſiaſticos in ſancta Religione conſervare*
„ *digneris , te rogamus . Ut Eccleſiam tuam*
„ *ſublimare digneris , te rogamus . Ut domum*
„ *iſtam , ad honorem nominis tui factam rega-*
„ *lem Aulam tibi Deo vero , conſervare digne-*
„ *ris , te rogamus . Ut nos exaudire digneris,*
„ *te rogamus . Ut ad promiſſum Gloriæ tuæ*
„ *præmium nos perducere digneris, te rogamus.*
„ *Agnus Dei qui tollis peccata Mundi , parce*
„ *nobis &c.* Orationem hanc Epiſcopus ante
„ tentorium dicat : *Oremus ; Auſer a nobis ,*
„ *Deus , iniquitates noſtras , ut ad Sancta*
„ *Sanctorum purificatis mereamur mentibus in-*
„ *troire &c. Fac nos , Deus , Sanctorum tuo-*
„ *rum tibi ſpecialiter dicata membra continge-*
„ *re , quorum cupimus patrocinia inceſſanter*
„ *habere : per &c.*

„ Sequitur Exorciſmus ſalis: *Exorcizo te ,*
„ *Creatura ſalis &c.* Benedictio ſalis : *Immen-*
„ *ſam clementiam tuam &c.* Exorciſmus aquæ:
„ *Exorcizo te , Creatura aquæ &c.* Benedictio
„ aquæ : *Deus qui ad ſalutem humani generis*
„ *&c. Deus invictæ virtutis &c.* Heic mittat
„ ſal in aqua . Benedictio ſalis & aquæ pari-
„ ter . Tunc elevat ipſas Reliquias in feretro

A „ cum honore & laudibus, cum cruce & thu-
„ ribulis & luminaribus . Et exſtant pſallen-
„ tes antiphonam iſtam : *Surgite , Sancti , de*
„ *manſionibus veſtris .* Alia Antiphona : *Cum*
„ *vera jocunditate exibitis &c.* donec perve-
„ niant ad oſtium Eccleſiæ . Primitus verò àn-
„ tequam introëat Pontifex Eccleſiam , Diaco-
„ nus recludatur in ipſa. Et illuminentur duo-
„ decim Candelæ per circuitum ejus . Stante
„ Epiſcopo cum cetero Clero præ foribus Ec-
„ cleſiæ , imponat antiphonam hanc : *Tollite*
„ *portas &c.* Pſalmus : *Domini eſt terra &c.*
„ Et circumeant Eccleſiam , eamdem antipho-
„ nam per ſingulos verſus repetentes , uſque-
„ dum Pontifex primo aquam benedictam ad-
B „ ſpergat forinſecus parietes Eccleſiæ . Tunc
„ veniens ante oſtium dicat : *Oremus*. Et Dia-
„ conus : *Flectamus genua . Levate .* Sequitur
„ Oratio : *Omnipotens ſempiterne Deus, qui in*
„ *omni loco &c.* Hoc finito accedat Pontifex
„ ad oſtium , percutiens cum Cambutta ſua
„ ſuper liminare ſemel , & dicit : *Tollite por-*
„ *tas principes &c.* Cui Diaconus de intus re-
„ ſpondeat dicens: *Quis eſt iſte &c.* Econtra
„ Pontifex reſpondendo addat hæc : *Dominus*
„ *fortis & potens . Dominus fortis in prælio .*
„ Et recedens ab oſtio , circumeat ipſam Ec-
„ cleſiam cum Clero , aquam ſpargendo , &
„ cantetur : *In circuitu tuo , Domine &c.*
„ Tunc iterum veniens ante oſtium dicat :
C „ *Oremus* . Et Diaconus : *Flectamus genua* ;
„ poſtea *Levate* . Oratio : *Omnipotens ſempi-*
„ *terne Deus , qui per Filium tuum &c.* Poſt
„ hoc accedens percutit ſecundo ſuper limina-
„ re , & dicit : *Dominus fortis & potens &c.*
„ Deinde circumeat iterum Eccleſiam , aquam
„ ſpargendo , & canendo : *Fundata eſt Domus*
„ *Domini &c. Benedic , Deus , Domum iſtam.*
„ Et quum venerit ante oſtium , dicat : *Ore-*
„ *mus* . Et Diaconus : *Flectamus genua*. Poſt:
„ *Levate*. Et Sacerdos dicat Orationem hanc:
„ *Omnipotens & miſericors Deus, qui Sacerdo-*
„ *tibus &c. Angeli pacis ingreſſus &c.* Tunc
„ accedens ad oſtium , percutiat tertio ſuper
„ liminare Eccleſiæ , ac repetat prædictum
D „ verſiculum : *Tollite portas &c.* Et Diaconus:
„ *Quis eſt iſte &c.* Et reſpondeat Pontifex :
„ *Dominus virtutum ipſe eſt Rex Gloriæ &c.*
„ adjiciens : *Aperi* .

„ Tunc ſtatim oſtio aperto intrans in Eccle-
„ ſiam cum Miniſtris duobus vel tribus , &
„ cum Manſionario & Acolytho dicit : *Pax*
„ *huic Domui* , tribus vicibus . Reſpondetur:
„ *Amen*. Et claudatur oſtium Eccleſiæ. Dein-
„ de incipit Clerus foris Letaniam , Sacerdoti-
„ bus feretrum tenentibus, uſquedum Pontifex
„ Altare & omnia inſtrumenta Altaris ſanctifi-
„ cet . Et quum venerit Pontifex ante Alta-
„ re , proſternat ſe cum Miniſtris ſuper ſtra-
„ mento . Et fiant ibi Letaniæ , uſquedum
E „ dicit Schola : *Agnus Dei , qui tollis peccata*
„ *&c.* Finitis verò Letaniis , quum ſurrexerit
„ Pontifex ab Oratione , veniens ante Altare ,
„ non dicit : *Dominus vobiſcum* , ſed ſtatim :
„ *Oremus* excelsâ voce . Et Diaconus . *Fle-*
„ *ctamus genua . Levate* . Et dicit Epiſcopus
„ Orationem hanc : *Magnificare , Domine*
„ *Deus &c.* Deinde incipit Pontifex de ſiniſtro
„ angulo Eccleſiæ ab oriente ſcribere per pa-
„ vimentum cum Cambuttâ ſuâ Alfabetum ,
„ uſque in dextrum angulum occidentalem .
„ Incipienſque ſimiliter iterum de angulo orien-
„ tali , Alfabetum ſcribat uſque in ſiniſtrum
„ angulum occidentalem. Interim canant, qui
„ cum

„ cum eo ſunt , hæc : *O quàm metuendus eſt* A
„ *&c.* cum Cantico : *Benedictus Dominus Deus*
„ *Iſraël &c.* cum *Gloria* . Deinde veniat ante
„ Altare , & dicat : *Deus in adjutorium &c.*
„ cum *Gloria* , abſque *Alleluja* . Deinde be-
„ nedicat aquam, & ſal , dicens : *Exorcizo te ,*
„ *Creatura ſalis &c. Rogamus & obſecramus*
„ *&c.* Alia : *Virtutis tuæ invictam fortitudi-*
„ *nem &c.* Item alia : *Domine Deus pater om-*
„ *nipotens , benedic &c.* Exorciſmus aquæ :
„ *Exorcizo te , Creatura aquæ &c. Domine*
„ *Deus pater omnipotens , ſtatutor omnium ele-*
„ *mentorum &c.* Benedictio cineris : *Omnipo-*
„ *tens ſempiterne Deus , parce metuentibus &c.*
„ *tutelam percipiant ; per &c.* Tunc miſcetur
„ ſal & cinis . Et faciat Epiſcopus ter inde
„ crucem ſuper aquam , & dicat : *Hæc com-* B
„ *mixtio &c. Oremus . Deus invictæ virtutis*
„ *&c.* Deinde vinum ponat in ipſam aquam &
„ dicat : *Fiat commixtio &c.* Præfatio : *Domi-*
„ *num omnipotentem , fratres cariſſimi &c.*
„ Benedictio aquæ cum vino mixtæ : *Omnipo-*
„ *tens ſempiterne Deus , creator & conſervator*
„ *&c.* Tunc ingrediens Epiſcopus ad Altare
„ primò cum pollice ſuo de ipſa aqua ſancta
„ facit crucem in medio Altaris , dicens: *San-*
„ *ctificetur hoc Altare , in nomine Patris &c.*
„ Reſpondetur : *Amen. Pax tecum* . Reſpon-
„ detur : *Et cum ſpiritu tuo* . Deinde in
„ dextra parte : tunc in ſiniſtra per quatuor
„ cornua Altaris . Et cum hyſſopo adſpergat
„ ipſum Altare ſeptem vicibus , aquâ ſanctâ C
„ conſpargendo parietes , incipiendo a dextra
„ parte orientis , uſquedum redeat in orien-
„ tem ; & primo circuitu cantat eamdem anti-
„ phonam : *Aſperges me &c.* cum Pſalmo *Mi-*
„ *ſerere &c.* Alia antiphona : *Similabo eum*
„ *viro ſapienti , qui ædificavit domum ſuam*
„ *ſupra petram* . Secundo autem circuitu an-
„ tiphona : *Exſurgat Deus , & diſſipentur*
„ *inimici ejus &c.* cum ipſo Pſalmo . Alia an-
„ tiphona : *Tu Deus univerſorum* , cum ver-
„ ſu , *Tu Deus , cui humilium ſemper & man-*
„ *ſuetorum placuit deprecatio* . Tertio circuitu
„ antiphona : *Qui habitat &c.* cum ipſo Pſal-
„ mo . Alia antiphona : *Hæc eſt Domus Do-* D
„ *mini &c.* Deinde ſpargat per medium Eccle-
„ ſiæ in longum & latum , faciens crucem ſu-
„ per omne pavimentum, cantans antiphonam:
„ *Domus mea &c.* cum verſu : *Narrabo nomen*
„ *tuum &c.* & cum *Gloria Patri &c.* Qua
„ finita , in medio Eccleſiæ , Pontifex dicit :
„ *Oremus* . Et Diaconus : *Flectamus genua* .
„ Poſt paululum : *Levate* . Et ſic Pontifex
„ dicit Orationem : *Deus , qui loca nomini*
„ *tuo &c.* Iterum dicit : *Oremus* . Et Diaco-
„ nus , ut ſupra . Et ſic ſequitur hæc Oratio:
„ *Deus ſanctificationum , omnipotens dominator*
„ *&c.* In Conſecratione Baſilicæ : *Surſum cor-*
„ *da &c.* Sequitur hæc Præfatio : *Hanc quo-* E
„ *que Baſilicam in honorem ſanctæ & victorio-*
„ *ſiſſimæ Crucis , & Sancti illius , ſacris my-*
„ *ſteriis inſtitutam , clementiſſime dedica &c.*

„ In Dedicatione excelſa voce :

„ PEr *omnia ſecula ſeculorum* . Reſponde-
„ tur : *Amen : Dominus vobiſcum* . Re-
„ ſpondetur : *Et cum ſpiritu tuo . Domine*
„ *ſancte pater , omnipotens æterne Deus , adeſto*
„ *precibus &c. Deſcendat quoque in hanc Eccle-*
„ *ſiam tuam , quam ſub invocatione ſancti no-*
„ *minis tui , in honorem ſanctæ Crucis , in*
„ *qua coæternus tibi Filius tuus Dominus noſter*
„ *Jeſus Chriſtus pro redemptione Mundi pati*
„ *dignatus eſt , & Sancti Martyris tui N. in-*
„ *digni conſecramus &c.* Hac expleta , eant
„ ante Altare , & dicat Schola antiphonam :
„ *Introibo ad Altare Dei* . Pſalmus : *Judica*
„ *me Deus* . Tunc facit maltam de calce , &
„ tegulam cum ipſa aqua benedicit , ad occlu-
„ dendas Sanctorum Reliquias in locum Alta-
„ ris ; & reſervetur ad tempus . Et poſtea
„ ipſam aquam , quæ remanet , fundat ad ba-
„ ſim Altaris . Et a Diacono , vel Presbyteris
„ extergatur Altare linteo . Poſtea Pontifex
„ deferat incenſum ſuper Altare, & dicit Scho-
„ la hunc verſiculum . *Dirigatur Domine &c.*
„ Tunc de oleo ſanctificato facit Pontifex cru-
„ cem in medio Altaris, & per quatuor Alta-
„ ris angulos , ut ſupra , dicendo : *Sanctifice-*
„ *tur hoc Altare , in nomine Patris & Filii &*
„ *Spiritus Sancti* . Reſpondetur : *Amen . Pax*
„ *tecum* . Reſpondetur . *Et cum ſpiritu tuo* .
„ Et dicat antiphonam : *Erexit Jacob &c.*
„ cum Pſalmo : *Quàm dilecta &c.* Item aliam
„ antiphonam : *Manè ſurgens &c.* Et unguat
„ manu ſua totum illud Altare de oleo ſancto,
„ ſemper incenſum in circuitu ipſius Altaris
„ alio Sacerdote ferente . Poſt expletum Pſal-
„ mum , mittat iterum oleum ſicut prius , &
„ cantet antiphonam : *Ædificavit Moyſes &c.*
„ Hoc facto ſuſcipiat chriſma , & faciat ſimi-
„ liter crucem, ſicut ſupra , & cantet antipho-
„ nam : *Unxit &c. Ecce odor filii mei , ſicut*
„ *&c.* cum Pſalmo *Fundamenta &c.* Et interea
„ alius Sacerdos in circuitu Altaris ſemper fa-
„ ciat incenſum . Deinde in circuitu Eccleſiæ
„ vadat Pontifex , & faciat crucem per parie-
„ tes cum pollice ſuo de ipſo chriſmate in
„ duodecim locis , primo in dextera parte ,
„ & in circuitu , dicens per ſingulas cruces :
„ *Sanctificetur hoc Templum in nomine Patris*
„ *&c.* Reſpondetur : *Amen . Pax tecum* . Re-
„ ſpondetur : *Et cum ſpiritu tuo* . Et ſolus in-
„ terim dicat antiphonam : *Sanctificavit Do-*
„ *minus tabernaculum ſuum* . Alia antiphona :
„ *Lapides pretioſi &c.* cum Pſalmo : *Lauda*
„ *Hieruſalem &c.* Tunc iterum vadent ad Al-
„ tare. Et offerat ibidem incenſum . Antipho-
„ na : *Ecce odor &c.* Præfatio in Conſecratione
„ Altaris : *Dei Patris &c.* In Dedicatione :
„ *Oremus*. Et Diaconus : *Flectamus &c.* Dein-
„ de ſequitur Conſecratio : *Deus omnipotens ,*
„ *in cujus honore &c.* Deinde dicit excelſa voce
„ uſque *Æterne Deus . Et ut propenſiori curâ*
„ *&c. Domine ſancte pater , omnipotens æterne*
„ *Deus clemens & propitius &c. Majeſtatem*
„ *tuam Deus &c.* Deinde dicit antiphonam
„ iſtam : *Confirma hoc Deus &c.* cum *Gloria*.
„ Deinde inunguat oleo ſancto , & benedicat
„ tabulam ſuper Altare , dicens hanc Præfatio-
„ nem : *Lapidem hunc , fratres dilectiſſimi &c.*
„ Benedictio tabulæ : *Oremus Deum omnipo-*
„ *tentem , fratres dilectiſſimi &c. Exaudi nos ,*
„ *Deus ſalutaris noſter , & precum noſtrarum*
„ *&c. Supplices tibi Domine &c.* Poſtea ex-
„ tollens vocem , publice proclamet : *Deus*
„ *omnipotens , univerſarum rerum &c.* His ex-
„ pletis dicat Orationem in medio Eccleſiæ :
„ *Habitator ſanctarum mentium , Deus &c.*

„ Benedictio Baſilicæ novæ :

„ DEus , *qui ſuper myſticam petram* &c.
„ Deinde teneant Subdiaconi & Acoly-
„ thi linteamina , & omnia ornamenta Eccle-
„ ſiæ , ſeu Vaſa ſacra , quæcumque ad cultum

„ Dei & Eccleſiæ pertinere videntur. Et be-
„ nedicat ea Pontifex juxta hunc morem: *Do-*
„ *mine Deus omnipotens, qui ab initio homini-*
„ *bus* &c. *Exaudi Domine preces noſtras* &c.
„ Alia *Deus, qui tibi digne ſervientium* &c.
„ Ad omnia Vaſa, linteamina, & inſtrumen-
„ ta in uſum Eccleſiæ: *Omnipotens ſempiterne*
„ *Deus, Rex Regum* &c.

„ Benedictio ad omnia ornamenta
„ in uſum Eccleſiæ, vel Altaris:

„ *Omnipotens & miſericors Deus, qui ab*
„ *initio & utilia* &c.

„ Item benedictio veſtimentorum Sacerdo-
„ talium, ſive Leviticorum, atque
„ ſequentis Ordinis Mini-
„ ſtrantium.

„ *Domine Deus, pater omnipotens, Rex* &c.

„ Benedictio Stolarum:

„ *Deus invictæ virtutis* &c.
„ *Domine Deus omnipotens, qui ab initio*
„ *hominibus* &c.

„ Benedictio Corporalium:

„ *Omnipotens ſempiterne Deus, benedic* &c.
„ Alia: *Domine Deus, qui jam ſanctificare* &c.
„ Alia: *Clementiſſime Deus, cujus inenarrabilis*
„ *virtus* &c.

„ Præfatio Euchariſtialis, ideſt Vaſculi,
„ in quo Euchariſtia reconditur:

„ *Oremus, fratres dilectiſſimi* &c. Sequitur
„ Benedictio: *Omnipotens Deus, Trinitatis in-*
„ *ſeparabilis* &c.

„ Benedictio Patenæ:

„ *Conſecramus, ſantificamus hanc Patinam*
„ &c. Præfatio ad Patinæ conſecrationem:
„ *Oremus, fratres cariſſimi* &c. Sequitur Ora-
„ tio: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui lega-*
„ *lium* &c. Inde facit ſignum Crucis de Chriſ-
„ mate ſancto ſuper Patinam, dicens: *Conſe-*
„ *crare* &c.

„ Præfatio Calicis:

„ *Oremus, dilectiſſimi fratres* &c. Et facit
„ Crucem de Chriſmate ſuper ipſum Calicem.
„ Oratio: *Omnipotens ſempiterne Deus, mani-*
„ *bus noſtris* &c.

„ Benedictio Crucis.

„ Primitus fiat benedictio Salis & Aquæ.
„ Poſtea Litaniæ. Deinde ſequitur Oratio: *Be-*
„ *nedic, Domine Jeſu Chriſte, hanc Crucem*
„ *tuam* &c. *Rogamus te, Domine ſancte pater,*
„ *omnipotens æterne Deus, ut digneris* &c. De-
„ inde dicat altâ voce: *Per omnia ſecula ſecu-*
„ *lorum*. Reſpondeatur. *Amen*. *Dominus vo-*
„ *biſcum*. Reſpondetur: *Et cum ſpiritu tuo*.
„ *Domine ſancte pater, omnipotens æterne Deus,*
„ *cujus ſanctum & terribile nomen inter* &c.
„ Alia: *Rogamus te, Domine, ſuppliciter* &c.
„ Alia: *Te, Domine, quæſumus, qui das ani-*
„ *mabus* &c. Alia: *Deus, qui beatæ Crucis*

A „ *patibulum* &c. Alia: *Sanctifica, Domine Je-*
„ *ſu Chriſte iſtud ſignaculum* &c heic adſpergat
„ eam aquâ ſanctâ, addendo odorem incenſi.

„ Benedictio Crucis metallizatæ:

„ *Deus excelſe Sabaot* &c.

„ Benedictio Thuribuli:

„ *Domine Deus, qui dum filios Iſraël* &c.
„ Alia: *Domine ſancte pater, omnipotens æter-*
„ *ne Deus, qui in deſerto multitudinis* &c.

„ Benedictio Incenſi, vel Thimiamatis:

B „ *Deus omnipotens, Deus Abraham, Deus*
„ *Iſaac* &c. Alia: *Domine Deus omnipotens,*
„ *cui adſtat* &c. Alia: *Deus, qui Moiſi famu-*
„ *lo tuo* &c.

„ Præfatio Conſecrationis Capſarum.

„ *Deus inæſtimabilis* &c. Alia Oratio: *Do-*
„ *mine Deus omnipotens, qui ut malitiam inſa-*
„ *ni Populi* &c.

„ Oratio ad Accelerandum:

„ *Domine ſancte, omnipotens æterne Deus*
C „ &c. *Quæſumus, omnipotens Deus* &c.

„ Præfatio Ciborii, ideſt umbraculi Altaris:

„ *Oremus, fratres cariſſimi* &c. Conſecra-
„ tio: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui fideli*
„ *famulo tuo Moiſi* &c.

„ Præfatio minoris, vel Itinerarii Ciborii.

„ *Oremus, dilectiſſimi* &c. Conſecratio: *Con-*
„ *ſecrare & ſantiſicare dignare, quæſumus,*
„ *ſancte pater omnipotens æterne Deus, hoc con-*
„ *ditorium Sanctorum pignorum, ad reconden-*
„ *da in eo tuorum munera pretioſa Sanctorum,*
D „ *in Jeſu Chriſto Domino noſtro, qui* &c.

„ Præfatio tabulæ Itinerariæ:

„ *Deum omnipotentem, fratres dilectiſſimi*
„ &c. Conſecratio: *Exaudi nos, Deus noſter*
„ &c. Et accipiens tabulam, adſpergat eam
„ aquâ benedictâ, addens odorem incenſi, &
„ confirmet eam cum Chriſmate in Crucem,
„ ita dicendo: *In nomine Patris & Filii &*
„ *Spiritus Sancti*. Reſpondetur: *Amen*. *Pax*
„ *tecum*. Reſpondetur: *Et cum ſpiritu tuo*.
„ Deinde vadant ad eum locum, in quo Re-
„ liquiæ præteritâ nocte cum vigiliis ſervatæ
„ fuerunt, & ibi mutet Pontifex, ſi voluerit,
E „ veſtimenta ſua, & præparet ſe ad Miſſam
„ veſtimentis aliis ſolemnibus. Deinde redeat
„ ad oſtium Eccleſiæ, ubi Letaniæ vel laudes
„ circa feretrum celebrantur. Et dicat præ
„ foribus hanc Orationem, ſignans oſtium &
„ Eccleſiam: *Deus, qui ſacramentorum tibi au-*
„ *ctor es munerum* &c. Tunc portantes fere-
„ trum magno honore cum Reliquiis ſimul &
„ Crucibus & luminaribus circumeant Eccle-
„ ſiam, ſequente Clero, his antiphonas vel
„ Reſponſoria pſallendo, & Populo cum mu-
„ lieribus & parvulis *Kyrie* decantante. An-
„ tiphona: *Ambulate Sancti Dei ad locum de-*
„ *ſtinatum*. Antiphona: *Plateæ Hieruſalem*

gau-

,, *gaudebant* . Antiphona : *Ambulate Sancti*
,, *Dei* . Antiphona : *Sanctificavit Hieruſalem*
,, *Dominus*. Reſponſorium : *Sancti tui Domine*.
,, Verſiculus : *Quoniam pro eis ſit* . Reſpon-
,, ſorium : *Tradiderunt corpora ſua* . Verſicu-
,, lus : *Iſti ſunt* , *qui* &c. Reſponſorium: *San-*
,, *cti mei* , *qui in iſto* &c. Verſus : *Venite be-*
,, *nedicti Patris* &c. Reſponſorium : *Exſultent*
,, *Sancti* &c. Verſus : *Epulentur ex* &c. Reſ-
,, ponſorium: *Fulgebunt Juſti* &c. Verſiculus:
,, *Juſti autem in perpetuum* &c. His ita per
,, ordinem geſtis , quum redierit iterum ad
,, oſtium Eccleſiæ , facto ſilentio , habeat
,, Pontifex verbum ad Plebem de honore Ec-
,, cleſiaſtico , & de pace venientium & rede-
,, untium, & de Decimis vel oblationibus Ec-
,, cleſiarum , & de Anniverſariâ ipſius Eccle-
,, ſiæ Dedicatione : & annuntiet tum Clero
,, quàm Populo , in cujus honore conſtructa
,, & dedicata ſit Eccleſia vel etiam nomina
,, Sanctorum ibi quieſcientium . Ipſe autem
,, Dominus & conſtructor ipſius Eccleſiæ ad-
,, moneatur de dote illius , & qualem hono-
,, rem vel curam Eccleſiæ & Presbytero exhi-
,, bere debeat. Illo autem profitente in omni-
,, bus ita ſe velle agere , Pontifex hæc con-
,, firmari a Domino poſtulans , antequam in-
,, tret Eccleſiam , dicat hanc Orationem: *Do-*
,, *mum tuam* , *quæſumus* , *Domine* , *clementer*
,, *ingredere* &c. Tunc accipiat Pontifex fere-
,, trum cum Presbyteris , & ingrediendo dicat
,, Schola antiphonam : *Ingredimini benedicti*
,, &c. Reſpondeatur : *Sancti Dei* &c. Verſus:
,, *Benedicti gloria de loco ſancto tuo* &c. Et
,, quum intraverit, extenſo velo inter Populum
,, & Altare , Pontifex recondat Reliquias in
,, Altari . Et Presbyteri , qui cum eo ſunt ,
,, cantent antiphonam : *Exultabunt Sancti in*
,, *Gloria* &c. cum Pſalmo : *Cantate Domino*
,, *canticum novum* &c. Et antequam recludan-
,, tur Reliquiæ , dicat Pontifex hanc Oratio-
,, nem : *Deus*, *qui in omni loco* &c. Hac ex-
,, pletâ , chriſmate per confeſſionem per angu-
,, los quatuor in Cruce inungat , dicens : *In*
,, *nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti* .
,, Reſpondetur : *Amen* . *Pax tecum* . Reſpon-
,, detur : *Et cum ſpiritu tuo* . Deinde ponit
,, tres portiones Corporis Domini intro III.
,, confeſſione , & tres de incenſo . Et tunc re-
,, claudantur Reliquiæ in confeſſione . Et dum
,, recluduntur , cantetur antiphona : *Sub Al-*
,, *tare Dei ſedes accepiſtis* , cum Pſalmo : *Ex-*
,, *ſultabunt Sancti in Gloria : lætabuntur in*
,, *cubilibus* &c.

,, Oratio ad dedicandum Altare poſt
,, impoſitas Reliquias :

,, DEus , *qui Altaris nomini tuo &c.* Et
,, accipiens tabulam de ſubtus , confir-
,, met eam cum chriſmate in Cruce dicens : *In*
,, *nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti* .
,, *Pax tecum* . Reſpondetur : *Et cum ſpiritu*
,, *tuo* . Tunc ponit tabulam ſuper Reliquias ;
,, & dicat : *Deus* , *qui ex omni coaptatione*
,, *Sanctorum* &c. Deinde deliniat eam cum
,, calce , quæ ante fuerat præparata. Et poſtea
,, quum linita fuerit , faciat Crucem deſuper
,, cum chriſmate , dicendo ſicut ſupra : *In no-*
,, *mine Patris* &c. Et mittat chriſma per qua-
,, tuor cornua Altaris, ipſa ſupra ſcripta verba
,, dicendo, & Crucem faciendo. Et cantet an-
,, tiphonam : *Corpora Sanctorum* &c. adjun-
,, gens : *Gloria Patri* &c. Tunc Diaconi ve-
,, ſtiant Altare , & Schola dicat antiphonam :
,, *Circumdate Sion Levitæ* &c. cum Pſalmo :
,, *Mirabilis Deus* &c. cum *Gloriâ* . Item alia :
,, *In velamento clamabunt Sancti Dei* , *alleluja*.
,, Poſtea quoque offeratur incenſum , Verſuſ-
,, que dicatur : *Omnis terra adoret te* , *Deus* :
,, Et ita *Kyrie* ; & Oratio dominica , & pre-
,, ces : *Fundata eſt Domus Domini* . Reſpon-
,, deatur : *Bene fundata eſt ſuper omnes colles* .
,, *Dominus in Templo ſancto* . Reſpondeatur :
,, *Dominus in Cælo ſedes ejus* . *Domus mea* ,
,, *dicit Dominus* . ℟. *Domus orationis vocatur*.
,, *Exſultate Sancti in Gloria* . ℟. *Lætabuntur*
,, &c. *Exſultent Juſti in conſpectu* &c. ℟. *Et*
,, *delectentur* &c. *Pretioſa in conſpectu Domini*.
,, ℟. *Mors Sanctorum ejus* . *Lætamini in Do-*
,, *mino* . ℟. *Et gloriamini Juſti* &c. *Fiat mi-*
,, *ſericordia tua Domine* &c. ℟. *Quemadmodum*
,, *ſperavimus* &c. *Exſurge* , *Deus* &c. ℟. *Et*
,, *libera* &c. *Domine Deus virtutum* . ℟. *Et*
,, *oſtende* &c. *Domine exaudi* &c. ℟. *Et cla-*
,, *mor* &c. *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum ſpi-*
,, *ritu tuo* . Oratio : *Deſcendat* , *quæſumus* ,
,, *Domine Deus noſter*, *Spiritus tuus* &c. Alia:
,, *Omnipotens ſempiterne Deus*, *Altare hoc* &c.
,, Deinde revertatur Pontifex in Sacrarium ,
,, donec ornetur Eccleſia , & accendantur lu-
,, minaria . Et incipiant cantare antiphonam
,, ad Introitum: *Terribilis eſt locus iſte*. Pſalm.
,, *Quàm dilecta* &c. Et procedit Pontifex cum
,, Ordinibus ſuis, ſicut conſuetudo eſt in Feſti-
,, vitatibus , ut celebret ſolemniter Miſſam ,
,, ſicut in Sacramentario continetur, cum *Glo-*
,, *ria in excelſis Deo* . Et poſtea per totam
,, hebdomadam fiunt Miſſæ publicæ in ipſa
,, Eccleſia uſque ad dies octo completos .

,, Oratio ad Miſſam in Dedicatione.

,, *Deus qui ſacrandorum* &c. Secreta : *De-*
,, *ſcendat* , *quæſumus* , *Domine Deus noſter* ,
,, *Spiritus* &c. Benedictio Eccleſiæ : *Benedicat*
,, *& cuſtodiat vos* &c. ℟. *Amen* . *Concedatque*
,, *pariter* , *ut omni* &c. ℟. *Amen* . *Quatenus*
,, *eorum interventu* &c. ℟. *Amen* . *Quod ipſe*
,, *præſtare* &c. *Effunde*, *quæſumus* , *Domine*
,, &c. Super Populum: *Copioſa beneficia*, *quæ-*
,, *ſumus* , *Domine* &c.

,, In Dedicatione novæ Eccleſiæ ad Miſſam
,, pro Conditoribus .

Sequuntur Orationes .

,, Miſſa in Dedicatione Baſilicæ , quam
,, Conditor dedicatam reliquit.

Sequuntur Orationes .

,, Dedicatio loci illius , in quo prius
,, fuerat Synagoga .

Sequuntur Orationes .

Reſtauratio autem Baſilicarum potiſſimùm invaluiſſe deprehenditur poſt Sæculum à Chriſto nato Decimum . Luculentum heic habeo teſtem Glabrum Rodulphum egregium Hiſtoricum , cujus verba ſunt apud Du Cheſnium Tom. 4. Scriptor. Francicor. Lib. 3. Cap. 4. *Infra Milleſimum tertio jam ſere imminente . Anno* , *contigit in univerſo pæne terrarum Orbe* , *præcipue tamen in Italia* , *& in Galliis*, *innovari Eccleſiarum Baſilicas* , *licèt pleræque*

decen-

decenter locatæ minime indiguiſſent. Æmulabatur tamen quæque gens Chriſticolarum adverſùs alteram decentiore frui. Erat enim inſtar ac ſi Mundus ipſe excutiendo ſemet, rejectâ vetuſtate, paſſim candidam Eccleſiarum veſtem indueret. Præterea Sæculo eodem XI. floruit Johannes Gualbertus, Vallumbroſani Ordinis inſtitutor, vir miræ ſanctitatis. Scriptor ejus Vitæ beatus Andreas Abbas Strumenſis, Cap. 3. inter cetera tradit, reſtauratas etiam fuiſſe ab illo Hoſpitales domos in Tuſcia, & Clericorum mores correctos. *Quæ enim lingua*, ait, *etiamſi eſſet ferrea, ipſius cuncta poſſet referre bona? Ipſo exhortante, & magnum auxilium impendente, ſuper diverſas aquas firmiſſimi ædificati ſunt Pontes. Quæ uſque ad ſuum tempus per Tuſciam erant Hoſpitalia? Quæ Clericorum congregatio vitam erat ducens communem? Quis Clericorum propriis & paternis rebus ſolummodo non ſtudebat? Quin potius perrarus inveniretur (proh dolor!) qui non eſſet uxoratus, vel concubinatus. De Simoniaca quid dicam? Omnes pæne Eccleſiaſticos Ordines hæc mortifera bellua devoraverat, ut qui ejus morſum evaſerit, rarus inveniretur.* Sed miſericors Deus eo ipſo Sæculo excitavit, præter Johannem Gualbertum, Romualdum ſanctiſſimum virum, Gregorium VII. Papam, Petrum Damiani Cardinalem, alioſque ſingulari ſanctitate & zelo præſtantiſſimos viros, qui inſignia virtutum exempla dedere, & Simoniæ, Incontinentiæ, aliorumque vitiorum late regnantium pertinaciam non unâ ratione fregerunt. Ad hæc, poſtquam barbaries ſeſe in univerſam effudit Italiam, uſque ad Annum Chriſti MCC. rara fuit Sacramentorum frequentia, rara divinæ Legis prædicatio. Utique ne iis quidem Sæculis deſiderantur Concilia, Epiſcopos commonentia de obligatione prædicandi Euangelii gregibus ſuis. Idem quoque debitum Parochis ex inſtitutione miniſterii ſui ſæpe inculcabatur: illudque etiam perſolviſſe nonnullos, æquum eſt credere. Attamen fortaſſe pauci exſpectationi Eccleſiæ tunc reſpondebant. Plerique verò e Populo dum ſemel in anno ad Pœnitentiæ Sacramentum, atque ad ſacram menſam Euchariſtiæ ſumendæ gratiâ accederent, ſatis Religioni feciſſe ſibi videbantur. Monachi verò, & vel ipſi, qui ſeveriori inſtituto ac diſciplinæ morum enixius ſeſe tradiderant, ſive quod ſibi ac Deo in ſolitudine vacarent, ſive alias ob cauſſas, raros ad Populum ſermones de divinis rebus habebant. Gratiæ Deo, quod tamdem ineunte Sæculo Chriſti Decimotertio, emerſerit pius ſimul & doctus Fratrum Prædicatorum Ordo, qui crebris prædicationibus coadunatum Populum erudire, atque ad virtutem incitare cœperunt, aut in Templis, aut etiam ſub dio, ſanctiſſimo hoc munere fungebantur. Inde eis inditum *Prædicatorum* cognomentum; gens enim inſuetum zelum, & novum pæne frequentis prædicationis ſpectaculum mirata, ſingulari hoc titulo dignos eoſdem cenſuit. Socios paullo poſt ſeſe Prædicatoribus in ſanctiſſimo ejuſmodi inſtituto adjunxere Fratres Minores, ac deinde reliqui Mendicantium Ordines, ita ut deinceps publica ad Pietatem hortamenta Populo Chriſtiano numquam defuerint. Gloria tamen reſtauratæ plenius Pietatis, quod eſt ad Sacramentorum frequentiam, ad Chriſtianæ doctrinæ explicationem, ad uberiorem divini verbi prædicationem, atque ad ſalubrem educationem puerorum, tribuenda eſt Sæculo Sextodecimo, quo & alii Sancti Viri, aliaque ſumme pia inſtituta, illam induxere morum temperantiam, ob quam ævo etiam noſtro gratulandum ſummopere eſt. Vitiis & peccatis ne nos quidem, fateor, caremus: ecquando enim miſera hominum creta hiſce caruit, aut eſt caritura? Verùm comparata cum barbaricis tempora noſtra, uti elegantiâ & eruditione, ita & honeſtis piiſque moribus præſtare illis, cæcus ſit, moroſus ſit, & parum æquitatis amator, qui non fateatur. Invaluerunt etiam poſt Sæculum Duodecimum *Ecſtaticæ mulieres*, e quibus tametſi aliquot piè credi poſſint ſupranaturalibus donis illuſtratæ, atque ad arcana cæleſtia divinitus adductæ, juſta tamen dubitatio fuit, ne reliquæ unam ferventem Phantaſiam, imaginibus Pietatis ac Religionis redundantem, magiſtram in ſuis Revelationibus habuerint. Proinde laudanda pariter eſt rigidior noſtrorum dierum diſciplina, quæ oculos ſtudioſius in iſta intendens, non patitur nova prodire Euangelia; aut ſi quando prodeunt, ea proſcribit; aut ſaltem conſilium eorum, qui hæc in examen adducunt, æqui bonique facit.

DE
RITIBUS
AMBROSIANÆ ECCLESIÆ.

DISSERTATIO
QUINQUAGESIMASEPTIMA.

DISSERTATIO QUINQUAGESIMASEPTIMA.

Catholicæ Romanæ Eccleſiæ Liturgia, ritus ſacros complectens in divinis Officiis, & incruento potiſſimum Sacrificio adhibitos, qualis temporibus noſtris ſit, noſcunt, & quotidie ſub oculis habent, quicumque in ſanctiſſimæ hujus Eccleſiæ ſinu nutriuntur. Ferme apud omnes Sacerdotes, ferme ubique locorum modus idem nunc obtinet colendi Numinis in Templo; atque in conficiendis Sacramentis vix ulla nunc eſt Catholicorum Eccleſia, quæ Romanæ omnium magiſtræ ritus non ſequatur, ejuſque moribus ſe ſe non attemperet. Verùm tanta, tamque late diffuſa externi divini cultus uniformitas, non eadem olim fuit. Nam ut mittam, Græcas, ceteraſque Orientis, ac Ægypti Eccleſias, Liturgiâ ab aliis diſſimili uſas fuiſſe, & adhuc uti, in ipſo quoque Occidente Provinciæ quædam nondum ſacris Romanæ Eccleſiæ ritibus aſſuetæ, diu conſuetudinem ſuam retinuere, nempe Gallicana, Hiſpanica, & Franco-Germanica. Neque in iis ipſis locis defuere ſingulares Eccleſiæ, quibus peculiares erant ceremoniæ ac mores in ſacris; nam & ipſa Italia, quamquam arctius Romano Pontifici tamquam ſuo Primati obnoxia, exemplis ejuſmodi non caruit. Sed inter ceteras Italiæ Eccleſias Mediolanenſis potiſſimum hoc titulo ſpectabilem ſe ſe reddidit, celebremque famam vel apud Veteres iſtâ quoque de cauſsâ ſibi comparavit. Id autem curæ Romanis Pontificibus ſemper fuit, ut quantum poſſent, reliquas Occidentis Eccleſias adducerent ad amplectendam Romanæ Eccleſiæ Liturgiam, & mores ab ea diſſonos in ſacris peragendis exuerent. Immo id polliceri cogebantur olim Epiſcopi pertinentes ad ordinationem Romani Pontificis, ut patet ex Libro Diurno Cap. 3. Tit 7. Neque in irritum ceſſere conatus; & ſenſim ſive adhortationibus, ſive etiam imperio victi Præſules (ſi Mediolanenſem excipias) conceſſere in ſententiam & mores Eccleſiæ, a qua ſuam originem atque inſtitutionem reliquæ Occidentales habuere, aut habuiſſe creduntur. Pippino præſertim & Carolo Magno in Gallia regnantibus id factum; nam quum ii nemini cederent obſequio in Romanam Eccleſiam, prætereaque meditarentur jamdudum Italicam Provinciam ſuis Regnis adjungere, ipſamque Imperatoriam dignitatem in ſe transferre (quod ſub Carolo tandem contigit) magnique momenti cernerent ad grandia facta futuram amicitiam, ac opem Romani Pontificis, quem etiam ſibi Pippinus maxime utilem ſenſerat in arripiendo Francorum ſceptro: nihil antiquius iis erat, quam indulgere ac morem gerere, ubicumque poſſent, eorum petitionibus ac votis. Itaque tunc adnitentibus Pontificibus Maximis, Gallicana Eccleſia, antiquos ſuos ritus omnino ſeponens, Romanos eſt amplexa. Auctor eſt Landulphus ſenior Mediolanenſis Scriptor, cujus Hiſtoriam habes Tom. IV. Rer. Italicar. ſub Hadriano I. Pontifice in Romano Concilio conſtitutum fuiſſe, ut Carolus M. *per totam linguam proficiſceretur Latinam, & quidquid diverſum in cantu & myſterio divino inveniret a Romano, totum deleret, & ad unitatem Romani myſterii uniret*. Hæc Landulfus Lib. 2. Cap. X. qui deinde ſubdit, Carolum ſuſtuliſſe omnes Ambroſianæ Liturgiæ Libros, uno Miſſalis exemplo excepto, ſed miraculum intercesſiſſe, quo divinitus innotuit, Ambroſianæ Eccleſiæ ritum a Deo probari. Hinc autem Beroldus, Guilielmus Durandus, Gualvaneus de la Flamma, Boninus Mombritius, aliique Scriptores Mediolanenſes deſumſere, quæ habent de eâdem Liturgiâ, cælitus inter tot turbines ſervatâ. Gualvaneus tamen in quodam Codice MSto Leoni III. tribuit, quod ceteri Hadriano I. Papæ. Equidem in Præfatione ad ipſius Landulfi Hiſtoriam minime diſſimulavi, quam pronus in fabulas, quam ſubleſtæ fidei fuerit ejuſmodi Scriptor. In hac etiam narratione multa adversùs Chronologiam Landulfus peccavit. Et certe qui prodigium illud aut falſum prorſus ſuſpicetur, aut ei fidem accommodare nolit, is me contra dicentem minime habebit. Attamen inter ipſas fabulas elucere mihi videtur illud idem, quod antea propoſueram; neque enim Hiſtorici vel inepti, Poëtarum ad inſtar, narrationem cujuſquam facti omnino confingere ſolent, ſed qualem accepere a vulgo, aut ipſi accidiſſe opinantur, literis conſignant; hoc eſt, verum aliquod fabulis intermixtum enarrare conſueverunt. Non facile Landulfus ſomniaſſet, vim ritibus Ambroſianis illatam ſub Adriano I. Pontifice & Carolo Magno, niſi conatus hujuſmodi fama præceſſiſſet, & aut Populus, aut antiquiores Hiſtorici id commemoraſſent. Et quando vidimus, iis ipſis temporibus Romanos Pontifices impetraſſe, ut Gallicæ omnes Eccleſiæ Liturgiam Romæ adhibitam, jamque per tot alias Eccleſias diffuſam, amplexarentur: veri quoque ſimile prorſus videtur, eos propitiâ illâ occaſione uſos nihil intentatum reliquiſſe, ut Ambroſianam quoque uti in dogmate, ita & in ritibus Romanæ conformem efficerent. Conſtantiſſime autem repugnaſſe Clerum Ambroſianum, neque dimoveri ſe paſſum, quod celeberrimum virum Sanctum Ambroſium ſuæ Liturgiæ auctorem contenderet, eventus ipſe docet: nam poſt tot Sæcula eorum ritus illæſi perdurant. Et ſane etiam ante Annum 849 Ambroſius illorum inſtitutor tradebatur, Walafrido Strabone teſte, qui per ea tempora hæc ſcribebat Cap. 22. de Reb. Eccleſ. *Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus tam Miſſæ, quàm ceterorum diſpoſitionem officiorum ſuæ Eccleſiæ, & aliis Liguribus ordinavit. Quæ & uſque hodie in Mediolanenſi tenentur Eccleſia*. Neque reticendum, Anno quoque 1440. Brandam de Caſtellione S. R. E. Cardinalem conſilium cepiſſe abolendæ Ambroſianæ Liturgiæ. Verùm Populus Mediolanenſis in eum concitatus, ſolum vertere, & a cœpto deſiſtere coëgit. Corium & Oldoinum rei teſtes habeo.

Ceterum ſive quod ſub Carolo Magno Eccleſiæ

cleſiæ quædam non ſecus ac Ambroſiana, tenaciſſimæ ſuorum morum, ad Romanos ritus componere ſe ſe noluerint, ſive quod ſubſequentibus Sæculis eoſdem receptos immutarint, aut amplificarint, mihi vix dubitandum videtur, quin & poſt Carolum M. nonnullis aliis Eccleſiis peculiaris ſua fuerit Liturgia, aut certe in non paucis a Romana diſſentiens. Curia, Rhætiarum præcipua Urbs, ſuum adhuc Epiſcopum ſervat, & Eccleſiam ſacris Catholicis addictam; eratque olim Mediolanenſi Metropolitæ ſubjecta, ut patet ex Epiſtola Euſebii Mediolanenſis ad Leonem M. Pontificem Romanum. Quales ibi ritus in uſu forent Anno 1589. Miſſalis Liber me docuit, eodem Anno impreſſus Conſtantiæ cum hoc titulo: *Miſſale ſecundùm ritum Curienſis Eccleſiæ diligenter emendatum, & in meliorem ordinem digeſtum, mandato Reverendiſs. & Sereniſs. Principis ac Domini, D. Petri Epiſcopi Curienſis.* Liceat mihi adferre nonnulla, quandoquidem nova hæc multis obventura puto. Exorditur ibi Sacerdos Miſſam dicendo: *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Adjutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. Introibo ad Altare Dei, ad Deum, qui lætificat juventutem meam. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia ejus.* Tum confeſſionem his verbis peragit: *Ego reus & conſcius omnium peccatorum meorum, confiteor Deo Patri omnipotenti, Beatæ Mariæ Virgini, & omnibus Sanctis, & vobis, quod ego miſer & indignus peccator peccavi nimis in vita mea contra legem Dei mei cogitatione, locutione, omiſſione, conſenſu, viſu, verbo, & opere, ignorantia, negligentia: mea culpa, mea graviſſima culpa, aliiſque multis malis. Ideo deprecor glorioſiſſimam Virginem Mariam, beatos Apoſtolos Petrum & Paulum, beatos Florinum, & Lucium, beatam Emeritam &c. iſtos Sanctos, & omnes Sanctos Dei, & vos orare pro me miſero peccatore.* Tum ſubnectitur: *Miſereatur noſtri omnipotens &c. perducat nos Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſine macula cum gaudio in vitam æternam. Amen. Indulgentiam & remiſſionem omnium peccatorum noſtrorum, ſpatium veræ & fructuoſæ pœnitentiæ, finem bonum, Caritatemque perfectam tribuat nobis omnipotens, pius, & miſericors Dominus. Amen. Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſervo tuo. Sacerdotes tui induant juſtitiam, & Sancti tui exſultent. Domine exaudi orationem meam &c. Dominus vobiſcum &c. Tum geniculetur Sacerdos ante Altare, & dicat: Oremus. Exaudi quæſumus Domine ſupplicum preces &c. Tunc ſurgat, & aſcendat ad Altare & dicat: Aufer a nobis &c. Finito iſto faciat crucem in medio Altaris dicendo: Iſti Sancti, atque omnes Sancti tui, Domine, nos ubique lætificent &c. Tunc eat versùs dexteram, aperiendo Librum, oſculando Librum, & dicendo: Tuam Crucem adoramus, Domine tuam glorioſam recolimus paſſionem. Miſerere nobis, qui paſſus es pro nobis in Cruce. Poſtea eat ad ſiniſtram Altaris, oſculando Altare & dicendo: Pax Chriſti, quam nobis per Evangelium tradidit, confirmet, & conſervet corda & corpora noſtra. Pax mecum. Deinde redeat ad dexteram partem Altaris dicendo Abſolutionem generalem: Dominus noſter Jeſus Chriſtus vos abſolvat, & ego auctoritate ipſius, qua fungor, abſolvo vos*

A *a vinculis abſolutionis minoris, ſi incidiſtis; & reſtituo vos ſeptem Sacramentis, & communioni matris Eccleſiæ, in nomine Patris &c.* Nonnulla etiam adnotanda mihi videntur peculiaria in eadem Liturgia. *Ad locationem Calicis vino præparato, patenâ, & hoſtiâ ſuppoſitâ, erigat brachia & dicat: Acceptabile fiat Sacramentum iſtud omnipotenti Deo in nomine Patris &c. Sit ſignatum, bene✠dictum, & ordinatum Sacramentum iſtud omnipotenti Deo per Chriſtum Dominum noſtrum. Tunc accipiat patenam cum hoſtia de Calice dicendo: Suſcipe Sancte Pater &c.* Pro *Veni Sanctificator &c.* quod eſt in Miſſa Romana, ibi dicitur: *Veni inviſibilis ſanctificator, & bene✠dic hoc* B *Sacramentum tuo nomini a meis indignis manibus præparatum, per Chriſtum Dominum noſtrum.* Nihil ibi de manuum lotione: Pax hiſce verbis exhibetur: *Pax tibi, & Eccleſiæ Dei. Habete vinculum pacis & Caritatis, uti apti ſitis ſacroſanctis Myſteriis Chriſti. Amen.* Antequam aſſumat hoſtiam, dicit *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Panem Chriſti accipiam &c. Domine, non ſum dignus &c. Domine, propitius eſto mihi peccatori: Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti proficiat mihi, & omnibus circumſtantibus ad ſalutem in vitam æternam. Amen. Quid retribuam &c. Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti proficiat nobis in vitam æternam. Amen. Quod ore* C *ſumſimus &c. Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis &c. plenum gratia & veritate. Corpus tuum, Domine Jeſu Chriſte, quod ego miſer peccator ſumſi, & Sanguis, quem indignus potavi &c., & præſta, ut ibi nulla remaneat peccati macula, ubi intraverunt ſacroſancta Sacramenta. Benedicta filia tu a Domino; quia per te &c. Lutum fecit Dominus ex ſputo, & linivit oculos cæci: lavit, vidit, abiit, & credidit Deo. Nunc dimittis ſervum tuum &c.* Præter Cantum Angelicum, hoc eſt *Gloria in excelſis*, ibi legitur *Cantus Angelicus* de Beata Virgine, nempe idem *Gloria*, additis quibuſdam ad Deiparam ſpectantibus. Multæ quoque *Sequentiæ* ſingulares illic haben- D tur pro omnibus fere Feſtis ſolemnibus, uti & ritus quidam peculiares pro diebus Cœnæ Domini, & Paraſceves; peculiares quoque Epiſtolæ, Evangelia, Introitus, uti & complures Orationes votivæ. Sacræ Scripturæ textus non diſſimilis a Romano; attamen multa ibi verba anteponuntur, poſtponuntur, adduntur, mutantur. Atque hæc de Curienſis Eccleſiæ Liturgia, uti parum vulgata, excerpere placuit. Quo autem in loco nunc ſint iidem ritus, erit plura cupientis ediſcere ab ejuſdem Urbis incolis.

Redeo ad Ambroſianam Baſilicam, cujus ritus longe per Europam fuere, & adhuc ſunt celebriores. De iis multa habet Joſeph Vice- E comes Ambroſiani Collegii Doctor in Libro de Ritib. Miſſæ Lib. 2., & Cardinalis Bona Lib. I. Cap. X. Rerum Liturgicarum. Multa quoque attulit Radulphus Decanus Tungrenſis circiter Annum 1390. in Libro de Canonum obſervantia. Jacobus verò Pamelius inter Liturgica Latinorum Ambroſianam quoque Miſſam, Præfationes, ac Orationes totius Anni edidit Coloniæ Agrippinæ Anno 1571. Liceat & mihi nunc aliqua heic adnotare. Illud certum, non defuiſſe Mediolanenſi Eccleſiæ Liturgiam ſuam, vel antequam Sanctus Ambroſius eidem præficeretur; ubi enim Chriſtianorum Eccleſia fuit, ibi quoque Sacramenta e veſti-

gio fuere, & pari ratione ritus etiam ſacri. Quid verò Ambroſius immutaverit, addideritve, incompertum eſt, niſi quod novimus, Paulino in ejus Vita, atque Auguſtino in Lib. IX Confeſſion. teſtibus, inſtitutum ab ipſo fuiſſe, ut Antiphonæ, Hymni, & Pſalmi, *ſecundùm morem Orientalium partium canerentur*: qui ritus antea in Occidente inſuetus, per omnes poſtea provincias manavit, & adhuc in uſu ac honore habetur. Ceterum multa ſunt, quæ nobis perſuadent, potiores ritus Miſſæ, aliorumque ſacrorum, tales adhuc in Mediolanenſi Eccleſia adhiberi, quales ante Sanctum Ambroſium fuere, aut quales ipſe efformavit. Idque ex collatione Librorum ejuſdem Ambroſii elucere aliqua ex parte poteſt. Sed ſimul animadvertendum eſt, ex ritibus iis non paucos, minoris tamen momenti, ſubſequentibus Sæculis fuiſſe aut immutatos, aut imminutos, ut proinde concedere nequeam in Cl. Mabillonii ſententiam, qui in Muſei Italic. Tom. I. part. 2. Obſervationes quaſdam *de Ritu Ambroſiano* interſerens, enarratis iis, quæ Landulfus ſenior habet de tentata per Carolum Magnum Officii Ambroſiani abolitione, cenſet, *ab eo tempore Ritum Ambroſianum ſemper manſiſſe uniformem, ut ex relictis antiquis Libris deprehendimus, niſi quod ſubinde facta eſt novorum Feſtorum, ut moris eſt, acceſſio*. Quàm parum id cum veritate conſentiat, unum conſilium Puricellii V. Cl. & de Mediolanenſibus antiquitatibus tam bene meriti, ſatis evincere poſſet, qui Librum meditabatur *de Ritibus Ambroſianis*. *Originem Feſtivitatum* (ſunt ejus verba, ipſius manu exarata, quæ olim legi) *additamenta, vel alias mutationes Miſſali ac Breviario factas, varia Scriptorum teſtimonia de noſtris Ritibus identidem pronuntiata recenſerem &c.* Fuit & mihi idem propoſitum jamdiu, quum apud cariſſimos Mediolanenſes meos juvenis conſidebam, eamque in rem multa etiam antiquitatis fruſta congeſſeram. Sed Mutinam revocatus ædificium aliis conſtruendum reliqui; atque utinam ad illud ſe conferat omnium aptiſſimus Cl. V. Joſephus Antonius Saxius, Ambroſianæ Bibliothecæ Præfectus, in cujus mente verſari hoc idem conſilium intellexi.

Cardinalis Bona Lib. I. Cap. X. Rer. Liturgic. Ordinem Miſſæ Ambroſianæ exponens, ita exorditur: *Sacerdos Miſſam celebraturus, ſtans in infimo gradu, ſignat ſe ſigno Crucis; tum Pſalmo Judica me Deus cum antiphona alternatim recitato, dicit Verſum Confitemini Domino, quoniam bonus &c.* A vero abſceſſit doctiſſimus Cardinalis: neque enim noſtris temporibus Pſalmus *Judica me Deus* locum habet in Miſſa Ambroſiana, neque habebat, dum ea ſcriberet Cardinalis Bona. Decepit autem illum antiquus aliquis Miſſalis Liber, quem ipſe incaute, neglectis recentioribus, ſequutus eſt. Et revera fuere tempora, quibus Ambroſiani ab hoc Pſalmo ſacrum exordiri conſueverunt. Oblatus eſt mihi Mediolani Codex manu exaratus Anno 1257., qui olim ſpectavit ad Cartuſiam Garignani: hunc titulum præferens: *Liber celebrationis Miſſæ Ambroſianæ ſcriptus a Johanne Belo de Gurtiis de Melegnano, Rectore Eccleſiæ Sancti Victoris Portæ Romanæ*. Ibi ſtatuitur recitandus idem Pſalmus. Eſt mihi alter Miſſalis, Mediolani æreis typis impreſſus Anno 1522. ubi Pſalmus idem occurrit, quem Ambroſianus Sacerdos, una cum Miniſtro alternatim recitabat, ſed

A verſiculorum diviſione diverſa a Romana. Eumdem quoque præferunt alii Miſſales; aliis temporibus prœlo impreſſi, atque ille potiſſimum, quem Gaſpar Vicecomes Archiepiſcopus Mediolanenſis Anno 1594. typis tradendum curavit. Sed ejus in Archiepiſcopatu ſucceſſor Fredericus Cardinalis Borromæus, Ambroſianæ Bibliothecæ parens, & vir ex rebus geſtis immortalis nominis, quum Ambroſianum Ritum expurgandum, & antiquæ puritati reſtituendum ſibi ſumſiſſet, animadvertens, antiquiſſimos Miſſales, & quoſdam etiam impreſſos carere hujuſmodi Pſalmo, inde eum ſuſtulit: quem morem poſtea retinuit Mediolanenſis Eccleſia.

B Accipe nunc, quàm diverſos alios Ritus in Ambroſianam Miſſam invexerint Sæcula quædam, qui nunc aut ſublati, aut immutati ſunt, ut ad primævam ſuam inſtitutionem Miſſa redigeretur. In ſupra laudato Miſſali MSto Cartuſiano poſt verſiculum *Confitemini Domino &c.* hæc leguntur: *Poſt: Sit nomen benedictum &c. Tunc Sacerdos ſublimet oculos & manus, & inclinet, circumſtantibus dicens: Rogo altiſſimam Virginem Mariam, omnes Sanctos, & vos, fratres, orare pro me ad Dominum. Reſpondet Chorus: Exaudiat te Dominus in oratione tua, & benedicat te. Sacerdos plane dicat: Dominus vobiſcum. Reſpondetur: Et cum ſpiritu tuo. Si autem*
C *per ſe ſolus: Domine exaudi orationem noſtram, & clamor noſter ad te perveniat. Sequitur Oratio privata ante Altare: Rogo te Deus &c.* Poſt Lectionem recitatam hæc ſubjiciuntur: *Notandum etiam, quod Paſſiones, Depoſitiones, ſeu Vitæ Sanctorum leguntur loco Lectionum in ſolemnitatibus eorumdem, ſed in propriis feſtivitatibus Eccleſiarum*. Hujuſmodi Ritus veſtigia in nullis aliis Mediolanenſium Libris ego deprehendi. Hæc etiam in eodem Miſſali animadvertenda. *Cantatâ Antiphonâ poſt Evangelium, iterum dicitur: Dominus vobiſcum. Poſtea a Diacono proferatur: Pacem habete, Choro reſpondente: A te, Domine. Deinde Dominus vobiſcum. Sequitur Oratio ſuper Sin-*
D *donem*. Poſt hæc in eodem Miſſali legitur: *Sacerdos in manibus tenendo patenam cum pane, ſub ſilentio dicat: Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua. O Domine, ego ſervus tuus &c. Domine, ſanctiſſime Pater, ſanctifica hunc panem, ut fiat Unigeniti tui Corpus. Amen. Vel: Deprecor te, Sancte Pater, ut hic panis tranſeat in Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti. Amen. Tenendo Calicem in manibus cum vino & aqua, dicat ſecrete: Quid retribuam Domino &c. Domine, Sancte Pater, ſanctifica hoc vinum aquâ mixtum, ut fiat &c.* Poſt Offertorium, & Orationes ſubſequentes, cetera deſiderantur in eo Codice. Neque prætermittendum, ibi in
E teſtem adferri *Johannem Belethum*, qui propterea non floruerit circiter Annum 1328., ut Caſimirus Oudin opinatus eſt, ſed quidem longe antea, uti cum Trithemio reliqui eruditi cenſent.

Sed plura ab hodierno Ritu Miſſæ Ambroſianæ diverſa mecum animadvertere poterit quicumque hujuſmodi eruditione delectatur, inſpiciendo Librum Mediolani impreſſum Anno 1499. curâ Ambroſii de Caponago cum hoc titulo: *Rationale Ceremoniarum Miſſæ Ambroſianæ*. Inde ego pauca hæc excerpſi: *Poſtquam Sacerdos dixerit, Confitemini Domino &c. ſequitur: Ego infelix Sacerdos confiteor Deo*

patri omnipotenti , & Filio , & Spiritui Sancto , Beatæ Mariæ ſemper Virgini , Beato Ambroſio Confeſſori , & omnibus Sanctis , & vobis circumſtantibus, me graviter peccaſſe per ſuperbiam in lege Dei mei , cogitatione , delectatione , omiſſione , ſenſu , tactu , viſu , verbo , & opere . Mea culpa , mea culpa , mea maxima culpa . Ideo precor Beatiſſimam Virginem Mariam , Beatum Ambroſium Confeſſorem , omnes Sanctos & Sanctas Dei , & vos circumſtantes orare pro me ad Dominum Deum noſtrum . Reſpondetur : Deo gratias . Si habet Diaconum , aut alium Sacerdotem adjuvantem , dicat reſpondendo : Miſereatur &c. & Celebrans reſpondet : Amen . Deinde adjuvans dicit Confeſſionem hoc modo : Confiteor &c. ut ſupra , niſi quod dicit *tibi pater* . Nunc brevius Ambroſiani confeſſionem expediunt . In eodem Rationali hæc itidem leguntur : *Deinde Celebrans ante Altare aliquantulum ſe inclinat , dicendo ſecrete hanc Orationem : Rogo te , altiſſime Deus Sabaoth , Pater ſancte , ut me digneris tunicâ caſtitatis accingere , lumbos meos balteo tui timoris ambire , renes meos caritatis tuæ igne urere , ut pro peccatis meis poſſim intercedere, & pro aſtantibus veniam peccatorum promereri , & ſingulorum hoſtias pacificas immolare . Me quoque audactor ad tuum Altare accedentem non ſinas perire , ſed dignare lavare , ornare , & clementer ſuſcipere , per Chriſtum &c.* Iſta ſublata fuere e Miſſa Ambroſiana: *Accedit ad Altare , & facit crucem in medio Altaris cum pollice , & illam oſculatur ; & deinde vadit in dextram partem Altaris , & aperto libro Miſſale oſculatur pedes Crucifixi , & ſe ſignando incipit Miſſam , abſolute dicendo Ingreſſam , ſive Introitum* . Mos quoque fuit poſt Hymnum *Sanctus, Sanctus &c.* deoſculari pedes Crucifixi , aut ſaltem pedem Crucis ; in omnibus quippe Miſſalibus in principio Canonis , uti & nunc , collocari conſuevit imago Chriſti e cruce pendentis . *In Oblatione dicit hanc Orationem : Suſcipe , Domine , Sancte &c. hunc panem , & ſanctifica eum , ut tranſeat in Unigeniti tui Corpus &c.* Paria habet offerendo calicem , mutatis mutandis . De Benedictione Populo danda , hæc ibi occurrunt: *Sacerdos ſe volvens ad Populum, dat benedictionem , prout competit diei . Una habetur communis , videlicet : Benedicat vos Divina Majeſtas ✠ Pater ✠ & Filius ✠ & Spiritus Sanctus. Amen . Sunt nonnullæ aliæ benedictiones , quæ more Ambroſiano in uſu ſunt , ſecundùm occurrentiam diei & Miſſæ ; videlicet , in Adventu Domini dicitur : Per Adventum Domini Noſtri Jeſu Chriſti benedicat vos omnipotens Pater , & perducat ad gaudia Regni Paradiſi. Amen . In die Nativitatis Domini , ac per totam Octavam dicitur : Pro Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti benedicat vos &c.* Reliquas omitto . Nunc una tantum habetur. Mihi autem animus non eſt , ſingula colligere , in quibus Ambroſiana Miſſa temporum noſtrorum differt non ab antiquiſſima , quæ olim erat in uſu , ſed ab ea , quam Sæcula poſteriora multis additis onerarant potius quàm ornarant . Hæc enim fortaſſe tœdii multum , eruditionis parum efferrent . Ergo juvat alia conſectari, legenti , ut ſpero , gratiora .

Adſervat Ambroſiana Bibliotheca antiquum Codicem ſaltem ante annos ſexcentos , uti mihi videbatur , manu exaratum cum hoc titulo: *Manualis de ſingulis Dominicis ſeu Feſtivitatibus in circuitu anni* . Antiquitatem illius mihi præcipue commendabat dierum feſtorum ordo , qui tunc obtinebant . Inter cetera ad diem Sancti Barnabæ tres tantum Orationes adſignantur , & nil aliud peculiare de eo ibi refertur : quod indicio eſſe poſſit, eo tempore nondum invaluiſſe opinionem de fundatione Eccleſiæ Mediolanenſis per ipſum , ut a multis Sæculis traditur , factâ . Illic etiam ad dies Domini ſolemnes fere ſemper adnotatur *Antiphona , quæ canitur de Eccleſia in Baptiſterium* , nempe quum Canonici ad proximam ædem ſacram procedebant , ubi urbanum Baptiſterium erat . Die Epiphaniæ in Matutino adnotantur *Antiphonæ ad primam turmam , ad ſecundam turmam , ad tertiam turmam , Reſponſoria cum infantibus , & Reſponſoria quatuor puerorum, & Antiphona ad Crucem* . Adnotantur etiam *Pſalmi directi* die Dominico , qui nempe recitantur poſt Pſalmos conſuetos Laudum , ſimul ab utroque Choro ſtante , & non alternatim . *Pſalmorum directorum* mentio eſt in Regula Sancti Benedicti. Cenſet autem Du-Cangius in Gloſſario Latino ad vocem *Directaneus* , quod idem eſt atque *directus* , eo vocabulo ſignificari Pſalmos aut Hymnos , qui unico vocis tono, nulla modulatione , pronuntiarentur . Sed videndum , num potius ita Pſalmi appellarentur , quod non alternatim , ſed continuato progreſſu , atque una voce ab integro Choro recitarentur , aut etiam canerentur . Philo in Libro de Vita Contemplativ. de Therapeutis hæc habet : *Cantant Hymnos in laudem Dei compoſitos , variis metrorum , carminumque generibus , nunc ore uno , nunc alternis &c.* En quam antiquius mos iſte , & qualis forma pſallendi a piis hominibus frequentaretur . Præſertim verò digna mihi viſa ſunt publica luce quæcumque in ſupra laudato Manuali antiquiſſimo habentur de Ritibus ad Catechumenos , & ad Baptiſmum pertinentibus .

Ordo Eccleſiæ Ambroſianæ in ſolemni Baptiſmo Sabbato Sancto, ex antiquiſſimo Codice MS.

NOtandum in prima Dominica de Quadrageſima (hæc ſecunda eſt apud Romanos: prima enim apud Ambroſianos appellatur *Dominica in capite Quadrageſimæ*) *Ordo quadrageſimalis, ſicuti fit in Eccleſia Majore. In Dominica prima Quadrageſimæ lecto Evangelio dicat Diaconus: Qui vult nomina ſua dare, jam offerat. In ſecundo Sabbato de Quadrageſima, finita majore Miſſa, Presbyter, qui Miſſam canit, vadit ubi cinis eſt cilicio aſperſus, & benedicit cinerem. Benedicto cinere, vadunt duo Subdiaconi cum Diacono Hebdomadario ad oſtium Eccleſiæ, ubi pueri ſtant, & Subdiaconi foris, Diaconus autem de intus. Tunc Diaconus interrogat Subdiaconum: Quid petunt? Reſpondet Subdiaconus: Fidem. Diaconus interrogat: Abrenuntiant Diabolo & operibus ejus? Reſpondet Subdiaconus: Abrenuntiant. Et dicit Diaconus: Memores eſtote ſermonum veſtrorum, ut a vobis numquam abſcedant. Reſpondet Subdiaconus: Memores erimus. Tunc vadit ad aliud oſtium, ubi puellæ ſtant, & dicit ſimiliter. Et poſthac omnes maſculi & feminæ intrant in Eccleſiam, & vadunt, ubi Chriſmon eſt.* (Vide Landulfum Seniorem Lib. I. Cap. XII. Tom. IV. pag. 65. Rerum Italicarum.) *Et ſtant ex una parte maſculi, & ex alia feminæ, maſculi a Meridie, & feminæ ab Aquilone. Et ecce Presbyteri majoris ordinis & minoris, Sacerdotaliter parati, veniunt, ubi Chriſmon eſt, & orant dicentes: Pater noſter. Finita Oratione exſuflant in modum Crucis, & dicunt: Exſuflo te, cinis cilicio aſperſus, in nomine Patris &c. Et ſtatim major Presbyter tollit Librum Evangeliorum, & deoſculatur illum, & defert in circuitu puerorum, ſignando ſemper & dicendo exorciſmum Sancti Ambroſii. Et ceteri Presbyteri ſequuntur; & duo ex ipſis Presbyteris, aut tres ex ſingulis partibus faciunt ſignum Crucis pueris in frontibus, tribus aut quatuor, & dicunt: Signo te ſigno Crucis in nomine Patris &c. Diaconi vero & Subdiaconi albis induti vadunt de foris in circuitu puerorum, ſimiliter ſignando & dicendo ſemper exorciſmum Sancti Ambroſii. Finito ſignaculo, Competentes vadunt ante Altare extra Cancellos; & Presbyter Hebdomadarius retro Altare dicit: Dominus vobiſcum. Et reſpondent Clerici: Et cum ſpiritu tuo. Et Diaconus ad cornu Altaris dicit excelſa voce: Superius vos fideles Competentes cervicem flectite. Erigite vos ad Dominum. Pariter date Deo honorem. Et reſpondet omnis Chorus: Amen. Et Diaconus dicit: Humiliate vos ad benedictionem. Tunc admonendi ſunt Catechumeni ab Acolythis, ut caput inclinent. Tunc Presbyter dicit Orationem. Dicta Oratione, Diaconus dicit: Procedant Competentes. His omnibus peractis procedant, & Veſperum inchoatur.*

Sequenti die Dominico, lecto Evangelio, omnes Catechumeni intrant in Eccleſiam; & Presbyter, & Diaconus, & Oſtiarii eo ordine dicunt nomina, quæ dixerunt heſterno Sabbato, finito ſignaculo. Sic faciendum eſt in ſequenti Sabbato de Cæco, & Dominica. In Sabbato autem de Lazaro omnes pueri maſculi, & feminæ A *ſunt ſcribendi; & poſt interrogationem Diaconi, duo Presbyteri cum camiſio & orario ſtant ad oſtia, ubi Catechumeni intraturi ſunt, cum oleo ſanctificato, & perungunt illos in pectore, & dicunt: Ego te linio &c. Item ſignandi ſunt infantes, ut mos eſt in Sabbato de Abraham, tribus vicibus; in Sabbato de Cæco; in Sabbato de Lazaro ſex vicibus. In traditione autem Symboli, finitâ Miſsâ, omnia tintinnabula ſunt ſonanda, & cuncta oſtia claudenda. Tum nullus niſi Catechumenus expellendus eſt. Et Presbyter Hebdomadarius cum orario & cappa, retro altare ſalutat. Et Diaconus per ordinem cum orario dicit has voces: Si quis Catechumenus, procedat. Si quis Paganus, procedat. Si* B *quis Hæreticus, procedat. Si quis Judæus, procedat. Cui cura non eſt, procedat. Et Oſtiarii ſemper ſimiliter. Et Diaconus, antequam dicat has voces, & poſtea, per ſingulas oſculetur Altare. His dictis, cantatur: Venite filii. Deinde Archiepiſcopus vadit in Secretarium ad ſe parandum. Nec non Primicerius Lectorum cum Lectoribus induunt ſe planetis, & veniunt tollere licentiam ab Archiepiſcopo ad aperiendas januas pueris. Et pergendo orant in tribus locis. Semel in Choro, deinde juxta gradum, tertiò juxta regias. Et tunc aperiunt valvas pueris, & dicunt: Ingredimini filii in domum Domini. Audite patrem veſtrum docentem vos viam ſcientiæ. Et revertendo orant* C *ſimiliter tribus vicibus. Et ſemper portat Primicerius tabulas, & colurna virgulta intus cum foliis.* Ex adverſariis MStis Cornei Magiſtri Ceremoniarum Eccleſiæ Mediolanenſis intellexi, olim in Secretario meridionali ejuſdem Eccleſiæ adſervatas fuiſſe *quatuor tabellas ex oſſe* (an potius ex ebore?) pares foliis libri Miſſalis, in quibus ſculpta erant varia Chriſti Domini acta literis Græcis ſuperpoſitis. Deferebantur hæ tabulæ in ſacris ſupplicationibus, atque eaſdem pueri in viis, ac in templis oſculabantur. At uſus earum omnino deſiit Anno 1633. De ejuſmodi tabulis vide Amalarium de Divin. Offic. Lib 3. Cap. 16 *Colurna virgulta* opinor fuiſſe virgas e corylo, quarum uſum D non memini me legere alibi. Progreditur Manualis Liber MStus, reliqua hæc referens. *Tunc incipitur Symbolum ab Archiepiſcopo, vel Presbytero Hebdomadario. Tradito Symbolo, dicit Archiepiſcopus, vel Presbyter Hebdomadarius, retro Altare: Dominus vobiſcum. Et Diaconus refert ea, quæ in ceteris Sabbatis dicta ſunt: Superius vos fideles &c. Et ſic omnes pueri procedunt, & Veſperum inchoatur. Sabbato Sancto poſt Benedictionem Fontis, alioſque ritus, Epiſcopus interrogat: Quid veniſtis facere? Illi reſpondentes dicunt: Baptizare. Dicit patrinis: Ite, abducite eos in nomine Patris &c. Interrogat iterum patrinos. Quod eſt nomen illorum? Reſpondent: tale, & tale. Item nominant patrini nomina. Et dicit Epiſcopus: Creditis in Deum Patrem omnipotentem?* E *Reſpondent: Credimus. Interrogat: Et Jeſum Chriſtum &c.* ut in Romano. *Reſpondent: Credimus. Item dicit Epiſcopus: Baptizate eos in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti. Letaniæ ſuper infantes. Domine miſerere. Chriſte libera nos. Salvater*

ior libera nos, Sancta Maria, Sancte Michaël &c. Singulis diebus in Octava Paſchatis proceditur ad Baptiſterium. Feria IV. Veſperæ ad Sanctum Ambroſium. Feria V. Pſalmus de Baptiſterio. Item Antiphonæ in Eccleſia Hyemali, in Eccleſia Æſtiva, ad Sanctum Ambroſium foris murum &c. Sabbato Antiphona ad caput infantum diſcooperiendum.

Heic autem minime reticendus Ambroſianus ritus in baptizando. Non enim per ablutionem, uti nunc Romani faciunt, ſed per quamdam immerſionis ſpeciem Sacerdotes Ambroſiani baptizant. Manibus enim ſuſcepto infante, ejus occipitium ter in formam Crucis in ſalutari aqua mergunt: quod veſtigium adhuc perdurat vetuſtiſſimæ atque olim ubique uſurpatæ immerſionis. In perantiquo Antiphonario Bibliothecæ Metropolitanæ Mediolanenſis, ſcripto circiter Annum 1150. quod antea ſpectabat ad Canonicam Vallis Travaliæ, ad Sabbatum Sanctum recenſentur ritus Baptiſmatis, e quibus hæc pauca decerpſi: *Quadrageſimæ primâ Hebdomadâ, poſt cantatum Pſalmum Quinquageſimum ad Matutinum dicit Presbyter: Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Item dicit Diaconus leni voce: Procedant Competentes, ſimplum. In alia Hebdomada duplum. Item Oſtiarius ad regian: Ne quis Catechumenus. Ad Veſperas ſimiliter. Dominica de Samaritana poſt Evangelium lectum dicit Diaconus: Qui vult nomina ſua dare, jam offerat &c. In Sabbato Sancto non dicitur: Patrinus: ſed Pater, quum infantes baptizati ſunt. Exorciſmus Sancti Ambroſii incipit: Omnipotens Domine, verbum Dei Patris, Chriſte Jeſu, Deus & Dominus univerſæ creaturæ &c.* Tum in deſcribendo Baptiſmate præſcribitur *trina merſio*, tum Litaniæ, ac deinde *facit Crucem infantis in cerebro, quum Chriſma dat, & dicit: Domine pater Domini noſtri Jeſu Chriſti*, ut in Romano. Tum ſequitur Communio, quæ ſub his verbis miniſtratur:

A *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti ſanguine ſuo tinctum conſervet animam tuam in vitam æternam. Amen.* At quando ſacrum Viaticum ægrotis porrigebatur, animadverti in uno antiquiſſimo Miſſali MSto Ambroſianæ Bibliothecæ, hæc tantum verba olim fuiſſe in uſu apud Ambroſianos: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti conſervet animam tuam in vitam æternam.* Sed in altero itidem vetuſtiſſimo Miſſali MSto ejuſdem Bibliothecæ, ubi habetur *Impoſitio manuum ſuper Infirmum*; nempe Olei Sancti unctio, ſubinde additur: *Communica eum, & dic: Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti ſanguine ſuo tinctum conſervet animam tuam &c. Oratio: Domine ſancte Pater, te fideliter de-*
B *precamur, ut accipiente fratre noſtro ſacroſanctam hanc Euchariſtiam ✠ Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti &c.* Ritum hunc porrigendi Laicis ſanis Hoſtiam ſacro Sanguine intinctam, Orientali Eccleſiæ a multis Sæculis familiarem, proſcripſerat Synodus Bracarenſis Anno 675. Eum quoque Paſchalis II. Papa in Epiſt. 32. ad Pontium ineunte Sæculo XII. improbavit, exceptione tamen hac addita: *præter in parvulis, ac omnino infirmis, qui panem abſorbere non poſſunt.* Nemo autem inter ſacræ Eruditionis cultores eſt, qui neſciat, per undecim ſaltem Sæcula ab exordio Eccleſiæ miniſtratum fuiſſe & Laicis Sacramentum Euchariſtiæ *ſub utraque Specie*,
C ut nunc dicimus. Verùm quod eſt ad Ægros, non idem ſemper & ubique mos fuit. Invaluit autem mos porrigendi iis ſacram Hoſtiam Sanguine Chriſti intinctam, ut eam facilius deglutirent. In antiquiſſimo Rituali MSto membranaceo, quem adſervant Monachi Benedictini in celeberrimo Monaſterio Sancti Columbani Bobienſis, ritus legitur *de ingrediendo ad Infirmum*. Inde ego hæc pauca deſcripſi, quæ mihi luce digniora viſa ſunt. Ibi deprehendes miniſtratam eadem ratione Hoſtiam ſacram

Ordo miniſtrandi Sacramenta Ægris, & orandi pro iis, ante ſeptingentos annos ſcriptus.

ET cum viderint eum ad exitum appropinquare, dandum eſt illi Corpus & Sanguinem Domini, etiamſi ipſo die comediſſet, quia Communio erit ei adjutor & defenſor in reſurrectione juſtorum: ipſa enim reſuſcitabit eum in noviſſimo die. Oratio: Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipiente fratre noſtro ill: ſacroſanctam hanc Euchariſtiam Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti Filii tui, tam corporis, quàm animæ ſit ſalus: Per. Et eum poſuerit in ore ipſius Euchariſtiam, dicat Sacerdos: Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti Sanguine ſuo inlitum intinctum mundet te ab omni peccato, & conſervet animàm tuam in vitam æternam. Oratio poſt Communionem: Accepto ſalutaris divini Corporis cibo; Salvatori noſtro Jeſu Chriſto gratias agimus, quod per ſui Corporis & Sangunis Sacramentum nos a morte liberavit; & tam corporis, quàm animæ humani generis remedium donare dignatus eſt, qui vivit & regnat. Poſt has Orationes faciat ei Sacerdos ſignum Crucis in capite de Oleo benedicto, dicens: In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiri ✠ tus Sancti. Extinguatur a te omnis virtus adverſarii per impoſitionem manuum noſtrarum, quas nos carnaliter facimus; & per invocationem, atque interceſſionem omnium Angelorum; Archangelorum, Patriarcharum, vel Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Virginum, ſeu ſimul omnium Sanctorum Dei: vivit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen. Deinde recitet Pſalmum Sextum totum cum Gloria & Antiphona: Sana me, Domine; quoniam infirmus ſum; & anima mea turbata eſt valde; ſed tu Domine ſuccurre mihi. Pſalmus: Domine, ne in furore tuo]. Inde verò perungendus eſt infirmus de ipſo Oleo in temporibus capitis, & juxta aures, vel nares; & ſcapulas, vel pectus, ſive in brachiis, ſeu ſtomachum, in modum Crucis, dicens: Inungimus te de Oleo benedicto & ſanctificato in nomine Sanctæ Trinitatis, ut mos eſt, ſicut unxit Samuel David in Regem & Prophetam; ut præparatus ad luctam aërias poſſis ſuperare catervas, & ſalveris in fide Sanctæ Trinitatis Dei, qui vivit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen. Sequitur Oratio: Operare ergo creaturam Olei, operare in nomine Dei Patris omnipotentis, & Jeſu Chriſti Filii ejus Domini noſtri &c. Et cum perunctus fuerit, ponet Sacerdos manus ſuper eum, & dicit Orationem hanc: Omnipotens ſempiterne Deus, hanc habentes fiduciam, & certi de miſericordia tua medicinæ tuæ ſolatium &c.

Litaniæ ſuper infirmum morti proximum.

KYrie eleyſon.
Chriſte eleyſon.
Chriſte audi nos.
Sancta Maria.
Sancte Michaël.
Sancte Gabriel.
Sancte Raphaël.
Sancte Joannes.
Sancte Petre.
Sancte Paule.
Sancte Andrea.
Sancte Jacobe.
Sancte Joannes.
Sancte Philippe.
Sancte Thomas.
Sancte Jacobe.
Sancte Bartholomæe.
Sancte Matthæe.
A *Sancte Symon.*
Sancte Juda.
Sancte Mathia.
Sancte Stephane.
Sancte Line.
Sancte Clete.
Sancte Clemens.
Sancte Sixte.
Sancte Corneli.
Sancte Cipriane.
Sancte Laurenti.
Sancte Ypolite.
Sancte Griſogone.
Sancte Coſma.
Sancte Damiane.
B *Sancte Sebaſtiane.*
Sancte Apollinaris
Sancte Georgi.
Sancte Dionyſi.
Sancte Ruſtice.
Sancte Eleutherie.
Sancte Mauricii.
Sancte Exuperii.
Sancte Candide.
Sancte Victor.
Sancte Innocens.
Sancte Vitalis.
Sancte Alexander.
Sancte Domnine.
Sancte Antonine.
C *Sancte Nazarii.*
Sancte Celſe.
Sancte Gervaſi.
Sancte Protaſi.
Sancte Nabor.
Sancte Felix.
Sancte Marciane.
Sancte Secunde.
Sancte Calocere.
Sancte Anaſtaſi.
Sancte Vincenti.
Sancte Deſideri.
Sancte Symphoriane.
Sancte Vitalis.
Sancte Vite.
D *Sancte Tiburci.*
Sancte Valeriane.
Sancte Feliciſſime.
Sancte Agapite.
Sancte Dalmate.
Sancte Benigne.
Sancte Marcelle.
Sancte Valentine.
Sancte Hylari.
Sancte Martine.
Sancte Ambroſi.
Sancte Hieronyme.
Sancte Auguſtine.
Sancte Gregori.
Sancte Silveſter.
Sancte Benedicte.
Sancte Patrici.
Sancte Brici.
Sancte Remigi.
Sancte Euſebii.
Sancte Syre.
Sancte Hyventi.
Sancte Zene.
Sancte Amande.
Sancte Eugeni.
Sancte Antoni.
Sancte Machari.
Sancte Adriane.
Sancte Albane.
Sancte Gaudenti.
Sancte Medarde.
Sancte Columbane
Sancte Galle.
Sancte Euſtaſii.
Sancte Attala.
Sancte Bertulfe.
Sancte Walerice.
Sancte Arnulfe.
Sancte Baſille.
Sancte Iſidore.
Sancte Samſon.
Sancte Fuſce.
Sancte Filiberte.
Sancte Abundi.
Sancta Felicitas.
Sancta Perpetua.
Sancta Anaſtaſia.
Sancta Agnes.
Sancta Lutia.
Sancta Cecilia.
Sancta Tecla.
Sancta Euphemia.
Sancta Suffia.
Sancta Columba.
Sancta Marina.
Sancta Criſtina.
Sancta Scolaſtica.
Sancta Petronilla.
Sancta Juliana.
Sancta Affra.
Sancta Eugenia.
Sancta Brigida.
Sancta Margarita.
Sancta Poteneiana.
Sancta Genoveſa.
Sancta Regina.
Sancta Julitta.
Sancta Eulalia.
Sancta Muſtiola.
Sancta Juſtina.
Sancta Suſanna.
Sancta Balbina.
Sancta Savina.
Sancta Seraphia.
E *Omnes Sancti Orate pro nobis.*
Propicius eſto: parce nobis, Domine.
Propicius eſto: libera nos, Domine.
Ab omni malo libera nos.
Ab ira tua libera nos.
A periculo mortis libera nos.
Ab inſidiis Diaboli libera nos.
Ab hoſte malo libera nos.

A repen-

A repentina morte libera nos .
A peccatis noſtris libera nos .
Per Crucem tuam libera nos .
Peccatores , te rogamus , audi nos .
Ut ſanitatem nobis dones , te rogamus .
Ut pacem nobis dones , te rogamus .
Ut veram pœnitentiam nobis concedas , te rogamus .
Ut indulgentiam nobis dones , te rogamus .
Ut infirmo ſanitatem tribuas , te rogamus .
Ut in Chriſto quieſcentibus æternam tribuas requiem , te rogamus .
Ut nos exaudire digneris , te rogamus .
Fili Dei , te rogamus , audi nos .
Redemptor Mundi , te rogamus , audi nos .
Fili Dei , te rogamus , audi nos .
Agnus Dei &c.

Atque ex monumentis hactenus productis diſcere poſſumus , quot Sæculis perſeveraverit mos ille Chriſtianorum , nempe non ſtatim à nativitate , uti nunc facimus , baptizandi infantes . Niſi ægritudo, periculumque vitæ imminebat , Sacramenti perceptio à pleriſque differebatur uſque ad Vigilias Paſchatis & Pentecoſtes , quibus ſolemnem Baptiſmum Eccleſiæ celebrabant . Eòque deducebantur pueri interdum aliquot annos nati . Bernardus Abbas Cluſinus Sæculo Chriſti XI. ut eſt in ejus Vita à Wilelmo Monacho ſcripta , atque à Mabillonio edita num. 42. ajebat : *Trium eram annorum , quando Baptiſmi gratiam percepi* . Vidimus etiam Baptizatos ſtatim ad ſacram *Communionem* Corporis Chriſti admiſſos . Hæc veterum diſciplina fuit ; immo erant , qui neceſſariam rem ſunt arbitrati . Pervetuſtus Ritualis MStus Liber adſervabatur olim Romæ in ampliſſima Cardinalis Caſanatæ Bibliotheca , quæ poſtea alteri Patrum Prædicatorum de Minerva addita , inſigne Urbis ornamentum evaſit . Scriptus fuit ſub Landulfo Epiſcopo , ſeu Archiepiſcopo , ut opinor , Capuano . Ibi enim verſus occurrunt in fine , e quibus hos tantùm excerpſi :

Egregius Præſul Landolfus ſanctior alter ,
(quæ Landulfum II. innuere videntur)
Tempore ſub cujus ditata eſt Virginis aula ,
Pro cujus laude omnes nos expoſcimus ipſi ,
Virginis ut Prolem votivo corde rogetis ,
Splendida quo loca Sanctorum mereatur habere.

Illic ergo legitur *Benedictio Fontis*, quam prætermitto , atque hæc paucula profero : *Tunc extrahatur foras Cubellâ* (ideſt *e labro* : nam *Cubam* hoc ſenſu dixere veteres , & pro vaſe vinario majore [nunc *Tino*] uſurparunt , ad cujus ſimilitudinem , ſed minori forma , Fons Baptiſmalis efformari conſuevit , appellatus propterea *Cubella*) *& permaneat in Eccleſia , uſque dum Miſſa celebretur , & Dominicis Sacramentis confirmetur . Et ante perceptionem Corporis Domini dicantur iſtæ Orationes . Omnipotens ſempiterne Deus , qui regeneraſti famulum tuum ex aqua & Spiritu Sancto , quique dediſti ei remiſſionem omnium peccatorum , tribue ei continuam ſanitatem , ad agnoſcendam unitatis tuæ virtutem , per ejuſdem Spiritus Sancti &c. Omnipotens ſempiterne Deus , majeſtatem tuam ſupplices deprecamur , ut famulum tuum digneris terrenis aſpectibus reſpicere , ut , cui donaſti Baptiſmi Sacramentum , longævam tribuas ſanitatem &c. Tunc detur Euchariſtia his verbis : Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat te in vitam æternam . Amen . Hoc autem omnino præcavendum eſt, ut non negligatur, quia tunc omne Baptiſmum legitimum Chriſtianitatis nomine confirmatur* . Ità in illo Rituali : ubi vides , miniſtratum fuiſſe dumtaxat Corpus Chriſti . Sed varia in hoc diſciplina Eccleſiarum fuit . Hugo de Sancto Victore , qui Sæculo Chriſti XII. floruit, in Lib. I. Cap 20. de Sacrament. memoriæ prodidit, unum Sanguinis Sacramentum infantibus baptizatis fuiſſe exhibitum : *Pueris* , ait , *recens natis* idem Sacramentum in Specie *Sanguinis eſt miniſtrandum digito Sacerdotis , quia tales naturaliter ſugere poſſunt*. Alibi verò , ut vidimus , & Corpus & Sanguis eis tradebatur : quod Mediolani præcipue in uſu fuit iiſdem temporibus . En tibi , quæ in MSto Codice Beroldi , de quo infra ſermo erit, olim ego legebam Mediolani . Spectabat Codex ille pervetuſtus ad Canonicum Lautium, mihique viſus eſt exaratus Sæculo Chriſti XII. ut plura in calce & margine addita indicabant . Ibi quidem hæc etiam adnotatio mihi occurrebat : *Septembris Idibus Anno Domini MC. iter Anſelmi Archiepiſcopi in Corrociana* . Verùm hæc poſt exaratum Librum adjecta fuere, quum ibi textus Beroldi occurrat , qui Auctor, uti infra videbimus , floruit Anno 1130. Quid autem *Corrociana* fuerit , a Clariſſimo Saxio diſces in Notis ad Landulfum juniorem Hiſtoricum Mediolanenſem , Tom. V. Rer. Italicarum a me editum . Ut enim is animadvertit ex Abbate Uſpergenſe , *Terra Coriziana Turchorum patria* fuit . quò Anſelmus Archiepiſcopus Mediolanenſis eo Anno profectus eſt . Itaque ex eo Codice MSto excerpſi lucubratiunculam ſubſequentem , in qua potiſſimum legas velim interrogationem poſtremam : *Quare renati fonte Baptiſmali mox Corpus & Sanguinem Domini percipiunt ?*

Ordo qualiter Scrutinia agantur pro Catechumenis: Scriptus circiter Ann. Chriſti 1130.

I. *INterrogatio. Quare nomina eorum, qui catechizati ſunt, ab Acolytho deſcribuntur?* A

Reſponſio. Ut ſcilicet impleatur in eis illud, quod ſcriptum eſt: Imperfectum meum viderunt oculi mei, & in libro tuo omnes ſcribentur. Item: Gaudete autem, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. Unde B. Auguſtinus ait: Videte dilectiſſimi, qui hanc profeſſionem veſtram in curiam profertis Angelicam, nomina profitentium in libro excipiuntur vitæ, non a quolibet homine, ſed a ſuperiore cœlitus poteſtate. B

II. *Quare poſt deſcriptionem nominum ſignantur Catechumeni?*

Reſponſio. Videlicet ut poſſint dicere: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine. Et bene prius ſignantur quàm baptizentur, quia prius poſtes filiorum Iſraël agni ſanguine ſignantur, quàm mare rubrum tranſeant, per quod ſignantur Baptiſmatis Sacramenta.

III. *Quare deinde ſal exorcizatum & benedictum in ora Catechumenorum mittitur?*

Reſponſio. Ut oſtendatur ſupernæ ſapientiæ eos jam vel modicum recipere guſtum. Sicut enim ſacrificia, quæ jubente Lege offerebantur, ſale condiebantur, ita nunc qui baptizandi ſunt, cœleſtis ſapientiæ ſale debent condiri. C

IV. *Quid eſt catechizare?*

Catechizare Græce dicitur, quod nos dicimus docere, imbuere, vel inſtruere. Catechumenus, inſtructus, vel audiens: ſic & auditor vocatur; audit enim, quæ credens accipiat, ſed adhuc peccatorum premitur onere. Unde B. Auguſtinus ait: Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc ſarcinam iniquitatis ſuæ portat, quouſque per aquam Baptiſmatis renovetur. D

V. *Quare dicuntur Scrutinia?*

Quia ibi ſcrutatur voluntas Catechumeni, ut præfatus Doctor ait: Utrum propter vitæ præſentis commoda, an propter vitæ æternæ baptizari deſideret præmia. Scrutinium verò dicitur inquiſitio, vel exploratio, ſive inveſtigatio. Inſtruitur enim Catechumenus per ſe, ſi major eſt: inſtruitur per alium, ſi minor.

VI. *Quare Catechumeni exorcizentur?*

Ut ab eis verſutia, doloque dæmonum pellantur. Ecce exorcizatur homo, & ſal, & oleum. Sed in his omnibus non natura exorcizatur, quæ valde bona creata eſſe legitur, ſed ut ab eis callida Diaboli tentamina procul abſcedant, & Creatori Deo ſanctificata ſervire valeant. Exorciſmus verò dicitur adjuratio, vel increpatio. E

VII. *Quare mittuntur digiti in aures?*

Digitorum in aure miſſio Spiritus Sancti ſignificat acceptionem. Tactus verò ſalivæ donum ſupernæ gratiæ ſignat. De hac verò cauſa exemplum Sacerdotes habent, ubi legitur, quod ſanaturus Dominus ſurdum & mutum, miſerit digitos ſuos in auriculas ejus, expuenſque tetigit linguam ejus. Effeta verò idem eſt adaperire, pro auribus ſanandis dicit, quas ſurditas diutina clauſerat, ſed ad audiendum tactus Domini patefecit. Qui vult iſta plenius ſcire, legat Tractatum Bedæ ſuper Evangelium. Nares enim tanguntur, ut abjectis delectationibus noxiis, Chriſti ſolummodo amplectantur odorem, ut poſſint cum Apoſtolo dicere: Chriſti bonus odor ſumus in omni loco. Item, Deo gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Jeſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco. Tanguntur & aures, ut relicto auditu linguæ . . . . . audiant verba Chriſti, & faciant ea, dicaturque eis: Qui hæc audit &c.

VIII. *Quibus modis accipi debet exſufflatio vel inſufflatio?*

Duobus, quia duabus fit perſonis. Exſufflatur Catechizante Catechumenus, ut fraudes dæmonum ab eo effugentur. Inſufflatur ab eo per aquam Baptiſmatis renovatus, ut Spiritum Sanctum accipiat. Nam & Salvator inſufflando legitur Apoſtolis Spiritum Sanctum poſt reſurrectionem dediſſe.

IX. *Quare in Cœna Domini ſanctum Chriſma conficitur & conſecratur?*

Quia in ipſa finitur typus, & inchoatur veritas. Poſt eſum quoque agni tradidit Apoſtolis Salvator myſteria Corporis & Sanguinis ſui. In ipſa ſiquidem cœna cœpit præparari Dominicæ paſſionis myſterium, quo tunc redimimur, quando baptizamur.

X. *Quare de oleo benedicto ſcapulæ & pectus unguntur?*

Ut originalia ſimul & actualia peccata relaxentur. Quoniam ſicut per dorſum præterita, id eſt ea, quæ aparentibus traximus, mala ſignantur, ita per pectus ea, quæ ipſi commiſimus. Sive, pectus & ſcapulæ ſignantur oleo ſancto, ut undique muniantur. De Chriſmate verò in cerebro ſive in fronte ſignantur, ut ſit de illis, quibus dicitur: Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium.

XI. *Quare ſanctificatur aqua?*

Ut auferat omnium in ſe deſcendentium peccata, & quos acceperat ſordidos, reddat mundatos. In qua ſanctificatione Trinitas invocatur, ut ſanctificans adeſſe dignetur. Quum enim

in nomine Sanctæ Trinitatis datur baptiſma , ſimul tota Trinitas regenerat , quæ unus & ſolus eſt Deus.

XII. *Quare in limine jam baptiſmi poſitus interrogatur , utrum abrenunciet Diabolo , & pompis , & operibus ejus?*

Ut cum his tribus ſe abrenunciaturum promiſerat , in nomine Sanctæ Trinitatis ter mergatur in lavacrum . Abrenuncio enim dicitur contradico, reſpuo , abjicio , ſive abnego . Pompa Græcum nomen eſt , quod Latine dicitur oſtentatio publica . Idolorum igitur cultura , ſuperbia , & jactantia , horumque ſimilia , pompa dici poſſunt Diaboli . Cetera verò mala opera ejus vocantur, quibus ſe baptizandus abrenunciare promittit . Notandum verò , quod in Arca Noë, & in tranſitu maris rubri Baptiſmatis Sacramentum præfiguratum fuit.

XIII. *Quare baptizati albis veſtibus induuntur?*

Ut per hunc habitum demonſtretur futuræ reſurrectionis gloria . Sive per veſtem candidam poteſt intelligi fides recta , ſive donum Spiritus Sancti , quod accipiunt in baptiſmo . Chriſmate verò unguntur , ut ſacerdotes & reges eſſe monſtrentur . Nam & ipſa mutatio veſtium habitum ſignificat Sacerdotum .

XIV. *Quare renatorum capita Chriſmale , ideſt pellei teguntur velamine ?*

Ut demonſtretur , quod myſteria baptiſmatis ſemper illæſa debeant in nobis ſervari . Aliter . Pilleum capitibus Sacerdotum ornatum præſtabat , & nos pilleo caput noſtrum ornamus , quum ita vivimus , ut Chriſtus, qui eſt caput noſtrum, pro noſtris bonis glorificetur operibus. Aliter . Omnis, qui particeps eſt lactis , quaſi velatum caput mentis habet , quia non valet Scripturarum comprehendere ſenſum . Sed quum cœperit lacteum poſtponere cibum, quaſi depoſito velamine ignorantiæ incipit ſolidum Scripturarum ſumere alimentum.

XV. *Quare ſeptem diebus caput velatur , & octavo detegitur ?*

Quia per ſeptem dies præſens vita , & octavum futura gloria deſignatur . Recte per ſeptem dies tegitur caput, & in octavo detegitur ; quia nunc videmus per ſpeculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem .

XVI. *Quare renati fonte Baptiſmatis mox Corpus & Sanguinem Domini percipiunt ?*

Ob hoc videlicet , ut omnia Chriſtianitatis eis Sacramenta firmentur . Nam & Salvator noſter poſtquam lavit pedes Apoſtolorum , tradidit eis ſui Corporis & Sanguinis myſteria . Unde ipſe hujus rei perfectionem demonſtrans ait : Qui manducat meam Carnem , & bibit meum Sanguinem , in me manet , & ego in eo .

Celeberrimum quoque uſum Ambroſiana Eccleſia obſervat , nempe inchoandi Quadrageſimam non à Feria IV. poſt Dominicam Quinquageſimæ , ut fieri ſenſim cœptum eſt Sæculo Chriſtiano Nono , ac tamdem ut in
A omnibus Catholicorum Eccleſiis fieret , conſtitutum fuit, ſed ipsâ tantum die Dominicâ primâ Quadrageſimæ , quæ propterea in antiquis Libris appellatur *Dominica in capite Quadrageſimæ* . Quæ verò ſubſequitur (ſecunda Quadrageſimæ apud Romanos) *prima Quadrageſimæ* nuncupatur ab Ambroſianis . Quot dies Populus Mediolanenſis jejunio Quadrageſimali ſacraret , vivente Sancto Ambroſio , non ſatis liquet . Nam quod in Sermone quodam habetur , quem veteres editiones eidem Sancto Archiepiſcopo adſcribunt, ubi *Quadrageſima quadraginta & duos continere dies* dicitur , non ita certum eſt , quum eum ab ipſo Ambroſio abjudicandum cenſuerint celeberrimi PP. Be-
B nedictini e Congregatione S. Mauri , ſeu ut melius dicam , Cl. P. Mabillonius . Illud quidem extra controverſiam poſitum eſt , in Eccleſia Mediolanenſi temporibus Sancti Ambroſii *Quadrageſimam totam præter Sabbatum & Dominicam* jejunio fuiſſe ſacratam , ut ille idem affirmat in Lib. de Elia Cap. 10. Nunc autem Sabbatis Quadrageſimæ jejunii immunitas ne illic quidem conceditur . Contra quum recurrente *Rogationum triduo* jejunium Eccleſia Romana minime præcipiat , Ambroſiana illud a Populo ſuo ſeveriſſime exigit . Hoc autem jejunium poſt dimidium tantummodo Sæculi XI. ab Ambroſianis uſurpari cœptum diſcimus e Vita Sancti Arialdi, iis temporibus
C ſcriptâ ab Andrea Monacho Vallumbroſano , atque editâ a Puricellio Cap. 21. ubi hæc leguntur : *Triduanum namque illud Jejunium , quod inter ſanctos dies Paſchales contra antiquorum dicta Sanctorum NOVITER eſt peragi uſitatum , vehementer horrebat* . Et quàm rigide obſervaretur ejuſmodi jejunium , infra oſtendunt Arialdi verba ita loquentis : *In iſtis diebus tam acriter vos affligere cerno , veſtibus laneis induendo , nudis pedibus incedendo , in pane tantummodo & aqua jejunando , quomodo quando hæc agere debite juſſum eſt, vos nullo modo facere inſpicio* . Conſtat ergo , non ita multo ante inſtitutum fuiſſe Jejunium Rogationum , adhuc Mediolani vigens . Sed mini-
D me hinc ſequitur , Rogationum quoque ipſarum recentem fuiſſe inſtitutionem ; & ſunt aliqua apud Landulphum Seniorem in Hiſtor. Mediolanen. Lib. 3. Cap. 29. Tom. IV. Rer. Italicarum , quæ longe antea Mediolani quoque Rogationes inſtitutas ſuſpicari me faciunt .

Quatuor verò *Temporum* Jejunia an antiquitus in uſu forent apud Mediolanenſes , inveſtigabam ego olim Diſquiſitione in hoc idem argumentum a me edita Tom. 2. pag. 246. Anecdotorum meorum . Quumque Sanctorum Ambroſii & Auguſtini ævo , ipſis teſtantibus, nullo , præter Antepaſchale , Sabbato jejunaretur , ſtatuebam ego , ſerius in Mediolanen-
E ſem Eccleſiam Jejunia hæc fuiſſe invecta. Immo quum nullum eorum veſtigium neque apud Beroldum , de quo infra ſermo erit , neque in MStis Ambroſianæ Bibliothecæ , aut editis Miſſalibus ante Sancti Caroli tempora deprehendiſſem, *incertum* ſcripſi, *an antea obſervarentur* . Præterea omnium primus Sanctus Carolus hæc in Miſſali appoſuit ad Feriam V. Pentecoſtes : *Feriâ IV. VI. & Sabbato ſunt Tempora Pentecoſtes jejunanda* . Doctiſſimo viro , meique amantiſſimo , Nicolao Rubino tunc Metropolitanæ Baſilicæ Canonico Ordinario ac Theologo , viſa ſuit mea hæc opinio aliquid detrahere notiſſimæ Mediolanen-

nenſium pietati ac religioni. Quare nihil non egit ille, ut aliquod monumentum mihi offerret, quo evinceretur, ante Sanctum Carolum Mediolani obſervata fuiſſe hujuſmodi Jejunia. Et revera geminos mihi, ſi bene memini, antiquos Miſſales manu exaratos exhibuit, in quibus adnotabantur neſcio quo in loco *Quatuor Tempora*. Ego rem tantùm dubiam, minimeque compertam dixeram: neque in præſentia nego, quin magni momenti ſint teſtes ii ad eam ſtabiliendam, non tamen ad omnem dubitationem prorſus tollendam. Cur enim, ſi iis diebus Eccleſia Ambroſiana jejunium præcipiebat, nulla Miſſa, nullus ritus, nullæ peculiares preces hoſce dies pœnitentiæ deditos deſignabant? Immo ne ulla quidem mentio in tot aliis Miſſalibus, jejunii Quatuor Temporum fiebat. Equidem novi & ego, pluris faciendos in hanc rem duos Miſſales rem affirmantes, quàm decem omnino ſilentes. Verùm quis me certum facit, in aliquo Monaſterio, aut rurali Eccleſia Miſſales ejuſmodi non fuiſſe adhibitos, ubi Romano more Quatuor Temporum ratio haberetur, quum in reliquis Eccleſiis Ambroſianis nullum foret iis diebus jejunandi præceptum? Quæ quum dico, in mentem mihi recurrit vetuſtiſſimus Miſſalis Ambroſianus MStus, in Ambroſiana Bibliotheca adſervatus, ubi ad Feriam IV. poſt Dominicam Quinquageſimæ adnotatur: *Oratio ſuper Populum* his verbis: *Concede nobis Domine* . . . . *militiæ Chriſtianæ inchoare jejuniis, ut contra ſpiritales nequitias pugnaturi continentiæ muniamur auxiliis*. Sequitur Oratio *ſuper Sindonem*. *Præſta Domine fidelibus tuis, ut jejuniorum veneranda ſolemnia & congrua pietate ſuſcipiant, & ſecura devotione percurrant*. In Præfatione hæc habentur: *Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris & præmia, per Chriſtum &c.* Sequitur Miſſa Feriæ V. infra Quinquageſimam. Tum Miſſa Feriæ VI. ubi *Oratio ſuper Populum* hiſce verbis concepta eſt: *Inchoata jejunia quæſumus, Domine, benigno favore proſequere &c.* Hæc, ſi bene intelligo, evincere viderentur, ad imitationem Romanæ Eccleſiæ tunc Feriam IV. poſt Dominicam Quinquageſimæ fuiſſe exordium jejunii Quadrageſimalis apud Mediolanenſes: quod tamen affirmare non audeat, quiſquis tot alios Miſſales conſuluerit, & antiquam Ambroſianæ Eccleſiæ conſuetudinem rite perpendat. In aliqua peculiari Eccleſia Mediolanenſis Diœceſis id factum fuerit, non vero in reliquis. Quamobrem, quod eſt etiam ad Quatuor Temporum inſtitutionem accuratiori adhuc inveſtigatione utendum puto.

Celebres itidem Ambroſianæ Eccleſiæ ritus ii memorandi ſunt, videlicet; Sanctorum Natales, ſi die Dominico recurrant, transferri: quod nunc Romano ritu ſacra facientes tantummodo obſervant, ſi Natalis ſit ſemiduplex, aut ſi diebus Dominicis Quadrageſimæ atque Adventus occurrat. Nullum quoque Sanctorum Feſtum Ambroſiana Miſſa celebrat per totam Quadrageſimam. Ad hæc nullis Sextis Quadrageſimæ Feriis Miſſam Ambroſiani celebrant, neque præſanctificata adhibent, uti mos eſt apud Græcos, & ſacro die Paraſceves fieri conſuevit apud Romanos. Præterea in maximo Metropolitano Mediolanenſium Templo perdurat adhuc, quæ olim *Schola Sancti Ambroſii* appellabatur, egregium ſane remotæ antiquitatis pignus ac veſtigium ad hæc uſque tempora ſervatum. Nimirum alit eadem Eccleſia decem ſenes laicos (*Vecchioni* nunc appellantur) totidemque anus: quorum munus eſt quibuſdam ſolemnibus ſacris intereſſe. Honeſto ac antiquo veſtium genere utuntur, & quum tempus Offertorii poſcit, ex iis duo mares, *fanonibus*, hoc eſt mappis candidis apte involuti, accedunt ad gradus Presbyterii (Beroldus tamen auctor eſt, eos intraſſe Chorum), & dexterâ Oblatas, ſiniſtrâ Amulas cum vino tenent, quæ Sacerdos illuc ab Altari una cum Miniſtris deſcendens, & duo argentea vaſa deaurata deferens, ſuſcipit. Idem ſubinde peragunt & feminæ duæ anili ætate venerandæ. Notiſſimum eſt eruditionis Eccleſiaſticæ cultoribus, olim conſueviſſe Populum offerre Sacerdoti in ſynaxi panem & vinum, deinde ſacranda. Totius autem Populi nomine eadem nunc offeruntur per Scholam Sancti Ambroſii. Quod & teſtatur Landulphus ſenior Hiſtoricus Mediolanenſis Tom. IV. Rer. Ital. pag. 93. de hiſce ſcribens: *Panem & vinum pro Populo univerſo quotidie offerentes*. In publicis quoque Supplicationibus una cum Clero eadem Schola Sancti Ambroſii procedit. His adde commemorari in Ordine Romano antiquam Clericorum oblationem ad Altare. Hanc Ambroſiani adhuc in Templo Metropolitano ſervant, & ad quædam ſacra ſolemnia Clerus ejuſdem Eccleſiæ conſuevit illam per ordinem deferre, & conferre in capſulam ſuper Altare collocatam. *Veglonum* & *Veglonisſarum*, hoc eſt Senum & Anum, aliorumque Ordinum Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ, mentio eſt in duabus Chartis nondum editis, quas Mediolani deſcripſi e Codice MSto Franciſci Caſtelli, atque huc inferendas cenſui.

Donatio Milonis Taurinenſis Epiſcopi & Archipresbyteri Metropolitanæ Mediolanenſis Baſilicæ, facta Capitulo Canonicorum ejuſdem Baſilicæ pro Anniverſario ſuo, Anno 1186.

IN nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Octuageſimo Sexto, quintodecimo die menſis Julii, Indictione Quarta, Capitulo Ordinariorum Mediolanenſis Eccleſiæ. Ego in Dei nomine Milo Turinenſis Epiſcopus, & Mediolanenſis Eccleſiæ Archipresbyter, qui dicor de Cardano, conſenſu & voluntate Domini Urbani Papæ, & Mediolanenſis Archiepiſcopi, ſicut per ejus Literas bullatas a me viſas apparebat, nec non & præſente & conſentiente Heriprando Judice & Advocato ipſorum Ordinariorum, & Domno Petro Buxoro Archipresbytero de Monte, & Magiſtro Philippo, atque Guiſcardo Vicecomite, & Albrico de Surrexina, & Hugone de Orano Sacerdotibus, atque Ottone Vicedomino, qui dicitur de Curte, & Oldone Crivello Diaconibus, ac Magiſtro Faxato, qui dicitur Menclotius, & Uberto Lento, & Alberto item Menclotio Subdiaconibus ipſius Capituli. Dono præſenti die & horâ inter vivos, nominative omnes illas Poſſeſſiones, quas habeo, & mihi pertinent in locis & fondis Eoſſadolto, Paninſacco, & in eorum territoriis, ac in circumſtantibus locis, tam in Caſtris, quam in Villis, & in finibus; quas emi a Maineriis pretio Librarum ſeptingentarum ſeptuaginta novæ Monetæ Mediolani. Scilicet Caſas, Sedimina, ac Molendinorum ſedes cum ædificiis eorum, & ceteras territorias res cum omni honore & diſtrictu, & conditionibus, comandaſiri, amiſceribus, & Eccleſiarum Advocatiis, piſcationibus, & jure Vaſſallorum, & omni alio jure & uſu. Quo tenore ut amodo in antea ſint ipſæ Poſſeſſiones omnes ipſius Capituli; ita tamen ut præſenti numero Ordinariorum addatur unus Ordinarius Præbendarius, qui ipſas res habeat, & teneat, & faciat omni tempore Anniverſarium meum ex fructibus ipſarum Poſſeſſionum cum Domino Archiepiſcopo, & cum ipſo Capitulo, atque cum Communantia Sacerdotum Mediolanenſium. Dando Domino Archiepiſcopo, ſi interfuerit, Solidos quinque, & Hebdomadariis Denarios quinquaginta duo, Sacerdotibus & Diaconibus Capituli Ordinariorum Denarios ſex pro unoquoque, Subdiaconibus & quatuor Notariis Denarios quatuor pro unoquoque, Lectoribus Denarios quatuordecim, Cuſtodibus Denarios ſedecim, Veglonibus & Veglanis Denarios viginti, inter Crucem & Incenſum Denarios duos, Pueris Magiſtri Scholarum Denarios duos, pro pane & vino malſanis ſolidos duos. Et præfati Denarii omnes dentur ſingulis annis præfatis perſonis in jam dicto Anniverſario meo, tam ſi non intererint, quàm ſi interesint, exceptâ ſupraſcriptâ benedictione Domini Archiepiſcopi. Ceteris verò Presbyteris, qui interſint, dentur Denarii duo pro unoquoque, & qui non interesint, nihil habeant. Cetera verò judicata & ordinamenta, quæ ego, qui ſupra, Milo feceram ſuper jam dictis facultatibus meis, caſſo & infringo, quia ſic decrevit mea bona voluntas.

Actum in domo ipſorum Ordinariorum pro remedio & mercede animæ meæ.

Ego Ariprandus, qui dicor Judex, & ſupraſcriptorum Ordinariorum Advocatus conſenſi ut ſupra, & ſubſcripſi.

Interfuerunt Guilielmus, qui dicitur Burrus, & Anricus Advocatus de Turino, ac Bottus de Maſſenago, & Putracius de Sancto Calocero, atque Petrus de Subiate, teſtes.

Ibique incontinenti inveſtivit ipſe Dominus Milo Epiſcopus præfatos Dominum Archipresbyterum, & Ottonem Vicedominum, atque Magiſtrum Faxatum nomine ipſius Capituli de præfatis Poſſeſſionibus omnibus, qualiter ſuperius legitur.

Ego Gualdericus Palliarius Notarius ſacri Palatii tradidi & ſubſcripſi.

Ego Rogerius, qui dicor Palliarius, Notarius ſacri Palatii ſcripſi.

Ego Petrus de Veriano, Notarius ſacri Palatii, authenticum hujus exempli vidi, & legi, & ſic in eo continebatur, ut in iſto legitur exemplo, extra literas plus, minuſve.

Ego Manfredus, qui dicor de Brivio, Imperialis Aulæ Notarius, authenticum hujus exempli &c.

Anſelmi de Rhaude Canonici Ordinarii in Metropolitana Mediolanenſi Baſilica donatio, ut ibi quotannis celebretur feſtus dies Inventionis Sanctæ Crucis. Anno 1179.

ANno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Septuageſimo Nono, menſe Auguſti, Indictione Duodecima. Ego in Dei nomine Anſelmus, qui dicor de Rhaude, Clericus, & Ordinarius Sacroſanctæ Matris Eccleſiæ Beatæ Mariæ Hyemalis, feſtivitati Inventionis Sanctæ Crucis, quam ex meis bonis, ſicut in alia Charta legitur, in eadem Eccleſia Sanctæ Mariæ omni anno in perpetuum fieri ordinavi, quoniam ipſa Feſtivitas minus continens mihi videbatur ex ficto, quod nuper emi a Presbytero Zuffo Canonico Sanctæ Theclæ in Burgo Carate, & eſt Solidorum quadraginta novæ Monetæ, omni anno hoc additamentum facio. In primis volo, ut Dominus Archiepiſcopus, qui nunc eſt, vel pro tempore erit, in eadem Eccleſia interſit ipſi Feſtivitati omni anno, & habeat Solidos quatuor, & Notarius, qui portabit Crucem ſuam, Denarios quatuor; & Archipresbyter ipſius Eccleſiæ ſimiliter interſit, & habeat Denarios octo, & Archidiaconus item & habeat Denarios octo; & reliqui Ordinarii, qui ſunt octo inter Preſbyteros & Diaconos, habeant Denarios ſex pro unoquoque. Subdiaconi, qui ſunt quinque, habeant Denarios quatuor pro unoquoque. Notarii duo, quos volo intereſſe ipſi Feſtivitati, ſcilicet unum pro cauſâ legendi, & alterum cauſâ canendi, habeant Denarios quatuor pro unoquoque. Item de Soldis viginti & octo, qui abundant præfato additamento ex ſupraſcripto ficto Soldorum quadraginta, volo & ordino, ut Annuale unum fiat omni anno in eadem Eccleſia Sanctæ Mariæ in die obitus mei, qui ſupra Anſelmi, pro animabus omnium Defunctorum hoc modo. In primis volo & ordino, ut Dominus Archiepiſcopus qui nunc eſt, vel pro tempore fuerit, interſit, & habeat ſoldos quatuor: & Notarius, qui portabit Crucem ejus, Denarios quatuor: & Septimanarii habeant Soldos quatuor & Denarios quatuor: & Pueri habeant Denarios duos pro pane & vino. Archipresbyter, & Archidiaconus ipſius Eccleſiæ, qui nunc ſunt, vel pro tempore erunt in eadem Eccleſia, ſimiliter interſint, & habeant Denarios octo pro unoquoque. Alii octo Presbyteri & Diaconi habeant Denarios ſex pro unoquoque. Subdiaconi, qui ſunt quinque, habeant Denarios quatuor pro unoquoque. Notarii, qui ſunt duo, habeant item Denarios quatuor pro unoquoque. Lectores quatuordecim habeant ſingulos Denarios. Cuſtodes ſedecim habeant item ſingulos Denarios. Veglones, Veglonissæ Denarios decem inter omnes. Canonica Decumanorum habeat Solidos duos. Canonica Sanctæ Theclæ habeat item Solidos duos. Presbyter Sancti Michaëlis habeat Denarios duos. Presbyter Sancti Johannis ad Fontes habeat ſimiliter Denarios duos. Solidi tres & dimidium, qui ſuperſunt, ſint Primicerii Lectorum ipſius Eccleſiæ, qui nunc eſt, vel pro tempore erit; ita ut ipſum fictum exigat, & ſupraſcriptum Annuale exerceat, & prædictos Denarios, qualiter leguntur, diſtribuat: & det Paſtum unum Maſſario omni anno, ſi ipſum A *voluerit tempore ſtatuto, ſicut legitur in Charta emptionis illius ficti, in qua continetur:* „ Si fictum non erit ſolutum omni anno, tem„ pore ſtatuto, quod ipſum Paſtum non de„ beat dari. „ *Quia ſic decrevit mea bona voluntas.*

Actum in ſacroſancta Civitate Mediolani pro remedio & mercede animæ meæ. Et inde duæ Chartæ ſub eodem tenore ſcriptæ ſunt.

Ego Algiſius Mediolanenſis Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Ego Anſelmus indignus Diaconus a me facto ſubſcripſi.

Interfuerunt Otto, qui dicitur de Dervi, Magiſter Rolandus, Johannes Baſtardus, Mar- B *chiſius Garzonus, Girardus Porencioni, Bonabillus de Vaxante, ac Presbyter Cixendile, Arricus de Intervinea, atque Anſelmus Oſtiarius, teſtes.*

Ego Gualdricus Palliarius, Notarius ſacri Palatii tradidi & ſubſcripſi.

Ego Rogerius, qui dicor Palliarius, Notarius ſacri Palatii ſcripſi.

Addo, quæ de ipſis *Veglonibus & Veglonissis* olim excerpebam e MSto Codice Bibliothecæ Ambroſianæ, inſcripto: *Status Eccleſiæ Metropolitanæ* &c. Ita ibi adnotatum: *Vegloni apparent in Eccleſia & Proceſſionibus cum eorum cottis, & Sacerdotalibus birettis & veſti-* C *bus. Mulieres etiam viduali habitu, & velatæ, in ſolemnibus Miſſarum offerunt Sacerdoti celebranti panem & vinum ad inſtar Melchiſedech. Sed mulieres numquam intrant Chorum; immo Sacerdos celebrans venit uſque ad portam Chori, ibique earum oblationes recipit. Et vulgariter appellatur Schola Sancti Ambroſii. Et quotieſcumque fiunt aliquæ Proceſſiones, eis interveniunt cum particulari vexillo ſuæ Crucis. Prior verò horum defert Pluviale temporibus debitis, & Flagellum Sancti Ambroſii. Temporibus Litaniarum & Proceſſionum cantant & ipſi Kyrie eleiſon alternatim cum aliis Sacerdotibus Chori.* D Neque omittendum, Præfationes peculiares ab Eccleſia Ambroſiana adhiberi ad ſingulas Miſſas ſive de Chriſto, & beata Virgine, & Sanctis, ſive diebus quibuſque Dominicis. Paucis nunc utitur Romanus Ritus; ſed & ille multas olim præſcribebat, ut conſtat ex antiquiſſimo Ordine Romano, quem edidit piæ memoriæ doctiſſimus Cardinalis Thomaſius, ut alia exempla omittam. Lectorem quoque monitum volo, adſervari in Ambroſiana Bibliotheca MStum Codicem Græcum, complectentem Homilias jam editas in Euangelia Theophanis Ceramitæ. Membranæ quidem Græcum nunc exibent textum; verùm ſub Græcis literis evidentiſſime elucet, in iis ante aliquot Sæcula E ſcriptum prius fuiſſe Miſſalem Librum Romani Ritus: quæ ſcriptura aut vetuſtate temporis excidit, aut deditâ operâ a Græco amanuenſe deleta eſt. Adhuc tamen legi illic poſſunt non plurima ſolùm elementa, ſed & integræ Orationes, Epiſtolæ, ac Euangelia. Inter cetera ego animadverti, ad ſingulas fere Miſſas habe-

ri

ri Præfationes proprias , & poſtremam Miſſæ Orationem appellari *ſuper Populum* . Adeat Lector, ſi plura cupit , Liturgica piiſſimi Cardinalis Bonæ . Sed quum mihi nequaquam ſumſerim , in ſingulos Ambroſianæ Eccleſiæ Ritus inquirere a Romano diverſos, hoc unum tamdem adjiciam , Pſalterium nempe Ambroſianum in non paucis a Romano diſcrepare tum verbis , tum ſenſibus , tum verſiculorum ordine ; neque tamen omnino concordare cum ea verſione, quæ Sancto Ambroſio in uſu fuit. In reliquis Scripturæ Sacræ Libris parum aut nigil a Vulgata diſcedunt Ambroſiani .

Corollarium autem non parvi , ut mihi videtur , faciendum , adnectere heic ſtatui , nempe Opuſcula quædam *Beroldi Mediolanenſis* antiquiſſimi Scriptoris , qui Ambroſianæ Eccleſiæ ritus olim deſcribebat . Manu exarata ejus Opera Mediolani adſervantur in Bibliotheca Metropolitani Capituli Canonicorum , duoſque ibi Codices , alterum altero luculentiorem aſpexi . Habet & Ambroſiana Bibliotheca Beroldini Operis apographum . Quo tempore floruerit , quodve munus in maxima æde ſacra Mediolani geſſerit *Beroldus* , jam animadverterat Johannes Petrus Puricellius , accuratiſſimus Mediolanenſium antiquitatum illuſtrator , in Libro de Sanctis Martyribus Nazario & Celſo . Ille tamen nihil aliud prodidit, quam quod Beroldus ipſe de ſe obiter adnotarat , & quod infra Lector per ſemetipſum colligere poterit . Is nempe ſcribit , varia eſſe in Eccleſia Mediolanenſi vaſa ac miniſtrationes, *De quibus, Deo opitulante, ego Beroldus Cuſtos & Cicendelarius ejuſdem Eccleſiæ quidquid vidi* &c. *huic noſtro Libello tradere diſpoſui* . Munus ergo Beroldi fuit luminaria Templi curare , & *cicendelas* ſub ſua cuſtodia habere , quo vocabulo ſignificabantur Lampades , Lychni , Candelabra , aliaque ejuſmodi vaſa ad lucem ferendam in æde ſacra deſtinata . Subdit Beroldus hæc , de Hebdomadariis loquens: *Sed Nuper in tempore Domni Olrici Archiepiſcopi , Subdiaconi cum Cuſtodibus convenerunt , ut quatuor Cuſtodes Hebdomadarii ſuſcipiant in omni cadavere* (hoc eſt pro quolibet Defuncto) *denarios* &c. Puricellius poſt Calchum , Sigonium , & alios , ſtatuit Olricum Archiepiſcopum vivendi finem feciſſe Anno 1123. ac proinde aut eodem Anno, aut altero ſubſequente Beroldum hæc literis conſignaſſe , adverbio *Nuper* hoc idem ſuadente . Verùm invictis argumentis evicit Joſeph Antonius Saxius , Ambroſianæ Bibliothecæ Præfectus V. Cl. in notis ad Landulphi Junioris Hiſtoriam Tom. V. Rer. Italicar. pag. 507. Olrici mortem contigiſſe die XXVIII. Maji Anno MCXXVI. Quamobrem paucis poſt ejus obitum menſibus, aut inſequenti Anno hæc Beroldus literis conſignavit . Occurrebant autem in MSto Codice Metropolitanæ Bibliothecæ : Primo . *Cognitio Aurei Numeri , Lunarum , una cum Etimologiis Singulorum Menſium* &c. ubi hæc animad-
A verti : *Si vis invenire argumentum per quod poſſis probare , quot anni ſunt a Nativitate Domini , extende ordines Indictionum , qui ſunt Modò LXXIII. adjunge I. nam Indictio non niſi ad XV. annos creſcit* . Computatio hæc reddit Annum 1096. quo hæc ſcripta fuere , & fortaſſis ab ipſo Beroldo , qui paucos poſt annos reliqua ſcripſit . Sequitur *Kalendarium antiquum* . Tum Opuſculum *Quomodo dividuntur denarii in prædicta Eccleſia* : quod ego deſcripſi , quippe non inutile viſum ad dignoſcendos ejus Sæculi mores, & Feſtivitates tunc in Eccleſia Mediolanenſi celebratas , ac propterea infra adnectam . Subinde in eodem Codice legitur *Ordo & Ceremoniæ prædictæ Mediolanenſis Eccleſiæ per totum Annum* . Excer-
B pta ex iis habebit infra Lector ; neque enim omnia ſumſi , veritus ne tœdio legenti minuta nimis rudera forent . Subſequuntur hæc in eodem Codice : *De Situ Civitatis Mediolani . De Adventu Barnabæ & Anathalonis , & Vitis eorum* : quæ duo Opuſcula jam evulgavi Part. II. Tom. I. Rer. Italicarum . Ad hæc ibi habetur enarratio *de Recuperatione Officii Ambroſiani facta a beato Confeſſore Eugenio* . Apud Boninum Mombritium hæc reperias; aliqua etiam ſupra in hanc rem egomet innui . Tum *Expoſitio Matutini Officii facta a Theodoro Archiepiſcopo* . Sed quum Theodorus (ut de Secundo hujus nominis tantum loquar) ad Archiepiſcopalem Cathedram Mediolani conſcenderit circiter Annum vulgaris Æræ 735.
C atque in hoc Opuſculo *Amalarium* viderim non ſemel memoratum , qui circiter Annum 825. Librum de Divinis Officiis concinnabat , nemo non videt , Opuſculo illi falsò præpoſitum fuiſſe Theodori Archiepiſcopi nomen . Illud autem ego deſcripſeram ; ſed quòd nihil denique illud exhibeat , quàm Commentariolum exſuccum , & ex Allegoriis & explicationibus tœdium facile parituris conſtantem , ſuis ſervatum tenebris volui . Alia id genus parvi facienda in eodem Codice occurrebant , uti *Expoſitio Miſſæ Ambroſianæ : Expoſitio Symboli : Quomodo Scrutinia agantur more Ambroſiano , ceu Catechumeni exorcizantur* &c. Itaque jam habeat Lector , que omnium maxime e lucubrationibus Beroldi excerpenda duxi, di-
D gna profectò , quæ ad reliquas Eccleſiæ Catholicæ Liturgias accedant . In fine Opuſculi, cui titulus *Expoſitio Exceptati* , hæc ille ſcribebat : *Nomen verò Auctoris hujus Operis ſcire cupiens , computa capitales literis per ordinem Feriarum incipiendo a B Capituli primi , uſque in finem , & nomen perfectum habebis* . Computatis ergo initialibus literis Capitulorum , inde exſurgit *BEROLDVS* . Quem morem deſignandi nomen ſuum per Acroſticon antiquiſſimis Sæculis , ſed illo poriſſimum, familiarem fuiſſe , jam innui in Præfatione ad Donizonis Carmen Tom. V. Rerum Italicarum .

BEROLDI MEDIOLANENSIS

ORDO ET CEREMONIÆ

ECCLESIÆ AMBROSIANÆ MEDIOLANENSIS.

Circiter Annum 1130.

IN Eccleſia Mediolanenſi diverſa vaſa, diverſæque miniſtrationes adeſſe noſcuntur, omnes Deo dicatæ & ad officium Eccleſiæ neceſſariæ. De quibus Deo opitulante *ego Beroldus Cuſtos & Cicendelarius* ejuſdem Eccleſiæ, quicquid vidi & audivi & ſcriptum reperi, huic noſtro Libello tradere diſpoſui.

In primis ſunt Sacerdotes Cardinales, quorum prior Archipresbyter cum ferula ſua, & primatu ſuo præfertur in Choro. Deinde ſeptem Diaconi Cardinales ſubſequuntur: prior tamen Archidiaconus cum ferula ſua, & primatu ſuo, Archipresbytero conjungitur. Tertio gradu Subdiaconi cum Primicerio ſuo ordinantur in Choro. Quarto loco ponitur Primicerius Presbyterorum non minor ceteris dignitate, ſed minor loco; quia licet ut taceamus de ſpiritualibus, quibus vice Archiepiſcopi pœnitentes ſolvit & ligat, non minus tamen in carnalibus ceteris majoribus poſſidere videtur, quia quotieſcumque omnis Chorus, exceptis Veglonibus, cum Archiepiſcopo comedit, iſte ſemper particeps refectionis eſt: & ſi contigerit, quod pretium aut denarii dentur pro paſtu, ſimiliter partem ſuam recipit, quantum Presbyter Cardinalis. Deinde Ordo Notariorum ſubſequitur cum ſuo Primicerio, ut ſupradicti eleganter. Deinceps autem Primicerius ſexdecim Lectorum, & Magiſter cum ſupradictis adſcribitur. Prior tamen numero illorum ſexdecim Secundicerius, ideſt Vicarius Primicerii, & quatuor poſt hunc ſequentes Clavicularii dicuntur. Reſidui verò undecim Terminarii appellantur. Poſt hunc quatuor Magiſtri Scholarum decenter adhibentur ſupradictis. De cetero verò ſexdecim Cuſtodes adnotantur ſub Cimiliarcha ſuo præſcripti, quorum octo majores, & octo minores ſunt, ita tamen quod quatuor majores vocantur Cicindelarii, & quatuor Oſtiarii, & hi octo majores jacent in Secretario ad cuſtodiendum Theſaurum Eccleſiæ, ſed tamen bini per ebdomadam, unus Cicendelarius, & alter Oſtiarius. Ebdomadarius Subdiaconus ſemper jacet in Secretario, & dat vinum & fruges per totius anni circulum Cuſtodibus ebdomadariis, & ligna per totam hyemem ad faciendum ignem ibidem, quia ipſi veſtiunt eum tantùm amictu & albâ, quum neceſſarium eſt. *Sed nuper in tempore Domni Olrici Archiepiſcopi*, Subdiaconi cum Cuſtodibus convenerunt, ut quatuor Cuſtodes Ebdomadarii ſuſcipiant in omni cadavere denarios, qui dantur Subdiaconis ſuper benedictione in loco vini & frugum & ligni in hyeme. Super hos denarios Subdiaconus Ebdomadarius omni die Dominico dare debet quatuor denarios Cuſtodibus Ebdomadariis. Et per hunc conventum Cuſtodes debent eos induere in Miſſa, vel in Veſperis, aut in Matutinis, quoties opus fuerit. Et ſi tempus pluviæ fuerit, iidem Cuſtodes portabunt veſtes uſque ad Feſtum: ſin autem, Subdiaconi portabunt Camiſium indutum tantùm. Archipresbyter, & Archidiaconus, & omnes Pri- A micerii cum quatuor Magiſtris Scholarum habent ſingulas ferulas in Choro. Poſtremo ſubſequitur Ordo viginti Vetulorum cum ferula ſua, quorum decem maſculi, & decem feminæ ſimiliter ſub Cimiliarca adnotati.

In fine verò ſubponitur Laicalis Ferula, videlicet Vicecomitis, qui in Natale Domini, & ſecunda Feria, & tertia Feria poſt Reſurrectionem præcedit Archiepiſcopum, parando ſibi viam ſervitoribus ſuis, præcedentibus eum cum flagellis ligneis & ſciſſis. Itaque Archipresbyter aut Archidiaconus, vel alii Presbyteri, aut Diaconi Cardinales in hora Matutinali præcipit, ut Matutinum ſonetur, & major duorum illorum, qui jacent in Tribunali, B unus ſonat Matutinum, ideſt major, & alter cuſtodit Chorum, & in Matutinis orationem porrigit tantùm, ſi Archiepiſcopus defuerit. Et ii duo prædicti cuſtodiunt Chorum, quando officia celebrantur, ne Laici intrent. Et ſi fortè aliquis vult offerre candelas, aut hujuſmodi, vadunt obviam ei uſque ad introitum Chori, & ſumunt candelas, & portant ante altare. Et Cicendelarius accendit Cicendelos, qui ſunt in Choro majori, in quibus Archiepiſcopus oleum impendit, & Oſtiarius aperit Eccleſiam, & idem Oſtiarius vadit ad ſonandum ſecundam & tertiam in Campanile. Sed ſciendum, quotieſcumque Archiepiſcopus venerit ad Matutinum, venit cum ſuis candela- C bris & cereis accenſis, Capellanis ſuis eos ferentibus, & ponentibus ante altare, dimittentes eoſdem, uſquedum Matutinum perficiatur, quos Notarii deferunt in Baptiſteria, quibus etiam faciunt lumen Archiepiſcopo, dum dicit Orationes. Super hæc omnia notandum eſt, quia quidquid incenſi fit in Choro majori, totum datur de Camera Archiepiſcopi, & quidquid cereorum uritur, & ponitur in candelabris, totum tribuitur à Cimiliarca, exceptis illis de Sabbato Sancto, & illis, qui ponuntur in Cantariis in Paſchalibus feriis, & illis, qui ponuntur in Cruce ſtante in tribunali ad Miſſam majorem in ſolempnis diebus, quos Archiepiſcopus tribuit. Itaque ſi Archiepiſco- D pus adfuerit, præcipit de ſecunda & tertia. Si verò defuerit, Presbyter Ebdomadarius præcipit de ſecunda, & Diaconus Ebdomadarius de tertia, & Cuſtos minor, qui orationem porrigit, eſt præſto in Choro ad pulſandam ſecundam & tertiam juxta tintinnabulum, & Cicendelarius Ebdomadarius ponit candelas ante altare, quantum ſufficiet in Matutinis in ſecunda feria & tertia; & Oſtiarius ſimiliter in quarta Feria, & in quinta. Duo minores Cuſtodes Ebdomadarii in ſexta Feria, & ſeptima Feria. In Dominico die omnes Ebdomadarii inſimul, excepto Cicendelario. Et hoc in Eccleſia Hyemali per totum annum fit. Et notandum, quia ſi Archiepiſcopus adfuerit, E debet incipere Matutinum, & dicere: *Benedictus es Deus*, & omnes orationes ſecretas, & manifeſtas, & dare benedictionem legentibus Lectionem. Si verò defuerit, Archipresbyter

byter

byter facit idem. Sed incœpto *Benedictus es, Domine, Deus patrum noſtrorum*, Cicendelarius Ebdomadarius porrigit duos cereos ſ..ntos de Camera Archiepiſcopi rotulario ejus, & unam candelam accenſam, & ille dat Epiſcopo cereos, ut accendat illos ſubtus tenente candelam accenſam, prædicto Cicendelario tenente papyrum. Tunc ſtatim Archidiaconus ſumit cereos de manu Archiepiſcopi, & ſupradictus Cicendelarius ſuſcipit eos de manibus Archidiaconi, & ponit eos ante altare, & hoc in Natale Domini, & in Epiphania.

In omnibus diebus Feſtis vel ſolemnitatibus, in quibus Ordinarii comedunt in domo cum Archiepiſcopo, quando incipitur *Benedictus es, Domine, Deus Patrum noſtrorum*, tunc Primicerius Lectorum ex præcepto Archiepiſcopi, vel ſui Legati invitat eos, qui comeſuri ſunt cum Archiepiſcopo, dicendo: *Reficite cum Domino*. Et Septimanarius Diaconus incipit Reſponſorium poſt Hymnum, exceptis quinque ſolemnitatibus, ideſt Natale Domini, Epiphania, & Reſurrectio Domini, & Pentecoſten, & Dedicatio Eccleſiæ. Et in his præcipue ſolemnitatibus debet Archiepiſcopus incipere *Benedictus es, Domine, Deus Patrum noſtrorum*, & Archidiaconus poſt Hymnum. Inſuper etiam notandum, quia Archipresbyter debet ſtare à parte Diaconorum ſuper Archidiaconum uſque ad initium Lectionum, ſi Archiepiſcopus defuerit. Si verò adfuerit, ſtabit à parte Presbyterorum ſuper Presbyteros, & Diaconi debent imponere antiphonas viciſſim uſque ad lectiones ſtando ad ſtadium. Et Primicerius Lectorum ſemper pronunciat Diaconibus Reſponſorium poſt hymnum & antiphonas, & pſallendas, & reſponſorium in Baptiſteriis. Et ſi neceſſe fuerit, ſubmiſſa voce percinit. Quotieſcumque etiam Diaconus incipit Antiphonam in Pſalmis vel in Canticis, prædictus Primicerius intonat eam cum Pſalmo, ſemper incipiendo, ſequentibus eum, qui ex ſua parte Chori ſunt. Et finito Pſalmo ſemper dicit *Kyrie* ter. Et Primicerius Notariorum in pſallendis ſimiliter facit, incipiendo & intonando cum *Gloria* ſua. Quia ſicut rector navis regit & gubernat navem, ne pereat, ſic Primicerius Lectorum regit Chorum, ne in aliquo dilabatur, vel defluat. In ferialibus diebus & Notarius & Subdiaconus terminant Lectiones, quando legunt, & Oſtiarius Ebdomadarius ſemper cooperit Lectorinum pannis ſumtis de Camera Archiepiſcopi, quia duo dantur in Paſcha, & duo in Natale Domini. Et hoc fit tantùm in Dominicis diebus & in præcipuis ſolemnitatibus vel feſtivitatibus. Sed Cicendelarius Ebdomadarius per totum anni circulum ſemper dat candelas in Lectionibus, quantum ſufficit, quia propter has candelas dantur eis duodecim libræ ceræ ab Archiepiſcopo, quæ eodem modo dantur ab Eccleſia Sanctæ Mariæ, quæ dicitur in Monte pro ficto Archiepiſcopo.

A primo die Dominico Kalendarum Octubrium uſque ad Ramos Palmarum cum Canticis cantatur *Domine audivi*, & *Benedictus es, Domine, Deus patrum noſtrorum*, in tono majori, & in Natale Domini uſque ad Octavam, & in Epiphania ſimiliter. Reliquo ſpatio *Clamavi ad Dominum Deum*, & *Benedictus es* in æſtivali tono. In Septuageſima incipitur Eptaticum: hi ſunt quinque Libri Moyſis, Geneſis, Exodi, Leviticum, Numeri, Deuteronomii. Sequitur Joſve, ideſt Jeſus Nave, & Ruth uſque ad mediam Quadra-

A geſimam. Deinde legitur Hieremias uſque ad Sabbatum Olivæ. Ab Octava Paſchæ legitur Actus Apoſtolorum, poſtea Apocalypſis, & ſeptem Epiſtolæ Canonicæ uſque ad Octavam Pentecoſtes. Deinde legitur Liber Regum. Sequitur Paralipomenon, ideſt Liber generationum Adam, Seth, Enos, Cainan, & ceteri, uſque ad primam Dominicam Auguſti. Deinde legitur Salomon. Sunt Libri quatuor, Sapientia, Parabolæ, Eccleſiaſtes, Cantica Canticorum, uſque ad primam Dominicam Septembris. Poſtea legitur Job, Tobias, Judith, Eſther, Eſdra, uſque ad Dedicationem Eccleſiæ. Deinde legitur Liber Machabæorum. Deinde legitur Ezechiel. Se-
B quitur Daniel, & minores Prophetæ duodecim uſque ad feſtivitatem Sancti Andreæ. Deinde legitur Eſaias uſque ad ebdomadam in qua Homiliæ legendæ ſunt ante Natale Domini. Ab Epiphania leguntur Epiſtolæ Pauli uſque ad Septuageſimam. Et omnes hi Libri leguntur per totum annum, niſi quando leguntur Homiliæ vel Sermones, & in tribus Feſtis, quando tres Paſſiones leguntur, videlicet in Feſto Sanctorum Simonis & Judæ, & Sanctæ Cæciliæ, & Sanctorum Grilanti, & Dariæ. Magiſter autem Scholarum facit ſemper Puerum ſuum legere primam, quiſque in ſua ebdomada, excepto in Authentica, & in Reſurrectione, & in ſecunda turma, & ter-
C tia de Natale Domini, & Epiphania, in qua Notarii legunt, & in ſecunda turma Paraſceve, in qua minor Diaconus legit. Et Lector ſemper legit ſecundam, excepto in Authentica & in Reſurrectione, & in Natale Domini, & in Epiphania, in ſecunda & tertia turma, in qua Notarii legunt, & in Paraſceve, quando Presbyter minor legit. Et Notarius ſemper legit tertiam juſſu Primicerii ſui, excepto in Adventu, & in Natale Domini, & in Epiphania in ſecunda & tertia turma, & in Quadrageſima, & in Reſurrectione, in quibus Subdiaconi legunt. Similiter & in ſecunda turma Paraſceve, in qua Archiepiſcopus legit cum candela data pro ficto ab Eccleſia Sancti
D Victoris, quæ dicitur Quadraginta Martyrum, cum rubea planeta indutus, habens mythram in capite. Et Notarius ſemper canit primum Reſponſorium in Lectiones juſſu Primicerii ſui in diebus Dominicis, & in Quadrageſima, & Feſtis, excepto in prima turma Natalis Domini, & Epiphaniæ, & in Dominica de Cœco, & in quarta Feria & quinta Feria de Authentica, & ſexta in prima turma, & in Dedicatione majoris Eccleſiæ, in quibus Subdiaconi cantant. Et in ſecunda turma Paraſceve, in qua canit Diaconus juſſu Archidiaconi *Circumdederunt me*, & Lector ſemper canit Reſponſorium ſecundum inter Lectiones in Dominicis diebus & in Feſtis & in Quadrageſima, exce-
E pto quando Magiſter Scholarum canit Reſponſorium *Cum faciant*, & in Paraſceve, quando Presbyter canit juſſu Archiepiſcopi ſui *Omnes amici mei*, quia puer Magiſtri Scholarum ſemper canit Reſponſoria in Ferialibus diebus inter Lectiones. Finitis Lectionibus, ultimus Diaconus a ſede ſua remotus, & in priorem locum veniens imponit Antiphonam in *Benedictus*, vel in Cantico Deuteronomii. Sabbato primo de Adventu Cicendelarius Ebdomadarius mittit duodecim phialas cum catenulis ſumtis a Cimiliarca ante Chorum, & ponit vinum in eis uſque ad ſummum. Similiter facit de Cicendelis, qui ſunt in Chori corona,

&

& idem facit in Sabbato de Carnelevali, mittendo aquam . Et ipſemet accendit omnes in Dominicis Quadrageſimæ tantum in Matutinis , & in aliis diebus Quadrageſimæ duos viciſſim .

In Dominicis diebus de Adventu , & in Natale Domini , & in Octava, & in Epiphania ſepties canitur Antiphona ad Crucem hoc modo. Finito Cantico Deuteronomii Primicerius Lectorum factâ coronâ in corpore Eccleſiæ , quaſi in quarta parte ab introitu ejuſdem , Oſtiario Ebdomadario ſtante juxta illos cum Cruce argentea , & cum tribus candelis accenſis , unâ illa in ſummo Crucis poſitâ . Sed & aliæ duæ Cruces ſunt portatæ ab Oſtiariis obſervatoribus paululum præcedentes prædictam Crucem rectâ lineâ , omnes tamen ſeparatæ . Tunc Primicerius Lectorum cum ſuis incipit Antiphonam ad Crucem, cantatâque ſemel Antiphonâ dicit *Kyrie* ter , & duæ Cruces permoventur paululum, & tertia Crux vadit in locum, ubi duæ Cruces ſteterant. Tunc Lectores cantant iterum Antiphonam excelſa voce , qua finita ter dicunt *Kyrie* . Poſt hæc duæ Cruces iterum permoventur in illum locum , ut ante Archipresbyterum & Archidiaconum poſt deſcenſionem illorum eſſe poſſint . Tertia autem Crux permovetur , ubi aliæ duæ ſteterunt . Itaque illis deſcendentibus , dum Lectores cantant Antiphonam , deſcendunt omnes Ordinarii abſque Archiepiſcopo uſque ad medium Pulpiti ,& ibi ordinantur ex una parte Presbyteri & Notarii , idest à Septemtrione . Alii ſimiliter Diaconi & Subdiaconi ab Auſtro . Et Archiepiſcopus vadit ad caput cancellorum Presbyterorum , Ebdomadario Diacono ducente eum, & ſic cantant Antiphonam . Tunc Cicendelarius Ebdomadarius porrigit lampadem accenſam Subdiacono Ebdomadario in Secretario , & præcedit eum uſque ad phialas, & ille cum lampade accendit, eodem oſtendente ſtupinos cum virga . Hoc facto , ſtatim ſumit lampadem de manibus Subdiaconi , & portat in Secretarium , præcedens Subdiaconum per medium Chorum uſque ad altare . Tunc Subdiaconus remanet poſt Altare , & Lectores veniunt in illum locum , ubi duæ Cruces ſteterunt , & faciunt coronam, ut prius . Et duæ Cruces vadunt uſque ad introitum Chori , & tertia præcedit , ubi duæ ſteterant, & Lectores canunt Antiphonas, & Ordinarii paululum aſcendunt, & finitâ Antiphonâ à Lectoribus, Ordinarii incipiunt eamdem. Tunc Primicerius Lectorum tranſit per medium illorum in Chorum majorem , & ibi ordinantur ad cancellos ſeptemtrionales. Sed cantatâ Antiphonâ ab Ordinariis , ſicut ſupra legitur , duæ Cruces feruntur poſt Altare , ubi Subdiaconus , qui ſeptimanam tenet , reveſtitus Albâ ocultâ excipit collectis cereis, & datis Oſtiariis , reponuntur in loco ſuo . Et tertia Crux permovetur uſque ad introitum Chori: cantatâ Antiphonâ per Ordinarios , Primicerius Lectorum incipit *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*, & reiterant eamdem Antiphonam Illâ finitâ dicit Primicerius Lectorum ſuis: *Pax vobis* : Et tertia Crux inſeritur poſt Altare . Tunc Subdiaconus ſumit Candelam tertiæ Crucis , ſcilicet illam , quæ in ſummo eſt, & de ipſa accendit columnam ceream , ſuper quam Cereus eſt , & duodecim Cereos , qui ſtant in tribunali Eccleſiæ . Interea Archiepiſcopus vadit ad ſtadium ductus per dextram à Diacono Ebdomadario , qui ſimiliter duxerat eum ad

A caput cancellorum , excepto quando Archidiaconus cantat Reſponſorium poſt Hymnum, quia tunc ducit Archiepiſcopum ad cancellos, & reducit tenendo ejus dexteram . Et Ordinarii aſcendunt Chorum , qui eſt ab Auſtro , & ibi ordinantur ſecundùm ordinem ſuum & dicunt: *Sicut erat in principio , & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum , Amen* , dicendo eamdem Antiphonam .

Nec prætereundum eſt , quia quando eſt Antiphona Crucis, incœpta tertia lectione Primicerius Lectorum ſemper vadit cum Lectoribus de poſt ſedentes Diaconos , exit ab oſtio, quod eſt juxta Secretarium in hyemali Eccleſia . Ab æſtiva vero exit ab oſtio ſeptemtrio- B nali , antecedente eos Ebdomadario Oſtiario cum cruce argentea cum candela deſuper accenſa , & intrant per regias occidentales cantando ſemper pſallendam ſecundam ejuſdem diei , excepto in Natale Domini, quando cantant : *Hodie in Bethleem* . Et in Epiphania *in excelſis omnis creatura* . Et tunc Archiepiſcopus vadit cum illo Archidiacono ducente tantùm in his feſtis . Et quando ſunt in loco , in quo incœpturi ſunt Antiphonam, ante Crucem dicit Archiepiſcopus hanc Orationem in Natale Domini : *Inſonuit, Domine.* In Epiphania: *Illumina , quæſumus, Domine, Populum tuum* . Finitâ itaque tertiâ Oſtiarius Ebdomadarius ſemper trahit Lectorium uſque ad latus dexte- C rum Altaris , ne Chorus impediat , & ſcabellum ejus ſimiliter , excepto quando canitur Antiphona ad Crucem , quod idem Cuſtos , qui orationem porrigit, facit, & ultimus Diaconus ſemper imponit Antiphonam jubendo , vel in Cantico revertendo ad ſtadium , & Lectores prædicti ſtant in atrio Eccleſiæ , donec finiatur Canticum . Eo cantato prædictus Primicerius factâ coronâ cum ſuis in corpore Eccleſiæ , quaſi tranſacta pars Eccleſiæ quarta ab introitu, Oſtiario Ebdomadario ſtante ante illos cum Cruce argentea, & cum tribus candelis accenſis , & unâ illarum in ſummo Crucis poſitâ . Sed aliæ duæ Cruces ſunt portatæ ab Oſtiarii obſervatoribus paululum proceden- D tes prædictam Crucem rectâ lineâ , ſed tamen omnes ſeparatæ . Tunc Primicerius Lectorum incipit cum ſuis ante Crucem , cantatâque ſemel Antiphonâ , dicunt ter *Kyrie*, & duæ Cruces promoventur ad illum locum, ut ante Archipresbyterum & Archidiaconum poſt deſcenſionem illorum eſſe poſſint. Tertia autem Crux promovetur, ubi duæ ſteterant. Item illis cantantibus eamdem Antiphonam deſcendunt omnes abſque Archiepiſcopo ad medium Pulpiti, & ibi ordinantur ex una parte Presbyteri & Notarii ad Septemtrionem , alii ſcilicet Diaconi & Subdiaconi ab Auſtro, & Archiepiſcopus vadit ad caput Cancellorum Presbyterorum , Septimanario Diacono ducente eum per E dexteram , exceptis quinque Feſtivitatibus ſupradictis , in quibus Archidiaconus canit Reſponſorium poſt Hymnum , & ducit per dexteram eumdem Archiepiſcopum , & canitur ſecundo à Lectoribus Antiphona . Tertia Crux procedit uſque ad illum locum , ubi duæ ſteterant ante, illæ autem tranſeunt ad introitum Chori . Tunc ordinati Sacerdotes & Levitæ & Subdiaconi & Notarii cantant eamdem Antiphonam , & Primicerius Lectorum tranſit cum ſuis per medium illorum ad pedes diurni gradus, & facit Chorum , ut prius . Cantatâ autem Antiphonâ per Ordinarios , tertia Crux promovetur ad introitum Chori, ubi duæ ante ſtete-

A ſteterant. Illæ autem feruntur poſt Altare, ubi Subdiaconus, qui ſeptimanam tenet, reveſtitus Albâ oculatâ excipit, collectis cereis & datis Oſtiariis, reponuntur in loco ſuo. Tunc Lectoribus denuo cantantibus eamdem Antiphonam Ordinarii aſcendunt Chorum. Finitâ Antiphonâ dicit Primicerius Lectoribus ſuis: *Pax vobis*, illiſque reſpondentibus *Amen*, tertia Crux infertur poſt Altare. Tunc Subdiaconus ſumit candelam tertiæ Crucis, ſcilicet de illa, quæ in ſummo eſt, accendit cercam columnam, ſuper quam eſt Cereus, & duodecim cereos, qui ſtant in tribunali Eccleſiæ. Et tertia Crux fertur in Secretarium, & inter duas alias collocatur. Interea *Gloria* dictâ per Ordinarios, dicunt eamdem Antiphonam. B Finitâ autem Antiphonâ Primicerius Lectorum ter dicit cum ſuis *Kyrie*. Archipresbyter verò, aut Archiepiſcopus ſemper dicit primam Orationem ſecretam, & voce elata *una cum Spiritu Sancto in ſecula ſeculorum*. Deinde Archidiaconus ſemper imponit Antiphonam in *Cantemus*, aut in *Benedicite*, aut in *Miſerere mei Deus*, ad cornu Altaris. Si ſunt duæ Orationes ſecretæ, alius Sacerdos ſubſequitur, aut Archiepiſcopus. Deinde alii Diaconi, ſicut ſunt in ordine, ita imponunt Antiphonam, & cantato Hymno trium puerorum, dicitur Oratio, quia Sacerdos Ebdomadarius ſemper dicit Orationem in *Benedictus*, & in *Miſerere mei Deus*, C parato ſibi rotulo per minorem Cuſtodem, qui jacet in tribunali, cum candela accenſa data ab Oſtiario Ebdomadario. Si verò Archiepiſcopus adfuerit, paratus rotulus per rotularium ſuum, uno Subdiacono tenente cereum ab uno latere, Notario ab altero, & mox impoſitâ Antiphonâ in *Laudate*, Subdiaconus Ebdomadarius reveſtitus fert thuribulum accenſum datum ab Ebdomadario Cicendelario ante Archiepiſcopum & incenſum. Tunc ipſe Pontifex miſſo thure ab eo adolet ſuper Altare, & ante Altare, & porrigit Diacono, qui imponit Antiphonam in *Laudate*. Quod ſi defuerit Pontifex, idem dat Diacono, qui Antiphonam impoſuit, & ipſe adolet circa Altare D tantum, quia fas ei non eſt adolere ſupra. Et ipſemet vadit per circuitum Chori, incenſum tribuendo ibidem adſtantibus. Deinde reddit uni minorum duorum Cuſtodum Ebdomadariorum, qui per ſingulas Eccleſiæ partes omnibus fert odorem. Cantato *Laudate Dominum de cœlis*, Pontifex, aut Presbyter obſervator ſalutat, & imponit Pſalmum directum, poſtea *Gloria in Excelſis Deo*. Deinde dicit *Gloria & honor Deo*. Poſt hæc incipit Hymnum. Deinde venit Subdiaconus de Secretario reveſtitus cum candelabris accenſis datis per manus Ebdomadarii Cicendelarii, præcedente eum uno Cuſtode duorum minorum Ebdomadariorum in Dominicis & in feſtivis diebus. Et ponit ea E ante Altare & diſcedit. Finito itaque Hymno dicitur *Kyrie*, duodecim vicibus. Et Presbyter ſalutat.

In Feriis verò, quibus Feſtum non habetur, excepto in Albis in Paſchalibus, minor Lectorum ſemper canit Reſponſorium gradale poſt *Kyrie*, præter in Quadrageſima, quando canitur, ſicut infra legitur. In Dominicis verò diebus ac feſtis, poſt duodecim *Kyrie*, Diaconus poſt ſalutationem Pontificis, aut Presbyteri Obſervatoris, imponit Antiphonam, & Primicerius Lectorum ſumit eam ſequentibus ſuis, & viciſſim cantant cum Notariis uſque in Baptiſterio. Et duo Obſervatores Subdiaconi ferunt Ceroſtantes ante Pontificem, ſeu Presbyteros, & Presbyter Obſervator complet Matutinum in majori Choro cum Obſervatore Diacono. In Baptiſterio verò complet Presbyter & Diaconus Ebdomadarii. In ferialibus autem diebus, in quibus feſtum non eſt, Septimanarius Diaconus ſemper canit Reſponſorium in Baptiſterio, & imponit Antiphonam cum quatuor verſibus. Et in quarta Feria, & in ſexta Feria complet Pſalmum cum extremo verſu poſt *Gloriam*. Quum verò ab æſtiva Eccleſia proceſſio fit in hyemalem in Veſperis vel in Matutinis dicitur ter *Kyrie*, ſtatim quum intraverit Eccleſiam per Primicerium Notariorum cum ſuis, & Primicerius Lectorum ſimiliter cum ſuis. Et item incipiunt eamdem Antiphonam, vel Pſallendam, Primicerius tamen Lectorum in primis, & vadunt ante Altare Majus, & ibi complent privatim, deinde in Baptiſterio. Quotieſcumque Ordinarii faciunt Officium in Eccleſia æſtiva, minor Cuſtodum ſemper debet portare pannum ſuper Altare, & rotulum, & Cicendelarius Ebdomadarius ſimiliter portat ignem in prædictam Eccleſiam. Sed minor Cuſtos ſupradictus in diebus feſtis & in Dominicis ad Matutinum portat Albam, & Collectarium, excepto in Paſchalibus Dominicis, in quibus portat rotulum. Finito verò Matutino, tantùm Cicendelarius reportat ſemper in Eccleſia hyemali pannum Altaris, & conſignat Rotulario Ebdomadario. Ideo conſignat Cicendelarius Ebdomadarius pannum Altaris Rotulario Ebdomadario in Eccleſia hyemali, quia impeditus eſt de Libro, quem dat Presbytero in Baptiſterio, & de lumine, quod eidem tenet in Oratione, excepto in diebus Feſtis, in quibus finitur Matutinum in Eccleſia Sancti Johannis, quæ dicitur ad Fontes, quia ſupradictus Cicendelarius finito Matutino ibi conſignat pannum Altaris & Albam ſupradicto Rotulario, & ipſemet extinguit Cereos & gubernat. Notandum eſt, quod Oſtiarius Ebdomadarius conſignat candelabra & Cereos extinctos Cicendelario Ebdomadario in Secretario a prima Dominica de Adventu uſque in Ramos Olivarum. Ceteris verò diebus Cicendelarius Ebdomadarius tollit ab Altari in Baptiſterio & gubernat. Quandocumque verò offertur ſuper Altare hyemalis Eccleſiæ, totum eſt quatuor Septimanariorum Cuſtodum præter aurum & incenſum, quod eſt Archiepiſcopi. Pallium verò, vel lineum, ſive manutergium, ſi offertur, omnia ſunt Altaris. Si verò Presbyteri Decumani Officium fecerint, & aliquid oblatum fuerit ante Altare vel ſuper Altare, totum dividitur cum Ebdomadariis Cuſtodibus præter illa, quæ ſunt Altaris, & Archiepiſcopi. Et quidquid in Solemnitatibus, aut in Dominico die, offertur ſuper Altare in prima Miſſa, totum eſt Sacerdotis canentis Miſſam. Et iterum ſi candela offertur in manu Sacerdotis, melior uno Nummo, dividitur inter Sacerdotem & Cuſtodes. Præterea ſciendum, quia de omnibus candelis, quæ offeruntur ante Altare, videlicet ante Crucem, Cicendelarius Ebdomadarius nullam debet habere partem, niſi de illis, quæ dantur in Miſſa, & in Sabbato de ſera unam, ſi fuerit, & in Matutinis unam, ſi Ordinarii faciunt ibi Officium. Et hoc in Dominicis diebus, & in Natale Domini, & in Epiphania, & in Annunciatione, & Purificatione, & Aſſumtione Sanctæ Mariæ.

Incipit

Incipit Ordo Miſſarum.

ORdo Dominicorum dierum, vel Solemnitatum ſic incipit. Subdiaconus, cujus Septimana eſt., ſimul cum eo, qui obſervat, cooperit Altare, & Coronam auream ſuſpendit, & quum in æſtiva Eccleſia ſit, Officium utriuſque matris Eccleſiæ, Altare cooperit. Finitâ Miſſâ Decumanorum Oſtiarius Ebdomadarius cum Subdiacono Ebdomadario quærunt ab Archiepiſcopo præceptum ſonandi ſignum in Dominicis diebus, & in Feſtis, & in Quadrageſima. In quotidianis diebus Presbyter Ebdomadarius jubet ſonandi ſignum, & poſt ſonitum ſigni, quando Officium Miſſæ celebratur in Eccleſia æſtiva, unus duorum minorum Cuſtodum Hebdomadariorum portat in Eccleſiam æſtivam pannum Altaris & Miſſale & Albam & Amictum & Pluviale, ex quo Presbyter Hebdomadarius induit ſe, dum canit Tertiam. Et Cicendelarius Ebdomadarius portat Cereos, & Candelabra, & Thuribulum, & Incenſum, & Cazulam, unde colatur vinum in ſacrificio, & Calicem, & Corporalia, & Aquamanile, ex quo minor Cuſtos Ebdomadarius ducit aquam, & porrigit Presbytero, & Diacono & Subdiacono Ebdomadario. Et Ebdomadarius Subdiaconus cooperit Altare cum Obſervatore Subdiacono. Et Septimanarius Clavicularius portat Evangelium, & Terminarius Septimanarius portat Epiſtolam, & duo Cuſtodes Obſervatores portant Calicem offerendæ, & obſervant, ſicut mos eſt. Congregato Clero Archiepiſcopus, ſi adfuerit, præcipit de Secunda, & unus minorum Cuſtodum de Ebdomadariis pulſat ſignum in Choro cum tintinnabulo. Et Oſtiarius Ebdomadarius ſonat Secundam in Campanili, excepto in Dominicis Quadrageſimæ, in quibus Obſervator Oſtiarius ſonat. Archiepiſcopus indutus pluviali vel caſula, debet incipere Tertiam & finire. Qui ſi defuerit, Presbyter Ebdomadarius indutus pluviali prædictam Tertiam complet. Et Subdiaconus dicit Epiſtolam, & Puer Magiſtri Scholarum canit Reſponſorium. Et prædictus Subdiaconus dicit in fine *Benedicamus Domino*. Et notandum eſt, quotieſcumque Ordinarii publice canunt Primam, Tertiam, aut Sextam, vel Nonam, aut Completorium, Presbyter Ebdomadarius debet ſtare a parte Diaconorum ſupra Archidiaconum, & debet incipere ſupra duas Horas cum Hymnis ſemper. Et ſciendum eſt, quod Presbyter, & Diaconus, & Subdiaconus, & Magiſter Scholarum cum Pueris ſuis, omnes iſti Ebdomadarii celebrant Miſſam majorem in Eccleſia Hyemali omni die per totius Anni circulum. Tertiâ vero hoc ordine finitâ, Archiepiſcopus in Dominicis diebus, vel præcipuis ſolemnitatibus vadit in Secretarium cum ceteris Ordinibus, ubi induit ſe ſacris veſtibus, Notariis induentibus eum, ad canendum Miſſam, & cum eo duo Diaconi, videlicet Ebdomadarius, & Obſervator, & tres Subdiaconi, ideſt cujus ſeptimana eſt, & qui obſervant. Sed in Dominicis diebus de Adventu & de Quadrageſima faciunt idem, videlicet tres Diaconi, & quinque Subdiaconi Ebdomadarii & Obſervatores. Et unus Diaconorum ponit Stolam ſuper Planetam. Illo verò induto duo Diaconi per manus ducentes Archiepiſcopum circumdant, ex quibus primus â dextris eſt, qui incipit poſt Secundam, quæ fuit in Matutinis. Et canendo exeunt de Secretario, Subdiaconis præcedentibus uſque ad Altare cum thuribulo & candelabris accenſis datis per manus Cicendelarii Ebdomadarii. Et ſtatim Magiſter Scholarum dicit *Gloria Patri*, reiterando cum Pueris ſuis prædictam pſallendam. Et ſtatim prædictus Cuſtos pulſat Tertiam in Choro, & Oſtiarius Ebdomadarius cum Oſtiariis Obſervatoribus perſonant in Campanili. Sed ſi Archiepiſcopus defuerit, Presbyter Ebdomadarius exit de Secretario indutus ſine proceſſione cum ſupradictis Ordinibus, Cicendelario Ebdomadario præparante & dante thuribulum, & candelabris & Cereis accenſis.

Sed hoc providendum eſt, quia in omnibus Ferialibus diebus Sacerdos cum Levitis & Subdiacono Ebdomadario exit de Secretario ſine incenſo & candelabro ad Miſſam canendam, Subdiacono portante ſindonem tantùm, & Magiſtro Scholarum Ebdomadario faciente Officium, & Subdiacono tenente & legente Epiſtolam in medio Chori, & Puer Magiſtri Scholarum canit *Alleluja* cum verſu de *Domine Deus*, vel de *Domine refugium*, aut *Deus manifeſte veniet* in Adventu, vel de *Reſurrexit* in Ferialibus poſt Paſcha, prædicto Puero ſtante cum eburneis tabulis, indutus Camiſio in medio Choro. Et Diaconus legit Evangelium a dextra parte Altaris ſuper aliquod ſtadium. Et ſi Feſtum eſt, in die illo Obſervatores hoc faciunt, & Hebdomadarii pergunt ad Feſtum. Sed ut ad propoſitum redeamus, Archiepiſcopus vadit ante Altare cum prædictis Ordinibus. Sed Subdiaconi prius faciunt incenſum in modum Crucis ante ipſum Altare. Deinde Archiepiſcopus facit Confeſſionem. Sed ad hoc adjiciendum, quia in Natale Domini, & in Epiphania, & in Dominica in caput Quadrageſimæ, quæ dicitur *Carnelevale*, & in Reſurrectione, & in Pentecoſten, & in Dedicatione Majoris Eccleſiæ, Archiepiſcopus induitur ſacris veſtibus cum omnibus Diaconis indutis Dalmaticis, cum omnibus Subdiaconis indutis Albis, & cum omnibus Presbyteris, Cardinalibus, & cum Primicerio Decumanorum, & Primicerio Lectorum, & Magiſtro Scholarum Ebdomadario, veſtitis Pluvialibus, procedit ad Altare cum iſtis. Sed Diaconi prius faciunt incenſum ante ipſum Altare. Deinde Archiepiſcopus facit Confeſſionem, qua finita Levitæ ſtatim aſcendunt ad cornua Altaris, & Subdiaconi vadunt poſt Altare. Quo facto Magiſter Scholarum incipit Ingreſſam, qua finita Archiepiſcopus aut Presbyter Ebdomadarius dicit: *Dominus Vobiſcum*. Sequitur *Gloria in excelſis Deo*, & Magiſter Scholarum canit totam *Gloriam*, excepto in præcipuis Solemnitatibus, quando canit tantùm uſque ad *ſuſcipe deprecationem noſtram*, a qua Lectores canunt excelſa voce uſque in finem. Tunc Magiſter Scholarum dicit ter *Kyrie* cum Pueris ſuis. Sequitur Oratio ſuper Populum, & Oratione facta ducitur Archiepiſcopus aut Presbyter tranſit poſt Altare & ſalutat, & Lector Terminarius Ebdomadarius, qui Secundam legerat in Matutinis, accepta Lectione de ambone, aut de Altari, quæ per Clavicularium Septimanarium ante poſita fuerat, reveſtitus cum Camiſio aſcendit Pulpitum, & legit lectionem omni die Dominico, excepto in aliquo Feſto, quando Terminarius, qui intraturus eſt ebdomadam, legit, remotis quinque Feſtis, ideſt in Natale Domini,

mini , & in Epiphania , & in Reſurrectione , & in Pentecoſten , & in Dedicatione majoris Eccleſiæ , in quibus major Subdiaconus legit . Sed data benedictione , & illo legente , Archiepiſcopus ſedet in Fuldione , excepto in prædictis ſolemnitatibus , quando ſedet in tribunali cum Presbyteris & Diaconis majoris Ordinis . Tunc Subdiaconi cum Levita , qui legit Evangelium , revertuntur in Secretarium cum thuribulo & candelabris , præcedente eos uno de minoribus Cuſtodibus Ebdomadariis , excepto in præcipuis Feſtivitatibus , in quibus unus duorum Majorum ex octo Minorum facit idem . Et ſi forte acciderit , quod in ſua Ebdomada Feſtum evenerit , illi , qui futuri ſunt poſt eos , faciunt idem , quando intrant , & quando exeunt . Finita lectione Puer Magiſtri Scholarum acceptis tabulis eburneis de Altari, vel ambone , poſitis per Clavicularium Ebdomadarium , veſtitus Camiſiolo aſcendit Pulpitum , ut canat Pſallendam . Et hoc ſemper , excepto in Quinquageſima , & in Dominicis diebus Quadrageſimæ , in quibus Lectores canunt , & in Annunciatione Sanctæ Mariæ , quando duo Subdiaconi , & totidem Notarii cantat , ſi Archiepiſcopus adfuerit ; ſi verò defuerit , duo Notarii , & duo Lectores cantant . Et obſerva , quod Pueri in Hyemali Eccleſia per totam Miſſam ſtant in Choro cum Magiſtro ſuo , in Æſtiva ab initio Propheticæ Lectionis uſque ad Evangelium ſtânt ad pedes graduum , & in Quadrageſima in Feria, & in Vigilia Natalis Domini , & in Epiphania ſimiliter . E quo ſpatio in Choro Lector , qui legerat Lectionem , tranſit per Chorum a ſiniſtra parte Altaris in Secretarium , & accepto Ep ſtolari exit cum Subdiacono præcedens, & ferens Epiſtolam ante eum in manibus , ita ut pectori lacertos cum Libro non acclinet uſque ad primum gradum Pulpiti . Et ſtatim dat Librum Subdiacono . Et ille aſcendit , & iſte exſpectat ex altera parte Pulpiti , donec ille Epiſtolam perficiat, & Librum de manibus ejus accipiat , & uſque in Secretarium eum reducat .

Qua finita Notarius juſſu Primicerii ſui tollit tabulas de Altari vel de Ambone , indutus Camiſio canit *Alleluja* in Pulpito bis ante verſum . Et Magiſter Scholarum incipit , & Lectores deinde canunt *Alleluja* , & verſum & *Alleluja* ſimiliter . Poſt verſum verò idem Notarius dicit *Alleluja* . Tunc Magiſter Scholarum canit Melodias cum Pueris ſuis , tacentibus Lectoribus . Et notandum , quia Notarius ſemper canit *Alleluja* in Dominicis diebus , excepto in Natale Domini , & in Epiphania , & in Reſurrectione , & in Pentecoſten , & in Dedicatione majoris Eccleſiæ , in quibus Diaconi cantant , præcedentibus eos Notariis, trahendo eos ſuper Pulpitum , & tenendo ſurſum oram Camiſii , ne iter Diaconi impediat , excepto die *Carnelevalis* , in qua Pueri cantant. Deinde Diaconus exit de Secretario indutus veſtibus ſacris cum Evangelio , præcedentibus Subdiaconis cum thuribulis & candelabris accenſis . Et Lector ſequitur Diaconum uſque ad exitum Chori . Tunc ſtatim præcedit uſque ad Pulpitum , quando Subdiaconus non vadit cum Cereis accenſis ante Diaconum . Tunc Lector procedit de Secretario uſque ad Pulpitum , & Subdiaconi revertuntur in Chorum , dando incenſum Clericis & Laicis . Et Diaconus obſervator dicit ad

A

cornu Altaris: *Parcite fabulis* . Et ſtatim duo Cuſtodes minores Ebdomadarii dicunt excelſa voce : *Silentium habete* in Hyemali Eccleſia tantùm ; in Æſtiva verò duo minores Obſervatores eadem faciunt . Et Diaconus pronuntiat Lectionem Evangelii . Et prædicti Cuſtodes rurſus dicunt : *Silentium habete* , excepto in ſolemni die , quando duo Cuſtodes Majores octo Minorum eadem dicunt , & in eiſdem ſolemnibus recipiunt Offerſionem panis & vini de manu Diaconi & Subdiaconi , & Diaconis & Subdiaconis eundo & redeundo inſerviunt . Tunc inclinatur Diaconus adversùs Archiepiſcopum jam ſtantem ad Altare pro benedictione , qui dicit : *Dominus ſit in corde & in labiis*

B

tuis. Et tum incipit legere Diaconus. Peracto Evangelio , ſi quæ Feſtivitates ſunt in ſequenti Septimana , pronuntiat eas Diaconus in Pulpito , ſcriptas & porrectas a Claviculario Ebdomadario chartâ ſumtâ de camera Archiepiſcopi . Finito Evangelio , prædictus Lector accipit oram Camiſii Diaconi , & trahit eum per gradus omnes , & unus duorum minorum Cuſtodum Septimanalium ſumit Evangelium de manibus ejus in Eccleſia Hyemali ſemper ; in Eccleſia vero Æſtiva unus duorum minorum Cuſtodum Obſervatorum eadem facit . Et Subdiaconi revertuntur in Secretarium . Et Diaconus accedit ad Altare , & oſculatur illud . Interea Archiepiſcopus , aut

C

Presbyter dicit *Dominus Vobiſcum* , & Chorus dicit ter *Kyrie* , & item ſalutat , & Primicerius Lectorum ſtatim incipit Antiphonam poſt Evangelium cum ſuis ſtantibus circa eum in modum coronæ . Et Archiepiſcopus , aut Presbyter revertitur ante Altare , & iterum ſalutat . Diaconus ſtatim dicit : *Pacem habete*, & reſpondet Clerus : *Ad te Domine* . Tunc Archiepiſcopus , aut Presbyter , & Diaconus oſculantur Altare . Et iterum ſalutat , & dicit Orationem ſupra ſindonem . Et Cicendelarius Ebdomadarius porrigit Subdiacono Ebdomadario panem & vinum ſumtum de apotheca Archiepiſcopi , & aquam ſimiliter .

Subdiaconus imponit panem in patena , &

D

vinum & aquam in calice, ſi Archiepiſcopus defuerit . Si verò adfuerit , ipſemet ponit aquam in calice , Capellano porrigente Subdiacono, & Subdiacono Archiepiſcopo . Sciendum eſt , quia in Dominicis diebus finitâ Antiphonâ , quæ eſt poſt Evangelium, ſi Feſtum celebratur , ſeptimanarii vadunt ad Feſtum , & Obſervatores , videlicet Presbyter , Diaconus , & Subdiaconus canunt Miſſam incœptam , Magiſtro Obſervatore faciente Officium cum Pueris ſuis . Supradictus autem Subdiaconus cum magna reverentia portat prædictum panem in Patena , & Calicem cum vino de Secretario uſque ad Altare , & porrigit Diacono , & Diaconus Archiepiſcopo , vel

E

Presbytero . Tum Magiſter Scholarum canit Offerendam cum Pueris ſuis . Poſt hæc Ordo Vetulorum & Vetularum offert Archiepiſcopo, vel Presbytero panem : ſed maſculi intrant Chorum, feminæ verò morantur extra . Unuſquiſque illorum offert tres oblatas, & Presbyter porrigit Subdiacono, & vinum offert Diacono , & unus duorum Cuſtodum Ebdomadariorum ſuſcipit illud de manu Diaconi , & ponit in Calice offerſionis , & reddit urceolum illi Vetulo , cujus eſt . Et alter junior Cuſtos ſumit ſimiliter Oblatas de manu Subdiaconi in Eccleſia Hyemali tantùm : in Eccleſia verò Æſti-

Æſtiva duo Obſervatores minores eadem ſuſcipiunt. Feminæ verò eodem ordine offerunt extra Chorum. Archiepiſcopus aut Presbyter revertitur ad Altare cum Diacono & Subdiacono. Pontifice reverſo ad Altare, Subdiaconus porrigit aquam manibus Archiepiſcopo, Notariis duobus tenentibus manutergium ante eum, & cum eodem manutergio tenentibus ambas manicas illius, ne ſupradictâ aquâ madeſiant. Et eodem modo abluitur poſt Communionem. Poſt hæc Subdiaconus de Calice, ubi vinum Oblationum fuſum eſt, per catiolam argenteam in Calicem aureum fundit, quem Diaconus, qui legit Evangelium, ablatum de Altari tenet in manibus, poſitoque ipſo in Altari, denuo Archiepiſcopus facta Cruce deſuper dicit benedictionem. Et Cicendelarius Ebdomadarius venit de Secretario cum thuribulo accenſo cum incenſo, & dat Subdiacono. Et finito munere Offerendæ, Subdiaconus porrigit Diacono, & Diaconus Archiepiſcopo vel Presbytero, & facit incenſum Domino ſuper Altare in modum crucis. Et ſtatim Diaconus ſumit thuribulum de manu Archiepiſcopi, vel Presbyteri, & portat, & adolet circa Altare. Deinde Subdiaconus ſuſcipit de manu Diaconi, & portat incenſum Clero & Plebi circa Chorum tantùm, & unus duorum minorum Cuſtodum Ebdomadariorum ſuſcipit de manu Subdiaconi, & conſignat Cicendelario Ebdomadario in Secretario. Poſt hæc Archiepiſcopus vel Presbyter dicit: *Credo in unum*, & Chorus dicit uſque *& Homo factus eſt*, & ſtatim Magiſter Scholarum incipit cum Pueris ſuis, & dicit uſque in finem, inclinatis ſemper Subdiaconibus poſt Altare, quouſque flexus Archiepiſcopus, vel Presbyter Oblationem ſuam per manus Angeli committat. Tunc verò erigens ſe, & illo oſculante Altare, eriguntur. Diaconi verò tamdiu inclinati ſtant, quàm Archiepiſcopus, & cum eo erecti oſculantur Altare. Deinde Miſſa peragatur ordine ſuo, Magiſtro Scholarum Officium canente cum Pueris ſuis uſque in finem. Finitâ Miſsâ unus duorum minorum Cuſtodum Ebdomadariorum vadit in Campanile, & plane ſonat tintinnabulum, ut omnis Civitas cognoſcat Miſſam Majorem finitam. Et Ebdomadarius Subdiaconus cum Septimanario Cicendelario debent prandere cum Archiepiſcopo per totius anni circulum. In Dominicis diebus & in Natale Domini & in Epiphania, ut ſupra dictum eſt, Cicendelarius debet habere de Camera Archiepiſcopi unam Minam vini, de quo fit Sacrificium per totam ebdomadam.

De Veſpertinis Horis.

IN hora veſpertinali Ebdomadarius Subdiaconus cum Ebdomadario Oſtiario debent ire ad Archiepiſcopum quærere licentiam ſonandi Veſperas. Et ille præcipit, ut vinum tribuatur his duobus honeſte. Sed Subdiaconus prius bibit, deinde Oſtiarius. Et Oſtiarius ſonat, ſicut ei præceptum eſt. Et ſi Archiepiſcopus adfuerit, præcipit de ſecunda, & tertia. Si verò defuerit, Diaconus Ebdomadarius præcipit de ſecunda, & Presbyter de tertia. Et unus duorum minorum Cuſtodum Ebdomadariorum ſemper præſto eſt ad pulſandum ſignum in Choro. Et Oſtiarius in Campanili ad ſonandum. Et antequam tertia ſonetur, Cicendelarius Ebdomadarius accendit
A candelabra in Secretario, & unus duorum minorum Cuſtodum Ebdomadariorum ſemper veſtit Subdiaconem, & porrigit Pluviale Subdiacono, & Subdiaconus induit ex eo Presbyterum. Et ipſe Subdiaconus vadit in Eccleſiam ad arcam, quæ ibi poſita eſt, & percutit eam cum manu, in qua Libri Veteris Teſtamenti & Novi poſiti ſunt cum tabulis eburneis. Sed antequam tertia ſonetur, ad ſonitum arcæ Puer Magiſtri Scholarum in Sabbatis & Dominicis diebus, & in præcipuis ſolemnitatibus veſtitus Camiſiolo aſcendit Pulpitum, & cantat *Confitemini*, leni voce caput & verſum, & iterum caput. Et Magiſter Scholarum ſimiliter cum Pueris ſuis leni voce in Sabbatis, & in
B Dominicis diebus tantùm, & in Natale Domini, & in ſequentibus Feriis, & in Epiphania, exceptis in Sabbatis Quadrageſimæ, & in Paſcha uſque ad Octavam. Et idem Magiſter ſemper ſtat extra cancellos ab initio *Confitemini* uſque ad initium Hymni prope Pulpitum. Ad quod ſonum arcæ, quod ſupra diximus, minor Cuſtos Ebdomadarius pulſat tintinnabulum in Choro, & Oſtiarius Ebdomadarius cum Obſervatoribus ſonant in Campanili, & prædictus Subdiaconus revertitur in Secretarium, & recipit candelabra accenſa à Cicendelario Ebdomadario. Exit ante Presbyterum, & vadit poſt Altare, & Sacerdos ſecum orat versùm in Orientem, dicendo priva-
C tim *Pater noſter*, & *ne nos inducas in tentationem*. Reſpondet Subdiaconus, *ſed libera nos à malo*. Presbyter dicit: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini*. Reſpondet Subdiaconus: *Qui fecit Cœlum, & Terram*. Et hoc ordine Subdiaconus exit ad Veſperum per totum annum quotidie, excepto in quinque Feriis totius Quadrageſimæ, nam in ſeptima Feria ſolus exit, & orat poſt Altare cum ipſo ſicut cum Presbytero. Archiepiſcopus, vel Sacerdos ſtans retro Altare oſculatur illud. Poſtea incipit Veſperas dicendo: *Dominus vobiſcum*. Tunc Terminarius Lector Ebdomadarius canit Lucernarium in Sabbato, tantùm caput & verſum leni voce, & Magiſter Scholarum ſimili
D modo leni voce cum Pueris ſuis. Deinde Lector, qui incipit, & Chorus, qui ſumit, omnes excelſa voce. In Dominicis autem diebus Terminarius Lector, qui habiturus eſt ebdomadam, eodem modo canit, excepto in Sabbato Sancto uſque ad Octavam Reſurrectionis. In quibus diebus canitur tantùm *Alleluja* cum ſuo verſu: *Dominus illuminatio mea*. In quotidianis verò diebus Puer Magiſtri Scholarum ſemper canit: *Dominus illuminatio mea* majori tono, ſtans in medio Chori, excepto in Ferialibus Quadrageſimæ, quando alio modo idem Puer canit in Pulpito. Sequitur *Dominus vobiſcum*. Et Primicerius Lector incipit Antiphonam in Choro, Lectoribus ſtantibus circa
E eum in modum coronæ. Poſt hæc Presbyter dicit ante Altare, *Dominus vobiſcum*, & incipit Hymnum.

In Feriis, in quibus non canitur Antiphona in Choro, finito Lucernario, Presbyter revertitur ante Altare, & incipit Hymnum. Finito Hymno Notarius canit Reſponſorium omni die Dominico, excepto à prima Dominica de Adventu uſque ad Nativitatem Domini, & à Natale Domini uſque ad Octavam omni die, exceptis duobus diebus ante Octavam, in quibus Notarii cantant, & à Sexageſima uſque ad Paſcha, & à Paſcha uſque ad Octavam omni die, in quibus Subdiaconi

can-

cantant: *Et erat quidam Regulus*, ſimiliter in loco ſuo. In Ferialibus verò diebus, ideſt quotidianis, cantat Lector Terminarius Ebdomadarius Reſponſorium ſemper, excepto in Sabbato & in Adventu & in Quadrageſima, in quibus canit Clavicularius. Finito Reſponſorio, Diaconi imponunt Antiphonam per ordinem. Et notandum, quia antequam Veſperum incipiatur, minor Cuſtos Ebdomadarius ponit rotulum Orationum ſuper Altare, niſi ſint propriæ Orationes. Et Presbyter ſuſcipit eumdem rotulum ab Altari, quando dicit Orationem. Orationem verò priorem dicit Presbyter Ebdomadarius, & dicta Oratione unus porrigit alteri, & portatur in Baptiſterium. Sed ſcito, quia antequam ultimus Pſalmus incipiatur, ideſt in *Exitu Iſraël*, Cicendelarius Ebdomadarius dat thuribulum accenſum cum incenſo Subdiacono in Secretario, & ille exit de Secretario, antecedente eum uno de minoribus Cuſtodibus Ebdomadariis. Et dat Archiepiſcopo, & Archiepiſcopus adolet incenſum ſuper Altare, & ante Altare. Et tunc Diaconus ſuſcipit & facit incenſum circa Altare, & poſtea dat Archiepiſcopo, & circa Chorum tantùm. Et ſi Archiepiſcopus defuerit, dat Diacono, & ipſe facit totum, ut ſupra legitur. Et hoc in ſolemnibus diebus, & in Dominicis diebus. In principio de *Magnificat* Cicendelarius Ebdomadarius porrigit Subdiacono, cujus Septimana eſt, candelabra accenſa in Secretario, & ille ponit ea ante Altare, præcedente uno duorum minorum Cuſtodum Ebdomadariorum. Et ille revertitur in Secretarium, & exuit ſe veſtibus ſacris. Presbyter Ebdomadarius dicit primam Orationem, & Obſervator dicit in *Magnificat*. Et ibi ante Altare Diaconus Obſervator dicit Pſallendam. Et ibi privatim Presbyter & Diaconus Obſervator complent Veſperum. Et vadunt in Baptiſterium, & in Dominicis diebus, & in ſolemnibus diebus, ſi Reſponſorium habetur, Notarius canit, excepto *Domine ne obliviſcaris* bis, & *ne derelinquas nos*, & *ſi ambulavero*, quod canunt Diaconi juſſu Archidiaconi. In Ferialibus verò diebus Diaconus Ebdomadarius ſemper canit Reſponſorium in Baptiſterio, & Septimanarius Presbyter, & Diaconus Ebdomadarius ſemper complent Officium in Baptiſterio. Subdiaconus Ebdomadarius, & Obſervator ferunt candelabra accenſa ante Pontificem, ſeu Presbyterum in Baptiſterio, & hoc in Dominicis diebus, ſeu in præcipuis Feſtivitatibus ſeu ſolemnitatibus. Finito Veſpere Cuſtos prædictus ſumit rotulum de manu Presbyteri in Baptiſterio, & gubernat, & Cicendelarius Ebdomadarius tollit cereos ab Altari & reponit. Sciendum eſt, quia in omni Sabbato Antiphona inchoat. cantatur præteriti Dominici diei, excepto ſi propria fuerit, & quando canitur Miſſa cum Veſperis, & omni die Dominico Cuſtodes Ebdomadarii, excepto Cicendelario Ebdomadario, dant quatuor candelas Cimiliarchæ, quas Oſtiarius Ebdomadarius repræſentat, & ipſe honorifice præbet ei potum. Et præterea ſciendum, quia in omni die Dominico Cuſtodes Ebdomadarii ſimiliter dant novem candelas Subdiacono Ebdomadario, ſiquidem ille dederit eis prænominatum condicium. Sed in Feriis Natalis Domini & Reſurrectionis, quando Antiphona ad Crucem cantatur, Oſtiarius Ebdomadarius de proprio ſingulariter dat novem candelas. Et quando omnes inſimul præbet, ille Subdiaconus dat illi magnum prandium & honeſtum. In Natale & in Epiphania omnes Cuſtodes inſimul dant de communi prædictas candelas, quia communiter habent omnes illas, quæ offeruntur ad Matutinum & Miſſam.

Incipit de Vigiliis Feſtivitatum, ubi Ordinarii canunt Pſalmos.

IN Vigilia Sanctorum Protaſii & Gervaſii, & Sancti Laurentii, & in Ordinatione Sancti Ambroſii; & Sancti Stephani, & Depoſitione Sancti Ambroſii, Clerici iſtarum Eccleſiarum portant theſaurum de Secretario Sanctæ Mariæ, & Lampadam, excepto in Sancto Stephano, quando Obſervator Cicendelarius portat Lampadam. Similiter in Vigilia Sancti Naboris, Clerici ipſius Eccleſiæ portant theſaurum tantùm de ſupradicto Secretario, & tenent uſque tranſacta feſtivitate Sancti Materni. In Vigiliis Sanctorum, quando Ordinarii canunt Pſalmos, ſemper canunt Tertiam in Eccleſia Hyemali. Deinde proficiſcuntur ad Feſtum cum Proceſſione, cantando cantus Letaniarum ſecundùm diem, cui ipſa Eccleſia Feſti ipſius data eſt. Si primo data eſt, incipiunt, *Domine Deus virtutum*. Si ſecundo, *Quem deprecamur*. Si tertio, *Dei Genitrix*. Et Primicerius Lectorum ſemper incipit Pſallendam in Letaniis ſequentibus ſuis. Sed præſciendum eſt, quia minor Cuſtos Ebdomadarius ponit rotulum Letaniarum ſuper Altare uniuſcujuſque diei, ſicut competit. Deinde Presbyter tollit illum ante Proceſſionem, & dicit Orationem. Sed ſi Archiepiſcopus adfuerit, Rotularius ejus porrigit ei. Sed cum ad Eccleſiam, ubi Feſtum eſt, pervenerint, ſtatim ut intrant Chorum, Primicerius Notariorum ter dicit *Kyrie*, ſuis ſequentibus eum, & Primicerius Lectorum ſimiliter cum ſuis. Sequitur *Agnus Dei*. *Gloria Patri*. *Sicut erat*. *Suſcipe Deprecationem*. *Agnus Dei* ter *Kyrie* cantatur. Sed Archiepiſcopus aut Presbyter incipit: *Deus in adjutorium meum intende*. Sequitur *Te Deum laudamus*. Deinde ſalutat. Poſtea incipit Pſalterium, ſicut mos eſt. Et ſi Lectiones habentur, Vita, vel Paſſio, Notarius legit juſſu Primicerii ſui, unam in *Quid gloriaris*, alteram in *Domine exaudi*. Notarius etiam Reſponſorium in *Quid gloriaris*, juſſu Primicerii ſui. Et Secundicerius ſemper canit Reſponſorium in *Domine exaudi*. Finitis Pſalmis Archiepiſcopus aut Presbyter Ebdomadarius canit Miſſam, ſicut mos eſt. Terminarius Ebdomadarius legit Lectionem. Clavicularius Ebdomadarius canit Cantus, & Lucernarius ad Veſperas. Finitâ Miſsâ canunt Veſperas, excepto ſi Feſtum venerit in Dominico, quo Pſalmos & Miſſam cum jejunio, poſt prandium verò Veſperum, & Vigiliam, & Antiphonam in Choro ſemper in Sabbato, & in die Dominico ad Veſperas. Si verò Feſtum venerit in ſecunda Feria, canunt Pſalmos & Miſſam tantùm: in die Sabbati, in die Dominico Veſperum & Vigiliam. Sed in Vigilia Sancti Ambroſii, & Sancti Martini canunt Pſalmos & Miſſam & Veſperum, & Vigiliam, omnia inſimul, excepto ſi venerit in ſecunda Feria, quando canitur, ſicut ſupra legitur. Sed videndum, quia antequam Veſperum incipiatur, Cicendelarius Ebdomadarius accendit Cereos ſupra candelabra, candelâ ſumtâ à Presbytero ipſius Eccleſiæ. Et dat in manu Subdiaconi Ebdomadarii, & vadit ad Altare; & ibi

& ibi ponit ea, præcedente eum ſemper minore Cuſtodum Ebdomadariorum. Et Cicendelarius Obſervator ſumit Lampadam, & accendit cum candela accepta de manu Clerici vel Sacerdotis ipſius Eccleſiæ, & porrigit Subdiacono Ebdomadario, præcedente eum Clerico ipſius Eccleſiæ, & oſtendente ei cum virga lychnum, quem accendere debet. Deinde prædictus Cicendelarius ſumit lampadem de manu Subdiaconi, & extinguit, & commendat eam Presbytero ejuſdem Eccleſiæ. Et ſic Veſperum finitur, ſicut mos eſt. Et ſciendum, quia in his omnibus feſtis, quando revertuntur, veniunt cum proceſſione in Eccleſiam Hyemalem cum Pſallenda, quæ fuit in Veſperis intonata cum ſingulis verſibus ſui Pſalmi, quam minor Notarius & minor Lector viciſſim indicant, excepto in Vigilia Sancti Dionyſii, quam finiunt ante Altare Sancti Ambroſii, & quando canunt Veſperum cum Vigilia. Sed in Vigilia Sancti Johannis Baptiſtæ revertendo dicunt hunc Pſalmum: *Deus, Deus meus reſpice* cum ſua Pſallenda, ideſt *Major Prophetis*, uſque ad Portam Orientalem. Deinde *Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui viſitavit*, uſque in Eccleſiam Hyemalem. Et quando appropinquant Eccleſiæ Hyemali, Septimanarius Oſtiarius cum Obſervatoribus ſonant omnia tintinnabula, donec in Eccleſiam pervenerint. Et ſciendum eſt, quia quando exeunt Ordines de prædictarum Eccleſiarum januis, Cicendelarius Ebdomadarius ſumit candelabra de manibus Subdiaconorum, & extinguit. Poſtea verò præparat ea illis accenſa in Eccleſia Hyemali ad regias. Et minor Cuſtos Ebdomadarius porrigit, & tenet ſemper Librum Sacerdoti ad Orationem. Sed ſi Archiepiſcopus aderit, idem Cuſtos porrigit Rotulario, & Rotularius Archiepiſcopo.

In Vigilia Sancti Stephani, & Depoſitione Sancti Ambroſii, & Sanctorum Protaſii & Gervaſii, & Petri & Pauli, & Nazarii & Celſi, & Sancti Laurentii, & Ordinatione Sancti Ambroſii, Archiepiſcopus facit quatuor Cereos, habentes per ſingulos tres libras ceræ & dimidiam, quos ille mittit Cimiliarchis prædictarum Eccleſiarum, duos quorum ipſe Archiepiſcopus accendit in principio Hymni ad Vigiliam. Sed in Depoſitione Sancti Ambroſii accendit in principio Hymni ad Veſperas, cereos accendit in Miſſa majori. Similiter etiam mittit tantum incenſi eidem Cimiliarchæ, quantum ſufficit ad Officium ipſius Feſti. In his omnibus Feſtis ſupra dictis omnes Presbyteri & Diaconi Cardinales, & Primicerius Lectorum, & Magiſter Scholarum Ebdomadarius debent eſſe induti Pluvialibus ad Veſperas in Vigiliis, & in Dedicatione majoris Eccleſiæ, & Depoſitione Sancti Ambroſii ad Veſperas tantùm, Clericis illorum Pluviales porrigentibus, cappaſque ſuſcipientibus, excepto Presbytero Ebdomadario, cui minor Cuſtos Ebdomadarius porrigit Pluvialem in Veſperis tantùm Presbyteri Clerico cappam recipiente. Inceptâ verò Vigilia & Hymno, Cimiliarcha illius Eccleſiæ repræſentat prædictos cereos Rotulario Pontificis, & candelam unam accenſam, de qua Pontifex accendit cereos, ſicuti mos eſt. Et ſi Lectiones leguntur in Vigilia, primam legit Notarius juſſu Primicerii ſui, ſecundam Subdiaconus, cujus ſeptimana eſt. Et quando prima Lectio legitur, Presbyter ipſius Eccleſiæ dat thuribulum accenſum Pontifici, & ipſe facit incenſum ſupra Altare, & ante Altare. Deinde Levita, cujus viciſſitudo eſt, facit circa Altare & circa Chorum. Similiter etiam fit de altero thuribulo cum incenſo à Pontifice, & ejus miniſtris in ipſa hora. Simili etiam modo fit in ſecunda Lectione de thuribulis & incenſo à Pontifice & ejus miniſtris. In Vigilia Sancti Laurentii, finitis Lectionibus & Antiphona cum Pſalmo, Archiepiſcopus cum toto Clero vadit ad Eccleſiam Sancti Euſtorgii. Cantato Reſponſorio intrat in Canonicam ipſius Eccleſiæ, & ibi honorifice accipit potum cum toto Clero tribus vicibus datum à Canonicis ipſius Eccleſiæ. In Vigilia Sancti Protaſii, & Sancti Nazarii, & Sancti Petri, & Sancti Laurentii, & in Ordinatione Sancti Ambroſii Magiſter Scholarum Ebdomadarius facit Letanias cum quatuor Pueris ante Altare, ubi Feſtum celebratur. In Vigilia Sanctorum Protaſii, & Laurentii, & Sancti Ambroſii Ordinatione duo minores Cicendelarii debent portare thuribula de Feſtis in Secretario Hyemalis Eccleſiæ. In Ordinatione Sancti Ambroſii, & Sancti Petri, & Sanctorum Nazarii & Celſi, & Sancti Laurentii, & Sancti Simpliciani, & Depoſitione Sancti Ambroſii, & Sancti Stephani, ſonato ſigno Pontifex induitur ſacris veſtibus quaſi ad Miſſam canendam, & omnes Diaconi Dalmaticas, & omnes Subdiaconi Albis, & Presbyteri Cardinales, & Primicerius Decumanorum, & Primicerius Lectorum, & Magiſter Scholarum, qui habet ebdomadam, & ille, qui fert Textum Euangeliorum, & qui portat Crucem auream, & ſcuticam Sancti Ambroſii, omnes induti Pluvialibus. Tunc quatuor Cicendelarii debent thuribula accendere, & candelabra præpatare tanta, quot Subdiaconi fuerint induti Albis, & dare in manibus eorum. Sed ſciendum eſt, quod minor Lectorum ſemper tantùm portat Textum Euangeliorum in Sancti Ambroſii Ordinatione & Depoſitione, & in Sancti Laurentii, & in Sancti Stephani palam, & alter, qui ſequitur, portat Librum. In ceteris verò Feſtivitatibus, in quibus palam portatur Textus Euangelii, major Cuſtos octo minorum ſemper portat Textum, & alter, qui ſequitur, portat Librum, præter ſi prædicti faciunt ebdomadam, & alii, qui ſequuntur, faciunt iſtud. Iterum duo minores Cuſtodes ſemper in his Feſtivitatibus prædictis portant Miſſalem, & Epiſtolam, excepto ſi faciunt ebdomadam. Tunc reliqui, qui ſequuntur, faciunt eadem. Et duo Cuſtodes Obſervatores octo Minorum vadunt ante Pontificem cum flagellis præparando viam. Sed ſi acciderit, quod duo majores octo Minorum fuerint Obſervatores, alii, qui ſequuntur, faciunt hoc Officium ante Pontificem, quia illi majores portant Textum Euangelii, & Librum. Schola verò Sancti Ambroſii præcedit cum Cruce argentea. Deinde Clerus minorum Presbyterorum ſequitur, Oſtiario Obſervatore portante Crucem ante Primicerium Decumanorum, ex qua poſtea accenditur pharus. Poſt hunc ſequitur Primicerius Notariorum cum ſuis, & cum quatuor Magiſtris Scholarum. Deinde Subdiaconi cum thuribulis & cereis accenſis. Poſt quos ſequuntur Presbyteri Cardinales, ante quos Oſtiarius Ebdomadarius portat Crucem auream. Deinde ſequuntur Diaconi, ante quos palam portatur Textus Euangelii. Item verò ſequitur Archiepiſcopus, ante quem ſua Crux portatur à Notario. Poſtremo Primicerius Lectorum

rum ſequitur cum ſuis canendo, eodem incipiente, ſequentibus ſuis, viciſſim canendo cum Notariis, & reliquo Choro. Sed tamen in Feſto Sancti Petri omnes Diaconi portant Manipulum ductum per capitium, & Sacerdotes induti Planetis portant ſimili modo. Sed in Feſto Sancti Protaſii, Archiepiſcopus cum Presbyteris & Diaconibus Cardinalibus, & ceteris indutis Pluvialibus, vadunt ad Monaſterium Sancti Protaſii in Urbe.

Et ſtatim quum Proceſſio venerit in Chorum, Presbyter Obſervator debet cantare Miſſam uſque ad *Alleluja*. Et ſtatim quum intrant Chorum, Puer Magiſtri Scholarum incipit *Alleluja, depoſuiſti*. Et Diaconus Obſervator legit Euangelium, Subdiacono Obſervatore præcedente eum, & Cicendelario Obſervatore præbente incenſum & candelabrum accenſum. Finito Euangelio vadunt ad Sanctum Naborem. Et ibi Presbyter Obſervator ſecundus debet incœpiſſe Miſſam uſque ad *Alleluja*. Et ſtatim poſtquam Proceſſio pervenerit in Chorum, Puer Magiſtri Scholarum canit *Alleluja* in Pulpito, & ſecundus Obſervator Diaconus canit Euangelium, præcedente eum Subdiacono ſecundo Obſervatore. Finito Euangelio Archiepiſcopus veſtitus ſicut ad canendum Miſſam, cum Diaconis & Subdiaconis indutis Dalmaticis & Albis, & cum Presbyteris Cardinalibus, & Primicerio Decumanorum, & Magiſter Scholarum Ebdomadarius, & Primicerius Lectorum, & ille, qui portat Crucem auream, & Textum Euangeliorum, & qui fert Flagellum Sancti Ambroſii, omnes iſti induti Pluvialibus vadunt ad Eccleſiam Sancti Ambroſii. Sciendum eſt, quod in Feſtivitatibus, quas ſupra diximus, excepto in Sancti Simpliciani, finitâ Ingreſsâ, & Paſſione incœpta, vel Depoſitione, Archiepiſcopus aſcendit in tribunal ad ſtadium, & Cimiliarcha illius Eccleſiæ repræſentat duos cereos Rotulario cum una candela accenſa, quos porrigit Archiepiſcopo, qui quum eos accendit, Rotularius tenet candelam ſuccenſam, & Cimiliarcha tenet papyrum. Et illis accenſis Archidiaconus tollit eos de manu Archiepiſcopi, & Cimiliarcha de manu Archidiaconi, ponens illos poſt Altare, ut in Miſſa ardeant, & candela, unde accenſi ſunt, ſemper maneat Rotulario. In ſupradictis Feſtivitatibus minor Diaconus debet legere Lectionem, vel Depoſitionem, excepto in tribus Feſtis, in quibus Primicerius Lectorum legit, ideſt in Natali Sancti Petri & Sancti Protaſii, & Sancti Nazarii. Et in his tribus Feſtis, minor Diaconus legit Epiſtolam, ſecundus canit *Alleluja*, tertius dicit *Parcite fabulis* ad cornu Altaris ante Euangelium. Et Archidiaconus legit Euangelium. Similiter in Nativitate Domini, & in Epiphania, & in Reſurrectione, & in Pentecoſte, & in Dedicatione, major Subdiaconus legit Lectionem vel Depoſitionem, ſecundus legit Epiſtolam, tertius canit *Alleluja*, quartus *Parcite fabulis*, & Archidiaconus legit Euangelium. Et quotieſcumque legit Lectionem, vel Depoſitionem, aut cantat Epiſtolam, vel *Alleluja*, antequam aſcendat Gradum, vadit & ſumit pacem à Pontifice, oſculando ſibi os & manus. Similiter etiam facit, quando revertitur, & eodem modo faciunt in præcipuis ſolemnitatibus. Sciendum, quia in omnibus Feſtivitatibus ſupradictis vel Solemnitatibus duo majores Cuſtodes octo minorum Cuſtodum viciſſim pergunt ante Diaconum, quando aſcendit Gradum ad legendum Depoſitionem vel Lectionem, aut Epiſtolam, aut *Alleluja*. Et Notarius ſemper trahit eum ſurſum, & deorſum per Camiſii oras. Et quando Diaconus canit *Alleluja*, Clavicularius Ebdomadarius porrigit ei tabulas eburneas ad exitum Chori. Et quando Archidiaconus legit Euangelium, major Cuſtos octo minorum Cuſtodum trahit eum ſurſum & deorſum per oram Camiſii. Alter Cuſtos, qui ſequitur, dicit *Silentium habete*, & tertius ſimiliter, ſtantes in terra ex utraque parte Pulpiti poſt *Parcite fabulis*, & ſalutationem. Et Diaconus, cujus viciſſitudo eſt, ad cornu Altaris, dicit *Parcite fabulis*, antequam Diaconus ſalutet. Et duo minores Cuſtodes prædicti debent ſuſcipere Euangelium de manu Diaconi juxta Gradum, & debent colligere Offerendam. Et omnes Presbyteri & Diaconi Cardinales, & Subdiaconi debent remanere veſtiti uſque ad finem Miſſæ. Sed Archidiaconus tantum debet miniſtrare Pontifici uſque ad finem Miſſæ. Sciendum eſt rurſus, in quibus Solemnitatibus ac Feſtivitatibus Euangelium in majori tono legatur, videlicet in Ordinatione Sancti Ambroſii, & in Nativitate Domini ad Miſſam in die, & Sancti Stephani, & Johannis Euangeliſtæ in Eccleſia Hyemali tantùm. Deinde in Sabbato Sancto, & in Paſcha in Hyemali Eccleſia, & Æſtiva. In Albis ebdomada in Eccleſia Hyemali tantùm. In Depoſitione Sancti Ambroſii ad Feſtum. In Vigiliis & Feſto Pentecoſten, & Sancti Protaſii, Sancti Petri, Sancti Nazarii, Sancti Laurentii, Sancti Simpliciani. In Dedicatione Majoris Eccleſiæ in Hyemali Eccleſia tantùm, & in Tranſlatione Sancti Nazarii, ubi Corpus requieſcit. Hæc Euangelia ab Archidiacono leguntur, excepto in Feriis Paſchæ & Natalis Domini, quæ Diaconus viciſſim legit. In Vigiliis Pentecoſten & Sabbato cum Dominico Ramis Palmarum, & in Tranſlatione Sancti Nazarii, in quibus Ebdomadarius Diaconus legit. In Sabbato Sancto Obſervator Diaconus in Eccleſia Hyemali tantum legit. Sed ſciendum eſt, quod in omnibus Feſtivitatibus, quæ à majori Eccleſia celebrantur, in Veſperis Presbyter Ebdomadarius induit ſe Pluviali, ſicut inferius legitur. Eodem modo Diaconus Ebdomadarius debet indui in eiſdem Officiis, Clero ſuo ſibi ſerviente.

Incipit Ordo minorum Feſtorum, in Veſpero qualiter ſit agendum.

IN Vigilia Feſtivitatum, quas Ordinarii faciunt & celebrant, ſonito Veſpere, vadunt ad Feſtum Ordinarii, & Lectores, & Cuſtodes, & Schola Sancti Ambroſii mares & feminæ. Tunc Cicendelarius Ebdomadarius portat duo candelabra & duos cereos. Et unus duorum minorum Cuſtodum Ebdomadariorum debet portare Albam & Amictum & Pluviale. Presbyter verò illius Eccleſiæ, ubi Feſtum celebrabitur, debet dare thuribulum & incenſum Cicendelario, & unam candelam, unde accendat thuribulum & cereos. Diaconus verò Ebdomadarius debet præcipere de ſecundâ ſonandâ, & minor Cuſtos ſupradictus debet veſtire Subdiaconum de Amictu & Alba. Et idem ſimiliter debet porrigere Pluviale eidem Subdiacono, & Subdiaconus Presbytero Ebdomadario, Clerico recipiente

Cap-

Cappam Presbyteri. Et in Vigiliis idem Clericus portat Pluviale, & recipit Cappam. Et Diaconus Ebdomadarius ſimiliter induit ſe Pluviale, Clerico ſuo ſibi ſemper porrigente, & Cappam recipiente. Et prædictus Cicendelarius dat candelabra accenſa in manu ſupradicti Subdiaconi, & Presbyter Ebdomadarius præcipit de Tertiâ ſonanda. Et ſic vadunt poſt Altare, Subdiacono præeunte cum candelabris accenſis, præcedente quoque Cuſtode prædicto. Et ibi orant, ſicut jam dictum eſt. Finita Oratione, Sacerdos ſtans poſt Altare deoſculatur illud, & dicit: *Dominus vobiſcum.* Et Puer Magiſtri Scholarum ſemper canit Lucernaria minora, ideſt *Exortum eſt*, & *Timete Dominum*. Majora verò Lucernaria Terminarius Lector Ebdomadarius canit. Finito Lucernario iterum dicit *Dominus vobiſcum*. Et Primicerius cum Lectoribus ſuis canit Antiphonam in Choro, ſicut conſuetudo eſt. Deinde Presbyter vadit ante Altare & ſalutat, & incipit Hymnum. Statim prædictus Subdiaconus tollit candelabrum ab Altari, & porrigit prædicto Cicendelario, ut extinguat. Tunc incipit Chorus Hymnum cum pueris alternatim cum Choro, excepto in Decollatione Sancti Johannis Baptiſtæ, & in minoribus dedicationibus, in quibus Reſponſorium cum infantibus non habetur. Finito Hymno Presbyter dicit: *Dominus vobiſcum*, & Lector Terminarius Ebdomadarius canit Reſponſorium excepto quando eſt Reſponſorium cum Pueris. Finito Reſponſorio prædictus Cicendelarius dat thuribulum accenſum cum incenſo Subdiacono, & Subdiaconus Diacono Ebdomadario. Et ille facit incenſum circa Altare, & circa Chorum. Et Presbyter illius Eccleſiæ ſuſcipit thuribulum de manu Diaconi. In principio de *Magnificat* prædictus Cicendelarius dat candelabra cum cereis accenſis Subdiacono, & ille ponit ante Altare, & faciunt Officium, ſicut moris eſt. Cicendelarius verò ſumit candelabrum ab Altari, & extinguit finito Veſpere. Et omnes hi Ordines debent honorifice habere fruges & vinum ter.

Qualiter Proceſſio fit in eiſdem.

IN altero die ſonito ſigno, congregato Clero in Eccleſia majori, unus duorum minorum Cuſtodum Ebdomadariorum dat Pluviale Presbytero Ebdomadario, & portat ad Feſtum Albam & Amictum Subdiacono. Tunc Presbyter Ebdomadarius dicit ante Altare, *Dominus vobiſcum*. Et Diaconus incipit Pſallendam, Primicerio Lectorum prædicente, vel indicante ei. Et poſt illum ſubſequente eum cum ſuis eamdem Antiphonam. Sic Ebdomadarii omnium Ordinum ſpecialiter vadunt ad prædictum Feſtum, antecedente Schola Sancti Ambroſii totâ cum Cruce argentea, Oſtiario etiam Ebdomadario præcedente Presbyterum, cujus Ebdomada eſt, cum Cruce argentea vel aurea. Et ſi pharus eſt in Feſto, Oſtiarius Obſervator portat Crucem argenteam ad accendendum pharum. Etiam Ebdomadarius Subdiaconus palam portat Calicem coopertum magnum. Et Cicendelarius Obſervator portat Patenam cum manutergio volutam, ſumtam de Camera Archiepiſcopi, & Cazulam argenteam, & Fabiolum argenteum, & duas alas Textus Euangeliorum, & Vas aquarium, quod dicitur Aquamanile. Et Cicendelarius Ebdomadarius portat candelabrum

A unum cum cereo, & duo Corporalia. Et duo Obſervatores octo minorum Cuſtodum portant Calicem Offerendarium, in quem colligitur vinum quod offertur. Et in introitu illius Eccleſiæ, ubi Feſtum celebratur, Presbyter ejuſdem Eccleſiæ debet dare quinque candelas Cruci Vetulorum, alteri Cruci, videlicet aureæ, dat ſeptem: ſi argentea fuerit quinque, & Cruci Vetulorum tres. Et ſi pharus habetur, dat iterum ſeptem Oſtiario Obſervatori, ex quibus accenditur pharus; Cicendelario Ebdomadario dat thuribulum & incenſum & unam candelam, unde cereum accendat. Hoc peracto Sacerdos paratus accedit ad Altare ſolus, Confeſſione ante acta cum Subdiacono & Diacono Ebdomadariis. Tunc Magiſter
B Scholarum incipit Ingreſſam. Finitâ Ingreſsâ, Sacerdos ſalutat, & poſtea incipit *Gloria in Excelſis Deo*. Hac dicta & oratione finita ſuper Populum, Lector aſcendit Pulpitum, & legit Paſſionem, vel Tranſitum, vel Lectionem. Et tantum hìc valde notandum eſt, quia ſi Feſtum illud fuerit in Feriâ ſecundâ, & Paſſio, Terminarius Lector præcedentis Septimanæ debet illam legere. Si in tertia Feria venerit, Clavicularius præcedentis Ebdomadæ legit prædictam Paſſionem. Si verò in quarta Feria venerit, idem Terminarius prædictus lecturus eſt Paſſionem. Si verò in his tribus diebus duæ Paſſiones tantùm evenerint,
C una eſt Terminarii, altera Clavicularii, exceptis duodecim Paſſionibus, quæ ſunt proprie Primicerii Lectorum, videlicet Sancti Martini, Sanctæ Agnetis, & Sanctæ Agathæ, & Sancti Georgii, & Tranſlationis Sancti Nazarii, & Sancti Petri, & Sancti Protaſii, & Sancti Nazarii, & Sanctæ Teglæ, & Pelagiæ, & in Depoſitione Sancti Dionyſii & Naboris. Et ſciendum eſt, quia his tribus diebus ſupradictis, ideſt Feriâ ſecundâ, tertiâ, & quartâ, Terminarius Ebdomadarius debet cantare *Alleluja*, ſi Paſſio aderit, ſi verò in quarta Feria venerit Paſſio, Terminarius Ebdomadarius leget illam. Similiter in ſexta Feria, & in ſeptima Feria, & Clavicularius Ebdomada-
D rius cantat *Alleluja*. Et in principio Paſſionis unus duorum minorum Cuſtodum Obſervatorum dicit: *Silentium habete*, quando neceſſarium fuerit. Finitâ Legendâ Puer Magiſtri Scholarum debet ſemper canere Pſalmellum, excepto in Nativitate Sanctæ Mariæ, in qua duo Notarii, & duo Lectores canunt: *Reſpice in Cœlo*. Hoc finito, Subdiaconus Ebdomadarius legit Epiſtolam præcedente Lectore, & portante Epiſtolam uſque ad Gradum, & iterum exſpectante & recipiente eamdem Epiſtolam, excepto in Depoſitione Sancti Ambroſii, & in Sancti Protaſii, & in Sancti Petri, & in Sancti Nazarii, & in Sancti Laurentii, & in Aſſumtione Sanctæ Ma-
E riæ, & in Ordinatione Sancti Ambroſii, & in Sancti Stephani, in quibus Diaconi ſemper legunt. Finitâ Epiſtolâ Lector aſcendit Pulpitum, & cantat *Alleluja*, ſicut ſupra diximus, exceptis his Feſtis principalibus, in quibus Diaconi cantant, ideſt in Depoſitione Sancti Ambroſii, Sancti Protaſii, Sancti Petri, Sancti Nazarii, Sancti Laurentii, in Aſſumtione Sanctæ Mariæ, in Ordinatione Sancti Ambroſii, & Sancti Stephani. Finitâ *Alleluja* Diaconus aſcendit Pulpitum cum Euangelio, præcedente eum Lectore, & trahente ſurſum per oram Camiſii, & poſtea deorſum, eodem modo, quo legerat Paſſionem, vel aliud quod-

dam . In principalibus autem Feſtis Diaconus portat Textum Euangeliorum in Gradum , & Major Cuſtodum octo minorum portat Euangelii Librum poſt eum . Et finito Euangelio ſumit eumdem Librum de manibus ejus . Sed in aliis Feſtivitatibus unus duorum minorum Cuſtodum ſumit Euangelium poſt deſcenſum Diaconi . Deinde Diaconus accedit ad Altare & miniſtrat , ſicut moris eſt , & ſicut ſupra legitur . Ceteri verò complent Officium ſuum, ſicut moris eſt , & eos decet . Præterea ſciendum eſt , quia Septimanarius Cicendelarius ducit in Secretarium Calicem , qui fuit in Miſſa . Finitâ Miſsâ Pueri Magiſtri Scholarum debent habere unum magnum panem , & ſingulas phialas vini .

Qualiter Officium Quadrageſimale celebretur in Eccleſia Hyemali .

IN Quadrageſima Altare Hyemalis Eccleſiæ debet cooperiri cortinâ illa ſericinâ, in qua continentur tres Hiſtoriæ , prima Abrahæ, ſecunda Joſeph , tertia David , uſque ad horam illam diei Paraſceve, in qua dicit Diaconus : *inclinato capite emiſit ſpiritum* . Et ſuper cortinam ponitur pannus niger uſque ad Ramos Palmarum ; & Oſtiarius Ebdomadarius ponit pannum nigrum ſuper menſam Pulpiti . In Authentica autem ponit rubeum , & minor Cuſtodum Ebdomadariorum ponit rotulum Letaniarum , & veſpertinum ſuper ambonem, quæ Presbyter ſuſcipit vel tollit , quum opportunum ei fuerit . Et præterea ſciendum , quia Archiepiſcopus non utitur pallio , vel ſtolâ per totam Quadrageſimam , niſi in Dominicis diebus , vel quando dat ſacros Ordines uſque in Cœna Domini . Et Cuſtos , qui ſolet Matutinum ſonare, diu ſonet Matutinum per totam Quadrageſimam , & tamdiu quod Oſtiarius Ebdomadarius ſonet alterum tintinnabulum . Et poſtea idem Oſtiarius ſonet ſecundam & tertiam , ſicuti conſuevit . Et Archiepiſcopus debet ſpecialiter facere primam Ebdomadam Quadrageſimæ & ultimam , ſicut mos eſt . Quod ſi defuerit , Presbyter Ebdomadarius pro eo fungitur Officio . Primam Lectionem legit Puer Magiſtri Scholarum , excepto in Authentica , quando Notarius legit , & ſecundam ſimiliter . Primum Reſponſorium cantat Notarius juſſu Primicerii ſui , ſecundum verò canit Lector , incipiens à Secundicerio per ordinem uſque ad ultimum , & ſic per totam Quadrageſimam . Tertiam legit Subdiaconus Ebdomadarius, excepto in Paraſceven , in qua Pontifex legit . Et inter hæc ſciendum ; quoties Subdiaconus legit , unus duorum minorum Cuſtodum Ebdomadariorum emungit , vel emendat ei candelam in lectione[1]. Finitâ tertiâ lectione ultimus Diaconus imponit Antiphonam in *Benedictus* , revertendo ad ſtadium , ſicut conſuevit . Et Archiepiſcopus vel Presbyter dicit Orationem ſecretam , & Archidiaconus imponit Antiphonam in *Miſerere mei Deus* ad cornu Altaris , aut in *Cantemus* in Dominicis diebus . Et Archiepiſcopus dicit alteram Orationem ſecretam in Dominicis diebus , ſtans ſimiliter ad ſtadium . Sed ſi defuerit , Archipresbyter eadem facit . Et notandum, quia Archiepiſcopus per totum annum non removetur à ſtadio ſuo ad Orationem dicendam , excepto in ferialibus Quadrageſimæ , quando ante Altare dicit bis : *Dominus vobiſcum* , & facit veniam . Et iterum

A Oſtiarius Ebdomadarius dicit ad regias : *Ne quis Cathecumenus* ſimplum uſque ad mediam Quadrageſimam per ſingulas Orationes, deinde duplum ſimiliter . Et inter has Orationes Diaconus Ebdomadarius ſemper jacet ad cornu Altaris , orando Dominum flexo genu . Sed in Dominicis diebus Septimanarius Oſtiarius , & duo Obſervatores Oſtiarii dicunt ad regias ſingillatim : *Ne quis Cathecumenus* per ſingulas Orationes . Finitis Orationibus, antequam Sacerdos ſalutet , vel Pontifex , Primicerius Lectorum dicit leni voce cum Lectoribus ſuis Pſalmum unum cum octo verſibus cum Antiphona , incipiens à *Beati immaculati* , uſque in Ramos Palmarum præter diem
B Sabbati, & Dominicum . Tunc Cicendelarius Ebdomadarius fert thuribulum accenſum cum incenſo de Secretario in Chorum majorem , & dat illud Subdiacono , & Subdiaconus Archiepiſcopo . Et Archiepiſcopus adolet ſuaviſſimum incenſum Domino ſuper Altare, & ante Altare . Et Diaconus, qui impoſuit Antiphonam in Laudibus, ſumit thuribulum de manu Pontificis , & portat circa Altare adolendum incenſum Domino , deinde Archiepiſcopo , poſtremò circa Chorum . Hoc peracto unus duorum minorum Cuſtodum Ebdomadariorum ſumit præfatum thuribulum de manu Diaconi, & portat illud per totam Eccleſiam maſculis & feminis . Deinde ille præbet thuribulum
C Cicendelario Ebdomadario, ut reponat , & ſic perficiat Officium Matutini , ſicut ordo expoſtulat , ad honorem & laudem Dei . Sed finitis duodecim *Kyrie* , ſextus Terminarius in prima Ebdomada canit Reſponſorium gradale leni voce caput & verſum , & Chorus ſimiliter . Septimus in ſecunda , octavus in tertia , nonus in quarta, decimus in quinta , ſummus Terminarius in Authentica . Quia in ceteris diebus quando canitur gradale , minor Lectorum ſemper canit illud leni voce , & tantum caput , & Chorus ſimiliter , & Presbyter , & Diaconus . Obſervatores complent Matutinum in Choro majori privatim , & Ebdomadarii verò in Baptiſterio .

D

De Matutino Defunctorum qualiter celebratur , & fit ab omni Ordine .

FInito Matutino diei , Ordinarii cantant in Eccleſia Sancti Stephani ad Fontes Matutinum Mortuorum cum tribus Lectionibus . Et Presbyter Ebdomadarius dicit Orationes . Lectores in Choro majori cum Primicerio ſuo eodem modo cantant . Et Cuſtodes in Choro Sancti Ambroſii ſimiliter cantant , & Presbyter Sancti Stephani ad Fontes dicit Orationes. Presbyteri verò Decumanorum extra Chorum, & Archipresbyter dicit Orationes omnes excelſa voce . Mane finitâ Miſsâ Decumanorum,
E unus duorum minorum Cuſtodum pulſat in Choro ad Primam tintinnabulum , & Oſtiarius in Campanili , & Presbyter Ebdomadarius incipit Primam & Hymnum . Et Subdiaconus Ebdomadarius dicit Epiſtolam , & Oſtiarius cantat *Viam iniquitatis*. Et idem Subdiaconus in fine dicit : *Benedicamus Domino* . Et videndum eſt etiam, quia in Dominicis diebus unus duorum minorum Cuſtodum Ebdomadariorum ſonat Primam in Choro & in Campanili . In horâ meridianâ Oſtiarius cum Subdiacono Ebdomadario poſtulant licentiam ab Archiepiſcopo ſonandi ſignum . Si Archiepiſcopus adfuerit , incipit Tertiam . Si defuerit , Presbyter Ebdo-

Ebdomadarius pro eo incipit Tertiam. Subdiaconus Ebdomadarius dicit Epiſtolam. Similiter ad Sextam, & ad Nonam, & Puer Magiſtri Scholarum dicit Reſponſorium, Presbyter dicit Orationem, Subdiaconus ſemper dicit: *Benedicamus Domino* in fine. Tertiâ peractâ, ſtatim major Clavicularius legit Lectionem Geneſis in Pulpito in prima Ebdomada. In ſecunda Notarius præcepto Primicerii ſui. In tertia Ebdomada ſecundus Clavicularius. In quarta Notarius. In quinta tertius Clavicularius. In prima Ebdomada ſi Reſponſorium habetur, Lector canit juſſu Primicerii ſui. Pſalmellum verò canit ſemper Puer Magiſtri Scholarum, excepto in die Dominico, in quo canit Clavicularius Ebdomadarius. Finito Reſponſorio, vel Pſalmello, minor Lector legit Proverbia in prima Ebdomada, ſecundus in ſecunda, tertius in tertia, quartus in quarta, quintus in quinta. In ſecunda Ebdomada Notarius canit, ſi Reſponſorium habetur. In tertia Lector. In quarta Notarius. In quinta Lector, omnes juſſu Primicerii ſui. Finito Geneſi & Reſponſorio & Pſalmello vel Proverbio, Presbyter ante Altare dicit: *Dominus vobiſcum* bis, & flectit genua. Oſtiarius ad regias Eccleſiæ dicit, *Ne quis Cathecumenus* ſimplum usque ad mediam Quadrageſimam, deinde duplum, & incipit Orationem primam Letaniarum, & ſic per ordinem omni die. Finita Oratione, facit finem more ſolito, dicendo *Benedicat & exaudiat* &c. *Procedamus cum pace* &c. Et ſciendum, quia ad Tertiam & ad Sextam dicuntur illæ Orationes, quæ ſunt in Matutinis in Baptiſterio. Ad Nonam verò illæ Orationes, quæ ſunt ad Veſperum in Baptiſterio. Offertorio poſt Tertiam finito, ſtatim incipitur Sexta. Finitâ Sextâ, unus duorum minorum Cuſtodum pulſat in Choro Veſperum, & Oſtiarius Ebdomadarius ſonat in Campanili. Veſpere ſonito Nona incipitur. Interim Sacerdos Hebdomadarius vadit in Secretarium ad veſtiendum ad canendam Miſſam. Finitâ Nonâ ille exit de Secretario, antecedente minore Subdiacono Cuſtode, & vadit ante Altare cum Diacono & Subdiacono, & facit Confeſſionem. Sed ſciendum eſt, quia in omnibus Sabbatis Quadrageſimæ Sacerdos de Secretario cum Levita exeunt induti ad canendam Miſſam præcedente Subdiacono ſimiliter. Et Magiſter Scholarum incipit Ingreſſam. Hac finitâ Sacerdos ſalutat, & dicit Orationem. Oratione verò habita ſupradictus Lector, vel Notarius aſcendit gradum, & legit, & Sacerdos poſt Altare dat ei benedictionem. Finito Geneſi & cantato Reſponſorio vel Pſalmello, Lector Proverbia legit, ſicut ſupra adnotatum eſt. Poſt hoc ſtatim puer cantat Canticum. Diaconus exit de Secretario cum Euangelio, & Subdiaconus ſequitur eum cum ſindone, Lectore præcedente, qui legerit, & Notario, & trahente ſurſum oram Camiſii, ſicut jam dictum eſt. Et finito Cantico Levita percutit caput Pueri canentis Canticum, hoc modo invitans eum ad prandium. Deinde legit Euangelium. Hoc finito unus duorum minorum Cuſtodum Ebdomadariorum ſuſcipit Euangelium de manu Diaconi ad introitum Chori, & conſignat illud Cicendelario Ebdomadario. Et Diaconus vadit ad Altare. Presbyter verò dicit *Dominus Vobiſcum*, & Chorus reſpondet ter dicendo *Kyrie Eleiſon*. Et Presbyter iterum dicit *Dominus Vobiſcum*, & Diaconus oſculatur Altare, ac dicit *Pacem habete*. Et
A iterum Presbyter dicit *Dominus Vobiſcum*. Deinde ſequitur Oratio ſuper ſindonem. Interim Subdiaconus revertitur in Secretarium, & Cicendelarius Ebdomadarius porrigit vas panis, & ille porrigit ſuper Patenam, & vinum ſimiliter ſumtum de Camera Pontificis, & aquam ſimiliter. Et ille ponit in Calice. Et ſi Archiepiſcopus adfuerit, Capellani ejus dant aquam Subdiacono, & Subdiaconus Pontifici, & Pontifex ponit eam in Calice. Et ſic Subdiaconus exit de Secretario, portando honorifice Calicem & Patenam cum manutergio, & porrigit Diacono, & Diaconus Archiepiſcopo, vel Presbytero. Et poſito Calice in Altari cum Patena & Oblata, ſumit Oblationem
B Sacerdos Vetulorum, ut jam dictum eſt.

Et hoc facto Magiſter Scholarum incipit Offerendam. Cantatâ Offerendâ Cicendelarius Ebdomadarius portat de Secretario in Chorum thuribulum accenſum tantùm cum prunis, ſi Archiepiſcopus adfuerit, & porrigit Subdiacono. Tunc Pontifex ponit incenſum ſuper prunas, & incenſo poſito Diaconus tollit de manu Subdiaconi, & dat Archiepiſcopo, & ille adolet ſuper Altare incenſum Domino tantùm, & Diaconus ſumit thuribulum ab Archiepiſcopo, & dat prius incenſum Archiepiſcopo, deinde Altari circa baſes. Et Subdiaconus ſimiliter ſumit thuribulum a Diacono,
C & adolet his, qui in Choro ſunt tantùm. Et eodem modo unus duorum minorum Cuſtodum ſuſcipit idem thuribulum de manu Subdiaconi, & portat per Eccleſiam, dando maſculis & feminis. Et ille conſignat Cicendelario Ebdomadario in Secretario. Sic deinde Miſſa peragatur ordine ſuo. Sed ſi Archiepiſcopus defuerit, Subdiaconus porrigit thuribulum accenſum cum incenſo Diacono, & Diaconus Presbytero, ſicut ſupra diximus. Finitâ Miſsâ Sacerdos vadit poſt Altare, & dicit *Dominus Vobiſcum*. Et Puer Magiſtri Scholarum indutus Camiſio ſuper Pulpitum cantat *Dominus illuminatio mea*, caput & verſum, & iterum caput ſimiliter, & Chorus eodem modo. Preſ-
D byter revertitur ante Altare, & ſalutato Clero incipit Hymnum. Et Clavicularius Ebdomadarius canit Reſponſorium in Choro, excepto quando canitur *Oravit Jacob*, quod canit Subdiaconus, & quartâ Feriâ de Authentica, in qua canit Primicerius Subdiaconorum, & in quinta & in ſexta Feria, in qua Archidiaconus canit, primam Orationem dicit Ebdomadarius Presbyter, ſecundam Obſervator Presbyterorum. Oratione finita totus Chorus canit leni voce vel privatim *Qui habitat in adjutorio*, ſicut Pſalmum directum, & Sacerdos & Diaconus Obſervatores complent ibi privatum Veſperum cum duodecim *Kyrie*. Et Diaconus Ebdomadarius canit Reſponſorium
E in Baptiſterio, & ponit Antiphonam. Finitâ Antiphonâ cum quatuor verſibus Pſalmi, & Antiphonâ incipit *Qui habitat in adjutorio* communiter. Et ſic Presbyter Ebdomadarius cum Diacono complent veſpertinum Officium. Et ſciendum eſt, quod ante Tertiam cantatam minor Cuſtodum Ebdomadariorum ponit rotulum Letaniarum ſuper Altare, primum in prima ebdomada, ſecundum in ſecunda, tertium in tertia. In quarta Feria, finitâ Tertiâ, Presbyter tollit rotulum ab Altari, & dicit Orationem ante Altare. Et Primicerius Lectorum incipit Letanias; & pergunt in Eccleſiam Æſtivam cum rotulo Presbyter, Cicendelarius

Ebdomadarius cum pallio, & ponit illud ſuper
Altare. Et dum Letaniæ fiunt, Sacerdos &
Levita Ebdomadarii jacent flexis genibus, ille
ante Altare, & alter ad cornu Altaris. Sed
dicta Oratione, & Sanctis interpellatis, re-
vertuntur in Eccleſiam Hyemalem. Et prædi-
ctus Cicendelarius tollit pallium, quod poſue-
rat in Altari, & reportat in Secretarium. Fi-
nitis Letaniis, Presbyter Ebdomadarius vadit
poſt Altare, & oſculatur illud, & dicit *Do-
minus vobiſcum*. Et Lector aut Notarius aſcen-
dit Pulpitum & legit, ſicut in ceteris diebus.
Et eodem modo faciunt Letanias in ſexta Fe-
ria. Et notandum, quia in quarta Feria ad
Veſperum finita Oratione, quæ eſt poſt *Ma-
gnificat*, Presbyter dicit *Dominus vobiſcum*.
Tunc major Diaconus vadit ad cornu Altaris,
& cantat Reſponſorium ad cornu Altaris. Ibi
ſunt alia, Primicerio Lectorum indicante ſibi
& cantante, ſi ei opus fuerit. Alter verò
Diaconus ſubſequitur ad aliud Reſponſorium,
tertius ad tertium ſimili modo. Poſt hoc dicit
Dominus vobiſcum, & Orationem: *Opitulare
Deus inopibus*. In ſexta Feria, finito Geneſi &
Reſponſorio & Proverbio, dicit Presbyter
Orationem, ſicut in ceteris diebus. Cantant
Sextam, & Nonam. His finitis Sacerdos vadit
poſt Altare, & dicit *Dominus vobiſcum*. Et
Lector legit Lectionem Geneſis, ſicut eſt
conſuetudo. Tunc unus Lectorum cantat tra-
ctum in Pulpito juſſu Primicerii ſui. Tunc
Magiſter ſumit juxta gradum cum Pueris ſuis
caput tantum. Poſtea Chorus & verſum &
caput. Et Tractu finito Lector Proverbia le-
git. Hoc finito, Presbyter poſt Altare dicit
Dominus vobiſcum. Tunc ſummus Termina-
rius cantat *Dirigatur* in pulpito cum verſibus.
Poſt hunc Presbyter ante Altare dicit: *Domi-
nus vobiſcum*. Incipit Hymnum, & poſt Hym-
num Reſponſorium ſequitur. Poſtea Lector
legit Lectionem in Gradu. Hic verò quatuor
minores Lectores ſemper debent Lectiones le-
gere, excepto illo, qui legit Proverbia, quia
ille de minoribus eſt, & Oſtiarius Ebdomada-
rius, & duo Obſervatores dicunt: *Ne quis
Cathecumenus* per ſingulas Orationes iſtarum
Lectionum, & unus tantùm ad Veſperum. In
Ferialibus dicit ſemel per ſingulas Orationes
Ne quis Cathecumenus, & in Oratione, quæ
eſt in primo Geneſi, ſimiliter. In Dominicis
autem tres dicunt in Veſperis, excepto in
Baptiſterio uſque in Ramos Palmarum. In hac
etiam die finitis Lectionibus & Pſalmis & Ora-
tionibus ſive *Magnificat*, fit finis Veſpertini
Officii in Choro cum duodecim *Kyrie*. Finito
Veſpere & Miſsâ in aliis diebus Quadrageſimæ,
unus duorum minorum Cuſtodum Ebdomada-
rius vadit ad ſonandum tintinnabulum, ut om-
nes ſciant & cognoſcant Miſſam eſſe finitam.

*Incipit Officium Completorii, qualiter efficitur
in Eccleſia Hyemali.*

IN hora Completorii unus duorum minorum
Cuſtodum Ebdomadariorum poſtulat licen-
tiam a Presbytero Ebdomadario ſonandi Com-
pletorium. Et ille ſtatim ſonat. Tunc Presby-
ter Ebdomadarius incipit Officium Completorii
& Hymnos. Et Subdiaconus Ebdomadarius
dicit Epiſtolam, & unus duorum minorum
Cuſtodum Ebdomadariorum dicit Reſponſo-
rium in medio Chori, videlicet *Pax multa*

A cum verſu & *Gloria*. In fine verò hujus Offi-
cii Subdiaconus dicit: *Benedicamus Domino*.
(*) Si quid verò defuerit, heic non quæras,
quia quidquid Ordinis Ambroſiani quæſieris in
hoc Libro, & in ſuo loco Deo annuente re-
peries.

*Proceſſio ab Eccleſia Sancti Laurentii
in Eccleſiam Hyemalem.*

ADnotandum eſt, quia in Quadrageſima
nulla Proceſſio fit cum Cruce, niſi in
Ramis Palmarum, excepto in ſepelitione Mor-
tuorum. Dominicâ in Ramis Palmarum con-
gregato Clero & Populo in Eccleſia Sancti
B Laurentii, Primicerius Notariorum incipit
Hymnum: *Magnum ſalutis gaudium*, uſque
ad *Rex ecce tuus*, *Hieruſalem*. Et ibi præſto-
lantur adventum Pontificis, & illo intrante
Eccleſiam, omnes excelſa voce dicunt: *Rex
ecce tuus*, *Hieruſalem*. Finito Hymno Ponti-
fex in gradu facit ſermonem ad Populum. In-
terea Presbyter & Diaconus & Subdiaconus
Obſervatores privatim canunt ibi Miſſam. Fi-
nitâ Miſsâ, & ſermone, Pontifex benedicit
Palmas & Olivas. Poſtea dicit: *Dominus vo-
biſcum*. Tunc Diaconus Ebdomadarius incipit
Pſalmellum, Primicerio Lectorum indicante,
& eodem ſtatim cum ſuis ſubſequente. Et ſic
exeunt Eccleſiam, Pontifice dante Palmas, &
C Primicerio Presbyterorum ſimiliter dante ſuis.
Tunc extra atrium Eccleſiæ equus albo nacco
coopertus ſtat præparatus ad ſuſcipiendum Do-
minum ſuum Pontificem, ut ei ſuperſedeat.
Ille verò equum aſcendens, Oſtiarius domeſti-
cus Magiſter porrigit ſibi crucem cryſtallinam,
ornatam palmis & foliis olivæ. Ipſe verò ſu-
mens & tenens in ſiniſtra, ſignat Populum
dextrâ. Et unus egregius Miles de genere
Rhodenſium, eleganter indutus, cum chiro-
thecis in manibus de Camera Pontificis ſumtis,
dextrat & ducit eum per frænum per mediam
viam curriariam uſque ad Eccleſiam Sancti
Ambroſii, ubi ejus ſanctiſſimum Corpus quie-
ſcit, antecedente eum Scholâ Sancti Ambroſii
D cum Cruce argentea. Et Oſtiarius Ebdomada-
rius portat Crucem auream ante Presbyterum
Hebdomadarium. Quum autem pervenerint
uſque ad Portam Ticinenſem, totus Clerus
venit in Eccleſiam Hyemalem. Archiepiſcopus
verò ſedens, Capellanis ſuis ſequentibus eum,
ducitur cum triumphali gloria ad Sanctum
Ambroſium, turbâ multâ Populorum ſequente
& præcedente ipſum. Sed quum ille pervene-
rit ad locum, ubi Leproſus lavari ſolet ab ip-
ſo, Abbas Sancti Ambroſii debet eſſe ibi præ-
paratus & indutus Piviali cum Diaconibus
ſuis, indutis Dalmaticis, & Subdiaconibus
Albis. Et ibi Pontifex tribuit Abbati magnum
Ramum Palmarum, & honorabilem Troctam.
E Et ſtatim prædictus Abbas cum Clero ſuo,
cantando & pſallendo præcedit eum uſque ad
prædictam Eccleſiam. Et Pontifex in atrio
Eccleſiæ deſcendit de equo, & præparat ſe ad
Miſſam canendam, ſerviente ſibi Abbate cum
Clero ſuo uſque ad finem Miſſæ. Prædicti ve-
rò Ordinarii canunt Miſſam in Eccleſia Hye-
mali. Finitâ Miſsâ ſupradictus Miles Rhoden-
ſis debet prandere cum Archiepiſcopo cum
ſuis ſervitoribus, cui dat etiam Aureum
unum. Et Oſtiarius Ebdomadarius, qui por-
tavit Crucem auream in Proceſſione, debet
Pran-

(*) *Hæc in veteri Manuſcripto non leguntur.*

prandere cum Archiepiſcopo . In Authenticâ in Eccleſiâ Hyemali Altare cooperitur pallio rubeo , ablato nigro , qui eſt ſuper Cortinam . Et minor Lectorum indicat in ſecunda Feriâ omnes Antiphonas , quæ ſunt in Pſalmis ante Lectiones , primitus Primicerio ſuo Antiphonam & Pſalmum ,ſecundariò Diacono Antiphonam tantùm circumſtantibus Pſalmis . Similiter ſecundus Lector in tertia , tertius in quarta , quartus in quinta , quintus in ſexta in prima turma , ſextus in ſecunda turma . In Sabbato Sancto ſeptimus & octavus & nonus per totum Matutinum . Primam & ſecundam in Authenticâ legit Notarius juſſu Primicerii ſui. Et primus Reſponſorium cantat ſimiliter Notarius in ſecunda Feria & tertia juſſu Primicerii . In quarta , & quinta , & in ſexta . In prima turma Paraſceve cantat Subdiaconus . In ſecunda turma cantat Diaconus juſſu Archidiaconi ſui. Secundum Reſponſorium cantat Presbyter juſſu Archipresbyteri ſui . In aliis verò diebus in Authenticâ Lector canit ſecundum Reſponſorium , Subdiaconus verò Ebdomadarius legit tertiam per totam Authenticam , excepto in ſecunda turma de Paraſceve , in qua minor Diaconus legit primam Paſſionem , Clerico ſuo tenente ſibi lumen . Et Presbyter minor ſecundam legit Paſſionem habens Stolam & Manipulum , Clerico ſuo ibidem tenente ſibi lumen . Tertiam verò Paſſionem legit Pontifex indutus rubeâ Planetâ , habens Mythram in capite , Capellanis tenentibus ex utraque parte candelabra accenſa , cum candela data ab Eccleſia Sancti Victoris, qui dicitur Quadraginta Martyrum pro ficto . Finitâ Tertiâ non dicitur *Benedictus Dominus Deus Iſraël* per totam illam Ebdomadam , ſed oratio ſecreta . Deinde peragitur Matutinum , ſicuti mos eſt . Sed finito Hymno , & Reſponſorio gradali ſequitur *Benedicat & exaudiat nos Deus . Amen . Procedamus cum pace* . Hoc finito , omnes Ordines in Choro majori incipiunt *In iniquitatibus* Officium Mortuorum . Et ſic perficiunt Presbytero Ebdomadario dicente Orationes , vel Archiepiſcopo . In hac Ebdomada ambo vel Lectorium cooperitur omni die , ſicut ſolet in Dominicis diebus.

Feriâ Secundâ in Autentica horâ tertiâ Pontifex cum Capellanis ſuis cum Presbytero Sancti Michaëlis in Domo , & Sancti Johannis ad Concam , & Sancti Alexandri , & Sancti Kalimeri , & Sancti Petri in Campo Laudenſi , & quatuor Presbyteris Sancti Laurentii , quorum eſt afferre thuribulum & incenſum & Librum Orationum hujus Officii , & duo candelabra cum totidem cereis , & cum tribus hominibus vel pluribus illius progeniei , cujus fuit Leproſus , quem Sanctus Ambroſius divina ope mundavit , in Eccleſiam Sancti Salvatoris , quæ modò Sancti Viti appellatur , convenire & coadunari debent . Iſtis autem in unum collectis in eadem Baſilica, tres illi vel plures ſternunt ſe ante Altare flexis genibus , ſuper quos Archiepiſcopus dicit hanc Orationem : *Omnipotens ſempiterne Deus , qui hos famulos tuos ſæva corporis contagione obtectos ad hujus lavacri purgationem accedere permiſiſti , concede propitius , ut depoſito ſquallore ſordium , fomento gratiæ tuæ valeant membrorum omnium & animarum conſequi medicinam , & nobis famulis tuis , qui eorum artus diluimus , tolerantiam ad perficiendum opus conferas & ſalutem . Per Dominum* &c. Sequitur *Kyrie* ter . *Benedicat & Exaudiat nos Deus . Amen* . Hoc finito , illis jacentibus , Pontifex ſpargit ſuper eos aquam ſanctam & incenſum . Poſt hoc ſtatim ſumit illum per manum , quem lavaturus eſt . Et ſic ducit eum uſque ad Balneum , antecedentibus eum Presbyteris Sancti Laurentii cum Libro & incenſo & cereis & candelabris accenſis . Et eundo ad Balneum , Presbyteri Sancti Michaëlis , & Sancti Kalimeri , & Petri in Campo Laudenſi , cantent Pſalmos , incipientes a *Beati immaculati* , uſque ad *omnis ſpiritus laudet Dominum* . Et Presbyteri ſimiliter Sancti Johannis ad Concam , & Sancti Alexandri faciunt Letanias , eundam per eodem viam . Et ſimiliter Presbyteri Sancti Laurentii canunt hanc Antiphonam uſque ad Balneum , *Sanctus Deus , qui ſedes ſuper Cherubim , ſolus inviſibilis . Sanctus fortis , qui Archangeli Michaëlis orationem ſuſcepiſti . Sanctus immortalis , qui ſolus immaculatus es , Salvator , miſerere nobis*. Oratio: *Deus , qui Naaman Syrum ſepties in Jordane tintum a lepræ colluvione ſanaſti , reſpice propitius ad preces humilitatis noſtræ , & ſeptiformis Spiritus benedictionem ſuper hos famulos tuos largus infunde , ut corporis , mentiſque novitate recepta , te Salvatorem omni tempore benedicant . Per Dominum* &c Hac finita, Leproſus intrat Balneum , & Presbyter Sancti Michaëlis de Domo lavat ſibi caput , & pectit . Hoc facto exiens de Balneo , ſtatim induitur Camiſiâ novâ , & femorariis novis , & Serrabarrio de nova corrigia , & cingulo novo de nova corrigia ſimiliter . His omnibus datis ab Archiepiſcopo , & iſto ita induto , ſedere debet ſuper ſcamnum , & Archiepiſcopus accingit ſe manutergio , & flectitur ad pedes ejus , & lavat pedem ejus dexterum , & extergit manutergio . Et oſculatur eumdem pedem . Deinde ter percutit ſibi de calcaneo ſuper caput ſuum . Et ſtatim ille ſurgit, ligans tibialia ad talum . Ducitur per manum ab Archiepiſcopo in Eccleſiam Sancti Laurentii , prædictis Presbyteris canentibus eamdem pſallendam , quam ſupra diximus, tintinnabulis etiam omnibus Sancti Laurentii ſonantibus . Et ille cadit in faciem ante Altare Sancti Laurentii , Pontifice dicente ſuper eum hanc Orationem: *Deus , qui es , ſicut omnipotentiâ ita & miſericordiâ infinitus , adeſto his famulis tuis , & quorum Corpora lavamus exterius , purificationem peccatorum interius exhibe . Abſint morbi , cedant contagia , infirmitates procul recedant , ut Dæmonum ſævitia jam olim tua pietate recluſa corrumpere non valeat , quos tua pietas Sanctis intercedentibus reparavit* . Poſt ſequitur *Kyrie , Kyrie , Kyrie* . Deinde *Benedicat & Exaudiat* &c. Hoc finito , levat eum de terra , & oſculatur eum . Ille vero ſe veſtimentis ſuis veſtit , & Archiepiſcopus canit Miſſam , & ille eſt auditor . Sed , finitâ Miſsâ Archiepiſcopus dat prædicto Leproſo Solidos triginta tres, & tres Denarios , ut dividat cum ſuis , qui eos habituri ſunt . Et iſte , qui lavatur , ſpecialiter illius loci eſt , qui vocatur Pons Serialis . Prædicti etiam Presbyteri debent honorifice prandere cum Archiepiſcopo . Et generatio Scariorum debent calefacere Balneum uſque in perpetuum . Et iſti Scarii debent habere ſex Denarios , & Serrabarum novum ab ipſo Leproſo . Sed ſi Archiepiſcopus defuerit , Archipresbyter facit prædictum Officium . Archiepiſcopium verò facit condicium .

Feriâ ſecundâ in Authentica ſonito ſigno, & Feriâ finitâ minor Diaconus Albâ rubeâ indutus legit primam Lectionem de Job , & Secundice-

dicerius canit Reſponſoria omnia, quæ in gradu canuntur Mortuorum in ſecunda Feria & tertia & quarta. Deinde ſecundus Diaconus legit Lectionem Tobiæ. Tunc Presbyter Ebdomadarius vadit ante Altare, & dicit Orationem unam primi diei Letaniarum. Sequitur *Benedicat & exaudiat nos Deus. Procedamus cum pace*. His finitis cantant Sextam. Finitâ verò Sextâ ſonant Veſperum ſicut in ceteris diebus Quadrageſimæ. Et ſic ſtatim incipiunt Nonam. Finitâ Nonâ Pontifex, vel Sacerdos vadit ante Altare, ſicut conſuevit, & dicit poſtea Orationem ſuper Populum. Et tertius Diaconus aſcendit Pulpitum Albâ rubeâ indutus. Et Archiepiſcopus vadit poſt Altare, & dicit: *Dominus vobiſcum*, & dat ei benedictionem. Supradictus verò Secundicerius canit Reſponſorium. Deinde quartus Diaconus legit lectionem Tobiæ. Et ſic alternatim omnes Diaconi legunt in tertia Feria, & quarta. Et Puer Magiſtri Scholarum canit Canticum. Et Diaconus legit Evangelium. Et ſic deinceps Miſſa ſuo ordine peragitur. Deinde Veſperum incipitur, ſicut ſolet, & Ebdomadarius Clavicularius canit Reſponſoria in Choro in ſecunda Feria & tertia. In quarta Feria canit Primicerius Subdiaconorum. In quinta & ſexta Feria Archidiaconus, & major Diaconus imponit Antiphonam ad cornu Altaris. Sed finito Pſalmo & Antiphonâ, Presbyter aut Pontifex dicit Orationem. Hac finita, & duodecim *Kyrie*, ſequitur *Benedicat & exaudiat nos* &c. Et ibi ante Altare canitur Veſperum Mortuorum ſine *Magnificat* in ſecunda Feria & tertia & quarta. Deinde in die Paſchæ ad Veſperum ſummus Terminarius cantat Lucernarium, & ſumit Ebdomadam cum ſummo Claviculario. Prætermiſimus etiam, quod in hac prædicta Quadrageſima Oſtiarius Ebdomadarius ponit pannum nigrum ſuper menſam Pulpiti. In Authentica ponit rubeum. Et minor Cuſtodum Ebdomadariorum ponit rotulum Letaniarum, & Veſpertinum ſuper Ambonem. Presbyter ſuſcipit & tollit, quum opportunum ei fuerit. Et præterea ſciendum, quia Archiepiſcopus non utitur Pallio, vel Stolâ per totam Quadrageſimam, niſi in Dominicis diebus, vel quando dat ſacros Ordines, uſque in Cœnam Domini.

De Feria Quinta in Authentica.

Coenâ Domini, horâ tertiâ pulſetur tintinnabulum. Tunc deſcendat Dominus Archiepiſcopus ad canendam Tertiam. Finitâ autem Tertiâ Archiepiſcopus poſt Altare dicit *Dominus vobiſcum*. Et minor Diaconus aſcendit Pulpitum, rubeâ Albâ indutus, & legit Lectionem Danielis Prophetæ in majori tono Evangeliorum: *Erat vir habitans in Babylone*. Sequitur Puer Pſallendam, *Aſſurgentes teſtes iniqui*. Item alius Diaconus indutus rubeâ Albâ legit Lectionem Sapientiæ in majori tono Evangeliorum: *Dixerunt impii*. Puer cantat: *Qui edebat*. Tertius Diaconus rubeâ Albâ indutus legit Evangelium privatim in Quadrageſimali tono, ut tantùm a circumſtantibus poſſit audiri: *Tunc abiit unus de Duodecim*. Sequitur Oratio *Concede nobis, omnipotens Deus*. Sequitur *Benedicat, & exaudiat nos Deus*. Completo autem Officio ſecundùm morem tunc præparentur à Miniſtris tres ampullæ cum Oleo, una ad Oleum Chriſmale, altera ad Oleum Cathecumenorum, tertia ad Oleum Infirmorum, & deferantur in Capellam, & Dominus

A Archiepiſcopus provideat de Balſamo. Tunc Archiepiſcopus procedat cum Cardinalibus, & Primicerio Presbyterorum, & ceteris Ordinibus ad regias Eccleſiæ, & faciat ſermonem Pœnitentibus de pœnitentia & converſione eorum. Hiſque omnibus expletis Archiepiſcopus cum Primicerio Presbyterorum canendo Antiphonam *Cor mundum crea in me Deus*, alternando cum verſibus *Miſerere mei Deus*, ducat Pœnitentes in Eccleſiam cum virga Paſtorali. Et proſternant ſe omnes in pavimento. Deinde Archiepiſcopus dicit ſuper eos Orationem *Deus humani generis*. Tunc Archiepiſcopus levet eos cum ceteris Sacerdotibus, dando eis

B oſculum reconciliationis. Et ſic commendet eos Primicerio Presbyterorum. Tunc Pontifex procedat cum Subdiaconis & Notariis & duodecim Capellanis ad prædictam Capellam. Et poſitâ tabulâ & manutergio, ac argenteo vaſe, ſedeat & conficiat cum pollice balſamum, miſcendo cum oleo. Interim Capellani canant Pſalmos *Beati immaculati* uſque *ad omnis ſpiritus laudet Dominum*. Poſtea refundat balſamum confectum in ampullam Chriſmalem. Deinde commendat eam, & alias Subdiaconis. Tunc Archiepiſcopus indutus Caſulâ deſcendat, & Subdiaconus Ebdomadarius exit de Secretario reveſtitus cum candelabris accenſis. Tunc Archiepiſcopus indutus Caſulâ incipit Veſpe-

C rum. Clavicularius Ebdomadarius canit Lucernarium *Quoniam tu illuminas*, & verſum *Quoniam in te*. Sequitur Hymnus *Dicamus Domino*. Poſtea canit Archidiaconus indutus Pluviali Reſponſorium *Omnes vos ſcandalum*. Et Lector Ebdomadarius aſcendat & legat Lectionem Jonæ Prophetæ *Factum eſt verbum Domini ſuper Jonam*. Puer canat Pſallendam *Vigilate & orate*. Interim Pontifex in Secretarium ingrediatur cum omnibus Sacerdotibus & Diaconis & Subdiaconis, & induat ſe ſacris veſtibus ſolemni more. Finita prædicta Lectione exeant præcedente Subdiacono, qui lecturus eſt Epiſtolam, & eo aſcendente accedat Pontifex ad Altare. Sed antequam inci-

D piat, vadat poſt Altare, & dicat hanc Orationem plane, ut a circumſtantibus poſſit audiri: *Concede nobis, omnipotens Deus, ut ſicut in Paſſione tua*. Tunc dicat *Dominus vobiſcum* excelſa voce. Et Subdiaconus legat Epiſtolam ad Corinthios primam *Convenientibus vobis in unum jam non eſt Dominicam Cœnam manducare*. Canunt Lectores *Tanquam ad Latronem*. Sequitur Evangelium ſecundùm Matthæum *Prima die Azymorum*. Finito Evangelio ſtatim incipiat Magiſter Scholarum intrando Chorum Ingreſſam *Cœnæ tuæ*, & non dicatur *Pacem habete*, aut *Kyrie*. Sequitur Oratio ſuper Sindonem. Tunc Subdiaconi offerunt Panem azymum & fermentatum cum

E omnibus Calicibus & Patenis.

Poſtea Archiepiſcopus incipit ad munus offerendum. Sequitur Offertorium *Contumelias & terrores*. Sequitur Oratio ſuper Oblatam. Finita Oratione non dicat *Dominus vobiſcum*. Tunc Subdiaconi aſcendant ad prædictam Capellam, & cum magna reverentia deferant ſupra dictas ampullas, & major offerat Diacono ampullam Chriſmalem, & Diaconus ponat eam ſuper Altare. Tunc Pontifex incipiat Confeſſionem principalis Chriſmatis, & dicat lenta voce exorciſmum: *Exorcizo te, Creatura Olei, per Deum Patrem omnipotentem*. Hac finita dicat excelſa voce *Dominus vobiſcum*.

Sequi-

Sequitur benedictio Chriſmæ, *Dominus vobiſcum, & cum ſpiritu tuo. Surſum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper heic & ubique gratias agere, dominator Domine Deus, Rex unctus, auctor unguenti* &c. Finita benedictione ſummo honore procuretur, uſque dum altera offeratur, ut prior. Et primo faciat ei exorciſmum, benedicatque eam quaſi Lectionem legens. Exorciſmus Olei Cathecumenorum: *Exorcizo te, Creatura Olei, in nomine Dei Patris*. Sequitur *Dominus vobiſcum*. Benedictio Olei: *Deus Sacramenti hujus inventor atque diſpoſitor*. His itaque peractis eodem ordine & decore, quo ſunt oblatæ in Eccleſiam, redeant ambæ ſimul in Sacrarium, & tota Miſſa peragatur ordine ſuo. Et antequam dicatur Secreta *per quem hæc omnia dona creas, Domine*, benedicat Oleum pro Infirmis, Diacono tenente, his verbis, ut tantùm a circumſtantibus poſſit audiri exorciſmus Olei: *Exorcizo te, immundiſſime Spiritus*, & non peragatur concluſio, ſed ſtatim ſequatur eadem voce benedictio: *Emitte Domine Spiritum Paraclitum de Cœlo*. Hac finita & Oleum reportetur, & in loco ſuo conſervetur: *Per quem hæc omnia, Domine, ſemper bona creas, per infinita ſecula ſeculorum. Amen*. Confeſſio: *Hoc Corpus, quod pro vobis tradetur*. Miſſa verò ordine ſuo agatur, uſque dum Diaconus dicit: *Offerte vobis pacem*, & tamen non dicat, & Archiepiſcopus non det pacem miniſtris. Tranſitorium: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*. Tunc Atchiepiſcopus communicet cum Clero & Populo. Sic Miſſa compleatur ſecundùm morem. Poſtea vadat poſt Altare, & dicat *Dominus vobiſcum*. Sequitur Antiphona: *Illi patrifamilias*. Pſalmus *Deus in adjutorium*. Sequitur Oratio, & ſic Veſperum compleatur. Et Pontifex vadat in Sacrarium, ubi præcipiat Subdiaconis, ut diligenter cuſtodiant Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini. Similiter autem præcipiat duobus Notariis, ut Chriſma & Oleum cum magna cautela diſtribuant. His rite peractis Presbyteri omnes & Diaconi & Subdiaconi & Magiſter Scholarum & Primicerius Lectorum cum duobus Lectoribus Ebdomadariis, & cum illo, qui canit *Tamquam ad latronem*, vadunt in domum Archiepiſcopi ad reficiendum cum magno honore. Expleto convivio Subdiaconi pergunt ad Eccleſiam Æſtivam ad lavandum Chorum, & honorifice debent habere vinum ab Archiepiſcopo: Interea verò Archiepiſcopus lavat Presbyteris & Diaconis & Magiſtro Scholarum, & Primicerio Lectorum cum magna reverentia ſingulis ſingulos pedes, hiſce canentibus hanc Antiphonam: *Poſtquam ſurrexit Dominus a cœna*. Oratio poſt mandatum: *Adeſto, Domine, officio ſervitutis noſtræ, qui pedes lavare dignatus es tuis Diſcipulis. Ne deſpicias, Domine Jeſu Chriſte, opera manuum tuarum, quæ nobis retinenda donaſti. Et ſicut heic exteriora abluuntur inquinamenta, ita omnium noſtrorum interiora laventur peccata; Qui vivis &c.* His finitis pro caritate bibit cum eis Archiepiſcopus, & Presbyteris, & Diaconis, & Magiſtro Scholarum, & Primicerio Lectorum duodenos Denarios tribuit.

In die Paraſceve poſt cantatam Tertiam Presbyter vel Archiepiſcopus vadit poſt Altare, & dicit *Dominus vobiſcum*. Et minor

A Diaconus indutus rubeâ Albâ aſcendit Pulpitum, & dicit Lectionem Eſaiæ Prophetæ in majori tono Evangeliorum: *Si quis captivum duxerit gigantem*. Sequitur Pſallendam ſummus Terminarius: *Foderunt manus meas* cum ſuis verſibus. Sequitur Oratio: *Deus, qui nobis Filium tuum Crucis patibulum*. Secundus Diaconus rubeâ Albâ indutus legit Lectionem Eſaiæ Prophetæ in majori tono Evangeliorum: *Ecce levo ad populum manum meam*. Cantatur Epiſcopale, aut Sacerdotale, ſive Diaconile juſſu Archiepiſcopi: *Tenebræ factæ ſunt* cum ſuo verſu. Hoc cantato Diaconus Ebdomadarius legat ita Evangelium. Dicat *Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Sequentia* B *Sancti Evangelii ſecundùm Matthæum*. Reſpondetur: *Gloria tibi, Domine*. Et non dicat in capite Evangelii *in illo tempore*, ſed *Mane facto*. Sed quando legitur *Emiſit Spiritum*, ſtatim Cicendelarius Ebdomadarius debet extinguere ignem. Et Subdiaconi diſcooperiunt Altare. Et ſcito, quia poſt lectum hoc Evangelium, non dicitur *Dominus vobiſcum*, nec *Deus in adjutorium meum intende*, uſque ad horam Sabbati, qua Diaconus benedicit Cereum; quia ille in primis dicit *Dominus vobiſcum*. Poſtea ſequitur benedictio Cerei, nec lumen debet eſſe in Eccleſia uſque ad horam diei Sabbati, qua Diaconus dicit: *Ecce jam ignis columna*; nec Altare coopertum C uſque ad Baptiſmum incœptum. Sed hoc Evangelio lecto dicat Presbyter, *Benedictus Dominus, qui vivit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen*. Sequitur Oratio: *Deus, qui pro redemtione noſtra accepiſti*. Hac finita tunc ſubjungit Presbyter: *Benedicat & exaudiat nos Deus. Amen. Procedamus cum pace. In nomine Chriſti. Benedicamus Domino. Deo gratias*. Tunc pergunt in Secretarium, & Subdiaconi honeſte præparant Crucem ſupra ſtadium, & dicit Sacerdos: *Benedictus Dominus*. Oratio: *Immenſa pietas Dei, qui latronem &c.* Alia: *Deus, qui Unigeniti Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Tunc egrediuntur de Secretario in Camiſio portando honorifice Cru- D cem in medio Eccleſiæ, adorante Archiepiſcopo prius cum omni Clero, Subdiaconis canentibus hanc Antiphonam: *Crucem tuam adoramus, Domine*. Alia: *Adoramus Crucem tuam. Beati immaculati*, uſque ad *Legem pone*. Adorata verò Cruce revertuntur in Secretarium, Subdiaconis reportantibus honorifice Crucem, & cantando hanc Antiphonam: *Laudamus te, Chriſte*. Inter hæc omnia, quæ Cruci offeruntur, ſunt Subdiaconorum. Et quum venerint in Secretarium, dicit Sacerdos: *Benedictus Dominus, qui vivit*. Sequitur Oratio: *Deus, qui humano generi ad imitandum*. Deinde dicit Sacerdos: *Benedicamus Domino. Benedicat & exaudiat nos Deus*. Dicit Diaco- E nus: *Procedamus cum pace. In nomine Chriſti*. Cruce verò adorata ab Archiepiſcopo, & toto Clero, Archiepiſcopus communicat ſe in Secretario cum omnibus Presbyteris & Diaconis & Subdiaconis. Tunc Cuſtodes iterum portant Crucem de Secretario in medio Eccleſiæ ad adorandum Plebi, cantantes Antiphonam: *Crucem tuam*. Secundo: *Adoramus Crucem*. Tertio: *Laudamus te Chriſte*, alternando cum verſibus *Beati immaculati*. Et quidquid ad Crucem offertur, totum eſt Cuſtodum. Deinde prædicti Cuſtodes cum magna reverentia debent lavare Chorum Hyemalis Eccleſiæ, & poſtea honorifice cum Archiepiſcopo debent prande-

prandere. Item ad Veſperum ſonito ſigno ligneo, ideſt pæne octavâ horâ, dicit Presbyter *Benedictus Dominus*. Et minimus Lector legit Lectionem Danielis: *Tunc Nabucodonoſor*. Tunc hi tres quaſi ex uno ore dicentes Hymnum. Deinde verſus cum Pueris. Incœpto verò *Benedictus es*, Ebdomadarius Magiſter Scholarum, vel Obſervator, ſi minor fuerit Ebdomadarius, ſtans ſubtus gradum cum parte quadam Puerorum in finem uniuſcujuſque verſus dicit *Amen* uſque *quoniam eripuit nos*. Hunc verſum, qui ſequitur, debet dicere Magiſter Scholarum ſolus, qui dixit primum *Quoniam eripuit nos*, uſque ad *Confitebor*. Tunc ſtatim Chorus incipiat excelſa voce verſum hunc: *Confitebor Domino*. Sequitur minor Lector Lectionem Danielis Prophetæ: *Tunc Nabucodonoſor*, cantante Lectore juſſu Primicerii: *Supra dorſum meum*. Deinde legitur Evangelium a quarto Diacono cum rubea Alba induto in Quadrageſimali tono privatim, ut tantùm a circumſtantibus poſſit audiri: *Quum ſero factum eſſet*. Et tamen non ſalutat, quum legit. Et quamvis dicat: *Sequentia Sancti Evangelii ſecundùm Matthæum*, nullus reſpondet: *Gloria tibi Domine*. Hoc finito, dicit Presbyter: *Benedictus Dominus*, *qui vivit*. Deinde incipit Hymnum: *Dicamus Domino*, ſine *Gloria tibi Domine*. Hoc finito, ſubjungit Presbyter: *Benedictus Dominus*, *qui vivit*, Reſponſorium Archidiaconile: *Animæ impiorum*. Hoc finito ſequitur Antiphona: *Diviſerunt ſibi*. Pſalmus: *Deus Deus meus reſpice*. Sequitur Oratio: *Largire ſenſibus noſtris*. Hac finita ſequitur Reſponſorium Diaconile: *Eram quaſi agnus innocens*. Secundo *Hieruſalem*. Tertio *Velum Templi ſciſſum eſt*. His finitis ſequitur: *Solemnes*. Archipresbyter dicit *Solemnes* ſuper Ambonem a parte dextera Chori. Presbyteri verò viciſſim dicunt Orationem Archiepiſcopo ſemper jacente ante Altare.

De Sabbato Sancto.

SAbbato in Paraſceve Cicendelarius Ebdomadarius ſonito ſigno tubæ ad Matutinum, debet portare in Secretarium de Eccleſia Æſtiva unum Ferletum plenum oleo, accenſum, ut Lectores videant quidquid in obſcuro Matutino dicendum eſt. Et iſtud Ferletum debet eſſe illius Lectoris, qui in poſtremo indicaverit Officium. Et in hoc Matutino nec *Gloria* nec *Kyrie* dicitur. In Sabbato Sancto, ut & in Natale Domini, ſonito ſigno ad Matutinum, Oſtiarius Obſervator vadit ad domum Vicecomitis, qui vadit ante Archiepiſcopum, & vocat eum ferendo cereum accenſum in candelabro, & ſic ducit eum ad Eccleſiam, ubi major Chorus facit Officium uſque in corpus ejuſdem, ſtans ante eum, donec Orationem perficiat. Finita verò Oratione prædictus Oſtiarius dat cereum ſervo illius, & recedit. Et propter hoc obſequium Vicecomes dat quatuor Oſtiariis Agnum unum in Reſurrectione, & quatuor Panes de cambio, & Sextarium vini, & in Natale Domini Scamariam unam optimam, & totidem Panes & Vinum. In eodem Sabbato horâ ſextâ ſonito ſigno tubæ, congregato Clero in Eccleſia Æſtiva, & cantatâ Tertiâ, Archiepiſcopus, vel Presbyter retro Altaris dicit: *Benedictus Dominus*, *qui vivit*. Et minimus Lector aſcendit Pulpitum, & legit Lectionem libri Geneſis: *Noë vir juſtus*. Puer canit Pſallendam: *Exſurge Domine*. Mox minor Diaconus legit hoc Evangelium privatim in Quadrageſimali tono, ut tantùm a circumſtantibus poſſit audiri, indutus rubeâ Albâ: *Altera die*, *quæ eſt*. Sequitur Oratio: *Omnipotens ſempiterne Deus*, *qui in omnium operum tuorum*. Hac Oratione finita Archiepiſcopus ſubjungit: *Benedictus Dominus*, *qui vivit & regnat*. *Benedicat & exaudiat nos Deus*. *Procedamus &c.* Tunc Sacerdos Eccleſiæ Sancti Sepulcri debet cereum unius libræ portare ab Eccleſia ſua accenſum novo igne & benedictum, in Eccleſiam Hyemalem, & ponere ante Altare Sanctæ Mariæ pro ficto. Ex quo Cicendelarius Ebdomadarius debet habere candelam accenſam in Secretario Eccleſiæ Æſtivæ. Poſt hæc tres Diaconi induti Dalmaticis debent ire ſuper Tribunam Eccleſiæ Æſtivæ, duobus portantibus duos cereos ſine lumine. Et unus Subdiaconus Ebdomadarius debet portare rotulum ſimiliter indutus Albâ, & debet tenere ipſum rotulum ante Diaconum, donec legerit, & benedixerit ceram & ignem. Et hac benedictione finita, ſtatim Cicendelarius Obſervator accendit lampadem de novo igne benedicto, & ſic Subdiaconus Obſervator portat eam in Tribunam, & accendit Cereum, qui eſt ſuper Candelabrum magnum impoſitum per manus Cicendelarii Ebdomadarii, datum de Camera Archiepiſcopi. Et tunc duo Diaconi de circumſtantibus accendunt cereos, quos tenent cum Cantaris de igne, qui eſt ſuper candelabrum majus. Tunc dicit Diaconus excelſa voce: *Ecce jam ignis columna reſplendet*. Hac finita Archiepiſcopus ſtatim dicit: *Dominus vobiſcum*. Sequitur ſecundus Lector Lectionem Libri Geneſis: *In principio creavit Deus*. Poſtea canit Lector: *Tui ſunt Cœli*. Sequitur Oratio: *Deus*, *incommutabilis virtus*, *lumen æternum*. Tertius Lector legit Lectionem Libri Geneſis: *Tentavit Deus Abraham*. Poſtea Puer: *Immola Domino*. Sequitur Oratio: *Deus*, *fidelium pater ſumme*, *qui in toto orbe*. Quartus Lector legit Lectionem Libri Exodi. *In diebus illis locutus eſt Dominus ad Moyſen & Aaron*. Sequitur Canticum trium puerorum. Sed tamen unus Puerorum ſolus cantat priorem verſum in Pulpito, ceteri tamen cum eo ſtantes. Sequitur hæc Oratio: *Omnipotens ſempiterne Deus*, *multiplica in honorem nominis tui*. Quintus Lector Lectionem legit Libri Exodi: *In diebus illis armati aſcenderunt*. Sequitur Canticum, quod cantat quartus Clavicularius cum verſibus ſuis: *Tunc cantabat Moyſes*. Sequitur hæc Oratio: *Deus*, *celſitudo humilium*, *& fortitudo rectorum*. Sextus Lector legit Lectionem Eſaiæ Prophetæ. Sequitur hæc Oratio: *Omnipotens ſempiterne Deus*, *ſpes unica Mundi*. Septimus Lector legit Lectionem Eſaiæ Prophetæ: *Levamini mundi*. Puer canit Canticum: *Sicut cervus*. Sequitur hæc Oratio: *Omnipotens ſempiterne Deus*, *reſpice propitius ad devotionem Populi &c.*

Hoc finito ſtatim Archiepiſcopus induit ſacras Veſtes, ſicut ad canendam Miſſam, & Diaconi Dalmaticis, & Subdiaconi cum Albis. Tamen Obſervator Subdiaconus Ebdomadarius portat thuribulum accenſum cum incenſo, & duo Diaconi portant duo Candelabra, quæ vocantur Cantara cum cereis deſuper accenſis, quos habuerant in benedictione ceræ. Tunc etiam Magiſter Scholarum procedit cum Pueris ſuis, cantando hanc Antiphonam: *Exſurge*, *quare obdormis*, uſque ad regias Baptiſmalis Eccle-

Eccleſiæ. Et ibi juxta extra Eccleſiam Archiepiſcopus exuit Stolam & Dalmaticam & Planetam, & induit ſe paludamento baptiſmali, & præcingit ſe manutergio cum cingulo, nexu veniente a ſiniſtro latere in ſimilitudinem enſis, & ſimiliter nexum ſandaliorum facit juxta calcaneum in ſimilitudinem calcarium, habens mythram in capite, ut oſtendatur quod ſit Rex & Pontifex. Et ſic incedit ad Fontes, antecedente Magiſtro Scholarum cum Pueris ſuis cantando hanc Antiphonam: *Exſurge, quare*, præcedente eos Subdiacono Obſervatore cum lampade accenſa. Qui accendit duos magnos Cereos ſtantes ſuper cancellos, & duodecim phialas vitreas, quæ pendent ſuper Fontes, præcedentibus etiam duobus Diaconis indutis Dalmaticis, cum Cantariis, & Cereis accenſis, qui fuerunt in benedictione ceræ dati de Camera Archiepiſcopi, quos iidem Diaconi debent habere poſt benedictionem fontis. Illi verò, qui ſunt ſuper Cancellos, ſunt Sacerdotis illius Eccleſiæ baptiſmalis. Archiepiſcopus incipit benedictionem, & adjurationem aquæ. Poſt hæc Cimiliarcha aſſiſtens cum Chriſmate & cocleari argenteo, porrigit Archiepiſcopo coclear vacuum, & Cimiliarcha tenente Chriſma, Archiepiſcopus fundit ipſum Chriſma in Fontibus cum prædicto cocleari in modum Crucis, dicens: *Sit Fons iſte ſacer, ſanctificatus, & perunctus in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen*. Sic tribus vicibus fundit Chriſma dicendo: *Sit Fons iſte*. His ita geſtis ſtatim Archiepiſcopus vadit ad alteram partem Fontium, ideſt ad Orientem, & duo Cardinales, ideſt minor Presbyter, & minor Diaconus intrant Fontes. Et tres Cuſtodes Obſervatores de octo minoribus quærunt tres pueros per Eccleſiam eundo, ſi poſſint invenire, qui vocentur, unus *Petrus*, ſecundus *Paulus*, tertius *Johannes*. Et porrigere debent Cardinalibus, qui ſunt in Fontibus, & ipſis tenentibus pueros, Archiepiſcopus interrogat eos: *Quid petitis?* Reſpondent: *Baptizari*. Item interrogat: *Creditis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ?* Reſpondent: *Credimus*. Interrogat: *Et in Jeſum Chriſtum filium ejus unicum Dominum noſtrum, natum & paſſum?* Reſpondent: *Credimus*. Interrogat: *Creditis in Spiritum Sanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam?* Reſpondent: *Credimus*. Et ſtatim ſubjungit dicens: *Baptizate eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*. Et ſtatim baptizant, dicendo nomina eorum: *Baptizo te*. Prima merſio: *In nomine Patris*. Secunda merſio: *Et Filii*. Tertia merſio: *Et Spiritus Sancti. Amen*. Archiepiſcopus flectit genua ſua contra Orientem. Tunc Primicerius Lectorum ſtatim ſubinſert Letanias, & poſt Letanias Archiepiſcopus ſurgens chriſmat prædictos baptizatos in frontibus in modum Crucis, dicendo hanc Orationem: *Deus Pater Omnipotens Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui vos regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto*. Prædicti Cuſtodes debent ſuſcipere prædictos pueros baptizatos de manibus patrum ſuorum, qui eos traxerunt de Fonte, & duo Cuſtodes majores de octo minoribus debent eſſe præparati, unus cum vaſe aquæ, alter cum manutergio ſumto de camera Archiepiſcopi. Et tunc Archiepiſcopus lavat pedes pueris tribus prædictis, & extergit eos cum manutergio & oſculatur. Et tunc imponit calcaneos uniuſcujuſque ſuper caput ſuum.

His rite peractis Oſtiarius Ebdomadarius cum Obſervatoribus omnia tintinnabula ſonare debet. Deinde Archiepiſcopus aſcendit equum, & vadit ad Eccleſiam Sancti Ambroſii, ubi ſanctum Corpus ejus requieſcit, & ibi canit Miſſam de Confeſſoribus in honore ſuo, quia in hoc die migravit ex hoc ſeculo. Inter hæc Magiſtri de Domo, qui vocantur Domeſtici, debent habere præparatum Vas magnum, plenum aquâ calidâ juxta Fontes, in qua prædicti Cardinales, quum exeunt de Fonte, debent lavari in eodem Vaſe. Interim verò Diaconi Ebdomadarii debent ponere Calices & Patenas & theſaurum & cetera ornamenta Altaris ſuper Altare in Eccleſiam Æſtivam, Cuſtodibus Ebdomadariis adjuvantibus, & minor de Cuſtodibus Ebdomadarius debet cuſtodire hæc omnia uſque ad Miſſam finitam. Deinde finitâ Miſsâ Archiepiſcopus revertitur ad Fontes indutus Pluviali, & dicit hanc Orationem: *Celebratis & perfectis*. Sequitur *Dominus Vobiſcum*, & Reſponſorium, quod Archiepiſcopus debet cantare excelſa voce ad cornu Altaris: *Sacri Fontis*, & verſus ſimiliter. Sequitur Proceſſio à Fontibus in Eccleſiam Hyemalem, antecedente Schola Sancti Ambroſii cum Cruce argentea; & Oſtiarius Ebdomadarius debet eſſe ſimiliter cum Cruce aurea. Pſallenda *Alleluja, Alleluja, Alleluja*. Verſus *Beati quorum* cum ceteris verſibus. Dum Pſallentia cantatur, Presbyter Obſervator debet eſſe veſtitus & præparatus ad canendam Miſſam in Eccleſia Hyemali. Et hoc finito prædictus Presbyter dicit Orationem ſuper Populum. Et ſtatim Secundicerius aſcendit Pulpitum, & legit Lectionem Actuum Apoſtolorum: *In diebus illis aperiens Petrus os ſuum, dixit: Viri Iſraëlitæ*. Et notandum, quia ſicut iſte præcedit in Lectione, omnes alii ſequuntur viciſſim legendo, unus in Eccleſia Æſtiva, alter in Hyemali, uſque ad Octavam Paſchæ omni die, excepto in Paſcha in Eccleſia Æſtiva, quando Subdiaconus legit. Et tamen eodem die legit Lector in Hyemali Eccleſia. Finita Lectione Notarius cantat *Alleluja*. Verſus *in Eccleſiis*. Epiſtola *Paulus ſervus Chriſti*. Alter verò Notarius ſubſequitur cantando *Alleluja* de *Domine refugium*. Verſus, *Intrate*. Finito Euangelio Archiepiſcopus indutus, ſicut in die ſolemni, cum Clero ſuo, & cum Cruce aurea, antecedente Schola Sancti Ambroſii, vadit in Eccleſiam Æſtivam cantando has Pſallendas: *Redemit eos Deus, alleluja. Vidi aquam, alleluja. Intonuit de cœlo Dominus*. Tum Archiepiſcopus accedit ad Altare, & deoſculatur Altare, & ſic pergit in Tribunam ad ſtadium ſuum, & dicit ter: *Chriſtus Dominus reſurrexit*. Et Chorus reſpondet excelſa voce: *Deo gratias*. Deinde revertitur ad Altare, & incipit Miſſam. Subdiaconus cantat *Alleluja* cum verſu *Venite, exſultemus*. Alter Subdiaconus cantat *Alleluja, Alleluja* de *Reſurrexit*. In eadem Miſſa non dicitur *Gloria in excelſis Deo*, nec *Credo in unum*. Sed pax publice cunctis datur. Ad Veſperum Primicerius Lectorum indutus Pluviali canit Reſponſorium. Miſsâ finitâ, omnia ornamenta Altaris & vaſa ſacra & ſacrificia & theſaurus Eccleſiæ debet dimitti ſuper idem Altare uſque in alteram diem. Et ſcito, quia major Oſtiarius & major Cicendelarius debent conſignare & dare ad cuſtodiendum Magiſtris de Domo, &

& ipſi debent cuſtodire uſque ad Matutinum. Eâdem horâ prædicti Magiſtri debent reconſignare & dare omnia ſupradicta prædicto Oſtiario & Cicendelario. Et ſciendum præterea, quod illi duo Cuſtodes, qui porrexerunt aquam & manutergium Epiſcopo ad Fontes ad lavandum pedes puerorum, & ad extergendum eoſdem, & tres Obſervatores, qui dederunt pueros Cardinalibus in Fontibus, & Oſtiarius Ebdomadarius, qui in Proceſſione portavit Crucem auream, omnes iſti honorifice debent prandere cum Archiepiſcopo.

De Die Paſch

IN die ſancto Paſchæ Reſurrectionis ſonito ſigno, & Tertiâ cantatâ, Presbyter Obſervator canit Miſſam in Eccleſia Hyemali cum Diacono & Subdiacono Obſervatore. Pueri Magiſtri Scholarum canunt ambas *Alleluja*. Sed finito Euangelio, congregato Clero in Eccleſia Hyemali, Archiepiſcopus indutus ſacris veſtibus, ſicut ad Miſſam celebrandam, cum Diaconis indutis Dalmaticis, & Subdiaconis indutis Albis, cum thuribulo & candelabris accenſis, datis & porrectis à quatuor Cicendelariis, & cum Presbyteris Cardinalibus indutis Pluvialibus, & cum Primicerio Lectorum induto Pluviali, cum tabulis eburneis & colurna virgulta intus cum foliis, & Magiſter Scholarum quatuor, & Oſtiarius Ebdomadarius, qui portat Crucem auream, & qui fert Scuticam Sancti Ambroſii; omnes iſti induti Pluvialibus, & Primicerius Presbyterorum indutus Planetâ, omnes iſti præcedunt Arcam Teſtamenti, in qua ſunt Libri veteris Teſtamenti & novi. Quam coopertam pallio portant duodecim Sacerdotes centeni Ordinis induti tantùm Camiſio & Stola. Ante quam etiam & juxta Primicerius Presbyterorum fert thuribulum accenſum cum incenſo dato de Camera Pontificis. Et in capitibus hujus Arcæ duo Lectores portant duas Cruces. Et hoc ordine procedunt ad Eccleſiam Æſtivam. Et ibi in Choro Archiepiſcopus cum toto Clero cum magna reverentia inclinato capite tranſit ſub Arcam. Sciendum eſt, quia in hac ſolemnitate, & in Pentecoſten, & in Dedicatione majoris Eccleſiæ, & in Natale Domini, & in Epiphania, major Cuſtos octo minorum Cuſtodum ſemper portat Textum Euangeliorum, & alter, qui ſequitur, portat Librum. Præterea ſi quando prædicti faciunt Ebdomadam, & alii, qui ſequuntur faciunt iſtud. In ſancta dicta ſolemnitate, Officio incœpto, Cicendelarius Ebdomadarius porrigit panem azymum Subdiacono Ebdomadario, receptum de manubio Archiepiſcopi, vel Camera ejus. Et ille dat quatuor Archipresbytero, & quatuor Archidiacono, Presbyteris & Diaconis Cardinalibus; & Primicerio Subdiaconorum & Presbyterorum & Notariorum & Lectorum, & Subdiacono, & Cicendelario Ebdomadariis, & Vicecomiti, & quatuor Magiſtris Scholarum, binos per unumquemque. Et quando dat, dicit omnibus per unumquemque: *Chriſtus Dominus reſurrexit*. Et reſpondent: *Deo gratias*, & oſculantur illum & panem. Similiter dat omnibus Subdiaconis, & quatuor Clavicularíis, & Secundicerio, & ſummo Terminario, & duobus Lectoribus, qui portant duas Cruces in capitibus Arcæ, & tribus Cicendelariis, ſingulis ſingulos. Et quando dat, dicunt & faciunt, ſicut ſuperius dictum eſt. In ultimo

A verò Officii Paſchæ canitur *Alleluja*. Tranſitorium verò canit Chorus, Magiſtro Lectorum incipiente, reiterando cum *Gloria*. In eadem Paſcha ad Veſperas Archiepiſcopus induitur, ſicut ad Miſſam, cum Diaconis indutis Dalmaticis, & Subdiaconis Albis, & cum Presbyteris Cardinalibus & Primicerio Lectorum, & Magiſtro Scholarum Ebdomadario, indutis Pluvialibus. Et Diaconi portant Candelabra accenſa. Incœpto Hymno Archiepiſcopus & Diaconi exeunt, & induuntur Pluvialibus. Et Subdiaconi ſimiliter exuunt ſe. Sed unus Subdiaconus Ebdomadarius manet veſtitus, ſicut erat prius. Et ſic veſtiuntur in Epiphania, & in Carnelevalis die Dominico ad Veſperas.
B Et ſciendum, quia ſic procedunt veſtiti per totam Ebdomadam Paſchæ ab Eccleſia Hyemali in Eccleſiam Æſtivam. Notandum eſt, quod in Albarum Feriis ad Miſſam pro baptizatis in Eccleſia Hyemali non canitur *Gloria in excelſis Deo*. Similiter ſciendum eſt, quia in Feriis Natalis Domini non canitur in Eccleſia Hyemali *Gloria in excelſis Deo* ad Miſſam majorem, excepto in Natale Innocentum, aut quum Archiepiſcopus ibi canit Miſſam. In Depoſitione Sancti Ambroſii Archiepiſcopus vadit cum Proceſſione ab Eccleſia Æſtiva uſque ad Eccleſiam Sancti Ambroſii, indutus, ſicut ſuperius legitur, cum toto Clero hujus Urbis. Et ſtatim quum exierit de Eccleſia San-
C cti Georgii, habens virgam Paſtoralem in manu, incipit hanc Antiphonam excelſa voce versùs Meridiem: *Dicant nunc Judæi*. Et Primicerius Lectorum ſtatim ſequitur, ſubſequentibus ſuis. Sabbato in Albis ad Veſperum, quando Archiepiſcopus cum Clero vadit de Eccleſia Æſtiva in Eccleſiam Sancti Johannis Baptiſtæ, facit ſignum Crucis ſuper Fontes, & ſtatim minor Oſtiarius aperit Fontes, ut mos eſt. Et alter Oſtiarius aperit Fontes in die Sabbati poſt Pentecoſten. Et duo minores Presbyteri de Centenario numero debent diſcooperire capita puerorum, ſtantes in valva Eccleſiæ Sancti Johannis, dicentes: *Benedicat vos Dominus de Sion, & videatis quæ bona*
D *ſunt Hieruſalem omnibus diebus vitæ veſtræ*.

De Diebus Letaniarum.

IN primo Die Letaniarum, duo majores Cuſtodes octo minorum debent adquirere cinerem mundum & cribratum, quem Presbyter Ebdomadarius debet ſanctificare. Et ſi iſti duo prædicti Cuſtodes fortè fuerint Ebdomadarii, alii duo, qui ſequuntur, adquirere debent cinerem, & cetera officia facere. Benedictio cineris: *Omnipotens & miſericors Deus*. Finita benedictione, & incœptis Letaniis unus prædictorum Cuſtodum porrigit cinerem Archiepiſcopo, quem ipſe imponit in modum
E Crucis ſuper capita majorum Clericorum & Primicerii Presbyterorum & Archidiaconi. Dein Primicerius Presbyterorum ponit cinerem ſuper capita Presbyterorum & Clericorum ſibi ſubditorum. De cetero verò Laicis & Mulieribus etiam, prædicto Cuſtode ſemper portante & porrigente cinerem uſque ad Sanctum Simplicianum. Et idem Cuſtos cum ſocio ſuo ſemper porrigit Euangelium Levitæ, & lecto Euangelio reſumit, & imponit Altari & dicit: *Silentium habete*, in Eccleſia Sancti Ambroſii, & Sancti Laurentii, & Sancti Nazarii. Antiphona *Parcite fabulis* poſt ſalutationem. Et in his tribus diebus Ebdomadarii majores Oſtia-

rii

rii viciſſim portant Crucem auream ante Presbyteros & Diaconos Cardinales, & unus illorum ſemper debet prandere cum Archiepiſcopo. In tertio verò die duo. Et illi duo, qui ſunt poſt illos, qui portant cinerem, debent portare unam Crucem ante Notarios, & prandere debent cum ipſis. Et duo minores ſimiliter Ebdomadarii portant Crucem viciſſim ante Primicerium Presbyterorum, unus quorum in die tertio cum ipſo prandebit, & dabit duodecim Denarios. Similiter duo minores Oſtiarii viciſſim portant Crucem ante Vicecomitem, & unus in die tertio tantùm prandebit cum ipſo. Notandum etiam, quia Archiepiſcopus in his duobus ſumit Euangelium ab omnibus Altaribus, ante quæ orat, & dat Subdiacono prius miſſum ſemper in Altari ab eodem Subdiacono. Et ſimiliter omnes Subdiaconi viciſſim portant Euangelium & baculum Sancti Ambroſii per omnes Eccleſias, & Ordinarioli etiam viciſſim portant Albam rubeam & baculum. Cicendelarii quoque viciſſim portant Pallium, & cooperiunt Altaria, excepto Ebdomadario. Et ſciendum, quia Secundicerius legit primam Lectionem, & Lector Reſponſorium. Deinde Notarius legit ſecundam Lectionem, & Lector Reſponſorium. Et ſic viciſſim cantant & legunt uſque ad ultimum, exceptis quatuor Lectionibus Primicerii Lectorum, videlicet ad Sanctum Victorem ad Corpus, & ad Sanctum Stephanum, & ad Sanctum Euſtorgium, & ad Sanctum Georgium. Et Diaconi ſimiliter viciſſim legunt Euangelia. Et Rotularius Archiepiſcopi ſemper portat rotulum, & miniſtrat Archiepiſcopo. Sed ſi Archiepiſcopus defuerit, Oſtiarius, qui portat Crucem auream, fert ipſum rotulum, & ponit ſuper ſingula Altaria, à quibus Sacerdos aufert, & dicit Orationes. Et Capellanus Sancti Michaëlis de Domo porrigit Archiepiſcopo Cannelam unam, & duas Oblatas, & Primicerius Decumanorum duos Denarios, quos Archiepiſcopus ponit cum Cannela per ſingulas Eccleſias ſuper Altare & dicit: *Requiem æternam dona ei, Domine, & lux perpetua luceat ei. Anima ejus requieſcat in pace*. Et Diaconus, qui in aliqua Eccleſia lecturus eſt Euangelium, vadit cum Archiepiſcopo per ſingula Altaria ad Orationem cum Subdiacono, qui portat Euangelium & fuſtem. In eiſdem diebus omnia de quotidiano ad Matutinum & ad Veſperum, excepto Reſponſorio proprio ad Veſperas in primo die & in ſecundo. Finitis Lectionibus non dicitur *Benedicat & exaudiat nos Deus* in primo die, aut in ſecundo, ſed tantùm Miſſa incipitur & canitur ſine Officio, excepto Cantico. In die verò tertio finiuntur cum *Benedicat & exaudiat nos Deus*. Ad Veſperas finito Cantico *Magnificat*, & Oratione, ſequitur decem vicibus *Kyrie*. *Benedicat & exaudiat nos Deus*.

De Vigilia Pentecoſtes.

IN Vigiliis Pentecoſten quatuor minores Lectores debent legere quatuor Lectiones, & Lectores debent cantare Pſallendam: *Tui ſunt Cœli*; & *Benedictus Dominus* juſſu Primicerii ſui. In eadem Vigilia Sarcitectus emundat Fontes. Et duo minores Oſtiarii trahunt aquam cum hydria & fune ſumta ab Archiepiſcopo, & Archiepiſcopus ducit ad Fontes. Et quatuor Oſtiarii debent habere octo Panes, & quatuor fruſta Caſei, & unum Starium vini.

A Et duo majores Oſtiarii debent ligare quadraginta & unam tabulas cereas ſumtas à Cimiliarcha, in modum Crucis ſuper Fontes cum filo ſumto à Monacha ipſius Eccleſiæ Sancti Stephani. Et ſuper tabulas ponunt Copallos cereos tredecim cum candelis intus poſitis, quas duo minores Oſtiarii accendunt. Et hoc fit, quando Archiepiſcopus accedit ad Fontes ad ſanctificandum aquam. Pro quo Officio Judicatum eſt factum in loco Caſoreto, ex quo quatuor prædicti Oſtiarii cum Capellano ejuſdem Eccleſiæ, & cum Sarcitecto mundatore Fontium, & Rector honeſte inſimul reficiuntur. Cantato Cantico, & dicta Oratione, Archiepiſcopus vadit in Secretarium, & induit B ſe paludamento Baptiſmali, & præcingit ſe manutergio cum cingulo, nexu veniente à ſiniſtro latere in ſimilitudinem enſi. Et ſimiliter nexum ſandaliorum facit juxta calcaneum in ſimilitudinem calcarium. Et ſic incedit ad Fontes ſine Proceſſione, habens mythram in capite, antecedente Subdiacono Ebdomadario, ducente eum. Eodem modo facit conſecrationem Fontium, & Condicium, & cetera, quæ conveniunt, ſicut in Sabbato Sancto, excepto quod in Sabbato Sancto baptizantur tres pueri, in hoc tantùm duo. Sed ſciendum eſt, antequam Chriſma mittatur in aquam, duo majores Oſtiarii debent colligere prædictas tabulas & copallos, & debent conſignare Cimiliarchæ. C Et ille ſimiliter debet dividere cum Presbyteris & Diaconis Cardinalibus pariter, & æqualiter tabulas. Sed Archipresbyter & Archidiaconus debent habere duplum. Finito Baptiſmo à minore Presbytero & Diacono Cardinali, Archiepiſcopus induit ſe ſacris veſtibus cum Diaconis & Subdiaconis ad canendam Miſſam, & ibi ante Altare, quod eſt juxta Fontium, ſalutat, & Diaconus Ebdomadarius incipit hanc Pſallendam: *Dominus regit me*, Primicerio Lectorum ſubſequendo cum ſuis, & ſic vadit in Eccleſiam Hyemalem ad canendam Miſſam, antecedente Schola Sancti Ambroſii cum Cruce argentea, & Oſtiario Ebdomadario ante Presbyteros Cardinales cum Cruce aurea. Sed D ſciendum eſt, quod in hoc die Archiepiſcopus debet dare tabulas cereas hoc modo: Primicerio Subdiaconorum, & Primicerio Presbyterorum, & Notariorum, & Lectorum, & quatuor Magiſtris Scholarum binas. Sed Subdiaconis, & Notariis, & Lectoribus, & Cuſtodibus, & Veglonibus, maribus & feminis ſingulas. Sed duobus majoribus Cuſtodibus, & majori Veglonum & majori Vetularum binas. Sciendum eſt, quia duo minores Cuſtodes debent portare tabulas ſumtas de Camera Pontificis ad Monaſterium Sancti Ambroſii ſex, & ad Monaſterium Sancti Victoris, & Sancti Vincentii, & Sancti Simpliciani, & Sancti Dionyſii quaternas. Alii duo, qui ſequuntur, E ſimiliter portant tabulas ſumtas de ſupradicta Camera ad Monaſterium Majus ſex, & ad Monaſterium Novum, & ad Monaſterium Dathei, & Lantaſii, & Giſonis, & Sanctæ Radegundæ ſimiliter quaternas.

De Dominica Pentecoſten

IN Pentecoſten ſonito ſigno & Tertiâ cantatâ Presbyter Obſervator cantat Miſſam in Eccleſia Hyemali. Finitâ Ingreſsâ Lector legit Lectionem Actuum Apoſtolorum: *Petrus & Johannes aſcendebant*. Verſus in *Alleluja*: *Emitte Spiritum tuum*. Obſervator Diaconus legit

legit Euangelium in majori tono : *In noviſſimo die magno* . Finito Euangelio Archiepiſcopus indutus ſacris veſtibus quaſi ad canendam Miſſam cum Diaconis indutis Dalmaticis. & Subdiaconis indutis Albis , & cum omnibus Presbyteris Cardinalibus & cum Primicerio Presbyterorum & Lectorum , & Magiſtro Scholarum Ebdomadario . & qui portat Textum Euangelii, & qui fert Crucem auream, omnibus iſtis indutis Pluvialibus , procedit in Eccleſiam Æſtivam. Finitâ Ingreſsâ, major Subdiaconus legit Lectionem Actuum Apoſtolorum : *Dum complerentur dies* , & dum hæc Lectio legitur, Archiepiſcopus ſedens in tribunali accendit duos cereos, ſicut legitur, & agitur in Natale Domini . A B

De Letaniis Sancti Gregorii .

IN feſtivitate Sancti Marci Archiepiſcopus cum omni Clero ſuo finito Euangelio majoris Miſſæ in Eccleſia Sancti Naboris, ante ipſum Altare incipit Proceſſionem uſque ad Sanctum Victorem , qui dicitur ad Corpus . Antiphona : *Domine Deus virtutum* , *peccavimus ante te* , *Deus* . *Miſereris omnium* ; *qui feciſti magnalia* . *Circumdederunt nos mala* . *Si feciſſemus præcepta. Iniquitates noſtras agnoſcamus* . *Vide Domine afflictionem* ; *Liberator noſter* . Sequitur Lectio in Eccleſia Sancti Victoris . Deinde ſequitur Oratio : *Omnipotens ſempiterne Deus, cui ſine fine* . Reſponſorium: *Te deprecamur* , *Domine* . Verſus : *Domine exaudi* . Antiphona ab Eccleſia Sancti Victoris in Eccleſia Sancti Gregorii mediâ viâ : *Domine* , *inclina aurem tuam* . *Exſurge* , *libera Deus* . *Cor noſtrum conturbatum eſt* . *Domine Deus mirabilis* . Sequitur Letanias Oratio : *Infirmitatem noſtram* . Reſponſorium . *Te Domine* . Verſus ; *Vita noſtra in dolore* . Sequitur , *Agnus Dei* . C

De Inventione Sanctæ Crucis .

IN Inventione Sanctæ Crucis Obſervator Cicendelarius portat Crucem auream gemmatam involutam manutergio ad Sanctam Mariam ad Circulum , ubi feſtum celebratur . Et ibi ponit ante Altare ſuper quodlibet ſtadium . Et ſtatim Presbyter oſculatur eam , qui cantaturus eſt Miſſam , quando accedit ad Altare . Deinde ceteri ſimiliter . Et ipſemet Cuſtos portat eamdem Crucem ad Sanctum Petrum in Vinea cum Subdiacono & Diacono Obſervatore . Et ibi Subdiaconus exſpoliat ſe Cappâ , & Camiſio tantùm indutus portat Crucem honorifice uſque ad Majus Monaſterium , tintinnabulis ejus ſemper ſonantibus . D

De Natali Sancti Victoris .

IN Natali Sancti Victoris , Proceſſio fit de Eccleſia Æſtiva ad Sanctum Victorem Cœlum Aureum, ideſt ad Sanctum Satyrum, ubi ejus Corpus requieſcit . Et ibi Presbyter Obſervator debet cantare Miſſam uſque ad Epiſtolam : *Aſſecutus es*. Statim quum Proceſſio venerit in Chorum , Puer Magiſtri Scholarum incipit *Alleluja* . *Depoſuiſti* . Et Obſervator Diaconus dicit Euangelium , præcedente cum Obſervatore Subdiacono cum cereo & incenſo. Finito Euangelio Diaconus Ebdomadarius incipit Pſallentiam , & vadit ad Sanctum Victorem , qui dicitur ad Corpus. In vigiliis Tranſlationis Sancti Nazarii ad Veſperum finita Oratione poſt *Magnificat* , Diaconus incipit Pſallendam in Eccleſia Sancti Celſi , & canendo vadunt uſque ad Sanctum Nazarium , qui dicitur *ad Corpus*. In altero die, ſonito ſigno , Archiepiſcopus cum toto Clero vadit ad Sanctam Euphemiam ſine Proceſſione. Et ibi Diaconus incipit Pſallendam , præcedente Schola Sancti Ambroſii cum Cruce argentea, & Oſtiarius Ebdomadarius cum Cruce aurea uſque ad Sanctum Celſum in eadem Eccleſia S. Celſi . Presbyter Obſervator debet prius incœpiſſe Miſſam uſque ad *Alleluja* , quam Puer Magiſtri Scholarum canit ſtatim , quum fuerit Proceſſio in Choro : *Depoſuiſti* . Et ibi dicitur Euangelium : *Simile eſt Regnum Cœlorum theſauro* , ab Obſervatore Diacono in quotidiano tono, in Eccleſia Sancti Nazarii in majori tono. Finito Euangelio Clerici de Barzanone deferunt Archiepiſcopo Cereum unum ponderis unius libræ . Et Cicendelarius Ebdomadarius, & Obſervator porrigunt duo Candelabra accenſa, ſumpta a Cimiliarcha Subdiacono Ebdomadario , & Obſervatori indutis Albis . Poſt hos Archiepiſcopus habens virgam Paſtoralem in manibus , ad Ulmum incipit hanc Antiphonam excelſa voce : *Ad Dominum meum clamavi* . In Vigiliis Tranſlationis Sancti Victoris ad Veſperum finita Oratione poſt *Magnificat* Ordinarii procedunt ad Eccleſiam Sancti Naboris , & ſtatim poſtquam ſunt extra Eccleſiam, Cicendelarius Ebdomadarius tollit candelabra de manibus Subdiaconorum , & extinguit . In altera verò Eccleſia , ad Regias dat eadem accenſa . Et eodem modo fit in Tranſlatione Sancti Nazarii in Vigiliis . In altero die , ſonito ſigno , totus Clerus procedit ad Sanctum Victorem ad Ulmum , ubi Presbyter Obſervator facit Miſſam , & Lector legit Paſſionem incipiens ibi , ubi dicitur : *Poſt dies ſex* . Finito Euangelio Diaconus incipit Pſallendam uſque ad Sanctum Victorem ad Corpus , duobus Subdiaconis Ebdomadario & Obſervatore, indutis Albis , ferentibus duos cereos accenſos, porrectos a duobus Cicendelariis Obſervatore & Ebdomadario , ſumtos a Cimiliarcha . Et finito Euangelio , Cerei ſunt illorum , qui ferunt eos .

De Aſſumtione Sanctæ Mariæ .

IN Aſſumtione Sanctæ Mariæ Presbyter Obſervator canit Miſſam in Eccleſia Hyemali. Lector legit Lectionem Libri Sapientiæ : *In omnibus requiem* . Subdiaconus Ebdomadarius Epiſtolam, Obſervator Diaconus legit Euangelium : *Intravit Dominus in quoddam Caſtellum.* Finito Euangelio Archiepiſcopus cum toto Clero vadit ad Eccleſiam Sancti Simpliciani indutus , ſicut legitur . Finita Pſallentia in atrio E ejuſdem Eccleſiæ Presbyter Obſervator debet cantaſſe Miſſam uſque ad Epiſtolam ſuper Altare Sancti Johannis de Dedicatione minori . Poſt hæc ſtatim quum intrat Chorum Sancti Johannis , Puer Magiſtri Scholarum canit *Alleluja* cum verſu : *Templum Domini* . Obſervator Diaconus legit Euangelium: *Egreſſus Dominus Jeſus perambulabat Jerico*. Finito Euangelio procedit ad Altare Sancti Simpliciani . In primo Sabbato menſis Octubris , Ebdomadarii canunt Pſallendam in Eccleſia Hyemali , & in Pſallenda dicunt Orationes illas , quæ ſunt in ferialibus in Baptiſterio , incipientes ab illis , quæ ſunt in Dominicis diebus in Matutinis . Et

Nota-

Notarius canit primum Reſponſorium : *Tua eſt*. Poſtea Secundicerius canit ſecundum : *Domine miſerere nobis*. Et Presbyter, & Diaconus, & Subdiaconus canunt Miſſam ipſius diei; quod Officium fit pro Exaltatione Sanctæ Crucis, ſecundum Judicatum Tadonis ſapientis, quod inſtituit pro remedio animæ ſuæ. Item canunt Veſperum hujuſmodi in Hyemali Eccleſia, & dicunt Orationes, quæ ſunt in Exaltatione Sanctæ Crucis. Antiphonam in Choro ad Veſperum *Demoretur*. Hymnum; *Deus Creator omnium*. Reſponſorium : *Agnus Dei Chriſtus*. Verſum : *Chriſtus factus*. Antiphonam : *Crucem tuam*. Verſum : *Deus miſericors*. Antiphonam : *Adoramus Crucem*. Verſum : *Adhæſit pavimento anima mea. Laudamus te*. Pſallendam : *O Crux benedicta*. Finito Veſpero totus Chorus major honorifice debet habere fruges & vinum ab illo, qui tenet Judicatum de prædicto Tadone. In altero die, ſonito ſigno, omnes majoris Ordinis vadunt ad Sanctum Ambroſium ſine Proceſſione, Oſtiarius Ebdomadarius cum Cruce aurea, & Obſervator cum Cruce argentea, & unus minorum Cuſtodum portat Pluviale, & Presbyter indutus Pluviali. Diaconus Ebdomadarius incipit ibi Pſallendam uſque in Eccleſiam Æſtivam : *Septies in die. Domine, Deus virtutum. Extollite ſignum. Crucem tuam. Adoramus Crucem. Laudamus te, Chriſte*. Et Obſervatores faciunt Miſſam in Eccleſia Æſtiva de Dominica. Finito Euangelio Ebdomadarius vadit in Eccleſiam Hyemalem, & Oſtiarius Obſervator debet accendere uper Crucem quinque candelas, & Schola Sancti Ambroſii totidem. Pſallenda : *Sub tuam miſericordiam. Sub tuam protectionem. O Crux benedicta*. Ingreſſa : *O Crux illa*. Pſallenda : *Agnus Dei, Chriſte*. Epiſtola : *Hoc ſentite in vobis*. Verſus in *Alleluja*. *Venite, & audite*. Euangelium : *Factum eſt, quum hæc verba diceret Dominus Jeſus, extollens vocem quædam mulier de turba dixit*. Antiphona poſt Euangelium : *In manus tuas, Domine*. Offertorium : *Nos autem gloriari*. Confractorium : *Laudamus te*. Tranſitorium : *Sicut miſertus es*.

De Sabbato ante Dedicationem Majoris Eccleſiæ.

IN Sabbato ante Dedicationem Majoris Eccleſiæ finita Oratione in Baptiſterio Diaconus incipit : *Templum Domini*. Pſallenda uſque ad regias Hyemalis Eccleſiæ. Archiepiſcopus autem ibi quum ad illas pervenerit, ſtatim genua ante illas flectit, & Oſtiarius Ebdomadarius ſtat introrſum clauſis regiis. Similiter duo Oſtiarii Obſervatores ſtant in aliis duabus minoribus januis clauſis, & Oratione peracta Archiepiſcopus ſurgit, & pulſat virgâ ſuâ Paſtorali prædictas regias ſic dicendo: *Tollite portas principis veſtri, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*. Tunc prædictus Oſtiarius reſpondet : *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Archiepiſcopus reſpondet : *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio*. Et iterum percutit prædictas regias, & dicit : *Tollite portas principis veſtri, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*. Et Cuſtos reſpondet : *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Archiepiſcopus ſubjungit : *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ*. Et iterum percutit præfatas regias. Et ſtatim prædictus Cu-

A ſtos aperit, & ceteri ſimiliter. Et Primicerius Lectorum incipit hanc Pſallendam excelſa voce : *Intrate portas ejus*. Hac finita Primicerius Notariorum incipit ſequentibus ſuis : *Sicut erat*. Finito Veſpere Archiepiſcopus dat omnibus vinum & fruges honorifice. Et notandum quia duo minores Oſtiarii in hoc Sabbato debent portare Lectorium, & ſcabellum ejus de Eccleſia Æſtiva in Hyemalem. Similiter & faciunt in Sabbato Sancto ab Hyemali in Æſtivam. In altero die ſonito ſigno, congregato Clero in Eccleſia Æſtiva, Obſervatores faciunt ibi Miſſam de minori Dedicatione. Epiſtola : *Dei ſumus adjutores*. Verſus in *Alleluja. Templum Domini*. Euangelium : *Quum* B *intraſſet Dominus Jeſus Hieroſolymam, commota eſt univerſa Civitas, dicens*. Finito Euangelio Archiepiſcopus procedit in Eccleſiam Hyemalem cum toto Clero eodem modo, ſicut pergit de Hyemali in Æſtivam in die Reſurrectionis. Feriâ ſecundâ poſt Dedicationem Eccleſiæ inſtituit Dominus Olricus bonæ memoriæ Archiepiſcopus Commemorationem & Officium fieri omnium fidelium Defunctorum in Eccleſia Mediolanenſi pro animæ ſuæ remedio, quod hoc ordine celebratur. Finito itaque ſupradicti diei Matutino omnia tintinnabula Eccleſiæ pulſantur, & Matutinum Defunctorum publice cantatur. Simili etiam modo facto mane Miſſa ubique Defunctorum C tantum voce excelſa celebratur. His verò finitis, & ſonito ſigno, univerſus Clerus Urbis convenit in Eccleſiam Æſtivam cum Præſule ſuo, ut vadat cum Proceſſione in Eccleſiam Hyemalem. Pſallenda : *Dei genitrix. Sicut promiſiſti. Exſurge, libera. Aſcendant ad te. Chriſte, tuis. Miſerere nobis. Non eſt aliud. Ne obliviſcaris. Deus, qui conteris. Liberaſti. Sub tuam miſericordiam. Sub tuam protectionem. Rubum, quem*. Ingreſſa : *Requiem æternam. Te decet*. Item Lectio Libri Macchabæorum : *In diebus illis vir fortis*. Pſallenda : *De profundis*. Epiſtola : *Sicut portavimus*. Cantus : *Domine exaudi*. Euangelium : *Nemo poteſt venire*.

D

De Vigilia Natalis Domini.

IN Vigilia Natalis Domini quatuor Cicendelarii debent ſuſcipere de Camera Archiepiſcopi quatuor fuſalia lini, de quibus duo minores Cicendelarii debent facere duas lampadas : de reſiduis vero habent inter ſe ad opus lychnorum cicendelorum illorum, in quibus oleum ponitur de Camera Archiepiſcopi. Similiter etiam minor Cicendelarius habet duodecim Denarios de eadem Camera in opus plumbinorum, qui per totum annum ſunt neceſſarii in ſupradictis cicendelis. Et iidem Cicendelarii minores ponunt cicendelos per par- E tes Eccleſiæ, ſicut mos eſt, cum catenulis eorum ſumtis a Cimiliarcha, & ponunt vinum in phialis, & in groſſis cicendelis ſumtum de Camera prædicta. Et item oleum ponunt in prædictis cicendelis ſumtum de Camera eadem. Sed major Cicendelarius debet præparare & accendere maxime illos, qui ſunt politi in Chori corona. Alter verò præparat lucernam de oleo ſumto de Camera Domini Archiepiſcopi, ex qua Lectiones leguntur. Ideo minores præparant ferletos & phialas, ita ut Subdiaconi poſſint eas accendere in Matutinis. Poſtea omnes inſimul præparant ſtellam, & accendunt. Et notandum eſt, quod quatuor minores Le-

ctores

ctores legunt quatuor Lectiones ad Officium ante Miſſam. Et pueri Magiſtri Scholarum canunt Canticum & Pſalmellos, excepto *Tui ſunt Cœli*, in hac Vigilia, & *Benedictus* in Vigiliis Epiphaniæ, & iterum *Tui ſunt*, & *Benedictus* in Sabbato Pentecoſten, quos Lectores canunt juſſu Primicerii ſui. Finita majori, omnes duodecim Cuſtodes debent in domo prandere cum Archiepiſcopo; ſimiliter & in Vigilia Epiphaniæ. Horâ verò undecimâ Oſtiarius Ebdomadarius, & alii duo minores ſonant Diligentium juſſu Archiepiſcopi. Congregato Clero in Eccleſia Hyemali Diaconus incipit *Laudabilis laudabis* ante Altare. Clerus ſubſequitur; *Benedictus es, Domine*, totum. Tunc Ebdomadarius Cicendelarius dat thuribulum accenſum cum incenſo Subdiacono, & Subdiaconus Diacono. Diaconus verò adolet circa Altare. Finito *Benedictus es*, Archiepiſcopus vel Presbyter Ebdomadarius dicit hanc Orationem: *Vide, quæſumus, Domine*. Hac finita Capellanus Sancti Michaëlis in Domo repræſentat Archiepiſcopo duas cannellas cum totidem oblatis, Primicerio verò Decumanorum Denarios duos, quos Archiepiſcopus, aut Presbyter ponit ſuper Altare cum cannellis & oblatis, & dicit: *Requiem æternam dona ei, Domine, & lux perpetua luceat ei. Anima ejus requieſcat in pace. Amen*. Tunc Subdiaconus tollit thuribulum de manu Diaconi. Et ſtatim pergunt ad Eccleſiam Fontium, quæ dicitur Sancti Stephani, & ibi ante Altare ejus per omnia faciunt, ſicut fecerant ante Altare Sanctæ Mariæ. Dicunt hanc Orationem: *Ad aures*. Deinde ſtatim revertuntur in Secretarium. Et Cimiliarcha honorifice dat omnibus vinum, duobus minoribus Cuſtodibus eis propinantibus. Poſt hæc pergunt ad Sanctum Johannem, qui dicitur ad Fontes, & faciunt idem, & idem dicunt, cum hac Oratione: *Exaudi nos, miſericors Deus*. Poſtremo vadunt ad Sanctum Michaëlem in Domo, & dicunt hanc Orationem: *Os noſtrum, Domine, gaudio*, Subdiacono Ebdomadario ſemper præcedente eos cum thuribulo accenſo, & eunte ſuper cimiteria cum Septimanali Cicendelario, ac dicente: *Requiem æternam*. Et illo reſpondente: *Et lux perpetua luceat eis*. Reſpondet Subdiaconus: *Animæ iſtorum requieſcant in pace*. Et cannellæ, quæ ſunt ſuper Altare Sanctæ Mariæ, ſunt quatuor Cicendelariorum, Denarii verò Decumanorum. Et ſciendum eſt, quia hoc Diligentium eodem modo fit in Epiphania, & eodem ordine.

In ſero verò Subdiaconus Ebdomadarius dat vinum cum frugibus octo Cuſtodibus majoribus, & duobus minoribus Ebdomadariis, & ligna ad ignem per totam noctem, quantum ſufficiunt. Deinde dant eis prandium unum optimum, quando voluerint. Similiter Subdiaconus, cujus Ebdomada fuerit in Epiphania, faciet idem. Sonito ſigno Matutino, quatuor Cicendelarii accendunt inſimul Stellam, & major accendit coronam, quæ eſt in Choro. Incœpto Matutino, & *Benedictus es*, Cicendelarius porrigit duos cercos Rotulario Archiepiſcopi, & unam candelam accenſam. Et ille dat Archiepiſcopo cereos, ut accendat, illo Subdiacono tenente candelam, & Cuſtode tenente papyrum. Tunc ſtatim Archidiaconus ſumit cereos de manu Archiepiſcopi, prius oſculando manus ejus, deinde os, Archiepiſcopo dicente: *Puer natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis*, illo reſpondente *Deo gratias*.

A Et Cicendelarius Ebdomadarius ſuſcipit eos de manu Archidiaconi, & ponit ante Altare; & iſti per totam Ebdomadam ante Altare ad Matutinum; deinde feruntur in Cameram, unde exierant. Et poſtquam accenderit, ſtatim Archiepiſcopus donat poma citrina duo Archipresbytero, & duo Archidiacono, ſingula Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus, & Primicerio Subdiaconorum, & Primicerio Decumanorum, & Primicerio Notariorum, & Lectorum, & Magiſtro Scholarum Ebdomadario. Et quando hæc donat Archiepiſcopus dicit: *Puer natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis*. Et ipſi reſpondent: *Deo gratias*. Et oſculantur ſibi manus & os. Sciendum eſt,
B quia minimus Lector indicat primam turmam ad Matutinum, ſecundus ſecundam, tertius tertiam, quartus in Sancti Stephani, quintus in Sancti Johannis, ſextus in Natale Innocentum, ſeptimus in Sancti Jacobi, octavus in octava Domini. Nonus ſimiliter indicat in Epiphania ad Matutinum primam turmam, decimus ſecundam, ſummus Terminarius tertiam. Et illi Lectores, qui annuntiant ultimas Antiphonas in turmis, vadunt in Secretarium vocare eos, qui lecturi ſunt primam, & ipſi exeunt in ſingulis turmis, præcedente eos ſecundo Cicendelario cum lucerna accenſa uſque ad Ambonem. Et ibi deponit lucernam in apto loco, ut bene poſſit videri a le-
C gentibus, & ibi juxta moratur, ut eam præparet cum forcipibus ſuis, ut non impediat legentes. Nec prætereundum eſt, quod Subdiaconi duo viciſſim in ſingulis turmis cum lampadibus accendunt cicendelos, accenſis & porrectis a duobus minoribus Cicendelariis in Secretario. In prima turma accendunt ferletos, qui ſtant in parietibus, præcedentibus eos prædictis Cicendelariis, & oſtendentibus eis lychnum cum virga in ſingulis parietibus. In ſecunda turma accendunt phialas in parietibus eodem modo. In tertia turma phialas, quæ ſtant ante Chorum eodem modo. Et ibi ſtatim poſtquam ita accenderint, prædicti Cicendelarii tollunt lampadas de manibus illorum,
D præcedentes eos uſque in Secretarium, & ibi extinguunt eas in oleo ſumto de Camera Archiepiſcopi. Et hæc omnia agunt in Epiphania eodem ordine, excepto quia poma non dantur. Finito Matutino, Archiepiſcopus induitur Pontificali more ad canendum Miſſam cum Diacono & Subdiacono Ebdomadario in nocte, & Cimiliarcha debet eſſe Officiator Miſſæ. Ingreſſa: *Lætare nunc ſterilis*. Poſt Ingreſſam Archiepiſcopus ſalutat & dicit: *Gloria in excelſis Deo*. Poſt Orationem dictam Subdiaconus legit Epiſtolam in latere Altaris: *Poſtquam venit plenitudo*. Verſus in *Alleluja*: *Domine Deus meus*. Euangelium ſimiliter in latere Altaris in quotidiano tono: *Erat lux*
E *vera, quæ*. Antiphona poſt Euangelium: *Gaudeamus omnes*. Offertorium: *Spiritus Domini ſuper me*. Finita Oratione, ſuper ſindonem Cimiliarcha offert panem & vinum, ſicut Schola Sancti Ambroſii. Confractorium: *Quis eſt iſte, qui venit*. Tranſitorium: *Hic eſt Salvator, quem*. Sed finitâ Miſsâ, duo minores Cicendelarii extinguunt omnes cicendelos, quibus Archiepiſcopus oleum impendit, exceptis illis, qui neceſſarii ſunt in die. Mane ſonito ſigno, omnes Presbyteri, & Diaconi Cardinales induti Pluvialibus, vadunt ad Curiam Domni Archiepiſcopi. Et ille ſingillatim ſuſcipit eos dicendo: *Puer*

natus

natus eſt nobis, *& Filius datus eſt nobis*. Illi ſic reſpondent: *Deo gratias*, oſculantes ei manus, & os, demum reſidentes. Et hoc peracto videntibus cunctis, dat Vicecomiti Ferulam, & Chirothecas, & duas Chirothecas Oſtiario, qui eſt domeſticus Magiſter. Et ſimiliter dat Chirothecas, & unum bonum cereum illi, qui in ipſo die impoſiturus eſt menſæ ſuæ prius ferculum, ideſt Sodingam, quæ fertur à Sancti Ambroſii Abbate. Et hic eſt de cognatione Tazonis de Canobio. Et ſcito, quia hæc talis receptio, & talia dona ſimiliter fiunt in die Paſchæ, excepto quod in oſculo dicitur: *Chriſtus Dominus reſurrexit*.

Deinde cum iſtis omnibus deſcendit in Chorum ad canendam Tertiam. Finitâ Tertiâ vadit in Secretarium, & induit ſe ſacris veſtibus quaſi ad canendam Miſſam, cum Diaconis indutis Dalmaticis, & Subdiaconis indutis Albis, & cum omnibus Presbyteris Cardinalibus, & cum Primicerio Decumanorum & Lectorum, & Magiſtris Scholarum quatuor, omnibus indutis Pluvialibus. Et unus Diaconorum ponit Stolam ſuper Planetam. Illo verò induto, duo Diaconi per manus ducentes Archiepiſcopum circumdant, ex quibus primus à dextris eſt, qui incipit Pſallendam ſecundam, quæ fuit in Matutinis. Et canendo exeunt de Secretario, Subdiaconis præcedentibus uſque ad Altare cum thuribulis & candelabris accenſis, datis per manus quatuor Cicendelariorum. Et ſtatim Magiſter Scholarum dicit: *Gloria Patri*, reiterando cum Pueris ſuis prædictam Pſallendam. Et ſtatim prædictus Cuſtos pulſat Tertiam in Choro. Et Oſtiarius Ebdomadarius cum Oſtiariis Obſervatoribus perſonat in Campanili. Major Subdiaconus legit Lectionem in hac ſolemnitate, & in Epiphania, & in Dominica in caput Quadrageſimæ, & in Paſcha Reſurrectionis, & in Pentecoſten, & in Dedicatione majoris Eccleſiæ. Et dum hæc Lectio legitur, Obſervator Oſtiarius repræſentat Rotulario Archiepiſcopi duos cereos ſumtos de Camera ejus, & candelam unam accenſam, quos ponit in manibus Archiepiſcopi. Qui dum eos accendit, Rotularius tenet candelam ſuccenſam. Et ex altera parte prædictus Oſtiarius ſuſtinet papyrum. Et illis accenſis Archidiaconus ſumit eos de manibus Archiepiſcopi, & idem Cuſtos de manu Archidiaconi, & ponit ſuper Crucem, qui finitâ Miſsâ dantur Cimiliarchæ. Et hoc totum fit in hac Solemnitate, & in Epiphania, & in Reſurrectione, & in Pentecoſten, & in Dedicatione majoris Eccleſiæ. Et ſciendum eſt, quia in quinque his ſupra dictis Solemnitatibus Archiepiſcopus ſedet in Tribunali Eccleſiæ ad Miſſam Majorem ab initio Lectionis uſque ad melodias finitas. Et in ſupradictis Solemnitatibus minor Diaconus legit Epiſtolam, ſecundus canit *Alleluja*, tertius dicit: *Parcite fabulis*, ad cornu Altaris ante Euangelium. Archidiaconus legit Euangelium in majori tono, aliis Feſtis verò in quotidiano tono. Similiter in Sabbato Sancto, & in Ferialibus Paſchæ legitur in majori tono in Eccleſia Hyemali, in Æſtiva verò in quotidiano tono, excepto in Sabbato Sancto, quia legitur in majori tono in utriſque matris Eccleſiæ. Prævidendum eſt, quod in Epiphania poſt lectum Euangelium debet Diaconus, qui legit Euangelium in Pulpito, adnunciare Paſcha, Primicerio Lectorum apud eum ſtante, & ſibi indicante, ſic dicendo: *Noverit caritas veſtra*,

A *Fratres cariſſimi*, *quod annuente Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti miſericordiâ tali & tali die Paſcha Domini celebramus*. In eadem die Epiphaniæ ad Veſperum Archiepiſcopus induitur ſicut ad Miſſam canendam cum Diacono & Subdiacono indutis Albis & Dalmaticis, & cum omnibus Presbyteris Cardinalibus, & Primicerio Decumanorum, & Lectorum, & Magiſtro Scholarum, qui tenet Ebdomadam, veſtitis cum Pluvialibus. Et exeunt taliter de Secretario, præcedentibus Subdiaconis cum thuribulis & candelabris uſque in Chorum. Et ibi ad ſtadium ſuum incipit Veſperum, ſicut mos eſt, Subdiaconis ſtantibus poſt Altare, & Diaconis ad cornu Altaris.

B Tunc Primicerius Lectorum paululum ſemotus à loco ſuo infra Chorum incipit Antiphonam in Choro, Lectoribus circumſtantibus in modum coronæ, ipſo meditante manu & voce deſcenſionem Antiphonæ & aſcenſionem. Simili modo finitâ Antiphonâ Magiſter Scholarum viciſſim cantat eamdem cum Pueris ſuis, meditando ſuper ab altera parte Chori. Deinde Primicerius intonat eamdem cum *Gloria*. Poſtremo Magiſter ſimiliter cum *Sicut erat*. Hac Antiphonâ finitâ ſalutat Archiepiſcopus, & Magiſter pergit in medium Chori cum Pueris ſuis ad canendum Hymnum viciſſim cum Choro, & reſpondendo cum meditatione de *Perveniamus*. Interea Archiepiſcopus exuit ſe

C ſacris veſtibus ſuis, & induit ſe Pluviali. Et Diaconi revertuntur in Secretarium, antecedentibus Subdiaconis cum thuribulis, & exuunt ſe veſtibus ſuis, excepto Subdiacono Ebdomadario, qui manet veſtitus ad deferendum incenſum poſt Reſponſorium, & in *Magnificat*, candelabra accenſa. Sed Diaconi revertuntur in Chorum induti Pluvialibus. Finito Veſpere habere debet totus Chorus vinum & fruges cum Archiepiſcopo.

De Purificatione Sanctæ Mariæ.

IN Vigilia Purificationis Sanctæ Mariæ, Archiepiſcopus hoc modo dat candelas, Archipresbytero quatuor, Archidiacono quatuor;

D Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus, & Primicerio Subdiaconorum, & Notariorum, & Primicerio Lectorum, & Magiſtris Scholarum binas; Subdiaconis, Notariis, Lectoribus, Cuſtodibus, Veglonibus maribus & feminis, ſingulas. Sed duobus majoribus Cuſtodibus, & majori Veglonum & Vetularum dantur binæ. Pro Cruce aurea ſeptem. Pro Cruce argentea ſeptem. Pro Cruce Vetulorum quinque. Altero die ſonito ſigno Pontifex cum Clero ſine Proceſſione vadit ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ, quæ dicitur de Bertrade. Et duo minores Presbyteri Decumanorum, qui fecerant Baptiſmum in Sabbato Sancto, portant

E Ideam ad prædictam Eccleſiam cum ſcala. Et Legatus Primicerii quærit duas corrigias, quas ponat in Idea, & liget ſuper ſcalam. Et Presbyteri illius Eccleſiæ præparant librum, & aquam, & incenſum cum thuribulo, cum quibus benedicit candelas, & benedictis candelis Archiepiſcopus dat candelas quamplures Primicerio Decumanorum, quas ille iterum dat Sacerdotibus ſuis. Et omnis Clerus accendit cannelas. Archiepiſcopus verò incipit Pſallendam dicendo: *Dominus vobiſcum*, & Diaconus Ebdomadarius incipit Pſallentiam. Prima Crux Vetulorum præcedit omnes cum cannelis quinque ſurſum accenſis, & Oſtiarius Obſer-

ſervator ſimiliter portat Crucem ante Primicerium Decumanorum cum ſeptem cannelis accenſis . Et Septimanarius Oſtiarius portat Crucem auream ante Sacerdotes & Levitas . Et duo Presbyteri , quos prædiximus, induti Planetis portant Ideam poſt Lectores uſque ad Eccleſiam Hyemalem , & tertius & quartus Obſervator Oſtiarius ſonant tintinnabula . Dominicâ in caput Quadrageſimæ ad Miſſam majorem quatuor Pueri canunt *Alleluja* in Pulpito bis ante verſum , & Chorus ſimiliter . Completo verſu Lectores dicunt *Alleluja* duo de *Sanctorum* . Poſtea quatuor infantes cantant melodias de *Sanctorum* in gradu , & in Choro *Alleluja* . In eodem die ad Veſperas Archiepiſcopus induit ſe cum ceteris Ordinibus, ſicut legitur in Epiphania , & agitur ad Veſperum. Primâ Ebdomadâ poſt cantatum quinquageſimum Pſalmum, dicit Presbyter : *Dominus vobiſcum* . Item Diaconus dicit leni voce: *Procedant Competentes* , ſimplum , in alia Ebdomada duplum . Item Oſtiarius Ebdomadarius ad regiam : *Ne quis Cathecumenus* , ad Veſperam ſimiliter . Dominicâ de Samaritana poſt Euangelium lectum dicit Diaconus : *Qui vult nomina ſua dare , jam offerat* . Sabbato primo poſt Scrutinium dicit Presbyter Ebdomadarius ad Altare: *Dominus vobiſcum*. Item dicit Diaconus excelſa voce ad cornu Altaris: *Superius vos Fideles , Orate, Competentes, cervicem flectite* . Tunc infantes admoniti ab Acolythis , ut caput inclinent . Rurſus dicit Diaconus excelſa voce : *Erigite vos ad Dominum . Pariter date Deo honorem* . Et reſpondent Clerici : *Amen*. Et dicit Diaconus excelſa voce: *Humiliate vos ad benedictionem* . Dicta benedictione rurſus dicit Diaconus excelſa voce : *Procedant Competentes* , & reſpondent Acolythi ſimiliter. Tunc egredientur foras . Ita eo ordine faciendum eſt per ſingula ſcrutinia, & in Dominicis diebus poſt Euangelium lectum uſque in Dominica in Ramis Palmarum . Item in alia ebdomada per ſingulas ferias ad Matutinum , vel ad Veſperum dicit Diaconus leni voce : *Procedant Cathecumeni* ſimplum , in alia ebdomada duplum : *Procedant Cathecumeni. Cathecumeni procedant* . Et reſpondent Acolythi de foris cancellis ſimiliter . Item feriâ ſextâ per ſingulas Lectiones , & Dominicis diebus per ſingulas Orationes vociferantur Oſtiarii tribus vicibus: *Ne quis Cathecumenus* per ſingulas regias . Tranſactâ mediâ Quadrageſimâ addunt prædicti Oſtiarii ; *Ne quis Cathecumenus . Ne quis* &c. uſque in Ramis Palmarum. In primo die Quadrageſimæ Archiepiſcopus cum toto Clero vadit ad Eccleſiam Sancti Ambroſii cum Proceſſione , cantando Antiphonas & Reſponſoria cum ſuis verſibus primi diei Letaniarum; & faciunt Letanias in Eccleſia Sancti Georgii. Finito Reſponſorio in Eccleſia Sancti Ambroſii : *Rogamus te , Domine* , Archiepiſcopus ſalutat . Et Diaconus incipit , *uſque in Vita mea* . Et vadunt ſuper Sepulcrum Domni Jordanis Archiepiſcopi , & ibi faciunt Officium , ſicut mos eſt . Pro quo Officio totus Clerus hujus Urbis habet conditium . Poſtea Chorus majoris Eccleſiæ revertitur in Eccleſiam Hyemalem cum ſupradicto Pſallentio .

De Dominica de Samaritana .

DOminicâ de Samaritana , ſonito ſigno , Oſtiarius Ebdomadarius debet quærere vaſculum à Cimiliarcha , & debet implere

A aquâ . Et Presbyter Obſervator ſanctificet ipſam aquam . Et Tertiâ incœptâ Oſtiarius prædictus portat prædictam aquam ad ſtadium Archiepiſcopi , & Presbyter porrigit aſpergitorium in manum Archiepiſcopi , & Archiepiſcopus aſpergit aquam circa Altare tantum . Deinde Presbyter accipit aſpergitorium de manu Archiepiſcopi , & ipſe aſpergit circa Chorum, & per totam Eccleſiam ad Populum. Et Cuſtos Ebdomadarius , qui vocatur de foris , tenet Pluviale collectum retro , ne madeat . Expleta verò Tertiâ , Archiepiſcopus vadit in Secretarium , ut paret ſe ad Miſſam cum tribus Diaconis, & quinque Subdiaconis. Diaconus Ebdomadarius legit Euangelium . B Obſervator facit Letanias . Per verò Diaconus dicit : *Parcite fabulis* . Subdiaconus verò Ebdomadarius legit Epiſtolam , & portat, & tenet cereum accenſum cum thuribulo . Alius item Obſervator portat rotulum ad Letanias faciendum. Alii portant candelabra . Item Tertiâ finitâ , Lector aſcendit pulpitum , & legit Sermonem Sancti Ambroſii ad exhortandam Plebem , donec Archiepiſcopus accedit ad Altare . Et in Dominica de Abraham , & de Cœco , & de Lazaro ſimiliter . Et hoc facto Subdiaconus ponit rotulum ſuper Altare , & Archiepiſcopus porrigit illum Diacono ad Letanias faciendas , quem ille ſumens oſculatur manus ejus . Et ſciendum , quia ſi Archiepi- C ſcopus adfuerit , Presbyter , cujus ebdomada eſt , benedicit aquam , & portat aſpergendo circa Chorum , ſicut jam ſupra dictum eſt. Si autem defuerit , Obſervator facit hoc ipſum , & Obſervator Oſtiarius ſonat ſecundam . Ad Tertiam verò ſonandam Ebdomadarius & omnes Obſervatores ſonant .

De Scrutinio primo , ſecundo , & tertio .

IN Sabbato ſecundo de Quadrageſima duo minores Cuſtodes Septimanarii, qui vocantur de foris , debent quærere Cilicium ab Archiepiſcopo , & debent portare in medio Eccleſiæ , & facere Chriſmon ſuper illud decur- D rere ; & duo Cuſtodes minores, qui vocantur de foris , debent cuſtodire Eccleſiam , quando myſterium agitur. Et in Sabbato uſque ad horam , qua Diaconus interrogat Subdiaconum , ad oſtium Eccleſiæ de fide puerorum , & in Dominicis diebus uſque ad Euangelium lectum. In eodem Sabbato finita majore Miſſa Presbyter , qui Miſſam cantavit , vadit ubi cinis eſt cilicio aſperſus , & benedicit Cinerem : *Exorcizo te , Cinis* . Tunc vadunt duo Subdiaconi cum Diacono Ebdomadario ad oſtium Eccleſiæ , ubi pueri ſtant . Subdiaconi de foris , & Diaconi de intus . Tunc Diaconus interrogat Subdiaconos dicens: *Quid petunt*? Reſpondent: *Fidem*. Interrogat: *Merentur a parentibus ſuis*? E Reſpondent: *Merentur* . Item interrogat: *Abrenunciant Diabolo , & pompis ejus* ? Reſpondent : *Abrenunciant* . Et Diaconus dicit : *Memores eſtote verborum veſtrorum , ut a vobis numquam abſcedant* . Reſpondent : *Memores erimus* . Tunc vadunt ad oſtium , ubi puellæ ſtant , & ſimiliter dicit , Primicerio Lectorum ſemper indicante . Omnes pariter maſculi & feminæ intrant in Eccleſiam , & vadunt ubi Chriſmon eſt . Et ſtant ex una parte maſculi , ex altera parte feminæ , maſculi a Meridie , & feminæ ab Aquilone . Tunc ordinantur a Lectore circa figuram Chriſmon in modum coronæ. A tribus autem figuræ lateribus unus

Car-

Cardinalis, & duo Decumani Presbyteri parati veniunt, ubi Chriſmon eſt, & unanimiter dicunt: *Pater noſter*. Finita Oratione exſufflant in modum Crucis, & dicunt: *Exſufflo te, Cinis, cilicio aſperſus, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*. Deinde hi & alii, qui ſunt ingreſſuri, orant extra coronam ante Altare, dicentes: *Confitemini Domino*. Facta Confeſſione & abſolutione, ſtatim incipiunt: *Pater noſter*, & *Credo in Deum*. Deinde: *Omnipotens Domine*, *Verbum Dei*, uſque ad *ſecurus aggrediar*. Statim major Presbyter tollit Librum Euangeliorum, & deoſculatur illum, & defert in circuitu puerorum, ſignando ſemper, & dicendo exorciſmum Sancti Ambroſii: *Adjuro te*, præcedente eos Notario, porrigente Librum, intrando & ſuſcipiente exeundo. Et ceteri Presbyteri ſequuntur, & duo ex ipſis Presbyteris, aut tres ex ſingulis partibus faciunt ſignum Crucis in frontibus puerorum tribus aut quatuor, & dicunt: *Signo te ſigno Crucis, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen*. Tunc tres Diaconi, Lectore præcedente, & totidem Subdiaconi induti Albis, vadunt de foris circuitum puerorum, ſimiliter ſignando & dicendo ſemper exorciſmum Sancti Ambroſii. In primo Scrutinio ſignat Ebdomadarius Sacerdos cum tribus Levitis Cardinalibus, & tribus Subdiaconis, cum ſex Presbyteris centeni numeri tribus vicibus. In ſecundo totidem Ordinarii cum Presbyteris duodecim ſex vicibus. In tertio Archiepiſcopus cum Primicerio Presbyterorum cum omnibus Presbyteris & Diaconis Cardinalibus, cum omnibus Subdiaconis, & cum centenis Presbyteris novem vicibus. Finito ſignaculo Competentes vadunt ante Altare extra cancellos, & Presbyter Ebdomadarius retro Altare dicit: *Dominus vobiſcum*. Et reſpondent Clerici omnes: *Et cum ſpiritu tuo*. Et Diaconus ad cornu Altaris dicit excelſa voce: *Superius vos, Fideles. Orate, Competentes. Cervicem flectite. Erigite vos ad Dominum, & pariter date Deo honorem*. Et omnis Chorus: *Amen*. Et dicit Diaconus: *Humiliate vos ad benedictionem*. Tunc admonendi ſunt Cathecumeni ab Acolythis, ut caput inclinent. Tunc Presbyter dicit Orationem: *Exaudi Domine ſupplicationem*. Dicta Oratione dicit Diaconus excelſa voce: *Procedant Competentes*. Et duo Acolythi ex utraque parte Altaris dicunt ſimiliter: *Procedant Competentes*. His omnibus peractis, pueri procedunt, & Subdiaconus exit de Secretario cum candelabris accenſis, & Veſpere incipitur. In omni ſcrutinio minor Notarius procedit cum virga Presbyterum Cardinalem vel Pontificem cum Presbyteris Decumanis, præparando iter circa Chriſmon, ita ut minor Notarius incipiat præire in priori ſignaculo ter, in ſecundo minor Notarius, & ſecundus ſex vicibus, in tertio minor Notarius, & ſecundus & tertius novem vicibus. Similiter Lectores præcedunt Diaconum, & Subdiaconi incipientes ab ultimo eodem modo.

De Sabbato de Lazaro.

IN Sabbato de Lazaro omnes pueri maſculi & feminæ ſunt ſcribendi. Et poſt interrogationem Diaconi duo Presbyteri cum camiſio & orario ſtant ad oſtia, ubi Cathecumeni ſunt intraturi, & duo Oſtiarii minores tenent oleum ſanctificatum, & perungunt pueros in pectore, & dicunt: *Ego te linio oleo ſalutis in Chriſto Jeſu Domino noſtro in vitam æternam*. Tunc ſignandi ſunt infantes, ut mos eſt. Archiepiſcopus, & omnes Presbyteri Cardinales, & Primicerius Presbyterorum cum centenis Presbyteris Decumanis debent ſignare, præcedentibus eos tribus minoribus Notariis. Et omnes Diaconi & Subdiaconi extra ſimiliter debent ſignare, præcedentibus eos tribus minoribus Lectoribus.

De traditione Symboli.

SCiendum eſt, quia in traditione Symboli omnia tintinnabula ſunt ſonanda finitâ Miſsâ, & cuncta oſtia claudenda. Tamen nullus expellendus, niſi Cathecumeni. Et Presbyter Ebdomadarius cum orario & cappa retro Altare ſalutat, & Diaconi per ordinem cum orario dicunt has voces: *Si quis Cathecumenus, procedat. Si quis Judæus, procedat. Si quis Paganus, procedat. Si quis Hæreticus, procedat. Cujus cura non eſt, procedat*. Et Acolythi ſemper ſimiliter. Et Diaconi antequam dicant has voces, & poſtea per ſingulas vices oſculentur Altare. His dictis cantatur: *Venite filii*. Deinde Archiepiſcopus vadit in Secretarium ad ſe parandum, nec non Primicerius cum ejus Lectoribus, induunt ſe Planetis, & veniunt tollere licentiam ab Archiepiſcopo ad aperiendas januas pueris, & pergendo orant in tribus locis, ſemel in Choro, deinde juxta gradum, tertio juxta regias. Et tunc aperient valvas pueris & dicunt: *Ingredimini filii in domum Domini. Audite patrem veſtrum docentem vos viam ſcientiæ*. Et revertendo ſimiliter orant in tribus locis; & ſemper portat Primicerius tabulas & columna virgulta intus cum foliis. Tunc incipit Symbolum Archiepiſcopus, præparato ſibi ſtadio in tribunali; qui ſi defuerit, Presbyter Ebdomadarius idem recitat paratus ad Altare, & converſus ad Occidentem, & dicit: *Regenerandis* in majore tono Euangeliorum. Sequitur: *Signate vos, & audite Symbolum. Credo in Deum Patrem omnipotentem*. Et ſic totum cantetur. Item: *Signate vos, & audite Symbolum. Credo in Deum. Signate vos, & audite Symbolum. Credo in Deum*. Et ſemper Acolythi debent admonere mulieres, ut ſignent pueros in frontibus per ſingulas vices. Finito *Credo in Deum Patrem* hoc modo tribus vicibus, tunc debet dici *Credo in Deum*, in quotidiano tono Euangeliorum, & Tractatum ejuſdem in majori tono Euangeliorum. Finito textu & tractatu, tunc Archiepiſcopus dicit excelſa voce: *Accepiſtis dilectiſſimi Symbolum* in majori tono Euangeliorum. Tradito Symbolo Archiepiſcopus vel Presbyter Ebdomadarius & Diaconus & duo Cuſtodes Ebdomadarii dicunt ea, quæ dixerunt in ceteris diebus Sabbatorum. Archiepiſcopus autem deſcendit de tribunali ad Altare. Vel ſi defuerit, Sacerdos Ebdomadarius idem recitat. Converſus ad Orientem dicit: *Dominus vobiſcum*. Lector autem Clavicularius, cujus ebdomada eſt, aſcendit gradum, ut cantet Lucernarium: *Quoniam tu illuminas*. Et reſpondet Chorus: *Et cum ſpiritu tuo*. Sabbato in ramis Olivarum Archiepiſcopus dat palmas omnibus Ordinibus Eccleſiæ majoris hoc modo. Archipresbytero magnum ramum Palmæ, ex quo tribuit ceteris Presbyteris ſibi ſubjectis. Archidiacono ſimiliter unum, ex quo ille dat Diaconis ſuis. Pri-

A Primicerio Subdiaconorum unum , ex quo tribuit ſubditis ſuis . Primicerio Notariorum unum , ex quo dat ille ſuis . Item Notario , qui eſt domeſticus Magiſter , unum , ex quo ille ornat chryſtallinam Crucem . Primicerio Lectorum unum . Lectoribus; Cuſtodibus verò , & Veglonibus & Veglanis ſingula folia . Sed duobus Cuſtodibus majoribus , & duobus Veglonibus majoribus duo folia per ſingulos . Primicerio Presbyterorum in immenſum ramum unum, ex quo dat omnibus ſibi ſubjectis. Sed in mane ad Sanctum Laurentium debet Archiepiſcopus habere multas olivas , ex quibus det omnibus illas petentibus .

B *Expoſitio Exceptati .*

Beatitudinem & felicitatem Sanctorum exſpectans , & præmium futurum , & non moriturum ſperans , ſtatui ordinem Exceptati Officii tam de Pſalmis cum Antiphonis, quàm de Homeliis , & de Veſperis , & Matutinis , & Miſſis Dominicalibus , ſeu Pſalterio , ubi incipiatur poſt Epiphaniam , hactenus a multis dubitatum , ſecundùm morem & inſtitutionem Mediolanenſis Eccleſiæ poſteris per futurum compendioſe perſtringere , & evidenter patefacere . Igitur primi diei ordinem incipiamus. Dies Nativitatis Domini ſi venerit in die Dominico, Matutina & Veſperæ Dominicales in
C quinta Ebdomada debent cantari, & in ſecunda Feria ſextæ ſeptimanæ Homelia : *Fuit Johannes in deſerto* , legi . In tertia autem & quarta & quinta & ſexta Sermones conſequuntur ; in Sabbato *Chriſti generatio* . In ſexta Feria quintæ ebdomadæ legitur *Magnificat* . In Sabbato : *Exſurgens Maria* . In Dominico *Miſſus eſt* . Ad Miſſam verò in Eccleſia Hyemali Euangelium : *Exſurgens Maria* , ad feſtum quidem *Miſſus eſt* . In ſexta Ebdomada Miſſæ Dominicales , & Matutina , & Veſperæ de Exceptato , ſicut fit in Manuali . Et Letaniæ in eadem Ebdomada fient tribus diebus . Si Pſalterium finitur in quinta Ebdomada , Pſalmi cum Antiphonis in ſexta Ebdomada dicentur, & dividentur hoc modo.
D In ſecunda Feria quatuor . In tertia ſimiliter quatuor . In quarta quinque . In quinta etiam quinque . In ſexta *Domine exaudi* , & tres *Confitemini* . In Sabbato verò *Cantemus Domino glorioſe* , & *Beati immaculati* , ſicut in ceteris diebus Sabbati . Si autem Pſalterium perficietur in ſexta Septimana , & Ebdomadæ ab Epiphania uſque ad ramos Palmarum ſunt pares , Pſalterium incipietur in quinta Ebdomada cum Antiphonis Exceptati , ſicut ſunt in ſuis Pſalmis , & ſic perficietur in ſexta Ebdomada . Et ſi Ebdomadæ ab Epiphania uſque ad ramos Palmarum ſunt diſpares , in ſexta Ebdomada dicatur de Exceptato, & dividatur, ſicut ſupra legitur. Item etiam videndum eſt,
E quod ſi Ebdomadæ poſt Epiphaniam uſque ad ramos Olivarum ſunt æquales , ſequenti Ebdomada poſt feſtum Epiphaniorum incipiatur. Si verò non æquales fuerint , inchoatur *Annunciate Deo* . Hoc autem ſciendum eſt, quia quotiens Nativitas eſt in die Dominico , ſemper oportet Dominicam poſt Natalem celebrari poſt Epiphaniam . Ego autem propoſitum non prætermittens opus , ſecundi diei curſum Officii proſequens , ſic incipit . Si Nativitatis dies Domini evenerit in ſecunda Feria , in quinta Ebdomada Matutina & Veſperæ Dominicorum cantabuntur . Sed in ſecunda Feria illius Ebdomadæ , quæ eſt ante Nativitatem legetur Homelia : *Fuit Johannes* ; in tertia & quarta & quinta & ſexta & ſeptima Sermones , qui ſequuntur . In ſexta Feria quintæ Ebdomadæ legitur *Magnificat* ; in Sabbato *Exſurgens Maria*, in Dominica *Miſſus eſt*. Ad Miſſam verò in Eccleſia Hyemali Euangelium *Exſurgens Maria* , ad feſtum autem *Miſſus eſt* . In ſexta Ebdomada Letaniæ ſecundâ & tertiâ & quartâ Feriâ celebrabuntur . In eadem denique Ebdomada Miſſæ Dominicales cantentur . Matutina & Veſperæ Exceptati fient , ſicut in Manuali , excepto die Sabbati, quando Dominici præteriti Officia celebrantur. Si autem Pſalterium finitum fuerit in quinta Ebdomada , debent Pſalmi dici cum Antiphonis in ſexta Ebdomada , & ita dividi . In ſecunda Feria quatuor , in tertia quatuor , in quarta quinque , in quinta quinque , in ſexta *Domine exaudi* , & duo *Confitemini* . In Sabbato *Cantemus* cum *Beati immaculati* . Si autem finem fecerit Pſalterium in ſexta Ebdomada , & Ebdomadæ ab Epiphania uſque ad ramos Olivarum ſunt pares, dicetur quæque Antiphona in ſuo Pſalmo incipiendo a primo Pſalmo Pſalterii uſque in finem . Et ſi Ebdomadæ ab Epiphania uſque ad ramos Olivarum ſunt diſpares , in ſupradicta Ebdomada dicatur de Exceptato , & dividatur , ſicut ſupra legitur . In Sabbato ante Natalem Domini celebrabitur Officium , videlicet Lectiones cum Pſalmellis . Miſſa verò & Euangelium de præterito die Dominico cantatur : *Qui regis*. Veſperæ quoque fient præteriti Dominici diei . Matutinum verò de Vigiliis Natalis Domini . Sed ſi quid deſuerit , ſuppleatur de præterito Dominico : *Gloria in excelſis Deo* , & Hymnum plane : *Splendor paternæ* . Ad Miſſam verò Ingreſſa : *Credite* . Pſallenda : *Prope eſt*. Verſus in *Alleluja* : *Venite* . Euangelium : *Chriſti generatio* , in quotidiano tono . Antiphona poſt Euangelium , & Offertorium , & Confractorium , & Tranſitorium de præterito Dominico. Ad Veſperas Antiphona in Choro: *Hieruſalem ſurge , ſta* . Reſponſorium & Pſallenda de Vigilia Natalis Domini , & Oratio ſimiliter . Pſalmi verò diei Dominici tranſacti. Notandum eſt , quod ſi Ebdomadæ poſt Ephiphaniam uſque ad ramos Olivarum numero ſunt æquales , Pſalterium incipietur poſt feſtum Epiphaniæ . Si non ſunt pares , ſumet initium *Annunciate Deo* . Scitote etiam , feſtum Sanctæ Mariæ fieri in ſecunda Dominica ante Nativitatem Domini .

Recolendo ſuperiora , & addendo , dicamus de die tertio . Si contigerit , Nativitatem Domini in tertia Feria venire , Matutina , & Veſperæ Dominicorum dierum cantentur in ebdomada , quæ eſt ante quintam Dominicam . In ſecunda Feria , quæ eſt ante feſtum Beatæ Mariæ legatur Homilia : *Fuit Johannes in deſerto* . In tertia , quarta , & quinta Feria Sermones , qui ſequuntur . In ſexta verò *Magnificat* . In Sabbato : *Exſurgens Maria* . In die Dominico *Miſſus eſt* . In ebdomada , quæ eſt ante feſtum Sanctæ Mariæ , Miſſæ Dominicales cantentur . Matutina verò & Veſperæ de Exceptato ſimiliter , ſicut in Manuali habetur , cantentur , excepto Sabbato , quando canitur de præterito die Dominico . In eadem etiam ſeptimana Letaniæ fiant per tres dies ſupraſcriptos . Si autem Pſalterium finitur in ſexta Feria , quæ eſt ante Dominicam quintam in ebdomada , quæ fit ante feſtivitatem Beatæ

Mariæ ,

Mariæ , dicantur Pſalmi cum Antiphonis , & dividantur ſic . In ſecunda Feria tres , in quarta quatuor , in quinta quatuor , in ſexta quatuor , in die Sabbati *Cantemus* , & *Beati immaculati* . In Vigilia Natalis Domini *Domine exaudi* , & tres *Confitemini* . Si verò Pſalterium finitur ante feſtum Sanctæ Mariæ, & ebdomadæ ab Epiphania uſque ad ramos Olivarum ſunt pares , quæque Antiphona dicatur in ſuo Pſalmo a *Beatus vir*, uſque ad finem Pſalterii . *Domine exaudi* dicetur cum tribus *Confitemini* cum ſuis Antiphonis in Vigilia Natalis Domini , in qua Vigilia totum Officjum dicitur ; ſicut habetur in Libro Manuali . Et ſi ebdomadæ ab Epiphania uſque ad ramos Olivarum ſunt diſpares, in ſupradicta ebdomada dicatur de Exceptato , & dividatur , ſicut ſupra legitur . Notandum denique eſt , quia ſi ebdomadæ ab Epiphania uſque ad Ramos ſunt numero pares , altero die poſt Epiphaniorum diem incipiatur Liber Pſalmorum . Si autem ſunt diſpares , incipiatur *Annunciate Deo* . Omiſſis ac deſcriptis tribus ordinibus dierum , quartæ lucis ſermonem adoriamur . Quandocumque dies Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti acciderit in die Mercurii , Matutina , & Miſſæ , & Veſperæ Dominicales cantentur in ebdomada , quæ eſt ante ſextam Dominicam . Et in die Lunæ , quæ eſt ante feſtum Virginis Mariæ , legatur : *Fuit Johannes in deſerto* . In tertia & quarta & quinta & ſexta Feria Sermones , qui ſequuntur , & in eadem ebdomada legetur *Magnificat*. In Sabbato *Exſurgens Maria* . Ad feſtum verò *Miſſus eſt* , & Letaniæ in eadem celebrentur ſeptimana . Si autem Liber Pſalmorum finierit in ſexta Feria , quæ eſt ante quintam Dominicam , incipiatur Pſalterium in ebdomada , quæ eſt ante feſtum Sanctæ Mariæ . Et debet dici unaquæque Antiphona in ſuo Pſalmo uſque *Annunciate Deo* . Aliæ verò , quæ remanent , dividantur in ſecunda & tertia Feria poſt feſtivitatem Beatæ Mariæ Annunciationis . In Sabbato ante Annunciationem cantetur *Cantemus* cum *Beati immaculati* . Si autem Pſalterium finitum fuerit in ſeptimana , quæ eſt ante Annunciationem , & ebdomadæ ab Epiphania uſque ad ramos Olivarum ſunt pares , debet quæque Antiphona dici in ſuo Pſalmo , incipiendo a *Beatus vir* , uſque ad finem Pſalterii . *Domine exaudi* cum tribus *Confitemini* in Vigilia Natalis Domini . Et ſi ebdomadæ ab Epiphania uſque ad ramos Olivarum ſunt diſpares, in ſupradicta ebdomada dicatur & dividatur , ſicut ſupra legitur. Si verò ebdomadæ ſunt pares ab Epiphania uſque ad Palmas, & Pſalterium finitur ante Annunciationem, in ſecunda Feria poſt Annunciationem incipiatur a *Beatus vir*. Poſt Epiphaniam verò initietur *Diligam te* . Sin veniunt æquales, dicetur in eadem Feria *Annunciate Deo*. Si Pſalterium finitur ante Annunciationem,& poſt Epiphaniam, *Deus judicium tuum* , & ſimiliter in eadem feria dicentur Reſponſoria cum Antiphonis , quæ ſunt in *Miſerere mei , Deus* , & in *Laudate*, & in Baptiſterio de Exceptato . Et ad Veſperam ſimiliter, & Miſſa , quæ canitur in Eccleſia Hyemali in tranſacto die Dominico . Notandum etiam , quia quotieſcumque Nativitas Domini fuerit in die Mercurii , neceſſe eſt , Dominicam poſt Natalem Domini celebrari in ſequenti Dominica , quæ venit poſt feſtivitatem Sancti Jacobi. Sciendum eſt , quod ſi ſolemnitas Epiphaniæ venerit in ſecunda Feria , oportet antecedente Sabbato celebrare Officia in ſexta hora , videlicet Le-

A ctiones cum Pſallendis & Miſſa de Vigilia Epiphaniæ tantum in decima hora. Veſperum de Feſtivitate Sancti Jacobi . In altera die , videlicet die Dominico ; Matutinum & Miſſæ & Veſperum de prima Dominica poſt Natalem Domini. Veſperum finitum ſtatim ſequitur Veſperum de Vigilia Epiphaniæ tantum, & Antiphona in Choro : *Hieruſalem ſurge* , & Pſallenda: *Virgo Verbum* .

Locuti , ſicut Dominus dedit, de quarti diei Officio , ad quintum , ſicut idem Dominus adminiſtraverit , tranſeamus. Quum voluerit Deus Nativitatis ſuæ diem in quintam feriam venire, Matutina & Veſperæ & Miſſæ Dominicorum dierum cantentur in Ebdomada , quæ eſt ante celebritatem Beatæ Dei Genitricis Mariæ . Et B in ſecunda feria in eadem Septimana legantur Homeliæ : *Fuit Joannes in deſerto* . In tertia verò , & quarta , & quinta Sermones, qui ſequuntur , exceptis duobus, qui legentur in ſecunda & tertia Feria poſt feſtum Sanctæ Mariæ . In Sexta verò ſupra dicta Ebdomada ante feſtum Sanctæ Mariæ legetur *Magnificat* . In Sabbato *Exſurgens Maria*. In die Dominico *Miſſus eſt* . Ad Miſſam verò in Hyemali Eccleſia *Exſurgens Maria*. Ad feſtum quidem *Miſſus eſt*. In ſecunda, & tertia , & quarta feria ante Natalem Domini, Matutina , & Veſperæ de Exceptato. Pſalmi & Antiphonæ dividantur in tres partes , & C Miſſa præteriti Dominici diei , quæ canitur in Eccleſia Hyemali , cantetur , & Letaniæ fiant. Si Pſalterium fuerit perfectum in ſexta Feria ante Sanctam Mariam, vel dimidiatum, & ebdomadæ ſunt æquales uſque ad Palmas cum ebdomada , in qua eſt Epiphania , alia die poſt Epiphaniam incipiatur *Beati quorum* . Sin autem , incipiatur *Adverſus ſtetit* . Debita perſolventes promiſſa, ſexti diei ordinationem percurramus . Quando Nativitatis dies Domini in ſexta Feria venerit , debent cantari Matutina & Miſſa & Veſperæ Dominicales in ebdomada, quæ eſt ante feſtum Sanctæ Mariæ . In ſexta autem Feria ejuſdem ebdomadæ debet legi *Magnificat* , in die Dominico *Miſſus eſt* , ad Miſ- D ſam verò in Hyemali Eccleſia Euangelium *Exſurgens Maria*, ad feſtum *Miſſus eſt*. In ſecunda autem Feria poſt Feſtum Beatæ Mariæ debent legi : *Fuit Joannes in deſerto*. In tertia , & quarta Sermones , qui ſequuntur . In Vigilia Natalis Domini , *Chriſti generatio* . Sed in ſecunda , & tertia & quarta Feria poſt feſtum Sanctæ Mariæ Matutina & Veſperæ de Exceptato fiant , & Pſalmi dividantur hoc ordine . In ſecunda Feria ſex , in tertia ſex , in quarta ſex , in Vigilia Natalis Domini *Domine exaudi*, & tres *Confitemini* . Et Miſſa de tranſacto die Dominico , quæ canitur in Eccleſia Hyemali , & Letaniæ fiant . Si Pſalmorum Liber finitus fuerit ante feſtum Sanctæ Mariæ, aut dimidius, E & ebdomadæ ſunt pares uſque ad Ramos Olivarum ab ebdomada Epiphaniæ , alio die poſt Epiphaniam incipiatur : *Sicut cervus* . Sed ſi inæquales venerint , incipietur : *Bonum eſt* . Veritatem imitando, & falſitatem exſecrando , ordinem ſex dierum digeſſimus . Quid de ſeptimo dicendum, videamus. Si dies Natalis Domini contigerit in die Sabbati, debent cantari Matutina , Matutina , Miſſæ , & Veſperæ Dominicales in ebdomada , quæ eſt ante feſtum Sanctæ Mariæ . In ſexta feria in eadem ebdomada debet legi Homilia *Magnificat* . In Sabbato *Exſurgens Maria*. In die Dominico *Miſſus eſt*. Sed in Eccleſia Hyemali ad Miſſam Euangelium *Exſurgens Maria* . Ad feſtum autem

tem *Miſſus eſt*. In ſecunda Feria poſt feſtum Sanctæ Mariæ erit Homilia *Fuit Johannes*. In tertia, & quarta, & quinta, Sermones, qui ſequuntur. In Vigilia Natalis Domini, *Chriſti generatio*. In ſecunda verò Feria, & tertia, & quarta ejuſdem ebdomadæ Letaniæ fiant. Si Pſalterium finitur in ſexta Feria ante feſtum Sanctæ Mariæ, dicentur Pſalmi cum Antiphona in ebdomada, quæ eſt ante Natalem Domini, qui dividentur ita. In ſecunda feria quatuor, in tertia quatuor, in quarta quinque, in ſexta quinque, in Vigilia Nativitatis: *Domine exaudi* cum tribus *Confitemini*. Si autem Pſalterium finem fecerit in ebdomada, quæ eſt ante Natalem, quæque Antiphona dicetur in proprio Pſalmo a *Beatus vir* uſque in finem Libri Pſalmorum. Sed in Vigilia Nativitatis fiet totum Officium, ſicut eſt in Manuali. Si autem ebdomadæ fuerint æquales ab ebdomada, in qua eſt Epiphania uſque ad Palmarum ramos, alio die poſt Epiphaniam incipiatur: *Quid gloriaris*. Sin autem, *Domine exaudi* inchoëtur. Si a me, & propter me Opuſculum hoc perfeciſſem, utique arrogantis eſſet. Sed quia de ſe nemo debet præſumere, miſericordiam divinam omnibus præferre convenit, & anticipare. Quapropter meis viribus diffidens, auxilio & conſilio reverentium atque prudentium Sacerdotum hæc, quæ digeſſi de ſtatu & ordine Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ, collata ſunt. Nomen verò Auctoris hujus Operis ſcire cupiens, computa capitales literas per ordinem Feriarum incipiendo a B. Capituli I. uſque in finem nomen perfectum reperies.

Incipit Ordo, qualiter Denarii omnium Feſtivitatum dividuntur.

QUando tres Solidi dantur pro Feſto inter omnes, ſex Denarii dantur Sacerdoti, ſex Diacono, quatuor Subdiacono, tres Primicerio Lectorum, tres Magiſtro Scholarum, quatuor duobus Lectoribus, quinque Cuſtodibus, quinque Scholæ Sancti Ambroſii. Quando tres Solidi dantur Ebdomadariis tantùm ſine Cuſtodibus, & Schola Sancti Ambroſii, VIII. Presbytero, VIII. Diacono, VI Subdiacono, IV. Primicerio Lectorum, IV. Magiſtro Scholarum, VI. duobus Lectoribus. Quando quatuor Solidi dantur omnibus Ordinibus, tres dividuntur Solidi, ſicut prædictum eſt, ſcilicet VI. Cuſtodibus, VI. Scholæ Sancti Ambroſii. Quum verò quatuor Solidi & Denarii quatuor dantur ſine Cuſtodibus & Veglonibus, dividuntur hoc modò: XII. Presbytero, XII. Diacono, VIII. Subdiacono, VI. Primicerio Lectorum, VI. Magiſtro Scholarum, VIII. duobus Lectoribus. Quando quatuor Solidi dantur Ebdomadariis tantùm ſine Cuſtodibus & Schola Sancti Ambroſii, ita dividuntur: XVI. Presbytero, XVI. Diacono, XII. Subdiacono, VIII. Primicerio Lectorum, & VIII. Magiſtro Scholarum; Lectoribus Ebdomadariis dantur XII. Quando dantur octo Solidi, & Denarii octo, Septimanariis tantùm ſine Cuſtodibus & Schola Sancti Ambroſii, ita dividuntur: XXIV. Presbytero, XXIV. Diacono, XVI. Subdiacono, XII. Primicerio Lectorum, XII Magiſtro Scholarum, XVI. duobus Lectoribus Ebdomadariis. Quando decem Solidi dantur omnibus Septimanariis, & Cuſtodibus, & Scholæ Sancti Ambroſii, ſic dividuntur: XX. Denarii Presbytero, XX. Diacono, XIV. Subdiacono, X. Primicerio Lectorum, X. Magiſtro Scholarum, XXIV. duobus Lectoribus, XX. Cuſtodibus, XII. Scholæ Sancti Ambroſii. Quando duodecim Solidi dantur Septimanalibus ſine Cuſtodibus & Schola Sancti Ambroſii, dividuntur hoc modo: Solidi III. Presbytero, & III. Solidi Diacono, Subdiacono XXIV. Denarii, Primicerio Lectorum Denarii XVIII. Quando dantur Solidi decem & ſeptem Septimanalibus, cum duobus Subdiaconibus Obſervatoribus ſine Cuſtodibus & Schola Sancti Ambroſii, ſicut fit in Feſto Sancti Auguſtini, & in Dedicatione Sanctæ Radecundæ, dividuntur taliter: Solidi III. Presbytero, III. Diacono, & XXIV. Denarii Subdiacono, Primicerio Lectorum XVIII. Magiſtro Scholarum XVIII. XXIII. duobus Lectoribus: Solidi IV. duobus Subdiaconibus Obſervatoribus prædictis. Quatuor Cuſtodes, quorum ſeptimana eſt, quotidie debent habere de Caneva Pontificis duos Panes, quales dantur Servitoribus ejus, & unam Libram carnis vel piſcium vel caſeum, ſecundùm quod competit diei, & unum Raſum Vini, quæ ſunt tres partes Sextarii. In Dominicis diebus, & in Natale Domini, & in Epiphania Ebdomadarius Subdiaconus cum Septimanario Cicendelario debent prandere cum Archiepiſcopo per totum anni circulum. Et idem Cicendelarius debet habere omni Dominico die de apotheca Pontificis unam Minam Vini, de quo fit ſacrificium per totam ebdomadam. De Decimis Allodiorum Stiliconis Comitis, Coci Archiepiſcopi Veglonibus omni die Dominico tribuunt quinque Panes de cambio de Sycale, & ſextus illi remanet, & quinque paniciæ ſcutellæ de cambio ſimiliter, & ſexta illi remanet pro paratione cibi, qui præparatur in Hoſpitali eorundem Veglonum, & eis ſerviendo omnia neceſſaria tribuunt. Similiter quinque Libras carnis, & duo Sextaria puri vini. Idem quoque in tertia Feria in Albis, & in tertio die Letaniarum, & in tertia Feria de Authentica dant Sed pro carne dant inter duas & duos ſcutellam Fabarum. Idem autem faciunt in ſingulis Dominicis Quadrageſimæ. Et Archiepiſcopus tunc dat eis per unumquemque horum dierum Libram Olei, & Piſces XI. quorum unus eſt Cocorum. In tempore verò comedendæ carnis Archiepiſcopus omni die Dominico Arietem unum viridem aut ſiccum dat eis. Illæ verò comeſtiones, quæ dantur ab Archiepiſcopo, & quas Coci tribuunt, ab eiſdem Cocis præparantur in proprio Hoſpitali Veglonum cum omnibus neceſſariis tribuendo. Et ibidem Veglones edere debent. Poſt comeſtionem verò intrant Eccleſiam Hyemalem, canendo *Kyrie*, *Kyrie*, & in Eccleſia *Pater noſter* dicunt. In Natali Domini, & in Sancti Stephani, & in Epiphania, & in Reſurrectione, & in Pentecoſten, & in Sancti Protaſii, & Sancti Laurentii, & in Dedicatione Eccleſiæ, & in Depoſitione Sancti Ambroſii, Archiepiſcopus dat omnibus Veglonibus maribus & feminis, XX. panes, X. de Secale, & totidem de Frumento, & unum Arietem viridem aut ſiccum, & duo Staria de Vino. In Ordinatione Sancti Ambroſii, ad ejuſdem Eccleſiam pauperibus dat Archiepiſcopus pro eleemoſyna centum panes inter Secalam & Frumentum. Ex quibus dantur viginti Veglonibus, & Baſſam unam, quam mediam Veglones habere debent. Si verò in ſexta Feria feſtum prædictum venerit, Archiepiſcopus tantum tribuit Caſei, quantum Baſſa ſub æſtimatione valeret,

ret , cujus medietas eſt Veglonum , altera pauperum . Omnes Feſtivitates , quas Archiepiſcopus facit , de quibus infra dicemus , dat Solidos IV. & Denarios IV. Ebdomadariis ſine Cuſtodibus , & Schola Sancti Ambroſii . Et Oſtiarius , qui portat Crucem auream , ſemper debet prandere cum Pontifice . Et Cicendelarius Ebdomadarius debet habere unam Cannatam Vini pro unoquoque Feſto. Sed Cuſtodes debent habere de his Feſtis per unamquamque IV. Panes , & Libram unam Caſei , & unum Sextarium Vini . Et Schola Sancti Ambroſii , mares & feminæ , Panes V. de Siligine pura (ſed Panes Cuſtodum debent eſſe frumentini) & duas Libras Caſei , & Staria duo de Vino . In primis Nativitas Innocentum , Circumciſio Domini , Purificatio Sanctæ Mariæ , Aſcenſio Domini , Sancti Barnabæ Apoſtoli , Translatio Sancti Nazarii , Sancti Juliani , Sanctæ Marcellinæ , Sancti Bartholomæi Apoſtoli , Sancti Geneſii , Dedicatio Sancti Michaëlis in Domo , Dedicatio Sancti Stephani , & Zachariæ , Sancti Adriani , Sanctæ Teglæ , Dedicatio Sancti Michaëlis in Monte Gargano , Sanctæ Juſtinæ , Sanctæ Pelagiæ , Sancti Monæ , Sanctorum Vitalis & Agricolæ , Sanctorum Griſanti & Dariæ , Sancti Andreæ Apoſtoli , Sancti Thomæ Apoſtoli .

Heic incipitur de omnibus Feſtis illis , de quibus dantur Denarii , vel Panis , aut Vinum , vel Prandium , exceptis illis , quæ fiunt a Pontifice.

IN primis die feſto Sancti Martiniani dantur Solidi IV. & Denarii IV. Ebdomadariis . Pro Calice Denarius unus . Cuſtodibus Denarii XVI. Scholæ Sancti Ambroſii Denanarii X.

In Sanctæ Anaſtaſiæ Ebdomadario Solidi III. Cuſtodibus Denarii XVI. Pro Calice Denarius unus ; Scholæ Sancti Ambroſii Denarii . . . .

Sanctorum Quadraginta . . . .

De omnibus illis Feſtis , quibus datur Vinum , Cicendelario Ebdomadario datur una cannata Vini , qualiter datur Archiepiſcopo in Natale Domini pro benedictione a Monaſteriis .

In Vigiliis Epiphaniæ omnes Cuſtodes debent prandere cum Pontifice . In Feſto autem omnes Presbyteri Cardinales & Diaconi , & Subdiaconus , cujus Ebdomada eſt , & Primicerius Subdiaconorum , & Notariorum , & Lectorum , Magiſter Scholarum Ebdomadarius cum duobus Lectoribus Ebdomadariis , & Puer , qui cantavit Pſallendam , & Cicendelarius cum Oſtiario Ebdomadario , & cum illo , qui portavit textum Euangelii . Omnes hi prædicti reficere debent cum Epiſcopo honorifice . Et præterea ſciendum , quod duo minores Cuſtodes Ebdomadarii cuſtodiunt theſaurum ſuper Altare in hoc die , & prædictus Pontifex dat eis duos Panes , & unum caput Porci , cum mina Vini , & ſexdecim Cuſtodibus dat dimidium Arietem , & IV. Panes , & Sextarium Vini in eodem die .

In Sancti Hilarii Solidi III. inter omnes .

In Sancti Sebaſtiani Ebdomadariis Solidi IV. & Denarii IV. Pro Cruce aurea Denarii II. Pro Calice Denarius unus , Cuſtodibus IV. Panes , duo nigri & duo albi , & Libra Caſei , & unum Sextarium Vini . Scholæ Sancti
A Ambroſii V. Panes de Segala de cambio , & Libræ duæ Caſei , & Staria duo de Vino . Sciendum eſt quia omnes illi Panes , qui dantur Cuſtodibus & Veglonibus pro Feſto debent eſſe de cambio , ideſt VI. de Sextario .

In Sanctæ Agnetis Ebdomadariis Solidi III. Cuſtodibus Denarii IX. Scholæ Sancti Ambroſii Denarii IX.

In Sancti Vincentii Ebdomadariis Solidi XIII. Pro Calice cannata una Vini . Oſtiarius Ebdomadarius , qui portat Crucem auream , debet prandere cum Abbate ipſius Monaſterii . Cuſtodibus Panes IV. de frumento , & IV. de ſecala de cambio , & de Caſeo Libræ II. & de
B Vino Starium unum . Veglonibus Panes V. de ſecala de cambio , & Libræ II. de Caſeo , & de Vino Staria II. Si Abbas ejuſdem Monaſterii dat Cuſtodibus Denarios XII. & unus Cuſtodum dat eidem Abbati Candelas XII. , qui debet prandere cum ipſo .

In Sanctorum Babilæ , & trium Puerorum , Solidi IV. inter omnes . Pro Calice Denarius unus . Pro Cruce aurea Denarii II.

In Converſione Sancti Pauli . . . .

In Sancti Julii , Solidi IV. inter omnes . Denarius I. pro Calice .

Sancti Blaſii . . . .

Sanctæ Veronicæ , Solidi III. Ebdomadariis. Pro Calice Denarius I. Pro Cruce aurea Dena-
C rii II. Cuſtodibus Panes IV. de cambio, & Libra una Caſei , & Starium I. de Vino . Scholæ Sancti Ambroſii V. Panes de ſecale de cambio , Libræ II. de Caſeo , & Staria II. de Vino .

Sanctæ Agathæ , Ebdomadariis Solidi III. Cuſtodibus Denarii IX. Veglonibus Denarii IX.

Sancti Matthiæ Apoſtoli , Solidi IV. & Denarii IV. Ebdomadariis . Cuſtodibus Denarii X. & Veglonibus Denarii X Pro Calice Denarius I. Pro Cruce aurea Denarii II.

Sanctorum Fauſtini & Jovitæ , Solidi III. inter omnes . Pro Calice Denarius I. Pro Cruce aurea Denarii II.

D Sanctæ Julianæ , Ebdomadariis Solidi IV. & Denarii IV. Cuſtodibus Denarii XVI Pro Calice & Incenſo Denarii II. Pro Cruce aurea Denarii II. , ut omnia tintinnabula ſonentur ad Matutinum & ad Miſſam , & pro Signo Denarii II. Pro Candelis unius Crucis Denarius I. Veglonibus Denarii XII. Pro Candelis Crucis illorum Denarius I.

In Dedicatione Monaſterii Horonæ , Solidi XVII. cum duobus Obſervatoribus Subdiaconis . Cuſtodibus Panes II. de frumento , & II. de ſecale de cambio , & II. Libræ Caſei, & II. Staria Vini . Veglonibus V. Panes de ſecale de Cambio , Libræ II. de Caſeo , & duo Staria de Vino .

E In Translatione Sancti Dionyſii , Ebdomadariis Solidi IV. & Denarii IV. Pro Calice Denarius I. Ille qui portavit Crucem auream , prandebit cum Abbate ipſius Eccleſiæ . Cuſtodibus Denarii XII. Veglonibus Denarii X.

In Cathedra Sancti Petri , Ebdomadariis Solidi III. Cuſtodibus Denarii VII. Pro Calice Denarius I. Pro Cruce aurea Denarii II. Veglonibus Denarii VI.

Sancti Gregorii , Ebdomadariis Solidi IV. & Denarii IV. Pro Calice una cannata Vini . Cuſtodibus duo Panes de Secale de cambio , & duo de frumento , & una Libra Caſei , & unum Sextarium Vini .

In-

In Carnelevali Ebdomadarius Presbyter, & Diaconus, Magiſtri Scholarum quatuor, & Subdiaconus, cujus ſeptimana eſt, & Primicerius Subdiaconorum, & Primicerius Lectorum, & Notariorum, & duo Lectores, quorum ebdomada eſt, & quatuor Cuſtodes Ebdomadarii, & Pueri, qui canunt *Non in ſolo*, debent prandere cum Pontifice in Domo.

In ſecunda Feria, & Quarta, & Sexta, idem.

In prima Ebdomada Quadrageſimæ, Presbyter, Diaconus, & Subdiaconus, & Magiſter Scholarum, & Lector Clavicularius cum alio Lectore, & quatuor Cuſtodes, omnes iſti Ebdomadarii cum Primicerio Lectorum, debent reficere in domo Archiepiſcopi. Omnes Presbyteri & Diaconi Cardinales debent habere per unumquemque de apotheca Archiepiſcopi quinque Libras Olei, & Archipresbyter, & Archidiaconus duplum habent. Sciendum eſt, quia in Dominica de Lazaro duo Subdiaconi cantant in Antiphona Pſallentium *Occurrerunt*, & duo Notarii tenent, ſi Archiepiſcopus adfuerit. Si verò defuerit, duo Notarii duobus Lectoribus tenentibus, ipſum canunt. Qui verò canunt Archiepiſcopo præſente, cum ipſo reficiunt eo die.

In Cœna Domini, qui portant Oleum & Chriſma de Capella ad Altare, ut ſanctificentur, & duo Cuſtodes Obſervatores octo minorum, qui eos præcedunt, debent ſingulas habere corrigias de Camera Domini Pontificis, unam pro Clavibus Eccleſiæ, & alteram pro Clavibus Secretarii, & tertiam pro Clavi Arcæ Cicendelarii. Finitâ Miſsâ eodem die omnes Presbyteri, & Diaconi Cardinales, & omnes Subdiaconi, & Primicerius Lectorum, & Magiſter Scholarum Ebdomadarius & Clavicularius Ebdomadarius cum alio Lectore, & ille qui cantat *Tamquam ad latronem*, omnes iſti pranſuri ſunt cum Pontifice. Et quum manducaverint Subdiaconi, ſurgunt, & vadunt, ut lavent Chorum Æſtivæ Eccleſiæ. Pro quo officio debent honorifice habere Vinum de apotheca Pontificis. Deinde Pontifex lavat ſingulos pedes Presbyteris & Diaconibus; deinde bibens cum illis, & deoſculans illos dat eis duodenos Nummos. Cicendelarius Ebdomadarius in hoc die debet habere Sextarium Vini, & in Paraſceve unum, & in Sabbato Sancto unum, & in Paſcha unum, de Caneva Archiepiſcopi: quia de hoc vino fit Sacrificium, & communicantur omnes Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi in Cœna Domini, & in Paraſceve, poſtquam adoraverunt Crucem. In Paraſceve omnes Cuſtodes lavant Chorum Hyemalis Eccleſiæ. Et in ipſo die prandent cum Pontifice. Et in Sabbato Sancto, qui tenet manutergium, & qui tenet aquam ad Fontes, in qua pedes trium puerorum lavantur, & tres Cuſtodes Obſervatores octo Minorum, qui porrigunt Presbytero, & Diacono pueros, & Oſtiarius Ebdomadarius, qui in Proceſſione portat Crucem auream, & Cicendelarius Ebdomadarius, omnes prandent in Domo.

In Paſcha Offerendâ inceptâ Cicendelarius Ebdomadarius porrigit Panem Azymum Subdiacono Ebdomadario receptum de manubio Epiſcopi, vel Camera ejus. Et ille dat quatuor Panes Archipresbytero, & quatuor Archidiacono; & Presbyteris, & Diaconibus, & Primicerio Decumanorum, & Subdiaconorum, & Notariorum, & Lectorum, & Ma-

A giſtris Scholarum, per unumquemque binos. Et quando tribuit, dicit unicuique: *Chriſtus Dominus reſurrexit*. Reſpondent: *Deo gratias*. Et oſculantur illum, & panem. Omnibus Subdiaconibus, & Secundicerio, & ſummo Terminario cum quatuor Clavicularius, & duobus Lectoribus, qui portant Crucem in capitibus Arcæ, & tribus Cicendelariis, omnibus tribuit ſingulos. Cicendelario verò Ebdomadario dat binos. Finitâ verò Miſsâ Majori, Subdiaconus Ebdomadarius, & Primicerius Lectorum, & Primicerius Diaconorum, & Notariorum, & quatuor Magiſtri Scholarum, & Clavicularius Ebdomadarius cum uno quovis Lectore, & Cicendelarius, &

B Oſtiarius, quorum ebdomada eſt cum illo, qui portavit textum Euangelii, & Pueri, qui cantaverunt Pſallentiam, & Vicecomes cum Servitoribus ſuis, omnes prædicti reficere debent cum Pontifice honorabiliter.

In Sanctæ Mariæ Magdalenæ ad Sanctum Sepulcrum, Ebdomadariis Solidi III. Obſervatori Subdiacono Denarii IV. Cuſtodibus Denarii XVI. Pro Calice Denarius I. Pro Cruce aurea Denarii II. Scholæ Sancti Ambroſii Denarii XX.

In Depoſitione Sancti Ambroſii omnes Preſbyteri & Diaconi Cardinales, & omnes Subdiaconi, & Primicerius Decumanorum, & omnes Notarii, & Primicerius Lectorum cum

C omnibus Lectoribus, & omnes Cuſtodes, & Pueri, qui cantaverunt Pſallendam, omnes debent honorifice prandere cum Pontifice.

In Sancti Georgii . . . .

In Sancti Marci Euangeliſtæ, Presbytero Denarii IV. Subdiacono, & Primicerio Lectorum, & Magiſtro Scholæ III Duobus Lectoribus IV. Cuſtodibus V. Veglonibus VI.

In Sancti Victoris, & Coronæ, Ebdomadariis Solidi IV. & Denarii IV. Pro Calice Denarii II. Pro Cruce aurea Denarii II. Cuſtodibus Denarii XII. Veglonibus Denarii VIII.

In Sanctorum Vitalis & Valeriæ, Ebdomadariis Solidi IV. & Denarii IV. Pro Calice una cannata Vini, Cuſtodibus II. Panes de

D Secale de cambio, & II. de Frumento, una Libra de Caſeo, & unum Starium Vini. Veglonibus V. Panes de Secale de cambio, & II. Libræ Caſei, & Staria II. Vini.

Sanctorum Philippi & Jacobi . . . .

In Dedicatione Sanctæ Mariæ ad Circulum, Ebdomadariis Solidi III. Pro Calice una cannata Vini. Pro Cruce aurea Denarii II. Cuſtodibus II. Panes de cambio de ſicale, & II. de frumento, & Libra una Caſei, & unum Starium Vini. Veglonibus V. Panes de cambio de ſecale, & II. Libræ Caſei, & unum Starium Vini.

In Sancti Johannis in oleo ferventi, Ebdomadariis Solidi V. & Denarii IV. Primicerio Notariorum, qui canit Reſponſorium ad Veſperas, Denarii VI. Cuſtodibus Denarii XVI. Pro Cruce aurea Denarii II. Pro Calice Denarius I. Veglonibus Denarii X.

In Sancti Victoris ad Ulmum, Ebdomadariis Denarii IV. & Solidi IV. Pro Calice Denarius I. Pro Cruce aurea Denarii IV. & Cuſtodibus Denarii X. & Veglonibus Denarii X.

In Sanctorum Polemii & Caſti inter omnes, Solidi X.

In Sancti Pancratii . . . .

In Translatione Sancti Victoris, Solidi XIII. Ebdomadariis. Pro Calice una cannata Vini.

Oſti-

Oſtiarius , qui portat Crucem, debet prandere cum Abbate ipſius Eccleſiæ . Cuſtodibus Panes II. de frumento , & II. de ſecale de cambio , & una Libra Caſei , & unum Starium Vini . Veglonibus Panes V. de cambio de ſecale , & duæ Libræ Caſei , & II. Staria de Vino .

In Sancti Syri , inter omnes , Solidi III.

In Vigilia Sancti Dionyſii , Ebdomadariis Solidi IV. & Denarii IV. Cuſtodibus Denarii XII. Veglonibus Denarii XX. Pro Calice una cannata Vini .

In feſto Sancti Dionyſii , Ebdomadariis Solidi XIII. Pro Calice una cannata Vini . Pro Cruce aurea Paſtum .

In Sancti Theodori, inter omnes, Solidi III. Pro Calice Denarius I. Pro Cruce aurea Denarii II.

In Sanctorum Siſinii , Martyrii , & Alexandri, Ebdomadariis Solidi VIII. & Denarii VIII. Pro Calice una cannata Vini . Pro Cruce Paſtum . Cuſtodibus una Mina de ſecale , & una frumenti , & duæ Libræ Caſei , & Staria duo Vini . Veglonibus Panes V. de cambio ſiliginis , duæ Libræ Caſei , & II. Staria Vini .

In Sanctorum Petri & Laurentii , inter omnes , Solidi IV. Pro Calice Denarius I. Pro Cruce II.

In Sanctorum Finini & Gratiniani , Ebdomadariis Solidi III. Cuſtodibus Denarii XII. Veglonibus Denarii X. Pro Calice Denarius I.

In Sancti Eraſmi , inter omnes , Solidi IV.

In Sanctorum Quirini & Nicomedis , Ebdomadariis Solidi VIII. & Denarii VIII. Pro Calice cannata Vini . Pro Cruce aurea Paſtum . Cuſtodibus VIII. Panes de cambio , IV. de ſecale , & IV. de frumento , & duæ Libræ Caſei , & Starium I. Vini . Veglonibus V. Panes de cambio de ſecale , duæ Libræ Caſei , & duo Staria Vini .

In Vigiliis Pentecoſten Archiepiſcopus dat hydriam & funem duobus minoribus Oſtiariis ad trahendam aquam , & Archiepiſcopus ducit ad Fontes , & Sarcitectus emundat Fontes. Et quatuor Oſtiarii debent habere quatuor Panes , & IV. Piſces , & IV. fruſta Caſei , & unum Starium Vini . Et duo majores Oſtiarii debent ligare tabulas cereas ſuper Fontes in modum Crucis cum filo ſumto a Monacha Eccleſiæ Sancti Stephani . Et ſuper tabulas ponunt Cupallos ceræ cum candelis , quas duo minores Oſtiarii accendunt . Pro quo Officio Judicatus eſt factus in loco Caſaleto . Ex quo quatuor prædicti Oſtiarii cum Capellanis ipſius Eccleſiæ , & cum Sarcitecto mundatore Fontium, & Rectore honeſte inſimul reficiuntur .

In Pentecoſten omnes Presbyteri , & Diaconi Cardinales , & Subdiaconi Ebdomadarii, & Primicerius Lectorum , & Magiſter Scholarum Ebdomadarius, & duo Lectores Ebdomadarii , & Cicendelarius , & Oſtiarius Ebdomadarius , & qui portabat Euangelii textum , omnes prandent in Domo .

In Sancti Pantaleonis, Ebdomadariis Solidi IV. & Denarii IV. Cuſtodibus Panes IV. de cambio , duo de frumento , & duo de ſecale, & una Libra Caſei , & unum Starium Vini . Veglonibus Panes V. de ſecale de cambio, & duæ Libræ Caſei , & II. Staria Vini .

In Sanctorum Cantianorum , Ebdomadariis

A Solidi IV. & Denarii IV. Pro Calice cannata Vini . Pro Cruce aurea Paſtum . Cuſtodibus Panes IV. de cambio , duo de ſecale , & duo de frumento , una Libra Caſei , & unum Starium Vini . Veglonibus Panes V. de cambio de ſecale , duæ Libræ Caſei , & duo Staria Vini .

In Sanctorum Marci & Marcelliani , Ebdomadariis Solidi IV. & Denarii IV. Pro Calice Denarius I. Pro Cruce aurea Denarii II. Cuſtodibus Denarii XII. Veglonibus Denarii X.

In Sancti Viti . . . .

In Vigilia Sanctorum Protaſii & Gervaſii , Presbyter , Diaconus , & Subdiaconus , & Magiſter Scholarum, & Primicerius Lectorum,

B & duo Lectores , & quatuor Cuſtodes , omnes iſti Ebdomadarii , & Primicerius Notariorum , & illi Notarii, qui cantant & legunt ad Pſallendam , & ad Vigiliam , & Lectores , qui cantant Reſponſorium ad Pſallendam , & ad Vigiliam , omnes debent prandere cum Archiepiſcopo . Si verò in aliis Feſtis revertuntur in Eccleſiam Hyemalem cum Pſallenda, Lector , & Notarius , qui viciſſim indicant Pſalmum , debent ſimul prandere .

In Feſto verò omnes Presbyteri & Diaconi Cardinales, & Subdiaconi, & Primicerius Decumanorum , & omnes Notarii , & omnes Lectores , & Primicerius eorum , & omnes Cuſtodes, & Pueri , qui cantaverunt Pſallendam,

C ſimul comedunt cum Pontifice .

In Vigilia Sancti Johannis , Ebdomadariis Solidi IV. & Denarii IV. Cuſtodibus Denarii XVI. Veglonibus Denarii VIII., & Primicerio Notariorum , & duobus Notariis , qui legunt duas Lectiones in Pſallenda , Denarii XII.

In feſto Sancti Johannis , Ebdomadariis Solidi IV. & Denarii IV. Pro Calice una cannata Vini . Pro Cruce aurea Paſtum . Cuſtodibus Panes IV. de cambio , duo de ſecale , & duo de frumento , & una Libra Caſei , & Starium unum Vini . Veglonibus Panes V. de cambio de ſecale , duæ Libræ Caſei , & II. Staria Vini .

D In Sanctæ Febroniæ , Ebdomadariis Solidi III Cuſtodibus Denarii XII. Veglonibus Denarii XII.

In Sanctorum Johannis & Pauli , Ebdomadariis Solidi IV. Cuſtodibus Denarii XVI. Veglonibus Denarii XX.

In Vigilia Sanctorum Petri & Pauli , ſimiliter fiet , & comedunt , ſicut in Vigiliis Sanctorum Protaſii & Gervaſii .

In Feſto omnes Presbyteri, & Diaconi Cardinales, & Subdiaconus Ebdomadarius, & Primicerius Lectorum , & Magiſter Scholarum, & duo Lectores Septimanarii; & quatuor Cuſtodes Ebdomadarii , & Magiſter Scholarum , & duo Lectores Septimanarii, & quatuor Cu-

E ſtodes Ebdomadarii , & qui portat Textum Euangelii , & qui cantat Pſallendam , omnes in Domo comedunt .

In Dedicatione Eccleſiæ Sanctæ Valeriæ , Ebdomadariis Solidi III. Pro Calice una cannata Vici . Pro Cruce aurea Denarii II. Cuſtodibus Panes IV. de cambio , duo de frumento, & duo de ſecale, una Libra de Caſeo, & Starium I. Vini . Veglonibus Panes V. de cambio de ſecale , duæ Libræ Caſei , & duo Staria Vini .

In Translatione Sancti Thomæ, Ebdomadariis Solidi IV. Pro Calice Denarii II. Pro Cruce Denarii II. Cuſtodibus Denarii XII. Veglonibus Denarii XII.

In

A In Sancti Olderici , Presbytero Denarii X. Diacono X. Subdiacono VII.

In Sanctæ Margaritæ , Ebdomadariis Solidi III. Pro Calice Denarius I. Pro Cruce aurea Denarii II. Cuſtodibus Denarii XII. Veglonibus Denarii X.

In Sancti Tranquillini, Ebdomadariis Solidi IV. & Denarii IV. Pro Calice Denarius I Pro Cruce aurea Denarii II. Cuſtodibus Panes IV. de cambio de frumento & de ſecale , Libra una Caſei , & unum Starium Vini . Veglonibus Panes V. de cambio de ſecale , II. Libræ Caſei , & II. Staria Vini .

In Vigilia Sancti Naboris . . . .

In Feſto , Ebdomadariis Solidi XIII. Pro Calice Denarius I. B Pro Cruce aurea Paſtum . Cuſtodibus Panes IV. de cambio de frumento & ſecale , Libra una Caſei , & Starium I. Vini . Veglonibus Panes V. de cambio de ſecale , II. Libræ Caſei , & II. Staria Vini .

In Sancti Benedicti , Ebdomadariis Solidi IV. & Denarii IV. Pro Calice una cannata Vini . Cuſtodibus , & Veglonibus , ut ſupra .

In Sancti Sepulcri , Solidi IV. inter omnes . Pro Calice Denarius I. Pro Cruce II. Pro textu Euangelii Denarii II.

In Sancti Quirici , Ebdomadariis Solidi IV. & Denarii IV. Pro Calice una cannata] Vini . Pro Cruce aurea Denarii II. Cuſtodibus & Veglonibus , ut ſupra .

In Sancti Materni , Ebdomadariis Solidi IV. C & Denarii IV. ut ſupra .

In Sancti Apollinaris, Ebdomadariis, ut ſupra .

In Sanctorum Chriſtinæ & Chriſtophori , Solidi IV. inter omnes .

In Vigilia Sancti Nazarii , ſic comedunt in domo Pontificis , ſicut in Vigilia Sancti Protaſii ; in Feſto ſicut in Sancti Petri .

In Proceſſione Sancti Celſi , Ebdomadariis Solidi XIII. Pro Calice cannata Vini . Pro Cruce aurea Paſtum . Cuſtodibus Panes V. de cambio , una Libra Caſei , & Starium I. Vini . Veglonibus item .

In Sanctorum Abdo & Sennis , Ebdomada- D riis Solidi IV. & Denarii IV. Pro Calice & In cenſo Denarii II. Cuſtodibus Denarii XII. Pro Candelis Crucis illorum Denarii II.

In Sancti Kalimeri . . . .

In Sanctorum Machabæorum , Ebdomadariis Solidi XIII. Pro Calice cannata Vini . Pro Cruce aurea Paſtum . Cuſtodibus Panes IV. de cambio de ſecale & de frumento , & Libra una Caſei , & Starium I. Vini . Veglonibus Panes V. de ſecale de cambio , duæ Libræ de Formatico , & II. Staria Vini .

In Sancti Gaudentii , Ebdomadariis Solidi XIII. Pro Calice Denarius unus . Pro Cruce aurea Paſtum . Cuſtodibus & Veglonibus , ut ſupra .

E In Sanctæ Perpetuæ , Solidi IV. & Denarii IV. inter omnes .

In Sancti Sixti , inter omnes , Solidi III.

In Sanctorum Donati & Carpophori . . . . .

In Sanctorum Firmi & Ruſtici, inter omnes, Solidi III. Pro Cruce aurea Denarii II. Pro Calice Denarius I.

In Vigilia , & Feſto Sancti Laurentii , ſic fit Paſtus , & omnis condicio , ſicut in Vigilia Sanctorum Protaſii & Gervaſii .

In Sanctæ Radecundæ, Ebdomadariis Solidi III. Cuſtodibus Denarii XI. Pro Calice Denarius I Pro Cruce aurea Denarii II. Veglonibus Denarii X.

In Dedicatione Sancti Laurentii in Urbe , inter omnes, Solidi III. Pro Calice Denarius I. Pro Cruce aurea Denarii II.

In Vigilia Sancti Simpliciani , pro Miſſa , & Veſpere , & Vigilia , Ebdomadariis tantùm Paſtum, aut Solidi XIII. Pro Pſalmis inter omnes Solidi XI. qui ita dividuntur : Ebdomadariis tantùm Solidi VI. Subdiacono Obſervatori Denarii VII. Primicerio Notariorum Denarii VII. Duobus Notariis , qui legunt Lectiones in Pſalmis , & tertio , qui legit primam Lectionem ad Vigiliam , & Notario , qui cantat primum Reſponſorium in Pſalmis , & Secundicerio , qui canit ſecundum Reſponſorium in Pſalmis , & alii Notario , qui canit ſecundum Reſponſorium in Vigilia , & Lectori , qui canit tertium Reſponſorium ad Vigiliam , iſtis ſeptem per unumquemque dantur VII. Denarii ; Cuſtodibus VI. Veglonibus Denarii IV.

In eodem Feſto , omnes Presbyteri & Cardinales Diaconi, & omnes Subdiaconi , & omnes Notarii , & Primicerius Decumanorum , & Notariorum, & Lectorum, & quatuor Magiſtri Scholarum , omnes iſti cum ſingulis Clericis , & omnes Lectores cum omnibus Cuſtodibus comedunt cum Abbate ipſius Monaſterii, ubi Feſtum celebratur . Veglonibus dat Abbas Panes V. de ſecale de cambio, & duas Libras Caſei , & II. Staria Vini . Sed Cicendelarius Ebdomadarius debet habere in eodem die duo Sextaria Vini ab Abbate : unum ſibi retinet , alterum XVI. Cuſtodibus dat poſt prandium . Inſuper & fruges dat eis omnibus honorifice in Secretario .

In Sancti Luxorii, Ebdomadariis Solidi XIII. Pro Calice cannata Vini . Cuſtodibus Panes IV. de cambio , duo de frumento & duo de ſecale , una Libra Caſei , & unum Starium Vini . Veglonibus Panes V. de cambio de ſecale , duæ Libræ Caſei , & II. Staria Vini .

In Sancti Timothei , Ebdomadariis Solidi III. Cuſtodibus Denarii XIII. Pro Calice Denarii II. Pro Cruce aurea Denarii II. Veglonibus Denarii XII.

In Sancti Alexandri . . . .

In Dedicatione Sanctæ Radecundæ , Ebdomadariis cum duobus Subdiaconibus Obſervatoribus Solidi XVII. Cuſtodibus Panes IV. de cambio , & medius Aries recens , & duo Staria Vini . Veglonibus idem .

In Sancti Auguſtini , Ebdomadariis cum Subdiaconis duobus Obſervatoribus Solidi XVII. Pro Calice una cannata Vini . Pro Cruce aurea Paſtum . Cuſtodibus , & Veglonibus , ut ſupra .

In Decollatione Sancti Johannis , Ebdomadariis Solidi VIII. & Denarii VIII. Pro Calice, & Cruce, & Cuſtodibus , & Veglonibus , ut ſupra .

In Sancti Ægidii , Ebdomadariis Solidi III. Pro Calice Denarius I. Pro Cruce aurea Denarii II. Cuſtodibus Denarii XVI. Veglonibus XX.

In Nativitate Sanctæ Mariæ , Ebdomadariis Solidi XIII. aut Paſtum . Finito Paſto , pro benedictione Presbytero Denarii VI. Diacono VI. Subdiacono IV. Primicerio Lectorum III. Duobus Lectoribus IV. Puero , qui canit Pſallendam, II. Cuſtodibus Panes IV. de frumento & ſecale , una Libra Caſei , & unum Starium Vini, & Veglonibus Panes V. de cambio, duæ Libræ Caſei , & duo Staria Vini .

In Sancti Maurilii, Ebdomadariis Solidi IV. & Denarii IV. Cuſtodibus , & Veglonibus Panis

nis & Vinum & Caſeus dantur, ſicut in Feſto Sancti Pantaleonis.

In Sanctorum Cornelii & Cypriani, Ebdomadariis Solidi III. Pro Calice cannata Vini; pro Cruce Paſtum. Cuſtodibus, & Veglonibus, ut ſupra.

In Vigilia Sancti Satyri, inter omnes Solidi IX. pro Pſalmis.

In Feſto Solidi VIII. & Denarii VIII. Pro Calice cannata Vini. Pro Cruce aurea Paſtum. Cuſtodibus, & Veglonibus, ut ſupra.

In Sancti Satyri in Urbe, Ebdomadariis tantùm Solidi IV. & Denarii IV.

In Sancti Mauritii, Solidi XIII. pro Cruce & Calice. Cuſtodibus, & Veglonibus, ut ſupra.

In Sancti Hieronymi, Ebdomadariis Solidi III. Pro Calice Denarius I. Pro Thuribulo Denarius I. Cuſtodibus Denarii XII. Veglonibus X.

In Exaltatione Sanctæ Crucis, Solidi XIV. & Denarii VIII. inter omnes: qui ita dividuntur; Presbytero Denarii XXVIII. Diacono totidem. Subdiacono XX. Magiſtro Scholarum XIV. Primicerio Lectorum totidem. Duobus Lectoribus XX. Primicerio Notariorum Denarii VI. Primo Notario, qui canit primum Reſponſorium in Pſallenda, Denarii IV. Cuſtodibus Denarii XVI. Pro Calice Denarii II. Pro Cruce aurea Denarii IV. Pro candelis Crucis illorum Denarius I. Veglonibus Denarii XII. Pro candelis Crucis illorum Denarius I. Pueris, qui canunt Pſallendam, Denarii II.

In Sanctæ Fidis, Ebdomadariis Solidi III. Pro Cruce aurea Denarii IV. Cuſtodibus, & Veglonibus, ut in Nativitate Sanctæ Mariæ.

In Sancti Domnini, Ebdomadariis Solidi IV. & Denarii IV. Cuſtodibus, & Veglonibus, ut ſupra.

In Sabbato Dedicationis Eccleſiæ, quatuor Oſtiariis unus Aries, quia claudunt januas Eccleſiæ in Veſperis, & aperiunt Archiepiſcopo, quando dicit: *Tollite Portas*.

In Dedicatione verò ita omnes prandent cum Pontifice, ut in Feſto Sancti Ambroſii.

In Dedicatione Sancti Raphaëlis, Ebdomadariis Solidi IV. & Denarii IV. Cuſtodibus Denarii XII. Pro Calice Denarius I. Veglonibus Denarii X.

In Sancti Lucæ Euangeliſtæ, inter omnes, Solidi III.

In Sancti Saturnini, Ebdomadariis Solidi IV. & Denarii IV. Pro Calice, Cuſtodibus, & Veglonibus, ut in Nativitate Sanctæ Mariæ.

In Sanctorum Coſmæ & Damiani . . . .

In Sanctorum Apoſtolorum Simonis & Judæ . . . .

In Omnium Sanctorum, inter omnes, Solidi IV. Pro Calice Denarius I. Pro Cruce aurea Denarii II.

In Dedicatione Sancti Ambroſii in Solariolo, inter omnes Solidi III. Pro Calice Denarius I. Pro Cruce aurea Denarii II.

In Sancti Leonardi, inter omnes, Solidi IV.

In Sancti Aurelii, Ebdomadariis Solidi III. Cuſtodibus, & Veglonibus, ſicut in Cantianorum. Pro Calice cannata Vini. Pro Cruce aurea Paſtum.

In Vigilia Sancti Martini, Ebdomadariis Solidi IV. & Denarii IV. Primicerio Notariorum Denarii VI. Duobus Notariis, qui legunt duas Lectiones in Pſallenda, & uni Notario, qui canit primum Reſponſorium in Pſallenda, & Secundicerio, qui canit ſecundum Reſponſorium, ſingulis Denarii III. Cuſtodibus Denarii VI. Veglonibus Denarii IV.

A In Feſto Sancti Martini, Ebdomadariis Solidi XIII. Pro Cruce, & Calice, & Cuſtodibus, & Veglonibus, ut in Nativitate Sanctæ Mariæ.

In Sancti Antonini.

In Sancti Romani, inter omnes Solidi IV. Pro Calice Denarius I. Pro Cruce aurea Denarii II.

In Sanctæ Cæciliæ, Ebdomadariis Solidi IV. & Denarii IV. Pro Calice cannata Vini. Cuſtodibus & Veglonibus, ut in Nativitate Sanctæ Mariæ.

In Sancti Clementis.

In Sancti Caſtritiani.

B In Sancti Dalmatii, Ebdomadariis Solidi IV. & Denarii IV. Pro Calice Denarius I. Pro Cruce Denarii II. Cuſtodibus VIII. Veglonibus X.

In Sancti Nicolai, inter omnes, Solidi IV. Pro Calice Denarius I. Pro Cruce II.

In Vigilia Ordinationis Sancti Ambroſii, & in Feſto, ita comeditur in Domo, ſicut in Feſto Sanctorum Protaſii, & Gervaſii.

In Sancti Zenonis.

In Depoſitione Sancti Syri.

In Sancti Matroniani, Ebdomadariis Solidi III. Cuſtodibus Denarii XII. Pro Calice Denarius I. Veglonibus Denarii X. Pro pane & vino Puerorum Denarius I.

C In Sanctæ Mariæ Annuntiatione, Ebdomadariis Solidi IV. Primicerio Notariorum Denarii XVIII. Uni Notario, & uni Lectori, & duobus Notariis, & duobus Lectoribus, qui cantant Pſallendam ad Feſtum, pro ſingulo duodeni Denarii. Pro Calice cannata Vini. Pro Cruce aurea Denarii XII. Cuſtodibus & Veglonibus, ut in Nativitate Sanctæ Mariæ.

In Vigilia Nativitatis Domini, ſexdecim Cuſtodes prandent cum Archiepiſcopo; & Cicendelariis dantur IV. Fuſalia Lini de Camera Pontificis. De quibus duo minores Cicendelarii faciunt Lampadam. De reliquo verò fiunt Stupina in Cicendelis per totius anni circulum. Et minor Cicendelarius ſimiliter habet à Pontifice XII.

D Denarios ad Plumbinos emendos, qui tantùm ponuntur in Cicendelis illis, in quibus Pontifex dat oleum. Et Subdiaconus, cujus ebdomada eſt, dat prandium octo majoribus Cuſtodibus, & duobus minoribus Ebdomadariis, & vinum, & fruges in ſero ejuſdem. Et ipſe Subdiaconus facit ignem per totam noctem. Similiter autem facit Subdiaconus in Epiphania. Et nocte Nativitatis Domini, Ebdomadarii habent Solidos IV. de Caſa, quæ eſt in Terramara, quos Cimiliarcha debet requirere: qui ita dividuntur; Presbytero Denarii XII Diacono XII. Subdiacono XII. Cimiliarchæ XII. Finitâ Miſſa majori illius diei Subdiaconus Ebdomadarius, & Primicerius Lectorum, & Primicerius Subdiaconorum,

E & quatuor Magiſtri Scholarum, & Primicerius Notariorum, & unus Lector, & Clavicularius Ebdomadarius, cum altero quovis Lectore, & Cicendelarius, & Oſtiarius Ebdomadarius, & qui portat Euangelii Textum, & Vicecomes, cum ſuis Servitoribus, omnes prandent in domo Archiepiſcopi honorifice. Et duo minores Cuſtodes Ebdomadarii, qui cuſtodiunt theſaurum ſuper Altare, habent de apotheca Pontificis Panes duos, & unum caput Porci coctum, & unam minam Vini.

In Sancti Stephani, omnes debent comedere in Domo, ſicut in Feſto Sancti Ambroſii.

In Sancti Johannis Euangeliſtæ , Solidi X. inter omnes .

In Sancti Jacobi , Ebdomadariis Solidi III. Pro Calice Denarius I. Cuſtodibus Denarii XII. Veglonibus Denarii X. Pro pane & vino Puerorum Denarius I.

In Sancti Eugenii , Ebdomadariis Solidi III. Pro Calice Denarius I. Cuſtodibus Denarii XII. Veglonibus Denarii X.

In Sancti Silveſtri .

F I N I S.

Hiſce adnectere etiam mihi placuit *Conſtitutionem de Reformatione Officii Ambroſiani*, editam Anno 1440. a Franciſco Pizzolpaſſo Mediolanenſi Archiepiſcopo , viro cum doctrina, tum ſanctitate morum ſpectatiſſimo , quam ex MSto Codice Bibliothecæ Capituli Metropolitani Mediolanenſis ego olim exſcripſi , ut quid ille pro reſtauranda Pſalmodia Eccleſiæ ſuæ egerit in poſterum conſtet .

Conſtitutio Archiepiſcopalis edita circa Reformationem OfficiiGlorioſiſſimi Pontificis & Patroni noſtri Ambroſii, ad divini cultus non mediocre incrementum, & evidentem animarum ſalutem & profectum.

FRanciſcus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus , univerſis & ſingulis Dominis , Abbatibus , Prioribus , Præpoſitis , Archipresbyteris , ceteriſque Eccleſiarum Civitatis & Diœceſis Mediolanenſis Prælatis , ac Clericis aliis tam ſecularibus quam regularibus , nec non Abbatiſſis , Prioriſſis , Monialibus , & Religioſis , ac Deo dicatis Ordinum quorumcumque , divinum Officium , ſive Horas Canonicas juxta ritum beatiſſimi Pontificis & Patroni noſtri Ambroſii obſervare debentibus , & ad talia obligatis , ſalutem in Domino . Si ſingulas noſtri Pontificalis officii oneroſas curas continua & diligenti meditatione mente interna amplectimur , illa amplius nos agitat atque premit , ut in ſingulis Eccleſiis nobis ſubjectis , in Hymnis & Canticis & cum omni diligenti ordine divinorum cultus amplietur ; & quæ incuriâ & temporum negligentiâ prætermiſſa eſſe videntur , ſub debitæ reformationis regula componamus , ac præteritam incuriam ſuperveniens diligentia compenſet . Intelleximus namque , immo nos ipſi videmus , & experimento quotidiano perpendimus , in Officio beatiſſimi & glorioſiſſimi Patroni noſtri Ambroſii multa ſecundùm temporum curricula neglectui tradita , plurima omiſſa , nonnulla diverſimode edita , & immutata fuiſſe . Et pro eis reformandis , & ad debitam normam redigendis curâ ſolicitamur continuâ & aſſiduâ meditatione affligimur , ut juxta creditæ nobis Pontificalis diſpenſationis officium , divinorum laudes noſtræ ſolicitudinis ſtudio ampliemus. In primis namque videmus in principio Pſalterii Ambroſiani deſcribi per ſingulas Eccleſias , & etiam contineri illud glorioſum , laudabile , & devotiſſimum Canticum , ſive Symbolum, quod incipit: Te Deum Laudamus, *opus quidem illius ſanctiſſimi Patris noſtri Ambroſii , præexcellentiſſimi , & eloquentiſſimi Doctoris Eccleſiæ , ac glorioſi , & excellentiſſimi etiam Eccleſiæ Doctoris Auguſtini in illo ſacratiſſimo ſui Baptiſmatis actu compoſitum , & alternis vicibus per illos ſanctos Patres decantatum , plenum quidem omni divina laude , dulcedine , ac devotione . Sed , quod certe non libenter referimus , tam celebris & devota laudatio tantorum Pontificum , duorum clariſſimorum luminarium in Dei Eccleſia , Ambroſii ſcilicet & Auguſtini , prætermiſſa plurimum videtur & neglecta . Nam apud nonnullas dumtaxat Eccleſias hujus Civitatis devote decantatur , & plurimi devoti Clerici , privatim Officium ipſum dicentes itidem ſervant . Apud alias verò Eccleſias , alioſque Clericos hoc multum negligitur . Sicque illud tam ſanctum , tam devotum , tamque ſuave Canticum beatiſſimi Patris noſtri Ambroſii , quod , ut præmittitur, in principio Libri Pſalmorum ſemper deſcribitur , quoad multas Eccleſias , multoſque Clericos , fruſtra membranas occupat, & nullum fructum in divinis Officiis ipſorum negligentiâ Clericorum afferre videtur . Hanc igitur tantam negligentiam ſolicitudine noſtra abolere volentes , imitando quod aliàs ſuper hoc ſalubriter fuerat inſtitutum per clariſſimæ & recolendæ memoriæ Dominum Johannem Vicecomitem prædeceſſorem noſtrum , ſtatuimus & perpetuo ordinamus ; quod de cetero in ſingulis Eccleſiis Collegiatis & Conventualibus , ac aliis , in quibus Horæ Canonicæ decantari ſolent , vel etiam debent , tam Civitatis quàm Diœceſis uniformiter de cetero immediate poſt Lectiones Matutinales diebus Dominicis , & aliis feſtivis & ſolemnibus , alacri & devoto jubilo cantetur illud ſuaviſſimum & delectabile Canticum & Symbolum in Eccleſia Dei clariſſimorum Ambroſii & Auguſtini ;* Te Deum Laudamus , *cetera ex more complendo . Idem etiam obſervare teneantur , qui Officium dicunt ſine cantu , ut videlicet ipſum Canticum ſuo in loco devote dicant. Illos autem , qui ex majori devotione ultra dictos dies feſtivos & ſolemnes , quod omnibus pariter , ut eſt dictum , mandatur , ipſum Canticum* Te Deum Laudamus *dixerint , aut etiam cantaverint , nullatenus improbamus , quinimo eos dicimus majori laude dignos eſſe , & plus meriti apud Deum , apud nos verò majorem commendationem reportare. Quid enim ſuavius , quid dulcius , quid ſanctius , quid denique convenientius eſſe poteſt apud nos , qui Clerici Ambroſiani nuncupamur , quam quod Hymnos & devotiſſimos cantus ipſius ſanctiſſimi Patris noſtri Ambroſii, maxima accenſi devotione , jugique ac ſedula obſervantia & modulatione apud Summum Deum omnipotentem pro ſalute noſtra & Populi, conſolatione cunctorum , & devotionis augmento decantemus ?*

Ceterum , ut intelleximus , in Eccleſiis tam Civitatis , quàm Diœceſis , nec non etiam in dicentibus privatim Horas Canonicas , tanta eſt diverſitas & diſparitas propter Kalendaria , quæ diverſimode habentur , quod uno in loco uno modo , alio autem in loco omnino diſpariter , unuſque eâdem die dicit Officium de uno Sancto , alius autem de alio : aliquando verò Officium de Sancto , & eâdem die interdum Officium de Feria dicitur , & etiam decantatur . Volumus igitur , decernimus , ſtatuimus , & per-

perpetuò ordinamus, quod de cetero in omnibus & ſingulis Eccleſiis noſtris, nec non per Clericos dicentes privatim Officia divina, & Horas Canonicas, dicantur, ſeu decantentur ipſæ Horæ Canonicæ de Sancto ſeu de Feria, pro ut occurrit in Kalendario, quod de novo & publice poni & ordinari fecimus in Eccleſia noſtra Cathedrali. Cujus exemplum ceteri omnes tam de Civitate quàm de Diœceſi, & de Provincia noſtra Mediolanenſi, quo ad illos, ad quos ſpectat, recipiant & habeant ſaltem infra duos menſes poſt publicationem præſentium. Et ſi in dicto Kalendario certâ die occurrerit de Sancto, univerſaliter per totum Clerum noſtrum idem Officium de ipſo Sancto dicatur. Idem ſervetur, ſi Officium de Feria occurrerit, non omittendo aliquomodo Officium Mortuorum, pro ut ſupra Inſtitutio Ambroſiana demandat. Nec quiſpiam audeat hunc noſtrum ordinem aut ſtilum dicti Kalendarii aliquo pacto tranſgredi, vel etiam immutare. Volentes inſuper & mandantes, quod in diebus, quibus de Sancto aliquo divinum celebrabitur Officium, Epiſtolellæ ad Tertiam, Sextam, & Nonam ſpeciales pro ut inveniuntur in Officio Ambroſiano dicantur. Et ſi ſpeciales, vel propriæ non fuerint, tunc illæ communes de Sancto illo, pro ut occurrent. In ferialibus verò diebus communes de Feria dicantur. Quas Epiſtolellas proprias, ſpeciales, & generales, pro ut in multis Breviariis ſcriptæ ſunt, generaliter in omnibus aliis conſcribi volumus, & pariter annotari.

Inſuper quia nos ipſi videmus, quod in Eccleſiis Collegiatis vel Conventualibus, in quibus Horæ Canonicæ decantantur, Lectiones ſecundùm ſacratiſſimi noſtri Ambroſii inſtituta ordinariæ decantantur & dicuntur, dictas autem Horas & Officium Ambroſianum privatim & ſubmiſſâ voce dicentes, Lectiones hujuſmodi penitus omittunt, certas Epiſtolellas, ut eorum verbo utamur, quæ in Tertiis, Sextis, & Nonis ordinatæ ſunt, breves quidem valde & compendioſas in Matutinis dicunt loco ipſarum Lectionum, quod quidem ex longâ negligentiâ, continuâ incuriâ, & indevotione plurimâ proceſſit, ſimili modo volumus; decernimus, & mandamus, ut omnes Clerici privatim Officium celebrantes, ſe conforment in dicendis Lectionibus matutinalibus cum illis, qui in Eccleſia divina decantant Officia, eaſdemque debite & complete ſecundùm quod inſtituit devotiſſimus Pater noſter Ambroſius, dicant; ut bonus ſit ordo inter omnes, idem ſtilus, pariformitas in orando, & unitas in legendo. Declarantes, quod omnes de cetero ſcribant, aut ſcribi faciant Breviaria, quæ dictas Lectiones ordinate ac diſtincte compoſitas contineant, & non aliter. Habentes verò Breviaria in talibus defectuoſa & imperfecta, illa, infra ſex menſes a publicatione præſentium computandos, complere, & reformare ſtudeant, ſi Dei offenſam & noſtram indignationem & finaliter caſtigationem evitare voluerint.

Rurſus quia nobis ſumme eſt cordi, & magno ſtudio deſideramus hoc noſtrum Officium ſanctiſſimi patris noſtri Ambroſii augere, & in majorem devotionem ampliari, omnes & ſingulos de Clero noſtro, qui ad Horas Canonicas dicendas ſeu decantandas tenentur, infra ſex menſes a publicatione hujuſmodi computandos, teneantur habere, ſcribere, aut ſibi recuperare Horas Canonicas de Glorioſa Virgine Maria ſecundùm morem Ambroſianum. Et melius erit, ſi eas in Breviariis ſuis fecerint inſeri. Et qui citius eas recuperaverint, majori laude erunt digni, & majus meritum apud Deum, Advocatâ noſtrâ glorioſiſſimâ Virgine Mariâ matre ſua, & beatiſſimo Ambroſio, intercedentibus reportabunt. In Eccleſiis autem, in quibus Horæ Canonicæ decantantur, etiam Horæ hujuſmodi de beata Virgine dicantur in voce, ſeu tono minori, ſeu remiſſiori ante alias Horas ſingillatim, & per ordinem ſuum. Privatim autem Officium dicentes, & ſine cantu, dictas Horas beatæ Virginis dicant privatim ſecundùm devotionem ſingulorum. Per hoc autem tam ſanctum, tam meritorium, tam laudabile opus debemus omnes inde ſperare, quod piis interceſſionibus beatiſſimæ Virginis glorioſæ, & Sancti Ambroſii Confeſſoris, exoratus Dei Filius Dominus noſter Jeſus Chriſtus hanc inclytam, & in toto Orbe celeberrimam Civitatem proteget & defendet ab omni hoſtium incurſu, a tribulationibus & anguſtiis, veramque ſuam & firmam pacem ſuâ miſericordiâ nobis concedet, aut de adverſantibus victoriam & triumphum dignabitur impertiri. Alacri igitur, & ſincera mente, & cum bona devotione omnes ſtudeant has digniſſimas Laudes Virginis glorioſæ juxta ritum Ambroſii ſanctiſſimi dicendas de cetero promte ſuſcipere, ut divinus cultus noſtris temporibus, pro ut ſumme optamus, tale & tantum capiat incrementum. Adviſantes ex nunc promovendos ad Ordinem in futurum ſacros, ut Breviarium cum Lectionibus & Epiſtolellis ſpecialibus propriis, & de communibus, ut præmiſſum eſt, & etiam Officium de beata Virgine antedictum habere ſtudeant, quum tales in præmiſſis defectuoſos nullatenus admittere intendamus.

Verùm quia, ſicut etiam accepimus, in plurimis anni diebus ſolemnibus, & in Vigiliis ipſorum dierum, Veſperi minus ſolemnes, maxime in noſtra Cathedrali Eccleſia decantantur non per Capitulum noſtrum, pro ut conveniens foret, ſed per Capitulum Decumanorum, pro ut in diebus ſolet fieri quotidianis: quare ut is in divinis defectus noſtrâ proviſione reparetur, ſtatuimus ac etiam inviolabiliter ordinamus, quod Veſperi ſolemniter decantentur maxime in Eccleſia noſtra Cathedrali per Capitulum noſtrum in Vigiliis & in feſtis diebus infraſcriptis, & idem aliæ ſervent Eccleſiæ. Videlicet:

Duodecim Apoſtolorum.
Quatuor Evangeliſtarum.
Quatuor Doctorum Eccleſiæ, Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, & Gregorii.
Sancti Johannis Baptiſtæ.
Sanctorum Prothaſii & Gervaſii.
Sanctorum Nazarii & Celſi.
Inventionis & Exaltationis Crucis Dominicæ.
Sancti Barnabæ primi Archiepiſcopi Mediolanenſis.
Sancti Laurentii glorioſiſſimi Martyris.
Sancti Michaëlis Archangeli.
Sancti Martini.
Decollationis Sancti Johannis Baptiſtæ.
Cathedræ Sancti Petri.
Converſionis Sancti Pauli.
Sancti Dionyſii, immediati prædeceſſoris glorioſi noſtri Ambroſii.
Sancti Antonii devotiſſimi Confeſſoris.
Sancti Vincentii Levitæ & Martyris.
Sancti Sebaſtiani Martyris.
Sanctæ Mariæ Magdalenæ.

Et hoc ultra alios etiam feſtivos, in quibus Veſperi ſolemnes & duplices per ipſos de Capitulo

tulo noſtro hodierno tempore decantantur . Quum in illis nihil velimus immutare , quinpotius quæ recte aguntur commendare, & etiam confirmare.

Poſtremo licèt arbitremur , & quaſi certi reddamur , quod omnes vos , dilectiſſimi filii nobis in Chriſto , de Clero noſtro , quos hujuſmodi negotium tangit , cum devota animorum promtitudine , obedientia , & caritate , præmiſſa omnia & ſingula ad laudem Domini , & divini cultus augmentum ſuſcipietis, & ex ſinceris animis obſervabitis ; tamen ut eo ferventius omnia recipiatis , quo magis vos videritis divino & ſpirituali pabulo , ideſt Indulgentiis & remiſſionibus veſtrorum peccaminum confoveri , vobis omnibus , & ſingulis de Clero noſtro, qui præmiſſa omnia devote obſervabitis, & Horas de beatiſſima Virgine Maria ſpecialiter, ut præmiſſum eſt , dicetis , aliiſque Chriſti fidelibus Laicis , qui devote aut eas dixerint , aut eas audierint , & interfuerint in divinis , pro qualibet die Indulgentiam quadraginta dierum de injunctis eis pœnitentiis elargimur miſericorditer in Domino , quam uſque ad annum dumtaxat durare volumus .

Et ut præmiſſa omnia & ſingula ad veſtram, & cujuslibet veſtrûm notitiam poſſint & valeant veriſimiliter pervenire, nulluſque de præmiſſis valeat ignorantiam aliquam prætendere , vel excuſationem allegare , has noſtras Literas per infraſcriptum Baldaſſarem de Capris Cancellarium noſtrum ſubſcriptas , in Sacriſtia ſeptemtrionali noſtræ Cathedralis Eccleſiæ publice reponi , nec non in Libris novi Calendarii ibi poſiti deſcribi , ac in præſentia majoris partis Cleri noſtri ad hoc coram nobis congregati , nec non in noſtrâ publicâ Cardinalium audientiâ , coram Vicario noſtro , legi & publicari mandavimus , & inter Volumina aliorum Librorum dictæ Eccleſiæ dimitti & perpetuò conſervari , ut quilibet copiam & exemplum inde poſſit aſſumere , & de ipſarum continentia & tenore diligentius informari . Mandantes univerſis & ſingulis Capitulis Eccleſiarum Collegiatarum & Conventualium Civitatis, & Diœceſis noſtræ , quatenus infra menſem a die publicationis præſentium computandum in tabula publice appendenda in Sacriſtiis veſtris has Literas , & hujuſmodi Conſtitutionem noſtram deſcribi faciatis ſub pœna Florenorum decem fabricæ Eccleſiæ noſtræ applicandorum .

Datum Mediolani in domibus habitationis noſtræ ſitæ in Porta Ticinenſi in Parochia Eccleſiæ Sancti Sebaſtiani ſub Anno Nativitatis Domini MCDXL. Die Sabbati XXX. menſis Januarii , III Indictione .

Poſtremo tandem loco monebo , Ambroſianum Officium multa debere *Orrico* , ſive *Olrico Scacabarozio* , qui in ejuſdem Metropolitanæ Bibliothecæ Codice appellatur *Eccleſiæ Majoris Mediolanenſis Archipresbyter* , & *Præpoſitus Baſilicæ Apoſtolorum* , *ſive Sancti Nazarii in Brolio Mediolani* . Is enim Anno 1280. uti ex eodem Codice conſtat , multa Officia Sanctorum *tam in dictamine* , *quàm in cantu compilavit* . Leguntur ibi eadem Officia , uti & ipſius Auctoris Epitaphium , nempe :

ORRICVS DICTVS COGNOMINE SCACABAROZVS
MEDIOLANENSIS TVNC ARCHIPRESBYTER VRBIS ,
ARCA DE PETRA IACEO QVI CLAVSVS IN ISTA ,
SANCTORVM STVDVI CVM CANTV SCRIBERE LAVDES ;
NOMINA SVNT QVORVM NAZARIVS, ATQVE SOPHIA ,
ET MARCELLINVS , PETRVS , MAVRILIVS , ANNA &c.

Anno 1605. uſi ſunt Codice iſto , qui reſtaurationi , ac novæ editioni Miſſalis ac Officii Ambroſiani præfecti fuere . Ibi ejuſdem Orrici Epiſtola legitur ad *Dominum Comitem Dei gratiâ Sanctorum Marcellini & Petri Presbyterum Cardinalem* . Cernitur quoque idem Orricus ibi pictus . Veſtis candida uſque ad pedes diffluit . Supra illam rubea cappa cum capuccio, & ſine manicis, a tergo cadit uſque in terram : in anteriori verò parte inter brachia decidens uſque ad femora prolabitur. Coronat Clericalis non minor iis, quas rigidiores Aſcetæ nunc deferunt . Cardinalem S. R. E. diceres . Et revera *Cardinales* etiam appellabantur olim Canonici Mediolanenſis Eccleſiæ .

Ritus autem dumtaxat temporis noſtri , ſi quiſquam animo metiatur , fortaſſe miretur , cur apud Beroldum tot occurrant diſtributiones ac oblationes non pecuniæ tantùm , ſed & panis , vini , aliarumque frugum , quæ Clericis Metropolitanæ Mediolanenſis olim deferebantur , quoties recurrebant aut Anniverſarii Defunctorum dies , aut Sanctorum ſolemnitates , aut Canonici Ordinarii procedebant ad aliquam Eccleſiam . At minus periti norint , familiarem fuiſſe temporibus iis conſuetudinem hanc in ſingulis ferme Cathedralibus Eccleſiis ; ſed præcipue in Mediolanenſi . Tunc enim , ut alias cauſſas omittam, ſæpe per annum proceſſio erat Cleri Metropolitani ad aliquam ex urbanis , immo & ſuburbanis Eccleſiis , ſive quod minores Eccleſiæ honori ſibi ducerent a tam illuſtri Collegio viſitari , ſive quod majorum inſtitutio aut pacta ejuſmodi viſitationem exigerent . Huic autem labori , atque incommodo ſtatuta erat ſua merces . Cujus etiam rei exemplum adferre ſtatui , nempe tabulas, quibus Fulcuynus Civis Mediolanenſis Eccleſiæ a ſe ædificatæ, quæ nunc *Sancta Maria Falcorina* vulgo appellatur , & Collegio Canonicorum adhuc ornata eſt , dotem contulit ; inter alia decernens , quid pendendum foret Metropolitanis Clericis , ad laudes Deo decantandas illuc profecturis .

Dotatio ſacræ Ædis ad honorem Sanctæ Mariæ Virginis in Civitate Mediolanenſi, conſtructæ a Fulcuyno. Anno 1007.

IN nomine Domini Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Henricus gratiâ Dei Rex. Anno Regni ejus Quarto, octavo die menſis Octobris, Indictione ingrediente Sexta. Maniſeſte profiteor ego Fulcuynus, filius bonæ memoriæ Bernardi, de Civitate Mediolani, qui profeſſus ſum ex natione mea lege vivere Salicha; ego namque habeo ædificatam Capellam unam juris mei in terra propria mea intra hanc Civitatem prope locum, ubi Theatrum nominatur, in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quæ eſt Mater Domini noſtri Jeſu Chriſti, ubi nunc Presbyteri tres ibidem ordinati & Officiales eſſe videntur. Propterea prævidi ordinare & judicare ipſam Capellam, & medietatem ex omnibus rebus illis juris mei rejacentibus in loco & fundo Vicogeni. Quæ eſt medietas Manſos duos: primum rectum & laboratum per Protaſium, & alium per Lunfredum. Et ſunt ipſæ res nominatæ de ſedimine per menſuram perticarum ſex: de vineis juges tres: de campis per menſuram juges triginta: de pratis juges quatuor: de ſylvis caſtaneis juges tres: de ſylvis ſullareis & roboreis, ſeu zerbis juges decem. Eo ordine, ut ſic exinde permaneant a præſenti & deinceps, qualiter ego hìc ſubtus ſtatuero, & judicabo pro animæ meæ remedio. Itaut ipſa Capella in mea ſit poteſtate ad faciendum qualiter mea decreverit voluntas. Tamen volo & judico, ut unum ex ipſis Manſis ſupra dictis rejacentibus in eodem loco & fundo Vicogeni, quod rectum & laboratum eſſe videtur per jam dictum Protaſium, præſentialiter deveniat in poteſtatem illius Presbyteri, qui Major eſſe videatur in eadem Baſilica. Ad faciendum ex frugibus, vel cenſum redditum, quibus ex ipſo Manſo annue exierit, uſufructuario nomine. Eo tamen ordine, ut ſi Presbyter, & Diaconus, ſeu Subdiaconus, atque Magiſter Ebdomadarius, & Lectorum Primicerius, ſeu Lectores duo, & Clericus atque Schola Sancti Ambroſii in Vigilia in Nativitate Sanctæ Mariæ ad Veſperum canendum in eadem Baſilica venerint, quæ venit ipſâ Vigeſimaſeptimâ die menſis Septembris, ab ipſo majori Presbytero fruges & vinum accipiant. Inſuper ſi mane pſallendo in eadem Baſilica advenerint, & ibidem Officium Miſſæ celebraverint ſecundùm conſuetudinem, Clerici panem & vinum accipiant, & ipſi Septimanarii ab ipſo Presbytero invitati prandium accipiant. Prandio finito det ipſe Presbyter Cardinali Presbytero Denarios ſex; Diacono ſex; Subdiacono quatuor; Magiſtro Ebdomadario tres; Primicerio Lectorum tres; duobus Lectoribus binos Denarios; Clerico Denarium unum; prædictæ Scholæ Sancti Ambroſii panes ſegalitios, caſei libras duas, vini ſeſtarios duos; Cuſtodibus duos frumentitios panes, & duos ſegalitios, caſei libram unam, vini ſeſtarium unum.

Hæc autem omnia adimpleantur pro animæ meæ remedio. At ſi evenerit, quod ipſe prædictus Presbyter, Sathanâ compellente, ſicut ſuperius a me dijudicatum eſt, non adimpleverit, eodem anno eamdem Capellam perdat, neque in antea eidem Eccleſiæ fungatur officio. Fruges verò & de Cenſu ſupraſcripto Manſo ipſo anno

A *in poteſtate Cardinalis Presbyteri, & Diaconi deveniant uſque ad expletum annum, eo ordine, ut quod ſacrilegus Presbyter neglexit, ab Septimanariis recuperetur. Expleto itaque anno Presbyter, qui ſecundo a primo in eadem Capella præordinatum eſſe videatur, ad ipſum Manſum recipiatur, ut adimpleatur quod a me dijudicatum eſt. Et ſi quis Presbyter deinceps hoc neglexerit, ſempiternaliter ad ipſum patiatur detrimentum. De reliquo Manſo, ut ſupra legitur, qui rectum eſſe videtur per ipſum Lunfredum, a preſenti die deveniat in manibus & poteſtate ipſorum trium Presbyterorum, qui in ipſa mea Capella Officiales & præordinati fuerint; faciendum tam ipſis, quàm eorum poſteris*

B *de frugibus & cenſu, qui exinde exierint inter ſe æqualiter ad eorum uſum & benedictionem quamcumque voluerint, pro animæ meæ remedio, quia ſic eſt mea voluntas. Quæ autem res, ut ſupra legitur, cum ſuperioribus & inferioribus ſuorum confinibus & acceſſionibus ſuis, integrum ab hac die in antea volo ego Fulcuynus, ut ſic exinde permaneat, qualiter ego Fulcuynus ſuperius judicavi, & taliter per Cultellum, Wanthonem, Vaſone terræ, & Frondes arborum, ſeu Feſtuchum nodatum, pars eidem Baſilicæ Sanctæ Mariæ legiptimam facio traditionem, & corporalem Inveſtituram: habendum & tenendum, ſicut ſupra habere inſtituit, ſine mea meorumque heredum contradictione. Et me*

C *exinde foris warpiſco de rebus ipſis a parte eidem Baſilicæ, & abſentem me facio. Si quis verò, quod futurum eſſe non credo, ſi ego ipſe Fulcuynus, quod abſit, vel ullus de heredibus ac proheredibus meis, ſeu quislibet noſtra oppoſita perſona, contra hoc meum Teſtamentum ire, aut eum irrumpere quæſierimus, tunc componam partem eidem Baſilicæ, & eoſdem Presbyteros, mulctaque eſt pena auro optimo ontias tres, & argenti pondera ſex. Et quod repetierimus, vindicare non valeamus: ſed præſens hæc Cartula Judicati diuturnis temporibus firmum & inconvulſum permaneat cum ſtipulatione ſubnixa. Et Pergamena cum Atramentario de terra levavi: Arialdi Notarius & Judex ſa-*

D *cri Palatii dedi exſcribere, rogavit, & ad teſtibus roborandam.*

Actum ſupraſcripta Civitate Mediolani.

Fulcuynus a me facto ſubſcripſi.

Leo Judex ſacri Palatii rogatus ſubſcripſi.

Lanfranchus Notarius ſacri Palatii rogatus ſubſcripſi.

Signum manibus Marini, & Andumi, pater & filius, lege viventes Salicha, teſtes.

Ego qui ſupra Arialdus Notarius & Miſſus Domini Secundi Conradi Regis, authenticum hujus exempli vidi & legi, & ſic in eo continebatur, ſicut in iſto legitur exemplo, præter literam plus vel minus.

Ego Gualdricus Paliarius Notarius ſacri Pa-

E *latii, authenticum hujus exempli &c.*

Ego Suzo Judex de Marliano, authenticum hujus exempli &c.

Ego Paſſaguerra Judex authenticum hujus &c.

Ego Petrus ſacri Palatii Notarius, qui dicor Abbas,

Abbas, hoc exemplum ex authentico exemplavi, & ſicut in eo &c. & interlegniavi, ut ſupra.

Poſtea Marcus filius Domini Azonis de Hoſtioſo Civis Mediolanenſis, qui habitabat in Canonica Mediolanenſi, ſacri Palatii Notarius, ſupraſcriptam ſcripturam authenticavit in puplicam formam, & ſcripſit Milleſimo Ducenteſimo Sexageſimo Tertio, die Jovis, ſecundo die Auguſti, Indictione Sexta, de parabola Domini Antonii de Aliate Conſulis Juſtitiæ Mediolani, ut conſtat per publicum Inſtrumentum, traditum per Gallinum filium Domini Guiielmi de Aliate Notarium Portæ Romanæ.

A Epocham Regni Italici animadverte: non enim illam a Germanici Regni initio Henricus Sanctus inchoavit, hoc eſt ab Anno Chriſti 1002. ſed quidem ab Anno 1004., quo in Italiam cum forti exercitu deſcendens, dejecto Arduino Rege, ab Italiæ Principibus Italiæ Rex electus & renuntiatus eſt. Alteram Chartam addo, ex qua intelliges, quid pro Anniverſario die tribueretur olim Clero Metropolitano.

Charta Lazari Cuſtodis Metropolitani Templi Mediolanenſis, qua diſtributiones decernit in ſuo Anniverſario faciendas, ac Lampadem in Choro ejuſdem Baſilicæ accendendam ſtatuit. Anno 1158.

Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Octavo, XII. Kalendas Septembris, Indictione VI. Eccleſiæ celeberrimi Chriſti Martyris Georgii ædificatæ in Porta Horientali in Platea Menclotiorum. Ego in Dei nomine Lazarus Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiœ Cuſtos, & filius quondam Nigri, qui dicebatur de Canoſſa, de Civitate Mediolani, a præſenti die & hora dono & offero, retento in me uſufructu, donec vixero, Campum unum juris mei, quem habeo in territorio Foramania ante hoſtium Monaſterii Sanctæ Mariæ, & omnes illas res territorias, quas emi ab Rogerio de Capite Muri in territorio Montis Luparii, & ex quibus ipſe Rogerius mihi fictum reddit annualiter blavæ ad menſuram Mediolani Modios quatuor. Et Vineam unam, quam habet in territorio loci Coromiolæ, ubi dicitur in Vello. Et Modios octo, & Sextarios duos blavæ annuales, quos emi ab Eyruino de Vicomercato in territorio loci Concorezi, & redduntur per Guilielmum Caballum, & Arialdum Bodium. Ea tamen lege ut Sacerdos prædictæ Eccleſiæ, qui nunc eſt, & qui pro tempore fuerit, faciat omni anno, tempore, & die obitus mei pro ſalute animæ meæ Annuale ad Eccleſiam Dei Matris & Virginis Mariæ, quæ dicitur Hyemalis, cum communi omnium Sacerdotum, & Canonicorum Mediolani. Et ſolvat pro Matutino Presbyteris quatuor Ordinariis per unumquemque Denarios quatuor; & Diaconibus ſeptem Ordinariis per unumquemque Denarios quatuor; & Subdiaconibus ſeptem per unumquemque Denarios tres; Notariis quoque quatuor per unumquemque Denarios tres; Primicerio Lectorum Denarios tres; & per unumquemque Lectorem Denarios duos; Cuſtodibus per unumquemque Denarios duos; unicuique ex Vegionibus & Vegionabus Denarium unum; Cruci Denarium unum; per Thuribulum Denarium unum; Canonicis Decumanis Denarios duodecim. Et ſi quis ex præfatis omnibus defuerit, nihil habeat. In mane tribuat communi omnium Sacerdotum & Canonicorum Solidos ſedecim & Denarios ſex. Ad Miſſam faciendam det jam dictus Presbyter Sancti Georgii Domino Archiepiſcopo Denarios viginti quatuor, & cantet Miſſam. Si verò non interfuerit, habeat ex illis Denariis viginti quatuor Presbyter Ebdomadarius Denarios quatuor, & celebret Miſſam: alios viginti habeant Maleſani, & interſint. Diacono tribuat Denarios quatuor. Subdiacono Denarios tres: Magiſtro Scho-

B larum Denarios tres: Puero cantanti Canticum Denarium unum: Calici Denarium unum: pro Campana Denarios duos: in proceſſione Crucis Cuſtodum Denarium unum: Cruci Vegionorum Denarium unum. Et faciat jam dictus Presbyter Sancti Georgii Circulum unum ferreum ad modum Scuti, & ponat illum in Choro Hyemalis Eccleſiæ, & ſuſpendat ipſum ſuper introitum Chori coram ferreo plauſtro, & in ipſo ardere faciat omni anno in Adventu Domini Libram unam Olei, & Natali Domini ardere faciat Libras tres in eodem Scuto. Et ſi quid Olei remanſerit, a die Domini conſervetur uſque in Epiphaniam, & tunc accendatur. Et in Quadrageſima Majore ardere faciat in

C prædicto circulo Olei Libras duas, & Cicendelarii quatuor habeant Denarios ſex. Et volo, ut prædictæ res nullo modo contingant Clericum Adalmaniæ Menclotiorum, ſed mortuo Sacerdote Sancti Georgii, donec alius ordinetur, veniant res omnes prænominatæ in poteſtatem Primicerii Majoris & Lectorum, & ipſi eas rogant, donec alius ordinetur, aliove ordinato Presbytero, ad eum prænominatæ res jam dicta lege perveniant & revertantur; quia ſic mea bona decrevit voluntas pro remedio animæ meæ. Unde tres Chartulas ſcribere rogavi, quarum unam retineat ſibi jam dictus Presbyter Sancti Georgii, & aliam habeat Primicerius Major, tertia verò ponatur in Secretario.

D Actum Civitate Mediolani.

Signum manuum ſupraſcripti Lazari, qui hanc Chartam, ut ſupra fieri rogavit, & Traverſi Menclotii, & Ottonis Menclotii, & Rogerii de Puteoblanco, & Rogerii Regizonis, atque Guaſconis de Peſcaria teſtium.

Ego Stephanus Menclotii Tabularius ſacri Palatii tradidi & ſcripſi.

Ego Marcus filius Domini Azonis de Hoſtiolo Civitatis Mediolani, qui habito in Canonica majori Mediolani, ſacri Palatii Notarius, ſupraſcriptam ſcripturam nihil addens, nec minuens, exceptis literis vel ſyllabis plus minuſve, auctoritate Domini Antonii de Alliate Conſulis Juſtitiæ Mediolani, ut conſtat per pu-

E blicum Inſtrumentum traditum & ſcriptum per Gallinum filium Domini Guillielmi de Alliate, Portæ Romanæ Notarii, Milleſimo Ducenteſimo Sexageſimo Tertio, die Jovis, ſecundo Auguſti, Indictione VI. authenticum inſinuavi, & in publicam formam redegi, & ſcripſi, & ut ſupra interligniavi.

BREVE
CHRONICON
REGUM LANGOBARDORUM, ET AUGUSTORUM
FRANCICI GENERIS

Ab Anno Chr. DLXVIII. uſque ad Annum DCCCLXXXIII.

E MANUSCRIPTO CODICE PATAVINO.

LUDOVICI ANTONII MURATORII

M O N I T U M.

NOn ingratum Lectori fuerit breve Chronicon iſtud accipere, ad antiquiſſima tempora Italiae in barbariem prolapſae ſpectans; in tantâ quippe monumentorum veterum penuria vel ipſa fragmenta magni facienda ſunt. Huic ſane veneranda vetuſtas non deeſt, quum Anno Chr. DCCC-LXXXIII. regnante Carolo Craſſo Auguſto ſcriptum fuerit a quodam Monacho Monaſterii Brixiani ad Leones, olim celebratiſſimi, cujus etiam mentio in hoc ipſo Opere non ſemel occurrit. Cuinam vero acceptum referam hujuſmodi munuſculum, is eſt Johannes Brunaccius, juvenis mei amantiſſimus; qui Patavii in barbaricae Eruditionis pomoeria ingreſſus indefeſſo ſtudio curat, ut quidquid veterum tabularum & Antiquitatum ampliſſima Civitas ſuppeditare poteſt, perſpectum ſibi ſit. Ejus labore Lector interea fruatur.

BREVE CHRONICON

Ab Anno Chr. DLXVIII. uſque ad Annum DCCCLXXXIII.

ANno autem Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCXL. Indictione III. Sol quaſi hora nona obſcuratus eſt tamquam in nocte, & ſtellæ apparuerunt in Cœlo, ideſt III. Nonas Maji, IIII. feria in Letaniis. Eodem anno Hludowicus Imperator Major moritur. Item anno Incarnationis Domini DCCCIII. & Indictione VI. fuit fames valida in menſe Majo &c. Si vis ſcire quot anni ſunt, ex quo Franci, ideſt Karolus Rex Francorum Italiam apprehendit, multiplica XV. per XVII., ideſt ſepties XVdeni faciunt CV. Adde regulares III. qui cadunt XII. Indictione in menſe Julio Karolus Deſiderium Regem Langobardorum comprehendit. Adde & Indictionem cujuslibet anni, ut puta præſenti anno I. faciunt CVIII. tot ſunt anni ex quo Franci Italiam ceperunt &c. Si vis ſcire quot anni ſunt ex quo Langobardi Italiam ceperunt, multiplica XV. per XX., ideſt vicies quindeni faciunt CCC. Adde regulares XII. qui cadunt III. Indictione factus eſt Albuinus Rex Langobardorum Dominus Italiæ. Adde quoque & Indictionem cujus volueris anni, ut puta præſenti anni I. fiunt ſimul CCCXIII. tot ſunt ergo anni ex quo Langobardi Italiam ceperunt anni Domini Incarnationis DLXX. Indictione ſupraſcripta &c. Quando Langobardi egreſſi ſunt de Pannonia ut venirent in Italiam feria II. de Albas, tunc fuit Paſcha noſtrum Kalendis Aprilis, annos ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti DLXVIII. Indictione I. Tertia verò Indictione ceperunt Italiam anno Incarnationis Domini DLXX. Et regnavit annos III. & menſes VI. Perdiderunt autem Regnum Italiæ Langobardi poſt annos CCII. Clepho regnavit annos II. & menſes VI. Judices Langobardorum judicaverunt Italiam ſine Rege annis XII. Authari regnavit annos VII. Agiluvad regnavit XXV. Adeluvad filio ejus regnavit X. Arioald regnavit annos X. Rothari regnavit annos XVI. Rodoaldo regnavit menſes VI. Aripert regnavit annos VIIII. Grimoald annos VIIII. Bertari regnavit annos XVI. Cuningpert regnavit annos XIII. Liutpert regnavit annos II. Aripert regnavit annos XII. Anſprand regnavit menſes III. Liutprand regnavit XXXI. & menſes VII. Hilprand regnavit menſes VII. Ratchis regnavit annos IIII. & menſes VIIII. Aiſtulphus regnavit annos VII. Deſiderius regnavit annos XVII. & menſes IIII. Karolus regnavit annos XL. Ludowicus regnavit annos XX. Lotharius regnavit XVI. annos. Hludowicus regnavit annos XXVI. Anno autem Regni ſui XVIII. perrexit Beneventum, & occupavit eam, ſeu etiam comprehendit Seldanum Regem Paganorum, & Princeps Chriſtianorum nomine Oaiſeri, & Adelchis, qui eam poſſidebant. Anno ab Incarnatione Domini noſtri DCCCLXXI. Indictione IIII. captus eſt ipſe Imperator a Beneventanis, comprehenſus eſt ab ipſis ſero tempore, & fecerunt eum ſacramentum facere una cum conjuge & filia ſua. Karolus regnavit annos II., fuit autem valde pius; ſuo autem tempore magnam pacem, quia unuſquiſque gaudebat de bonis ſuis. Karolus regnavit annos II. Karlomanno annos II. Karolus minor nunc III. agit annum per Indictionem I. Anni Domini DCCCLXXXIII. Quando autem Karolus filius Hludowici Regis Bajoariæ in Italiam ingreſſus eſt hoc eſt VII. Kal. Novembris ſecunda feria anni Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCLXXVIII. Indictione XIII Anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCXLnono, & poſt ingreſſum in Italiam Langobardorum Anno CLXXXimo accepit Regnum Langobardicæ gentis vir glorioſiſſimus Aiſtulfus Rex in menſe Julio Indictione II. Non longe poſt ipſe Aiſtulfus Rex obiit, gubernavitque palacium Ticinenſe Ratchis glorioſus germanus ejus dudum Rex. Tunc autem Chriſti famulus a Decembrio uſque Martium. In menſe verò Martio ſuſcepit Regnum Langobardorum vir glorioſiſſimus Deſiderius Rex anno Incarnationis Domini DCCLVII. Indictione X Hic ipſe excellentiſſimus Rex comprehenſum virum Anſelmum Abbatem Nonantulenſem in exilium direxit, fuitque in exilium toto tempore quo ipſe Regnum tenuit. Anno Dominicæ Incarnationis DCCLVIII. Indictione XI. ceptum eſt Monaſterio Domini Salvatoris locus, qui dicitur Leones a præfato glorioſiſſimus Deſiderius Rex. Sed & Eccleſia ad honorem Domini Salvatoris, & Beatæ ſemper Virginis Mariæ, & Beati Archangeli Michaëlis ædificata eſt ab ipſo præfatus Rex antequam Regnum cepiſſet. Non longe poſt introitum Regni, & inchoationem hujus Cœnobii Domino cooperante, & prænominato excellentiſſimo Rege translatum eſt a Civitate Beneventum de Caſſino caſtro quædam Corporis partem Beatiſſimi atque excellentiſſimi Confeſſoris Benedicti Abbatis, & ab Urbe Roma Corpora Beatorum Martyrum Vitalis & Martialis, & in eodem ſacroſanctum conditum eſt Cœnobio. Præfuit autem ipſo tempore in ipſo Cœnobio, hoc eſt Leone Ermoald Abbas, quod ipſe præfatus Rex ex Beneventum Monaſterio ſecum adduxit, ſeu & alii XI. ex quibus unum nomine Lampertum Papa conſtituit, Domino auxiliante, uſque ad perfectum ductum eſt. Regnavit itaque excellentiſſimus Deſiderius Rex annos XVIII. Porro in XVIII. anno Regni ejus ſuperveniens Karolus Rex Italiæ in menſe Julio Indictione XII. Anno Incarnationis Domini DCCLXXIIII. Et datum eſt ab ipſo Karolo noſtro Monaſterio. Karolus igitur cum gubernaſſet Regnum Francorum & Langobardorum, nec non & Romanorum poſtquam Italiam cepit annos XL. in ipſo XLmo anno, necdum expleto ab hac luce V. Februarii ſubtractus eſt Anno Incarnationis Domini DCCCXIII. Indictione VII. Regnavitque Ludowicus filius ejus pro eo . . . .

EXCERPTA

EX CHRONICO

JORDANI

Ab Anno circiter DCCCCL. uſque ad MCCCXX.

Nunc primum prodeunt

EX MANUSCRIPTO CODICE

BIBLIOTHECÆ VATICANÆ.

IN EXCERPTA
EX JORDANI CHRONICO,
PRÆFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

JOrdanus, e cujus Chronicis Excerpta nunc profero, quis fuerit, nemo a me petat. Non minus mihi, quam Lectori, ignotus eſt. Tenerum adeo affectum erga Sanctum Franciſcum Aſiſinatem prodit, ut ſuſpicatus interdum fuerim, ipſum militaſſe in Ordine Minorum. Sed ſuſpicionem illam abjeci, quando *Fratris* titulum ejus nomini additum non vidi. Hunc ipſe ſane minime contemſiſſet. Ubicumque etiam occaſio ſe illi offert loquendi de *Venetorum* rebus, eorumque geſtis in Oriente, multo ſtudio ac amore in eos fertur, ita ut videri cuiquam poſſit, communem cum iis patriam habuiſſe. Verum haec omnia incerta ſunt. Illud exploratum habeo, Jordanum floruiſſe ineunte Saeculo Chriſti Decimo quarto. Narrat ipſe Meteoron mirabile ſibi viſum in Caelo Anno MCCCXIV. Kalendis Martii. Scripſit autem Chronicon *a creatione Mundi* pro more ſuorum temporum, ipſumque deduxit ad Annum uſque MCCCXX. Codex fortaſſis unicus, membranaceus, & manu exaratus, inter MStos Bibliothecae Vaticanae omnium celeberrimae ad num. 1960 aſſervatur. Atque idem ipſe eſt, quo ſaepe uſus fuit Odoricus Raynaldus in contexendis Annalibus Eccleſiaſticis. Porro nil rei Jordano noſtro fuiſſe puto cum altero ejuſdem nominis Hiſtorico, qui ſub Rodulpho I. Auſtriaco floruit, & cujus breve Chronicon a Simone Scardio editum fuit *de translatione Romani Imperii in Germanos*. Tam ſpiſſum Opus a Jordano relictum, quippe ab exordio Mundi per tot Saecula decurrens, nemo non intelligit, inutile plane onus futurum, ſi integrum evulgaretur. Quare, ut conſuetudo mea eſt, dimiſſis ſuperfluis, deſcribenda tantum curavi, quae ad Saecula propiora, atque ad res Italicas pertinent. Neque enim geſta extra Italiam, ac potiſſimum Vitae Sanctorum (quod quidem Bollandiſtarum inſtituto praecipue convenit) mihi quaerebantur, eoque minus, quod Scriptor iſte expilaſſe videtur ſcrinia Vincentii Belluacenſis. Quae pauca igitur heic exhibentur, debeo ego, & mecum debebit Lector, diligentiae Clariſſimi & amici viri Nicolai Carminii Falconis, qui antequam ob ingenii, morumque ſuorum merita ad Epiſcopalem Cathedram Marturani in Calabria eveheretur, veniâ factâ ab humaniſſimis & doctiſſimis Vaticanae Bibliothecae Cuſtodibus, ſingula deſcripſit, & ad me miſit. Ceterum ſignificavit ille mihi, in ejuſdem Vaticani Codicis marginibus complures haberi imagines a Pictore non imperito efformatas, & minio illitas, quae arma, chlamydes, & reliqua Militum ornamenta referunt, ante quadringentos annos uſitata. Ex eorum conſpectu illuſtrari non modicum poſſet illius temporis Militia. Ibi quoque viſitur effigies Sancti Franciſci, aculeatum capitis tegumentum, ſive Caputium gerens, quale nunc in uſu eſt apud religioſiſſimos Patres Capuccinos. Uti notum eſt, plures hac de re controverſiae inter Minoritas interceſſere. Saepe etiam in ipſius Codicis paginis viſitur depicta in vexillis Aquila Imperialis non biceps, uti nunc, ſed uno capite, unoque roſtro. Qui bicipitem Aquilam ante Saeculum Aerae Chriſtianae Decimum quartum uſurpatam arbitrati ſunt, has etiam picturas adverſari ſibi ſentient. Denique titulus Operis in eodem Codice hic eſt: *Satyrica geſtarum rerum Regum atque Regnorum, & ſummorum Pontificum, Hiſtoria, a creatione Mundi uſque ad Henricum VII. Romanorum Auguſtum.*

EXCERPTA EX CHRONICO JORDANI.

Prologus in Satyricam geſtarum rerum Regum atque Regnorum & Summorum Pontificum Hiſtoriam a Mundi creatione uſque ad Henricum VII. Romanorum Auguſtum.

Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te ex die, quo creavit Deus hominem ſuper terram &c.

CAP. CCXVIII.

De Imperio Othonis, & ejus contemporaneis.

Cujus I. Particula de quibuſdam contingentibus.

Otho imperavit poſtea. Hic in Palatio Aquiſgrani a Moguntino Archiepiſcopo coronatus eſt. Ipſe Sclavos & Bohemos ſibi reſiſtentes oppreſſit. Belgicos ei tranſitum Rheni prohibentes fugavit, & totam Belgicam in deditionem accepit, & ſucceſſoribus dereliquit. Hic Hungaros juxta Auguſtam vocatus a Sancto Epiſcopo Udalrico ſtravit. Hic etiam in Goſlaria Saxonica argentinas fodinas primus invenit. Filio ſuo filiam Imperatoris Coſtantini de Romano Sanguine procreatam copulavit. Primo anno Othonis Sanctus Vinceslaus a fratre occiſus eſt; qui tantæ fuit humilitatis, ut de nocte uno ſervo comite ligna præcideret, & ſuis humeris ante oſtia viduarum & pauperum deferret, & ex ſpicis, ſuis manibus collectis, hoſtias faciebat, & Eccleſiis dividebat. Hic poſt CCC. annos apparuit Henrico Regi Dacorum, dicens, quo genere mortis moreretur, & quod ſuo nomine Monaſterium ædificaret. Qui antequam compleret, a fratre occiſus eſt. Ejus etiam tempore vixit Edgandus in Anglia. Dunſtanus autem Epiſcopus ſanctiſſimus, quum quadam die Dominicâ, appropinquante horâ tertiâ, ſe præparaſſet ad celebrandum, Regiſque exſpectaret adventum, qui ad venationem iverat, ſubito ſoporem perpeſſus, dum cubitis ſtaret, innixus altari, & lacrymis intentus, in cœlum rapitur, & immixtus Angelis, audit eos Sanctæ Trinitati modulatis vocibus canere *Kyrie eleiſon Kyrie*. (a) Quarum cantum ad ſe reverſus retinuit; & interrogat, ſi Rex venit, & reſponderunt, non. Quum verò iterum oraret, iterum raptus audivit altiſſima voce cantari: *Ite Miſſa eſt*: quumque reſponderetur: *Deo gratias*, acceſſerunt Clerici Regis, nuntiantes ejus adventum. Quibus ille reſpondit, quia jam ipſe Miſſam audierat, nec aliam ea die diceret, & audiret; & viſionem aperuit, ac formans tunc ſermonem Regi, venationem

A tali die prohibuit. *Kyrie* quoque in cœlo audita Clericos ſuos docuit, & per multa loca in Anglia cantari conſuevit.

Particula II. de Summis Pontificibus.

Stephanus natione Romanus ſedit annos III. menſes IV. dies XV. Ceſſavit Epiſcopatus dies XX. Marinus natione Romanus ſedit annos XIV. Ceſſavit Epiſcopatus dies III. Agapitus natione Romanus ſedit annos VII. menſes X. dies V. Ceſſavit Epiſcopatus dies VII. Hujus pater Albericus, quum eſſet potens, vocatis Romæ nobilibus, rogavit eos, ac juramento aſtrinxit, ut filium ejus Octavianum, B Agapito mortuo, Papam facerent, & ita contigit. Hic venator erat, & lubricus, & publice feminas tenebat. Quidam autem Cardinales occulto ſcripſerunt Othoni, ut Eccleſiæ ſuccurreret. Quod quum ipſe cognoviſſet, Johanni Diacono Cardinali naſum, & alteri Johanni Subdiacono, qui literas ſcripſerat, manum amputari juſſit. Hic fuit per Imperatorem & Clerum frequenter monitus, nec correctus. Denique a tota Italia, collecto Concilio, de rebus nefariis infamatur. Et dum venire renuit, a cunctis damnatus ceſſit. Ejus tempore imperantibus Conſtantinopoli Conſtantino atque Romano, Saraceni de Africa venientes Neapolim obſederunt. Et quum jam Urbi hu- C mana deeſſent remedia, oppidani ad Religionem converſi, præcipuos patronos Januarium, & Agrippinum ex Platea Furcille, de Neapoli oriundum & Præſulem, magnis ſolitum fulgere miraculis, profuſis lacrymis, & ſingultuoſis ſuſpiriis orant, ut ſicut ab igne Veſubii olim ſuis precibus & meritis liberaverant, ita & nunc contra Ethnicæ gentis furorem ferrent opem. Igitur felices illi Præſules obſidi cuidam apud Neapolim detento illacrymanti, nocte in viſione apparent. Lacrymæ & doloris cauſam perquirunt, & audiunt, quomodo in craſtino captâ Urbe Chriſtianorum ſanguis plurimus funderetur. Illi vero triſtem conſolantes ajunt: *Abſit, ut hoc facinus permittat celſa Po-* D *teſtas*. Dum vero aurora finem daret, hoſtes cum navigiis adveniunt, erectiſque jam ſcalis, quum muros putarent aſcendere, interceſſione Sanctorum Præſulum, navis una eminentior

ceteris

(a) *Conſule ejus Vitam apud Acta Sanctorum Ordinis Benedictini Mabillonii, unde deſumta ſunt hæc.*

A ceteris ſubmerſa eſt , totuſque exercitus perturbatus abſceſſit . Poſt electum autem Leonem , a Romanis Johannes iterum rapitur ; & collectâ Synodo Leonem depoſuit, ejuſque geſta caſſavit . Tandem cum uxore cujuſdam ſe oblectans , a Diabolo in tempore percuſſus in præſentia obiit. Et Benedictus a Romanis ſubrogatur. Quumque Romani Othoni juraſſent, numquam ſe Papam electuros abſque ſua aut ſui filii voluntate , venit protinus Otho Romam , eamque obſedit , & fame afflixit , donec Leo reſtitutus eſt . Benedictus autem degradatus , ab Imperatore in carcere ſtrangulatus eſt . Aliqui ſcribunt , quod in Saxoniam miſſus fuit . Benedictus natione Romanus ſedit menſes II. Hic a Romanis, vivente Leone, Johanni
B ſubrogatur. Leo natione Romanus ſedit annum I. menſes IV. Ceſſavit Epiſcopatus dies IV. Hic , quia Romani ſuos intrudebant , ſtatuit , ut nullus Papa fieret , niſi de conſenſu Imperatoris. Et donationes factas a Juſtiniano, Ariperto , a Pippino , a Carolo Eccleſiæ Romanæ in Regno Italiæ , de conſenſu Cardinalium & totius Cleri & Populi Romani, Othoni remiſit; ſibique ac ſuis ſucceſſoribus commiſit , ab invaſoribus Italiæ Regnum perpetuo defendendum . Hic ex Laico aſſumtus Othonem coronavit. Diſtinct. LXIII. c. I. in Synodo . Et eaſdem dignitates ei contulit , quas Adrianus Carolo Magno , licèt poſtea renuntiaſſe inveniatur , ſicut & Ludovicus . Johan-
C nes natione Narnienſis ſedit annos VII. menſes XI. dies XV. Ceſſavit Epiſcopatus dies XIII. Hic a Petro Urbis Præfecto apprehenſus , in Caſtello Sancti Angeli eſt detruſus . Denique in Campaniam in exilium miſſus . Sed poſt . . . . & dies XXVIII. reverſus eſt Romam . Otho quoſdam perſequutorum trucidavit , quoſdam exiliavit . Benedictus natione Romanus ſedit annum I. menſes VI. Ceſſavit Epiſcopatus dies XX. Hic captus eſt , & in Caſtello Sancti Angeli ſtrangulatus eſt a Tito Theodoræ filio . Donus natione Romanus ſedit annum I. menſes VI. Ceſſavit Epiſcopatus dies X.

D *Particula III. de quibuſdam Italiæ Regibus .*

QUia Franci Italiæ non ſuccurrebant , Hugo in Italia imperavit Annos XXII ſicuti translato ad Italicos Imperio . Denique Berengarius annis VIII. Lotharius annis II. Cujus tempore Sol factus eſt ſicut ſanguis , & poſt paucos dies magna hominum cædes ſequuta eſt . Hic in morte Adheletam uxorem relinquens , nil de Regno diſpoſuit . Berengarius autem laudatus Veronæ abſque Reginæ nutu imperium ſumſit , & tenuit cum filio ſuo Alberto annis XI. & Reginam cum una famula , & Martino Presbytero in Arce G rdæ poſuit .
E Contigit autem eos fugere , & cum navicula quadam ad ſilvam deduci. Sacerdos vero de die eleemoſynam pro omnibus quærebat. Suſpirans autem Regina , dixit Sacerdoti , Adhelardum Regii Epiſcopum , ſuum fidelem fuiſſe amicum . Ipſum requirat ſecuro eos tutari loco. Requirit ergo Sacerdos Epiſcopum , & ille gaudens ait , ſe tuto carere loco , & Sacerdotem ad Azonem avunculum ſuum tranſmiſit . Ille Regi prius amiciſſimus Reginam ſuſcipit ; & in Turri , quam extruxerat , collocavit , decimo ab Urbe milliario , tutiſſimo loco , juxta quem e fontibus montium aqua procedit , quæ Benhiana vocatur , a quibuſdam vero Incia ; & Canoſſam Arcem appellavit . Demum conſcio Johanne Papa Othoni Regi eam offert, dicens , quod per eam poſſit Langobardorum & Romanorum obtinere imperium . Venit Otho perniciter Veronam , & a Berengario honorifice ſuſcipitur . Inde procedit Regium, & per Azonem ad Reginam deductus eſt , & eam in uxorem ſuſcepit , quam in Saxoniam duxit . Berengarius hoc comperto Azonem obſidet menſibus XV. Tunc ab Apoſtolica Sede mittuntur Legati ad Othonem , conquerentes de tyrannide Berengarii , & ejus auxilium implorantes . Gualpertus autem Epiſcopus Mediolani , & Gualdo Cumanus Epiſcopus , cum ceteris Italiæ Principibus pro eâdem cauſa ad Othonem iverunt. Tunc Otho filium Othonem coronavit , & per Vallem Tridentinam introivit Italiam . Sequenti anno Berengarium in Monte Sancti Leonis obſedit. Filius autem ejus Albertus in Corſicam fugit . Otho autem Berengarium per deditionem accepit , & in Saxoniam adductum Reginæ præſentavit. Quæ eum in teterrimo carcere clauſit , ubi miſerrime vitam finivit . Poſt Othonis autem diſceſſum Albertus , inſtar patris , Azonem obſedit. Qui auxilium Othonis repetens , Litulphum ejus filium cum mille militibus ſuſcepit . Mortuo autem Litulpho in prœlio , Azo victor fuit . Albertus autem ad Imperatorem Conſtantinopolitanum Nicephorum fugit , Anno Domini DCCCCLXII. Sic Italiæ tunc Imperium finem habuit . Sequenti Octobri Otho Imperii diadema Romæ ſuſcepit a Papa ; Azonem Liguriæ præfecit , & demum curam Italiæ in ſua abſentia commiſit . Poſt hæc Azonis uxor anno quarto vitâ exceſſit, & Azo, eodem anno , ſepulti apud Monaſterium Sancti Apollonii . Azoni autem ſucceſſit filius Thealdus , patri aut æquandus , aut præferendus , qui honorem paternum aſſequutus , a ſummo Pontifice Ducatum Ferrariæ ſibi ſucceſſoribuſque ſuis ſub annuo cenſu Romanæ Eccleſiæ perſolvendo obtinuit. Qui ut Ferrariam magis libere ſervaret , Arcem ſuper Padum ædificavit , & a ſuo nomine Caſtrum Thealdi nominavit . Monaſterium quoque Sancti Benedicti in Mantuanorum finibus conſtruxit . Lotharius Rex Franciæ cum Othone multa bella habuit. Tamdem ſuper Barum fluvium pacificantur , datâ Lotharingiâ Othoni . Ex quo Barones Franciæ offenſi ſunt maxime . Hugo Magnus , ſub hoc Lothario factus Dux Franciæ poſt biennium mortuus eſt. Cui ſucceſſit Hugo Capeth filius ejus. Et nota , quod ſicut per vilitatem Regum ſupradictorum introducti ſunt Majores Domus , qui Regnum ad ſe traxerunt , ita & nunc Duces inſtituti ſunt , qui ſibi Regnum ſupradictum ſimiliter uſurparunt . Lotharius autem ab uxore adultera extinctus dicitur .

Particula IV. de Regibus Auſtriæ .

MOrtuo Ronimio ſucceſſit filius Venidus , qui leges Gothorum confirmavit .

Particula V. Genealogia Comitiſſæ Mathildis .

SIgifredus ex Lucenſi Comitatu a Sirelo flumine uſque Fraſſenorium potentiſſimus , propriis terris non contentus, cum tribus filiis Sigifredo, Azone , & Gerardo Longobardiam introivit ; Mutinæ , Regioque proxima Caſtra multa recepit , & nonnulla Oppida in Comitatu Parmenſi . Sigifredus primogenitus duos filios

filios habuit Barathonem, & Gibertum, qui ei in Parmenſi Territorio ſucceſſerunt, quorum ſucceſſores ab eis dicti ſunt Baratini & Libertini, honore conſpicui. Gerardus autem reliquit Adhelardum Reginum Epiſcopum, cujus patrimonium Azoni obvenit. Hic Azo ſecundogenitus animoſior ceteris, portionem in Regino Comitatu ſortitus, ædificavit Monaſterium Brixelli atque dotavit. Et ex Ildegarda Comitiſſa Regis Othonis nepte ex fratre habuit tres filios, quorum Gotifredus Epiſcopus Brixienſis. Quum iſte Sancti Apollonii caput cum humero & lacerto præcideret, ut Patri donaret, ſtatim cruor effluxit. Azo vero ſtatim vovit Sancto Templum conſtruere, ubi in Sepulcro eidem ..... peravit. Secundus filius Rodulphus mortuus eſt vivente patre. Tertius filius vocatus eſt Thealdus, qui ex Comitiſſa Romenenſe Giſila nomine habuit ſimiliter tres filios Thealdum Epiſcopum Aretinum, & Bonifacium, qui ſepulto patre in Canuſio, magnam partem theſauri a patre ibi reconditi militibus ſuis dedit, & ab Henrico Imperatore & Benedicto Papa confirmationem accepit ſuper iis, quæ patri & avo conceſſa fuerant. Et ipſe Conrado Imperatori de Parma victoriam dedit, & ab eo etiam in prædictis confirmatur, additis ſibi Marchia & Parma, & curâ ceterarum partium Lombardiæ. Tertium autem habuit filium Conradum. Hic a quodam ſeductus contra fratrem, majeſtatem ejus veritus, tractatum & revelavit, & ſecum contra ſeditioſos properans graviter vulneratus, ex mala diæta moritur. Bonifacius autem tres ſimiliter habuit liberos, Fridericum, & Beatricem, & Mathildem. Hæc ſola patri ſupervixit, & ei ac matri Beatrici ſucceſſit, Rutilorum Ducis filiæ ex Mathilde, filia Sancti Henrici Imperatoris, quæ & patri in Comitatu Rutilorum ſimiliter ſucceſſerat, & mortuo viro omnes Barones filiæ huic Mathildi fidelitatem jurare fecerat.

Particula VI. de quibuſdam incidentibus.

QUintodecimo Anno Othonis, Sitaxit Rex Hungarorum decem modios nummorum a Berengario pro reditu accepit. Anno XVI. primo ſimiliter Othonis ..... Colonienſem Archiepiſcopatum ſuſcepit. Cujus ſtudio cum Sanctorum quorundam Reliquiis a Roma Coloniam defertur baculus Sancti Petri. Anno XIX lapis miræ magnitudinis cecidit cum tonitruo & tempeſtate. Anno XXII. prodigioſa res multos terruit, & a vitiis cohibuit, crucibus in veſte plurimorum apparentibus, quorumdam vero veſtibus quaſi leprâ ſordentibus. Hoc tempore Danis Chriſtum & idola colentibus, & cum Popone Clerico in convivio altercantibus, ſuper culturâ unius Dei vel plurium, Danis aſſerentibus, quoſdam Deorum antiquiores fuiſſe Chriſto, Popone contra aſſirmante Jeſum Chriſtum verum & ſolum Deum, & Deum quidem unum eſſe in ſubſtantia, & trinum in perſonis: Rex Danorum Arualdus prodi vult ſibi fidei veritatem. Ferreum pernionem candens in manibus Clerici deferendum jubet. Quod quum Clericus innocue ſuſtinuiſſet, quouſque adſtantibus placuiſſet, Rex cum ſuis ad ſolum Chriſtum colendum converſus eſt. Anno XXVIII. Otho in Pentecoſte ſcilicet habuit ſorores, Gerbertam Reginam Franciæ, Augundem uxorem Hugonis Comitis Pariſienſis. Numquam alii in vita ſua ſimile

A gaudium habuerunt, concurrentibus tot inſigniis regalibus ſuæ proſapiæ. Anno XXXII. Comes Othonis Imperatoris ante oculos omnium a Dæmone vexatus juſſu Imperatoris ad Johannem Papam adducitur, ut Catenâ Sancti Petri ejus guttur circumducatur. Sed dum ſemel & bis alia Catena adhibetur a fallacibus Clericis, nec ſalvus perveniret, tamdem Beati Petri adductâ Catenâ, Diabolus ſpumans & multum clamans abſceſſit. Catenam autem Theodoricus Metenſis Epiſcopus arreptam tenuit, dicens ſe eam numquam, niſi abſciſsâ manu, dimiſſurum. Sed Imperator ſolvit diſſidium, obtinens a Papa, ut illi Catenæ anulus daretur.

B

Particula VII. De ſummorum Pontificum diſſidio.

ANno XXVI. a tota Italia Epiſcoporum Concilio Johannes Papa de nefariis cauſis infamatur, & quum tertio vocatus, ad ſe excuſandum venire cunctatur, eo a cunctis habito pro judicato, Leo adhuc Laicus electione omnium & conceſſu Imperatoris Papa ſubſtituitur. Hic in Concilio tradidit Othoni ejuſque ſucceſſoribus Italicum Regnum perpetuo defendendum, & facultatem ſibi ſucceſſorem eligendi, & Sedis Apoſtolicæ Pontificem ordinandi, dandi quoque Inveſtituram Epiſcopis, C ſine qua conſecrari non debeant. Sic Leo præſidens fecit ordinationes, & quæ Apoſtolica tradidit. Poſt hæc Romani alteratâ fide erga Imperatorem, Johannem recipiunt.

CAP. CCXIX.

De Imperio Secundi Othonis, & ſibi contemporaneis.

Cujus Particula I. de geſtis ejus.

OTho ſuperioris filius poſt eum imperavit, & anno VIII. Apuliam & Calabriam transferre conatur ad Romanum Imperium, maxi-D mè ratione uxoris Theophaniæ, quæ affinis erat Imperatori Græcorum. Anno IX. Græci conducto mercenario exercitu Saracenorum cum Imperatore Othone in Calabria congrediuntur, ubi pœne omnes Romanæ vires deletæ ſunt. Unde Imperatrix Primatibus exprobrans femineâ & Græcâ levitate, cœpit exoſa haberi. Otho Beneventum obſedit, & cepit, & Oſſa Beati Bartholomæi ſecum portavit, & in Inſula Tiburtina collocavit; inde ad Civitatem ſuam transferre cogitans; ſed morte præventus eſt. Mortuo autem eo, de ſubſtituendo oritur diſſenſio, aliis filio ejus deberi Imperium dicentibus, aliis odio Imperatricis ad Henricum Ducem filium Henrici, qui frater E fuit primi Othonis, transferre volentibus. Hic quoque Henricus ipſum Othonem puerum raptum in cuſtodia tenebat. Barones vero redemtum in Regnum ſublimant. DCCCCLXXVIII. Eduardus Angliæ Rex Sanctus interfectus dicitur, procurante Novercâ ejus, ut regnaret cum filio ſuo Edelredo. Qui quum baptizaretur a Sancto Dunſtano, in ſacro Fonte minxit, ubi prædictum fuit, illud malum eſſe futurum, & quod etiam ejus tempore exterminium Angliæ fieret.

Particula II. de Summis Pontificibus .

BOnifacius natione Romanus ſedit annum I. menſem I. Ceſſavit Epiſcopatus dies XX. Hunc Romani ſtrangulato Benedicto Papam fecerunt ; ſed non valens in Urbe conſiſtere , deprædata Eccleſiâ Sancti Petri , fugit Conſtantinopolim ; & cum magna pecunia rediens, & Pontificem expellere non valens , Johanni Diacono Cardinali oculos eruit . Ipſe vero ſubito extinctus eſt . Benedictus natione Romanus ſedit annos II. menſes VI. Ceſſavit Epiſcopatus dies V. Hic bonus fuit , & Othonem II. confirmavit , qui in Italiam cum Regina ad eum venerat .

CAP. CCXX.

De Imperio Othonis III. & ſibi contemporaneis.

Cujus Particula I. de translatione Regni Franciæ .

OTho igitur poſtea imperavit ; cujus anno quarto , Ludovico Rege Francorum juvene mortuo abſque liberis , & fraude conjugis, Francis Regnum transferre volentibus ad Carolum Ducem fratrem Lotharii Regis primogeniti ipſius Ludovici, dum res ad conſilium defertur , Regnum occupat Hugo filius Hugonis Pariſienſis ex Augunde ſorore Othonis I. Imperatoris .

Particula II. de Sancto Dunſtano .

Eodem vero anno mortuus eſt Dunſtanus . Hic ex parentibus genere & fide nobilibus in Anglia &c.

Particula III. de Summis Pontificibus .

JOhannes natione Romanus ſedit menſes IX. Ceſſavit Epiſcopatus dies X. Hic in Caſtro Sancti Angeli per aliquos nobiles Romanos incluſus , fame excruciatus moritur . Johannes natione Romanus ſedit annos X. menſes VII. dies X. Ceſſavit Epiſcopatus . . . . . Hic fuit nimis eruditus , & Libros compoſuit . Hunc Creſcentius Urbis Princeps perſequutus eſt , donec Urbem egreſſus eſt . Tamdem cognoſcens , quod pro Othone mitteretur, ipſe Creſcentius cum Senatu ad pedes Papæ veniam poſtulavit . Gregorius natione Saxo ſedit annos II. menſes V. Ceſſavit Epiſcopatus dies XV. Hic Bruno prius vocatus , conſanguineus Imperatoris , ad dicti Imperatoris inſtantiam electus eſt , & ab illo poſtea Imperialem benedictionem accepit. Romani autem abſente Imperatore , Gregorio Urbe pulſo , Johannem Papam præfecerunt , Epiſcopum Placentinum , de legatione Conſtantinopolitana cum magna pecunia redeuntem . Imperator autem rediens, de adverſariis ultionem expetiit, Gregorium reſtituit , Johannem in Caſtro Sancti Angeli obſeſſum & captum exoculari fecit , & mutilari , & aliquos Nobiles Romanos ſecum duxit . Johannes natione Græcus ſedit menſes X. ab Imperatore damnatus. Vivente namque Gregorio datâ pecuniâ per Conſulem Urbis creatus eſt. Silveſter natione Gallicus ſedit annos IV. menſem I. dies VIII. Ceſſavit Epiſcopatus dies XXII. Hic a Provincia apud Floriacum adolevit . Exinde Clauſtrum exiens, Toleti ſtuduit . Qua-
A drivium ita ebibit , ut in Gallia renovaret etiam ſuperſtitioſas artes . Et tamdem Codicem totius Artis conſcriptum , a Magiſtro furtim accipiens, aufugit, & Magiſtrum ſe aſtrorum judicio inſequentem, eâdem fefellit ſcientiâ, locans ſe ſub ponte pendulum ſuper aquis . Habuit autem in Galliis auditores ſolemnes Conſtantium Abbatem Sancti Maximini, Epiſcopum quemdam , Othonem filium Othonis II. Auguſti , & Robertum filium Hugonis Capeth , qui fuit poſtea Rex Franciæ. Quum eſſet in Canticis Eccleſiaſticis non mediocriter inſtructus , fecit Sequentiam *Sancti Spiritus adſit nobis gratia* , & Reſponſorium *Judæa & Jeruſalem*. Quique quum eſſet Romæ in Vigilia Apoſtolorum Pe-
B tri & Pauli obtulit cedulam quamdam ſuper Altare . Et quum putarent theſaurum obtuliſſe , invenerunt in cedula Reſponſorium *Cornelius Centurio* . Cum ſuo cantu urgebat etiam fortunas , ut n. . . . . . . ut quæ ſemel cogitaſſet imperfecta relinqueret ; unde & magica arte reconditos theſauros ſuis applicabat cupiditatibus. Fit tamdem Remenſis, depoſito Præſule abſque Apoſtolica auctoritate. Hic Præſul Arnulfus nomine , ſanctæ vitæ , filius fuit Lotharii Regis Franciæ ex concubina. Hunc Hugo , uſurpato Regno totius Franciæ , Synodo congregatâ deponi fecit , dicens , indignum ex illegitimo thoro natum eſſe Archiepiſcopum. Sed mandato Papæ depoſito Gerberto , Arnul-
C fus reſtituitur , & Gerbertus procurante Othone fit Ravennæ Præſul . Poſtea Papa , & vocatur Silveſter . Cognoſcens autem, juxta Romanos fore ſtatuam cum extento indice , & ſcriptum in capite dicente , *Heic percute* ; quæ de recondito theſauro per intuentes ſecuribus frequenter lacerata eſt . Gerbertus autem notans , ubi Sole meridiano protenderet digitum umbra , ibi palum fixit, & nocte uno ſolo comite , foſsâ terrâ patefecit ingreſſum , viditque ingentem Regiam parietibus , laqueariis , & omnibus aureis , milites teſſeris ludentes , aureum Regem , aurea cum Regina ad menſam auream diſcumbentem , & alia . In interiori autem parte domus erat carbunculus , qui do-
D mum illuminabat . In oppoſito verò angulo puer arcum tenebat extentum . Quum verò ad id tangendum quis manum aptaret , videbantur cunctæ virgines proſilire . Gerberto igitur nil tangente , ſocius putans in tanta præda parvum latere furtum , cultellum arripuit mirandi operis, moxque cunctis virginibus cum fremitu ſurgentibus puer ſagittâ carbunculum feriens , tenebras induxit , & ni depoſuiſſent , luiſſent pœnam . Interrogavit autem lumen ab una imagine , quæ in poteſtate præſidentium ſpirituum dantur , ut ab eis de rebus dubiis reſpondeatur , quibus idololatræ utuntur . *Si Apoſtolicus futurus erat.* Reſponderunt : *Etiam.* Et iterum : *Moriar , antequam Miſſam cantem in Hieruſalem* . Reſponderunt : *Non*. Et tam-
E dem quum Statio eſſet ad Sanctam Hieruſalem, & celebraret , graviter infirmatur , & advocans Cardinales , diu facinora ſua flevit . Quibus ſtupentibus , & nihil referre valentibus , inſaniens ille , ſe dilaniari , & membratim foras projici juſſit : *Habeat* , inquiens , *membra , qui eorum quæſivit homagia . Numquam enim Animus meus id amavit ſacrilegium* . Sepultus eſt autem in Lateranenſi Eccleſia . Quidam hunc prætermittunt, putantes eum non introiſſe per oſtium .

Particula IV. de tranſlatione Sancti Taraſii in Venetiam, & memoria omnium Defunctorum.

Hoc tempore ſuper Græcos imperabat Baſilius. Venetorum autem Dux erat Othus &c.

Particula V. de electione Imperatoris.

OTho quum prolem non haberet, ordinavit cum Papa Gregorio V. Electores Imperatoris Officiales Imperii, qui his verſiculis continentur:

„ *Maguntinenſis, Trevirenſis, Colonienſis:*
„ *Quibus Imperii ſit Cancellarius horum;*
„ *Et Palatinus Dapifer. Dux portitor enſis.*
„ *Marchio Præpoſitus Cameræ, Pincerna Bohemus.*
„ *Hi Regem ſtatuunt ſummum concorditer omnes.*

Abbas verò Sancti Galli eſt ſcrutator eorum, qui ex antiquo habet, ut in magnis feſtivitatibus ad dexteram Imperatoris ſedeat, cujus Monaſterium Fuldenſe eſt in Saxonia.

Particula VI. de quibuſdam incidentibus.

GUillelmus Terrabrach nepos Tancredi magni Comitis Normanniæ cum magna multitudine in Apuliam iens, jungit ſe Principibus Capuano, & Salernitano, & Maniaco Principi Græcorum, & in Siciliam tranſiit, & cædem Saracenorum fecit. Cognitâ verò proditione Melancii, rediens a Malfetanis eligitur Dux regionis, cui ſucceſſerunt fratres. De his deſcendit Robertus Guiſcardi. Hoc etiam tempore Sanctus Adalbertus primus Epiſcopus Pragenſis, revelante Domino, Pannoniam veniens, primum Regem Hungarorum cum multis ad Fidem converſum baptizavit, & per Hungariam & Bohemiam prædictam Provinciam ingreditur, & ibi martyrio coronatur.

CAP. CCXXI.

De Imperio Henrici II. & ſibi contemporaneis.

Cujus Particula I. de inventione quorundam Sanctorum, & Hilperici computo.

HEnricus Dux Noricorum, ideſt Bayuariæ, filius Henrici fratris I. Othonis, quorundam Principum animos concilians imperavit, unctus a Maguntino Archiepiſcopo. Et nota, quod plures fuerunt Henrici, quàm Reges. Unde quum legitur Henricus Primus ratione Imperii, ratione nominis eſt ſecundus. Idem intelligas de Conradis. Hic potentes Reges, bella ſibi concitare volentes, celeriter devicit, & Gentilium Reges in interiori Germania commorantes, ſibi tributarios fecit. Cujus ſponſa fuit Sancta Cunegundis, & ambo virgines permanſerunt. Et in Bambergenſi Eccleſia, quam ædificaverant, requieſcunt, & coruſcant miraculis. Sororem ſuam Regi Hungariæ copulavit, ipſumque ac Populum Hungarorum ad Fidem vocavit. Poloniæ Regem ſubjecit Imperio. Anno Domini MII. Aquilejenſis Antiſtes Gradum oppugnare contendit, & Dux exercitus ejus dum nil proficit, civibus pacem & amorem promittit. Amicabiliter itaque introductus, pro Domino ſuo mittit, qui fidem fregit, & ut hoſtis introivit.

A Quas potuit Reliquias ſubripuit. Theſauris Templum exſpoliavit, homines expulit, & relicto ibi præſidio remeavit. Patriarcha verò Gradenſis ad Ducem Venetum fratrem ſuum ſe contulit, miſerande cauſam expoſuit, & deceptoris perfidiam. Dux ſecum properat, eique fortiter Civitatem reddidit. Gaudium accedit Venetis, ſed cordis jubilum minuit, quia Hermagoræ & Fortunati Corpora ſublata formidant. Cœpit exinde Patriarcha mente revolvere, quoſdam e Clero antiquos ſæpius dixiſſe, in dedicato ſibi Altari non exiſtere, ſed ignoto celari latibulo. Inquirenti igitur veritatem Eccleſiæ Cuſtos, Monachus Atgerunta, fide probatus, & moribus, ait, Petrum jam

B defunctum Venetorum Ducem, prædicti Præſulis genitorem, pretioſas Reliquias occultaſſe, & tres tantum ſecreti conſcios fuiſſe, quorum ſuperſtes erat ipſe. Locum denique oſtendit in Crypta Sancti Marci. Ibi igitur fodientes, quatuor capſas invenerunt. In prima docente titulo Corpora exſtant Fortunati & Felicis, in ſecunda Hermagoræ & Fortunati, in tertia Dionyſii & Largi, in quarta Hermogenis & Fortunati. Quum tamdem capſæ ſuo loco reponerentur, miram ſenſerunt adſtantes odoris fragrantiam. Ibi quoque eſt Corpus Sanctæ Euphemiæ. Hilpericus Librum *de Ratione Computi* tertio Henrici anno ſcripſit, qui incipit: *Si vis ſcire quot ſunt Anni Chriſti* &c.

C Et habes: *Anno Domini MV. primus Venidus Rex Aſturiæ* &c.

Particula II. de Summis Pontificibus.

JOhannes natione Tuſcus ſedit menſes V. dies XXV. Ceſſavit Epiſcopatus dies XIX. Johannes natione Romanus ſedit annos V. Ceſſavit Epiſcopatus dies XIX. Sergius natione Romanus ſedit annos II. menſes VII. Ceſſavit Epiſcopatus dies VIII. Benedictus natione Tuſculanus ſedit annos XII. Ceſſavit Epiſcopatus annum I. *Hunc*, ait Petrus Damianus, *vidit Epiſcopus Capuanus nigro equo inſidentem, ac dicentem, graviter ſibi eſſe, & rogantem, ut iret ad fra-*

D *trem ſuum Johannem Papam, eique ſuaderet, ut pecuniam, quæ in tali theca erat, pro ſe pauperibus diſtribueret. Sic enim ſibi miſerando benignitas divina decreverat. Quæ enim pro ſe tradita fuerant, nil ſibi profuerant, quia de rapina exſtiterant. Quod quum Epiſcopus peregiſſet, religionis habitum ſumſit.* Johannes natione Romanus ſedit annos IX. Ceſſavit Epiſcopatus dies IX. Hic cum Romanis guerram habuit.

Particula III. de converſione Hungarorum, & quibuſdam incidentibus ultramarinis Hungariæ & Hiſpaniæ.

E ANno quarto fames & mortalitas tanta fuit per totum Orbem &c. Nunc etiam Hieroſolymitanus Epiſcopus Horeſtes, cujus nepos ex ſorore erat Elau Califa Ægyptius, qui fractis antiquis pactis Chriſtianos majoribus gravavit tributis &c.

CAP. CCXXII.

De imperio Conradi II. & ſibi contemporaneis :

Cujus Particula I.

CONradus poſtea imperavit. Hic Dux Francorum a Clodoveo per matrem deſcendit, & duxit uxorem Giſilam de ſtirpe Caroli. natam , neptem Conradi I. Verſus :

„ *Quinta poſt decimam renovatur linea quarta.*
„ *De Carolo Magno proceſſit Giſila prudens.*

Hæc primò nupſit Arnulſo Duci Suecorum , poſtea Conrado . Habuit autem Giſila de primo viro duos filios Erneſtum & Hermannum. Erneſtus conſilio matris Conrado volenti intrare Italiam ſe offert , & promittit ſecum proficiſci . Sed quum poſt coronationem rediiſſet, Conradus, eum reperit ad rebellionem paratum; propterea eum perſequens , in ſilvis eum habitare compulit , ubi poſtea a fidelibus Imperii occiſus fuit, ejuſque Ducatum frater ejus Hermannus ſuſcepit . Sicque ſucceſſio Caroli Imperium reſumſit . In principio regni ſui Bolizelaus Dux Poloniæ &c. Demum Conradus Henricum filium adhuc puerum poſt ſe regnaturum ordinat , & Italiam ingreſſus glorioſe recipitur, & a Johanne Papa coronatur. Eâdem verò ſeptimanâ tumultuantes Romanos potenter repreſſit . Et in Alemanniam rediit . Rodulphus interea Burgundiæ Rex moriens Henrico Imperatori filio nepoti ſuo Regnum reliquit .

Particula II. de Summis Pontificibus .

BEnedictus natione Tuſculanus , nepos ſuperioris Benedicti , ſedit annos XIII. Ceſſavit Epiſcopatus annum I. Hic ejectus fuit de Epiſcopatu , & ei ſubſtitutus Epiſcopus Albanenſis , qui vocatus eſt Silveſter . Quo dejecto Benedictus reſtituitur , & iterum ejicitur , & ponitur Johannes Archipresbyter Sancti Johannis ante Portam Latinam , qui Gregorius dictus eſt . Hic illiteratus alium Papam ſecum conſecrari fecit ad vices Eccleſiaſtici ordinis exſequendas, & vocari Clementem . Qui quum multis non placuiſſet , tertius ſuperinducitur , qui ſolus duorum ſuppleret vices . Uno igitur contra duos , & duobus contra unum de Papatu altercantibus, per Henricum deponuntur, ſubſtituto Suidgero Epiſcopo; & vocatur Leo; & jurarunt Romani , ſe numquam electuros Papam ſine conſenſu Imperatoris . *Hunc Benedictum* , ait Petrus Damianus , *vidit quidam equitans habentem aures & caudam aſini , quia a principio uſque ad finem in luxuria vixit ; corpus vero urſi , quia medio tempore rapinæ ſtuduit , & ait ſe eſſe Pontificem ſolo nomine Benedictum , & in forma , qua vixerat , ſe oſtendebat per dumoſa loca iturum uſque ad diem judicii ; tunc mittetur in ollam gehennæ .*

Particula III. de Muſica ad manum applicata , & quibuſdam incidentibus .

CLaruit tunc in Italia Guido Aretinus inter muſicos notiſſimus . In Apulia , ut ait Sigibertus , erat quædam ſtatua marmorea , circa caput æneum circulum habens ſic inſcriptum : *Calendis Maji oriente Sole habeo caput aureum* . Quod quidam Saracenus captus a Roberto Viſcardo Duce Northmannorum , quid portenderet, intelligens , pro ſui redemtione expoſuit . In Calendis igitur prædictis , notatâ umbrâ capitis in ortu Solis , & defoſsâ terrâ magnus ibi theſaurus inventus eſt. Anno XV trabs ignea in cœlo viſa eſt miræ magnitudinis , ad occaſum vergere & ad terram cadere. Quo anno omnes Langobardi juraverant nullum habere dominum , niſi quem ipſi vellent. Propter quod Conradus in Italiam venit, ut rebellionem meditantes debellaret. Et quoſdam quoque Epiſcopos in vincula jecit; & quia Mediolanenſis Epiſcopus fuga lapſus eſt, ſuburbia Mediolani incendit . Die verò Pentecoſtes quum in parva Eccleſia ſecus Urbem commoraretur ad Miſſam , tam dira fuerunt tonitrua & fulgura, ut aliqui mente excederent , aliqui ſpiritum exhalarent . Bruno verò Epiſcopus , qui Miſſam canebat , & Secretarius Imperatoris erat , cum aliis tribus vidit inter Miſſarum ſolemnia Beatum Ambroſium Imperatori comminantem . In Cremona pergens obvium habuit Romanum Pontificem . Quo honorifice dimiſſo , propter calores ad montana deſcendit . Interim Odo Comes ruptis juramentis in Burgundia rebellat , & a fidelibus Imperii occiſus eſt . Poſtea Imperator orationis gratiâ Romam pergit . In Apulia inuſitatâ diſtemperantiâ aëris multis mortuis repedavit , & Trajecti moritur . Per idem tempus Gaufridus Marcellus floruit , de quo verſiculi :

„ *Dum viguit tua, dum valuit, Marcelle, poteſtas,*
„ *Fraus latuit, pax magna fuit, regnavit honeſtas.*

Particula IV. de Regibus Hungariæ .

Andreas Rex Hungariæ &c.

CAP. CCXXIII.

De Imperio Henrici II. & ſibi contemporaneis :

Cujus Particula I. de Vindelicis Fortunam adorantibus .

HEnricus filius ejus & Giſilæ poſtea imperavit . Primo Bohemorum Ducem offendentem Imperium per deditionem accepit . Hic vocavit Boniſacium patrem Comitiſſæ Mathildis , ut ſibi in Burgundia ferret auxilium . Ad quem properavit cum D. militibus . Sed in reditu paſſus eſt inſidias in finibus Burgundiæ conſcio Rege. In Italiam quoque tranſiens dicto Boniſacio ſemper tendebat inſidias , & tandem Cremonam ad rebellandum induxit . Quo quum Boniſacius apparuiſſet, in obſidione cujuſdam Caſtri vulneratus, Mantuam delatus, poſt dies aliquos mortuus , in Monaſterio Sancti Benedicti ſepultus eſt Hic Henricus accepit conjugem Agnetem ſororem Ducis Pictaviæ & Aquitaniæ, & de nuptiis omnes joculatores expulit , & eis largienda juſſit dari pauperibus . Agnes autem videns filium Henricum , quatuor laſcivorum deceptum conſiliis , & volentem per ſe regnare , aſpiciens iniquas rerum mutationes, Monaſterium Fructuarienſe introivit , poſtea Romam ivit , & poſt aliqualem moram vitâ exceſſit , ſepulta in Eccleſia Sanctæ Petronillæ .

Par-

Particula II. de Summis Pontificibus.

SIlveſter natione Gallicus ſedit dies IV. Hic vacante Imperio ab amicis Benedicti ejicitur, & ille introductus eſt. Gregorius de Sancto Stephano ante Portam Latinam ſedit annos duos, menſes VI. Hic alicubi legitur, Papatum ſimoniace invaſiſſe. Clemens natione .... ſedit menſes IX. dies VII. Ceſſavit Epiſcopatus dies XXX. Hic Papatum invaſit, & ab eo Henricus benedictus fuit. Et jurant Romani, quod ſine Imperatoris conceſſu Romanum Pontificem non eligerent. Damaſus natione Theotonicus ſedit dies XXIII. Ceſſavit Epiſcopatus dies XI. Hic etiam Papatum invaſit, & ſubito mortuus eſt. Leo natione Alemannus de Lotharingia ſedit annos IV. menſes II. dies VI. Ceſſavit Epiſcopatus dies XXX. Romani ſiquidem juxta conſuetudinem, poſtquam petierunt ab Imperatore Henrico Pontificem, hic miſit Brunonem Epiſcopum Tullenſem, virum ſimplicem & bonum, qui ad Urbem veniens per Cluniacum tranſivit, ubi Ildebrandus Prior Monaſterii illi ait, illicitum, per Secularem manum gubernationem univerſalis Eccleſiæ ſuſcipere. Tunc Pontificali habitu depoſito, indutum peregrini aſſumſit, & Ildebrandum ſecum adduxit, & Papatum ex conſcientia reſignavit, & denuo eſt electus. Hic ſapientiâ & ſanctitate clarus, quum ad ſuſcipiendam Apoſtolicam Sedem iret, audivit cantantes Angelos: *Ego cogito cogitationes pacis &c.* Hic quum pauperem leproſum ante fores Palatii vidiſſet, eum in lecto ſuo nocte diligenter collocari voluit, quem quum mane reſerato oſtio minime vidiſſet, ſe Chriſtum in paupere recepiſſe obſtupuit. Sepultus in Eccleſia Sancti Petri, translatus eſt ad ſuam priorem Sedem Tullenſem, ubi multis claruit miraculis. Hic etiam quum Robertus Guiſcardi Apuliam ingreſſus, poſtea vi ac dolo affligeret incolas, eum repellere volens, in Beneventum fugere coactus eſt. Tanta autem fuit utrinque cædes, ut acervus ex oſſibus mortuorum uſque ad hæc tempora ſoleat oſtentari. Proximo autem anno Papa Leo moritur. Victor natione Alamannus ſedit annos II. menſes III. dies XIII. Hic timore Henrici factus eſt Papa, qui ejus tempore apud Florentiam Synodum celebravit, & multos Epiſcopos propter Simoniam & fornicationem depoſuit. Ad ejus requiſitionem Imperator militiam miſit contra Normannos, qui in Apulia jura Eccleſiæ occupant, & ceſſit male illi militiæ,

Particula III. de Eduardo Rege, & de ſeptem Dormientibus.

Eduardus Rex Angliæ &c.

Particula IV. de vigore Gregorii Papæ.

HIc per injuriam prædeceſſorum ſuorum, Romanum ſtatum diminutum invenit, ut præter pauca oppida Urbi vicina & oblationes fidelium nihil haberet, quo ſe ſuſtentaret. In ipſa Urbe in medio foro vagabantur ſicarii, ſuper ipſa Sanctorum & Martyrum Corpora, & ſacris Altaribus gladii nudabantur, oblationes de manibus abripiebantur, & in commeſſationes & ſcorta conſumebantur. Tantis malis Gregorius occurrere cœpit, primo leniter verbis, mandans, ut a peregrino-

A rum infeſtatione ceſſarent, & a rapina ſacrorum. Alterum enim contra naturam eſt, ut qui communi veſcuntur aëre, communi non fruantur pace; & Chriſtiani inter Chriſtianos progredi debent, quum omnes uni Domino famulentur, omnes unius ſanguinis ſint conjuncti coagulo, & uno redemti pretio. Alterum contra mandatum Dei præcipientis, ut qui altario deſerviunt, de altario vivant. Domum Dei eſſe debere domum orationis, non ſpeluncam latronum. Permitterent propterea oblationes fidelium in uſus tranſire Sacerdotum, vel expenſas pauperum. Eis quoque providendum fore, quos ad hæc compellebat egeſtas. Quos verò cupiditas exagitabat, ipſi ſibi pro B Dei timore & ſeculi honeſtate modum ponerent. Invaſores Eccleſiaſtici patrimonii & mandatis & epiſtolis invitavit, ut aut debita redderent, aut ſe illa jure tenere in Senatu Romano probarent. Talia frequenter concionatus, nihil aut parum profecit. Tunc excommunicavit omnes, qui talia agunt, ne convivio aut colloquio communicarent. Illi autem excommunicati cum furore cœperunt armis perſtrepere, ut pæne Papam occiderent. Tunc Papa ferro abſciſſionis utendum judicans, arma, equos, undique conquiſivit, ac primum Eccleſiam Beati Petri præoccupans, raptores oblationum vel extinxit, vel fugavit. Sic prædia occupata recuperat. Quirites verò rapinis C aſſueti, ſanguinarium eum vocant, & indignum divinâ oblatione, qui tot cædium conſcius exſtitiſſet. Cardinales quoque hoc ipſum dicebant, ita ut quum in infirmitate decumberet, dicendo, quod mortuus eſt, ei ſuaderent, ne in Eccleſia Sancti Petri eligeret ſepulturam. Ille verò recollecto ſpiritu ait: *Si in vobis ſcintilla humanæ rationis, aut ſcientia divinæ auctoritatis vigeret, tam præcipiti ſuaſione non conveniretis Pontificem veſtrum, qui potius ſtultorum opiniones lenientes, melioribus debuiſtis interpretationibus mitigare. Cui enim theſaurizavi? quibus ſalutem, quibus libertatem reſtitui? Adorabar quidem a Populo & quæ volebam, libere actitabam. Applaudebatur mi-* D *hi totis orationibus. Theſauros Anteceſſorum habebam, qui cujuſcumque poſſent avaritiam ſatiare. Sed ad vos flexi aurem. Vos inopem agebatis vitam. Illi ex oblationibus veſtris pretioſa ſibi ſerica fabricabant. Vos populari & inculto habitu meos oculos movebatis. Itaque quum hæc nequirem pati, bellum illis indixi, ut damno Civium emerem gloriam Clericorum. Sed, ut experior, beneficia perdidi, dum ingratis exhibui, Communem quoque domum negatis. Non arcetur ab introitu Eccleſiæ meretricula, non uſurarius, non latro. Et vos Papam ingredi prohibetis? Quid refert, an mortuus, an vivus Sacrarium introëat? nempe quia vivus multis detinetur illecebris, mortuus* E *verò peccare neſcit. Inhumana ergo barbaries ut hunc a Domo Dei excludatis, cui peccandi deſit voluntas, pariter & facultas. Pœnitentiam proinde agite, quia ſtulte & amare loquuti eſtis. Sed ne me ſola auctoritate uti putetis, & rationem accipite. Omnis actus hominis ſecundùm intentionem examinari debet, ut eo vergat facti judicium, unde præceſſit faciendi conſilium. Sic Veritas ait: Si oculus tuus ſimplex fuerit &c. Crebro mirabiliter interpellavi egenum, ut ejus revelarem inopiam, Curarum futurarum non neſcius. non abivi, ſed diviſis monetis onuſtum dimiſi. Diſcedens ille latronem offendit; quem vidit nummos portan-*

tantem occidit. Numquid jure judicandus ſum qui peregrino dedi, unde mortem incurrit? Idem quoque facinus & punitur & laudatur diverſo reſpectu. Animadvertitur in latronem, qui hominem occiderit in occulto; probatur in milite, qui fuderit ſanguinem hoſtis in bello. Et unde Epiſcopi non eſt, ut jubeat committi bellum? Ad eum tamen ſpectat, ut ſi naufragium innocentiæ videat, & manu & linguâ occurrat. Ezechiel Sacerdotes occidit, quod non ſteterint ex adverſo, nec ſe poſuerint murum vel clypeum pro domo Iſraël, quia ſunt perſonæ in Eccleſia ad reſecanda vitia conſtitutæ. Quo aſpiravi perficere, linguâ armavi. Primo, cujus intereſt gerere gladium, certificavi nuntio. Occupato illo Vindelicorum bello, rogat, ut meis laboribus & ſuis expenſis non gravarer conciliabula deturbare. Si renuiſſem, quam excuſationem Domino offerrem? Quiſquis latroni parcit, innocentem occidit. Nonne Sacerdotes fuerunt ampliſſimâ laude famoſi Phinees & Matathias, qui delinquentes propria manu ulti ſunt? Et Achanias Sacerdos thurificantem Regem repulit, & procul dubio non dubitaſſet occidere, ni Epiſcopalem manum divina ultio præveniſſet. Quid? vetabatur Regis devotio, & non latronis cupido? Illis denique beneficium contuli, quibus videor intuliſſe exitium, quibus peccandi impoſui terminum. Sed quomodo meæ & veſtræ ratiocinationes falli poſſunt, committamus omnia divino examini. Corpus meum anteceſſorum more ante januas Eccleſiæ ſiſtite, ſeris & repagulis obſeratas. Si Deus voluerit, ut ingrediar, applaudatis miraculo. Sin minus, de cadavere, quod placuerit, facite. Portas autem hoc facto ingens turbo divinitus emiſſus, & repagulorum obſtacula diripuit.

Particula V. de quibuſdam incidentibus

Vincentius Franco Leodienſis Librum ſcripſit de Quadratura Circuli. Romæ juvenis quidam locuples & nobilis uxorem de novo duxerat &c.

Particula VI. de Berengario, & quibuſdam incidentibus.

IN Anglicana Eccleſia oritur turbatio, dum Berengarius Turonenſis aſſeruit, Euchariſtiam in Altari non eſſe verum Corpus Chriſti, ſed figuram ejus. Contra quem multi ſcripſerunt. Et Leo Papa ſuper hoc congregavit Concilium Provinciale. Berengarius autem poſtquam ſe correxit, eos, quos depravaverat, convertere nequivit; unde & moriens producto gemitu, *hodie*, inquit, *apparebit mihi Dominus Jeſus Chriſtus propter pœnitentiam, ut ſpero, ad gloriam; vel propter alios, ut timeo, ad pœnam.* Corpus Edgarii Regis Glaſconiæ a quodam Abbate inventum eſt incorruptum &c.

Particula VII. de ceteris emergentibus.

TEmpore Zechæ Regis Hungariæ, prius ipſe qui Fidem reliquit, poſtea rediit. Hic conſtituit omnia Fora fieri Sabbato, & Byzantia currere fecit. Tempore Succeſſoris in ſeptem Caſtris Beggi Hungaris infeſtiſſimi, ſpoliatâ Hungariâ fugiebant; ſed ab Hungaris ita oppreſſi dicuntur, ut nec unus quidem effugerit. Robertus Guiſcardi Apuliam obtinuit tempore Leonis Papæ IX. & Saracenos Campaniam obſidentes fugavit tempore Victoris Papæ II. & totam occupat Apuliam expulſis

A Græcis, exceptis quibuſdam Eccleſiis adhuc ritum Græcorum retinentibus, tempore Stephani IX. & . . . . . Imperatoris Conſtantinopolitani. Tempore vero Benedicti X. dilatat potentiam. Obtentâ enim Apuliâ & Calabriâ in Siciliam tranſiit cum fratre ſuo Rogerio, & de Saracenis ſtragem edidit. Et Rogerius vocatus eſt Comes Siciliæ. Robertus vero Comes Apuliæ, poſtquam rediit cum parte exercitus. Qui veniens verſùs Lucaniam eam ſubjecit. Inde ivit Salernum, & cum Principe ejus Giſulfo pugnat, & ſuperat; & Civitatem peculiarem ibi faciens, Beati Matthæi ædificat Eccleſiam, quæ aliarum Eccleſiarum ibi mater eſt. Denique ad alias Civitates antiquæ Campaniæ, quæ B nunc dicitur Terra Laboris, de Summorum Pontificum mandato tranſit, quæ fuerat Romanæ Eccleſiæ. Conſtantinus enim, qui in Byzantium tranſtulit Imperium, eas Eccleſiæ contulit, tamquam rem manualem Imperii. Tempore autem Nicolai totam Terram Apuliæ & Siciliæ eſſe Eccleſiæ Robertus cognovit, & propterea ei Papa Vexillum dedit, inde de dictis Terris inveſtivit. Ille verò pro ſe & fratre fidelitatem juravit, & vaſſallos ſe ac heredes ſuos confitetur ratione Terræ prædictæ. Tempore autem Alexandri II. Normanni fines Campaniæ devaſtant, quos Dux Spoletanus Gothifredus & Comitiſſa Mathildis expulerunt. Robertus autem in Romaniam tranſiens, Du- C racium cepit, & alias regiones; & ſtravit Alexium Imperatorem & Venetos. Stolus tamen Venetorum ejus fudit exercitum circa Duracium. Idem Robertus in auxilium venit Gregorii VII. contra Henricum IV. Hoc tempore imperavit Conſtantinopoli Conſtantinus, III. annos, & tradidit Imperium Zoiphilæ & Romano ejus marito. Quo poſt VII. annos mortuo illa accepit Michaëlem, a quo exiliata eſt. Sed per Theodoram ſororem & alios majores revocatur, & Michaël excæcatur. Comitiſſa Mathildis fortiter ab Imperio laceſſita, & variis agitata fortunis, Summis Pontificibus ſemper adhæſit, & in diſſidio inter Henricum & Eccleſiam, Ligurum & Lombardorum expulſa D dominio, Eccleſiæ auxilio illud recuperavit, & ventris profluvio poſt ingentem gloriam extincta eſt. Fuit autem Beati Petri devotiſſima filia, & ſuper Altare ejus totum patrimonium ſuum obtulit: quod Patrimonium Sancti Petri propterea dictum eſt. In MXLVIII. apud Hieruſalem reædificatur Eccleſia Sancti Sepulcri, quæ uſque nunc extat. Calipha enim Ægyptius Deher filius Elau id permiſit, quia conjunctus erat amicitiâ Imperatori Conſtantinopolitano vocato Romano, cognominato Heliſpolitano. Steterat autem deſtructa annis XXXVII. Sequenti Anno Odilo Abbas Cluniacenſis virgo centenarius obiit. Floruit tunc & Galtexus in territorio Lemovicenſi &c.

E

CAP. CCXXIV.

De Henrico IV. & ejus contemporaneis.

Cujus Particula I. de Lanfranco & Anſelmo, & quibuſdam eventibus.

HEnricus filius ejus poſtea imperavit. Tum Imperium in ſe ipſo dividi cœpit. Et conſpirantibus Saxonibus rebelliones fecerunt. Et multa inhoneſta in Imperatorem deferuntur ad Papam per Annonem Colonienſem Epiſcopum, & Hermannum Bambergenſem. Qui peractâ

actâ legatione ad ſatisfaciendum de Simonia & aliis, monitorias literas portarunt. Tunc Saxones manifeſte rebellant, & Urbes & Caſtra, quæ ille in Saxonia ædificaverat, ſubvertunt. Hinc inde tamdem multo effuſo ſanguine, cruentam victoriam Imperator habuit. Papæ tamen conſilio Saxones Rodulphum elegerunt.

Particula II. de Summis Pontificibus.

STephanus natione Lotharingus ſedit menſes IX. dies XXVII. Hic fuit Abbas Caſinenſis. Sepultus eſt Florentiæ. Benedictus ſedit menſes IX. Fuit Valetenſis Epiſcopus, & per violentiam factus Papa ceſſit. Nicolaus natione Burgundus ſedit annos II. menſes VII. Ceſſavit Epiſcopatus dies X. Fuit Epiſcopus Florentinus, & a Cardinalibus unanimiter electus eſt, & celebrato Romæ Concilio mortuus eſt. In hoc Concilio Berengarius errorem ſuum revocat, quod tempore Leonis IX. in Provinciali Synodo fecerat. Hic Nicolaus formam electionis Papæ edidit, quæ habetur Diſtinct. X. XIII. *In nomine Domini*. Alexander natione Mediolanenſis ſedit annos XI. menſes II. dies XXV. Hic vocatus Anſelmus Lucanus Epiſcopus, a Cardinalibus concorditer eſt electus. Contra hunc Cadulus Parmenſis Epiſcopus fere ab omnibus Italiæ Epiſcopis eſt electus, & cum magno exercitu Romam venit, ut Papatum invaderet, ſed non prævaluit. Alexander autem Imperatoris rogatu in Lombardiam deſcendit, & Mantuæ Concilium congregavit, in quo de Simonia ſe juramento purgavit. Cadulus vero ut Simoniacus repudiatus eſt. Gregorius natione Senenſis ſedit annos XII. menſem I. dies IV. Ceſſavit Epiſcopatus biennio. Hic vocatus eſt Hildebrandus Prior Cluniacenſis, poſtmodum Cardinalis. Et hinc tamquam Cancellarius circuivit Provincias, ut perperam acta corrigeret. Et quum ſemel equitaret cum multa obſequentium turba, Abbas Hugo in extremo agmine cogitare cœpit, unde huic homunculo, qui erat exilis ſtaturæ, deſpicabilis parentelæ, tantus honor? *Procul dubio ex ſuperbia procedit, quod tot ambulatores habet*. Vix hæc mente verſarat, & Archidiaconus Romanus reflexo equo & calcaribus incitato, a longe clamans, ad Abbatem ait: *Male cogitaſti. Nolo mihi hanc gloriam imputari, ſed Apoſtolis, quorum privilegio mihi exhibetur*. Abbas hic ſolum reſpondit: *Quæſo Domine, quomodo noſti cogitatum meum?* Et ille: *Ab ore*, inquit, *tuo, qui per fiſtulas ad aures meas deductus eſt*. Hinc quoque Eccleſiam ingreſſi, proſtrati conjunctis lateribus prolixius orant. Tamdem Archidiaconus contra Abbatem torvo aſpectu infremuit. Abbas autem foras egreſſus, cauſam commotionis inquirit. Ille reſpondit: *Si me amare vis, non me ulterius hac injuria graves. Speciosus enim præ filiis hominum, meis adſtans poſtulationibus, ſerenis favebat oculis. Sed orationis tuæ allectus violentiâ, converſus ad te deſeruit me*. Et addidit, quod ſuper Altare vidit Angelum ſtantem evaginato gladio; *& jam Provinciam iſtam ſpiſſus & nebuloſus aër circumvolat. Fugiamus ergo quam citius*. Appoſitis igitur cibariis, ſubitò in domo luctus oritur, pluribus de familia extinctis. Qua peſte per vicinas domos concurſante, aſcenſis mulis diffugiunt. Hic quoque ſedit in Concilio Gallicano vice Papæ. Plures erant ibi per Simoniam facti Epiſcopi. Quorum unus multa loquendi arte pollebat, ita ut convinci non poſ-

A ſet. Tunc Archidiaconus, *ceſſet*, inquit, *humanum eloquium: Dominicum certum eſt, quod Epiſcopalis gratia munus eſt Dei. Et quiſquis Epiſcopatum mercatur, donum Spiritus Sancti comparare ſe putat. Coram nobis ergo dicat iſte, Gloria Patri &c.* Ille verò nullo conatu nec tunc, nec ex tunc Spiritum Sanctum proferre potuit. Hunc ſanctum Summum Pontificem, in nocte Nativitatis Domini celebrantem apud Sanctam Mariam Majorem ad Præſepe, Cincius Priſci filius cepit, & in Turri ſua poſuit. Sed Romani ipſa nocte Turri deſtructa Papam liberant, & Ciriacum Urbe pellunt. Hic ſecundo anno celebrato Romæ Concilio XC Epiſcoporum, Simoniacos excommunicat, & Sa- B cerdotes uxoratos a divino officio removet, & Miſſas eorum Laicis interdicit. Excommunicavit autem omnes Clericos, qui inveſtituram Eccleſiarum de manu Laici acciperent; de quo XVI. Quæſt. VII. *Si quis &c. Quoniam Inveſtituras*. Henricus autem, Eccleſiæ voluit ſcindere unitatem, ſed poſtea ad Papam venit, ſuper nivem & glaciem ſtans nudis pedibus, vix abſolutionem impetravit. Victor ſedit annum unum, menſes IV. dies VII. Ceſſavit Epiſcopatus dies IX. Hic fuit Abbas Montis Caſini. Urbanus ſedit annos undecim, menſes IV. Ceſſavit Epiſcopatus dies ſexdecim. Fuit autem Monachus & Epiſcopus Oſtienſis. Celebravit Synodum Placentiæ C cum Epiſcopis & Abbatibus Galliarum, Lombardiæ & Tuſciæ. Ubi inter cetera ordinationes Guiberti caſſavit. Novem Præfationibus decima addita eſt: *Et te in veneratione Beatæ Mariæ* &c. Eodem anno celebravit Concilium apud Claromontem, ubi ſtatutum eſt, quod Horæ Beatæ Virgini quotidie dicantur. Et ut nulli de Clero aliquam dignitatem Eccleſiaſticam de manu Laicorum accipiant. Et ne Clerici in duabus Eccleſiis præbendas habeant. Item ut a Clericis Quadrageſimalis jejunii obſervantia a Quinquageſima inchoëtur. Item ut ab Adventu Domini uſque ad Octavam Epiphaniæ, & a Septuageſima uſque ad Octavam Paſchæ, & a prima die Rogationum uſque D ad Octavam Pentecoſtes, nuptiæ non celebrentur. Ubi etiam excommunicatur Philippus Rex Francorum, & conjux ejus, donec alter recedat ab altero. Guibertus etiam, qui ſe pro Papa gerebat, & Imperator, & omnes eum defendentes. Denique fecit ſermonem ad Populum, & prædicavit Crucem pro ultramarino paſſagio. Poſtremo in Italiam rediens, apud Placentiam tertium celebravit Concilium. Paſchalis natione Tuſcus ſedit annos XVIII. dies VII. Ceſſavit Epiſcopatus dies II. Ad hunc venit Henricus in Tuſciam, per nuntios & literas refutans omnem Inveſtituram Prælatorum. Et poſtea receptum eſt ſuorum Principum juramentum. Clerus, Populuſque Romanus de E mandato Papæ obviam illi proceſſit, & uſque ad ſummitatem graduum Eccleſiæ Sancti Petri deduxit; ubi a Papa oſculo receptus eſt, & Imperator deſignatus. Sed quum ad rotam Porphyreticam perveniſſet, requiſitus de juramento ſuper Inveſtitura refutanda, Papam cum Cardinalibus & cunctam Curiam captivavit. Quidam autem de Clero, etiam poſt Papæ liberationem, tres Antipapas ſucceſſive conſtituerunt, Albertum, Arnulfum, & Theodoricum, quibus Papa prævaluit. Reformatâ autem pace cum Henrico coronato, Papa cum Cardinalibus & Prælatis cum eo extra muros egreſſus eſt. In reditu autem tanta multitudo

Populi

A Populi obviavit Summo Pontifici, ut vix ad Lateranenſe Palatium circa veſperas potuerint pervenire. Ejus tempore Rex Hungariæ ad Papales monitiones ſuis literis renuntiavit Inveſtituris Epiſcoporum & aliorum Clericorum, quas uſque nunc Reges Hungariæ facere conſueverant.

Particula III. Apologia Petri Damiani ſuper Epiſcopatu dimiſſo.

HIc Summo Pontifici rationem reddidit, quare Epiſcopatum dimiſerit, & infraſcripta ſparſim ſcribit: *Dux*, inquit, *Venetorum, Conſtantinopolitanæ Urbis habebat uxo-*
B *rem, quæ ſe tam artificioſâ voluptate mulcebat, ut communi aqua ſe nollet abluere. Cibos digitis non tangebat, ſed quibuſdam fuſcinulis aureis, & bidentibus ſuo ori applicabat. Cubiculum ejus tot aromatibus redolebat, ut auditu incredibile videretur. Vibrato igitur ſuper eam mucrone judicii, dum adhuc viveret, corpus ejus omne computruit, ita ut totum cubiculum fœtore impleret. Et quantum fuit in deliciis, tantum datum eſt ei cum luctu tormentum. Frater quidam in Monaſterio Sancti Vincentii, non procul a Monaſterio quod dicitur Petra Pertuſa, infirmatus eſt, qui obſervantiam Quadrageſimalem non ſervavit. Hic erat Scriptor, Cantor, Medicus, Magiſter. Omnia noverat. Qui & pro peccatis ſuis fuerat a Miſſarum*
C *celebratione ſeparatus, licèt hæc mihi interroganti negaverit. Serâ igitur die Corpus Chriſti anxie flagitabat. Quumque Abbas ſuper hæc eum corriperet, pro eo quod nulla ſigna mortis in eo apparerent, ille nihilominus perſtitit. Et quum jam Sacerdos cum Sacramento applicaret, ad ſe unum vocavit de Fratribus, & neſcio quod grave peccatum ei ſuſurravit in aure. Qui attonitus & neſciens quam pœnitentiam ei injungeret, tandem XV. annos pœnitentiæ ei impoſuit. Moxque quum ille Dominicum Corpus ſumſit, animam cum felle ſimul evomuit, qui fel uſque ad ſepulturam fluere non ceſſavit. Abbati cuidam lampreda appoſita fuit, quam*
D *pauper inſtantiſſime poſtulavit. Qua ſuſcepta cunctis videntibus cum cibo pauper cœlum aſcendit. Fertur in regione Puteolorum in Apulia ſaxoſum eſſe promontorium, ex quibus aquis teterrimæ videntur aviculæ repente conſurgere.* In partibus Babyloniæ poſſeſſionem habebat Sedes Apoſtolica, unde tantum Balſami annuatim capiebat, quantum lampadi ſufficiebat, quæ ante Altare Sancti Petri erat.

Particula IV. de geſtis quorumdam Chriſtianorum Principum.

HEroldus Regnum Angliæ invaſit, ſed fuit in bello occiſus a Guillelmo I. Sexto
E Duce Normanniæ. Rex Hungariæ miſit exercitum in Dalmatiam, & occidi fecit Regem Petrum, & cum navigio Venetorum tranſmiſit exercitum in Apuliam, ubi Monopolim & Brunduſium occupavit, & tribus menſibus Apuliam percurrerunt. Et in Dalmatiam redierunt, remanente in Apulia cum Venetis Hungaro Capitaneo Prorege. Rogerius I. Dux Apuliæ in Concilio Amalfitæ juramentum fidelitatis præſtitit Urbano II. ſuper terris Apuliæ, & ſe hominem ligium Eccleſiæ confeſſus eſt, & hoc etiam ſub Vexillo. Guillelmus vero I. Paſchali Papæ fidelitatem juravit, ſimiliter & Caliſto. Bonemaldus Rex Scotiæ &c.

Particula V. de geſtis Hiſpaniæ.

Adelfonſus dictus Hiſpaniæ Imperator &c.

Particula VI. de geſtis Saracenorum contra Chriſtianos ultra mare.

Caliphæ Ægyptio Deher ſucceſſit Boumeſor &c.

Particula VII. de initio Carthuſienſium, & quibuſdam eventibus.

ANno XXIII. Imperator in Pentecoſte conventu habito Moguntiæ, Hildebrandum decrevit a Papatu deponendum, & Guibertum Ravennæ Epiſcopum ei ſubſtituendum. Anno XXIV. Imperator cum Saxonibus congreditur, & multi eorum cum Rodulpho Rege perimuntur. Prædixerat enim Hildebrandus, tunc Romanum Regem moriturum. Sed hunc eſſe Henricum male interpretatus eſt. Anno XXVII. condicto die ad cauſam inter Papam & Imperatorem diſcindendam, quum pax non fieret, multi ex Romanis & Italiæ Epiſcopis a Papa deficiunt. Papa autem fugit ad Northmannos. Anno XXVIII. Romani Imperatorem recipiunt, & eorum judicio Hildebrandus a Papatu abdicatur, & recipitur Ravennæ Archiepiſcopus, Brixiæ a ſeditioſis Epiſcopis ei ſubſtitutus, & Clemens vocatur, quem Henricus ab Epiſcopis Bononienſi, Mutinenſi, & Cremonenſi fecit benedici, & Romam ſuos Cardinales ducens, ab eo in die Paſchæ coronatur. Denique Gregorium cum Cardinalibus in Caſtro Sancti Angeli obſedit. Sed audito quod Robertus Guiſcardi Papæ in auxilium veniret, deſtructo Capitolio, & Urbe Leonina, cum ſuo Papa fugit Senas. Robertus autem eodem die Urbem capiens, igne ferroque conſumens, Gregorium in ſuo Palatio reſtituit. Poſt Henricus Moguntiæ Concilio regali & ſynodali auctoritate exigit ab omnibus, ut Hildebrandi depoſitionem, & Guiberti electionem ſubſcriptione approbarent. Gregorius autem in Apuliam deſcendens apud Salernum moritur, MLXXXV. & coruſcat miraculis. Bruno natione Theotonicus ex Colonia, literis a pueritia eruditus, Remenſis Canonicus, & Scholarum Magiſter, relicto Seculo eremum Carthuſiæ fundat, propoſitumque Monaſticæ vitæ illuſtrat.

Particula VIII. de translatione Sancti Nicolai.

ANno XXXI. ait Sigibertus, Venetianis meditantibus auferre Corpus Beati Nicolai de Myra Liciæ, a Turcis deſolatâ, Barenſes XLVII. numero præoccupaverunt eos, qui a quatuor Monachis tantum ibi inventis extorſerunt ſibi oſtendi tumbam Sancti, unde oſſa Sancti Nicolai in oleo natantia integro numero extraxerunt, & Barum cum gloria tranſtulerunt MLXXXVII. In antiquiſſimo Libro reperi, quod huic Hiſtoriæ non contradicit, niſi pro quanto acceptæ Reliquiæ Sancti Nicolai minime fuerint. Anno enim Domini MXCVII. Magiſter Claſſis Venetorum cum Francis ad Terram Sanctam recuperandam proceſſit. Tunc multi tanto fervore calebant, ut candente ferro ſigno Crucis in carne propria ſignarentur. Congregati itaque in Eccleſia Beati Marci unanimiter, Henricum ibidem Epiſcopum in ſuum Rectorem, Johannem vero Vita-

Vitalem Michaëlis Ducis Venetorum filium in Ducem exercitus elegerunt . Sic uſque Rhodum pervenerunt, ubi hyemare coguntur. Suadente autem Imperatore Conſtantinopolitano reditum, Epiſcopus eos ad perſeverantiam animat , aliàs incurrere eos aſſerit cum nominis infamia iram Dei ; illud allegans : *nemo mittens manum ad aratrum* &c. Omnibus autem in Domino confortatis , annuntiatur , Piſanos contra ſe cum quinquaginta adveniſſe Galeis , & Imperialia aſſumſiſſe inſignia . Mittunt ergo Veneti primo Legatos , & quieſcere monent . Illi potius ſibi vindicare minantur . Mittunt itaque Veneti contra eos naves XX. bene munitas , quæ Piſanorum exturbant exercitum . Et tamdem ſuperveniente nocte XX. Galeæ vix ex omnibus evaſerunt . Veneti autem , ut Crucem Domini ſe portare oſtenderent, animo magis quam humano , fere omnes ex eis abire libere permittunt , triginta viris apud ſe retentis majoris auctoritatis .

Ex Rhodo autem tranſeuntes ad Myrorum Provinciam perveniunt . Diſtabat autem Civitas a Paganis lacerata ſex milliariis a mare . Ad quam præmiſſâ oratione declinare Epiſcopus jubet. Fugientibus vero Clericis , quatuor tantum Eccleſiæ Cuſtodes retinuerunt , a quibus de Beati Nicolai Corpore requirunt , qui ſe id ignorare temporis antiquitate ſimulant . Arcam tamen fractam muro adhærentem oſtendunt , dicentes : *Hinc Barenſes partem Reliquiarum tollentes , partem reliquerunt . Si vultis eas , tollite* . Arcam igitur perquirentes , nihil in ea præter aquam & oleum invenerunt. Frementes igitur pavimentum & muros Eccleſiæ perforant . Die & nocte ſequenti fruſtra laborant . Unus tamdem Cuſtodum importabili anguſtiatus tormento , pro Antiſtite mittit , & illi ait : *Sancte Pater , & Dei vere cultor , cur me nunc tam affligi permittis ? Licèt enim invitus, ſecretum tibi pandam, Græcis quidem lamentabile , Venetis autem memoriale ſempiternum . In hac Arca , quam vides, duo ſunt Sancti Præſules , Beati Nicolai prædeceſſores . Reliqui in Altari Sancti Johannis Baptiſtæ ſine dubio requieſcunt* . Arca igitur antiqua rumpitur . Altare proſternitur , & in Altari tres cappellas , & in Arca duos Pontifices cum ſuis Epitaphiis , ſeparatim in cappellis cypreſſinis collocatos reperiunt . Quorum alter eſt Theodorus Martyr , alter Nicolaus Nicolai Magni patruus , ambo magni meriti , & Eccleſiæ ejuſdem Antiſtites . In miraculo Beati Nicolai legitur, quod de hujus Theodori lampadis oleo cæci oculos unxit , & continuo vidit . De patruo vero ipſius legitur , quod eâ die , qua magnus Nicolaus natus eſt , quum balnearetur , dimidiâ fere horâ , nemine ſuſtentante , rectus in pedibus ſuis ſtetit . Quod audiens Sanctus Epiſcopus , ei benedixit , pro eo orationem fudit , & de ſacro Fonte levavit , eique nomen ſuum impoſuit , & ſacris literis erudivit . Has ergo Reliquias cum tubis & magno tripudio ad naves deducunt . Inſpirati autem quidam divinitus in Eccleſia tardantes , & ubi Sancti Nicolai Altare deſtruxerant , diligentius perſcrutantes , inconſuetam ſenſerunt odoris fragrantiam , ibique magnæ ſanctitatis Reliquias reconditas eſſe non dubitant . Compertumque eſt , quod in præcipuis feſtivitatibus Archiepiſcopus non ad Altare Sancti Nicolai Miſſam celebrabat , sed in loco plano ſuper ſanctum Corpus tripodem ponebat, ibique divina myſteria celebrab... ...nuntque imaginem Sancti Nicolai ſuperius rectâ lineâ eſſe depictam , ex qua conjiciunt, Corpus ejus ibi fore ſepultum . His igitur conjecturis permotus exercitus iterum redit ; prioris ruinæ molem detrahit , & fodiendo pervenit ad maſſam vitream , difficillimam ad frangendum . Poſt hanc ex bitumine aliam non minori labore frangunt . Tamdem poſt multos ſudores tertiam ad ſolvendum difficiliorem aperiunt , quæ cypreſſino mauſolæo & bitumine glomerata , oſſa ſanctiſſima glutinabat , quâ confractâ ad deſideratum theſaurum perveniunt . Tunc accedens venerabilis Epiſcopus cum ſumma devotione , lacrymis ora perfuſus , ſanctiſſimum Corpus in ſua Capſa collegit . Mirabile dictu ! Palmam , quam de Hieroſolymis vir Deo plenus portaverat, in ſepulcro reperiunt, & circa eum virides ramos & frondes pullulaverat . Ex quibus multi particulas colligentes in teſtimonium veritatis ad propria deportaverunt. In ſepulcro verò Græcis literis ſcriptum erat : *Hic requieſcit magnus Nicolaus , terrâ , marique miraculis glorioſus* . Cauſa autem tantæ recluſionis Græce legitur in ipſius miraculo . Quod Baſilius Conſtantinopolitanus Imperator eum ad Imperii Arcem portare voluit ; ſed quum ultra valvas Eccleſiæ nullis viribus evehere potuiſſet : *Ecce* , ait , *Beate Nicolae , Corpus tuum , poſtquam ipſum glorioſa Civitas & Imperialis habere non valet , tam firmâ locabo cuſtodiâ , ut nullus deinceps illud habere queat* .

Huic Inventioni affuerunt Græci nonnulli , Hungari plurimi , Theotonici , Daci , & Anglici , Barenſes , & Piſani , aliique Italici , & clamabant univerſi : *O felicem Populum Venetorum ! Leonem habes Euangeliſtam Marcum , qui te victorioſum fecit in prœliis . Nunc habes nauclerum . Pontificem Nicolaum , qui ſedare ſolet in pelago tempeſtates . In altero furtum , rapinam in alio ſine crimine feliciter commiſiſti.* Quum vero deportarentur cum reverentia & multo gaudio ſacræ Reliquiæ, Piſani Beati Nicolai amore relaxari petunt , & plenæ libertati donati ſunt . Audiens hæc Archiepiſcopus, qui in Caſtro quodam degebat , crines canos , & barbam evellit . At Veneti miſericordiâ commoti , capſellam unam de Altari ſumtam cum C. Byzantiis aureis pro reparatione Eccleſiæ reddunt . Mittuntur certi nuntii , qui Venetiis rem geſtam nuntient . Fit in Populo & in Clero ingens gaudium . De eo collocando diverſi diverſa ſentiunt . Quidam juxta Sanctum Marcum , quidam in Eccleſia ipſius Sancti , quidam in Epiſcopali Eccleſia propter laborem & induſtriam Epiſcopi locandum cenſebant . Abbas quoque Sancti Nicolai de Litore aſſerebat , quod niſi in ſuo Monaſterio Corpus Sancti haberet , cum ſuo Collegio ac theſauris Eccleſiæ , ubicumque poneretur , ſe transferret . Dum igitur Venetiis hæc aguntur, ad Terras promiſſionis exercitus Domini profectus in Portu Joppe dimiſſo navigio cum tuta cuſtodia Sepulcrum Domini viſitavit . Poſtea deliberato conſilio Accaron fortiſſimum Paganorum præſidium , quod nec Chriſtiani nec Saracenorum Soldanus obtinere potuit , expugnare diſponit . Captâ autem divino auxilio Civitate, Franci ad cuſtodiam remanent . Veneti eis valefacientes , ad deferendas Venetiis Reliquias Sacras ſe parant . Quum autem locum , qui dicitur Leſina , attigiſſent , jurant omnes ſe Reliquias in Sancto Nicolao de Litore locaturos. Occurrit autem Reliquiis Sacris Dux cum

Nobilibus, Patriarcha Petrus cum Clericis & Populo innumerabili. Ad Eccleſiam itaque parvam in litore Corpus Sanctum devehitur. Epiſcopus peracta breviter narrat. Dux eorum juramentum confirmat. Conſtruitur ibi Turris pro loci tutamine. Manus armatorum cuſtodit, donec locus ſecurus & aptus ad Dei & Sanctorum honorem celeberrimus ædificetur. Interea Sancti coruſcant miraculis multis, quæ omitto causâ brevitatis. Horum autem Sanctorum Inventio celebratur III. Kalendas Junii. Translatio vero in Venetias VIII. Idus Decembris. In ipſo enim Feſto Sancti Nicolai claſſis cum-ſalute pervenit ad Portum, quæ tertio anno ab incepto itinere rediit. MXCIV. Venetiis Corpus Beati Marci in Eccleſia nova B reponitur.

Particula IX. continet deteriorem ſtatum Terræ Promiſſionis, maxime propter vaſtationem Conſtantinopolitani Imperii.

POſt hæc accidit, ut tempore Epiſcopi Hieroſolymitani, qui vocabatur Oreſtes, cujus Caliphi Ægypti nomine Elau. ex ſorore nepos, effractis pactis conſuetis, mandavit imponi ſolito majora tributa &c.

Particula X. continet piam auxilii implorationem initiumque poſtulatæ ſalutis....

C Poſt primæ lamenta &c.

Particula XI. De Henrico Henrici Imperatoris filio.

HEnricus Henrici Imperatoris filius a patre adverſus, quoſcumque poteſt a patre avertit. Et ſibi obtentu meliorandæ Reipublicæ & reſtaurandæ Eccleſiæ, in eum inſurgit ſupra Rhenum; & Ducem Bohemorum, & Lipoldum Auſtriæ Ducem, magnis promiſſionibus a patris amovit auxilio. Quibus recedentibus pater campo cedere compulſus eſt. Tercone verò captus tenetur in vinculis. Tunc D duo orbes in modum Solis, formâ & lumine cotidiano Soli ſimiles apparuerunt, omnium colorum ſpeciem radiantes, inſtar arcus cœleſtis. Interea Imperator Leodii moritur.

CAP. CCXXV.

De Imperio Henrici V. & ſibi contemporaneis:

Cujus Particula I. de Hugone Cluniacenſi, & quibuſdam geſtis Terræ Sanctæ & Hiſpaniæ.

HEnricus ejus filius poſtea imperavit. Adelfonſus filius Reginæ Urracæ &c. Henricus Imperator Paſchalem Papam cepit, quia E patrem ejus prohibuerat ſepelire, & longo tempore manſerat inſepultus, & etiam propter Inveſtituras Prælatorum. Tamdem ad cor rediens, Româ recedit. Callixto Papæ Inveſtituras, quas a Paſchali extorſerat, libere reſignavit, ut finem accipiat longum diſſidium inter Eccleſiam & Imperium. Papa autem communicavit eum dicens: *Domine Imperator: Hoc eſt Corpus Domini ex Maria Virgine natum, paſſum pro nobis in Cruce, quod tibi damus in confirmationem veræ pacis inter me & te.*

A *Particula II. de Summis Pontificibus.*

GElaſius natione Cajetanus ſedit annum I. dies V. Ceſſavit Epiſcopatus dies XXIV. Hic fuit Romanæ Eccleſiæ Cancellarius. At Imperator, qui electioni non interfuerat, Hiſpanum quemdam nomine Burdinum ei ſuperordinavit. Gelaſius autem ordinato Cuſtode Romæ, Gajetam timore cum Cardinalibus ſe tranſtulit. Inde per mare in Franciam tranſiens, Cluniaci moritur. Callixtus natione Burgundus, frater Comitis Burgundiæ, Cluniaci concorditer electus eſt. Primo Anno celebravit Concilium Toloſæ cum Archiepiſcopis Provinciæ, Galliæ, Vaſconiæ, & citerioris Britanniæ, ubi damnati ſunt, qui religionis ſpeciem ſimulantes, Sacramenta damnabant Conjugii, Altaris, & Baptiſmi. Hic Romam iens, ubique gratè ſuſcipitur; & Burdinus peregrinos Romam euntes exſpolians, in Sutrio obſidetur, & captus in camelo ponitur, verſâ ad tergum facie, & caudam tenens pro fræno. Poſtea verò in Monachum tonſus eſt, & in Arce truſus. MCXXIII. quintodecimo Kalendas Aprilis, Romæ Synodus celebrata eſt, ubi omnes ordinationes Burdini irritantur. Tamdem cum Imperatore concordavit. Honorius natione Bononienſis ſedit annos V. menſes II. dies III. Hic fuit Epiſcopus Oſtienſis. Ipſe depoſuit Patriarchas Aquilejenſem & Gradenſem, quia ſchiſmaticis favorabiles fuerant. In gratiam autem recepit Rogerium Comitem Siciliæ, & recepto homagio inveſtivit de Ducatu Apuliæ. Et factus in Apulia, ſicuti in Sicilia Dominus, Regis ſibi nomen aſſumſit.

Particula III. de morte Sigeberti, & Reliquiis Baptiſtæ.

DOmnus Sigebertus venerabilis Monachus Gemblacenſis Cœnobii, vir in omni genere ſcientiarum, ingenioſus temporum deſcriptor, obiit anno Henrici ſeptimo. Eodem anno in Venetiis Vitalis Michaël ibidem Epiſcopus cum electis Clericis Reliquias Præcurſoris caute inquirere diſponit in Altari Sancti Johannis Decollati; ne forte prolixitate temporis tantarum Reliquiarum ſubtrahatur memoria, vel de eis hæſitaretur dubietas. Conſtat enim, eas a Philippo Hieroſolymitano Epiſcopo, Athanaſio Alexandrino Epiſcopo, translatas, ubi poſtea fuit materialis Eccleſia ædificata. Ex qua poſt longa tempora a Venetis circa talia ſolicitis, Venetias cum multa devotione delatæ ſunt, & apud Eccleſiam Sancti Hermagoræ locatæ. Hinc in Eccleſia prædicta a fundamentis de novo ædificatâ reconditæ. Sic autem ſponſio omnium, qui aderant, omnes conſequenter adſtrinxit. Quislibet enim ſponte promiſit, quod ſi contra ſpem Reliquias non invenirent, perpetuo id ſilentio tegerent, ne devotio & reverentia minueretur in Populo. Clauſis igitur Eccleſiæ januis, ſublatâ de Altari menſâ, ſecretum Altaris aperiunt. Vas pretioſum honeſte cælatum reperiunt. In quo Baptiſtæ manus cum aliis de Corpore Reliquiis, & aliquot fragmentis lapideæ Arcæ erant, quam in Sebaſte habuerat. Quæ omnia præterquam per antiquorum relationem, per vetuſtiſſima ſcripta ſub Epitaphii formam diſpoſita, clarius patefiunt. Quum autem Pontifex ſericum pannum, in quo repoſitæ erant Reliquiæ, tractare cœpit, inopinatus odor circumquaque

quaque diffunditur , ita ut per canales & calles tranſeuntes, & quid ageretur omnino ignorantes, ſtupefacti immenſitatem ſuaviſſimi odoris , illò concurrerent , & coactione quadam , negotium patefactum eſt ; ubi conſequenter nonnulla miracula patrata ſunt .

Particula IV. de Sancto Bernardo .

ANno eodem Bernardus juvenis egregius , ſcientiâ , moribus, & genere clarus, Caſtellione Caſtro Burgundiæ natus , &c.

Particula V. de quibuſdam incidentibus , & geſtis ultramarinis .

IN Pago Bachic nix tanta cecidit IX. Kalendas Maji, ut etiam ſilvas contegeret. Apud Ravennam & Parmam ſanguis pluit in Junio. Idibus Novembris in ſuburbano Antiochiæ terra noctu &c.

Particula VI. de Anſelmo Laudunenſi , & quibuſdam prodigiis .

MIlleſimo Centeſimo Decimo Septimo Anſelmus Laudunenſis Magiſter notiſſimus , morum honeſtate clarus , conſilio & maturitate venerabilis obiit . Hic inter cetera opera &c.

Particula VII. de Reliquiis Venetias delatis , & initio Præmonſtratenſium , Hoſpitalariorum , Templariorum , ac Alemannorum , & quibuſdam geſtis ultramarinis .

MIlleſimo Centeſimo Decimo Octavo , ut Babyloniorum injurias Balduinus vindicet , versùs Ægyptum pergit &c.

Particula VIII. de quadam mirabili viſione.

GAufredus ſuper Apocalypſim ait : *Quum prima noſtri Ordinis Ciſtercienſis jacerentur fundamenta , erat in Eccleſia Lugdunenſi Johannes honorabilis Clericus , qui Ordinem tacitus cogitavit intrare &c.*

Particula IX. de quibuſdam contingentibus.

AD Papam Honorium profectus Pater Norbertus , honorifice ſuſceptus , quæ poſtulat , impetrat , ibique divinitus cognovit , ſe futurum Gratianopolitanum Epiſcopum. Ubi in reditu poſt Miſſarum ſolemnia cæcam mulierem illuminavit &c. Henricus Imperator Mathildem filiam Regis Angliæ accepit uxorem . In ipſa autem Curia Lotharius Dux Saxoniæ , qui poſt eum imperavit , diſcalceatus cecidit ad pedes ejus . Tantus terror omnes invaſerat , ut nullus ejus terribilitati auderet reſiſtere . Mathildem autem poſtea dimiſit . Ceterum in ipſa Curia contra ejus terribilitatem multæ Principum conſpirationes factæ ſunt . MCXXV. Ex conſilio quoque & ſuggeſtione Præſulum maximorum Colonienſis & Maguntinenſis a Callixto Papa excommunicatus eſt . Propter quod ſchiſma renovavit . Tamdem cum Papa concordavit . Morbo autem dragunculi , qui ſibi erat nativus , mortuus eſt . Quod autem mortuum ſe finxerit , Monachus Cluniacenſis effectus , pro fabula habetur .

CAP. CCXXVI.

De Imperio Lotharii , & ſibi contemporaneis:

Cujus Particula I. de ejus electione , & quibuſdam geſtis ultramarinis .

LOtharius Dux Saxonum , qui & Linterus dictus eſt, poſtea imperavit. Quum enim Legati Sedis Apoſtolicæ, & Archiepiſcopi cum Epiſcopis & Optimatibus Imp rii ex condicto coëuntes , Moguntiæ eum elegiſſent , virum ſapientem & induſtrium , Eccleſiaſtico juri devotum , auctum victoriis , potentem divitiis , a Friderico Colonienſi Præſule benedicitur & inungitur . Mortuo Balach , Rex Hieruſalem promiſsâ pecuniâ , datiſque obſidibus pro captivitate &c. Antiochiam redit &c.

Particula II. de Summis Pontificibus .

INnocentius natione Romanus ſedit annos XIII. menſes VII. dies VIII. Ceſſavit Epiſcopatus dies II. Hic fuit Diaconus Cardinalis electus a majori parte ; a minori verò Petrus Leonis , & per contentionem Anacletus vocatur . Hic opes congregaverat tam in exactionibus Curiæ , quàm in Legationum negotiationibus . Paterni quoque cenſus ampla congeries uſque modo ſignata tunc in Populo eſt diſperſa. Sic ad fas & nefas vænalis Plebs armatur , unde & domos Frangipanenſium, ubi ſe Innocentius cum Cardinalibus receperat , aggreditur . Sed quia in hoc non profecit , armata manu Eccleſiam Sancti Petri exſpoliat , theſauris , gemmis , calicibus , & aureo Crucifixo . Simile fecit in Eccleſia Sanctæ Mariæ Majoris . Et quum Calices frangere , Crucifixos aureos dividere Chriſtiani vel erubeſcerent, vel timerent , Judæos vocat , qui illa comminuant . Theſauro omnibus pæne corruptis Romanis , & Petro apud Sanctum Petrum ob parentelæ potentiam commorante , Innocentius cum Cardinalibus duabus vectus Galeis in Franciam tranſiit, & a Ludovico Rege ſuſceptus eſt, omnibus Galliæ & Germanis Epiſcopis ſibi adhærentibus. Illuc ei occurrit Henricus Rex Angliæ . Hic Remis congregavit primo Concilium , & ſecundo Piſis . Imperator enim Lotharius expeditionem paravit in Italiam , & cum Epiſcopis & Archiepiſcopis Innocentio occurrit , & Romam deduxit . Petrum verò Leonis expugnans cum tota progenie ſua extirpavit , & ab Urbe relegavit , & Innocentium in ſua Sede locavit . In hoc reditu Innocentius pacificatis Januenſibus & Piſanis, attendens quod ſerviviſſent Eccleſiæ, Epiſcopum Januenſem, qui ſub Mediolanenſi erat , Archiepiſcopum fecit : Piſanum verò , Primatem Sardiniæ . Et tranſiens cum Lothario per Apuliam , fugato Rogerio , qui Petro Leonis adhæſerat , & Raynone in Apulia Comite conſtituto , Romam ivit . Præmiſſus autem fuit in Italiam ad reconciliandos animos de conſilio Regis Franciæ Beatus Bernardus , qui in hoc multum & utiliter laboravit , ſicut & in Francia , ut in Concilio Innocentius ſuſciperetur, operam dedit . Hic conſtituit , ut violentas manus in Clericum injiciens , Monachum vel Converſum , ſententiam excommunicationis incurrat , ne poſſit abſolvi, niſi per Romanam Curiam (*XVII. Quæſt. IV. Si quis ſuadente, in Concilio Claromontis.*) Hic Innocentius ſolemni Concilio celebrato in Late-

Laterano moritur, & in Lateranenſi Eccleſia ſepelitur.

Particula III. de initio Carthuſienſium, & quibuſdam eventibus.

HUgo Gratianopolitanus Epiſcopus religioſæ admodum vitæ obiit MCXXXII. Hic &c. Romani vigente ſchiſmate Pontificum, Senatum innovant, qui longo jam tempore nec nominabatur, quem Innocentius morte præventus annulare non potuit. Mulier quædam in Hiſpania monſtrum enixa eſt &c. Lotharius poſt ſubactam Romanæ Eccleſiæ Apuliam, rediens in patriam ſuam, Veronæ moritur. Et Comitiſſa Mathildis apud Mantuam obiit.

CAP. CCXXVII.

De Imperio Conradi, & ſibi contemporaneis:

Cujus Particula I. de quibuſdam eventibus.

COnradus autem nepos Henrici ex ſorore, qui ante Lotharium Imperium affectaverat, poſtea imperavit. Hic electo Lothario reſtitit. Qui poſtea progeniem Henrici humiliavit. Ideo Lotharius cum fratre ſuo Friderico a Papa Honorio excommunicatus eſt, & inde Conradus a fratre, & quibuſdam aliis factus eſt Rex contra Lotharium, & cum parvo exercitu intravit Italiam. Et Mediolani, & apud Modoëtiam Coronam portavit. Denique ad partes Romanorum conceſſit. Et tamdem rebus conſumtis, in patriam rediit; & cum Lothario, relicto ei Regno, compoſuit. Nunc autem electus eſt, præſente Legato Portuenſi Epiſcopo, & ſtatim Aquiſgrani in Sede Caroli a Principibus locatus, ab eodem Legato coronatus eſt. Saxones tamen, & Dux Bavariæ Henricus in eum tunc non conſenſerunt; tamdem verò in gratiam omnes recepti ſunt, præter Ducem Bavariæ, qui cognominabatur *Superbus*; qui gener fuerat defuncti Imperatoris, quique contumaciter adhuc detinebat inſignia Imperialia, ideſt Crucem, Lanceam, Coronam, Gladium, Sceptrum, Pomum aureum. Verſiculi:

„ *Ut ſcriptura tonat, Crux, Enſis, Sceptra,*
„ *Corona,*
„ *Lancea, Pila, bona verba, inſignia do-*
„ *nant.*

Poſtremo inſignia dedit, & conſilio Principum proſcriptus, & a ſuis derelictus, vix quatuor militibus comitatus, in partes Saxoniæ ceſſit, ubi cito miſerabiliter mortuus eſt. Tunc quidam pſeudo-Imperator in partibus Alemanniæ ſurrexit, qui per aliquot annos apud Solodorum in recluſione vivens, egreſſus inde, Imperatorem Henricum ſe eſſe mentitus eſt. Et quum multos ſeducendo allexiſſet; in tantum ut pro eo fierent homicidia & prœlia, aliis ſeductorem palam acclamantibus, declarata ejus falſitate, Cluniaci in Monachum attonſus eſt.

Particula II. de Summis Pontificibus.

CÆleſtinus natione Tuſcus ſedit menſes V. dies XIII. Ceſſavit Epiſcopatus dies IV. Hic fuit Presbyter Cardinalis & Cancellarius. Eugenius natione Piſanus ſedit annos VIII. dies

A XX. Ceſſavit Epiſcopatus dies II. Hic vocatus eſt Bernardus Monachus Clarevallenſis. Fuit diſcipulus Sancti Bernardi, & Abbas Sancti Anaſtaſii. Hic electus, ad Farfenſe Monaſterium propter metum Senatorum, cui contra voluntatem prædeceſſoris ſui electi fuerant a Populo, vocatis Cardinalibus & Prælatis conſecratus eſt. Hic prius ſermonis mirabilem gratiam & eloquentiam a Deo accepit. Contra hunc Romani Jordanem Senatorem & Patricium erigentes, Urbe eum deturbant. Ille verò excuſſo in litigantes pulvere pedum eos reliquit, & in Gallias iens, Ludovicum Regem Cruce ſignavit; & celebrato Remis Concilio ad Urbem rediit; cui Clerus occurrit &
B Populus cantans: *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

Particula III. de quibuſdam contingentibus.

HAbitaculum ſervis Dei conſtruitur MCXXXIX. in Monte Dei. Quibus Sanctus Bernardus nobilem ſcripſit Epiſtolam. Petrus Abaleardo Magiſter inſignis &c. Innocentio ſuccedit Guido Caſtellanus, vocatus Cæleſtinus, cui poſt menſes V. ſucceſſit Lucius ex Gerardo Cancellario. MCXLIII. mortuo Rege Fulcone &c. Arnaldus de Brixia, cujus dicta propter arctam vitam, quam tenebat, plurimi decepti ſequebantur, dum Romæ delitias
C Clericorum & ſuperfluitates argueret, a quibuſdam captus ſuſpenditur, & crematur. *Erat enim*, ut ait Sanctus Bernardus in Epiſtolis, *homo non manducans, neque bibens, ſed cum Diabolo eſuriens ſanguinem animarum, cujus converſatio mel, doctrina venenum: cujus caput columbæ, cauda ſcorpionis erat: quem Brixia evomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominata eſt.*

Particula IV. de cauſa deſolationis, & amiſſionis Terræ Sanctæ promiſſionis, factæ tempore Saladini, habens cauſas ſex.

D PRima cauſa continet Græcorum ritum, ac Surianorum intra promiſſionis habitaculum. Terram promiſſionis Conſtantinopolitano Imperatori ſubjectam fuiſſe annis non paucis, ac per hoc &c. Secunda cauſſa continet eorum mores, qui Pulani & Maronitæ dicuntur, & illuſtrium virorum, qui ad Sanctæ Terræ tuitionem &c. Tertia cauſſa continet eorum ritus & mores, qui Armeni & Georgiani dicuntur. Armeniorum Populus in Armenia Provincia prope Antiochiam inter Chriſtianos, & Saracenos ſeorſum inhabitat. Quarta cauſa continet ritus & mores Jacobitarum, Neſtorianorum, & Moſarabum. Sunt & in Terra Sancta &c. Quinta cauſa continet
E multorum Occidentalium ad Terram Sanctam concurrentium pravitatem. Ad Terræ Sanctæ ſuccurſum venit fortitudo maris de maritimis Terris Italiæ, & fortitudo gentium de ultramarinis partibus Occidentis & Aquilonis &c. Sexta cauſa continet Clericalis & Regularis ſtatus depravationem. Poſtquam omnis pœne fidelium Populus &c.

Particula V. de quibuſdam aliis incidentibus.

BErnardus Abbas Sancti Anaſtaſii Papa eligitur, & vocatur Eugenius. Et MCXLVIII. Remis Concilium celebravit, ubi Sanctus Bernar-

nardus Guibertum Porectanum diſputando confutavit &c.

Particula VI. de raptu animæ Tundali .

TUndalus ex Hibernia oriundus, nobilis genere , crudelis actione , formâ egregius , fortitudine robuſtus, ſed de anima nihil ſolicitus &c.

Particula VII. de viſione Dæmonis , & boni Angeli .

Primo quidem &c.

Particula VIII. de pœna homicidarum , & inſidiatorum .

Secundo oſtenditur ei &c.

Particula IX. de pœna ſuperborum , & avarorum .

Poſtea venit &c.

Particula X. de pœna furantium , & luxuriantium .

Longius autem eundo &c.

Particula XI. de pœna Clericorum , Religioſorum , & de Vulcano .

Exinde vidit &c.

Particula XII. de pœnis Inferni, & infernalium beſtiarum , & ſpecialiter Luciferi .

Poſtremo videbis &c.

Particula XIII. de Gloria Paradiſi .

Poſt hæc ait ei Angelus &c.

Particula XIV. de Sancto Malachia Archiepiſcopo .

Eodem Anno &c.

Particula XV. de quibuſdam incidentibus.

LUdovicus Rex Francorum &c. Eugenius pace cum Romanis reformatâ Romam redit . Conradus vero moritur , & benedictione Imperiali caruit .

CAP. CCXXVIII.

De Imperio Friderici I. & ſibi contemporaneis.

Cujus Particula I. de quibuſdam contingentibus.

FRidericus I. Dux Sueviæ nepos ejus , filius Friderici Ducis Suevorum , fratris Conradi II. Regis de progenie Carolorum , poſtea imperavit . Et ab Adriano IV. Romæ in Eccleſia Sancti Petri coronatus eſt . Quinto Anno Eugenius vir ſanctus moritur , & Anaſtaſius ei ſucceſſit . Alphonſus Rex Hiſpaniæ &c.

Particula II. de Summis Pontificibus .

ANaſtaſius natione Romanus ſedit annum I. menſes IV. dies XXIV. Ceſſavit Epiſco-

A patus dies XX. Adrianus natione Anglicus ſedit annos IV. menſes VIII. Ceſſavit Epiſcopatus dies XVIII. Hic fuit Epiſcopus Albanenſis , & Legatus convertit Norvegienſes . Hic fuiſſe dicitur primus Papa , qui Romanam Curiam de Roma ad aliam Civitatem tranſtulit. Hic propter vulnerationem unius Cardinalis , uſque ad condignam ſatisfactionem Urbem ſuppoſuit Eccleſiaſtico interdicto . Eo vero mortuo Cardinales diviſi duos elegerunt, Rolandum Cancellarium , qui Alexander dictus eſt , & Octavianum . Imperator Octaviano adhæſit , qui Victor acclamatus eſt . Reges autem Franciæ, & Angliæ Alexandro adhæſerunt . Alexander natione Senenſis ſedit annos XXI. menſes XI.
B dies XIX. Hic ſuperavit quatuor Antipapas MCLXI. Alexander videns omne Patrimonium Sancti Petri , & adjacentem regionem occupari , in Galliam tranſiit , & MCLXIII. Concilium celebravit. Et MCLXV. in Italiam rediit. Cui occurrit Rex Guillielmus, & Regnum ab eo cognoſcit , renovato fidelitatis juramento . Demum Romam iens cum magna proceſſione ſuſcipitur a Romanis , & MCLXXIX. Romæ Concilium celebravit . Et Imperator relicto Papa ſchiſmatico, Alexandro ſubjectionem exhibuit . Fuerunt autem tres Antipapæ Cardinales , & omnes male perierunt . Lucius natione Tuſcus ſedit annos quatuor, menſes duos. Ceſſavit Epiſcopatus dies XIII. Veronæ mor-
C tuus eſt , in cujus Epitaphio ſcriptum eſt :

„ *Luca dedit lucem tibi , Luci, Pontificatum*
„ *Oſtia , Papatum Roma , Verona mori .*
„ *Immo Verona dedit verum tibi vivere. Roma*
„ *Exilium . Curas Oſtia . Luca mori .*

Vidi Privilegium iſtius Lucii III. in quo ipſe ſubſcripſit ſic : *Ego Lucius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi .* Et Cardinales ſimiliter ſubſcripſerunt ſub ipſo Papa Epiſcopi , ab uno latere Presbyteri , ab alio Diaconi. Sub omnibus autem Cancellarius ſic . *Datum per manus Alberici Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteri Cardinalis & Cancellarii : II. nonas Julii , In-*
D *dictione I. Incarnationis Dominicæ Anno MCLXXXIII. Pontificatus vero Domini Lucii Papæ III. anno ſecundo .* Nec ponit locum ubi datum ſit . Urbanus natione Mediolanenſis ſedit annum I. menſes X. dies XXV. Gregorius natione Beneventanus ſedit menſem I. dies XXVII. Ceſſavit Epiſcopatus dies XX. Clemens natione Romanus ſedit annos III. dies XVI. Hic fuit Epiſcopus Prænestinus .

Particula III. de Petro Lombardo , & de Comeſtore .

Floruit tunc Petrus Lombardus Pariſienſis Epiſcopus &c.

E

Particula IV. de quibuſdam incidentibus .

MIlleſimo Centeſimo Quinquageſimo Quarto , Rege Hieroſolymorum Aſcalonem obſidente, Milites Templi ſe Civitatem capturos putantes , ingreſſi trucidantur . Ceteri vero obſeſſores ante Crucem Domini ſe proſternentes, divinum cum lacrymis imploraverunt auxilium , quod eis continuo affuit , ita ut Pagani Civitatem traderent , Urbe abire permiſſi . Rogerio Regi Siciliæ ſucceſſit Guillelmus tam in Regno quam in victoriis . Alexandria in honorem Alexandri Papæ ædificata eſt,

eſt, rebellantibus Friderico omnibus Civitatibus Lombardiæ præter Papiam. Et Johannes Papiæ Epiſcopus Cruce & Pallio, quibus antea utebatur, privatus eſt. Alexandriæ vero Epiſcopalis titulus conceſſus fuit, quo ſatis cito privatur, quia primus ibi Epiſcopus occiſus eſt (*a*). Norandinus autem Damaſci jam Princeps effectus &c. Signum Crucis in Luna apparuit MCLVI. Fridericus per ſeptennium fere Mediolanum obſidet &c. MCLXII. Corpora trium Magorum, olim per Imperatorem translata de Perſide in Conſtantinopolim, & inde a Sancto Euſtorgio Mediolanenſi miraculoſe ſunt tranſvecta. Super conceſſam enim ſibi a Conſtantino Imperatore Arcam, & in mare projectam, aſcendit Sanctus Euſtorgius, & divino regimine ad Italiam Arca natavit. Arca quoque ipſa immenſi ponderis, ſuper emtâ carructâ cunctis ſtupentibus poſita, non ſolum ſuſtentatur, ſed a duabus vaccis trahitur faciliter uſque prope Mediolanum. Sancto quoque Euſtorgio quieſcente nocte præ labore, vaccarum alteram lupus extinxit, quo Sanctus Euſtorgius percepto, vaccæ vicem ſupplevit. Mediolanenſes vero Reliquias Sanctas honorifice ſuſceperunt. Et eidem Sancto Euſtorgio Eccleſiam dedicantes Sanctorum Magorum Corpora inibi locaverunt. Deſtructâ autem Urbe Mediolanenſi per Imperatorem, a Raynaldo Colonienſi Epiſcopo, e Mediolano Coloniam transferuntur. Sanctus Helinandus &c.

Particula V. de Thoma Cantuarienſi.

HIc juventute valde gratioſus &c. Interea Alexander Papa in Gallias venit, adhærente Imperatore quatuor Schiſmaticis contra Alexandrum. Nam poſt Octavianum eligitur Guido Cremenſis. Poſt hunc Johannes Strumienſis. Poſt hunc Lando. Unde & congregatâ magnâ multitudine tentabat in Burgundiam tranſire. Sed contra agentibus Franciæ & Angliæ Regibus, nil profecit &c.

Particula VI. de quibuſdam incidentibus.

EOdem Anno, quo revocatus eſt ab exilio Sanctus Thomas, Alexander Papa Romæ cum honore ſuſcipitur &c. MCLXVII. dum Imperator Romam obſidet, omnis pæne exercitus ejus peſte perit, unde cum paucis ad propria redit. MCLXVIII. in Sicilia multa Caſtra cum innumerabili Populo concuſſa ſunt; Urbs vero Catania ante horam primam terræ motu ſubvertitur. Epiſcopus, & Clerus, Abbas de Mileto cum Monachis XL. & omnis Populus, circiter XV. millia, repentina morte perit. Almaricus Rex Hieruſalem &c.

Particula VII. de Martyrio Sancti Thomæ.

Henricus Rex &c.

Particula VIII. de ſimultate Regum Franciæ & Angliæ.

LUdovicus VII. Rex Franciæ &c. MCLXXVII. in Septembri Fridericus Romæ pa-

A cem Sebaſtiano Duci & omnibus Venetis juramento firmavit, ſuper hoc per Ducem & Commune Venetorum Syndico ſpecialiter deſtinato. Eodem Anno Almaricus moritur &c. Eodem anno MCLXXVII. Beatus Thomas Cantuarienſis canonizatus eſt a Papa Alexandro. Anno eodem Alexander Papa Venetias venit propter Civium fidelitatem, & Civitatis inexpugnabilem ſecuritatem. Tunc Sebaſtianus Ziani Dux Imperatori Legatos & dulcia mittit epigrammata, quæ Alexander Papa conſpiciens plumbeâ Bullâ muniri juſſit, & Ducem ſuas literas de cetero taliter ſigillare conceſſit. Imperator nuntios grate ſuſcepit, ſed quum de pace & concordia legit, mutato vultu ſenten- B tialiter reſpondit.

„ *Ite: Duci veſtro noſtrum reddatis amorem.*
„ *Et licèt hæc noſtræ referat ſibi pagina chartæ,*
„ *Ore nihilominus hæc referatis amico*
„ *Verba Duci noſtro: Noſtrum non amplius hoſtem*
„ *Suſtineat, mittat fidis cuſtodibus illum.*
„ *Ac ſi forte negat fugitivum tradere Papam,*
„ *Credat amicitiæ diſſolvi fœdera noſtra.*
„ *Securum ſe Dux faciens, quod in æquore claſſes*
„ *Injiciam, quum tempus erit, tantiſque Galeis*
„ *Propulſabo fretum, Venetos quod remige Portus*
„ *Ingrediar, Marcique ædem, figamque Plateis*
„ *Victrices Aquilas, non ante in ſecula fixas.*

C Dux autem confortans Papam ait:

„ *Si Ruber nobis Federicus bella movebit,*
„ *Nos non inveniet clauſos, ſed in æquore lato*
„ *Obvius ibo ſibi, Venetis comitantibus armis.*

Igitur contra Othonem Imperatoris filium venientem cum Galeis LXXV. proficiſcenti Sebaſtiano Venetorum Duce cum Galeis non amplius XXX. Papa enſem ſplendide ornatum tamquam Eccleſiæ pugili dedit, quem Veneti Duces ante ſe portari de cetero faciant in ſignum prædicti honoris. Et quum proceſſiſſent Veneti per milliaria L. de Chriſti auxilio confidentes, ſtolum Imperatoris aggreſſi, victo- D riam obtinuerunt, & Imperatoris filium Venetias perduxerunt. Tunc Summus Pontifex gratias Deo agens anulum Duci porrexit, dicens: *Te, fili, Dux, tuoſque ſucceſſores aureo anulo ſingulis annis mare deſponſare volumus, ſicut vir ſubjectam ſibi deſponſat uxorem, quia ab infeſtationibus noſtris mare taliter quietaſti.* Poſt aliquod vero detentionis tempus filius Imperatoris a Summo Pontifice, ſimulque a Communi Venetorum impetrat ad patrem ire, & pacem atque concordiam procurare, juramento ſe adſtringens; quod ſi id perficere non valebit, poteſtati Domini Papæ & Communis Venetorum plenarie ſe ſubmitteret. Quum autem filius patrem pertraxiſſet ad pacis conſi- E lium; præter hæc enim cernebat Imperator, Papæ proſpera cuncta procedere, & ad eum totam Italiam declinare, ille multis cum Proceribus procedens, Papæ ac Duci Venetorum denuntiat Imperatoris adventum. In craſtino verò, ideſt in die Aſcenſionis attigit litora Venetorum, & honorifice perductus ad Eccleſiam Sancti Marci ante fores Eccleſiæ humiliavit ſe pedibus Summi Pontificis, & abſolutio-

(*a*) *In MS. Codic. Vaticano habentur hæc, quæ ſequuntur in margine deſcripta eodem charactere:* In Ægypto Zampnes Civitatem diripuerunt, & revertentes, dolum Imperatoris Conſtantinopolitani incurrerunt: Et licèt quantitate navigii eſſent inferiores, Græcorum tamen CXL. naves ſuperavit & ſpoliavit. Poſtea Maſſauntas, qui Puteolum ſpoliaverant, exterminavit aut cepit.

lutionem ac benedictionem , & gratiam ejus A promeruit . Sic Eccleſiæ & Imperii longum diſſidium finem accepit , quo nullum prius aut incanduit vehementius , aut perſeveravit diutius ; quia annis XVI. Hiſtoria autem hujus reconciliationis in Eccleſia Lateranenſi depicta erat cum his verſibus :

„ *Ceſſit Alexander veniam tunc Papa Beati*
„ *Eccleſiæ Marci . Tertius ille fuit .*
„ *Si quis Aſcenſâ Domini cum venerit illuc*
„ *Confeſſus verò , corde puro pœnitens ,*
„ *Veſper utrumq;laudat,totū, quod inter utrumq;*
„ *Tempus , cum culpa pœnaque nulla manet ,*
„ *A die , & rurſus Octavæ tempore toto ,*
„ *Septima peccati pars relevatur ei .* B

Iis autem peractis , Dux recedentes juxta condictum, Papam atque Imperatorem ſociavit uſque Anconam . Anconitani verò duas Umbrellas præſentant , unam Papæ , Imperatori aliam . Tunc Summus Pontifex ait : *deferatur tertia Duci Venetorum , cui meritò congruit , qui nos ab æſtu turbationis liberans , in refrigerio pacis poſuit , quod bene Umbrella ſignificat . In cujus rei memoria Duces Venetos volumus in ſuis ſolemnitatibus eâ uti* . Denique quum Romam appropinquarent , occurrerunt Romani cum octo Tubis argenteis , & octo Vexillis diverſorum colorum . Quæ omnia Papa mandavit , Duci Venetorum offerri in C memoriam victoriæ ſupradictæ , eiſque voluit futuris temporibus uti Venetorum Duces. Poſt oſtenſas autem Reliquias varias Imperatori & Duci , Dominus Papa in Sede ſua locatus prædicans , honorantias omnes Duci Venetorum datas confirmavit , ac roboravit . Ille vero Apoſtolicâ benedictione ſuſceptâ ad propria remeavit.. Ortâ guerrâ inter Henricum Regem Angliæ & filios ejus Henricum , Ricardum , & Goffridum , auxilio Ludovici Regis Franciæ , Normanniam graviter vaſtaverunt .

Particula IX. de duobus Sanctis Abbatibus .

FLoruit hoc tempore Petrus Monachus Abbas Clarevallenſis , qui ſublimitatem ſui D generis quanta potuit ſemper diſſimulatione celavit &c. Floruit etiam tunc venerabilis Hugo Abbas Bonævallis &c.

Particula X. de quibuſdam incidentibus .

MCLXXXIV. quum Rex Philippus contra Philippum Flandrenſem proceſſiſſet &c. MCLXXXVI. Henricus Friderici filius a patre præficitur Italiæ , & uxorem ducit Conſtantiam . Rogerius enim primus Rex Siciliæ miſit primogenitum ſuum ad Curiam Roberti Comitis Licii , ut nobilibus imbueretur moribus , qui unam Comitis filiam diligens, nimio E uſu venereo factus ethicus , revocatur a patre, habens ex ea filium Tancredum & filiam . Et videns quod liberari non poſſet , negotii ſeriem patri aperuit, qui indignanter commotus, in dictum Comitem indignatione animadverſionem comminatus eſt , & totius parentelæ ejus deſtructionem . Sed filius cum lacrymis obtinuit Comiti veniam , & ut poſſet ejus filiam deſponſare , ne liberi ſui pro ſpuriis haberentur . Rex tamen Rogerius mortuo filio promiſſa frangens , prædictum Comitem perſequens , in Romaniam cum ſuis coëgit fugere . Mortuo Rogerio Guillelmus ſucceſſit ei in Regno . Et huic ſucceſſit ſublato per mortem primogenito ejus Guillelmus ſecundogenitus , qui accepit uxorem filiam Regis Angliæ , de qua tamen prolem non habuit . Hic pacificus & juſtus fuit . Tancredum de Romania, cum iis qui ſupervixerant , revocavit , eique conceſſit Licii Comitatum , & Dominam Conſtantiam Henrico filio Imperatoris tradidit . Eodem anno Rex Philippus &c.

Particula XI. de amiſſione Sanctæ Crucis, & proditione Comitis Tripolitani .

Dum hæc aguntur , veniunt ad Regem Philippum nuntii tranſmarini &c.

Particula XII. qualiter Chriſtiani ad recuperandum Sepulcrum Domini animantur .

DElata re tam lugubri &c. MCLXXXIX. &c. Eodem Anno Fridericus Imperator cum filio ſuo Duce Sueviæ tranſmarinum iter arripuit . Archiepiſcopi etiam Ravennas & Piſanus. Et fit ingens peregrinorum motio. Prædicti vero Archipræſules cum magno de Italia agmine Tyrum appulſi , magnum ſolatium præbuerunt Tyrenſibus &c. Imperator autem inter Nicæam & Bithyniam ſtrenuiſſimus Princeps , qui jam Soldanum Iconii , qui ei promiſſum non ſervaverat , perſequutus Turcos debellavit , parvum fluvium tranſiens equo cecidit , & vix extractus, paulo poſt obiit. Moriens vero totum exercitum filio regendum commiſit . Ille vero parvo poſt tempore naturali lege vitam finivit &c.

CAP. CCXXIX.

De Henrico VI. & ſibi contemporaneis :

Cujus Particula I. de recuperatione Acon , & Henrico .

HEnricus imperavit annos VII. & vacavit Imperium annos XII. In MCXCI. obiit Clemens III. cui ſucceſſit Cæleſtinus natione Romanus , qui in die Paſchæ conſecravit Imperatorem . In Junio ac Julio ex nimietate pluviarum ſegetes ante meſſem germinarunt &c.

Particula II. de Summis Pontificibus .

CÆleſtinus natione Romanus ſedit annos VI. menſes VIII. dies XI. Ceſſavit Epiſcopatus . . . . . . Hic fuit Diaconus Cardinalis , & fuit grandævus & gratioſus . Innocentius natione Campanus ſedit annos XVIII. Hic ſubtilis fuit valde , tam in Jure quam Theologia, & factus Cardinalis, in moribus & ſcientia gratus fuit nimis . Decretales complures , & Sermones ipſe compoſuit , & Librum de Miſeria hominis , & alia . Inter cetera fecit Hoſpitale Sancti Spiritus, & renovavit Eccleſiam Sancti Sixti , & omnibus Eccleſiis Romæ dedit unam Libram auri pro Calicibus fiendis. Livonia provincia Dacis & Polonis confinis pro majori parte converſa eſt ad Fidem per ejus ſolicitudinem : ibique dominantur Fratres Alamanni , quia ipſi expugnaverunt terram . Hic confirmavit Regulam Fratrum Minorum ; & Fratribus Laicis , qui Beatum Franciſcum ſociaverant , factis ſibi coronis . Privilegium dedit de P . . . . . . prædicanda mandatum .

Particula III. de morte Saladini .

MCXCVI. Saladinus obiit apud Damaſcum &c. Eodem tempore Imperator totam Calabriam & Siciliam ſuo ſubjecit imperio , & Cenſum Regis Guillelmi ſolvit Eccleſiæ . Poſtquam enim Conſtantiam accepit conjugem , voluit eam in Theutoniam ducere . Propter audita autem nova quædam dimiſit eam in finibus Regni , quæ ſe contulit Gajetam . Et tunc mortuus eſt nepos ejus Rex Guillelmus , & Domina ivit Salernum . Tunc Tancredus occupavit Regnum, & prædictam Conſtantiam occultavit in quodam Caſtro , ita ut Comites omnes de Regno putarent eam mortuam . Imperator rediens Romam, petiit a Papa, ut uxorem ſuam faceret ſibi reddi . Qui ad hoc plures miſit . Et reſpondebatur , quia defuncta eſſet . Imperator obſedit Neapolim , & nihil proficiens in Theutoniam rediit . Et ex tunc miſit Panormum per unum leproſum literas ; qui multâ induſtriâ fecit ſub ſpecie mendicandi , quod Domina habuit literas de vita Imperatoris , & dedit eidem nuntio reſponſivam . Poſt hæc dixit Tancredo, qui ante eam ſervabat , & vocabat eam Dominam ſuam : *Male baſtarde , vivit meus vir , & ecce literæ ſuæ .* Tancredus vero nil ſcire valens de nuntio, iracundiâ commotus , fecit propter malam cuſtodiam interfici Caſtellanum , & febre correptus mortuus eſt . Imperator autem veniens accepit uxorem cum Regno . Filios Tancredi abacinavit; filias vero liberas dimiſit . Denique audiens & admirans , quod Domina eſſet gravida, quum quinquageſimum tranſiſſet annum, conſuluit Abbatem Joachim , rogans ut interpretaretur quædam dicta Merlini & Erichteæ. Quod & fecit , dicens , quod Fridericus eſſet filius ejus , & dictæ Imperatricis ; & multa prædixit ſibi , filio , ac ſucceſſoribus ſuis , & ſpecialiter quod debebat mori in partibus Melatii , & quando . Et ſic accidit . Scripſit quoque idem Epiſtolam in hac forma. *Henrico VI. inclyto Romanorum Auguſto , Joachim dictus Abbas . Humiliari ſub divinæ potentia Majeſtatis . Dum meæ ſimplicitatis inertiam literis & nuntiis recurrentibus urgetis , ut quæ per Chronicas veteres & Annales nova Populorum diſcrimina , in quibus univerſalis Eccleſia fluctuat , juxta Hieremiæ vaticinium & ſcriberem & legerem . Tamen quia conſilium Domini nemo novit , imperio veſtro valde timidus hucuſque non parui , tamquam qui cum ipſo Propheta loqui nec didici , nec prophetiæ mihi ſpiritum arrogavi . Jam vero quia ſub ſexto ſigillo & Eccleſiæ tempore , cujus initia pervenimus , phiala divini furoris effunditur , & Liber ſolutis pæne ſignaculis aperitur , ad deprimendam ſuperbiam hominum , & mentes ſimplicium inſtruendas , elegi commodius ex conſcientia veterum nova dirigere , quàm ad oppoſitiones hominum vias inveſtigabiles indagare . Quæſo proinde , ut dicta ſimplicia , quæ quodammodo ſicut ambigua fuerint , ſic & apud multos non eſſe non poterunt involuta , veſtro ſoli ſervetis examini , nec alterius Prophetæ propterea improbare contendatis articulum , qui contra novorum Chaldæorum Imperium , Alemannorum , nec dubium , inducitur diſcidendum . Habetis inſuper de Opuſculis aliis concors in Apocalypſis expoſitione compendium , in quibus experiri poteritis , quàm in diebus iſtis Caritas Chriſtiana deferveat , & mundanæ perſequutionis iniquitas*

A *graviter inardeſcat . Unde in his carminibus , auſpiciis veſtris omnino conſulitur , ut non ſumatis de virtute præſtitæ poteſtatis audaciam , ubi Regum Rex temporalem in ſuis exerit diſciplinam . Nam ut liberius eloquar , mallem ego æmulorum ictus recipere , quàm vos univerſæ terræ malleum veſtris in poſteris , contra ſatagentis Eccleſiæ filios durius provocare . Expoſitio Jeremiæ . Ecce , Cæſar , virgam furoris Domini . Sufficienter Hieremia explicatur , qui in replicandis afflictionibus ubique cernitur impeditus . Ut & tu non ſis expers divinæ formidinis , quum ad radicem Imperialis culminis apponenda ſit Euangelica jam ſecuris .*

B *Particula IV. de electione Othonis , & captione Conſtantinopolis per Venetos & Barones transfretantes .*

HEnricus Imperator in Sicilia Panormi moritur , qui per tyrannidem in Regno multos & magnos peremit . Archiepiſcopos & Epiſcopos trucidavit , & contra Eccleſias ſemper tyrannidem exercuit . Propter quod Innocentius III. qui eodem anno in Papatû Cæleſtino ſucceſſerat, promotioni Philippi fratris ejus contrarius fuit , omnes fautores ejus excommunicavit , Othoni verò viriliter adhæſit Duci Saxoniæ , & eum Aquiſgrani in Regem Alamanniæ conſecrari fecit MCXCVIII.

C

Particula V. de electione Alexii , & ſucceſſione Balduini .

Captâ Civitate pater adoleſcentis &c.

Particula VI. de victoriis Tartarorum , & qualiter cœperunt dominari.

Particula VII. de forma & qualitate Tartarorum .

Particula VIII. de ritu religionis ipſorum .

D *Particula IX. de ſuperſtitionibus eorum .*

Particula X. de legibus & conſuetudinibus eorum .

Particula XI. de moribus eorum .

Particula XII. de victu eorum .

Particula XIII. de ſtationibus .

Particula XIV. de luxuria & crudelitate eorum.

Particula XV. de morte & ſepultura ipſorum .

Particula XVI. de Terra Tartarorum .

E *Particula XVII. de initiis bellorum Tartarorum.*

Particula XVIII. de bello eorum contra Kytaos.

Particula XIX. de bello eorum contra Indos .

Particula XX. Quomodo Tartari versùs Occidens dilataverunt imperium .

Particula XXI. de geſtis Regum Armeniæ cum Tartaris .

Particula XXII. Qualiter Perſis poſt multa dominia Tartari dominantur .

Par-

Particula XXIII. Qualiter ſucceſſores Halaonis ſe habuerunt cum Chriſtianis & Saracenis.

Particula XXIV. de quibuſdam incidentibus illius temporis.

DE Tartaris ſufficienter explicito, ad Terram Sanctam redeuntes &c. MCCVI. Otho cum Philippo Duce Sueviæ de Imperio contendit &c. Venetiarum Dux eligitur Dominus Petrus Ziani. Eodem Anno Beatus Franciſcus mundum deſerens &c.

Particula XXV. de figuris & prophetia duorum Ordinum.

De eis Joachim ſuper Hieremiam ſic ait: *Tales* &c.

Particula XXVI. de converſatione Beati Franciſci in habitu ſeculari.

APparuit gratia Salvatoris noſtri Dei, diebus iſtis noviſſimis in ſervo ſuo Franciſco, qui Pater &c.

Particula XXVII. de ſancta ejus converſione ad Dominum, ac repartitione trium Eccleſiarum.

Particula XXVIII. de inſtitutione Religionis, & approbatione Regulæ.

Particula XXIX. de profectu Ordinis ſub manu ipſius.

Particula XXX. de ſpiritualibus ſociis Beati Franciſci.

Particula XXXI. de origine Sancti Dominici, & legatione XII. Abbatum contra hæreticos.

DOminicus Prædicatorum Dux & pater inclytus, ex Hiſpania, Villa Calaroga, Oxomenſis Diœceſis &c.

Particula XXXII. de ejus libello ab igne illæſo.

Particula XXXIII. de initio deſolationis in Marchia Triviſana & Lombardia per Ezelinum.

EOdem Anno, ideſt MCCVII. de Venetiis exierunt XXXI. Galeæ, & ceperunt Corfù, & deſtruxerunt Montem. Eodem Anno Azzo Marchio Eſtenſis regimen Veronæ ſuſcepit de communi voluntate duarum partium, ſcilicet Comitis Sancti Bonifacii, & Monticulorum. Sed Monticuli furore Ezelini de Romano eum de Verona expulerunt. Ille verò convocatis amicis & exercitu præparato Veronam aggreditur, faventibus ſibi Mantuanis, & parte Comitis Sancti Bonifacii. Ezelinus autem alteri parti favens. cum exercitu copioſo venit, ſed dum prævalere non potuit, cum omnibus de parte ſua territus fugit. MCCVIII. pars Monticulorum cepit Caſtrum Piſchariæ, indeque per Veronenſem diſtrictum currentes, rapinis & incendiis omnia devaſtabant. Sed Marchio & Comes prædicti parato exercitu eos obſederunt, & captos in compedibus poſuerunt, qui ad mandatum ſequ ntis Othonis, quum in Italiam venit, dimiſſi ſunt. MCCVIII. Veneti ceperunt Candiam, & totam Inſulam Cretenſem. Eodem Anno venerunt ſolemnes Nuntii ad Philippum Regem Franciæ, ut de apto viro ad defendendam Terram Sanctam provideat Mariæ jam nubili heredi Regni.

CAP. CCXXX.

De Imperio Othonis, & ſibi contemporaneis:

Cujus Particula I. de ejus coronatione, & ejus ſcandalo cum Eccleſia.

B

OTho filius Ducis Saxoniæ, & nepos ex filia Henrici II. Regis Anglorum, poſtea imperavit. Poſt mortem enim Henrici orta eſt diſſenſio inter Principes Alamanniæ. Una pars elegit Othonem, alia Philippum Ducem Sueviæ ſuperioris Henrici fratrem. Innocentius autem Papa propter cauſam ſuperius allegatam contra voluntatem Regis Franciæ, qui conjunctus erat cum Philippo, ut de Comite Flandriæ, & aliis brjgis ſuis commodius triumpharet; contradicentibus quoque pro magna parte Romanis, multis etiam ex Magnatibus Imperii diſſentientibus, Othonem coronavit. Cujus pater Dux Saxoniæ de crimine læſæ Ma-
C jeſtatis ab Imperatore Friderico convictus, & univerſo Baronum judicio condemnatus fuit, & perpetuò a Ducatu dejectus. In ipſa autem coronatione Papa jusjurandum accepit ab eo de Patrimonio & jure Sancti Petri indemniter & contra quoslibet defenſando. Sed ipſâ die contravenit. Igitur propter hoc, & propter expenſas, quas ab Imperatore Romani petebant, ortâ diſcordiâ, Romani cum eo conflixerunt, multique de Theotonicis occiſi ſunt. Imperator quoque, quum de damnis reſarciendis ageretur, dicebat ſe MC. equos amiſiſſe. Rediens verò, ſicut animo conceperat, Caſtra & munitiones occupavit, quæ erant juris Beati Petri, Radicofanum, Montem Flaſconis, ac
D pæne totam Romagnam. Inde tranſiens in Apuliam oppugnavit Terram Friderici filii Henrici Imperatoris, cepitque multas Urbes & Caſtella in Regno Apuliæ, quod totum eſt de Feudo Beati Petri. Miſſis ergo hinc inde nuntiis, quum Imperator ea, quæ occupaverat, reſignare nullatenus vellet, & miſeros Romipetas a ſuis, quos in Caſtris poſuerat, exſpoliari faceret, Papa excommunicationis ſententiam promulgav t in eum. Deinde quum nec ſic reſcipiſcere vellet, & in prædictis procederet, Papa ſubditos ipſius ab ejus fidelitate abſolvit, ſub anathematis interminatione prohibens, ne quis Imperatorem eum haberet, aut nomina-
E ret. Sicque receſſerunt ab eo Rex Bohemiæ, Dux Thuringiæ, Lantgravius, Dux Auſtriæ, multique alii tam Seculares, quàm Eccleſiaſtici.

Particula II. de Almarico Hæreſiarcha.

Tunc quidam Almaricus de territorio Carnotenſi &c.

Particula III. de Elynando, & electione Friderici.

IN territorio Belluacenſi floruit Elynandus Frigidi Montis Monachus &c. Othone igitur damnato, ut dictum eſt, Barones Alaman-

Ttt niæ,

niæ, Regis Francorum conſilio mediante, Fridericum Henrici quondam Imperatoris filium unanimiter elegerunt Imperatorem, rogantes Papam, ut ejus confirmaretur electio. Qui licèt ſatis hoc vellet, quia tamen Romana Eccleſia tarditatem & gravitatem in magnis rebus obſervare conſuevit, diſſimulabat. Et etiam, quia illam progeniem non amabat. Fuit autem electus quarto Othonis Anno.

CAP. CCXXXI.

De Imperio Friderici II. & ſibi contemporaneis:

Cujus Particula I. de ejus initiis & converſione Beatæ Claræ.

FRidericus poſtea imperavit, vocatus a Baronibus de conſilio Regis Franciæ, Romam venit, & a Romanis honorifice ſuſceptus eſt. Inde intravit Alamanniam, & venit Conſtantiam. Cujus adventum ſciens Otho, ſequebatur eum cum CC. militibus. Jamque præmiſerat famulos & equos ſuos in eamdem Urbem ipsâ die venturus. Itaque quum Fridericus Urbem intraſſet, Othone per tres leucas diſtante, Otho ipſe cum ſuis repulſus eſt. Dicunt autem, quod ſi Fridericus per tres horas tardaſſet, Alamanniam non intraſſet. Otho igitur a Conſtantia ſic repulſus acceſſit Briſachum, unde non minori dedecore eſt repulſus. Fridericus ibi, ſicut & ab aliis Imperii Baronibus eſt receptus. Eodem Anno Fridericus iniit fœdus cum Rege Francorum, ſicut exſtiterat inter prædeceſſores eorum. Eodem etiam Anno Virgo Clara Deo devota &c.

Particula II. de Summis Pontificibus.

HOnorius natione Romanus ſedit annos X. menſes VIII. dies XXIII. Ceſſavit Epiſcopatus dies XXIII. Hic renovavit Eccleſiam Sancti Laurentii extra muros, & Baſilicam quæ dicitur Sancta Sanctorum, & compoſuit Decretales, & confirmavit Ordinem Prædicatorum. Gregorius natione de Anagnia ſedit annos XIII. Hic fuit Epiſcopus Oſtienſis. Et per Fratrem Raymundum Ordinis Prædicatorum, Pœnitentiarium ſuum, compilavit Volumen Decretalium; aggravavitque ſententiam, quam Honorius tulerat contra Fridericum Secundum. Hic fuit protector Ordinis Minorum, quum eſſet Epiſcopus Oſtienſis, & adſtitit Beato Franciſco in condendo Regulam. Et Beatus Franciſcus illi prædixit, quod eſſet Papa futurus. Unde Ordinem tantum dilexit, quod lotionem pedum, quæ per Summos Pontifices fieri ſolet, in habitu Fratrum Minorum faceret, & in ipſo habitu, ut eſſet incognitus, pia loca intra Urbem aliquando viſitabat. Hic canonizavit Beatum Franciſcum MCCXXVIII. & Beatum Antonium ejuſdem Ordinis MCCXXXII. & Beatam Eliſabeth. Et Privilegium fecit de Stigmatibus Beati Franciſci. Et Provincialibus Prædicatorum ſcripſit, ut Fratrem Eventardum prædicantem contra Stigmata Beati Franciſci, ſuſpenſum a prædicationis officio ſibi mittant, pro meritis puniendum. Et Olonotono Epiſcopo mandat, quod de cetero contra Stigmata Beati Franciſci nihil attentet. Prohibuerat enim ea dipingi. Cæleſtinus natione Mediolanenſis ſedit dies XVII. Ceſſavit Epiſcopatus menſes XXII. dies XIV. Innocentius Cardinalis, natione Januenſis de Comitibus Lavaniæ ſedit annos XI. menſes VI. De ejus creatione in Curia Friderici exultatio magna fuit, quod ejus eſſet amicus. Sed Imperator aſſeruit eum de cetero non amicum. Hic nobiles Cardinales fecit, Othonem Cancellarium Pariſienſem, magnum Hugonem Ordinis Prædicatorum, qui totam Bibliam utiliter poſtillavit; & conſtituit, ut Cardinales, dum equitant, capellum rubeum portent, unde ab aliis diſcernantur, in ſignum quod præ ceteris oportet pro fide & Eccleſia caput exponere. Romanam Eccleſiam a tempore Papæ Gregorii multis debitis oneratam ſuâ induſtriâ exoneravit. Fere annis duobus quæſivit modum pacis cum Imperatore, ut finem imponeret tantis malis. Conſiderans vero, quod in tractatu nil proficeret, ivit in Galliam circa feſtum Beati Andreæ. Fridericus autem Romam in circuitu vaſtat. Papa vero Concilium celebravit Lugduni MCCXLV. a Nativitate Johannis Baptiſtæ, uſque ad Octavam Nativitatis Beatæ Virginis. Quæ Octava tunc inſtituta eſt. Dum autem Concilium congregatur, Imperator & Summus Pontifex per ſuos Logothetas invicem ſcribunt. Fitque Apologeticus in quæſtionibus motis, ubi inter cetera Papæ tranſmittitur.

„ *Fata monent, ſtellæque docent, aviumque volatus,*
„ *Quod Federicus ego, malleus orbis ero.*
„ *Roma diu titubans, variis erroribus acta,*
„ *Concidet, & mundi deſinet eſſe caput.*

Quibus reſponſum eſt:

„ *Fata ſilent, ſtellæque tacent, nil prædicat ales.*
„ *Solius eſt proprium ſcire futura Dei.*
„ *Niteris incaſſum navem ſubmergere Petri:*
„ *Fluctuat, & numquam mergitur illa ratis.*
„ *Quid divina manus poſſit, ſenſit Julianus.*
„ *Tu ſuccedis ei. Te tenet ira Dei.*

In proceſſu autem Concilii, XVI. Kalendas Auguſti, Papa Imperatorem tamquam hoſtem Eccleſiæ damnat. Ipſum tam Imperii quam Siciliæ Regno privat. Et omnes Vaſſallos ejus abſolvit a fidelitatis præſtito juramento; ſicut apparet in VI. Decretalium de Simonia in ..... *Sacro præſente*: & in *Ad Apoſtolicæ*; ubi quatuor cauſæ depoſitionis aſſignantur. Prima perjurii, quia non ſervavit juramentum, quod præſtitit Eccleſiæ tam de Imperio, quam de Regno Siciliæ ratione Feudi. Secunda fuit ſacrilegii in captione Prælatorum tam nunc quam tempore Gregorii. Tertia, quia notatus eſt de hæreſi. Quarta, quia annis undecim non ſolvit Cenſum de Regno, quod ab Eccleſia tenebat in Feudum. Quod Innocentius ibidem ait eſſe ſpeciale patrimonium Sancti Petri. Obiit autem Innocentius Neapoli in feſto Beatæ Luciæ, ſepultus in Eccleſia Majori.

Particula III. de quibuſdam incidentibus.

EOdem Anno Rex Philippus &c. Eodem Anno Azo Marchio Eſtenſis moritur, & ſupradictus Comes Sancti Bonifacii. Primus reliquit filios Aldevrandinum & Azonem. Secundus Ricardum & Azolinum. Eodem anno pro reparando Clero & divino Officio, quod jam annis VII. vacaverat. Rex Philippus in Angliam transfretare diſpoſuit &c. MCCXXIII. Petrus Rex Aragonum &c. Eodem anno Mediolanenſes propter odium Friderici, ex cauſâ

ſupra

ſupra poſitâ, contra Papienſes, qui eum ſociaverant, & contra Cremonenſes, qui eum receperant, congregaverunt exercitum. Et eodem anno bis debellati fuerunt propter ſuas hæreſes, & quia Othoni adhærebant. Cremonenſes vero eorum Carrocium, Vexilla, & Scuta accipientes, ſuum Palatium ornaverunt eiſdem. Eodem anno Johannes Rex Angliæ &c. Eodem Anno Paduani Terram Eſtenſem Aldevrandino Marchioni Eſtenſi acceperunt. Tunc autem ſub regimine Domini Marini Zeno pacificaverunt Monticulos cum illis de parte Comitis Sancti Bonifacii. Apud Urbem Byterim &c.

A

Particula IV. de confirmatione Ordinis Prædicatorum.

B

TOloſanus Epiſcopus dictus Fulco Summum Pontificem adiens, virum Dei Dominicum ſecum duxit, qui tunc ab Innocentio petiit confirmari Ordinem, qui Prædicatorum diceretur &c. Sed Anno MCCXVI. confirmatus eſt Ordo &c.

Particula V. de eorum diſperſione ad prædicandum.

Dum autem vir Dei Dominicus Romæ eſſet &c.

C

Particula VI. de quibuſdam miraculis Beati Dominici.

QUum die quadam Dominus Stephanus Cardinalis ad Sanctum Sixtum, ubi vir Dei Dominicus cum Fratribus ſuis morabatur, veniſſet, nepos ejus equo præcipitatus in foveam, plangentium manibus ferebatur exanimis. Tunc vir Sanctus, hortante Fratre Tancredo approbato viro atque dicente: *Quid agis, Pater cariſſime! iſte tuæ virtutis experimentum exſpectat*; mira res agitur ſupernâ virtute; quod certus de futuro ſigno effectus defunctum in quadam camera, ſemotum ab aliis introduci fecit, & oratione præmiſſa, incolumem reddidit. In eodem loco &c.

D

Particula VII. Quomodo claruit ſpiritu Prophetiæ.

Particula VIII. de auſteritate vitæ Beati Franciſci, & quomodo cytharæ præbeant ei ſolatium.

Particula IX. de Humilitate & Obedientia ipſius.

Particula X. de amore Paupertatis, & mira ſuppletione defectuum.

E

Particula XI. de Pietatis affectu, & quomodo ratione carentia videbantur ad ipſum affici.

Particula XII. de fervore Caritatis, & deſiderio martyrii.

Particula XIII. de ſtudio & virtute Orationis.

Particula XIV. de Intelligentia Scripturarum, & Spiritu Prophetiæ.

Particula XV. de efficacia prædicandi, & gratia ſanitatum.

Particula XVI. de Stigmatibus Sacris.

Particula XVII. de confirmatione quorundam Ordinum, & Pizazio Generali, & quibuſdam incidentibus.

AD geſta Papæ Honorii redeuntes dicamus, quod Anno MCCXVI. Pontificatus ſui primo, confirmavit Ordinem Prædicatorum, Minorum vero anno octavo. Ordinem etiam de Valle Scholarium, cujus inſtitutor fuit Guillelmus, qui Scholaris Pariſius poſtea rexit in Burgundia, & tamdem cum quibuſdam Scholaribus ſuis ad eremum convolavit, & formam vivendi ex diverſis Religionibus elegit. Carmelitarum quoque Ordinem habitantium in Monte Carmeli cum quibuſdam obſervantiis regularibus a Patriarcha Hieroſolymitano eiſdem traditis. Poſtea autem Gregorius eamdem Regulam confirmavit, & ne poſſeſſiones vel reditus perciperent, diſtricte eis prohibuit. Sed MCCXXXVIII propter Paganorum inſultus compulſi ſunt a loco illo per varias mundi partes diſpergi. Mortuo quoque Henrico Dago Imperatore Conſtantinopolitano &c.

Particula XVIII. de captione Damiatæ.

Particula XIX. de quibuſdam incidentibus.

Particula XX. de quibuſdam geſtis trium Regum

JOhannes Rex Hieruſalem MCCXXI. ad Regem Franciæ ſe contulit, auxilium petiturus propter malum Statum Terræ promiſſionis. Fridericus Rex Romanorum ſigno Crucis prius aſſumto unicam filiam Regis Hieruſalem ducit uxorem de conſilio & voluntate Summi Pontificis, & totius Conſiſtorii, & Magnorum ultramarinorum, qui pro conſilio vocati fuerant. Ipſe vero promiſit eam ducere, dum pubeſceret, ideſt uſque ad IV. annos, & inde ad duos ire in auxilium Terræ Sanctæ. Et pacta ſunt juramento firmata, & ſententia excommunicationis eſt appoſita. Statuto tempore Rex Hieruſalem ad Imperatorem adduxit filiam Brunduſium. Et deſponſatâ puellâ Imperator patrem requiſivit, ut Regna & regalia jura reſignet. Stupefactus ille obedit; & mittitur Bailivus Hugo de Monre Beliart. Et poſt eum miſit Comitem, qui majoris fuit reputationis, quàm in ſuo adventu fuerit Imperator. Tunc Alamanni Caſtrum de Monte Forti ceperunt. Rex autem, qui fuerat Hieruſalem, in Franciam profectus eſt. Poſtquam vero tempus transfretandi advenit, cum XX. Galeis & militibus non amplius centum ire diſpoſuit. Papa illi mandat, ne tamquam Cruceſignatus eat, donec ab excommunicatione, quam incurrerat, eſſet abſolutus, & de perjurio ſatisfeciſſet. Imperator prædicta parum attendens, in Cyprum ivit, & Dominum Baruth ad ſe vocat, nominans eum avunculum cariſſimum propter uxorem jam defunctam, quæ reliquerat Conradum. Ille vocatus, contra conſilium ſibi datum, poſt prandium productis armis ab Imperatore requiſitus primum fuit, quod redderet Beritum, quod non rite tenebat. Secundum, quod de omni percepto a tempore mortis Regis Hugonis (erat enim filii Bajulus) uſque tum, ideſt annis X perceperat, redderet rationem ſecundùm conſuetudinem Curiæ Alemannorum. Sed bonis viris me-

mediantibus convenitur, ut de primo ſecundùm conſuetudinem Curiæ Regni Hieruſalem, de ſecundo ſecundùm conſuetudinem Regni Cypri, rationi parebit. Inde Ptolemaidam profectus, Soldano tranſmittit tamquam fratri munera; & quod non acquirendæ terræ cauſsâ venerat, ſed Sanctorum locorum gratiâ; & quod filius ejus heres ſit Regni Hieruſalem; & ſi hæc pacifice reddat, pacificus erit regreſſus. Interim duo fratres Minores literas Papæ præſentant Patriarchæ, ut eum excommunicatum denuntiet. Et poſt hæc Imperator accepit, quod Eccleſia Regnum Siciliæ occuparet. Ille cum Soldano concordat, ut partem Hieruſalem accipiat, Bethleem, & Nazareth & Caſalia intermedia in recta via, & Terram Tyronis, & pertinentia ad Sidonem. Et profectus Hieruſalem, abſque ulla benedictione Coronam poſuit ſuper Altare, deinde ſuper caput ſuum, & Brunduſium rediit MCCXXIX. Dicitur, quod Fridericus bona habuit initia. Tamen mortua matre ab iniquis perverſus, cœpit in Regno gravare Eccleſias, & in ſervitutem redigere. Saracenos quoque per Regnum diſperſos congregavit, & in una Civitate fortificavit, quæ Luceria Saracenorum dicta eſt, eam illis ſub tributo concedens. Et Honorii admonitioni non acquieſcens excommunicatur. Nec ceſſavit a MCCXXI. uſque ad finem vitæ ſuæ. Ideo Honorius omnes Barones Regni Apuliæ & Imperii a juramento fideliatis abſolvit. MCCXXII. Tartari tranſeuntes Montes Riphæos &c.

Particula XXI. de dominio Ezelini in Verona, & de Regno Caſtellæ.

AZo Marchio Eſtenſis, & Ricardus Comes Sancti Bonifacii cum Veronenſibus, & Mantuanis obſederunt in Ferraria Salinguerram. Qui Comiti ſuaſit, ut introiret Ferrariam, & quum introiſſet, captus eſt cum ſua comitiva, ac per hoc fuit ſoluta obſidio. Manſit autem Comes in vinculis, donec reformata fuit compoſitio poſt modicum tempus. Eodem anno, vel ſecundùm alios MCCXXXIV. Fernandus Rex Caſtellæ &c. MCCXXV. &c. Eodem anno multi Nobiles ex parte Comitis Sancti Bonifacii pecuniâ inducti, parti adhæſerunt Salinguerræ, & Comitem de Verona ſubito expulerunt. Et tunc Ezelinus primo cœpit habere dominium in Verona. Mantuani autem Comitem receperunt, & in guerra juverunt, donec compoſitio intervenit, mediantibus Rectoribus Lombardiæ.

Partieula XXII. de tranſitu Beati Franciſci.

Milleſimo Ducenteſimo Vigeſimo Sexto &c.

Particula XXIII. de quibuſdam geſtis Gregorii IX. & morte Regis Ludovici.

MCCXXVII. Gregorius IX. natione Campanus, vocatus Hugolinus Epiſcopus Oſtienſis, hic miſſus fuit in Lombardiam, quæ occaſione Friderici tota diviſa erat. Fuerunt enim duo fratres de Tuſcia Nobiles. Unus dictus eſt Gibellinus, qui ſequutus eſt Imperatorem. Alius Guelfus, qui ſequutus eſt Eccleſiam; a quibus illi de parte Imperii dicti ſunt Gibellini: illi verò de parte Eccleſiæ dicti ſunt Guelfi. Eodem anno primo monuit Fridericum, ut ab inceptis deſiſteret; & non proficiens, ſententiam Honorii renovat. Eodem anno Toloſani tribulationibus attriti, paci conſentiunt coram Rege Ludovico & Legato &c.

Particula XXIV. de Canonizatione Beati Franciſci.

Particula XXV. de indole Beatæ Eliſabeth.

Particula XXVI. quomodo in ſtatu maritali neſoivit thorum in delicto.

Particula XXVII. quomodo erat ad orationem ſolicita.

Particula XXVIII. de humilitate ipſius.

Particula XXIX. de auſteritate vitæ.

Particula XXX. de pietate ipſius ad pauperes.

Particula XXXI. de naturali patientia ipſius poſt mortem viri.

Particula XXXII. de fervore ipſius ad votum caſtitatis ſervandum.

Particula XXXIII. de gratia perſeverantiæ, & deſpectu mundanorum.

Particula XXXIV. de viſionibus ſibi a Deo monſtratis.

Particula XXXV. de Hoſpitali; & quomodo diligenter pauperibus ſerviebat.

Particula XXXVI. de felici ejus tranſitu.

Particula XXXVII. de nativitate & bonis initiis Beati Antonii Confeſſoris.

Particula XXXVIII. qualiter zelo martyrii Ordinem Minorum intravit, & de mutatione nominis ipſius.

Particula XXXIX. de via Beati Antonii in Marocium, & reditu ejus.

Particula XL. qualiter Fratribus ſcientia ejus innotuit, & de utili prædicatione ipſius contra hæreticos. (a)

Particula XLI. de fama prædicationis ejus. (b)

Particula XLII. de tranſitu e vita.

Particula XLIII. de quibuſdam incidentibus.

FRidericus poſt reditum ſuum de ultramari amicos Eccleſiæ de Regno exſtirpat morte

(a) *In eadem Particula XL. deſcribit Jordanus, quomodo Mulus Eucbariſtico Pani genua flectens, obſequioſam venerationem Sacramento prodigioſe præſtitit.*

(b) *In Particula XLI. differit idem Jordanus de adventu, morâ, & prædicationibus Beati Antonii, in Urbe Patavina ab eo habitis. Sed ne verbum quidem facit de Piſcium miraculo, quos ad prædicationem Antonii auſcultandam conveniſſe Scriptores aliqui referunt.*

morte vel proſcriptione. De Apulia per Venetias & Forum Julii tranſivit in Alemanniam, in qua via cum Ezelino compoſuit. Interim Regina Cypri &c. Henricum primogenitum ſuum, quia Eccleſiæ favebat, capit, qui in carcere moritur, & ejus loco Conradum inſtituit. Deinde exercitum parat, ut Romam veniat. Gregorius Papa factâ Proceſſione, & propoſito verbo Dei, de Friderico querelam Romano proponit Populo, qui ei favere videbatur, & perſequi Eccleſiam; & Capita Apoſtolorum Petri & Pauli tenens in brachiis, ſe ait illa non poſſe defendere abſque Populi Romani virtute, in cujus ſe protectione ponebat. Sic ei devoto clamore Populus defenſionem promittit. Quo audito Fridericus cum exercitu retroceſſit eodem anno. Quum vero Papa Romæ Concilium congregare vellet contra eumdem Fridericum, ille per ſuos complices vias claudit. Unde duos Cardinales cepit, miſſos pro ſubſidio Eccleſiæ, Dominum Jacobum Præneſtinum ad Regem Franciæ, & Othonem in Angliam, cum pluribus Prælatis, per naves Piſanorum; & apud Melfim mittuntur. Sanctus autem Ludovicus mandavit Imperatori rogando, ut ſui Regni Prælatos captos dimitteret. Cui ille reſcripſit, quod non miraretur, ſi Cæſar illos in anguſto tenebat, quia Cæſaris anguſta tractabant. Rex vero illi iterum mandavit, ne locum contentioni ultra faciat, quia Regnum Franciæ non erat adeo debilitatum, quod ſe permitteret ejus calcaribus perurgeri. Tunc, licèt invitus, illos dimiſit. Jacobus Rex Aragonum &c. MCCXXXV. &c. Eodem anno Beatrix filia quondam Aldrovandini Marchionis Eſtenſis Regi Hungariæ nupſit. MCCXXXVI. &c. Eodem anno Marchio Eſtenſis cum Paduanis exercitum parat. Ezelinus & Veronenſes pro Imperatore mittunt, qui erat in partibus Lombardiæ. Et ſubito venit eis in auxilium, & Vicentiam cepit, eamque combuſſit in Feſto Omnium Sanctorum. Eodem anno moritur Rex Hungariæ, & Bela filius ejus regnat pro eo. Beatrix gravida timens privignum ſuum regnantem, in habitu virili fugit, & editum filium Stephanum vocavit. Floruit doctus Accurſius Doctor Juris Civilis, qui totum Corpus Juris Civilis gloſſavit. Fuit autem de Comitatu Florentino. Cujus Magiſter fuit Azo Bononienſis, qui Summam fecit. MCCXXXVII. Nuntii Imperatoris cum Ezelino Paduam intrant, faventibus eiſdem quibuſdam Magiſtratibus de Padua. Ultimo Tarviſini, qui ſoli liberi remanſerant, in Marchia Tarviſina, poſuerunt ſe ſub dominio Ezelini. Marchio etiam Eſtenſis Nuntiis Imperatoris ſe ſubjecit. Poſtquam autem Ezelinus obtinuit Paduæ dominium, Nobiles de Civitate cum filiis in exilium deſtinavit, & diris carceribus mancipavit. Tunc filius Ducis Venetorum Poteſtas Mediolanenſium cum ipſis, & eorum amicis contra Fridericum progreditur, qui per diſtrictum Brixiæ omnia deſtruebat. Sed fluvio interpoſito minime prœlium commiſerunt. Tamdem Mediolanenſes revertuntur; & dum mali nihil ſuſpicarentur, Fridericus cum militia ſua eos prævenit, & facto impetu apud Turrem Novam in eos, multos ex eis cepit, plures occidit. Sed & Poteſtas prædictus captus eſt; & Carrocium. Tunc Fridericus in exercitu habuit Elephantem, ad quem videndum confluebant Populi Lombardiæ. MCCXXXVIII. Soldanus Ægypti &c. Eodem anno Fridericus Imperator Paduam ivit. Poſt hæc Vecilus de Camino, & Albericus de Romano Tarviſium viriliter accedunt, fugantque Jacobum de Mora, qui ibi pro Imperio erat, & omnia agebat de conſilio Ezelini. Marchio quoque Eſtenſis, & amici ejus receſſerunt ab Imperatore, videntes eum inclinatum totaliter ad vota Ezelini. Imperator autem, relicto Tebaldo Franciſco Poteſtate Paduæ, & Vicario totius Marchiæ, cum conditione, ut mandatis Ezelini in omnibus obediret, in Apuliam properat. Marchio autem recuperavit Terram Eſtenſem, Cerrum, & Calaonem. Sicque guerra periculoſa per totam Marchiam inchoatur. MCCXL Regina Hayliſia &c. Anno eodem Dominus Gregorius de Monte Longo Legatus Apoſtolicæ Sedis cum auxilio multorum Populorum, maxime Venetorum, poſt menſes quatuor, ſub quadam compoſitionis ſpecie Ferrariam habuit. Nihilominus Dominus Jacobus Teupulo Dux Venetorum Salinguerram captum duxit Venetias, ubi captivus mortuus eſt. Tunc Veneti in Ferraria a prædicto Legato honorantias, & libertates, & privilegia magna obtinuerunt. Eodem anno Corona Domini Spinea &c.

Particula XLIV. de Cæleſtino Papa, & aliis incidentibus.

GAufridus Epiſcopus Sabinenſis in Papam eligitur, & Cæleſtinus vocatur. Natione fuit Mediolanenſis; vitâ & ſcientiâ laudadilis, provectæ ætatis, & quaſi ſemper languens. Ideo propter labores officii vixit tantùm XLVII. diebus. Eo tempore apud Cremonam facta eſt tempeſtas maxima, ceciditque lapis grandis, in quo erat Crux & imago Salvatoris. Deſuper quoque erat literis aureis ſcriptum *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*. Cecidit autem in Monaſterio Sancti Gabrielis, & de aqua, in quam liquefactus eſt, inunxerunt Monachi cujuſdam Fratris cœcutientis oculos, ſtatimque clare vidit. Ipſo tempore Tartari &c. MCCXLIV. Salah Soldanus &c. Tunc in contemtum Eccleſiæ Fridericus cum magno exercitu Romam properat, & in circuitu duobus menſibus immoratus, totam vaſtat. Eodem anno menſe Julii a Venetis Jadria capitur, Capitaneo Domino Raynerio Zeno, Duce vero Domino Jacobo Teupulo.

CAP. CCXXXII.

De Imperio Langravii, & ſibi contemporaneis:

Cujus Particula I. de quibuſdam eventibus.

LAngravius, depoſito Friderico, eligitur protinus. Papa enim Electores Imperii monuit, ut aliquem ſtrenuum virum ad gubernandum Imperium eligerent. Qui eligunt Langravium Ducem Thuringiæ. Ipſe autem pro utilitate Reipublicæ diadema Regni Alemanniæ ſuſcepit. Et contra Conradum exercitum congregavit, eumque bello ſuperavit. Imperiali tamen benedictione caruit.

Particula II. de perturbationibus Lombardiæ, & paſſagio Sancti Ludovici.

FRidericus de Apulia venit in Lombardiam cum maximo apparatu. Et dum apud Taurinum moram faceret, Rex Henricus filius ejus

A ejus naturalis cum exercitu Cremonenſium ivit ad obſidendum quoddam Caſtrum Brixiæ. Tunc habitâ opportunitate conſanguinei Papæ cum expulſis de Parma, qui in Placentia reſidebant, Parmam de aſſenſu Populi audacter intraverunt, & partem Friderici expulerunt. In quorum auxilio fuit Gregorius Legatus Papæ cum multis Civitatibus Lombardiæ. Quo audito Fridericus velociter illuc pergit cum Ezelino, qui in ejus auxilium venerat cum militia Marchiæ Tarviſinæ. Fecit autem Fridericus circa Parmam, Civitatem, quam Victoriam nominavit, aſſerens, ſe numquam inde niſi cum victoria receſſurum. Expugnabat autem Parmam ſex menſibus, donec hyems obſidionem B ſolveret; ſed renovato tempore Legatus cum civibus habita deliberatione in Victoriam Civitatem irruerunt. Fridericus autem impetum ſuſtinere non valens, dimiſſis multis divitiis, versùs Cremonam pavidus fugit. Sanctus Ludovicus fratri ſuo Carolo Andegavenſi Comiti dedit conjugem filiam Comitis Provinciæ, ſororem Reginæ Margaritæ, quæ jure hereditario habuit Provinciam. MCCXLVI. Papa Minores & Prædicatores mittit ad Tartaros convertendos. Principaliter inter Minores fuit Frater Johannes de Plano Carpini, inter Prædicatores Frater Ezelinus Lombardus. Eodem Anno Soldanus Damaſci &c. MCCXLIX. Rex Henricus bellicoſus valde captus eſt a Bono- C nienſibus, & uſque ad finem vitæ ſuæ in carcere detinetur. Eodem anno Caſtrum Montis Silicis Fridericus tradidit Ezelino. Deinde obtinuit Burgum Eſtenſe, & fortilitia Marchionis.

Particula III. de captione Damiatæ.

Eodem anno Rex Ludovicus poſt longam moram in Cypro &c. Ipſo anno Januenſes & Piſani in Ptolemaida & aliis locis ſe mutuo offenderunt. Poſtea inter ſe ſunt pacificati. Ibi æſtate tota &c.

Particula IV. qualiter Damiata eſt reddita D Saracenis. Et de Pelavicino, & crudelitate Ezelini, & quibuſdam incidentibus.

Poſt aliquos dies &c. (a)

CAP. CCXXXIII.

De Imperio Guillelmi, & ſibi contemporaneis:

Cujus Particula I. de morte Friderici, & perturbationibus Lombardiæ.

Guillelmus Comes Hollandiæ, mortuo Langravio, electus eſt, vivente adhuc Fri- E derico, & anno quinto a Frixonibus occiditur, & Imperiali caruit benedictione. MCCL. Cremonenſes contra Parmenſes vadunt, illique improvide eis cum Carrocio occurrunt, & de prœlio fugientes Carrocium dimittunt. Eodem Anno Fridericus vadit in Apuliam, & gravi preſſus infirmitate ibi moritur, qui omnes Auguſtos divitiis, potentiâ, gloriâ, a Carolo Magno citra ſuperavit, nihil ſecum præter peccata portans. Aliqui dicunt, quod Manfredus Regnum Siciliæ ambiens, eum cuſcino ori ſuperpoſito ſuffocavit. Guillelmus de Podio ſcribit in ſuis Chronicis, quod Fridericus in fine ſuum cognoſcens errorem, & dolens, prohibuit ſibi Imperialia funera exhiberi. Per idem tempus Populus Placentinus contra ſuos Milites concitatus, auxilium Cremonenſium imploravit; & expulſis Militibus, Ubertum Pelaviſinum in ſuum Dominum elegit. Eo quoque tempore mortuus eſt in Apulia Raynaldus filius Marchionis Eſtenſis, quem pro obſide Fridericus acceperat. Reliquit autem filium Obizum, & filiam, quos Marchio legitimari fecit tam per Papam, quam per Regem Alemanniæ. Nati enim erant ex quadam nobili puella de Apulia, & non de legitimo thoro. Dominus Gregorius de Monte-Longo, Legatus ſupra memoratus, Patriarcha Aquilejenſis efficitur. Ezelinus autem firmiter credens, magnam conſpirationem factam contra ſe a militibus Marchiæ, maximam eorum ſtragem edidit. Soldanus Alepiæ congregavit uſque ad triginta millia equitum, & ivit in Ægyptum, & ſuperatus eſt, vixque redierunt duo millia, & de Ægyptiis duo millia occiſa ſunt.

Particula II. de Summis Pontificibus.

Alexander natione de Anagnia ſedit annos VI. & dimidium. Ceſſavit Epiſcopatus menſes III. dies III. Hic fuit Oſtienſis Epiſcopus; pauperibus pius, maxime prædicantibus Euangelium. Ordinem Minorum valde dilexit. Unde requiſitus, ut daret Ordini Protectorem, reſpondit, quod in vita ſua nullum haberent alium Protectorem. Ipſe enim volebat eſſe immediatus Ordinis Protector. Ipſe Libellum damnavit Guillielmi de Sancto Amore dogmatizantis, quod Religioſi Mendicantes non erant in ſtatu ſalutis, quamquam de licentia vel commiſſione Romani Pontificis, ſeu Diœceſanorum, prædicationis officium exercere, & Confeſſiones audire abſque Sacerdotum Parochialium veniâ valerent. Prædictus autem Libellus coram Sancto Ludovico, convocatâ multitudine, combuſtus eſt, & dictus Guillielmus de toto Regno Franciæ expulſus. Fecit & comburi alium Libellum dogmatizantem, quod Euangelium neminem ad perfectionem adduxit, ſed Lex Spiritus. Et ſicut Lex Veteris Teſtamenti per Euangelium evacuata erat, ita & Lex Novi Teſtamenti per Legem Spiritus excurſo MCCLX. Et appellabatur Libellus Euangelium æternum.

Particula III. de quibuſdam Regibus, & Tyrannis, & Doctoribus.

Manfredus Regni Siciliæ aſſumſit dominium, ſed non in toto propter Regem Conradum. Innocentius a XLIII. anno uſque ad LII. Lugduni moram contrahens, Librum compoſuit per modum apparatus Decretalium, quem totum quaſi Canoniſtæ Magiſtri imitantur. Fecit & Decretales, quas omnes Bonifacius in Sexto inſeruit. Fecit & Libellum de juriſdictione Imperii, & auctoritate Papæ, ubi reſpondet præſumtuoſis diffinitionibus Logothetæ Friderici, ideſt Petri de Vineis, quem *Apologeticum* nominavit. MCCL. Rex Franciæ firmavit Cæſaream, & Rex Conradus intrat Regnum Apuliæ, & Neapolim capit. Et ſequen-

(a) *In eadem Particula agit Scriptor tantummodo de Damiatæ captione, & de Ludovico Rege ac Paſtoribus, qui, ut eum liberarent, ſimul convenere. De Pelavicino, Ezelino, aliiſque emergentibus omnimode ſilet, de quibus tamen ſcribit in Particula I. ſequentis Cap. CCXXXIII.*

A ſequenti anno Caſtrum ibi ædificavit, quo anno moritur. Reliquit autem filium parvulum Conradinum, quem mater in Theotoniam portari fecit, ibique nutriri. Aliqui dicunt, quod duorum erat annorum. Mater vero nupſit Comiti de Tirolo. Relictus eſt autem pueri Bajulus Bertoldus Marchio de Honnemburch, qui poſtea in Bajulatu ceſſit Manfredo. At ille ſub tali prætextu aſſicuravit dominium. Quod audiens Innocentius, eodem anno in Italiam veniens, primo venit Peruſium, ibique magnum paravit exercitum. Eodem anno Ludovicus Rex Franciæ firmavit Japham &c. MCCLIII. Innocentius vadit Neapolim, quo quum perveniſſet, quaſi ſtatim infirmatus eſt & mortuus, ſepultuſque in Majori Eccleſia B Sancti Laurentii, & omnes de exercitu ad ſua redierunt. Soldani Ægypti & Damaſci &c. MCCLIV. Manfredus ſimulata morte Conradi, conſummatoque planctu, poſt paucos Vicariæ ſuæ annos, & aſſumtis quibuſdam Baronibus, diadema Regni ſibi impoſuit, & ſalutatus ut Rex imperat annis XI. Excommunicatur autem a Papa, & mandatur, ut nullus Fidelium cum Regem vocet. Qui etiam exercitum contra eum miſit, & nihil profecit. Conradinus autem cognitâ Manfredi malitiâ per ſolemnes nuntios miſit literas Magnatum cum ſigillis pendentibus Papæ & Cardinalibus in teſtimonium vitæ ſuæ. Duriorem quoque Papa innovavit ſententiam; ſed Manfredus ſuâ induſtriâ C & liberalitate amicos ſibi accumulat. Partem patris in Tuſcia & Lombardia fovet. Gibellina tamen pars de Florentia pellitur. Tunc erat in Curia unus Cardinalis de Diœceſi Florentina, nomine Octavianus, cui impoſitum fuit, quod fraudem commiſerit in exercitu contra Manfredum, & in Curia multum habitus eſt ſuſpectus. Rex Franciæ expleto muro Sidonis, in Franciam redit, relictis C. militibus ad cuſtodiam Ptolemaidis. MCCL. Tridentini receſſerunt a Domino Ezelino. In Lombardia vero duo erant Tyranni, multum faventes Manfredo, Pelaviſinus, & Ezelinus, contra quos miſſus eſt Legatus in favorem D amicorum Eccleſiæ in dicta provincia. Et fuit Dominus Philippus Archiepiſcopus Ravennas, homo ſtrenuus. Qui congregans exercitum contra eos, captus fuit in bello ab Ezelino, qui jam ab Innocentio tamquam hæreticus fuerat excommunicatus. Sicque Manfredus fortificatur in tota Italia. Pro ſui quoque favore Nobiles, quos ſuſpectos habuit, de Regno expulit, aliis ſubſtitutis. Eodem Anno Marcus Juſtinianus venit Achon Conſul Venetorum, & præſentavit literas Papæ Patriarchæ, ut Venetos poneret in poſſeſſione Sancti Sabæ. Januenſes autem portaverunt ſimiles literas Priori Hoſpitalis pro hac cauſſa. Sequenti anno cœpit diſcordia inter eos. Et eodem anno Januenſes E debellaverunt Venetos cum auxilio Piſanorum, & cucurrerunt in eorum habitationem uſque ad Sanctum Marcum. Poſtea Piſani concordarunt cum Venetis, & acceperunt Lecabam, & . . . . . Imulas Venetorum, & promiſerunt mutuum auxilium XX. annis. His temporibus pontificante Alexandro IV. venerabilis Frater Johannes de Parma &c. Generalis Ordinis Minorum aſſumitur &c. Cui ſucceſſit Frater Bonaventura &c. Eodem anno Taurinenſes conſilio Aſtenſium ceperunt Thomam Comitem Sabaudiæ Ducem ſuum.

CAP. CCXXXIV.

De Imperio Ricardi, & ſibi contemporaneis.

Cujus Particula I. de electione ejus.

RIcardus Comes Cornubiæ, frater Regis Angliæ, eſt ab una parte electus, ab alia Alphonſus Rex Caſtellæ. Ricardus autem intravit Alamanniam. Erat enim ditiſſimus, & ab Archiepiſcopo Colonienſi coronatus eſt, & pro magna parte Alamanniæ Regnum obtinuit. Eodem anno pars Ezelini partem Eccleſiæ ejecit de Brixia; tamen Ezelinum intra Civitatem recipere noluit. Eodem tempore Ezelinus generum ſuum cum filiis in carcere fame & aliis cruciatibus extinxit. Sicut præcedenti anno Ezelinum de Igna filium ſororis ſuæ vinculavit, & Ziramontem fratrem ejus tormentis & fame peremit. Habitis poſt hæc multis conſiliis, Legatus cœpit prædicare Crucem, & multi Crucem devote ſuſcipiunt. Tunc Ezelinus Mantuam obſidet, eique in auxilium venit Pelaviſinus callidus & aſtutus cum Cremonenſibus, Placentinis, & aliis. Mantuæ vero ſuccurſum dabant ſolummodo Ferrarienſes & Bononienſes. Interim autem Legatus omnes expulſos de Civitatibus Marchiæ, & omnes Cruceſignatos apud Terram Baibæ in diſtrictu Venetorum congregavit, & infinitâ copiâ baliſtarum & virorum pugnatorum ac victualium a Duce Venetorum impetratâ verſus Paduam iter arripuit. Anſidius autem Poteſtas Paduæ pro Ezelino Plebem Sacci venit. Ubi autem advenientium audaciam comperit, & quod Buvolentam ex adjacentibus partibus occupaſſent, trepidus cum apparatu Paduam fugit. Quo audito verſùs Paduam properat exercitus Domini, ſequens victoriale Crucis ſignum, & de Cœlo ſperans auxilium, & ad Pontem Corvum uſquè pervenit. Quumque dubium ibidem gereret bellum, aquas fluminis tamquam audaces tranſvadando, ad Burgum perveniunt, contemnendo mortis pericula. Deinde cum Gatto ignem ſupponunt Ponti Altinati. Baliſtarii quoque adſtantes, contra muros ſpicula dirigebant. Sicque per ſcalas muros aſcenderunt. Poteſtas autem victoribus cedens fugit. Tunc Ezelinus relicto Mincio, cum furia Veronam rediit, & capi fecit circa duodecim millia Paduanorum, & pedibus alligari, qui quaſi omnes fame & variis afflicti tormentis perierunt. Ezelinus autem in ſemetipſo furens exercitum undecumque vocat, & poſt menſem Paduam pergit. Illi autem Venetorum auxilium petunt & recipiunt. Patriarcha quoque Aquilejenſis, Mantuani, & Ferrarienſes eiſdem ſuccurrunt. Periit pravum deſiderium impii Ezelini, & vacuus rediit.

Particula II. de Summis Pontificibus.

URbanus natione Cretenſis ſedit annos III. menſem I. dies IV. Ceſſavit Epiſcopatus dies IV. Hic fuit Patriarcha Hieroſolymitanus. Hic fecit Cardinales XIV. in duabus Ordinationibus. Hic Officium Corporis Chriſti ordinavit. MCCLIV. nobilis Cometa apparuit, & nemo viventium ſimilem viderat. Ab Oriente enim cum magno fulgore ſurgens, uſque ad medium Emiſphærii verſùs Occidens lucidam protrahebat comam. Duravitque pluribus menſibus. Quo primò apparente Papa Urbanus

co-

cœpit infirmari . Et ipsâ nocte , qua mortuus A eſt , diſparuit . Clemens natione Provincialis , Patriarcha Hieroſolymitanus, de Oppido Sancti Ægidii , ſedit annos III menſes IX. dies XXI. & ceſſavit Epiſcopatus annos II. menſes II. Hic vir magnæ probitatis fuit , omnem mundi ſtatum expertus , & in quolibet eximius , & virtuoſe ſe habens . Conjugatus enim fuit , & tunc in divino cultu filios enutrivit . Famoſus Advocatus in Curia Sancti Ludovici , in utroque Jure peritus, ad ſecretum vocabatur Conſilium . Factus Clericus primo fit Anicienſis , tum Podienſis Epiſcopus , poſtea Archiepiſcopus Narbonenſis , & per Urbanum Epiſcopus Sabinenſis . Et Legatus in Angliam mittitur propter turbationem , quæ erat inter Regem B Henricum , & Simonem Comitem Montisfortis . Et quum adhuc eſſet in Francia , in Papam eligitur, & retento ſcrutinio & Collegio, pro eo mittitur. Et in habitu Monachali propter diſſidia & Manfredi potentiam properavit Peruſium. Et poſt multam precum inſtantiam, cum lacrymis ſumſit Pontificatum , & ivit Viterbium . Creditur autem , quod ejus vigiliis & orationibus multas tribulationes, quas ſuſtinebat Eccleſia , Deus extinxit . Gregorius natione Placentinus de Domo Vicecomitum ſedit annos IV. menſes IV. Ceſſavit Epiſcopatus dies XI Hic fuit Archidiaconus Leodienſis . Et quum ad Terram Sanctam ex devotione transfretaſſet , in Palatio Viterbii electus eſt . Fe- C cit quinque Cardinales multum laudabiles : inter alios duos Magiſtros in Theologia , Fratrem Bonaventuram Generalem Fratrum Minorum , & Fratrem Petrum de Tarantaſia Ordinis Prædicatorum Archiepiſcopum Lugdunenſem . MCCLXXIV. pro utilitate Terræ Sanctæ, quam intendebat perſonaliter viſitare, Lugduni ſolemne celebravit Concilium, in quo Græcorum & Tartarorum celebres interfuere Nuntii. Procurante Palæologo Imperatore Græcorum, ibi Græci ſolemniter & alta voce cantarunt de Spiritu Sancto , quod ex Patre Filioque procedit . Nuntii autem Tartarorum in Concilio baptizati ad propria redierunt . Ibi multa utilia ſtatuta ſunt pro ſubſidio Terræ D Sanctæ , pro electione Papæ , & pro ſtatu univerſalis Eccleſiæ . Fuit enim Papa vir miræ experientiæ in ſecularibus negotiis , nec intendebat pecuniarum lucris , ſed pauperum eleemoſynis . Fuerunt autem in Concilio Epiſcopi D. Abbates LXX. & alii Prælati circa mille . Tunc Ordo Saccatorum caſſatus eſt . Hic Papa Religioſos multum dilexit . Aretii mortuus eſt .

Particula III. de Vita Beatæ Claræ &c.

Particula IV. de ejus paupertate &c.

Particula V. de auſteritate vitæ ejus &c. E

Particula VI. de oratione & lacrymis ejus &c.

Particula VII. de ipſius devotione ad Crucifixum &c.

Particula VIII. de patientia ejus in infirmitatibus , & tranſitu mortis & canonizatione &c.

Particula IX. de variis commotionibus Italicorum tam ultra quam citra mare .

EOdem Anno MCCLVII. Mecha Civitas Mahumeti cæleſti igne cremata eſt . Et Januenſes ligam fecerunt in odium Societatis Piſanorum & Venetorum . Et tamdem duas Turres Piſanorum obtinuerunt . Eodem anno venit Ptolomaidam pro Venetis Laurentius Teupulo Capitaneus XIII. Galearum , & occupavit Portum Ptolemaidæ . Januenſes vero armarunt Galeas in Tyro , pugnaverunt ſimul ; & ceperunt Veneti tres Galeas Januenſium, & Ptolemaidam adduxerunt . Eodem tempore primo die Februarii venit Ptolemaidam Boamundus Princeps Antiochiæ , conducens Reginam Cypri Placentiam ſororem ſuam cum Hugone Reginæ filio , ac herede Regnorum Hieruſalem & Cypri ; & ad inductionem Magiſtri Templi , & Johannis de Ybelis , & Johannis Comitis Joppe , Venetorum, ac Piſanorum partes proſequutus eſt. Tunc Rex Armeniæ ivit ad Tartaros. Et Brixienſes in devotione & reverentia Eccleſiæ ſe de cetero manere promittunt , & concives ſuos a vinculis abſolvunt : quod Ezelino & Pelaviſino moleſtum fuit nimis . Eodem anno Papienſes primo , deinde aliæ Civitates Pelaviſini dominium ſuſceperunt . Tunc Albericus frater Ezelini , qui cum eo diu male fuerat , quaſi alter Herodes cum Pilato , confœderatur . In Brixia inimici Ezelini timentes tradi ſimul cum Civitate in manibus Tyranni illius ab amicis ipſius, eos cum Poteſtate in vinculis poſuerunt . Quidam quoque Cremenſes potentes contra ſuos adverſarios concitati , Cremenſes & Pelaviſinum in ſuum vocaverunt auxilium , & expulsâ parte adversâ , Crema Pelaviſino remanſit ſubjecta . Tunc & Veneti in Achon Januenſes ſuperaverunt in mari & in terra, capientes ex XL. eorum Galeis XXIV. locumque eorum, ac Turrim munitiſſimam deſtruxerunt , cunctaque ædificia . Et Tyri commorantes de cetero non portabant Vexillum in ſuis navigiis, quum venirent ad Portum Achon , nec de cetero ibi habebant Curiam , vel . . . . Tunc etiam quum Legatus ſupranominatus Pelaviſino cum exercitu Brixienſium & Mantuanorum occurriſſet juxta quoddam flumen , ſubito Ezelinus cum ſuo exercitu Pelaviſini exercitui junctus eſt. Simulque flumen Olei tranſeuntes , hoſtes ſuos in fugam verterunt , capientes Legatum cum multa pecuniæ quantitate . Qui vero ad cuſtodiam manſerant Civitatis , furore Tyrannorum territi , protinus eis Civitatem tradiderunt . Sed hoc Tyrannis affuit cauſſa diſſidii . Quum enim ſuperbia Ezelini parem non ſuſtineret, Pelaviſinum a dominio Brixiæ paulatim repellit , & in fine totaliter expellit . Proinde ſuadente prudente viro Boſone de Dovaria Cive Cremonenſi , Pelaviſinus & Cremonenſes relicto Ezelino , a quo plures offenſi fuerant , cum Marchione Eſtenſi & Mantuanis ſe ligarunt . Tuncque implacabilis diſcordia Mediolanenſium & Cremonenſium ſedata eſt MCCLIX. Eodem anno in Epiſcopatu Pariſienſi Iſabella , virgo , ſoror Sancti Ludovici Regis Francorum , Monaſterium Sororum Minorum ſuper Sequanam ædificavit , ubi vitam religioſe duxit . Gibellini quoque de Tuſcia plures , ſibi mediante Ottobono Cardinali , Manfredo ſociantur. Piſana quoque Civitas & Senenſis cum eo tenebant .

Parti-

Particula X. de mira vexatione Tyrannorum in Italia .

TOrtuoſi autem ſerpentis malitia Ezelini nec ad punctum ſopitur , quin diverſas mundi partes excitet & provocet contra Eccleſiam Principes Chriſtianos . Unde ad Regem Hungariæ nuntios mittit pro ejus amicitia obtinenda . Nunc inter Principes Alamanniæ ſeminat jurgia , nunc Regi Caſtellæ Regnum promittit Italiæ . Cor enim illius impii hominis , quaſi mare fervebat . Nec quicquam actum putabat , quum adverteret malum aliquod ſupereſſe agendum . Dum autem Lombardia & Marchia Tarviſina tantis malis premitur , ex alia parte Italiæ Manfredus in Regno Apuliæ tyrannizat, non dubium propter peccata Populi . Mortuo enim Papa Alexandro MCCLX. Octavo Kalendas Junii apud Viterbium, in ſequente Septembri , Manfredus mittit magnam militiam Theutonicorum in Tuſciam apud Senas. Contra quos iverunt Florentini & Lucani , & victi fuerunt . Atque ex tunc Manfredus prævaluit in Tuſcia , & illuc ſpecialem mittebat Vicarium .

Particula XI. de mira converſione Populorum , & morte Ezelini .

IN tanto Italiæ turbine accidit cunctis pœne Populis magna , velut mare , contritio & compunctio a ſeculo inaudita . Et primo quidem tetigit Peruſinos , deinde Romanos , conterminas Italiæ Civitates & Caſtra , indeque tranſiit ad exteras nationes . Nobiles enim popularibus ſociati , in quacumque ætate exiſterent , nudi per Plateas Civitatis & Vicos proceſſionaliter incedebant , ſe dire corrigiis flagellantes &c. Iis precibus inclinatus Redemtor animarum , finem malis impoſuit . Ezelinus enim dum exercitum parat , & in campeſtribus Urceorum omnia vaſtat , & ſtat contra eum Cremonenſium exercitus cum Ferrarienſibus & Mantuanis , Mediolanenſium exſpectans auxilium , inveteratus dierum malorum , cui omnes decipiendi aderant artes , quibuſdam majoribus Mediolanenſium confœderatur , ut ab eis Mediolanum accipiat . Sicque Martino de la Turre contra Ezelinum exercitum ducente , Ezelinus de nocte conſurgens , exercitum peditum Brixiam mittit , ſecum vero octo millia equitum tantum ducit . Et ſociatus proditoribus Civitatis Mediolanenſis illò properat . Sed dum hoc Martino innotuit , celeriter redeundo Ezelinum prævenit . Ezelinus ſua intentione fruſtratus , Vicum Mercati occupat , hunc ad tempus eligens ad manendum . Cremonenſium vero & aliorum prædictorum exercitus cognoſcens Ezelini nocturnum diſceſſum , uſque ad fluvium Adduam ipſum inſequitur , & juxta locum , unde tranſitum fecerat , tentoria figit , Pontem & tranſitum diligenter obſervans . Quumque exercitui Ezelini victualia deficerent , & ab inimicis undique violaretur , non audens propter multitudinem cum Mediolanenſibus congredi , eligit per viam redire , qua venerat , ſperans vel gladiis ſibi aperire viam , vel per medias bellatorum acies fugæ invenire remedium . Sed dum Pontem valde munitum cerneret , & ſuos hortaretur ad pugnam , ſagittâ in pede graviter vulneratur , ita ut dolore vulneris jam non poſſet ſolitâ ſagacitate de prœlio ordinare . Dimiſſo propterea Ponte , de fuga cogitans , ad vada fluminis properavit , atque nullo impediente , expedite cum exercitu ſuo tranſivit . Sed evadere bellum minime potuit . Commiſſo bello pauci faciliter corripiuntur a multis , & capitur impius Ezelinus , ad quem videndum quaſi monſtrum Populus confluebat. Ad Soncinum demum Caſtrum perducitur , ubi poſt paucos dies eodem anno , quum eſſet annorum . . . . in ſenectute peſſima deficiens mortuus eſt , poſtquam Veronam obtinuit annis XXXIV. Tyrannizavit autem in Tridento , Feltro , Tarviſio, Padua , Vicentia , Verona , Brixia .

*Particula XII. de morte Alberici * fratris ejus .*

DEhinc , ut ait Hiſtoria Ezelini , *Gens potentiſſima Venetorum , quam divina clementia fecit ſæpiſſime de ſuis hoſtibus triumphare, audiens Tyrannum horribilem corruiſſe, aſſumtis Tarviſinis , qui illuc fugerant propter rabiem Ezelini , & Alberici exercitum tranſmittit contra ſuperſtitem Albericum . Ezelini namque fuerat laceſſita injuriis . Sed Veneti ſicut viri aſtuti, & donis ſapientiæ & prudentiæ præ cunctis Italiæ Populis dotati, opportunitatem ſemper exſpectarant , ut Tyranno poſſent pro demeritis reſpondere . Ipſorum namque virtute , potentia , & conſilio capta fuit Padua a Legato , & poſtea defenſata ab impetu Ezelini. Pontem quoque , de quo proxime actum eſt , baliſtarii Venetorum cum navibus caſtellatis ſuo robore & ingenio , fractis ſex groſſis catenis , ceperunt & viriliter defenſarunt . Quæ omnia Albericus recogitans , eorum impetum ſuſtinere auſus non eſt . Sed cum uxore & filiis, ac militibus Theutonicis nocte reliquit Tarviſium, & ad Caſtrum Sancti Zenonis confugit , in quo erant theſauri Ezelini abſconditi ; ibique munitione loci confiſus , ad manendum ſe contulit . Sed perſequitur eum dictus exercitus . Accurrunt autem Paduani & Vicentini, & exitus ac introitus Caſtri totaliter prohibetur . Per obſidionem autem quatuor menſium obſeſſi milites & populares , gratiam obſidentium invenire cupientes , primo Caſtrum , denique Turrim munitiſſimam , & ipſum facinoroſum Tyrannum cum uxore , ſex filiis , & duabus filiabus in manus hoſtium tradiderunt . A quibus variis lacerationibus & colliſionibus occiduntur . Sicque intra ſpatium undecim menſium duo illi fratres feroces quaſi dracones extincti ſunt .* Tali fine concluditur tremenda potentia , ſcelerata parentela , & abbreviata Hiſtoria Ezelini . Michaël Palæologus jam fortificatus in dominio , Latinis Conſtantinopolim abſtulit , quam a MCCIV. uſque ad MCCLXI. tenuerant . Contra Papam Urbanum , manentem apud Urbem Veterem , miſit Manfredus infinitam multitudinem Saracenorum , quos de Patrimonio per Cruceſignatos ipſe cito fugavit .

Particula XIII. de geſtis ultramarinis .

MCCLXII. Ægyptii Antiochiam obſident &c. Tunc autem Maſſilienſes conſilio cujuſdam Bonifacii Comitis Caſtri , quod dicitur Caſtellana Provincia , contra Dominum ſuum Carolum Andegavenſem Comitem fratrem Sancti Regis Ludovici rebellant , & gentem ipſius ad Urbis cuſtodiam deputatam perimunt . Hoc audito Carolus congregato exercitu Caſtrum Bonifacii primo obſeſſum in deditio-

A ditionem accepit, inde Maſſilienſes longa obſidione & fame afflictos, & ſeditionis auctores in convivio ſpectans decollari fecit, & Bonifacium de Provincia exturbavit.

Particula XIV. Quomodo Carolo I. datur Regnum Siciliæ.

PApa eodem anno MCCLXII. Regnum Siciliæ, quod Manfredus detinebat violenter, Carolo Comiti Provinciæ, fratri Sancti Ludovici Regis Francorum, ut illud ab eo eriperet, contulit. MCCLXIV. tam notabilis Cometa apparuit, ut nullus viventium ſimilem viderit. Ab Oriente enim cum magno fulgore B ſurgens, uſque ad medium Emiſpherii versùs Occidentem comam perlucidam trahebat, duravitque pluſquam tribus menſibus. Ipſo autem primò apparente Papa Urbanus cœpit infirmari, & eadem nocte, qua mortuus eſt, diſparuit.

Particula XV. de coronatione Caroli, & ejus victoriis, & quibuſdam geſtis ultramarinis, & Rege Aragonum.

CLemens Carolum vocatum per Urbanum ad recuperationem Regni Siciliæ invitat, qui Romam advenit, alium vero exercitum per Lombardiam miſit. Anno MCCLXVI. in Sancto Johanne de Laterano Papa illum per C quoſdam Cardinales coronari fecit, quem etiam tunc Senatorem Urbis conſtituit. Eidem quoque leges circa regimen Regni tradidit, juxta ſtatuta ſcilicet Regis Guillielmi. Sub eodem etiam juramento ipſum arctans circa factum Imperii, quod videlicet nec de eo ſe ingerere, nec electioni de ſe factæ, vel ipſam perſequi debeat; aliàs ipſo facto caderet a jure Regni. Collectâ igitur militiâ eodem Anno de Urbe recedit, & in Campaniam versùs Pontem Ceperani vadit, ubi eſt Regni initium. Quem Manfredus gente & propugnaculis valde munierat. Sed belli violentiâ Pons capitur. Simili virtute Sanctus Germanus, & Mons D Caſinus accipitur. Et diriguntur acies in Manfredum, qui ſe ſe in Beneventum receperat. Rex itaque Carolus Manfredo bellum offert. Pugnatur utrinque in Campo Florido in planitie Beneventi. Tamdem poſt pugnam acerrimam cæsâ Manfredi acie, maximè Teutonicorum, & ipſe quoque in bello occiditur. Reſidentiâ igitur prius factâ in Benevento, eodem Anno & ſequenti totum recuperat Regnum, quibuſdam ſponte ſe offerentibus, quibuſdam vi ſuperatis. Revocantur autem expulſi per eum. Expelluntur ſequaces. Eodem Anno Hoſpitalariis & Templariis &c. Anno MCCLXVI. miſit Rex Carolus D. milites Gallicos in Tuſciam cum Milite Guidone E Guerra, & cum alia militia partis Guelfæ. Et primo de Florentia Gibellinos expellunt, & ad partem Guelfam quaſi omnes de Tuſcia ſe convertunt, præter Piſas & Aretium. Interim fit Vicarius in Tuſcia Carolus auctoritate Papæ, vacante Imperio, licèt duo fuiſſent electi, Alphonſus ſcilicet, & Ricardus. Sed circa hoc tempus Ricardus moritur. Eodem Anno, ſero Maji, Bendogar venit ante Ptolemaidam &c.

Particula XVI. de morte Conradini, & quibuſdam geſtis ultramarinis.

AD dicti Summi Pontificis venit notitiam, quod Conradinus, filius Conradi parabat ſe ad intrandum Italiam, inſtigatus a Piſanis, & parte Gibellina Tuſciæ. Carolus igitur, relicto Mareſcalco ſuo in Tuſcia, cum cetera militia ad obviandum Conradino, ſi contingeret eum venire in Regnum, properat. Igitur MCCLXVIII. Conradinus cum militia Theutonicorum, adjunctis quibuſdam Lombardorum & Tuſcorum, ſubito intrat Italiam, & venit Veronam. Hoc audito Papa ei mandat, ut caveat ab offenſa Eccleſiæ. Quod ille contemnens, cito tranſit cum parva manu ad ripam Januenſem uſque Finale, ubi ſunt Domini de Carrecto, qui eidem affines, cum amicorum auxilio & navigio deduxerunt eum uſque Piſas, nec Mareſcalcus prædictus obviare potuit. Deſtructo itaque Lucano territorio ex parte Meridiei, fugatiſque Guelphis de Senis, Conradinus fortificari cœpit. Quod audiens Summus Pontifex contra ipſum, ſuamque ſequelam proceſſum fecit. Aliqui dicunt hoc factum, quando Veronæ fuit. Tunc autem Romæ erat Dominus Henricus frater Regis Caſtellæ, qui nepos erat Regis Caroli in ſecundo gradu. Hic Senatum ſibi uſurpaverat, faventibus aliquibus Nobilibus Romanis, & aliquâ parte Populi, & multa mala intulit Romæ & Eccleſiis, inibi theſauros diſtrahens, depoſita arripiens. Aliqui dicunt, quod Rex Carolus eum Romam pro ſuo miſit Vicario. Advenienti igitur Conradino confœderatur, & grandi collecto exercitu XVIII. die Auguſti de Urbe egredientes contra Regem Carolum properant; provinciæque Civitates & Caſtra jam rebellare incipiunt. Quo comperto Carolus Conradino obviam venit, nec interiora Regni intrare patitur. Concurrunt ergo acies in Campo Paleno. Diu & pugnatur utrinque. Tamdem prævaluit acies Conradini, inventiſque armis Caroli, omnia peracta putant, & ſecuritate accepta ad ſpolia ſe convertunt. Tunc ſubito Rex Carolus cum ſua acie de occulto in publicum veniens in die Beati Bartholomæi diſperſum invadit exercitum, & fundit cælitus, & partim cæde, partim fugando annihilat. Omnes Nobiles de parte Conradini Rex decapitari jubet; Henrico nepote detento, atque in quodam Caſtro recluſo. Conradinum autem, & Ducem Auſtriæ, Gerardum quoque Comitem de Piſis, de conſilio Sapientum, nonnullis tamen contradicentibus, in platea Neapolis capite truncari voluit. Poſt hæc ad recuperandas rebellantes Terras Rex Carolus convertit animum, idque agit non ſine multa ſanguinis effuſione: quod Clementi Papæ non placuit. Fuit enim vir benignus, generaliter literatus, cantor delicatus, in concionando non habens ſocium, ſibi auſterus, ceteris pius. Hic de Palatio ſuo ubi erat, Viterbii videns tranſeuntem Conradini militiam, quaſi prophetando ait, dolendum ſuper tali puero, qui taliter ſeductus duceretur ad victimam. Eodem anno Bendogar VII. Martii cepit proditione Joppem &c. MCCLXIX. vacante Romana Sede atque Imperio, Rex Carolus ſe proſperari cernens, ad partes alias ſe dilatat, & filio ſuo Philippo filiam Principis Achajæ accipiens, Principatum acquirit, contraque Palæologum mittit militiam, quæ nunc proſpere egit, nunc adverſa perpeſſa eſt.

Parti-

Particula XVII. de Paſſagio Sancti Regis Ludovici in Tunicium.

MCCLXX. menſe Julii Rex Franciæ Ludovicus &c. Tunc quoque Rex Carolus requiritur, ut in auxilium vadat Regi Ludovico fratri. Nam quum intraſſet Rex Ludovicus regiones Carthaginis, epidemia ſtatim invaſit exercitum, & ipſe infirmatur. In qua infirmitate Deum laudare non ceſſans, illa ſæpe interſerebat: *Fac nos pro tuo amore proſpera mundi deſpicere, & nulla ejus adverſa formidare*. Et pro populo orabat: *Eſto plebi tuæ ſanctificator & cuſtos: & quam tibi facis eſſe devotam, benigno refove miſeratus auxilio*. Et appropinquans ad finem, cælum ſuſpiciens, ait: *Introibo in Domum tuam. Adorabo ad Templum Sanctum tuum*. Quo dicto obdormivit in Domino, ſecumque filius Johannes Triſtanus, ceterique ei ſanguine juncti quaſi omnes, præter Philippum. Poſt hæc Rex Carolus in auxilium Chriſtiani exercitus venit, & propter dictam epidemiam factâ compoſitione cum Rege Tunicii, & acceptâ magnâ ſummâ pecuniæ propter expenſas, quas Reges ibi fecerant, totum exercitum duxit in Siciliam. Ubi Rex Navarræ fuit Theobaldus, qui venerat cum Sancto Ludovico. Et quum veniſſent ad Portum Trapanitanum, naufragium paſſæ ſunt naves, & exercitus per terram rediit. Promiſit quoque Rex Tunicii, quod omnes Chriſtiani in Regno ſuo captivi dimitterentur, & quod Monaſteriis ad honorem Chriſti in omnibus Civitatibus Regni illius conſtitutis, Fides Chriſti per Minores, & Prædicatores libere prædicari valeat, & etiam per quoſcumque alios; & quod baptizari volentes, nullo modo prohiberentur. Factuſque eſt tributarius Regi Carolo. Nam paratis machinis & aliis neceſſariis per terram, & per aquam Tunicium oppugnare diſponebat. Eodem anno Alphonſus frater Sancti Ludovici, Comes Pictavienſis & Toloſæ &c.

CAP. CCXXXV.

De Imperio Rodulphi, & ſibi contemporaneis:

Cujus Particula I. de geſtis ejus, & quibuſdam contingentibus.

Rodulphus Comes Honnesburch electus, approbatur a Gregorio X. in favorem Terræ Sanctæ, ad quam plurimum anhelabat perſonaliter proficiſci. Unde ad ejus petitionem Rodulphus Cruceſignatus eſt. Huic Rodulpho ad preces Papæ Alphonſus Rex Caſtellæ ceſſit, renuntians omni juri, quod haberet. Rodulphus autem redeunti Papæ in Italiam occurrit cum Regina & filiis apud Bellicardorum, & juramentum præſtitit fidelitatis Romanæ Eccleſiæ de conſervando ipſam, quod habetur *Diſtinction. LXIII. Cap Tibi Domino*. Dedit autem unam filiam ſuam Comiti Palatino, qui eſt Dux Bajoariæ, aliam Duci Saxoniæ, aliam germano Marchionis Brandeburgenſis, quartam Carolo Martello, primogenito Caroli II. Regis Siciliæ, qui poſtea fuit Rex Hungariæ. Primo autem filio ſuo Alberto, qui poſt eum fuit Rex Alamanniæ, accepit filiam Comitis de Tirolo, cum quo poſtea expugnavit Regem Bohemiæ, qui occupaverat Auſtriam, Stiriam, & Carinthiam, quæ

A ſibi debebatur, ſive ratione Regni Alamanniæ, ſive ratione Imperii. Hic fuit probus in armis & prudens, deditque partem Carinthiæ Comiti de Tirolo, & Ducatum Auſtriæ Petro filio ſuo, cui ſucceſſit frater ejus Albertus, poſtea Rex Romanorum, quem interfecit Johannes filius prædicti Petri, quia ſibi Ducatum abſtulerat, propter quam occiſionem fugitivus fuit. Et tamdem tempore Henrici VII Piſas iens, de mandato Imperatoris capitur, carceratur, & in carcere moritur. Proceſſit etiam contra filium Regis Bohemiæ, comminans eidem de Regno, quòd iviſſet contra Dominum ſuum. Sed amicis mediantibus receptus in gratiam gener Regis efficitur. Ab hoc Rodulpho B Nicolaus Papa III. requiſivit, ut Romandiolam reſignaret, & Exarchatum Ravennæ, qui a Comitatu diſtinguebatur, & antiquitus Ravennæ erat Senator, ſicut Romæ, & dictas Civitates gubernabat, inter quas erat Bononia, ut per Ludovicum I. ſcribentem Paſchali Papæ I. patet. Hanc regionem per Carolum datam, & recuperatam per Gregorium X. nunc iſte repetit. Mandat Rodulphus omnibus Nobilibus Terræ, & Populi dictæ regionis, ut Eccleſiæ Romanæ obediant, & dictum dominium ad Romanam Eccleſiam aſſerit pertinere. Et ſic Papa poſſeſſionem obtinuit. Tractabat quoque idem Pontifex cum dicto Rege ſuper novitatibus faciendis in Im- C perio, ita ut totum Imperium in quatuor divideretur partes; in Regnum Alamanniæ, quod debebat poſteris Rodulphi perpetuari; in Regnum Viennenſe, quod dabatur in dotem uxori Caroli Martelli filiæ dicti Rodulphi. De Italia vero, præter Regnum Siciliæ, duo Regna fiebant, unum in Lombardia, aliud in Tuſcia. Sed interim Papa mortuus eſt. Rodulphus autem poſtea apud Spiram Alſatiæ mortuus eſt; & Imperiali caruit benedictione. Eo etiam tempore Rex Francorum Cruceſignatus eſt &c.

Particula II. de Summis Pontificibus.

D Innocentius natione Burgundus de Tarantaſia Sabaudiæ ſedit menſes V. dies I. Ceſſavit Epiſcopatus dies XVIII. Hic fuit Ordinis Prædicatorum, factus Archiepiſcopus Lugdunenſis, antequam conſecraretur, fit Epiſcopus Oſtienſis, & intra annum Papa electus eſt. Adrianus natione Januenſis ſedit menſem I. dies VIII. Hic prius dictus Ottobonus, nepos Innocentii IIII., a quo factus eſt Cardinalis, & a Clemente III. miſſus eſt Legatus in Angliam pro guerra ſedanda, quæ inter Barones & Regem orta erat. Hic ſtatim poſt ſuam creationem, Conſtitutionem Gregorii X. de reſtrictione Cardinalium in electione Papæ ſuſpendit, intendens eam aliter ordinare; ſed morte E præventus non potuit, nec Sacerdos ordinatus eſt. Johannes natione Uliſſiponenſis ſedit menſes VIII. dies VIII. Ceſſavit Epiſcopatus quaſi menſes VI. Hic fuit Epiſcopus Tuſculanus, Petrus antea vocatus, generalis & famoſus Clericus, maxime in medicina; unde & experimenta ſcripſit ad curas hominum, qui *Theſaurus pauperum* vocatur. Fecit & Librum *de Problematibus*, juxta formam V. . . . . Azz. . . . . Parum autem diſcretus fuit Princeps in verbo, minus autem in moribus, Ideo ſcientiæ florem, & Pontificalem dignitatem quadam ſtoliditate deformabat. Solitus erat intrare Cameram novam ſolus, quam ipſe pro ſe

ſe Viterbii circa Palatium conſtruxerat. Semel autem quum hæc feciſſet, & ſe ipſum aſpiciens gloriaretur, reſolutus in riſum, camera ſubito cecidit; ipſe vero colliſus, ſexto die exſpiravit. Religioſos minus dilexit, & tunc contra eos aliquid ſtatuere intendebat. Quidam Frater Minorum Viterbii in ſtrato ſuo quieſcens, ſubito fortiter exclamavit. Et accurrentibus Fratribus ait: *Niger vir grandi malleo Palatium Papæ percutit. Orate, ne corruat*. Tertiò verò idem cernens exclamavit, & Palatium corruit, & ipsâ horâ corruiſſe inventum eſt. Hoc laudabile habuit, quod licèt Papa, cum quocumque literato & paupere converſari non renuebat, eiſque libenter providebat. Conſtitutionem de recluſione Cardinalium ad primam firmitatem reduxit. Nicolaus natione Romanus de Urſinis ſedit annos II. menſes VIII. exceptis diebus IV. Ceſſavit Epiſcopatus menſes VI. Hic electus eſt in feſto Beatæ Catharinæ Viterbii, & parum ante electionem excrevit Tiberis ſuper Altare Sanctæ Mariæ Rotundæ quatuor pedibus. Conſtituit autem loco ſui Protectorem Ordinis Minorum Dominum Matthæum Rubeum Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconum Cardinalem ſub iis verbis: *Si beneficia per nos tibi impenſa magna inveniuntur & multa, in nullo tamen . . . . dedimus tibi arrham æternæ vitæ, ſicut in eo, quem modò tibi committimus. Damus enim quæ te in Paradiſum inducant, merita ſcilicet Sanctorum Fratrum Ordinis hujus. Damus tibi melius quod habemus. Damus tibi deſiderium cordis noſtri, & pupillam oculorum noſtrorum*. Et hæc dicens, non modo lacrymas fudit, ſed etiam ſingultus vir tantæ maturitatis continere non valuit. Et extentâ manu proprium anulum tradidit illi, dicens: *Tibi committimus Ordinem Fratrum Minorum*. Et illa verba Regulæ recitavit: *Qui ſit Gubernator, protector, & corrector &c. Gubernatione*, inquiens, *& correctione tua non egent, ſed pauperes & imbecilles, & habentes impugnatores, tuî egent protectione defendi*. Proprium autem nomen illi fuit Johannes Gajetani. Fuit Diaconus Cardinalis titulo Sancti Nicolai in Carcere Tuliano, moribus valde compoſitus & diſcretus. Religioſos multum dilexit, & fovit maxime Ordinem Minorum, cujus Protector fuit. Nam quum eſſet puer, pater ejus, qui erat de Tertio Ordine, eum Beato Franciſco obtulit. Et Beatus Franciſcus ait, quod non eſſet Frater habitu, ſed futurus erat defenſor Ordinis ſui, & tamdem Dominus mundi. Hic declaravit Regulam Beati Franciſci, quam dictavit Dominus Benedictus, poſtea Bonifacius VIII., & in Sexto ponitur. Fecit Cardinales duos de Ordine Minorum, Fratrem Bentevegnam, qui fuit Epiſcopus Albanenſis & Summus Pœnitentiarius, & Fratrem Hieronymum Generalem Miniſtrum, qui poſtea fuit Nicolaus Papa IV. & duos de Prædicatoribus Fratrem Latinum, nepotem ſuum ex ſorore, & Fratrem Albertum Archiepiſcopum Cantuarienſem, & Dominum Jordanem germanum ſuum, Dominum Jacobum de Columna, & tres alios. Hic ad Sanctum Petrum ædificavit ſolemne Palatium, ubi mandavit domos fieri pro omnibus Officialibus ſuis, & maxime pro Pœnitentiariis, qui claudebantur ſub uno cancello: Eccleſiam Sancti Petri, quaſi totam renovari fecit, & ibi auxit Canonicos. Conſtitutionem fecit de Electione Præfecti *Domino Urbano*, quocumque nomine cenſeatur, quod non poſſit eligi ad majus tempus unius anni abſque auctoritate Apoſtolicæ Sedis, quia tota Civitas juris eſt Romanæ Eccleſiæ, ut patet per Cap. *Conſtantinus* XCVI. Diſtinct. Et Diſtinct. LXIII. Cap. *Ludovicus*. Quæ Conſtitutio habetur in VI. *de Electione, Fundamenta*. Propter hanc Conſtitutionem Rex Carolus privatur Officio Senatoris. Et eodem anno Vicaria Tuſciæ per eumdem. Conſequenter Papa mittit unum Cardinalem, qui patientiam Regis tentaret ſuper prædictis ſibi ablatis. Et audito, quod Cardinalem honorifice recepiſſet, & modeſte reſpondiſſet, ait: *Felicitatem Carolus habet a Domo Franciæ, ingenii perſpicacitatem a Regno Hiſpaniæ, diſcretionem verborum a frequentatione Romanæ Curiæ*. Martinus natione de B. . . . . . Campaniæ ſedit annos IV. dies XXIX. Ceſſavit Epiſcopatus dies IV. Hic fuit Presbyter Cardinalis titulo Sanctæ Cæciliæ, & fuit longo tempore Legatus in Francia; primo miſſus per Urbanum IV., a quo fuit ad Cardinalatum promotus, ſecundo per Papam Gregorium X. Et multas bonas ordinationes ibi dimiſit, firmatas in provincialibus Synodis per eum congregatis. In ſumtibus autem fuit multum magnificus. Religiones dilexit, maxime Minorum & Prædicatorum. Fecit quinque Cardinales, quorum unus fuit Dominus Benedictus Gajetani, poſtea Bonifacius VIII. Honorius natione Romanus de Sabellis ſedit annos II. Ceſſavit Epiſcopatus a Cœna Domini uſque ad Feſtum Sanctæ Catharinæ. Hic fuit prudens homo, nulli nocivus, ſuis multum beneficus, fuitque in manibus & pedibus tam contractus, quod celebrare non poterat, niſi quibuſdam Miniſtris adjunctis. Unum Cardinalem fecit Dominum Johannem Boccamazza. Frater quoque illius vir prudens Dominus Pandulphus, licèt ab aliis ferretur de loco ad locum, quando fiebat Senator, a malefactoribus tantum timebatur, quod procul a patria ſtatim fugiebant. Nicolaus natione Marſicanus de Eſculo ſedit annos IV. & tantum plus, quantum eſt a Cathedra Sancti Petri uſque ad Paraſceve. Ceſſavit Epiſcopatus annos III. & menſes quaſi III. Hic vocatus eſt Hieronymus, magnus literatus, & valde religioſus, factus fuit Generalis Minorum. Demum Epiſcopus Præneſtinus, poſtea Papa. Ad Cardinalatum promovit Dominum Neapoleonem, & Dominum Petrum de Columna, Generalem Minorum Fratrem Matthæum de Aquaſparta, Fratrem Hugonem Magiſtrum in Theologia Ordinis Prædicatorum. Dominus autem Hieronymus, quum eſſet Cardinalis, imminente Electione Summi Pontificis, clauſis Cardinalibus in Sancta Sabina, poſt mortem Honorii, ceteris propter infirmitatem locum fugientibus, ſolus ibi remanſit & ſanus. Mortuo tamdem Papa Nicolao, Cardinales de communi concordia Peruſium ſe transferunt. Et vacavit Pontificatus annos II. & menſes III.

Particula III. de diſcordia quorumdam Regum.

Miſit Papa Legatos ad Reges Franciæ, & Caſtellæ Fratrem Hieronymum Generalem Minorum, qui poſtea fuit Nicolaus IV. & Fratrem Johannem de Vercellis Magiſtrum Prædicatorum, ut eos concordarent. Domina enim Blanca mater Sancti Ludovici, primogenita fuit Regis Caſtellæ, quam Rex Ludovicus pater Sancti Ludovici, ut Franci dicunt, hoc pacto accepit, ut ſi Rex Caſtellæ ſine legiti-

gitimo moreretur herede , Domina Blanca tamquam primogenita ſuccederet . Mortuus igitur reliquit filium , qui Henricus vocatus eſt . Quo ex percuſſione cujuſdam lapilli mortuo, ſoror junior dicta Berengaria , uxor Regis Legionis, Regnum patris cum filio ſuo per violentiam occupat . Tunc Sanctus Ludovicus quæſtionem movet Regi Alphonſo pro jure matris . Quæ quæſtio ſic ſedatur . Dat enim filiam ſuam dictam Blancam primogenito illius dicto Ferdinando , hac conditione , quod ſi Ferdinandus ex Domina Blanca haberet filium , & ipſe Ferdinandus præmoreretur patri , filius Ferdinandi in Regno ſuccederet . Caſus evenit , & mortuus Ferdinandus , duos ex Domina Blanca reliquit filios . Rex autem Alphonſus dicta pacta non ſervavit . Omnes enim Barones , duobus exceptis , allegabant ſecundogenitum regnare debere , ſecundùm conſuetudinem Regni , quam infringere non valuit ſine conſenſu Baronum . Ideo quum provectæ eſſet ætatis , ad petitionem dictorum Baronum de toto Regno ſe exſpolians , ſecundogenitum vocatum Sanctium Regem inſtituit . Filiis autem Dominæ Blancæ certas Terras aſſignavit in confinio Saracenorum *Su . . . . Frontina* . Propter quæ dicti duo Barones, qui pueris favebant, de Regno exeunt, & contra Regnum rebellant. Propter quæ a Rege Franciæ annuatim recipiunt ſexdecim mille Libras Turonenſium . Miſit etiam Papa Legatos ad Palæologum , petens, ſi ipſe cum gente ſua erat paratus Romanæ parere Eccleſiæ . Qui reſpondit , ſe paratum ad omnia, quæ ſervanda Concilium Lugdunenſe mandaverat .

Particula IV. Quomodo Regnum Hieruſalem obvenit Carolo Regi Siciliæ .

MCCLXXVII. Damiſella Maria filia Principis Antiochiæ jus ſuum in Regno Hieroſolymitano dedit Carolo Regi Siciliæ , coram pluribus Cardinalibus & Prælatis , & majori parte Curiæ. Declaratum enim pluries fuerat per Doctores Legum , & Magiſtros Decretorum, quod ipſa erat verus heres . Sed jus ſuum occupaverat Hugo de Luſignano nepos ſuus . Ipſe quoque Rex mortuâ uxore ſua per nuntios petierat eam ſibi matrimonio copulari, audienſque illius adventum ad Romanam Curiam , iterum miſit Magiſtrum Bernardum Caracciolum de Neapoli Papæ Notarium pro eadem cauſſa . Illa vero reſpondit , quod non mortalem intendebat accipere ſponſum , ſed immortali ſponſo in virginitate ſervire . Pro Regno tamen Hieruſalem in excambium accepit Comitatum Annoniæ , quem prædictus Rex tenebat tunc de conſenſu Regis Franciæ . Deinde pro redemtione illius Comitatus recepit in Regno Siciliæ annuatim Uncias MD. quæ tamdem uſque ad CCCC. diminutæ fuiſſe dicuntur . Miſſus eſt autem Rogerius Comes Sancti Severini Bajulus pro Rege Carolo . Requiſivit Milites Ptolemaidæ de homagio ſibi faciendo . Qui reſponderunt , quod Regi Cypri feciſſent homagium, nec poſſet alteri facere, niſi ejus obtentâ licentiâ , vel niſi is deficeret , in quo jus Regium tenebatur. Et quum ad Regem Cypri ſæpius tranſmiſſi eſſent , ille reſponſis ſuis nil aliud quam tempus redimebat . Tandem Comes peremtorie mandat , ut vel homagium faciant , vel Hoſpitia & univerſa Feuda dimittant . Tunc interventione Magiſtri Templi obtinuerunt , ut ad huc ſemel ad Regem Cypri mitterent . Et non habito ſufficienti reſponſo , Comiti fecerunt homagium, ipſeque Comes juravit juxta Regni Statuta procedere . Denique fecit Seneſcalcum , Coneſtabulum , Mareſcalcum , Vicecomites , & alios Officiales , ſecundùm morem patriæ. Eodem anno inter Venetos & Dominum Tyri pax reformata eſt mediatione Templariorum , reſtitutâ Venetis tertiâ parte Tyri , quam habebant ratione conquiſitionis ipſius , & diu poſſederant. Sed Dominus Philippus de Monteforti jus illud eis abſtulerat propter guerram , quam cum Januenſibus habuerant. Eodem anno Bendogar audiens, quod aliqui Tartari &c.

Particula V. de quibuſdam geſtis inter Papam & Imperatorem , & aliis contingentibus .

MCCLXXVIII. Papa Nicolaus III. requirit Rodulphum ſuper reſignatione Romandiolæ & Exarchatus Ravennæ , qui erat Principatus ſuper ſex Civitates Romandiolæ , quæ a Comitatu diſtinguebantur , & antiquitus in Ravenna erat Senator , ſicut in Urbe. Dictaſque Civitates gubernabat , inter quas erat Bononia . Eodem anno Hoſpitalarii ad Caſtrum vocatum Margath quemdam Baluvim Saracenorum occiderunt , & terram lædere cœperunt . Tunc Sanguleſcat ivit ad debellandum Saracenos ante Damaſcum , & debellatus fugit ad Aquas Frigidas . Revocavit autem idem Pontifex quamdam Conſtitutionem Gregorii IX. in qua ordinaverat , neminem de genere quodam Urbis provehi debere ad ſtatum Cardinalatus , unde & de ipſa domo Cardinalis fuit . MCCLXXX. Carolus adhuc Princeps Salerni, poſtea Rex Siciliæ tranſtuliſſe dicitur Corpus Beatæ Mariæ Magdalenæ repertum in tumulo marmoreo , in illo Oratorio , in quo Sanctus Maximus eam tradidit ſepulturæ . Collocatur igitur Corpus in capſa pretioſa , caput vero ſeorſum in quadam pulcherrima theca ex argento & auro ac gemmis fabricata. Eodem anno Turriani de Mediolano pelluntur , & Vicecomites dominium tenuerunt uſque ad Annum MCCCIII. Eodem anno etiam Rex Franciæ exercitum parat ad intrandum Navarram pro filio ſuo Philippo , qui filiam Regis Navarræ accepit uxorem . Cui ex ſucceſſione debebatur Regnum prædictum & Comitatus Campaniæ. Eunte autem eo in Navarram , exercitus ejus Pampilonam expugnat , & certam partem deſtruxit propter rebellionem, & uſque nunc Rex Franciæ tenet Navarram .

Particula VI. de ceteris emergentibus ,

IN electione Martini IV. accidit turbatio , quia Dominus Matthæus Rubeus Cardinalis fuit recluſus in quadam camera per Officiales Viterbienſes , conſentiente Domino Ricardo nobili viro Romano de Annibaldenſibus dicto *de la Rota* , qui tunc erat Dominus in Viterbio. Cardinales autem tunc non includebantur ſecundùm formam Conſtitutionis , quæ revocata fuerat per Papam . Recluſio tamen erat ſpontanea , ut de electoribus aliorum Prælatorum fieri ſolet . Ex hac igitur violentia omnes auctores ſententiam excommunicationis incurrerunt , & Civitas ſupponitur interdicto , & ex tunc Curia ibidem reſidentiam facere noluit. Prædictus tamen Ricardus cum multa humilitate venit de domo propria Romam nudis

pedi-

pedibus , & cum corrigia ad collum uſque ad domum Domini Matthæi humiliter veniam petens , & idem Cardinalis ejus abſolutionem impetravit . Papa quoque noluit in Viterbio coronari , ſed in Urbe Veteri , ubi Cardinales fecit , Dominum Hieronymum Epiſcopum , qui erat Presbyter Cardinalis , & inſuper Dominum Gerardum titulo Duodecim Apoſtolorum . Inter quinque vero priores promovit Dominum Benedictum Gajetani in Diaconum Cardinalem titulo Sancti Nicolai in Carcere Tulliano . Electus quoque Senator Urbis , loco ſui Regem Siciliæ inſtituit , eligens de familia ejuſdem Regis in Viterbio exiſtentis Milites ad regendum tam Patrimonium , quàm Campaniam , Marchiam , & Ducatum . In Romandiola vero deſtinavit Comitem Johannem de Appia cum ſoldatis Gallicis fere DCCC. contra Comitem Montis Feltri Guidonem , qui terram Eccleſiæ in illis partibus detinebat . Tunc Piſcis marinus captus eſt , habens leonis effigiem , in parte illa maritima , quæ ſita eſt versùs Montem Altum . Cucurrit autem ad viſendum monſtrum multitudo Curialium . Erat enim pellis ipſius piloſa , pedes breves , cauda leonina , & caput ſuper , & aures , & os & infra dentes linguam habebat inſtar leonis . Referebatur quoque , quod in captione planctus horribiles emiſerat .

Particula VII. de bello Tartarorum cum Saracenis & Regum Siciliæ & Aragoniæ.

EOdem anno Tartari diſcurrerunt uſque Calamelam & Alapiam , cædentes omnes Saracenos obviam ſibi factos . Soldanus autem Babiloniæ cum centum millibus equitibus & totidem peditibus occurrit eis, & convenerunt in partibus Calamelæ ; & in partem unam irruit Rex Armeniæ, & per tres leucas eam fugavit uſque Calamelam ; & partem aliam Tartari debellaverunt, & per tres diætas cædendo inſequuti uſque Civitatem Tara &c. Ad inſtantiam Regis Caroli Papa Palæologum excommunicatum denuntiari jubet , quia juxta promiſſum , & ſequentem requiſitionem , cum ſua gente ad obedientiam Romanæ Curiæ non venerat . Ex quo non parva incommoda ſequuta ſunt . Primo namque tractatur compoſitio inter Palæologum , & Petrum Regem Aragonum , qui filiam Manfredi habebat uxorem , vocatam Conſtantiam . Mediatores autem compoſitionis fuerunt Benedictus de Zacharia Januenſis , & Dominus Johannes de Procida , qui fuit unus de principalibus in auferendo Regnum Regi Carolo . Dum vero paratur exercitus , Papa ſcribit ad ſuggeſtionem Regis Caroli Regi Aragonum , quærens cur paret exercitum . Reſpondit ille , linguam ſibi amputaturum , ſi ſecretum manifeſtare putaret . Eodem anno Siculi rebellaverunt contra Regem , interfectis multis Gallorum , qui erant in Inſula . In Panormo enim ſuccenſa eſt prima ſtupenda rabies . Propter enormitates enim Gallorum , cunctos inibi commorantes , mares & feminas , ſenes & pueros , morti tradunt . Et quod eſt magis horrendum , ceteras mulieres imprægnatas a Gallis ſcindunt , ut fœtus interimant . Tunc Rex Aragonum cum ſuo navigio vadit in Africam verſus Hipponam , quæ hodie *Bona* vulgariter appellatur . Et applicuit apud Anicolem Villam nobilem in Numidia , & aliquas regiones vaſtavit . Inde tranſit in Sardiniam , & prope Caſtrum *Caſtro* applicat , ibique ſua navigia reſtaurat , & neceſſaria parat . Rex quoque Carolus exercitum magnum parat Apulorum , Provincialium , Gallorum , Italicorum , & cum ipſo in Siciliam tranſit . Meſſanam obſidet , quam capere potuiſſet , ſed omiſit timens Terræ deſtructionem , ſi violentiâ caperetur . Interim Rex Aragonum Panormi applicuit , & inde cum ſua militia vadit Meſſanam . Quod audiens Rex Carolus ab obſidione recedit . Inſuper & de Sicilia in Calabriam cum toto exercitu tranſit , timens ne ſui victualia perderent , & ne rebellarent aliæ partes Regni . Scripſitque Regi Aragonum , ſe admirari , quomodo Regnum ſuum invaſerat . Cui ille reſpondit , ratione uxoris filiæ Manfredi ad ſe potius pertinere . Ad hujus autem litigii diſcuſſionem ad ſingulare certamen ſe invicem requirunt , & Vaſconiam eligunt , ubi & conveniſſe dicuntur . Sed Rex Aragonum occulto veniens , comperto , quod ibi tutus non eſſet , præmiſſa proteſtatione receſſit . Alii dicunt , eum in termino numquam comparuiſſe .

MCCLXXXIII. Hugo Rex Cypri tranſit Berithum , & proceſſit uſque Tyrum , & quum multi per terram equos tranſmitterent , Saraceni de monte occurrentes prope Sidonem aliquibus interfectis , ceteros duxerunt cum beſtiis . Intellexit autem Rex , opus eſſe Templariorum de Sidone . Ipſo tempore Papa Legatum mittit ad Regis cuſtodiam Dominum Gerardum de Parma , & eo exiſtente Neapolim venit Rogerius de Loria Amiratus Regis Aragonum , & quaſi in portu Neapolis exiſtens , prope Urbem ad milliaria ſeptem , clamoribus & ſignis Gallos ad navale bellum excitat . Tunc Regis filius , vocatus & ipſe Carolus , qui patri ſucceſſit in Regno , gentem ſuam Galeas aſcendere jubet , reclamante Legato ; & facto congreſſu , pugnatur acriter cum paucis Galeis . Decem & ſeptem enim Galeis ſuis per fraudem nautarum revertentibus Neapolim , in quibus nobiles erant & ſtrenui pugnatores , filius Regis ſua munitus potentia , multâ inimicorum ſtrage editâ victus in Siciliam ducitur . Quartâ itaque die ſequenti Rex Carolus Neapolim applicat , meditatam defectionem cognoſcens Civium , Gallicos in eos , quaſi neſcius , ſævire permiſit ; & tamdem congregato exercitu , *gratulandum* , inquit , *de capto filio* , *non dolendum* ; quaſi uno Sacerdote amiſſo , qui ſuum impediebat Regnum , vigoremque bellandi . Et nullo lamento facto , versùs Calabriam pergit , ubi comes Atrebatenſis utiliter ſe geſſerat , Pharum Meſſanæ tranſire cupiens , & Civitatem obſidere . Sed quæ Rex inceperat , tunc perficere non valuit . Sed partem navigii in Portu locat Brunduſii , ne flatibus vaſtetur vernis , partem ad paſſus cuſtodiendos diſponit . Ipſo anno Papa proceſſum facit contra Regem Aragonum , ipſumque a Regno deponit , & ab omni dignitate . Eaque tradit Regi Franciæ pro Carolo filio dicti Regis , totumque Regnum Aragonum ſupponit graviſſimo Interdicto . Eodem annò inchoata eſt guerra inter Januenſes & Piſanos . Tunc Rex Carolus continuâ febri corripitur , & univerſæ carnis debitum ſolvit . O quàm huic Regi fortuna in primis arriſit , ſed quomodo in finem riſum convertit in luctum ! Sic lubrica verſat fortuna vices , &

„ *Ludit in humanis divina potentia rebus* .

Mortuo Rege , receptis prius Eccleſiaſticis Sacramentis , & cum fideli invocatione nominis Chri-

Chriſti, Legatus ibi ad munimentum Regni ſe firmat. Rex Franciæ Comiti Atrebatenſi ſubſidia expenſarum, quaſi centum millia Librarum Turonenſium, tranſmittit.

Interim Carolus captus in Cataloniam ducitur, & in Caſtro quodam detinetur. Hujus Martini Papæ tempore Frater Bonagratia Generalis Minorum obiit Avinione; vir magnæ religionis & ardentis zeli. In cujus morte, nullo funem trahente, campana multis cernentibus pulſabatur. MCCLXXXIV. Dominus Johannes Cardinalis Legatus mittitur in Franciam ad prædicandum Crucem contra Regem Aragonum. Sequenti anno Papa moritur. Hic Papa Honorius IV. ſtatim poſt electionem Comiti Atrebatenſi viriliter Regnum tuenti, & ceteris ſtipendiatis miſit ſtipendia, multùm eum accendens ad ſuſcepta negotia perſequenda. Ordinem Carmelitarum ſolidavit, qui prius in Concilio remanſerat in ſuſpenſo. Tunc Mantellos catabriatos mutaverunt. Eodem etiam tempore Auguſtinenſes permoti ſunt ad habendum proprium Magiſtrum, ex certâ causâ prius impediti. Eodem anno Rex Franciæ exercitum maximum parat, & vadit ad occupandum Regnum Aragonum; propter quod Petrus Rex de Sicilia in Aragoniam tranſiit. Legatus autem, qui tunc in Francia erat, Crucem prædicans contra Aragonenſes & Catalanos, venit Perpinianum. Et inde favente Rege Majoricarum, ſive ex timore damni ſui, ſive ex amore, quia cognatus ejus erat, tranſiit Montes Pyrenæos. Qui in Hiſpania Caſtra capit, & unam Civitatem circa dictos Montes a parte Cataloniæ vocatam Gerundam. Volebat autem ulterius procedere, ſed tanta fuit epidemia in exercitu, ut conſuleretur Regi, ne omnino ultra procederet, alioquin multitudini unus reſiſtere potuiſſet. Quædam tunc pars militiæ deſcendit in Vallem Cataloniæ, quæ obvium habuit Regem Aragonum cum ſua militia. Et quum pugnaſſent, multi utrinque ceciderunt. Ibi quoque Rex Aragonum vulneratur, de quo vulnere tamdem moritur. Rogerius autem de Loria cum ſuis Galeis navalem exercitum Regis Franciæ male cuſtoditum prope Narbonam combuſſit. Tunc Rex Franciæ prius infirmus moritur apud Perpinianum. Eodem anno Piſani & Januenſes pugnaverunt in mari generali exercitu, & poſt magnam concertationem Piſani in dicto loco La Melora juxta Portum Piſanum, ubi Prælatos ceperant tempore Friderici, debellantur. Eodem anno Soldanus Ægypti cepit Margath. Et Johannes Rex Cypri moritur, cui ſucceſſit frater Henricus, qui MCCLXXXVI introivit Ptolemaidam cum pulchro Stolo, & gratè receptus eſt. Sed Hugo de Pilicino pro Rege Carolo ibi erat, & tenuit contra Regem Caſtrum, & fecit intrare omnes, qui erant ibi ad ſtipendia pro Rege Franciæ, quorum erat Capitaneus, exceptis paucis, qui amore Regis Henrici intrare noluerunt. Obſeſſo Caſtro, quinta die Rex Henricus Caſtrum obtinuit, & poſtea Tyri Rex Hieruſalem coronatus eſt, dimiſitque Dominum Philippum de Ubelino avunculum ſuum Balivum Ptolemaidæ.

Anno eodem Odoardus Rex Angliæ facto prius homagio Regi Franciæ pro Ducatu Aquitaniæ, & aliis, quæ in Regno Franciæ tenebat, venit in Vaſconiam, mutaturus & liberaturus Regem Carolum, qui erat in Catalonia. Nati enim erant ex duabus ſororibus. Et cum Alphonſo tunc Rege Aragoniæ primogenito Petri, qui patri ſuo ceſſerat, & Jacobo fratre ejus cum matre in Siciliam ivit. Honorius autem Papa ſententiam Martini promulgatam contra Petrum contra filios renovavit. Alphonſus vero contra Regem Majoricarum patruum ſuum, qui cum Eccleſia ſe tenebat, inſurrexit, & terras aliquas occupavit. Circa Natalem autem Domini venerunt ad Curiam Nuntii Aragoniæ & Siciliæ, in Conſiſtorio excuſantes Alphonſum, quod Nuntios poſt patris obitum ad Romanam Curiam non miſiſſet, quia tranſire tunc non poterant propter guerras. Secundo dicebant eum innoxium, & in nullo conſcium de factis paternis. Tertio aſſeveraverant, eum diu ante mortem patris Regni poſſeſſionem habuiſſe, & ideo petebat pacifice ſibi dimitti. Quarto ſe ad ſervitium Eccleſiæ offerebat. De primo Papa non curavit. Ad ſecundum reſpondit: *Placeret nobis multum, quòd eſſet innocens, ſed contrarium oſtendit, mittens continue in Terram Siciliæ gentem ſuam. Item non ſinebat Interdictum Papæ in illo Regno ſervari, & quod Regis Majoricarum, Eccleſiæ adjutoris, occupaverat Terras. Item detinet Principem Salerni innocentem. Et quod in Regno Aragoniæ nullum jus habebat, ſed Carolus frater Regis Franciæ. Parati tamen ſumus, ſi venerit, eum audire, & exhibere juſtitiæ complementum.* Pro Siculis autem dixerunt, quod multum fuerant a Francis oppreſſi, & quod intendebant eos curialiter licentiare de Sicilia; ſed aliqui maligni in eos egerunt crudelia, quæ bonis viris diſplicuerunt. Et Conſtantiam excuſabant, quia oportuerat eam ſequi virum ſuum; ſicut autem rogabat, ut vocatum a Siculis filium coronaret. Quibus verbis Papa aurem non præbens de concordia tractat. Eodem anno Rex Rodulphus Vicarium mittit in Italiam Dominum Princivallem de Fliſco, qui ditior Clericus erat in ſimplicibus Præbendis, quàm aliquis Clericus; & omnibus ceſſit propter dictum Principatum. Factus eſt autem tam pauper, quod coactus eſt vendere juriſdictionem Imperii Civitatum Tuſciæ. Unde Lucani dederunt ei de dominio, quod habebat in ſuo territorio, duodecim millia Florenorum. Eodem anno, alii dicunt tempore vacationis, ideſt MCCLXXXVII. Galeæ Regnicolarum euntes contra Siculos obviam habuerunt Rogerium de Loria, qui eas multo ingenio ſuperavit. Ubi erat Philippus filius Comitis Flandriæ. Eodem anno Soldanus miſit Letaratam ad recuperandum Caſtrum, quod tenebat Sangoleſcar, quo obtento, habuit Caſtrum Liciæ. Poſtea venit Soldanus ad obſidendum Tripolim. Sed interim filius ejus moritur, & præ dolore deſtitit.

MCCLXXXVIII. Soldanus Meleth Meſchor grave bellum dedit Civitati Tripolis, & Turrim Epiſcopi, quæ magnos habebat muros, uſque ad medietatem machinis diruit. Suſtinuerunt Chriſtiani uſque ad Nonam. Poſtea Saraceni quaſi per totum occupaverunt muros; pedites cuncti cœperunt ſe ad mare trahere. Et tamdem equites non valentes ictus lapidum ſuſtinere, occiſi gladio, aut ſubmerſi uſque ad ſeptem millia æſtimati, multis navigiis ſunt ſalvati. Captam autem Civitatem Soldanus juſſit dirui & cremari. Et poſt paucos dies pro paucis captis recepit ac diruit Caſtrum Nephim, & mandavit Civitatem ædificari in loco vocato *Monte Peregrino*. Tunc Nicolaus IV. fecit armari Venetas Galeas XX. pro ſubſidio

ſidio Terræ Sanctæ ; quibus præfuit Jacobus Teupulus dictus *Scopulus* . Providit quoque Papa Johanni de Grilli Capitaneo ſtipendiariorum Regis Franciæ in mille uncias auri , & mille Rubeo de Scalis , qui ſe obtulit ad eundum . Prædictus quoque Johannes tranſiens per Siciliam a Rege Jacobo V. Galeas obtinuit bene munitas . Sed quia ipſo anno Soldanus contra Ptolemaidam non venit , omnes prædicti nil notabile egerunt. MCCLXXXIX. Rex Carolus de carcere liberatur , mediante Rege Angliæ , tribus filiis ejus datis obſidibus pro pactis ſervandis . Promiſit enim ſuo poſſe pacem Aragonenſium cum Romana Curia , & Rege Franciæ procurare , unde ad preces ejus Carolus frater Regis Franciæ , Comes Valeſii , acceptâ unâ filiâ Caroli Regis , cum Comitatibus Andegaviæ & Cenomaniæ remiſit omne jus, quod habebat in Aragonia & Valentiæ Regno . Eodem anno diſcordia oritur inter Regem Franciæ , & Odoardum Regem Angliæ , quæ magna fuit , & multum duravit . Et mittuntur duo Cardinales , ſcilicet Dominus Benedictus Gajetani , & Dominus Gerardus de Parma , qui ſuper negotio nihil facere potuerunt . Concordarunt tamen Clerum cum Rege , propter quod aliqui putant eos principaliter miſſos .

MCCXC. cogitavit Soldanus Melech Meſehor de Syria exterminare Chriſtianorum reliquias . Et facto apparatu in itinere mortuus eſt ; ſucceſſitque illi filius Seraph , qui paternum aſſumſit propoſitum , eo maxime motus , quod XIX. mercatores Saraceni a Cruceſignatis in Ptolemaida contra treguarum fidem occiſi ſunt; & MCCXCI. obſedit Acon, quinto Aprilis, & dicitur habuiſſe in ſuo exercitu quadraginta millia equitum , & centum ſexaginta millia peditum ; & machinis demolitus eſt muros . Venit autem Rex Henricus obſeſſis in auxilium cum CC. equitibus, & D. peditibus, & decimaoctava Maji intra Civitatem Saraceni violenter irruperunt . Tunc Chriſtiani fugam arripiunt versùs mare . Rex autem , & Magiſtri Trium Manſionum , & Johannes de Grilli , & ceteri bellatores , procedentes ad Portas Civitatis exierunt ad barbacanem . Sed major fuit virtus reſiſtentium . Ibique occiſus eſt Magiſter Templi ſpiculò percuſſus , & ad Templum uſque delatus eſt . Tunc cuncti , qui poterant , ad navigia ſe reducunt , & turbato mari plures ſubmerguntur . Patriarcha habens Galeam paratam , in parvo navigio volens cunctos juvare , cum eis ſubmergitur , ponens animam ſuam pro ovibus ſuis . Eodem die Tyrii Civitatem vacuam reliquerunt , & intra paucos dies omnis Syria amiſſa eſt . Intra annos autem XL. capta ajunt hæc loca : Hieruſalem, Aſcalonem , Zapham , Nazareth, Gazara , Cæſaream , Balutiam , Antiochiam, Zibelet, vel Biblum , Tripolim , Acon , Sur , vel Zit , Sidoniam , Baruthi , Tortoſam . Caſtra XII. nobiliſſima amiſſa ſunt . MCCXCII. Rodulphus Rex Alamanniæ moritur ſine Imperiali benedictione . Qui ſua probitate Regnum Alamanniæ in magna pace tenuit annis XVII. Eduardus Rex Angliæ eodem anno fingens ſe ad Terram Sanctam proficiſci , magnum apparatum faciens , Normanniam terram Regis Franciæ invaſit , & loca alia occupavit , & in Rocellam plures fecit inſultus . Hoc audito Rex Franciæ mandavit Regi Angliæ , & ejus Locumtenentibus in Guaſconia , ut malefactorum certum numerum in Petrigora in ſua conjicerent priſione . Contemto vero mandato , Rex Franciæ per ſuum Conſtabularium fecit in manu ſua totam ſaiſire Vaſconiam ad Regni ſui Feudum pertinentem, & Regem Angliæ ad ſuum Palatium citavit . Interea Johannes Comes Annoniæ cœpit vaſtare Terras & Gentes Regis Franciæ, nec correptus deſiſtere voluit. Unde Rex miſit Carolum Comitem Valeſii , cujus impetum Johannes non ferens , ad eum ſupplex acceſſit , & ad Regem perductus de omnibus ſatisfecit . Eduardus vero citationes plures contemnens , miſiſſe dicitur Regi Franciæ , quod ei quietabat quidquid ex ejus Feudo tenebat , intendens illud & plura ſine homagio poſſidere . Unde MCCXCIV. in Guaſconiam miſit claſſem , quæ Inſulam dictam Dure , versùs Rupellam , combuſſit & depopulavit . Et inde versùs Burdegalam navigans Caſtrum Blaviæ , & tria Oppida ſuper mare occupavit perfidiâ Vaſconum. Et dimiſsâ Burdegalâ , quia Conſtabularius Regis Franciæ intererat, apud Bajona ſtolum conduxit, quam proditione civium , expulſis Francis , in deditionem accepit . Comes autem Valeſii in Vaſconia Roncium fortiſſimum Caſtrum cepit , & Villam Sancti Severini . Sed hæc , eo redeunte in Franciam , a fide defecit . Bonifacius Papa ad componendum inter Reges duos Cardinales miſit .

CAP. CCXXXVI.

De Imperio Adulfi , & ſibi contemporaneis.

Cujus Particula I. de Imperatore, & Summis Pontificibus .

ADulfus Comes de Anaxone congregavit exercitum contra Albertum Ducem Auſtriæ , ubi occiſus eſt . Hic ſtrenuus fuit in armis , ſed , quia pauper in potentia , deficiens . Cæleſtinus natione Aprutinus , ſedit anno quaſi dimidio . Hic vocatus Petrus de Morone eremiticam agebat vitam . Hic Pontifex factus , viam innocentiæ tenuit . Decipiebatur tamen in gratiis conferendis , earum notitiam habere non prævalens tum propter ætatem decrepitam , tum propter inexperientiam . Et inveniebantur ter & quater gratiæ replicatæ , & vacuæ membranæ bullatæ. Hæc igitur aliqui de Collegio percipientes, ſubmurmurare cœperunt , Eccleſiam fluctuare . Et tamdem Papæ intimant , ut animæ ſuæ periculo caveat . Interim Curia transfertur Neapolim , & facta ſolemni proceſſione , ſupplicatur ei ex parte Regis & Populi, ut non cedat. Ille annuit . Modò paret . Poſt hæc nonnulli carnis ſuaſionem replicant, oſtendentes ſub pallio ſanctitatis poſſe animæ imminere periculum , quia ex ſua ſimplicitate multa evenirent enormia . Quibus tamdem vir Sanctus conſenſit , & primo Conſtitutionem facit de Fratrum conſilio , quod Papa in certis caſibus reſignare poteſt. Quam Conſtitutionem Bonifacius VIII. in Sexto poſuit *de Renuntiatione Cap. I.* Poſt Neapoli in Vigilia Sanctæ Cæciliæ in conſpectu Cardinalium reſignavit Papatus oneri & honori ; & Papatus deponens inſignia , præbuit humilitatis exemplum , ſtupendum cunctis, imitabile paucis . Hic fecit Cardinalem Dominum Landulfum de Neapoli , Dominum Guillielmum de Pergamo , Cancellarium Regis Siciliæ Caroli II. Dominum Johannem Monachi , & alios . Bonifacius natione de Anagnia

gnia ſedit annos VIII. menſes IX. dies X. Ceſſavit Epiſcopatus dies XX. Hic Benedictus prius vocatus eſt, qui longam habuit Curiæ experientiam, prius in Curia Advocatus, poſt Papæ Notarius, poſtea Cardinalis; poſtea in Cardinalatu expeditor ad caſus Collegii terminandos, & exteris ad reſpondendum. Nec habuit in iis parem. Sed ex hoc factus eſt faſtuoſus & arrogans, omnium contemtivus. Unde factus Pontifex, prædeceſſorum ſuorum Nicolai & Cæleſtini gratias revocavit. Abeuntem Cæleſtinum ad eremum detinuit, & in cuſtodia poſuit ad cautelam evitandi diſſidii. Aliqui muſſitabant, quod cedere Papatui non potuit. MCCXCV. de Neapoli Curiam transfert Romam, & Cæleſtinum recludit. Eodem anno ſtatuit feſta Apoſtolorum, Euangeliſtarum, & quatuor Doctorum Eccleſiæ eſſe duplicia. Alfonſo Rege Aragoniæ defuncto, ſucceſſit ei Jacobus frater invaſor Siciliæ, & factâ pace cum Carolo, unam de filiabus ejus accepit. Sed Fridericus alter frater Siciliam occupavit eodem anno. Sequenti autem Papa depoſuit duos Cardinales de Columna; & Sanctum Ludovicum Regem Franciæ adſcripſit catalogo Sanctorum. Eodem anno fecit publicari Sextum. Hic fecit inter alios Cardinales Fratrem Nicolaum Generalem Fratrum Prædicatorum, qui poſt eum Papa fuit, & Fratrem Gentilem Magiſtrum in Theologia, & Fratrem Jacobum nepotem ſuum Ordinis Minorum, & Fratrem Johannem de Murro Generalem ejuſdem Ordinis, & Petrum Hiſpanum. Eodem anno Scoti Regi Franciæ confœderati incurſant Regnum Angliæ. Sed in reditu eorum Rex Johannes a quibuſdam proditus Regi Angliæ deſtinatur. Rex Franciæ propter guerras gravem exactionem pecuniarum poſtulat, quæ *Malatolta* vocabatur. Et primo ſuper mercatores tantùm. Poſtea Centeſimam, poſtea Quinquageſimam tam a Secularibus, quàm a Clericis accepit. Propter quæ Bonifacius in Reges & Principes a Clericis & Eccleſiis talia auferentes abſque Papæ licentia ſententiam excommunicationis tulit. Frater Regis Angliæ in Guaſconia miſſus Bajonæ moritur; & quum gentis illius oppida Regis Angliæ victualibus munire vellent, Robertus Comes Atrebati, qui illuc miſſus fuerat, impedivit. nec contra eum adverſarii exire de cetero præſumſerunt.

Eodem anno Guido Comes Flandriæ per Robertum filium deceptus videtur. Regi Franciæ mandavit, ſe nihil ab eo tenere in Feudum. Rex vero Flandriam intrans, Inſulanos obſedit. Robertus autem Comes Atrebati relinquens Guaſconiam, ex parte illa Flandriam eſt aggreſſus, & multis Flandrenſium profligatis & captis, ac Pariſius, & per Villas alias carceratis, Villam de Furnes in deditionem accepit. Deinde Caſtellum cum tota Valle ſua occupavit. Interea Inſulani ſe Regi dederant, ſalvis perſonis & rebus, Roberto primogenito Regis Angliæ nimirum fugiente apud Bruges ad patrem & Regem Angliæ, qui paulo ante illuc venerat. Illuc autem Rege Franciæ accedente, Rex Angliæ cum Comite Gandavum vadit propter loci munitionem. Ideo territi Brugenſes ſe Regi Franciæ tradunt. Demum Rex Franciæ vadens contra Gandavum, nuntios recepit petentes inducias duorum annorum ob imminentem hyemem, & maxime ob amorem Regis Caroli Siciliæ, qui propter hoc veniebat in Franciam. Qui Rex vix annuens, circa feſtum Omnium Sanctorum rediit. Tunc Prælatis oſtendit Rex literas Papæ Bonifacii, quod in neceſſitatibus poſſit Eccleſiarum Decimas recipere, & unius anni Præbendas vacantes, Præſulibus exceptis, & Monaſteriis. MCCC. dedit plenam Indulgentiam omnium peccatorum viſitantibus ipſo anno Limina Apoſtolorum Petri & Pauli, & futuris temporibus omni Centeſimo conceſſit. MCCCIII. poſt ortam ſimultatem cum Rege Franciæ, Anagniæ, ubi putabat eſſe ſecurior, a familiaribus proditus, capitur in Vigilia Nativitatis Beatæ Virginis. Sentiens autem adverſariorum ingreſſus, quorum Vexillifer fuit Guillielmus de Nogareto, Pontificalibus indui voluit, tenens in manibus Crucifixum. Die autem tertio a Populo in armis redemtus eſt. Poſt paucos dies Romam ivit ad Sanctum Petrum, & XXXV. die a ſua captione deceſſit ex tremore cordis, & ab omni ſuperveniente putabat capi, & ideo in eorum oculos & facies manus injicere cupiebat. Benedictus natione Tarviſinus ſedit menſes VIII. dies XVII. Ceſſavit Epiſcopatus menſes X dies XXIX. Hic fecit Fratrem Nicolaum de Prato Epiſcopum Oſtienſem. Hic etiam denuntiavit excommunicatos auctores captionis Bonifacii, & nominatim Guillielmum de Nogareto, & Sciarram de Columna cum ſex aliis. Hic etiam reconciliavit, non tamen ad Cardinalatum reſtituit, illos de Columna. Et privilegia ac libertates Regi Franciæ reſtituit, quæ Bonifacius abſtulerat.

Particula II. de morte Palæologi.

VAcante Papatu per mortem Nicolai IV. Palæologus moritur, cui ſucceſſit filius Andronicus. Tunc factus eſt tumultus magnus in Conſtantinopoli per Calogeros acclamantes, Palæologum non debere ſepeliri in Cœmeterio, quia Latinis adhæſit, & uſque nunc inſepultus manet. Tunc etiam Rex Carolus de Provincia veniens, per Peruſium tranſit, & ad eligendum Pontificem Cardinales precibus inducit. Dura quoque verba cum Domino Benedicto Gajetani habuit. Nihil tamen profecit.

Particula III. de quibuſdam geſtis, & canonizatione Cæleſtini V.

IN MCCXCIV. Petrus de Macerata, & Petrus de Foroſempronio, Apoſtatæ fuerunt Ordinis Minorum, & hæretici. His petentibus eremitice vivere, ut Regulam B. Franciſci ad literam ſervare poſſent, Cæleſtinus ſuâ purâ, ſed periculosâ, ſimplicitate conceſſit, & ſibi adhærentibus. Quibus plures Apoſtatæ adhæſerunt, qui ſtatum communitatis damnabant, & declarationes Regulæ; & vocabant ſe Fratres Sancti Franciſci. Seculares autem vocarunt Bizocios, vel Fraticellos, vel Bocaſotos. Ii dogmatizabant, quod nullus Summus Pontifex Regulam Beati Franciſci declarare potuit. Item quod Angelus abſtulit a Nicolao III. Papatus auctoritatem, & ab illo tempore nullus fuit Summus Pontifex in Eccleſia, nec verus Prælatus, vel Sacerdos, niſi inter eos ſolum. Et quod ipſi ſoli ſunt in via Dei, & vera Eccleſia. Et mutaverunt illi duo ſibi nomina: Primus vocavit ſe *Liberatum*, ſecundus *Angelum*, quia angelicas ſe fingebat revelationes habere. Bonifacius vero quinto anno damnavit Sectam Fraticellorum, ſive Biſochorum dictorum. Et

quum inquireret contra eos per Inquiſitores, receſſerunt de Urbe in Siciliam, & ibi poſtquam ſatis comederunt & biberunt, ſurrexerunt ludere, & tubis arundineis tubicinare dicentes: *Exultet Eccleſia meretrix, exultet*. Et fractis tubis & uno Calice in contemtum Romanæ Eccleſiæ, tranſierunt in Græciam, & ſuos errores ibi publicaverunt. Papa autem prædictus mandavit Præſuli Conſtantinopolitano, & Archiepiſcopis Patrenſi & Athenienſi, ut contra eos & eorum receptatores & fautores procederent. Qui in Achaja ſe receperant. Tunc temporis frater Matthæus de Boſicis de provincia Provinciæ fugit cum Libris Petri Johannis de Biterris; & in Eccleſia Sancti Petri per quinque Biginos, & tredecim mulieres in Papam electus eſt, & fugit cum Angelo & Liberato & eorum complicibus. MCCXCVI Sequana totam Civitatem Pariſius inundavit (quod inauditum a ſeculis) & Pontes dejecit in Vigilia Sancti Thomæ. De canonizatione autem Cæleſtini poſtea apud magnos viros cura fuit. Demum datis examinatoribus in Curia per Clementem V. ad inſtantiam Regis Franciæ, & aliquorum aliorum Principum ſuper vita & miraculis ejus; ac inveſtigatis & inventis, & per Collegium approbatis, dictus Clemens ipſum Sanctorum catalogo adnotavit ſub nomine Sancti Petri Confeſſoris, per quem nunc ſua ceſſio approbatur. Actum eſt hoc Avinioni MCCCXIII. fuitque inſtituta ejus Nativitas celebrari XIV. Calendas Junii, quo die migravit ad Dominum.

CAP. CCXXXVII.

De Imperio Alberti:

Cujus Particula I. de ejus electione.

ALbertus filius Rodulphi, electus apud Aquiſgranum, per ſolemnes Nuntios confirmari petit a Bonifacio; qui primo Nuntios repulit, electionem aſſerens multis allegationibus eſſe nullam. Poſtea inter eum, & Regem Franciæ ortâ ſimultate, eum confirmat, eique Regnum Franciæ ſubjicit, ſicut cetera Regna. Imperiali tamen benedictione caruit, & occiſus eſt a nepote filio fratris ſui MCCCVIII.

Particula II. de Summis Pontificibus.

CLemens natione Vaſco ſedit annos VIII. menſes X dies XV. Ceſſavit Epiſcopatus . . . . Hic fuit Epiſcopus Convenarum annis quinque. Inde per Bonifacium Burdegalas translatus eſt. Hic recepto decreto Lugdunum profectus, evocatis ad ſe Cardinalibus, ibi coronatus eſt, & ibidem decem Cardinalium ordinationem fecit XVII. Calendas Januarias, & duos Cardinales de Columna reſtituit. MCCCIX. electionem Henrici confirmavit de menſe Junii. Eodem anno miſit Nuntios ad Regem Raſiæ, qui ad obedientiam Romanæ Eccleſiæ promiſerat ſe venturum, quia Veneti cum Carolo Sineterra concordaverant Imperium accipere; & vacuos remiſit. MCCCX. fecit aliam ordinationem quinque Cardinalium IX. Calendas Januarii. MCCCXI congregavit Concilium apud Viennam, & in prima Seſſione, XVII. Calendas Novembris propoſuit de agendis, videlicet de Ordine Templariorum, qui graviter culpabatur; de Paſſagio tranſmarino; & generaliter de Reformatione totius

A ſtatus Eccleſiæ, & conſervatione Eccleſiaſticæ libertatis. Inſequenti Martio, XI. Calendas Aprilis, multis vocatis Prælatis cum Cardinalibus in privato conſiſtorio Ordinem Templariorum caſſavit. Tertio autem die Aprilis MCCCXII fuit ſecunda Seſſio Concilii, & prædicta caſſatio coram omnibus publicata eſt. Tertia Seſſio fuit pridie Nonas Maji, fuitque Concilium protractum quaſi menſes VII. Eodem anno X. Calendas Januarii produxit Conſtitutiones prius editas, & intendebat Septimum Librum Decretalium componere. Sed morte præventus non potuit.

Particula III. de quibuſdam contingentibus.

B MCCXCIX. Saraceni Armeniam diſcurrerunt, Caſtra & loca fortiſſima occupantes. Rex autem Johannes ſe ſuoſque in montibus ſalvans, in arcto poſitus, Tartarorum implorat auxilium, eoſque contra Saracenos initigat, oſtendens plurimam habituros prædam. Eodem anno Dux Calabriæ Robertus filius Regis Siciliæ navigio Siciliam intrans, quædam Caſtra occupavit, & ſua gente munivit. Cujus felix auſpicium frater ejus Philippus Taranti Princeps, ſequens minus caute, cum gente ſua a Siculis captus fuit. Factâ tunc pace inter Reges Franciæ & Angliæ, Rex Angliæ Margaritam ſororem Regis Franciæ accepit uxorem, de qua Thomam filium habuit.
C Tranſacto termino treugarum inter Reges Franciæ & Angliæ, Carolus Comes Valeſii contra Flandrenſes mittitur, & cum Gandavum obſidere diſponeret, Comes Guido cum duobus filiis Roberto & Guillelmo ſupplex ad Carolum acceſſit, & Terram ſuam ei ſub quibuſdam conditionibus dedit. Qui ad Regem perducti Pariſius in diverſis locis uſque ad tempus miſerationis ſub cuſtodia miſſi ſunt. Mortuâ tunc conjuge Caroli Valeſii, duxit Catharinam, cui jus Imperii Conſtantinopolitani debebatur. Ideo cum Venetis compoſuit pro Conſtantipolitano Imperio recuperando. Et venit Romam MCCC. & a Papa
D Bonifacio honorifice ſuſceptus, Vicarius & Defenſor Eccleſiæ conſtituitur, & per totum annum adverſarios Eccleſiæ ſuppeditavit in Tuſcia. MCCCI. Ferrariæ corpus cujuſdam Armanni, quod venerationi a quibuſdam habebatur, mandato Inquiſitorum exhumatum, & combuſtum eſt. Eodem anno Primus Apamienſis Epiſcopus, qui de Rege Franciæ in multis locis multa contumelioſa diſſeminaverat, & conſpirationem contra Regem provocabat, ad Regis Curiam evocatus, ut ſe de objectis purgaret, ſub nomine Narbonenſis Archiepiſcopi, de voluntate ſua, in cuſtodia detinetur. Hoc audito Papa Bonifacius Narbonenſem Archidiaconum miſit cum literis, unde
E indilate Epiſcopus ſibi redderetur; & quod Rex ſe noſſet, Romano Pontifici tam in ſpiritualibus quam in temporalibus eſſe ſubjectum; revocans etiam gratias Regi factas de Decimis & Præbendis vacantibus. Rex autem reddens Epiſcopum, Nuntio mandavit, ut de Regno ſuo feſtinanter recederet. Conſequenter Rex congregans omnes Principes & Magiſtratus Regios, & Milites, & Prælatos, ſciſcitavit, a quo ſua tenerent Feuda? Et quum omnes reſpondiſſent, a Rege Franciæ, tunc ille promiſit corpus & omnia ſua pro libertate Regni conſervanda exponere. Similiter & Barones promiſerunt pro libertate Coronæ. Tunc

Rex

Rex præcepit, nullum theſaurum de Regno extrahi, & fecit paſſus diligentiſſime cuſtodiri. MCCCII. Comes Valeſii juſſu Papæ de Tuſcia in Siciliam profectus, Thermæ Caſtrum in ditionem accepit. Apud Bruges propter illicitas exactiones ab Officiali Regio, nil valente reclamatione apud Regem, minutus Populus contra Majores inſurgens, ſeditionem commovit. Ad hos motus moderate corrigendos Rex Franciæ ſub Jacobo Sancti Pauli Comite mille viros in armis & amplius miſit, qui a Brugenſibus reverenter ſuſcepti ſunt. Sed informati Brugenſes, quod prior Officialis Regis ſe jactaſſet, quamplurimos Brugenſium in craſtino ſuſpendi facere, deſperatione conceptâ, enorme facinus præſumſerunt. Evaſit tamen Officialis prædictus hic rabiei incentor. Expulsâ quoque gente Regis, Guidonem Namurſii, Guidonis Comitis Flandrenſium filium, in ſuum defenſorem & Dominum vocaverunt. Qui Theotonicorum vallatus multitudine, eos ad debellandum fortius animavit. Tunc miſſus eſt contra eos Atrebati Comes. Franci videntes adverſarios venire pedites, quaſi textores & mechanicos deſpiciunt, & amotis ſuis pedibus abſque belli ordine in eos irruentes, a lanceis Brugenſium primi euntes in morte coacti ſunt, ceteris turpiter fugientibus. Comes autem Atrebatenſis a Guardiano Fratrum Minorum denudatus, & triginta vulneribus confectus invenitur, & in quadam proxima Cappella Monialium ſepelitur.

Eo tempore Prælati Regis Franciæ conſilium habentes, pro eo quod ad Curiam vocati fuerant, Papæ ſe excuſant, quia theſaurum opportunum non poſſent de Regno extrahere. Epiſcopos tamen tres pro ſe mittunt, ne poſſent de inobedientia reprehendi. Rex quoque Epiſcopum Autiſſiodorenſem mittit, rogans, ut ſuperſederet uſque ad tempus magis opportunum. Comes Valeſii totâ æſtate per Siciliam diſcurrens, animalia quidem ſuæ genti neceſſaria invenit, ſed obvium ſibi nullum reperit. Audiens vero nova de Flandria, ſuorum conſilio ad ea quæ ſunt pacis intendit, ſub hac forma, ut ſcilicet Fridericus toto tempore vitæ ſuæ Siciliam abſque Regis nomine poſſideret; & quidquid in Calabria teneret, dimitteret, & Alienoridem filiam Regis Caroli acciperet; & quod ipſe Carolus & Robertus Dux Calabriæ fideliter laborarent apud Regem Aragoniæ, quod jus Regni Sardiniæ, vel Comes de Brenna jus Regni Cypri Friderico darent, conſentiente prædictis Romano Pontifice. Prælatis Franciæ in Curia non comparentibus, Bonifacius miſit Cardinalem Johannem Monachi, qui habitum Prælatorum ſecretum conſilium Pariſius ſcripſit Papæ. Apud Sanctum Adamarum in Flandria quindecim millia Flandrenſium a Francis cæſa ſunt. MCCCXXXIII. Rex Franciæ Terram Guaſconiæ, quam diu occupatam tenuerat, Regi Angliæ reſtituit, & firmata eſt pax inter eos. Ipſo tempore Rex Franciæ convocavit Barones & Prælatos Pariſius, ubi tractatum eſt de Rege Franciæ & Prælatorum gravaminibus, quæ, ut communiter dicebatur, Papa illi inferre volebat. Ibi publice impoſita ſunt Papæ hæreſis, ſimonia, homicidium, & alia nefanda. Et fuit appellatum, donec Papa Concilium congregaret. Sed Papa Concilium ad ſui purgationem fieri denegavit. Et quia multos offenderat, Anagniam, unde oriundus erat, ſe tranſtulit, ubi captus fuit. MCCCIV. Rex Franciæ Papæ Benedicti literas legi fecit in Curia; quibus ipſe & Regnum ſuum abſolvebatur ab excommunicatione, quæ a Bonifacio credebatur illata, & concedebantur ſibi Decimæ duorum annorum. Tunc Rex tertio ivit in Flandriam, cujus copias juxta Montem Pabulam debellavit, & Inſulani depoſitis armis ſe reddiderunt. Et ceteris Villis treuguis datis in Franciam rediit. Guido Comes Flandriæ, qui apud Compendium diu detentus fuerat, & hoc anno in Caſtello Pontiſaræ cum tribus filiis Roberto, Guillielmo, & Guidone, Flaminicii moritur, & juſſu Regis apud Minores tumulatur. Regina Franciæ Johanna ſimiliter moritur, & Pariſius apud Minores ſepelitur. MCCCV. Clemens confirmavit Regem Aragoniæ in Regno Sardiniæ, & ille juravit Papæ fidelitatem pro dicto Regno, promittens ſub juramento aſcendere ad dictam Inſulam de menſe Septembri proximo futuro.

Particula IV. de Sancto Ludovico.

IN prædicto MCCCV. XIV. Kalendas Septembris, Rex Angliæ de Scotis totaliter triumphans, eos privat Regiâ dignitate, & Scotiam Anglorum provinciam facit. Sequenti anno Scoti Regis dominium non ferentes, ſibi Regem præficiunt, contra quos Rex Angliæ filium miſit, & ſuperatus] eſt.] Eodem anno Eduardus moritur ſenectute & armorum labore preſſus, ita ut in lectica portaretur. Cui ſucceſſit Eduardus primogenitus, qui Iſabellam filiam Regis de Regina Johanna accepit uxorem. Beatus Ludovicus de Ordine Minorum Epiſcopus Toloſanus ex hoc ſeculo migravit ad Chriſtum. Hic admodum puer ih aula paterna & Regia ætatem moribus tranſcendens, nulli voluptati animum dedit; & quum fratres & ſocii puerilibus jocis intenderent, ille ſemotus vel orationibus, vel ſacris meditationibus intendebat. Nil puerile agebat in opere. Quum vero ad annum XIV. perveniſſet, pro patre in Catalonia obſes fuit. Exinde ſemper adſtiterunt ei viri religioſi de Ordine Minorum, a quibus bonæ indolis adoleſcens ſumſit legem vitæ & diſciplinæ. Jamque puer ſortitus animam bonam, magno animo ſuas ſuorumque portavit injurias, & multa humilitate ſibi ac fratribus attentata opprobria toleravit. Factus annorum XVI. cœpit eſſe mundi, ſuique contemtor. Speculabatur frequenter imagines & formas hominum mortuorum, ut amplius ſibi mundus vileſceret. Tantùm cœpit timore Altiſſimum, tantùm Dei formidabat offenſam, ut aliquando diceret, gratum ſibi fore per Caſtri crepidinem detrahi, quia vita hæc nullo modo eſt appetenda, in qua ſumus inimici Dei, & frequenter eum offendimus, ad minus venialiter delinquendo. Servandæ pudicitiæ curam egit pervigilem, & jejuniis, vigiliis, & orationibus carnem cogebat ſervire ſpiritui. Vigilias Domin; in pane jejunabat & aqua; ceteras Vigilias, & Adventum Domini, etiam quum neceſſitas ſuaderet, & ſociorum inſtantia hortaretur, nolebat abſque communi ſaltem tranſire jejunio. Familiarem loquutionem non admittebat, niſi cujus ſibi honeſtas, ac vita laudabilis nota eſſet; utque corporei nitoris teſtes haberet aſſiduos, tam ſui quàm cameræ cuſtodiam commiſit continuam, vixque & raro Seculares admittebat perſonas. Omni die Miſſam audiebat devote, & in Miſſa volebat audire ſermonem. In magnis præcipue Feſtis communicabat devote, & poſt Nonam facie-

bat dici Letaniam cum cereo accenſo, & totam familiam convocabat. Tantis fulgebat exemplorum ſplendoribus, ut deputati ad ejus cuſtodiam, ad Deum converſi, confiterentur peccata, dicerentque, quia Omnipotens in poſterum ipſius meritis multa eſſet facturus miracula.

Licèt autem in oratione eſſet aſſiduus, numquam tamen pro ſua liberatione orare voluit, niſi ſemel; idque ſub conditione, videlicet, ſi animæ ejus ſaluti congrueret. Poſtquam autem orationi vacaverat, ad lectionem tranſibat. Ajebat enim, ab una ad alteram tranſeundum. Infra quinquennium Grammaticam, Logicam, Moralem Philoſophiam, & quod majus eſt, Sacram Theologiam ſic ebibit, memoriterque retinuit, ut eruditi Viri de fama ſcientiæ ejus increduli, auditis colloquutionibus atque arguitionibus & reſponſionibus ex ore ejus, ſumtâ experientiâ, ſtupefacti recederent. Interea, ut funditus mundum relinqueret, diſponit ſerio, & pertractat juri renuntiare principalis hereditatis & Regiæ. Et tamdem per votum expreſſum ſe Domino obligavit, quum liber foret, Ordinem intrare Minorum. Interim vero Pater illi per Confeſſorem ſuadet, ut conjugem accipiat ſororem Regis Francorum, ſpondens illi continuo dare Provinciam. Perhorret ille virginali propoſito continentiæ ſuadelam, & in die ſancto Pentecoſtes Cappellam ſolus introivit, & Votum perpetuæ caſtitatis emiſit. Quum autem ad annum XXI. perveniſſet, libertate donatus, Narbonæ Ordinem Fratrum Minorum introire voluit; ſed non adfuit, qui recipiendi facultatem haberet. Invento autem in Monte Peſſulano Provinciali Miniſtro, ad Ordinem recipi inſtanter petiit. Miniſter vero Regalem excellentiam offendere reformidans, pio ejus deſiderio nequaquam annuit. Tunc juvenis Deo gratus, quod potuit, hoc fecit; Votum caſtitatis perpetuæ in manibus iteravit ejuſdem Miniſtri, promittens ſe ad intrandum Ordinem paratum & promtum, quandocumque eum Fratres recipere vellent. Et ſubintulit: *Quod meum eſt, feci. Vos videritis, quid agere debeatis*. Cupiebat tamen remoto loco ignotus eſſe, ut contemplationi ac humilitatis obſequiis liberius vacare poſſet. Cernens autem, quod taliter ſuum deſiderium implere non poterat, elegit fieri de ſorte Domini, & militare Domino in ordine Clericali. Quum autem tonſurari debuit, genua flectens, & demiſſo capite, Pſalmiſtæ dicebat verſiculum: *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei. Tu es, qui reſtitues hereditatem meam mihi*. Et hoc promebat tam dulciter, tam devote, ut nullus aſſiſteret, qui non provocaretur ad fletum. In Nativitate Domini Romæ in Cappella Papæ Acolytatus humiliter egit officium, ante altare ſedens in medio Clericorum, non dedignans humilem locum, illius amore, qui de regalibus ſedibus deſcendit ad ima. Ipſo die ad Sanctum Petrum in Miſſa Majori cereum portavit humiliter coram Summo Pontifice, non erubeſcens Cardinalium, & Prælatorum aſpectum, non Cleri & Populi frequentiam, qui adſtabant.

Suſcepturus Ordines Sacros, ad partem locari non conſenſit, ſed quaſi unus ex turba, nullâ voluit prærogativâ pollere. Et factus Subdiaconus vaſis aureis & argenteis uti noluit, nec variis pellibus griſeiſque. Sed nec alio animali, quam mulo vehi. Cappam quoque uſque ad mortem portavit ſtamineam. Solicitus etiam erat de aliorum ſalute. In Catalonia enim multos baptizavit, factuſque eorum patrinus, eleemoſynas illis ſolicite miniſtrabat. Manu propria duos Judæos baptizavit Neapoli. Factus autem Minor in Vigilia Nativitatis Domini, & de licentia Summi Pontificis, continuo profluvio lacrymarum, emiſsâ profeſſione, numquam habitum, mantellum, vel cappam pretioſam admiſit, licèt ipſa die pronuntiatus fuit Epiſcopus Toloſanus, & ſequenti Dominicâ conſecratus. Sed & pauperes dilexit, eoſque viſitare ſtuduit, monuitque infirmos, præcipue de animarum ſalute, & purâ confeſſione peccaminum. Semel procuravit ad ſe duci leproſum, & cum quanta potuit caritatis dulcedine, blande conſolatus eſt, voluitque in ſuo lecto reponere, niſi aliqui obſtitiſſent. In craſtino vero eum fecit diligenter perquiri, ſed inveniri non potuit. Vocatus ad comeſtionem, prius ſuſpirabat mortalitatis & miſeriæ hujus ſtatum, & aliquantiſper orabat. Demum tredecim pauperibus devotiſſime ſerviebat. Poſt Epiſcopatum vero vigintiquinque aquam præbebat manibus, & panem ſcindebat flexis genibus, quaſi Chriſtum haberet præſentem; & ferculum primum ſuis manibus cum tanta caritatis ponebat dulcedine, ut ſæpe adſtantes provocaret ad fletum. Licèt enim in cunctis polleret virtutibus, honeſtas tamen, caritas, & humilitas in eo ſpecialius refulgebant. Exemtionem enim ſuadentibus, id reſpondebat: *Beati Angeli non deſiderant non ſubeſſe Archangelis*. Tamdem arduis urgentibus negotiis, ad Comitatum tranſiit Provinciæ. Quum ad Villam, quæ Brigola dicitur, perveniſſet, gravi, de qua deceſſit, infirmitate gràvatus, puram ſuo more confeſſionem præmiſit, patientiſſime infirmitatem ſuſtinens; orationi continue deditus, requirebat ſæpius Crucem Chriſti, Miſſaſque in camera audire volebat. Poſtremo putantibus medicis abeſſe periculum, ipſe ait, extremum ſibi imminere agonem. Et orationem illam: *Domine Deus Omnipotens, qui ad principium hujus diei* &c. ſæpius replicavit. Et converſus ad quemdam fratrem ait: *Vos non creditis, quia mori debeam? & tamen ſtatim videbitis*. Et ex tunc amplius loquutus non eſt. Sed tam dulciter & quiete emiſit ſpiritum, ut vix hora adverti potuerit, quâ exſpiravit. Et factus eſt poſt mortem pulcrior quam ante infirmitatem fuerat; & adſtantibus dormiens, non mortuus videbatur.

Sanctiſſimum autem Corpus ejus, juxta quod decreverat, Maſſiliam deportatum eſt. Ibi quum agerentur exſequiæ, in capite Chori cum habitu & mantello pulcra & læta facie viſus eſt a Seneſcalco Provinciæ Milite veridico & celebri, & a Domino Roberto de Bauſo Vicario Maſſiliæ. Et dicto; *Requieſcat in pace*, ille quidem diſparuit, & Angelicis ſociatus eſt choris. Poſt felicem vero tranſitum ejus, cœpit continuo miris ſplendere miraculis. Inter cetera autem quindecim mortui rediere ad vitam. Venerabiles autem Archiepiſcopi Arelatenſis, & Ebredunenſis, Aquenſis, eorumque ſuffraganei, ac Cives Maſſiliæ eadem ipſa ſerioſius explicantes, ſupplicaverunt devotâ inſtantiâ præfato Summo Pontifici, qui ſanctitatis vitæ ipſius non erat ignarus, ut eum, quem Deus tantis & tam continuis clarificabat miraculis, Sanctorum catalogo dignaretur adſcribere. Sed quia in iis Romana Sedes cum multa

multa maturitate procedit, & Summus Pontifex A ante exactæ diſquiſitionis indaginem vitâ functus eſt, iidem Prælati, Civeſque Maſſiliæ ſucceſſori ipſius Clementi V. per ſolemnes Nuntios porrexerunt ſupplicationem eamdem, multiplicata ajentes miracula, & teſtimonia ſanctitatis. Iis perceptis Summus Pontifex ſolitâ in hiſce maturitate procedens, Guidoni Zantonenſi, & Raymundo Lacconienſi Epiſcopis, egregiis ac literatis viris, de Fratrum ſuorum conſilio per Apoſtolica ſcripta mandavit, ut de vitæ ipſius meritis veritate diligentius inquiſitâ, quidquid ſuper iis invenire contigerit, ſcriptum fideliter, & ſub ipſorum ſigillo, per certos & idoneos nuntios delegarent. Ipſi vero ad complenda mandata Maſſiliam perſonaliter B accedentes, quæ denuntiata fuerunt Summo Pontifici tam de miraculis quam de vitæ ſanctitate per teſtes plurimos ac fide dignos vera fore reperiunt, & juxta formam mandati ſub propriis tranſmittunt ſigillis. Tunc Summus Pontifex tranſmiſſam inquiſitionem nonnullis Cardinalibus diſcutiendam commiſit; & ex luce hac, pendente diſcuſſione, migravit. Poſt hunc Johannes Papa XXII. Eccleſiæ præfuit. Hic Magiſter Sancti Ludovici non modico tempore fuit. Hic ex continua converſatione cum eo, & de ſanctitate ipſius certior erat, puta qui ejus geſta & acta & vidit oculis, & manibus contrectavit. Ideoque cœpta ſecurius ad debitum finem deduxit, & inquiſitionem C præfatam examinari fecit per plures Dominos Cardinales. Quâ tamdem & a cunctis Cardinalibus approbatâ, idem Summus Pontifex de Fratrum ſuorum conſilio, & omnium Prælatorum, qui tunc erant in Curia, communi aſſenſu, canonizandum decrevit; & miris, quæ longum foret enarrare, ſolemniis, Sanctorum adſcripſit catalogo, Anno Domini MCCCXVII. Idibus Aprilis, Pontificatus ſui anno primo, in Civitate Avinione, ubi tunc Romana Curia reſidebat, præcipiens feſtum ejus XIV. Kalendas Septembris a cunctis fidelibus devote & fideliter celebrari; ipſa die viſitantibus ejus Sepulcrum dans Indulgentiam duorum annorum, & duarum quadragenarum. Infra octavam au- D tem unum annum & dies quadraginta. Anno quoque Domini MCCCXIX. Idibus Novembris, idem Summus Pontifex ad Tranſlationem ipſius miſit ſex Cardinales, & in præſentia Regis Hieruſalem atque Siciliæ, germani ejus ac Reginæ, multorum Prælatorum ac Baronum, concurrente etiam Cleri ac Populi mirâ multitudine, cum miris ſolemniis, & reverentiâ multâ, Corpus de terra levatum eſt, & in argenteo & ornato ſarcophago ſuper Altare reconditum in Eccleſia ſumtuoſo opere ad ipſius dedicata honorem; ubi mirabilis Deus in Sanctis ſuis ſtupenda miracula operatur. Nam per ipſius invocationem & merita votis emiſſis a propinquis & notis, quindecim E verè mortui rediere ad vitam. Multa quidem & alia exſtant miracula, quæ juxta morem gratiâ brevitatis in hoc Libro ſcripta non ſunt. Nam circa viginti variis legi infirmitatibus liberatos, & totidem juxta Notarium haberi, & in quinternis alios ultra ducentos. Quæ omnia manu publica ſcripta & diligenter examinata de mandato Maſſilienſis Epiſcopi, ab iis dumtaxat expoſita, qui & oculis viderunt, & manibus contrectaverunt, & firmata ſunt præſtito ſacramento.

Particula V. de ceteris contingentibus.

ANno MCCCVI. in feſto Magdalenæ fuerunt capti omnes Judæi & expulſi, confiſcatis eorum bonis in Regno Franciæ. Eodem anno Hoſpitalarii invaſerunt Inſulam Rhodi, & habuerunt eam. MCCCVII. Templarii Fratres ſubitò in toto Regno Franciæ capti ſunt, & tamdem depoſiti in ſequenti Concilio Generali.

CAP. CCXXXVIII.

De Imperio Henrici VII.

Cujus Particula I. de geſtis ejus.

HEnricus ex Comitibus de Lucemburch, operibus quam opibus memorabilior, in feſto Sanctæ Catharinæ electus, & in ſequenti Epiphania Aquiſgrani coronatus, ſequenti Anno, ideſt MCCCIX. ad Papam Clementem miſit Nuntios tres Comites & duos Archiepiſcopos, petens coronationem Imperii. Qui menſe Aprili confirmavit electum; tempus coronationis aſſignans poſt biennium, feſtum Purificationis Virginis. Hic ſtrenuus in agendis, & acris in hoſtes, pacatis uſque ad Oceanum Alamanniæ finibus, primogenito in Regno Bohemiæ coronato, quia Romanum tunc vacabat Imperium, Carinthiæ Duce ſubmoto, ad partes Italiæ diviſione concuſſas venire diſponit, pollicentibus ſubſidia non paucis, qui a concivibus in Lombardia ac Tuſcia pulſi erant. Igitur præmiſſis Epiſcopis ac Legatis, ut Populorum favorem ſibi conciliet, denuntians in pace degentibus, ſe eorum laudabiles approbare mores, invidiam paſſis reſtitutionem, univerſis pacem, Alpes tranſgreſſus, Italiam adiit. Occurrerunt autem Taurini ingreſſo ex Lombardia & Tuſcia complures. Inde Aſtem properat, & cunctos pacificans, Vicarium inſtituit. Cœperunt oppreſſi ſperare remedia; qui concives pepulerant, novitatibus deterreri. Quorum Philippus Papiæ Comes, Simon de Colubrano Vercellarum, & Antonius de Fiſiraga Laudi, Rectores, paribus votis ſtatum Urbium, ſalutem civibus ſuadere conati, in reliquas obtinendas partes auxilia Cæſari promiſere. Quibus Rex, eorumque Populis pacem pollicitus, juſſit, æquo animo eſſe ac bene ſperare. Conſequenter Albuini & Canis de Scala Nuntii, deinde Piſani grandia obtulerunt. Interea Gallis, Germanis, Italiſque ad Cæſarem confluentibus, Guido de la Turre Mediolani Præpoſitus, milites intus diſtrictus ſui fines continuit, & munitionum ac Urbis vigilem curam egit, veritus ne partiales Maphæi de Vicecomitibus contra ſe molirentur. Uno menſe hinc Rex Urbis commotionem exſpectat. Inde Guido inſtabilem fidebat regere exercitum, & Lombardiæ ac Tuſciæ præſtolatur auxilia. Deinde Rex Guidoni appropiat, ut illi fiat formidini factionis audaciâ, & Guidonem interpellans, ut regalibus juſſis obtemperet, Vercellas introivit. Annuit Guido. Auxit vero tam validè Mediolani deditio Regis famam, ut omnis Lombardia, Alexandriâ demtâ, fidelitatis juramenta præſtiterit. Bononia vero ad rebellionem ſe præparat. Padua in propoſito mente vacillat. Tunc Cæſar MCCCXI. Mediolani in feſto Epiphaniæ a Diœceſano unam ſuſcepit de Coronis Imperii; quod Mo-

Modoëtia ægre tulit, ubi id fieri conſuevit. Parvo poſt tempore, dum cuncta pacata videntur, gravis emerſit turbatio. Quum enim in Regis adulationem hinc Guido, inde Maphæus, majorem ſuaderet regio Fiſco contributionem fieri, centum millium Florenorum ſumma taxata eſt. Quo audito cœpit Populus palam Regi detrahere, ſervitutem aſſerens ſe commutaſſe, non evaſiſſe, & Theutonicorum importabilem eſſe furorem. Et dum acrius colligendæ inſtatur pecuniæ, in Prætorii Forum ad arma clamantis vox audita, univerſam faciliter commovit Urbem. Tunc Cæſaris Principes proſiliere cum ſuis, quorum nonnulli ad Turrianorum loca, quaſi magis ſuſpecta, occurrentes, triginta haſtatos repeB riunt, qui concurſum Regiorum equitum, licèt prius victores, quum ferre non poſſent, in fugam converſi ſunt. Jungitur exinde Theutonicis Galeaz Maphæi filius, & ſævit in hoſtes. His cognitis prœlia ubique revixere & diffidia. Crema & Cremona pulſis Vicariis excuſſere jugum. Regini expulere fautores Imperii. Madii Brixiæ paulo ante dominatores in Thebaldum de Bruſatis & ſuos paulo ante Imperatorio juſſu receptos inſurgunt, atque ſuccumbunt. In Parma Rubei per Cæſarem introducti cum Giberto de Corrigia initam pacem frangentes, victi Urbe diffugiunt.

Talibus eventis ſtupefactus Cæſar, poſt deliberata conſilia, ut Regii corripiantur domeC ſtici, Mediolanenſium reconciliatio fiat, commotionum harum cauſſæ dulciter perquirantur, pecuniarum moderentur exactiones, vocatis familiaribus ſuis, ait: *Deum obteſtor, commilitones, neceſſarii, atque propinqui, quia multa me honorum ac temporalium rerum affectio ad hos turbines commotionum adducit. Deum ſurſum clementem, Populum deorſum intueor. His ducibus vehor. Eorum de proximi cura & dilectione mandatis adſtringor. Quis, oro, proximus meus eſt? Germanus, vel Gallus, Longobardus, vel Tuſcus, cui hunc ſingularem impendam affectum? Proh nefas! ad quid veni? Num incenſor ſchiſmatum antiquorum. Si quos veſtrûm delectant talia, retrorſum abite, aut* D *....... ſævire auctoribus, non me principe vel ductore. En, Italia diu talibus concuſſa vulneribus juſta indignatione hujus refugii ... . quæque monente natura, perniciosa devitent.* Poſt hæc miſſi ad reconciliandam Cremonam audiunt Populum inediâ afflictum, impotentem ad gravem contributionem; Theutones datâ licentiâ in Latinos ſævire; Vicarios inſtitui Gibellinos, ut Guelfum abradant; proinde amicorum communicato nolunt reſpondere conſilio. Interea Legati Januenſium ſubjectionem profeſſi, ad coronationis conductum propriis ſumtibus navigia ſpondent. Amadeus Sabaudiæ Comes Cremonenſium populationem indixit, & Cæſareos ut Imperii rebelles damnaE vit. Laudi autem Civitate Cæſari tradita, omnis Cremonenſium virtus periit, & Cæſari Civitas data eſt. Brixienſes propter præteritos contemtus, abjecta reconciliationis ſpe, ſegetes & quæque viridia colligunt, imbelles abjiciunt, pro defenſione cuncta diſponunt. Interea Cæſar ſuæ coronationis dilationem accepit, & Paduæ Nuntii Civitatem Cæſari ſubjiciunt. Legati Cæſaris Venetiis, nulla quæſita fidelitate, ſolam petunt navigii copiam, ſi neceſſe fuerit, ad coronationis progreſſum. Eiſdem Legatis ſubjiciuntur poſtea Tarviſini. Et Brixia Cæſari poſt varia bellorum & cladum

A hinc inde tormenta, mediatore Cardinale Domino Luca de Fliſco, tradita eſt. Placentia Vicarium ejus ſuſcipit, Alberto Scoto repulſo. Audiens vero Imperator factiones & rebelliones multiplices Lombardorum, Guarnerium de Hœmbruch fecit Præſidem Lombardiæ, ut emergentia hujus coërceret. Sed vix cum centum intra Placentiam receptus, audit, Guelfos per Vicarios ubique gravari, & hoc impatientiæ cauſſam eſſe, & hac quaſi repulſa, Guarnerius redit. Tunc illuſtriſſima Regina Margarita defuncta eſt, & ſepulta in loco Minorum Januæ, MCCCXI. in feſto Sanctæ Luciæ. Venerunt deinde Piſanorum Legati quaſi ad Auguſti ſolatium plurima pollicentes. Venit & Rizardus Gambateſa Secretarius Regis B Roberti, & magnorum Principum ambitione introductus eſt. Paucis tractatus innotuit, & infecto negotio rediit Nuntius. Cæſar vero Comitem de Sabaudia ad Urbem mittit, qui per Columnenſes introductus, Lateranum conſcendit. Tunc Urbs in varia vota diviſa ubique patebat diſcrimini. Admiratus etiam Friderici Regis aliqua tractaturus advenit, poſt paucos dies reverſus Siciliam. Florentia cum ſuis complicibus, ſimiliterque Bononia, Degonem Mareſcalcum Regis Roberti cum militum præſidio venientem ſuſcipiunt; & jam minuuntur Cæſaris opes. Jam gravati Januenſes contributione ſexaginta millium aureorum C publice clamabant. Proinde mittit fidelibus ſuis Piſanis, ut in tantis neceſſitatibus mittant præſidia. Paduani iis auditis, a muris pictas Aquilas detraxerunt.

Poſt hæc egreſſus Januâ Cæſar, in Portum Veneris quaſi diebus XL. perſtitit tempeſtate ſubortâ. Inde Piſas profectus, nullo ſtrepitu, Romanorum tantum factionibus confiſus, per Plumbinum ac maritimam Viterbium petiit. Exinde a Clero & Romanorum parte Romæ ſuſceptus, in Lateranenſe Palatium introductus eſt. Et poſt convivium quaſi familiare; evocatis Nobilibus ait: *Quid me, o Quirites, huc attraxit? Amor certe Romani extollendi Imperii; cujus pæne defectione Romanus munD do, quaſi barbarus, fit ignotus. Quid frequentes literas? quid nuntii celebres toties petiere? niſi ut meum carum viſitem Senatum, Populumque Romanum. Venio ne violentus invaſor? A Clemente Papa miſſus, tres Cardinales teſtes adduco. Fruſtra ne ergo miſſus adſum? Vocatus adveni. Sciam proinde in hujus caritate convivii, quæ vos vota allicuerunt; quibus vobis fulcientibus adjuver, id edat optio ſingulorum.* Tunc Stephanus de Columna ſe, ſuos, & ſua deſpondit. Nicolaus de Milite, Militiæ decus a Carolo ſe ſuſcepiſſe ait, proteſtans ſui eſſe propoſiti, ejus poſteris nullatenus adverſari. Anibaldus de Anibaldis, & Johannes de Sabellis, & Thealdus de Campo E Floris, ſe obtulerunt contra omnes, Cæſari parituros, ſuæ cognationis viris dumtaxat exceptis. Erant enim Urſinorum affines. Quam conditionem Cæſar ægre tamdem admiſit, & in ſcriptis redigi imperavit. Et Stephanum quidem, datis obſidibus, liberum abire permiſit, ceteros retineri juſſit, & fortilitia reddi. Hinc inſultus oriuntur, vulnerationes, & cædes; privata quoque odia publice deteguntur. Vincunt primo Cæſaris partes, poſtea dilabuntur. Et creſcente Urſinæ famâ victoriæ, fautores Cæſaris ſubtrahuntur. Admiratus quoque Regis Roberti vocatos a Cæſare Piſanos baliſtarios invaſit, fuditque incautos. His


Cæſar

Cæſar agitatus anguſtiis, ſoli expediendæ coronationi intentus in Laterano, quum in Eccleſia Apoſtolorum Petri & Pauli non poſſet, aureum diadema ſuſcepit. Arctatus deinde victualium & pecuniarum inopiâ, & Romano ob quæſitam contributionem turbato Populo, Tibur Cæſar abiit, relicto cum Columnenſibus in Urbe CCCC. militum manipulo. Ad Johannem autem Regis Roberti germanum undique milites confluebant; donec Papalibus reſcriptis tam Cæſaris, quàm Regis Roberti copiæ pelluntur ab Urbe. Poſt hæc Cæſar fortunam in mari experiri conatur, viſus per nuntios tractare varia, & plurima polliceri. Et profectus uſque Orgiam fluvium, peractâ cœnâ in fluvii ripam conſcendens, tinctis ob refrigerationem in aqua cruribus, ſubeuntem ſenſit languorem. Et compertâ ſub dexteri cruris genu puſtulâ, quæ *Antras* vocatur, noctem duxit inſomnem, & dato mane ſigno tollendorum caſtrorum, Bonconventum properat, pagum XII. milliariis a Sena diſtantem, ibique viam univerſæ carnis ingreſſus eſt, Regni ſui anno V. Imperii autem anno primo, menſe uno, & diebus XXIV. in feſto Beati Bartholomæi. Quo die Conradinus a Carolo ſuperatus eſt.

Particula II. de quibuſdam contingentibus.

MCCCVIII. captus eſt Dulcinus Hæreſiarcha de Novaria, & Margarita Tridentina, & alii circa CL. Mortui autem fuerunt in montibus & ſectatoribus ejus, frigore, fame, & gladio ultra CCCC., qui libertatis ſpiritum prædicabant. Margarita autem prædicta ante Dulcinum iu fruſta conciſa eſt, conſors ejus in ſcelere & errore. Poſtea ipſe cum multis aliis ultimo pariter combuſtus. MCCCIX. Clemens V. magnum proceſſum fecit contra Venetos, quia Ferrariam Urbem Eccleſiæ indebite occupaverant. Eodem anno Carolus II. Rex Siciliæ moritur V. die Maji, cui ſucceſſit Robertus filius, coronatus apud Avinionem primâ Dominicâ ſequentis Auguſti. MCCCIX. Soldanus Ægypti claudus de menſe Martii ad Cratum cum gente & familia ſua ivit, & Bibarſimcher abſtuliſſe ſibi videbatur dominium Cayri & Babylonis. Hic nom. . . . . de ſchiſmate Saracenorum, qui poſt cædem plurium Soldanorum factus eſt iſte claudus, ut dictum eſt Et poſt eum quatuor erant potentes viri valde, quorum duo principaliores Naboiſer, & Bibarſimcher ſe mutuo oderant; tertius vocabatur Merecendal, cui duo primi invidebant, oderuntque. Hic ſe ac Soldanum ab eis cavere quantum poterant, perſuadebat. Quartus vero dictus Camelmus exitum rei tacitus conſiderabit. Ceteri vero Admirandi atque Officiales, quantum poterant, de Fiſco regio rapiebant. Duo autem prædicti Alaboiſer, & Bibarſimcher, licèt invicem diſſiderent, adverſùs tamen Merecendal non multo poſt conſpiraverunt, eorumque factione non ſolum de Curia, verum etiam de toto Ægypto pulſus eſt cum gente ſua; pulſus vero ad partes Safeti Ptolemaidis, & Caſtri Peregrinorum ſe contulit, obtinuitque dominium regionis. Quibus geſtis anno prænotato Soldanus in Carach fortalitio ſe tutavit. Sequenti vero anno, ideſt MCCCIX. & menſe Aprili ad Cayrum & Babyloniam rediens, quaſi cunctos Admirandos, potentes & veteres deſtruxit, novoſque inſtituit. Interfecit enim Bibarſimcher, Naboiſer, Merecendal, & Camelmum, & etiam Sandamor, qui fuit Georgianus, & diu circa Tripolim dominium viriliter tenuit. Caraſanchor quoque Chriſtianus fuit dives valde & potens, qui dominabatur in Contrata Antiochiæ & Semi, qui fratrem Soldani interfecerat. Seraph prædictum Soldanum claudum timens, Euphratem tranſire, & cum theſauris ſuis ad Tartaros fugere coactus eſt, & induxit Carpendam, ut contra duo Caſtra Soldani ſuper Euphratem ſita veniret MCCCXIII. quorum unum vocatur Cherachembe, alterum Elcyere. Sunt autem ipſa Caſtra in confinio Tartarorum ultra Euphratem. Promiſerat enim Caraſanchor de Caſtellanis & habitatoribus Caſtrorum confidens, quod cito & leviter Tartaris traderentur; ſed irritatis Caſtellanis & ceteris per Soldanum, promiſſum implere non potuit. Et fuiſſe dicuntur in illo exercitu ultra M . . . . . . beſtiarum caballinarum. Poſt menſem autem obſidionis propter defectum herbatici, & quia morbus vulgariter dictus *Pedana*, equos invalerat; & quia Soldanus cum magno exercitu in Damaſco venerat, habitâ deliberatione Carpendas ad deducendum æſtivum tempus ad Contratam Baldacenſem tranſiit, miſitque ad fratrem ſuum Henregi, qui ſua conceſſione in Turchia dominabatur, veniebatque ejus juſſu contra Soldanum, ut rediret & ipſe.

MCCCX. in feſto Aſſumtionis Hoſpitalarii ceperunt Civitatem Rhodi, caput totius Inſulæ. MCCCXIV. in Kalendis Martii, fere per duas horas ante auroram impreſſio heic depicta apparuit in aëre, ſicut ipſe vidi.



Et apparuerunt tres Lunæ Cruce ſignatæ. Eadem impreſſio in ortu Solis apparuit circa ipſum. MCCCXIX. Papa Johannes legit in Conſiſtorio cum magno favore literas ſibi miſſas infraſcripti tenoris: quia videlicet Religioſi viri de Ordine Minorum atque Prædicatorum miſſi pro prædicanda fide infidelibus uſque Ormuſe, quum nil ibi proficerent, ad Indiam tranſire cupiunt in Columbum, & quum perveniſſent ad Inſulam, quæ Dyo vocabatur, Fratres de Ordine Minorum a ceteris tam Prædicatoribus quam ſecularibus Chriſtianis diviſi ad aliam Terram profecti ſunt, quæ Thana vocatur, ut inde in Columbum tranſirent. Erat autem in loco unus Saracenus de Alexandria Iſuſus nomine, qui acceſſit ad Melichum, ideſt ad Rectorem Terræ, & induxit, ut inquireret, quomodo, & ad quid ve-

veniſſet. Ille accerſitos interrogat: *Quales homines nuncupamini?* Illi ſe Francos eſſe reſponderunt, ſanctæ paupertatis amatores, ad Sanctum Thomam proficiſci cupientes. Tunc de fide interrogati, ſe veros Chriſtianos aſſerunt; & de fide Chriſti cum ſancto fervore multa dixerunt. Quum vero a Melicho licentiati eſſent, præfatus Iſuſus uſque tertio Melichum induxit, ut eos caperet & detineret. Tamdem congregati ſunt Melicus, & Cadi, & Populus Terræ tam Saraceni quam Pagani, & Idololatræ, & interrogaverunt Fratres: *quomodo Chriſtus, quem dicitis filium Virginis, poteſt eſſe filius Dei, quum Deus uxorem non habeat?* Illi de generatione divina plura dixerunt, exempla de radiis ſolis, de arboribus, de germine terræ, ita ut infideles reſiſtere non valerent ſpiritui, qui loquebatur in eis. Sed accenderunt ignem copioſum Saraceni, & dixerunt: *Vos aſſeritis Legem veſtram meliorem Lege Mahumeti. Si verum eſt, ignem intrate, & Miraculo, quod dicitis comprobate.* Fratres reſponderunt, quod pro honore Chriſti libenter id agerent. Et accedens Frater Thomas, primus intrare voluit, ſed contradixerunt Saraceni, eo quod ceteris ſenior videbatur. Tunc junior acceſſit Frater Jacobus de Padua, novus athleta Chriſti, & incunctanter ignem intravit, & uſque ad ignis pœne conſumtionem in eo permanſit lætabundus & laudans, abſque ulla capilli vel pili tunicæ aduſtione. Videntes autem qui adſtabant, alta voce clamabant: *Vere iſti homines boni & ſancti ſunt.* Cadi vero tam præclarum miraculum inficiari volens, ait: *Non eſt, ut creditis, ſed veſtimenta ejus de terra fuerunt Aben . . . . magni amici Dei, qui in igne poſitus Chaldæo lædi non potuit. Ideo iſte in igne illæſus manſit.* Tunc exſpoliaverunt innocentem juvenem, & totus nudus ſicut de matre natus fuerat, a quatuor viris in ignem projectus eſt. Ille vero innocue ignem ſuſtinuit, & cum gaudio de igne illæſus exivit. Tunc Melichus eos libertati reſtituit, ut ſecundùm voluntatem ſuam abirent. Cadi vero & prædictus Iſuſus, iniquitate pleni, ſcientes eos in domo cujuſdam Chriſtiani receptatos, Melico ajunt: *Quid agis? cur Chriſticolas hos non interficis?* Ille reſpondit; *Quia nullam cauſam mortis invenio in eis.* Illi vero ajunt: *Si eos dimiſeris, omnes credent in Chriſtum, & Lex Mahumeti totaliter deſtruetur.* Melichus iterum ait: *Quid vultis, ut faciam, quum cauſſam mortis nullam inveniam?* Illi vero dixerunt: *Sanguis eorum ſuper nos. Dicitur enim, quod qui non poteſt peregrinari ad Mecham, ſi unum interficit Chriſtianum, ita plenam obtinet veniam peccatorum, ac ſi Mecham præſentialiter viſitaſſet.* Nocte igitur ſequenti tres prædicti Melichus, Cadi, Iſuſus, miſerunt ſatellites, qui tres Fratres Thomam, Jacobum, & Demetrium cum palma martyrii ad cæli gaudia tranſmiſerunt. Poſtmodum vero Fratrem Petrum in loco alio exiſtentem ſibi præſentari fecerunt; & quum firmus in Chriſti Fide perſiſteret, duobus diebus eum diris martyriis afflixerunt, & tertiâ die capitis obtruncatione complevit martyrium. Audientes vero ſocii Prædicatores & alii, ad partes occiduas hoc ſcripſerunt, lugubri lamentatione querentes, quod a Sanctorum Martyrum ſocietate disjuncti fuerant, & quod recuperandis Martyrum Reliquiis devote intenderent. MCCCXX. congregatio multorum facta eſt valde periculoſa in Gallicanis partibus, qui *Paſtorelli* vocabantur. Ii omnis ſuperioris poteſtatis jugum excuſſerant; ut neceſſitatibus ſuis conſulerent & avaritiæ, Judæorum bona capiebant, ſi baptizari nolebant, & eis mortem inferebant. Locis & Caſtris, per quæ tranſibant, violentias inferebant & damna, maxime in bonis Clericorum. Contra hos & fautores eorum, Camerarius Domini Papæ per religioſos mandavit prædicationes fieri. Cito autem incompoſita & agreſtis illa multitudo evanuit.

F I N I S.

CHRONICON SUBLACENSE,

SIVE

CATALOGUS

ABBATUM MONASTERII SUBLACENSIS

Ab Anno Chriſti circiter DXCV. uſque ad MCCCXC.

AUCTORE

MONACHO SUBLACENSI ANONYMO

Nunc primùm prodit

EX MANUSCRIPTO CODICE ROMANO.

IN CHRONICON SUBLACENSE

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Nihil opus eſt, ut ego eruditum Lectorem moneam, inter Italica Monaſteria *Sublacenſe* in Latio ſitum, antiquitate & nobilitate cum ampliſſimis quibuſque certare. Scilicet illud ante Caſinenſe aedificavit Sanctus Benedictus, Occidentalium Monachorum Pater, ejuſque ſacri loci perquam celebre olim nomen fuit; immo & adhuc eſſe pergit, quamquam Commendatario Abbati ſubjectum non eam alat Monachorum copiam, quae antiquis Saeculis ibi numerabatur. Subſunt Monaſterio Caſtra & vici aliquot, in quae non temporalem modo, ſed & ſpiritualem juriſdictionem Abbas Commendatarius exercet. Breve Chronicon celeberrimi ejuſdem Monaſterii ego nunc exhibeo, quod olim ex Romano Codice deſcripſit egregius vir, atque inter paucos amicus meus, Dominicus Maria Jacobatius Mutinenſis, quo tempore negotiis Sereniſſimi Ducis Mutinae, heri noſtri, ſumma cum laude in Urbe praeerat. Exhibetur ibi Catalogus Abbatum Sublacenſium ab origine Coenobii uſque ad Annum Chriſti circiter MCCCXC. eorumque Acta brevibus recenſentur. Auctor Opuſculi ſine dubio Monachus Sublacenſis fuit, cujus nomen deſideratur in Codice MSto. Fortaſſe ne ipſe quidem illud voluit poſteris notum. Plenius autem Chronicon Sublacenſe exſtare accepi, quod lubentius e tenebris eripere cupiebam, ſpe ductus fore, ut per ejus editionem tum de ſacro loco, tum de eruditione melius mererer. Sed voti compos minime factus, quod poſſum nunc profero. Chronici quoque Sublacenſis mentionem fecit Clariſſimus Mabillonius in Itinerario Italico, ejuſque evulgandi ſpem nobis reliquerat. An idem cum illo fuerit, incompertum eſt mihi. Quum vero nonnulla ex monumentis Archivi Sublacenſis in hoc Opus intulerim, ea cum hocce Chronico jungenda erunt, aut conferenda.

CHRONICON SUBLACENSE.

A SEcundus *Abbas* poſt Sanctum Benedictum fuit *Honoratus* diſcipulus ejus jam dicti Patris honeſtus. Secundo loco regimen tenuit loci, ex cujus ſanctitate & opere Cœnobium Sublacenſe augmentandi materiam ſumſit; namque eo tempore in Capitulo illius Cœnobii Eccleſia in honorem Sanctorum Coſmæ & Damiani fuerat conſtructa. Poſtea verò major Eccleſia conſecrata eſt & ampliata in honorem Sancti Benedicti, & Sanctæ Scholaſticæ Virginis, per quod temporibus prædictis glorioſiſſimus Pontifex Gregorius, cum Beata Silvia matre ſua, Caſtrum, quod Apollonium dicitur, prænominato tranſtulit loco, ac alia multa bona, ut habetur in privilegio dicti Beati Gregorii, B conceſſit, confirmavitque omnia, quæ Sanctus Benedictus in vita ſua acquiſivit, & perpetuò roboravit; & omnia, quæ petivit Sanctus Honoratus a Beato Gregorio, impetravit ac obtinuit, & adhuc noſtris temporibus poſſidemus. Poſt hæc religioſi quoque Pontifices Romani beneficia ibi præſtiterunt quamplurima per temporum ſuorum ſeriem deſignata.

Tertio loco ſedit *Abbas* nomine *Elias*, qui ab Imperatoribus & Romanis Pontificibus ac reliquis Deum timentibus acquiſivit multa bona Monaſterio Sublacenſi. Illis namque temporibus irruentes Dei judicio Italiam Agareni, Monaſterium omne, uti & totam Campaniam igne cremaverunt, & uſque ad tem- C pora Domini Johannis Septimi prope fuit ſine habitatore, ſive regimine. Tunc idem Sanctus Papa ordinavit *Abbatem* in eodem loco venerabilem virum nomine *Stephanum*, qui ſedit Quartus in Abbatum loco. Hic venerandus vir omne Monaſterium reædificavit; Eccleſiam in altitudine & longitudine ampliavit, quàm & pignera fecit, & pro juribus ſuis, quantum valuit, dum advixit tempore, in Dei nomine deſudavit.

Quinto loco ſedit *Sergius Abbas* temporibus Domini Stephani Secundi Papæ. Geſta hujus nobis incognita ſunt.

Sexto loco ſedit *Petrus Abbas* temporibus Domini Gregorii Quarti Papæ; qui Abbas D tum orando & ſerviendo, tum dicto Pontifice auxiliante, Caſtrum Sublacum acquiſivit Beato Benedicto. Hujus temporibus Dominus Leo Quartus Papa ejus invitatu venit in Monaſterium Sancti Benedicti, & dedicavit in ſpecu Altare unum in honorem Sancti Benedicti, & Sanctæ Scholaſticæ, & alterum in honorem Sancti Silveſtri Papæ; & obtulit in Monaſterio Sublacenſi Gabatam unam de argento, & duas Cortinas de fundato, quas ſreſatas dicimus, & ibidem omnia ampliata privilegio confirmavit.

Septimo loco ſedit *Leo Abbas* ſub Nicolao Primo Papa. Qui Abbas rogavit prædictum E Pontificem, & privilegia Monaſterii, quæ ab Agarenis incenſa fuerant, reſtaurari fecit. Sed & ipſe Pontifex Pontificali ſuo præcepto, omnia data a Præceſſoribus ſuis, vel aliquo modo acquiſita confirmavit.

Octavo loco ſedit *Almo Abbas*, qui fuit temporibus ſupradicti Nicolai Primi Papæ.

Nono loco ſedit *Leo Abbas* temporibus Domini Martini Secundi Papæ.

Decimo loco ſedit *Stephanus Abbas* temporibus Domini Hadriani Papæ.

Undecimo loco ſedit *Majo Abbas* temporibus Domini Benedicti Sexti Papæ.

Duodecimo loco ſedit *Petrus Abbas* temporibus ſupradicti Domini Benedicti Sexti Papæ.

Tertiodecimo loco ſedit *Johannes Abbas* temporibus ſupradicti Domini Benedicti Papæ.

Quartodecimo loco ſedit *Leo Abbas* temporibus Domini Johannis Decimi Papæ. Hic Romæ acquiſivit Sancti Eraſmi Eccleſiam.

Quintodecimo loco ſedit *Benedictus Abbas* temporibus Domini Benedicti Septimi Papæ. Hic Abbas rogavit ſanctum Pontificem ad Monaſterium venire, qui ut venit, dedicavit Eccleſiam Sanctæ Scholaſticæ. In Altari ejus Beati Audacis Martyris corpus cum aliis Sanctorum & Sanctarum Reliquiis honorificentiſſime collocavit: Sublacum Monaſterio reconfirmavit; & omnia pertinentia ei Pontificali præcepto confirmavit & roboravit.

Sextodecimo loco ſedit *Johannes Abbas* temporibus ſupradicti Papæ Benedicti.

Septimodecimo loco ſedit *Martinus Abbas* temporibus Domini Bonifacii Papæ Septimi.

Octavodecimo loco ſedit *Leo Abbas* temporibus Domini Agapiti Secundi Papæ. Hic acquiſivit Effidem Caſtrum, & alia bona Sancto Benedicto.

Nonodecimo loco ſedit . . . . . . *Abbas* temporibus Domini Johannis Duodecimi Papæ.

Viceſimo loco ſedit *Silveſter Abbas* temporibus Domini Johannis Decimi tertii Papæ.

Viceſimo primo loco ſedit *Gregorius Abbas* temporibus Domini Gregorii Quinti Papæ.

Viceſimo ſecundo loco ſedit *Petrus Abbas* temporibus Domini Silveſtri Secundi Papæ. Hic fecit in Monaſterio Libros, Paraturas optimas, & Hereditates multas acquiſivit. Poſtea captus, & in Caſtrum, quod Monticellum dicitur, ductus, in vinculis religatus eſt. Quo cum jaceret, meruit a beato Nicolao viſitari in ſancto ſuæ feſtivitatis die, a quo omnia vincula ejus irrupta ſunt; nam idem Abbas devotiſſime Beato obſequebatur Nicolao. Cumque Cuſtodibus ab eodem Abbate receptum beneficium intimatum fuiſſet, duplicata ſunt vincula ſuper eum, & ſuſtentatus eſt etiam ibi pane tribulationis & aqua anguſtiæ per aliquod tempus. Hoc autem patiebatur, & quod Caſtrum Armulæ noluit dare Senioribus illis. Poſt hæc, ut audivi a majoribus noſtris, juſſu Dominorum illorum plebotomati ſunt oculi ejus & cæcus factus, non multo poſt migravit ad Chriſtum. Sepultus eſt juxta idem Caſtrum in Eccleſia Sancti Vincentii, ubi operatur etiam Deus quædam beneficia meritis ejus ad laudem & gloriam nominis ſui.

Viceſimo tertio loco ſedit *Georgius* temporibus Domini Johannis Decimi tertii Papæ. Iſte

Iſte acquiſivit multa bona Monaſterio Sublacenſi per diverſa loca.

Viceſimo quarto loco ſedit *Stephanus Abbas* temporibus Domini Sergii Sexti Papæ.

Viceſimo quinto loco ſedit *Petrus Abbas* temporibus Domini Benedicti Octavi Papæ.

Viceſimo ſexto loco ſedit *Demetrius Abbas* temporibus Domini Johannis Decimi noni Papæ.

Viceſimo ſeptimo loco ſedit *Petrus Abbas* temporibus Domini Benedicti Noni Papæ.

Viceſimo octavo loco ſedit *Johannes Abbas* temporibus Domini Clementis Secundi Papæ. Hic fecit Libros ſecundùm Paſcaſium, Moralia ſuper Epiſtolas Pauli, Pſalterium, Rationale, Antiphonaria. Fuit bonus vir. Tempore, quo ex hac vita migraturus erat, exemplo Patris Benedicti, fecit ſe in Eccleſiam portari: ibique ante Crucem jacens, commendabat Deo animam ſuam. Acceptoque Corpore Chriſti obiit in pace, & ſepultus a Fratribus ante januam majorem Eccleſiæ Sanctæ Scholaſticæ. Poſt verò noſtro tempore elevata ſunt oſſa ejus, & poſita ſunt in Capitulo ipſius Cœtnobii.

Viceſimo nono loco ſedit *Benedictus Abbas*, qui fuit dictis temporibus ſupra.

Triceſimo loco ſedit *Atto Abbas*, temporibus Domini Leonis Noni Papæ. Hic denique ſanctiſſimus Pontifex, curam omnium gerens Eccleſiarum, cunctaſque perluſtrans, venit ad Monaſterium Sancti Benedicti. Abbas itaque Atto, cognito Apoſtolici adventu, fugam petiit, & latuit Treva. Venerabilis autem Pontifex cum veniſſet in Monaſterium, & ſine Rectore inveniſſet, contriſtatus eſt valde. Deſtinatiſque Miſſis fecit inquiri Abbatem, qui venire renuit; quique dimiſſus a Treverenſibus, ivit Campaniam, videlicet ad Sanctæ Cæciliæ Eccleſiam, quæ eſt juxta Plumbinariam, & ibi uſque ad obitum vitæ manſit. Mortuus ibi jacet ſepultus. Quapropter magnificentiſſimus Pontifex inito Concilio ordinavit in eodem Cœnobio *Abbatem* nomine *Umbertum*, natum ex Francia. Sublacenſes ad ſe convocavit in Monaſterio, quorum & requirens monumenta Chartarum notavit falſiſſima, & ex magna parte ante ſe igne cremari fecit. Pontificali itaque præcepto reconfirmavit Monaſterio Sublacum, & totam Abbatiam Terram, & cuncta acquiſita ubique Terrarum ab Abbatibus, vel a fidelibus tradita Chriſtianis. Dicebat autem omnibus, qui aderant: *Prope mirabilis eſt locus iſte per omnipotentem Deum. Hoc Monaſterium caput eſt omnium Monaſteriorum per Italiam conſtitutorum*. Et verè quia inde auctor & caput omnium Latinorum enituit Monachorum, & Regula ibi ab eodem ſanctiſſimo Viro deſcripta in tota exiit amplitudine terrarum. Neque enim credendum eſt, ut tot Monachi, tantaque ab ipſo in iiſdem locis conſtructa Monaſteria ſine Regula fuiſſent, quoniam procul dubio, qui Monaſteria fecit pro Monachis, ipſe eis Regulam tradidit non aliam, quam ipſe a Spiritu Sancto edoctus exaraverat.

In triceſimo primo loco ſedit *Umbertus Abbas*, ſacratus in ordine Abbatiæ a Domino Leone Papa Nono. Hic ut homo gentis exteræ, dum in pace deguit, laboravit in Monaſterio pro viribus ſuis. Fecit ibi partem Clauſtri cum columnellis marmoreis. Fecit ibi Campanile firmum & altum. Fecit ibi caminatam. Auxit muro Turres Eccleſiæ. Super antiquam

A Turrim murum ampliavit. Fecit ibi Dormitorium Monachorum. Fecit Libros ſecundùm Joſephum; & Quæſtionarium. Fecit in Specu Eccleſiam pulcherrimam, & firmam, coopertâ cryptâ. Fecit ibi Libros duos optimos de totius anni regimine. Fecit Roccam de Tovanello ad expugnationes inimicorum. Acquiſivit in Valle Denerpha Eccleſiam unam vocabulo Sancti Petri, poſitam juxta Roccam, quæ Petrella vocatur, cum caſis, terris, vineis, libris, paraturis, animalibus, & cum omnibus bonis ſuis. Poſt hæc comprehendit eum Landus de Civitella, & poſuit eum in cuſtodia ...... ipſe Abbas conſilio malorum hominum prius apprehenderat. At videntes

B iſta Monachi, turbati ſunt nimis: veneruntque ad Landum, inquirentes Abbatem; ſed ille noluit eos audire. Qui inito concilio perrexerunt Farfam, & tulerunt inde Domnum *Johannem* Monachum, filium Johannis Oddonis, & eum ſibi *Abbatem* fecerunt. Landus, ut hæc cognovit, contriſtatus eſt valde. Vocatiſque Sublacianis & Monachis, pactum fecit cum eis, & Abbatem eis reddidit. Tunc recepto priore Abbate, remeavit Domnus Johannes Abbas, pridem ab eis factus in locum ſuum. Abbas Umbertus poſtea alienavit ſe a Curia Romanæ Sedis. Inde undique creverunt innumera mala circa eum. Tribulabatur a ſuis, & extraneis. Surrexit namque quidam

C Monachus de ſuis, nomine Johannes de Azza, & ſuper eum cum Sublacianis, & aliis ſuis fautoribus impudenter ſe erexit, fecitque ſe Abbatem in parte, quam ſibi vindicare potuit Abbatiæ. Similiter unuſquiſque partem, quam poterat invadere, ſuam faciebat. Væ autem illis erat tantùm, qui in Monaſterio erant, & hominibus vicinis propinquitate extraneis. Sedit tunc impietas ſuper pleroſque, & caro ſedere viſa ſuper Sancti Benedicti Cœnobium per aliquod tempus, exigentibus peccatis hominum in eo habitantium. Cum autem placuit ſummo Paſtori, ſuas errantes requirere oves, Pontificis Alexandri inſpiravit cordi, qui ſuccurrit famulis Dei, ſicut in ſequentibus dicturi

D ſumus. Umbertus Abbas præpeditus infirmitate & ſenectute, non valebat nec Monachis neceſſaria dare, nec inimicis contraire; quare ibi omnia confuſa bona videbantur: mala verò augebantur & roborabantur; unde per ora cunctorum rumor perſonabat & violentia eadem frequentius revolvebatur. Cum igitur Sublacenſes tempore Abbatis Johannis de injuriis quamdam conjurationem, licèt non omnes, fecerint contra Monaſterium, & per nos vix, aut numquam talis conjuratio diſſolvi potuiſſet: tamdem divina diſpenſatione accidit, quia Dominus Hugo venerabilis Oſtienſis & Velletrenſis Epiſcopus, ex legatione Lombardiæ veniens, per partes noſtras tranſitum haberet. Qui au-

E diens talia, nimis triſtatus eſt, & convocans Sublacenſes tam milites, qui hujus conjurationis fuerunt immunes, quàm pedites omnes, qui conjuraverant, allocutus eſt eis in Choro Eccleſiæ noſtræ, & quàm blandis locutionibus conjurationem factam fecit diſſolvi, eos tam auctoritate ſummi Pontificis, quam tunc habebat, quàm auctoritate ſua a ſacramento hujuſmodi abſolvendo. Et tunc accenſis candelis, & pulſatis campanis, excommunicavit eos, qui de cetero ſe ſupradicto facinori immiſcerent.

Reverendiſſimus itaque Alexander Secundus Papa, auditâ famâ deſolationis Cœnobii Sancti

cti Benedicti , & Sanctæ Sororis ejus Scholaſticæ , lacrymatus eſt , atque ex intimo cordis trahens alta ſuſpiria , dicebat : *Heu ! quare datum eſt mihi videre deſolationes Sanctarum Eccleſiarum , & Monaſteriorum Dei , ut in diebus noſtris conculcentur loca olim Dei apta ſervitio , & a ſanctis viris optime conſtituta ?* Statimque accito Archidiacono ſuo Hildebrando decrevit , & poſtea confirmavit , quod Sublacenſes , ſi umquam faciunt conſpirationes , vel conjurationes contra Abbatem , vel Monaſterium , vel Monachos , ſint excommunicati , & nullus liceat eos abſolvere , niſi ſolus Papa, ut habetur in pluribus . Tum eidem ſtrenuiſſimo , & in ſæcularibus , ac ſpiritualibus rebus plurimum valenti Hildebrando dixit : *Triſtis meas dudum opinio perculit aures audiendo , quod Monaſterium Sancti Benedicti poſitum Sublacu , pæne deſolatum eſt ; & ſic quod noſtri anteceſſores Pontifices valde dilexerunt , & de beati Petri rebus ditaverunt , & ad tantum decus perduxerunt , ut ubique terrarum nomen illius prædicaverint , nunc (ut audio) ita adnullatum eſt , ut vix vivere valeant pauci , qui ibi inveniuntur Monachi , oppreſſi valde ab inimicis & extraneis . Itaque aſſumtis ex noſtro Palatio Clericis , & militum manu valida , ſuccurrere labenti domo , & Apoſtolica fulcire auctoritate ſtudeto locum illum , & ad priſtinum meliorando revocare ſtatum, quatenus ſancti Patris Benedicti , ſanctæque ſororis ejus Scholaſticæ gratiam obtinere poſſimus .*

Ut audivit hæc vir prudentiſſimus Hildebrandus, devotiſſime ſtuduit implere . Cum Clericis itaque Palatinis , cum Deſiderio Caſinenſi Abbate, qui poſtea factus eſt Papa, cum multo apparatu militum venit ad Monaſterium in menſe Junio , die decima : Invenit Monaſterium in tanto diſcrimine poſitum , ut poſſet dicere, quod media pars ſibi nuntiata non fuiſſet. Tunc collectis Fratribus in Capitulo, primum divini verbi pabulo abundanter refecit eos , ac deinde proſecutus eſt ea , pro quibus venerat . Dixitque eis : *Dominus noſter Apoſtolicus , uſus ſolicitudine omnium Eccleſiarum, miſit nos conſolari vos , videre ſtatum veſtrum, cognoſcere , quæ circa vos aguntur . Paratus eſt enim auxilium præbere vobis in omnibus . Audiens namque , vos in magna neceſſitate , ac penuria eſſe , ac beati Benedicti Abbatiam , ut comperimus , totam diſſipatam , dolore afficitur non modico , & optat ſubveniri tanto loco , Patris beati meritis ſanctificato a Deo .* Cui gratias agentes , inclinati ſunt omnes . Tunc ſurrexit quidam ex Monachis , & ſtans ante Archidiaconum Hildebrandum dixit: *Gratias reddimus Deo , ac beato Petro , ac Domno noſtro Apoſtolico , qui miſit requirere domum ſuam & famulos ſuos per te dulciſſimum filium ſuum . Hæc eſt dies , quam exſpectamus , quæ dulcior eſt nobis omni ſuavitate , amabilior omni re , quæ videri poteſt ſub Cœlo. Non opus eſt enim , Domine, multa veſtræ narrare prudentiæ ; ſed tantum expetimus veſtram benevolentiam, ut nobis , & huic ſacro loco ſubveniatis , quatenus a tantis , quæ nos opprimunt , relevati miſeriis , Deo & beato Benedicto ſervire quiete valeamus .* Tunc ille : *Ideo* , inquit , *venimus ; iſtum tantum faſtigium ſumſimus , ut quantum Deo auxiliante poſſibile fuerit , Domus Dei in meliori reducta ſtatu , tranquillam in Dei ſervitio vitam deinceps perducatis .* Poſt hæc Umbertus Abbas , qui ibi aderat , habito conſilio cum ſuis amicis ſurrexit , & venit ante Archidiaconum, poſuitque virgam Abbatiæ in manu ejus, ac projiciens ſe toto corpore in terra , interrogatus , quid ſibi vellet , reſpondit : *Mea culpa . Hanc obedientiam , quæ ex beati Petri munere tradita per te fuit , exigentibus iniquitatibus meis , male tractavi , & negligentiâ meâ animæ mihi commiſſæ a ſanctæ Regulæ tramite deciderunt : & cognoſco , me amplius officium meum non poſſe peragere , ſed in manibus veſtris illud aſſigno . Rogo vos , non bene a me peractis nimis indulgentiam tribuatis .* Cui Archidiaconus dixit : *Dominus , qui omnia poteſt, dimittat tibi peccata tua .* Et juſſit eum ſedere. Tunc cœpit dicere : *Ecce Dominus , Fratres , conſiliamini , & eligite vobis Patrem , quia tantum Monaſterium non decet eſſe ſine Rectore.* At illi dixerunt : *A vobis ſperamus : a vobis Patrem petimus . Vos conſolamini viduatos .* Et ille: *Regulam beati Benedicti venimus cuſtodire. Inquirite omnem veſtram Congregationem , & ſi inveneritis dignum ad hoc opus , ſit vobis Pater. Sin autem apud vos perſonam talem cognoſcitis, petitionibus veſtris non audemus contraire .* At illi una voce dixerunt : *Rogamus & petimus , quia apud nos talem non invenimus , dari nobis Domnum Johannem filium Odonis in Patrem .* Archidiaconus dixit illi (venerat quippe cum eo ab Urbe) : *Frater Johannes , Domine mi ; Fratres iſti quærunt te ſibi in Patrem .* Ille autem projiciens ſe in terram , cœpit clamare ſe indignum tanto officio ; magiſque ſe ſubeſſe debere dicebat, quàm præeſſe ; & ne hæc ſibi imponeret , precabatur . Archidiaconus dixit : *Suſcipe , fili , confiſus adjutorio Petri & beati Benedicti, curam iſtorum Fratrum, & ſis in corrigendo ſeverus, & in docendo manſuetus, ut cum commiſſo grege æternæ vitæ gaudia conſequaris .* Et accepto baculo de manu ejus , ductus a Monachis in Eccleſiam , cantato *Te Deum laudamus* , poſitiſque in ſede, factus eſt Abbas cum gaudio & lætitia cunctorum . Deinde finitâ Miſsâ aſcendit Archidiaconus inviſere Patris Benedicti Specum cum ſuis . Et aſcendens in mulam , repedavit ad Urbem . Umbertus Abbas comedit cum Fratribus , ac valefaciens illis , aſſumtis ſibi ſervientibus in . . . . . . & ad Oderiſium filium Torelli pervenit , a quo honorifice ſuſceptus , manſit cum eo uſque ad obitum ſuum . Mortuus eſt ibi , & ſepultus ad Eccleſiam Dei Genitricis Mariæ , quæ dicitur de Quinque Milliariis .

Clariſſimus ergo *Johannes Abbas* ſedit triceſimo ſecundo loco in regimine ſancti Cœnobii conſecratus in ordine Abbatiæ a ſupradicto Domino Alexandro Papa . Iſte invenit illud tantum , quod erat Abbatiæ , per totum diſperſum , & a poteſtate Sancti Benedicti alienatum , & Monaſterium ita ad nihilum redactum , ut pauci , qui aderant , Monachi vix ibi vivere poſſent . Erantque in paupertate & proprietate . Unuſquiſque voluntatem cordis ſui ſequebatur in dando & accipiendo, in vendendo & emendo : habentes ſinguli cellulas & arcellas cum rebus propriis , ut melius valebant . Sublaciani ita in poteſtate habebant Monaſterium & Monachos , ut quidquid præciperent , ſine dilatione compleretur . Cervariam frater Abbatis Umberti , Ezulus nomine , tenebat : Giranum & Ezerotum Lando de Civitella tenebat . Itaque ut prudens vir , inprimis Monaſterium , ut novitius potuit , correxit & ordinavit . Deinde Turrem de Tovanello reædificavit , ibique colligens milites ad recol-

recolligenda bona Sancti Benedicti, ſe, ut fortis præliator, accinxit. In primo namque anno ordinationis ſuæ Cervariam recollegit, dando libras, expellens Ezulum cum omnibus ſuis. In ſecundo anno Maranum acquiſivit cum Rocca ſuper ſe, dando libras, expellens inde conſanguineum ſuum, nomine Raynerium. Per idem tempus obiit Alexander Papa, & ſucceſſit in Pontificali dignitate Hildebrandus, qui Gregorius nominatus eſt. Is diligens plurimùm ſupradictum Johannem Abbatem, fecit eum Levitam ſacri Palatii, cui Diaconiam dedit Eccleſiam Sanctæ Mariæ in Domnica, & honorifice, dum advixit, tractavit eum. In quinto anno ordinationis ſuæ, divinâ eum protegente gratiâ ab inimicis, qui ſæpe moliti ſunt eum occidere, intravit Sublacum cum multo apparatu militum, & magnâ induſtriâ, ac multis expendiis cœpit ibi ædificare. Fecit ibi Turrim firmam & altam. Palatium peramplum cum caminatis ſuis & variis ædificiis, & in gyro muris circumdedit amplis. Fecit ibi Eccleſiam pulcram in honore Sancti Thomæ Apoſtoli, in qua multorum Sanctorum Reliquias collocavit. Quæ Eccleſia dedicata eſt a venerabiliſſimo * Adamaltenſis Eccleſiæ Epiſcopo cum magna gloria. Denique dignatus eſt omnipotens Deus in eâdem Eccleſiâ quædam miranda, quæ non ſunt tegenda ſilentio, ad ſui nominis gloriam demonſtrare. Quodam tempore venerunt in Italiam ex Francia homines inſani, qui dicebantur *Confuſi*, qui circumquaque pergentes per Campaniam & reliquas Provincias calamitatis tantæ incutiebant timorem. Contigit, ut tres ex ipſis advenerint Sublacum, agitando ſine intermiſſione caput, inſana facta agendo. Cumque ibi per dies aliquot morarentur, primus eorum in præfata eſt ſanatus, Domino juvante, Eccleſia. Poſtea verò reliqui duo ibidem adducti, gratiâ Dei ſano capite exierunt, laudantes & benedicentes Dominum. Quibus jam dictus Domnus Abbas Johannes plurima beneficia largitus eſt, & ſic ad ſua remiſit eos cum gaudio. Alio tempore qui aſſiſtebat ibi ad officium peragendum, cum vellet lampadem, quæ ante Altare erat, ut congruum ſibi fuerat, deducere, ſubitò tunc lapſa eſt. Cumque eam in terram venire crederet, ſubito manſa, de qua deponi ſolita erat, viſa eſt dependere, lumine accenſa. Ab eo tempore Sublacum habuerunt in poteſtate ſua Abbates Sancti Benedicti, quem antea numquam potuerunt habere. Ex tunc cœpit expugnare Caſtellum, quod vocatur Girani; fecitque munitionem & Turrim in Colle, qui Marinus dicitur, ad conſtringendum eumdem Caſtellum, pugnando viriliter. Tamdem dedit libras: recepit Giranum, & Ceretum in nono anno ordinationis ſuæ. Fecit in eodem Caſtro Girano Turrem & Palatium & Cappellam cum multo diſpendio. Fecit in Colle, qui nominatur ...... Turrem cum munitionibus aliis, cum multis expenſis & privilegiis ad conſtringendum Caſtrum Anticulum: quod ita conſtrinxit, ut ſine dubio recuperaſſet, niſi Papa Gregorius jam dictus impediſſet; nam Roccam præfatam de manu ejus violenter abſtulit, & fratri ipſius dedit, ſcilicet Domino Oddoni; & aſtu Creſcentium filium Oddonis de manibus ejus eripuit, quem ita in ſupradicto Caſtro anguſtabat, ut ſpes nulla evadendi jam eſſet.

His diebus, Anno Dominicæ Incarnationis MXC. ſurrexit quidam Monachus, nomine Palumbus. Rogavit ſupradictum venerabilem Abbatem Johannem, ut ſibi in Specu, ubi beatiſſimus Pater Benedictus habitaverat, locum concederet, qui ei libenter conceſſus eſt. Veniens autem in eadem Specu, cellulam habitavit in penuria & afflictione multa, & ibidem ſanctificatus fuit. Sed poſtquam Sanctus Pater noſter de ſpecu receſſit, numquam reverſus fuit ad prædictum locum. Neque a ſcripturis, neque a ſenioribus meis potui inveſtigare, num centum annis aliquis habitaſſet, niſi ſupradictus Palumbus, ut habetur in Legenda ſua. Cujus corpus poſitum eſt in Cappella Sancti Nicolai in Palatio Abbatis. Et ſi vis ſcire veritatem in multis, legas Legendam ipſius, quæ in pluribus concordat cum iſto Domno Johanne, de quo loquimur, & loquuti ſumus. In ſeptimo decimo Anno ordinationis Abbatiæ, Caſtrum, quod Genna dicitur, acquiſivit, quod antea multis ingeniis expugnaverat. Fecit ibi Turrem ob defenſionem inimicorum. Poſt pœne duos annos Ildemundus, qui ..... & Effidem tenebat, facto placito cum quodam traditore, per noctem intravit eumdem Caſtrum, & tulit eum. Quod cum ſibi non liceret tenere, eo quia fortiter ab Abbate premeretur, dedit eum filio Principis Capuani, nomine Bertholomæo, qui cum Normannis & Longobardis, ducente Ildemundo, venit Sublacum. At qui putabant cædes & deprædationes aliorum facere, confuſi cæde factâ ſuorum redierunt ad ſua. Abbas autem eo die, quo Genna capta eſt, aſcendit Montem, qui vocatur Porcarius, cum multis militibus ac peditibus, & cœpit conſtruere munitionem ad conſtringendam Gennam, quam fortiter expugnans cum multo ingenio, Domino auxiliante, de manu tulit tenentium. In Monte Porcario Turrim fecit & Palatium cum muris multis, & locavit hominibus. Fecit ibi Eccleſiam in honore Sanctæ Mariæ & pingere & conſecrare. Et totum Caſtrum noviter ædificavit multis expenſis. Multa a vicinis ſuis mala ſuſtinuit: qui quamvis multoties jurarent ſibi fidelitatem, & Sancto Benedicto, tamen ſæpius convertebantur in deterius perjurando & mentiendo. Sed ille tutus in omnibus, meritis Sancti Patris noſtri Benedicti, ſemper atterebat eos. His diebus venit Regina Agnes, auditâ famâ ſancti Cœnobii Sublacenſis, videre & probare, quæ ſibi fuerant intimata. Quæ honorifice, ut Reginæ decebat magnificentiæ, ab Abbate & cunctâ Congregatione ſuſcepta, nuntiata approbans, donavit Monaſterio pallium optimum, & promiſit benefacere in reliquum tempus. Sed eo tempore obiit Romæ. Congregavit idem Abbas honeſtam Congregationem religioſorum hominum, & nobilium multorum, qui in regulari ſe propoſito optime conſtringebant. Ordinem ſtatuit ſupra conſtitutum talem, ut quotidie Canticum Graduum dicerent; ad Miſſam Litanias quotidianis diebus facerent; & familiares Pſalmos ſuper Formas cantarent. Conſtituit, ut quotidie ad Miſſam Defunctorum omnes panem & vinum offerant pro animabus Chriſtianorum; ad Miſſam vero majorem viciſſim offerant. Item die Lunæ Prior a cœna cum aliis a dextera, de altera qui aſſiſtunt, & ad pacem, qui offerunt, pergant. Conſtituit, ut omni tempore in Clauſtro laventur pedes tribus pauperibus, & juſtitiam de pane & vino Monachorum accipiant, cum nummi deſunt. Conſtituit, ut proceſſionem diſcalceati per Clau-

Clauſtrum diebus certis facerent cum Cruce & Aqua ſancta, ut habetur in Ordinario. Conſtituit, ut in Quadrageſima ſemper ſecundâ Feriâ ad beati Patris Benedicti Specum omnes Fratres pergant cum pſalmodiâ diſcalceati aut calceati, ut Prior juſſerit, cum Cruce & Aqua Sancta. Conſtituit, ut in feſtivitate Patris Benedicti faciant ſolemnem Proceſſionem ad Specum omnes reveſtiti cappis, præcedentibus eos famulis cum victricibus ſignis: vadant bini & bini: Converſi ferant Aquam ſanctam, Crucem, candelabra, thuribula poſt Crucem: portetur textus Evangelii poſt capſam Reliquiarum, poſt Iconam ſancti Patris noſtri Benedicti, cantantes Reſponſoria & Pſalmos: ibique Miſſarum officia cum omni devotione perſolvant; & ſic demum ad Cœnobium revertantur, exutis ſacris veſtibus, cum Pſalmis. Conſtituit, fieri Octavam ipſius feſtivitatis. Conſtituit, ut ipſo die poſt cœnam faciant Vigilias pro animabus omnium Abbatum ipſius Monaſterii, ſonantibus omnibus ſignis. Mane ſimiliter ad Miſſam omnia ſonent ſigna: & unus de his, qui ſtant in Formis, ſit reveſtitus in cappa ad officium: Infantes verò in albis ad Gradile & Tractum, Presbyteri & Diaconi & Subdiaconi in nigris caſulis: Cerophani in albis ipſo die præparentur. Ab Hoſpitali duodecim pauperibus refectio, & omnibus Fratribus in Refectorio caritas præbeatur. Similiter faciant in feſtivitate Sancti Gregorii Papæ pro animabus omnium Pontificum Romanorum. In ſecunda Feria Quadrageſimæ primæ hebdomadæ faciant ſimiliter pro animabus parentum ſuorum. In ſecunda Feria ſecundæ hebdomadæ pro animabus familiarium. Reliquis diebus pro omnibus communiter defunctis. Conſtituit, ut de cellis circumquaque poſitis ſigillatim ſuis in diebus acciperent Fratres piſces, ad ſufficientiam refecti omnes. Conſtituit, ut Letaniam majorem, quam ante ad Eccleſiam Sancti Laurentii faciebant, ad Specum Patris Benedicti facerent. Sed & omnem vicinam Abbatiam illo die illic venire præcepit, dicens, juſtum eſſe Romanam Eccleſiam imitari, ut ſicut illi ad Sanctum Petrum, ita nos ad beatum Patrem Benedictum feſtinantes, noſtra ei vota reddamus.

Dedit Monaſterio ſub anathematis vinculo Caſtellum, quod Sanctus Gregorius dedit, Apollonium, totum pro veſtimentis & calceamentis Fratrum. In Sublacu tot Inſervientes Monaſterio dedit, ut poſſent opera exercere. Fecit munitionem in Colle, qui dicitur . . . . . . ad expugnandum Lantonem multo expendio, quam poſt facto pacto deſtruxit. Similiter in Colle, qui dicitur *de Certan*, cum multis expendiis fecit munitionem, quam poſtea facto pacto deſtruxit. Hæc omnia ideo ſcribimus, ut cognoſcatur, quantas hic vir tribulationes & anguſtias in tantis pertulerit negotiis, & quomodo forti pectore pro Sancti Benedicti bonis pugnando ſuſtinuer t adverſa. In vigeſimo tertio anno ordinationis ſuæ Piſcanum acquiſivit multo expendio. Poſt quinque denique annos dedit Piſcanum, & Roccam Sancti Stephani acquiſivit. Fecit in Monaſterio Sacrarium opere pulcro, ubi conceſſit ad Eccleſiæ regimen ea bona, quæ in Specu Dominus dederit, & duas alias Eccleſias: Sancti Johannis in Peſcolo poſitam, & Sanctæ Mariæ de Arzula. Fecit Paraturas Eccleſiaſticas: Pluviales viginti, Planetas tres, Dalmaticas tres, Albas viginti, Pallium de Altare Sacramentorum, coopertum argento & auro. In Eccleſia duas Cruces ligneas pictas: fecit Iconam rotundam ex argento & auro miro opere laboratam: calicem de puriſſimo auro, penſantem libras duas. Fecit & alios calices de argento pulcherrimo, penſantes libras octo, & alia minora Altaria: Itineraria duo ex auro & argento ac gemmis ornata. Acquiſivit candelabra ex cryſtallo & auro: duo tapetia, bancalia, cortinas ſericas, & lineas. Acquiſivit Crucem de argento aurato. Fecit Libros: Librum Confeſſionum Sancti Auguſtini: Libros Iſidori duos: Librum Pſalterii Hieronymi: Antiphonaria diurna & nocturna: Librum Regulæ: Librum Conſuetudinis: Librum Epiſtolarum. Fecit Arcile ad recondendum Libros, ſculptum mirâ pulcritudine. Fecit in Eccleſia Analogium, pulcro opere laboratum. Fecit Iconam magnam in capite Chori, auro coloribuſque pulcre depictam, Fecit ibi domum Infirmorum amplam & ſpatioſam cœnaculatam, donans ibi molendinum unum, & Eccleſias duas, ſcilicet Sancti Polaſii; & Sancti Quintini, ad Infirmorum ſuſtentationem. Fecit ibi domum ampliſſimam ad ſuſceptionem Peregrinorum & Hoſpitum, cum caminatis & utilitatibus ſuis. Ibi & fecit Eccleſiam in honore Sanctæ Mariæ, quam a Domino Petro Anagnino Epiſcopo conſecrari fecit, miro opere laboratam, cum Campanile ſuo, donans ibi terras, vineas, oleas, & unum molendinum pro neceſſitatibus advenientium & ſervientium. Ibi fecit ante Portam Monaſterii Arcum Romano opere, ſuper quem pulcram conſtruxit Eccleſiam, & juxta domum amplam cœnaculatam, ad venientium ſuſceptionem. Fecit in Specu cryptas & gradus ab exitu Eccleſiæ Sancti Silveſtri uſque ante Sancti Benedicti januam, quæ nimis parva erat. Acquiſivit Eccleſiam unam in Campania, vocabulo Sancti Leucii, poſitam in .... cum caſis, vineis, terris, libris, paraturis, cum animalibus, & cum omnibus pertinentiis ſuis. Acquiſivit & alteram in Campania eccleſiam, vocabulo Sancti Blaſii, poſitam territorio Anticulano, cum ceteris caſis, vineis, libris, paraturis, & cum omnibus pertinentiis ſuis. Acquiſivit Eccleſiam vocabulo Sancti Johannis, poſitam Valle Tiburtina in Caſtro Anticulo, cum terris, caſis, vineis, libris, paraturis, animalibus, & cum omnibus pertinentiis ſuis. Iſte in Campania Caſtro Crebana acquiſivit hereditatem de Siluro, quantacumque fuit, intus & foris Caſtro. Acquiſivit in Palliano Eccleſiam unam, vocabulo Sancti Sebaſtiani, cum caſis, terris, vineis, & cum omnibus pertinentiis ſuis. Acquiſivit in Marſicano territorio Eccleſiam, vocabulo Sancti Pauli, poſitam prope Vallem Soronam, cum caſis, vineis, terris, libris, paraturis, cum omnibus pertinentiis ſuis. Acquiſivit in Valle de Nerphea Eccleſiam vocabulo Sancti Benedicti cum terris, caſis, vineis, & cum omnibus bonis ſuis. Acquiſivit Narnia Eccleſiam vocabulo Sancti Anaſtaſii, cum caſis, terris, vineis, libris, paraturis, piſcariis, & cum omnibus ad ſe pertinentibus. Acquiſivit in Colle de Sceeia Eccleſiam vocabulo Sancti Stephani cum caſis, terris, vineis, & cum omnibus bonis ſuis.

In anno quadrageſimo primo ordinationis ſuæ, Papam tunc Paſchalem rogavit, ut ad Cœnobium Sancti Benedicti veniret, & ſuis eum beneficiis cumularet. Venit itaque, & ſuſceptus, ut Apoſtolicum decebat, honore, in

in Capitulo ſedebat cum Fratribus, & promiſit locum diligere & exaltare. Ibique Miſſarum ſolemnitate peractâ, ſcilicet Octavarum die Genetricis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ibi pernoctavit. Alterâ verò die venit ad obſidionem Caſtrorum Effidis, & Pontiæ, cum Romanis, Campanis, & cum Abbatiæ hominibus: & expugnaverunt Caſtrum die illa & altera. Tertia autem die habitatores Pontiæ ſuccenderunt totam Terram ſuam præter Palatium, ubi Ildemundus cum conjuge & filiis manebat .... quia reſiſtere ſe non poſſe vidit, ſupradictos Ildemundum in Turre illa, eo quod Abbas cum hominibus Abbatiæ & Campaniæ deſuper expugnabat eos cum baliſtis & fundibulariis & machinis & reliquo genere armorum. Tamdem nutu Dei victi ſunt & conſternati ſuperbiâ ſuâ. Interea demum ſecuritate accepta dedit Turrim in manibus Domini Abbatis Johannis, & hominum, & firmavit ſacramento, quod Effidem cum duabus Turribus ei traderet, ſi ipſe Abbas ſibi & quatuor filiis ſuis beneficia cum fidelitate ipſorum donaret. Fecit hoc Abbas, tamen cum conſenſu Papæ præſentis. Altera autem die dedit in poteſtatem Abbatis Caſtrum Effidis, ſicut promiſerat, cum Turribus ſuis. Abbati verò in poteſtate tradidit Papa, & retinuit ſibi Pontiam, quæ olim fuerat a Monaſterio acquiſita, donante Domino Nicolao Papa Secundo ſub pretio centum Librarum; tamen dedit pro eo Papa quinquaginta Libras. Poſt hæc Papa reverſus eſt ad Monaſterium; & altera die dedicavit in Specu Altare in honorem Sancti Benedicti & Sancti Mauri, V. Kalendas Septembris. Hoc facto Papa ivit Sabinam. Tunc Abbas adiit eum, rogans dari Monaſterio Caſtrum Effidis, ſub pretium centum Librarum. Itaque Paſchalis Papa dedit Caſtrum in poteſtate Domini Abbatis, & centum Libras accepit, VII. Idus Septembris. Ildemundo, quod promiſerat, adimplevit, uſque dum in ſua perſtitit fidelitate. Primo idem tempore fecit ampliari Eccleſiam, quam in Palatio Sublaciano factam eſſe diximus. quam & ipſe dedicari fecit a venerabili viro Conono Epiſcopo Præneſtinenſis Eccleſiæ, collectis ibi multorum Sanctorum Reliquiis. Requiſivit idem prænominatus Johannes pro affectu Monaſteria facta a Sancto Patre Benedicto, & a fundamento reædificari juſſit duo ex his, unum ſcilicet in honorem Sancti Victorini, & alterum in honorem Sancti Johannis Baptiſtæ: quibus & prædia contulit ad utilitatem Deo ibidem ſervientium. Fecit in Specu in crypta primi introitus dedicari Altare a venerabili Petro Anagniæ Epiſcopo in honorem Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & Sancti Silveſtri Papæ, deſtructis prioribus Altaribus, quæ ab aqua corrumpebantur & collabebantur, decurrente per petram ipſius cryptæ. Fecit ibidem in Eccleſia Sancti Benedicti dedicari Altare a religioſiſſimo viro Adam Alatrenſi Epiſcopo, in honorem Sanctæ Anatoliæ Virginis & Martyris cum exultatione cunctorum. Fecit murari & renovari Eccleſiam Sancti Romani in aptiori loco cum manſiunculis juxta ſe, quam dedicari fecit a Maifredo honeſto viro Tiburtino Epiſcopo. Fecit parare viam, quæ ducit homines ad Specum magno faſtigio. Hic bonus vir, amore Patris Benedicti ductus, omnes ſuos defunctos conſanguineos in Monaſterio adduxit cum bonis ſuis. Denique ſororem ſuam, nomine Mariam, ab Ambuca defunctam ad Monaſterium vexit cum bonis ſuis in pretio viginti Librarum. Similiter & Rainerius fratrem ſuum a Civitate Præneſtina duxit defunctum cum bonis ſuis in pretio ſexaginta Librarum. Ex eo tempore cœperunt vicini & longinqui Nobiles ibidem quærere Sepulturas; quod antea non erat. Præcepit igitur; ut tota Abbatia mortuos ſuos ad Monaſterium duceret ſepeliendos: quod antea vix Sublaciani faciebant.

Temporibus ejuſdem Johannis Abbatis, Bertrahimo in ſecunda Feria poſt Quinquageſimam furatus eſt Caſtrum, quod dicitur Giranum. Quod mox ut Abbas audivit, maximo collecto exercitu Caſtrum viriliter obſidere cœpit, adeo ut inde nec egredi aliquis, nec ingredi poſſet. Miſit de hoc literas ad Papam Paſchalem, rogans, & humiliter poſtulans, ut ſe ſuper hæc juvaret. Apoſtolicus autem hæc multum ægre ferens, tum quia per treugam factum erat, tum quia Abbatem diligebat, miſit Trevanum ſuum, Cetulum nomine, qui ſupradicto Bertrahimo ex Apoſtolica auctoritate præciperet, ut ſine mora Caſtrum Sancto Benedicto redderet. Actumque eſt per Dei voluntatem, ut Caſtrum Abbas recuperaret, & quia Apoſtolicus hoc mandaverat, & quia qui illud tenebant, vivere ibi non poterant propter alimoniarum inopiam, ab Abbate, ut dixi, undique circumſepti. Idem prædictus Abbas ab initio ſuæ ordinationis anxius fuit acquirere Roccam, quæ dicitur in Camerata: ſciebat enim, quod juris erat Monaſterii. Quod per Dei voluntatem effecit. Emit namque a filiis Oderici, dando eis triginta Libras, & juvando eos de guerra, quam habebant cum Oddone de Palumbaria. Idem Domnus Johannes Abbas Caſtrum Senna in beneficium dedit Creſcentio Alatrino Epiſcopo, quia ejus conſanguineus erat. Quod Caſtrum procedente tempore quidam familiaris jam dicti Epiſcopi prodidit Trevenſibus. Quo Abbas audito, maximum undique congregavit exercitum, & eum obſidere cœpit, & eos ad deditionem cogere, qui ibi erant. Quod quidem Caſtrum cum expugnare non poſſet, miſit literas Apoſtolico Paſchali, rogans, ut ſe ſuper hoc juvaret, & præciperet Trevenſibus, ut ſibi Caſtrum redderent. Quod & Apoſtolicus fecit: ſed minime profuit. Dicebant enim Trevenſes, non eſſe juris Sancti Benedicti, ſed ſui. Propter quod cauſati ſunt ad invicem Abbas & Trevenſes. In quo judicio, ex parte Abbatis fuit Manfredus Tiburtinus Epiſcopus, cum Judicibus & Advocatis Tiburtinæ Civitatis. Actumque eſt per Dei voluntatem, ut ſententia daretur pro Abbate victoriam obtinendo. Et per ſcripturam confirmatum eſt, ut Trevenſes ſuper hoc ultra non habeant poteſtatem inquietare Monaſteria Sancti Benedicti. Pro quo negotio prædictus Abbas expendit fere ſexaginta Libras argenti. Per idem tempus fecit fieri Chartam acquiſitionis & proprietatis in perpetuum a Papa Paſchali de Pontia & Effide, quæ Caſtra antea acquiſiverat, ſicut ſupra ſcriptum eſt. Idem Papa rogatus ab Abbate fecit Privilegium Monaſterio Sancti Benedicti, quomodo confirmavit omnia pertinentia ei, & Pontificali Præcepto roboravit. Deſtruxit etiam munitionem Montis Antonini ex Apoſtolica permiſſione, quam Ildemundus tenebat Monaſterio Sancti Benedicti. Unicus verè ipſe fuit poſt Sanctum Benedictum a Deo benedictus, qui tanta bona acquiſivit Monaſterio, quod nullus crederet, niſi iſta perlegeret.

Mor-

Mortuus eſt poſt hæc venerabilis Abbas Johannes Anno quinquageſimo ſecundo ejus Abbatiæ, Sexto Nonas Maji, Abbatiam in pace relinquens, & honorifice a Fratribus in Monaſterio ſepultus eſt juxta ejuſdem Eccleſiæ murum.

Trigeſimo tertio loco ſedit *Petrus Abbas*, conſecratus in ordine Abbatiæ a Caliſto Papa II. Primo anno ordinationis ſuæ cœperunt ei multa bella a vicinis omnibus circumquaque conſurgere : quibus ipſe viriliter reſiſtebat Sed Tiburtini, ut pote qui tunc potentes erant, cum vehementius & validius urgebant. Hi primo invaluerunt & abſtulerunt ei medietatem Caſtelli de Sancto Angelo, quod communiter tenebant; quod procedente tempore tunc depopulatum eſt, cum Romani tempore Thebaldi Præfecti ſupra Tiburtinos venerunt. Hi etiam præpotentiæ nimietate & locorum in Civitate cœperunt adeo Caſtrum Apollenenſem oppugnare : quod Abbas vix illud obtinere poterat ; quodque per hoc Papæ Honorio Eccleſiam Sancti Benedicti ſervandam commiſit. Pro cujus poſtea incuriâ Caſtrum deſtructum eſt. Nam Tiburtini, ut dicitur, ex conſenſu Papæ ſimul cum Gregorio de Anticulo illud meſſionis tempore aggredientes, & fere omnes illius incolas capientes, ceperunt, ac paulo poſt omnes ejus muros deſtruxerunt. Poſtea autem procedente tempore, cum Tiburtini diſponebant intrare in Burbaranum, ex præcepto Abbatis eis obviare volentis, Caſtrum igne crematum eſt. Timebat enim, ne domos illius exinde ad conſtruendum Podium tranſportarent. His præmiſſis, quomodo Podium de Caſa Populi conſtructum ſit, dicamus. Milo Tiburtinorum Rector, callide exegit ab Abbate, ut pateretur, homines Giranenſes, illos videlicet, qui erant ex portione Sancti Laurentii, ire cum domibus atque cum omnibus ſuis ad conſtruendum & inhabitandum Podium de Caſa Populi : quod Abbas invitus permiſit, quia portione illa diſcordias inter eos enaturas videbat. In quo ſcilicet Podio Tiburtini Turrim altam & firmam ædificaverunt, itemque vallo & foſſa illud undique munierunt : pedites quoque & ſagittarios ad Caſtri curam, & ad Abbatiam impugnandam deſtinaverunt. Cum ergo hoc ſecus evenit, quam Abbas crediderit, atque Abbatia nimis exinde infeſtaretur, conſtruxit Turrim, quæ ſupra Giranum eſt. Tum incœpit modis omnibus excogitare, quomodo Podium capere ac deſtruere poſſet. Inter hæc acquiſivit Caſtrum Monticaſalia, ac ei, qui illud tenebat, dedit Roccam de Incamerata, eo videlicet tenore, ut ipſe exinde ſibi hominium faceret, & eam pro ſe recognoſceret, & a Sancto Benedicto eam nullo tempore ac nullo modo alienaret. Item in Sublaco dedit ei feudum unum, & demum unius Militis apparatum. Non autem multo poſt Lando filius prædicti Gregorii, qui jam dictam Roccam tenebat, cœpit habere verba cum Oddone de Palumbaria, ut daret eam illi. Quod ubi Abbas præſenſit, locutus eſt cum prædicto Oddone, atque cum eo pactus eſt, ut ipſe ex æquo ſortiretur cum eo Roccam, ſi juvaret ſe ad Roccam recuperandam. Hoc ergo ita diſpoſito, quadam nocte aggreſſi ſunt eam, quam & ceperunt. Poſtea verò dedit prædictus Abbas ſexaginta Libras, & redemit ſibi portionem prædictæ Roccæ, quam ex condictu habebat Oddo de Palumbaria. Poſt hoc quadam die in feſtivitate Sanctorum Cryſanti & Dariæ, omnibus Abbatiæ hominibus in expeditionem coadunatis, machiniſque multis præparatis, Podium, de quo ſupra diximus, aggreſſus eſt, atque illud viriliter oppugnans cepit, captumque deprædatus eſt. Ac poſt hæc radicitus & funditus per omnia deſtruxit. Acquiſivit præterea Caſtrum, quod dicitur Collis Altus, emitque a Gregorio Bertraimo de Fumone medietatem ex integro totius Caſtri pro pretio triginta Librarum : a quibus etiam munitionem accepit, quam ipſi tenebant. Reliquam medietatem aliam idem emit ab aliis conſortibus, qui ibi ſuas juriſdictiones habere videbantur. Hic etiam ex quo Tiburtini ædificaverunt munitionem Buburani, atrocior fuit, ut eam acquireret, & recuperare potuiſſet, ſciens eam in hereditate Sancti Benedicti conſtructam. Super quo etiam multoties apud Papam Innocentium querelam depoſuit, ubi antea in manus Papæ Innocentii per guerram, quam cum Tiburtinis habuit, devenit, cœpit eum cum aſſiduis precibus rogare, ut munitionem illam Sancto Benedicto redderet, cui jure hereditario competebat. Cum ergo in infirmitatem Apoſtolicus decidiſſet, & in extremo vitæ ageretur, reductum eſt ei ad memoriam ab Abbate. Apoſtolicus verò compunctus, Sancti Benedicti juſtitiam recognoſcens miſit, ac ſine mora reſtitui fecit Bubaranum, & Apollonium, quod deſtructum erat, atque a Tiburtinis poſſeſſum, itemque omnia circum adjacentia, quæ juris erant Sancti Benedicti, atque ab eo injuſte alienata. His prælibatis ea, quæ in Monaſterio acquiſivit, conſcribam. Fecit fieri Tabulam ante Altare : argenteam Crucem majorem : quatuor Calices, duos majores, & duos minores : duo Bacilia : unam Scutellam pro ſale : unum Caldare pro aqua benedicta cum Aſperſorio. Obiit Abbas Petrus vigeſimo ſecundo ordinationis ſuæ anno, relinquens Monaſterium plenum omnibus bonis, & Abbatiam plenam Militibus bene apparatis.

Trigeſimo quarto loco ſedit *Oddo Abbas* temporibus Eugenii Tertii Papæ. Fuit vir honeſtus valde, Hic ſedit in Abbatia niſi per novem dies. Infra hos dies quidam de Monachis, non recto zelo ducti, ſed obedientiarum promiſſionibus, taliter cum Philippo Nepote Abbatis Petri, & Androcio de Ponte, & Oddone de Podiis egerunt, quod Oddonem Abbatem depoſuerunt, & Raimonem hujus Monaſterii Monachum, germanum videlicet ſupradicti Oddonis & Androcii, & cognatum Philippi, licèt injuſte, Abbatem fecerunt, & adjutus a duobus Cardinalibus, Octaviano ſcilicet & Gregorio Sancti Angeli, ab Eugenio III. Papa conſecratus eſt. Tunc datum eſt Feudum Sublimano germano prædicti Octaviani in Cerreto per prædictum Raimonem. Reverſo ſupradicto Raimone a conſecratione, in brevi tempore cuncta mobilia, videlicet quæ Abbas Petrus reliquerat, cum ſuis conſanguineis devaſtavit, plureſque Milites de Abbatia expulit. Hoc denique tempore Philippus cum Oddone fratre ſuo cum hominibus Abbatiæ levam fecit, & Pontiam, & Effidem abſtulerunt. Trevenſes verò quoque Collemaltum, Gennam, & Montem Porcarium abſtulerunt. Tantùm ille miſer in Eccleſia portas majores ampliare fecit ; & ſedilia, quæ ſunt tranſverſum cum podiis, quæ ſtant ante Altare, ſimiliter fieri fecit. Redeunte Papa Eugenio de Francia, auditâ famâ iſtius Rai-

monis, vocavit ad ſe eum, increpans atque reprehendens acta ejus, & dimiſit eum redire. Deinde miſſo Gregorio Cardinali, qui eum excommunicavit, & in Arce Sublacenſi obſedit, ſic eum de miniſtratione abſtraxit, dans ei Caſtrum Marani, ut ex eo vitam haberet. Poſt hoc Monachi volentes Abbatem facere, ſecundùm quod in Privilegiis continetur, reſiſtebat eis Dominus Papa dicens, eos eligere non poſſe, quia Privilegiis abuſi erant, quod male elegerant. Tamdem convenerunt Dominus Papa & Monachi in quemdam Monachum Caſinenſem nomine *Simonem*, habentem locum in Monaſterio iſto, qui tunc temporis valde honeſtus habebatur. Fuit namque hic Simon de genere filiorum Burrelli de Sangro. Qui cum eſſet Subdiaconus Romanæ Eccleſiæ apud Franciam in ſcholis, vocatus eſt a Domino Papa & Monachis, & factus eſt Abbas. Non multo poſt hæc effectus eſt Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Domnica. Qui poſtquam venit in Abbatiam, Domini Papæ adjutorio recollegit Pontiam & Effidem, quæ tenebant Philippus & Oddo frater ejus. Tunc datum eſt in Canterano Feudum Philippo. Oddoni datum eſt in Feudum Tovanellum. Caſtella verò, Collemaltum, Gennam, & Montem Porcarium, quæ Trevenſes tenebant, de manibus eorum abſtulit. Munitionem verò Sublacenſem, quam Diaconus Sancti Angeli gubernabat, Dominus Papa Monaſterio reddidit. Tunc datum eſt Feudum in Cerreto Petro de Jacynto, germano ſupradicti Gregorii. Tenuit hic *Simon Abbas* Monaſterium & Abbatiam quiete & proſpere cum Comitatu Campaniæ per decem annos. Undecimo autem anno ordinationis ſuæ Philippus, qui tunc in Auguſta habitabat cum quodam Milite, Recaldo nomine, qui Roccam Canterani tenebat, contra Abbatem levam fecit. Itaque fere totam Abbatiam contra eum irritavit. Et quia Abbas hoſtes ſuos ſuperare ſperabat, tunc tantùm Caſtrum Apollonium .... Romanis viris in pignus poſuit, & de Monaſterio omne argentum & pallia abſtulit, videlicet viginti Pluviales, tres Planetas, duas Dalmaticas, duas Tunicas, tres Doſſalos, tria Veſtimenta Altaris, quinque Calices, tria Thuribula, duo Vacilia, duas Caſſellas, ſeptem Candelabra (quatuor ex his Candelabris erant magna, & duo minora) unam Crucem magnam, quæ tunc temporis dicebatur Crucifixum, unam Yconam, unam Caldarellam cum Aſperſorio, duos Libros ...... unam Mitram, valentem pluſquam centum Florenos. Accidit, ut alia die, cum Abbas ad colloquendum iret cum Tiburtinis, Philippus aggreſſus eſt eum in loco, qui dicitur Cona. Cum autem Abbas fugeret, quidam Nicolaus, qui dicebatur de Galgano, ipſius Abbatis Miles, apprehendit eum per habenam, eumque Philippo occulte tradidit. Philippus adduxit eum in captione ad Auguſtam; & cum timeret eum ibi habere, ut ne auferretur ab eo, dedit eum Riccardo de Arzulo ad cuſtodiendum. Ut autem fratres audierunt, venerunt, & abſtulerunt eum a Riccardo, & duxerunt eum Romam, & poſuerunt eum in Gubernacula. Abbas verò de captione ſe liberavit. Dedit Roccam Sancti Stephani in pignus quibuſdam Romanis, & ab eo acceptum tradidit Senatoribus, & ſe liberavit. Deinde venit Effidem, & quid ei poſtmodum acciderit, minime ſcire poſſumus. Tunc Fratres anguſtiati, ac tribulati, quod

A ſic Monaſterium & Abbatia in nihilum redacta fuit, de conſilio aliquorum ſapientum manifeſtaverunt & oſtenderunt Privilegia Papalia, & jura Imperialia, & ſpecialiter Privilegium Sancti Gregorii; & ſic obtinuerunt aliqua Caſtra. Cujus tenor Privilegii Sancti Gregorii talis eſt.

GRegorius Epiſcopus, *ſervus ſervorum Dei, reverentiſſimo & prudentiſſimo* Honorato *Presbytero & Monacho, atque peritiſſimo* Abbati *venerabilis Monaſterii ſancti Confeſſoris ac Patris Benedicti, & ſanctæ Virginis ſororis ejus Scholaſticæ, quod ponitur in Sublacu, tibi, tuiſque Succeſſoribus ibi Deo ſervientibus*, B *vel introëuntibus in perpetuum. Si ſemper ſunt concedenda, quæ piis deſideriis congruunt, quanto potiſſimum ea, quæ pro divini cultus prærogativa noſcuntur, nullo pacto a devotis largitoribus, ipſis petitoribus minime neganda utique ſunt? Petiſti a nobis igitur, quatenus concedamus, ſive confirmemus tuæ Religioſitati, ſi quæ dicti Monaſterii Sancti Benedicti & Sanctæ Scholaſticæ, quæ ponuntur in Sublacu, cum Cellis & Cœnobiis, & cunctis ſuppellectilibus eorum, una cum Specu, ubi ſanctiſſimus Benedictus eremiticam vitam duxit, cum omnibus intra ſe, & circa ſe, cum criptis, ac eis, quæ ſibi ad limitem omnino ſunt. Verùm etiam locum veſtrum cum Piſcaria, &* C *aquæmolis ſuis, exeunte ipſa aqua in locum, qui nominatur Mandora. Item aquimolia & Piſcariam ſuam, quæ pervenit uſque Marco, quæ cognominatur de Ferrata, omnia Monti cohærentia. Veſtro namque Monaſterio noſtra auctoritate ſint confirmata, ut nulli umquam hominum magnæ parvæque perſonæ in ipſa aqua, vel Timida, ſeu in aqua, quæ vocatur Auguſta, vel in aqua, quæ dicitur Bullita, neque in Fluviolo, neque in aqua de Tovanello, neque in aqua, quæ nominatur Cona, neque in nulla aqua de toto Sublaciano territorio aliquem hominem in quibuslibet de ipſis locis ſine conſenſu Abbatis ejuſdem Monaſterii, nullo prætextu ſtruere audeat ibidem aquæmolum. Et* D *qui hoc fecerit, aquæmolum in jus tantùm Monaſterii cadat, & noſtro Palatio compoſiturus exiſtat auri cocti Libras triginta. Item confirmamus vobis detinendum Caſtellum, qui vocatur Sublacus, cum omnibus ſuis pertinentiis, vel adjacentiis, cum omni placito & datione ſua, una cum glandatico & herbatico, atque cuncta publica functione, ſicuti noſtro Palatio annuatim perſolvi ſolet. Præterea ego Gregorius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Præſul ſcripſi Vitam Sancti Benedicti, & legi Regulam, quam ipſe Sanctus manu ſua propria ſcripſerat, laudavi & confirmavi eam in ſancta Synodo, & per diverſas partes Italiæ, & ubicumque Latinæ Literæ legerentur, præcepi, ut ibi diligen-*E *tiſſime eam obſervarent, quicumque ad converſationis gratiam aſcenſuri eſſent uſque in finem Mundi. Et confirmo duodecim Monaſteria, quæ ipſe Sanctus conſtruxit, & in unoquoque duodenos Monachos conſtituit. Et confirmo Chartulam, quam fecit Tertullus Patricius de Tuſculana, & de Sublacu Fuliano cum Eccleſia Sancti Donati, & cum Turre, cum colonis & colonabus ſuis, & Sancta Maria in Surriſio uſque in mare. Et confirmo Chartam, quam fecit Euticius de Eccleſia Sancti Laurentii, quæ eſt in Aqua Alta ad Catecumbas, & Cartulum, Gallicam, & Bonabellum, cum ſuis pertinentiis, ſicut per affines conſtat. Omnia*

quæ-

quæcumque Sanctus Benedictus in Vita ſua acquiſivit, vel poſt tranſitum ſuum, a Pontificibus, vel a Regibus, aut Ducibus, vel aliquibus Chriſtianis in ſuo Venerabili Monaſterio dederunt.

Præterea de mea hereditate, conſentiente matre mea, *nomine* Silviâ, *dono & concedo per hoc noſtrum Apoſtolicum Privilegium pro Dei omnipotentis & Sancti Benedicti honore, & pro Cœnobii ſuſtentatione tibi ſupraſcripto Honorato per te & cunctos tuos Succeſſores in perpetuum detinendum in uſu & utilitate ipſius Monaſterii: ideſt Maſſam Apollonii cum omnibus ſuis generaliter, & noſtris pertinentiis pro anima noſtra,* Genitoris mei Gordiani, *& omnium parentum meorum vivorum & mortuorum Montem Vultuillam de Sancta Maria, ferentem in Piſcanum, & per ipſum rigum venientem in flumicellum de Vitenzanum, & ferentem in flumen Tiburtinum, ferentem in Collemates per ſuos affines, ferentem in Sanctum Stephanum, cum Eccleſia Sanctæ Mariæ in Tizana, & per ipſum rivum venientem in viam Tiburtinam, ubi ſtat Columna, trameante rivo in Montem, in Sancto Pamphilo, ferente in Caput Leonis, & aſcendente in Montemalo, & revertente in Sanctam Mariam de Vultuvilla. Hanc præſcriptam Maſſam cum omnibus ſuis immobilibus locis, ut ſuperius legitur, a præſenti Duodecima Indictione in perpetuum tibi, tuiſque Succeſſoribus concedimus & confirmamus in uſu & utilitate ipſius Monaſterii. Ita tamen ut infra annum Sacerdotes & Monachi ipſius Monaſterii pro redemtione animæ noſtræ, noſtrorumque Succeſſorum, clament in eadem Eccleſia centum* Kyrie eleiſon, *& centum* Chriſte eleiſon, *& Sacerdos ſacra Miſſarum ſolemnia pro abſolutione animæ noſtræ, noſtrorumque Succeſſorum Pontificum omnipotenti Deo offerant, & Diaconi per unumquemque Pſalterium decantent. Statuentes Apoſtolicâ cenſurâ, ſub divini Judicii obteſtatione, & anathematis interdictione, ut nullus umquam Succeſſorum noſtrorum Pontificum, vel qui publicis functus ſit actionibus, vel alia quælibet magna parvaque perſona audeat, vel præſumat de omnibus ſuperius dictis, vel de ſupraſcripta Maſſa Apollonii cum omnibus ſuis pertinentiis vel adjacentiis, ut ſuperius legitur, contra hoc noſtrum Pontificale Privilegium agere vel alienare, aut auferre, ſed potius firmum atque ſtabile perpetuis, ac ſempiternis temporibus, ita ut a nobis ſtatuta ſunt, decernimus permanendum. Si quis autem, quod non optamus, contra hoc noſtrum Apoſtolicum Privilegium temerator exſtiterit, & in quoquam tranſgredi, & tranſgreſſum ire voluerit, vel ei temerario auſu contraire præſumſerit, & obſervator eſſe noluerit: ſciat, ſe auctoritate Domini noſtri, Apoſtolorum Principis Petri & Pauli, anathematis vinculo innodatum, & cum Diabolo, ejuſque atrociſſimis pompis, atque cum Juda traditore Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti in æternum ignem comburendum; ſimulque in voraginem, terrarumque chaos demerſurum cum impiis. Qui autem propitio intuitu cuſtodientes & obedientes, atque obſervatores hujus noſtræ ſalutiferæ præceptionis exſtiterint, benedictionis gratiam ac retributionis in æterna gaudia a juſto Judice Domino Deo noſtro conſequi mereantur. Amen.*

Scriptum per manus Benedicti Scriniarii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, menſe Maji, Indictione Duodecima, Pontificatus Domini Gregorii in ſacratiſſima Sede Sancti Petri Apoſtoli Anno . . . . . . Indictione ſupradicta XII.

A *Benedictus Abbas* ſapienter & diſcrete acquiſivit e converſo bona Sancti Gregorii, quæ perdita fuerunt per Romanos tempore Benedicti Papæ Noni a Domino Creſcentio Præfecto Urbis Romæ, nec non a Domino Johanne inclyto Comite, ut habetur in Inſtrumento, quod idem Præfectus conceſſit de novo, & inde Privilegium fecit fieri Benedictus Papa. Et idem Præfectus Creſcentius Caſtrum Sancti Angeli Monaſterio Sublacenſi tradidit in iſta forma.

Creſcentius Præfectus, *atque una cum parentibus meis, tradimus & perpetuo confirmamus humili Abbati* Domno Benedicto Abbati *Monaſterii Sancti Benedicti, & Sanctæ Scholaſticæ Virginis, quod ponitur in Sublacu, Caſtellum, qui vocatur Apollonii, cum tota ſua*
B *permanentia in montibus & in planis; & quomodo habitatores de ipſo Caſtello manibus ſuis detinent, & placita illorum leguntur. Et de duabus portionibus de Caſtello novo, qui vocatur Sancti Angeli, & de cuncto territorio. Et de duabus portionibus de Romano Majore & Minore; & de Sancto Felice: & de Colle Bernardi; & de . . . . Papi conſervavimus Sancto Benedicto; & quomodo jam ante acquiſitare potuerimus in Sancto Benedicto infra iſto territorio, de omnibus ſupraſcriptis bonis & locis confirmavimus, & defendimus ab omni homine, qui moleſtare voluerit nos, vel noſtros heredes a ſupradicto Monaſterio ad Abbatem &*
C *Monachis Deo ſervientibus in perpetuum, a præſenti hora, & in perpetuum conſervare in Privilegio.*

Ideo bonum eſt tenere Privilegia Apoſtolica. Faciunt contentioſos homines terrere. *Abbas* Leo tempore Leonis Papæ Sexti acquiſivit a prædicto ſummo Pontifice Maſſam, quæ vocatur Tubenſana, & Intermurana in integrum, cum fundis & caſalibus & omnibus vocabulis. Fundum Bulſanum, Fundum Cantaranum, Fundum Marana . . . . territorio Tiburtino, & Sublaco, ſeu Effide, milliaria ab Urbe Roma plus minus viginti, cum omnibus ad ipſam Maſſam generaliter & in perpetuum pertinentibus, & ita confirmavit, ſicut San-
D ctus Gregorius egregius Doctor fecit conſervare in Privilegio ſuo. Ibi omnia continentur. *Simon Abbas* Anno Domini MCLXI. tempore Alexandri Papæ Tertii, quæſivit & acquiſivit multa bona. Vixit multo tempore laudabiliter. Tempore ſuo Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXIII. Menſe Novembris, tempore Papæ Lucii Tertii, facta eſt quæſtio magna & querela depoſita per Oddonem OEconomum Monaſterii Sublacenſis adversùs Riccerem de Arſula, de Caſtris Arſula, & utroque Rubiano, & Sancta Maria Velleri. Quæ cauſa a Domino Papa commiſſa fuit Domino *Miloni Tiburtino Epiſcopo*, tractanda & terminanda ante ejus præſentiam. Domnus Si-
E mon Abbas cum fratribus ſuis cum Riccere de Arſula ſemel & iterum ad Pontem Maram cauſati ſunt. Sed cum per eumdem Epiſcopum quæſtio terminari non poſſet, & Domino Lucio Papæ ſignificatum fuiſſet, eumdem Riccerem ad ſuam præſentiam accivit, & laudabiliter determinavit; & Monaſterium omnia jura ſua obtinuit. Eodem tempore Rao de Rojata in Capitulo noſtro juravit Monaſterio Sancti Benedicti, & Domno Simoni Abbati primo pro Terra, quam in Rojata tenet, & ſemper contrarius fuit Monaſterio. Ideo ſic juravit.

Ego quidem Rao juro, quod amodo & in antea fidelis ero Monaſterio Sancti Benedicti, & tibi

tibi Domno Simoni Abbati, & non ero in conſilio neque in facto neque in conſenſu, quod perdas vitam aut membra, aut captus ſis mala captione propter Terram veſtram & Sancti Benedicti, quam teneo, & præcipue Rojatam & Roccam.

Et juravit pro Feudo de Sublaco. Et ſic Abbas conceſſit habitationem Palatii de Rojata hinc uſque ad decem Annos, & Turrim dedit ad tenendum in manu Coſti & filii de Scarpa. Tranſactis & completis decem annis Palatium cum terris ſine contradictione vel aliqua diminutione reverti debet ad manus Monaſterii, & Domni Simonis, vel ejus Succeſſoris.

In diebus Domini Gregorii IV. Agareni deſtruxerunt Monaſteria, & ipſe reædificavit Monaſterium Sublacenſe. Sicut Sanctus Honoratus poſuit fundamentum, ita ipſe in honore Sanctorum Coſmæ & Damiani ſub vocabulo priori conſtruxit ſecundum. Reperimus & experti ſumus, quod in planitie Monaſterii Sublacenſis fuit primum Monaſterium in honore Sancti Clementis, vel Sanctæ Mariæ Virginis. Neſcitur veritas. Ego reperi, quod *Leonas* fuiſſet *Abbas* in Monaſterio prædicto Sancti Clementis. Utrumque poteſt eſſe verum, in honorem Virginis Mariæ, & Sancti Clementis. Sed tempore Sancti Honorati fuit mutatum nomen, quia Monaſterium fuit aliter ordinatum. In qua quidem planitie adhuc ipſius Eccleſiæ pars cernitur, in quo Monaſterio primo Benedictus pater Monachorum Occidentalium habitavit cum Mauro, & Placido, Tertullis, & Equitii Civium Romanorum ſobole generoſa, & cum multis aliis, quos idem Pater teneriime moribus inſtruebat divinis. Quod ſupradictum Monaſterium miro apparatu & opere marmoreo tabulatum fuit. Cujus pavimentum more Eccleſiarum almæ Urbis, quadratis & politis lapillulis interſtrabatur. Juxta quam Eccleſiam almus Pater Benedictus ob recreationem ſui ac diſcipulorum ſuorum, ut creditur, hortum pomiferum fieri juſſit, ac de die in diem ambulans de virtute in virtutem, bonos ad amplius bonorum operum provocabat augmentum: malos autem invidiæ facibus accenſos contra ſe concitabat, ſicuti experientia effectum rei poſtea declaravit. Refert Sanctus Gregorius in Dialogo ſuo de Presbytero Florentio, qui ex altera parte Laci habitans quamplurimum contriſtabatur, eo quod derelictus ab illis, qui eum inviſebant, ad Sanctum Benedictum confluentes, ſui quæſtus lucra perdiderat. Sed perdita lucra deplorans, convertit gladium invidiæ in prædictum Patrem Benedictum, & pane venenato pro dono ſibi tranſmiſſo moliebatur eum extinguere: ſed non potuit, ſicut luculentius patet ex dictis Sancti Gregorii ſuperius memorati. Supradictus Presbyter Florentius videns Sanctum Benedictum divinâ fretum prophetiâ, nec in eum ſe poſſe prævalere, cogitavit animas diſcipulorum ejus ad nefandas turpitudines incitare, ſicut ex ſequentibus apparebit. Ut verò lucidius veritas rei conjiciatur, ſciendum eſt, quod a domo Presbyteri Florentii, quæ, ut diximus, ab altera parte Laci ſita fuerat, uſque ad alteram partem Laci ex oppoſito erat Pons miræ magnitudinis, qui tranſeuntibus iter erat, cujus Pontis magna adhuc pars cernitur integra. A pede autem dicti Pontis uſque ad prælibatum hortum ipſius Eccleſiæ iter planum erat in modica diſtantia. Tunc enim tempo-

A ris ille locus, vel vicus, qui vulgo Planello dicitur, habitabatur, qui contiguus erat habitationi Presbyteri Florentii. Ex quo quidem vico puellas ſeptem ſibi elegit, quæ juſſu ejus pontem tranſeuntes, directo tramite ad hortum prædictæ Eccleſiæ, nudæ venerunt, quæ chorizantes conſpectibus prædictorum diſcipulorum ſe offerebant. De hac materia in Dialogo finem invenies. Supradicta Eccleſia, de qua ſuperius mentionem fecimus, ex terræmotu vaſtata in toto fuit. *Abbas* autem *Landus*, qui Clauſtrum hujus Cœnobii Sublacenſis quaſi de novo conſtruxit, ex ruina ipſius Eccleſiæ fecit columnas & tabulas marmoreas, quas ex dicta ruina colligere potuit. Ex ma-
B gnitudine autem ruinæ maxima pars ædificii corruit, tantaque uſque nunc & forſitan uſque in æternum, quæ perdita fuerunt, per nullum viventem recuperabuntur. Repererunt marmoreas tempore noſtro columnas. Poſt Anno Domini MCLXV. *Oddo Abbas* tempore Alexandri Papæ III. illa omnia ornamenta Eccleſiæ abſtraxit, & miſerabiliter vitam conſumſit. Quodque Domnus Johannes pro Eccleſia acquiſivit, ille vendidit & alienavit, in quantum potuit. Tunc oſtenſum fuit Cardinalibus, & ſummo Pontifici Privilegium Domini Paſchalis, quando in propria perſona ad Monaſterium Sublacenſe venit, viſitavit, & omnia ordinavit, & plura Caſtra acquiſivit, ut ha-
C betur in Privilegio, cujus tenor talis eſt.

PAſchalis Epiſcopus, *ſervus ſervorum Dei, dilecto filio* Johanni Sublacenſis Monaſterii Abbati, *ejuſque Succeſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum.* Glorificantes me glorificabo, *dicit, qui non mentitur, Dominus. Hoc veritatis ſuæ promiſſum Deus benedictus in ſæcula fideli ſuo Benedicto cuſtodiens, eum mirabiliter non ſolùm in cœlis, ſed etiam in terris glorificare dignatus eſt, ut ipſa quoque loca, in quibus ipſe Dei famulus habitavit, glorioſa apud homines habeantur. Hanc Dei factoris dignationem nos quoque ipſius factura ſequimur, cum eumdem Patrem noſtrum in Deo*
D *glorificare curamus. Unde & locum illum, in quo Dei diſpoſitione prius habitaſſe, & ad glorificandum Deum Cœnobium conſtruxiſſe, & multos ad Dei gloriam aggregaſſe cognoſcitur, cui videlicet Sublacum nomen, & glorioſum & venerabilem habemus, & Apoſtolicæ Sedis auctoritate munimus. Tibi igitur, cariſſime Fili, & per te ſupradicto Sancti Benedicti Monaſterio confirmamus Specum, in quo idem ſanctiſſimus Vir in ſuo converſationis exordio habitavit, cum adjacenti Silva & Monte circum circa, & cum omnibus finibus aut pertinentiis antiquitus conſtitutis. Et ſub eodem Specu Lacum, ſive Fluvium ex eiſdem lacubus procedentem; in quibus videlicet aquis nemini præter Abbatis &*
E *Fratrum voluntatem aut piſcari, aut molendinum ædificare, uſque in Arcum, qui dicitur de Ferrata* (liceat). *De Forma quoque antiqua, quæ ducit aquam de flumine ad Plebem Sancti Laurentii, & de aqua, quæ vocatur Auguſta, nemini liceat præter voluntatem veſtram aquam derivare, niſi quantum ſufficiat hortis rigandis, & replendo fonti Baptiſmatis in eadem Eccleſia; nec aquimolum quidquam illic præter veſtram voluntatem ædificare præſumat uſque in ſupradictum Arcum de Ferrata. Si quis verò aliter egerit, banno Romanæ Curiæ diſtringatur, cujus banni medietas ſacro Palatio, medietas verò eidem Monaſterio perſolvatur.*

vatur . Confirmamus etiam vobis & veſtro Monaſterio Caſtellum , qui Sublacus dicitur , cum omnibus ſuis pertinentiis , ſicut a Prædeceſſoribus noſtris conſtat eſſe conceſſum , cum montibus & collibus , & fundis & caſalibus , cum omnibus Eccleſiis & rebus ad eas generaliter & in integrum pertinentibus . Fundum Canali , & fundum Gennæ in integrum cum pertinentiis ſuis : Fundum Fraſſinum cum omnibus ſuis pertinentiis ; & locum , qui Fundi vocatur , ſicut extenditur uſque ad Petram Imperatoris , & vadit in Montem , qui vocatur Pionica , inde per Serram in Montem Romanum , & exit in Campum Longum , inde in Campum Catinum , deinde redit ad ſupradictam Petram Imperatoris . Et locum , qui dicitur Geminarium cum finibus ſuis , ſicut Anteceſſorum noſtrorum Privilegiis continetur . Caſtellum Auguſtæ cum fundis & caſalibus ſuis , & Caſale Sanctæ Felicitatis , cum eadem Eccleſia cum fundis & caſalibus ſuis , & cum omnibus pertinentiis ſuis, ſicut in eiſdem Privilegiis continetur. Roccam Cervariam cum fundis ſuis , & ſuis Caſalibus , & cum omnibus ſuis pertinentiis . Caſtellum Maranum , & Roccam Martini , & Roccam de Neſſo , cum omnibus ſuis pertinentiis . Caſtrum Canteranum cum Rocca ſua , & cum fundis & caſalibus ſuis . Montem de Groſſo , Vallem frigidam ; Montem de Meſu , & Funsſtellæ, cum omnibus eorum pertinentiis . Caſtellum Cerretum cum omnibus pertinentiis ſuis . Caſtrum Giranum cum montibus & collibus , fundis & caſalibus , quemadmodum Monaſterio congruere videtur , cum maſſis & omnibus ſuis pertinentiis , cum veteri hereditate Monaſterii . Caſtellum Apolloni cum montibus & ſuis caſalibus , & medietatem Caſtri Sancti Angeli , cum Eccleſiis , & fundis , maſſis , & pertinentiis eorum . Roccam Sancti Stephani cum pertinentiis ſuis . Vallem de Annito : Collem de Occia , cum montibus & collibus , fundis & caſalibus ſuis . Tovanellum , Fundum Ottanum , Fundum Maciomanum , Fundum Camanum , Fundum Aquævivæ ; & medietatem Montis Afilani , cum omnibus pertinentiis eorum . Caſtrum Afilæ cum montibus & collibus , & cum omnibus eorum pertinentiis . Caſtrum Pontiæ cum montibus & collibus , & cum omnibus eorum pertinentiis . Præterea ex antiquo jure & tam Romanorum Pentificum , quàm etiam Imperatorum conceſſionibus & privilegiis ad idem Sancti Benedicti Monaſterium pertinere noſcuntur Sala Civitas , quæ vocatur Carſeolis , cum maſſis , fundis , & caſalibus ſuis , & Auricula , Rocca de Butte, Rocca in Camerate, Rocca Roſunum, Arſulæ , Rubianum , & aliud Rubianum ſuper fluvium , Anticulum , Garracineſcum , Rocca Demaſii , Rocca de Surici Siciliani , medietas Deilicæ , Maſſa Sancti Valerii , Siſcanum , Mons Caſalis , Civitella , Olivanum cum omnibus fundis & caſalibus eorum . Oppidum Tuſculanæ cum Rocca ſua & omnibus pertinentiis ſuis : Caſtellum Gallicanum cum Eccleſiis , fundis , & caſalibus , & omnibus pertinentiis ſuis .

Confirmamus etiam Cellas eidem Monaſterio pertinentes . Item Eccleſiam Sancti Angeli in Effidem poſitam : Eccleſiam Sancti Georgii , & cum omnibus earum pertinentiis , & cum veteri hereditate Sancti Patris Benedicti : Eccleſiam Sancti Angeli in Petralata: Sancti Sebaſtiani in Pilliano : Eccleſiam Sancti Quintini ; Sancti Blaſii in Antido : Eccleſiam Sancti Leucii in Babuto , poſito in territorio Campanino , cum
A omnibus earum pertinentiis . In Carſoli Eccleſiam Sancti Petri . In Camerata Eccleſiam Sancti Martini de Egellis , & Sancti Petri de Caſtruino . In territorio Marſicano Sanctum Petrum in Verſe : Sanctum Benedictum in Rivo de Meruli : Sanctum Thomam de Tranſaquas , cum Eccleſia Sancti Nicolai in Vallis . In territorio . . . . . Eccleſiam Sancti Pauli in Villa , cum omnibus eorum pertinentiis : Sanctum Angelum in Albe: Sanctum Salvatorem in Avelano : Sanctam Mariam de Tuffo , cum omnibus ſuis pertinentiis . In Valle Sorana Eccleſiam Sancti Pauli, cum aliis tribus Eccleſiis, & cum Villa juxta ſe poſita , & cum omnibus ejus pertinentiis. In Civitate Tiburtina Eccleſiam Sancti Antonini , Sanctæ Crucis , & Sanctæ Barbaræ, cum omnibus earum poſſeſſionibus. Aliam Cellam ad honorem Sanctæ Crucis in Quintiliolo cum oliveto ſuo , & ceteris ſuis pertinentiis . Et ſex uncias de Eccleſia Sanctæ Mariæ in eodem Monte poſita . Fundum Calicianum , cum Eccleſia Sancti Petri , cum terris & vineis , ſicut per antiquos affines conſtat . Villam , quæ vocatur Papicum : Eccleſiam Sanctæ Mariæ , cum terris & vineis ; & Montem, qui vocatur Monicula , & Eccleſiam Sanctæ Mariæ , quæ ponitur in Porta . Eccleſiam Sancti Sebaſtiani , cum omnibus ſuis pertinentiis . Aquimolos tres, unum Caſtrum veterem , alium foris Portam majorem , & alium in Veſta juxta Caſtellum Gallicani . Eccleſiam Sancti Paſtoris , Sancti
C Angeli , Sanctæ Mariæ , Sancti Laurentii in Aqua Alta , cum omnibus earum poſſeſſionibus. Romæ Monaſterium Sancti Eraſmi cum domibus & hortis & ceteris poſſeſſionibus . Statuimus itaque , ut prædicta omnia , ſive poſſeſſiones , quas idem venerabile Monaſterium in præſenti Septima Indictione poſſidet , quietæ vobis & integræ conſerventur . Et quæcumque ad ejus jus legitime pertinent , ſive Pontificum conceſſione , ſive Imperatorum & Principum liberalitate, ſeu quorumlibet fidelium oblatione , cum aliis juſtis & legalibus modis , in ejus jure ſemper & poſſeſſione permaneant . Nec ulli omnino hominum liceat eadem Sancti Benedicti Monaſteria temere perturbare , aut ejus poſſeſſiones auferre , vel
D ablatas retinere , vel injuſte datas in ſuis uſibus vendicare , minuere , vel temerariis vexationibus fatigare ; ſed omnia integra conſerventur , eorum , quorum ſuſtentationi & gubernationi conceſſa ſunt , uſibus omnimodis profutura . Ad hoc propter frequentes injurias , quæ ab Epiſcopis , vel Epiſcoporum Miniſtris , Monaſteriis ingeruntur , datam veſtro Cœnobio a noſtris Prædeceſſoribus facultatem vobis quoque ratam manere decernimus ; ut ad Eccleſias , cum expedierit , dicandas , aut Clericos ſive in Monaſterio , ſive in Cellis , ſive in Caſtellis , aut Villis Monaſterii ordinandos , vel a nobis Epiſcopatum accipiatis , ſi ad nos pervenire in tempore potueritis, vel quem malueritis Catholicum
E Epiſcopum adeatis , qui Apoſtolicæ Sedis fultus auctoritate , quæ poſtulantur , exhibeat ; nec a quoquam illius Eccleſiæ Epiſcopo ſuper hoc contradictionem aut querimoniam patiatur . Et propter omnem cujuslibet Eccleſiæ Sacerdotem in præfato Sancti Benedicti Monaſterio ditionem quamlibet habere , præter Sedem Apoſtolicam , prohibemus . Obeunte autem ejus loci Abbate, vel ſuorum quolibet Succeſſorum , nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia , ſeu violentia præponatur , niſi quem Fratres communi conſenſu , vel Fratrum pars ſanioris conſilii , ſecundùm Dei timorem , & Sancti Benedicti Regu-

Regulam elegerint . Electus verò a Romanæ Sedis Pontifice conſecretur . Si quis autem Eccleſiaſtica, Secularisſve perſona hanc noſtræ Conſtitutionis paginam ſciens , contra eam temere venire tentaverit , ſecundo tertiove convicta , ſi non ſatisfactione congrua emendaverit , poteſtate honoriſque ſui dignitate careat, jamque ſe divini Judicii exiſtere de perpetrata iniquitate ream cognoſcat , & a Sacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemtoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat , atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat . Cunctis autem eumdem locum juſte ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti : Item & hìc fructum bonæ actionis percipiant , & apud diſtrictum Judicem præmium æternæ pacis inveniant . Amen .

Scriptum per manum Notarii Sacri Palatii .

Ego Paſchalis Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopus .

Datum Laterani per manum Johannis Romanæ Eccleſiæ Diaconi ac Bibliothecarii , Tertio Idus Aprilis , Indictione Septima , Incarnationis Dominicæ Anno Milleſimo Centeſimo Decimo Quinto , Pontificatus quoque Domini Paſchalis . . . .

Præterea Privilegium Domini Ottonis Cæſaris , quod propria manu ſignavit , & plura Caſtra Monaſterio conceſſit , & Caſalia infinita , ut habetur in Privilegio ſuo , ubi legitur : *Ambroſius Cancellarius &c. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXVII.* videlicet Nonocenteſimo Sexageſimo Septimo , *Imperii verò Domini Ottonis piiſſimi Cæſaris Quinto . Actum Romæ .*

Hadrianus multa conceſſit tempore Caroli Magni Imperatoris .

Stephanus Abbas , imperante Hadriano piiſſimo Papa , Anno IV. Imperii piiſſimi Caroli Imperatoris , Indictione Prima , menſe Auguſti . . . .

CÆſarius *Eminentiſſimus* Conſul & Dux, Filius *quidem* Pipini , *in perpetuum largior, atque offero , id eſt Fluvium Majorem noſtrum , qui cognominatur Ferrata , cum ripis ex utraque parte & aquæmolis & piſcariis ſuis habentem , una cum cunctis aquis , quæ in toto Sublaciano Territorio noſtro repertæ ſunt, Monaſterio Sublacenſi . Item concedo Urbem Coloniam , quæ vocatur Seminaria , cum omnibus pertinentiis & adjacentiis ſuis , una cum Monte , qui vocatur Auguſta , ſeu Monte , qui dicitur Servana . Fundum Lanturani &c.* & multa alia , ut habetur in Privilegio Papæ Hadriani & Caroli Magni , & omnia confirmavit . Et alia bona idem Stephanus Abbas acquiſivit pro Monaſterio ſuo .

Nota quod duo Reges *Hugo* & *Lotharius* , divinâ providente clementiâ, multa bona obtulerunt Monaſterio Sublacenſi, Fratribuſque ibidem pro tempore Deo famulantibus. Inter cetera :

Per hoc noſtræ auctoritatis Præceptum , Curtem hactenus juris Regni noſtri pertinentem , quæ Sala dicitur , cum omni ſua pertinentia , omnibuſque rebus ibidem aſpicientibus, conjacentibus in territoriis & finibus Sublaci , & Ciculi , & Reate , atque Savini , pro ut juſte & legaliter poſſumus , donamus , penituſque concedimus atque largimur, & de noſtro jure & dominio ad uſum Monachorum transferimus . Etiam

A *confirmamus & corroboramus , quæ ibidem collata ſunt ab Imperatoribus , ſive Regibus Prædeceſſoribus noſtris &c.* , ut habetur in Privilegiis eorum .

Signa piiſſimorum Principum Hugonis & Lotharii Regum .

Siperandus Cancellarius , Anno Domini Nonocenteſimo Quadrageſimo Primo , Regni verò Domini Hugonis piiſſimi Regis Decimoquinto , Lotharii verò item Regis Decimo , Indictione Decima quarta .

Actum juxta Romam in Monaſterio Sanctæ Agnetis .

De Imperatore Ottone , quanta bona dedit .

B Otto *ſuperna jubente clementia Romanorum* Imperatór , *& ſemper Auguſtus . Notum ſit omnibus fidelibus noſtris præſentibus & futuris, quod conceſſimus* (videlicet Ciſternum in Cicerata) *cum omnibus terris , vineis , & hortis , juſte & legaliter acquiſitis, cum noſtro Imperiali Præcepto confirmamus &c.* , ut habetur in Privilegio dicti Imperatoris .

Signum Domni Ottonis Imperatoris Auguſti. Eribertus Cancellarius &c.

Data III. Idus Auguſti, Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo , Indictione XII. Anno Tertii Ottonis Regnantis Decimo Sexto , Imperii Quarto .

Acta Sublacenſi Sancti Benedicti .

C Ut creditur , etiam ipſe perſonaliter viſitavit Monaſterium , & alia multa conceſſit , donavit , confirmavit . Habentur etiam Privilegia Apoſtolicorum plurimorum , ſcilicet Nicolai Primi Papæ , & Secundi ; & Johannis Undecimi & Duodecimi ; Gregorii Quarti ; Benedicti Sexti , Septimi , & Octavi ; Leonis Sexti , Septimi , Octavi , & Noni. Et multa Privilegia Regalia & Imperialia quære in antiquo Libro , ut ſupra . *Abbas Umbertus* a Papa Leone Nono : & *Azzo Abbas* a Papa Nicolao : & *Leo Abbas* a Papa Leone Sexto ; & *Johannes I. Abbas* poſt *Petrum II. Abbatem* a Domino Benedicto Papa ; & *Domnus Johannes Abbas II.* a Domino Paſchali Papa Secundo : iſti Abbates cum iſtis Summis Pontificibus ita ſubtiliter ordinaverunt , quod omnia Privilegia Monaſterii tam Imperialia , quàm Regalia , tam a Principibus , quàm a Ducibus , ſive Comitibus , Baronibus , Militibus , ſive a quibuſcumque fidelibus , qui dederunt , & qui obtulerunt Monaſterio , quilibet Summus Pontifex de prædictis confirmavit , & ſuper hoc ſemper aliquid addidit , & conceſſit , ut habetur in Privilegiis eorum . Specialiter Dominus Papa Leo Nonus omnia bona Monaſterii in uno Privilegio poſuit tam Pontificalia, quàm Regalia , ut patet , ubi dicit :

D *Unde tibi , ſancte ac venerande Pater , tua tibi confirmamus , omni diligentiâ , omni devotione* . . . . . *ac ſaltem in tuorum pia & devota obſervatione digna Soror tua Virgo Scholaſtica tecum hæc omnia habeat , & in perpetuum poſſideat . Fraterna caritate , ſpeciali reverentia ergo quæcumque vobis a Chriſti fidelibus conceſſa ſunt , vel poſſidentur , vel in poſterum poſſidebuntur , ſub obtentu ſummi Judicis , & auctoritate Sancti Petri Apoſtolorum Principis , per Privilegium ſanctæ Romanæ Sedis confirmamus & roboramus vobis . In primis Specum tenebroſum , corporis tui per aliquod tempus pro Chriſto vile reclinatorium , tibi actu & nomine regularis* . . . . *Pater magne , diſcretionis* , •.

E

Sancte

Sancte Benedicte ; ſicuti ſpecialiter tibi ſolitario ſolitarium elegiſti , ita etiam a te ſolo ſpecialiter diſponimus poſſideri . Ita omnia volumus a te, & a tua Sorore fraterna communione teneri : & reliqua quæ nimis eſſet ſcribere , ut habentur in Privilegio ſuo .

Datum Secundo Calendas Novembris per manus Federici Diaconi , & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ , & Apoſtolicæ Sedis Cancellarii , vice Domini Herimanni Archicancellarii & Colonienſis Archiepiſcopi .

Idem ſummus Pontifex ædificavit Specum in honorem Sancti Sylveſtri, & fecit fieri introitum, ubi nunc eſt Cœmeterium Monachorum. Gregorius Quartus , videns , quod Agareni deſtruxerant Monaſterium Sublacenſe , reædificavit in honorem Sancti Benedicti , & Sanctæ Scholaſticæ Virginis , ſed non perfecit . Sed Leo Papa Quartus perfecit , & Benedictus Papa Septimus conſecravit ſub nomine Sancti Benedicti, & Sanctæ Scholaſticæ Sororis ejuſdem Patris . Quia non eſt credendum , quod Specum fuerit ædificatum in honorem Sancti Benedicti , ſed in honorem Sancti Silveſtri , quia verum eſt , quod *Johannes Abbas* miſit facere Altare prope Speluncam in honorem Sancti Benedicti , ut creditur , & hoc cernitur . Quando Fratres infirmabantur , ſubito ad Monaſterium portabantur, & ibi moriebantur . Sed tempore *Landonis Abbatis* multiplicabantur , quia prius niſi duo ibi erant , interdum quatuor , ſed rarò . Quicumque volebat ſtare in Specu , victum & amictum recipiebat a Monaſterio ; & ubi pro nunc eſt ſtabulum aſinorum ; ibi habitabant Fratres & reficiebantur , & ſubtus dormiebant . Superius fuit parva Camera , ubi comedebant . De iſta materia quære in antiquo Regeſtro Monaſterii .

Anno Domini Milleſimo Centeſimo Sexageſimo Primo fuit *Abbas Simon* tempore Alexandri Papæ Tertii . Poſt hunc fuit *Abbas Romanus* . Poſt hunc fuit *Abbas Amato*. Item poſtea fuit *Abbas Matthæus de Farfaro*. Item fuit *Benedictus Abbas* tempore Benedicti Papæ Noni . Item *Gregorius Abbas* . Item *Guilielmus Abbas* tempore Nicolai Tertii Papæ. De iſtis omnibus neſcimus loqui nec ſcribere , utrum fuiſſent boni vel mali. Deus ſcit. Nota de Abbate Rainaldo . *Rainaldus Abbas* fuit temporibus Honorii Tertii, & Innocentii Tertii. Iſte multa bona recuperavit Monaſterio. In illis diebus venit Dominus Innocentius Papa Tertius , qui fuit juſtus , mitiſſimus , ſanctiſſimus , & benigniſſimus : qui perſonaliter cum paucis Cardinalibus venit ad Monaſterium. Viſitavit , & pluribus diebus ſtetit , prædicavit ibidem , & Novitios reformavit , & per ſe omnia ordinavit , ut habetur in Privilegio ſuo , quod ipſe fieri fecit , cujus tenor talis eſt :

I*Nnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei . Dilectis filiis Abbati & Conventui Sublacenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem . Cum ad Monaſterium Sublacenſe perſonaliter veniſſemus, cupientes ipſum perſonaliter viſitare , de ſtatu ejus tam per nos quàm per Fratres & Clericos noſtros inquiſivimus diligenter : & licèt in quibuſdam regularis Ordo vigeret , invenimus tamen eum in pluribus reformandum. Primo quia multi Fratrum tam Obedientialium quàm Clauſtralium proprietates habebant. Secundo quia ſæpe Silentium nec in Oratorio, neque in Refectorio, neque in Clauſtro , neque in Dormitorio ſervabatur , ſed illis plerumque non ſolùm honeſta*

A

verùm etiam illicita dicebantur . Tertio quia frequenter extra Infirmitorium non ſolùm in cameris , ſed in ipſo Refectorio quidam carnibus veſcebantur . Quarto quia hoſpitalitas pœne penitus deperierat, ita quod ipſum Hoſpitale tunc erat Epiſcopo Anagnenſi conceſſum . Quinto quia ſpecialis cura infirmorum nulla penitus habebatur , ita quod quaſdam etiam Parochiales Eccleſias , quæ antiquitus ad infirmorum uſum fuerant deputatæ , Clerici Seculares in beneficium poſſidebant . Verùm hæc omnia quidam provenire dicebant , tum quia Fratres victus & veſtitus gravem patiebantur defectum , tum quia Abbas & Prior circa correptionem delinquentium erant nimium negligentes . Cum ergo ſe-

B

cundùm Sancti Benedicti Regulam Monachi debeant omni die duo ad minus habere pulmenta , quia Fratres non habebant frequentius niſi unum , ne per defectum obſervantia ſpiritualium deperiret , præcipiendo mandavimus , ut Abbas pro ſecundo pulmento annuos reditus aſſignaret . Ipſe verò proventus Caſtri Marani ad hoc de mandato noſtro conceſſit & ſtatuit Cellario aſſignatos , ita quod ſi de ipſis ſecundo pulmento aliquid ſupereſſet , expenderetur pro tertio : ſi quid verò deeſſet, ipſe ſuppleret. Pro indumento autem dicebat , non oportere præſentialiter certos reditus aſſignare , cum intenderet multa , quæ tempore ſchiſmatis alienata fuerant & deſtructa revocare , & ſecundùm conceſſionem no-

C

ſtram addere Monaſterio , de quibus poſſent utilius hujuſmodi reditus aſſignari . Promiſit tamen ad præſens de aliis proventibus Monaſterii uni Fratrum, qui deputaretur, ad emenda Monachorum indumenta , conferre , quantum ſufficeret competenter , aſſerentibus Fratribus, quod ſi Monachus ſimul haberet Cucullam & Scapulare, Tunicam & Pelliceam, quatuor annis cucullâ & ſcapulari poſſit eſſe contentus ; pelliceâ verò duobus ad minus ; tunicâ longâ diutius ; & duæ ſtamineæ ſufficerent ſibi per annum . Unde firmiter inhibuimus , ne quis de cetero Monachorum lineis camiſiis uteretur . Ad defectum autem hoſpitalitatis ſupplendum mixturam unius molendini conceſſit, ampliora pro tempore

D

conceſſurus ; ita tamen quod ad neceſſitatem pauperum ſublevandam eleemoſyna de Cellario conferatur . Nos autem præfatas Eccleſias , quæ dictis Secularibus in beneficium fuerunt aſſignatæ , ad uſum revocamus infirmorum ; Conceſſionem Hoſpitalis , quæ facta fuerat Epiſcopo Anagnienſi , irritam decernentes , & ſtatuentes , ne cuiquam ulterius in beneficium concedantur , ſed Infirmarius diſponat de illis Eccleſiis , prout ad neceſſitates Infirmitorii magis noverit expedire . Prohibemus ergo diſtricte in virtute obedientiæ , ſub obteſtatione divini Judicii , ne quis de cetero Monachorum proprium aliquo modo poſſideat ; ſed ſi quis aliquid habet proprii , totum in continenti reſignet . Si autem poſt hoc

E

proprietatem aliquis fuerit deprehenſus habere , regulari ammonitione præmiſſâ , de Monaſterio expellatur , nec recipiatur ulterius , niſi pœniteat ſecundùm Monaſterii diſciplinam . Quod ſi proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte ipſius , cum eo in ſignum perditionis extra Monaſterium in ſterquilinio ſubterretur , ſecundùm quod Sanctus Gregorius narrat in Dialogo ſe feciſſe. Abbas tamen & Prior frequenter inquirant , & diligenter explorent , ne quis Fratrum proprietatem poſſit habere . Unde ſi quidquam alicui fuerit ſpecialiter deſtinatum , non præſumat illud accipere, ſed Abbati, aut Priori , aut Cellario aſſignetur. In Oratorio verò , Refe-

Refectorio, & Dormitorio continuum ſemper ſilentium obſervetur. In Clauſtro quoque certis horis & locis ſecundùm antiquam conſuetudinem Monaſterii laudabiliter obſervatam, ſed amodo laudabilius obſervandam.

In Refectorio nullus omnino carne veſcatur, neque in quibuſdam ſolemnitatibus, ſicut aliquando fieri conſuevit, & Conventus exibat cum Abbate, paucis ibi relictis, ut extra Refectorium ederent carnes, cum in illis diebus præcipue regularis diſciplina ſit ſtudioſius obſervanda. Sed non extra Refectorium, niſi tantùm in Infirmitorio eſum carnium credant ſibi licere, quamvis ex indulgentia poſſit Abbas interdum aliquos Fratrum, nunc illos, nunc iſtos, pro ut ſanitas poſtulabit, advocare, ipſiſque ſecum in camera ſua melius & plenius exhibere. Porro debiles & infirmi, & qui munitione indigent, vel aliqua medicina, non ſeorſum in cameris, ſed omnes in Infirmitorio, quæ neceſſaria ſibi fuerint, tam in carnibus, quàm in aliis recipiant competenter. Quod ſi quiſquam eorum debilis fuerit, aut delicatus, ut non poſſit communibus cibis eſſe contentus, ei provideatur ſine ſcandalo aliorum, ut ſi Abbas vel Prior voluerit in Refectorio menſam ei facere ſpecialem, cibum aliquem competentem non ante illum, ſed ante ſe faciat apportari, de quo ipſe faciat illi pitantiam pro ſubſtentatione naturæ. Tales autem ad gerenda Officia Monaſterii deputentur, qui fideles ſint & diſcreti; nec alicui committantur aliqua obſonia perpetuo poſſidenda, tamquam in ſua ſibi vita locentur. Sed cum oportuerit amoveri, ſine contradictione qualibet revocentur. Prior autem præ cæteris poſt Abbatem potens ſit in opere ac ſermone, ut exemplo vitæ, verboque doctrinæ Fratres ſuos inſtruere poſſit in bono, & a malo valeat revocare. Zelum religionis habens ſecundùm ſcientiam, & delinquentes corripiat & caſtiget, obedientes verò foveat, & confortet. Abbas verò, cui omnes in omnibus reverenter obediant, quanto frequentius poterit, ſit cum Fratribus in Conventu, vigilem curam, & diligentem ſolicitudinem gerens de omnibus, ut de officio ſibi commiſſo dignam poſſit reddere rationem. Quod ſi prævaricator ordinis fuerit, aut contemtor, ſeu negligens, aut remiſſus, pro certo ſe noverit non ſolùm ab officio deponendum, ſed alio modo ſecundùm Regulam graviter caſtigandum, cum offenſa non ſolùm propria, verùm etiam aliena de ſuis manibus requiratur. Nec æſtimet Abbas, quod ſuper habenda proprietate poſſit cum aliquo Monaco diſpenſare, quoniam abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis adeo eſt annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec ſummus Pontifex poſſit licentiam indulgere. Ut ergo nos vobis ad reformationis initium aliquod ſubſidium impendamus, ſex Libras uſualis Monetæ de Camera Sancti Petri ſingulis annis percipiendas concedimus ad uſum & utilitatem Prioris & Fratrum, qui apud Specum Sancti Benedicti morantur; & pro veſtibus Monachorum emendis viginti Libras præſentialiter elargimur, Planetam de cocco bis tincto, Deo & Sancto Benedicto ad Altaris officium offerentes. Cuncta igitur, quæ ſuperius ſunt expreſſa, inviolabilem firmitatem volumus & præcipimus obtinere, ſtatuentes, ut nulli liceat contra ea temeritatis auſu venire. Si quis autem contra paginam iſtam aliquid attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli ac noſtram ſe noverit incurſurum.

Datum apud Monaſterium Sublacenſe, Pridie Nonas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Poſt Rainaldum Abbatem ſtetit Abbatia in bona pace longo tempore, quia Innocentius Papa Tertius omnia poſuit in pace, & Monaſterium in maxima tranquillitate, quia vir ſanctus & juſtus & potens fuit, qui in omnibus ſe bene rexit. *Landus Abbas* multa bona fecit. Conſtruxit in Monaſterio Sublacenſe Clauſtrum ex marmoreo lapide, ac juxta Clauſtrum in latere dextro Capellam Sanctæ Trinitatis, & cameras pro ſenibus valde pulcras contiguas dictæ Capellæ ædificavit. Omnia privilegia meliora miſit renovare, ac etiam plura Privilegia impetravit a Domino Alexandro Papa Quarto; ut creditur, quia prædictus Dominus Papa in propria perſona venit ad Monaſterium, viſitavit & reformavit Monaſterium, & omnia quæ fuerunt abſtracta & alienata ab aliquibus Baronibus, & aliis, caſſavit, revocavit, & reduxit ad priſtinum ſtatum, ut habetur in multis privilegiis, quæ ipſe perſonaliter ſcribere mandavit, & ſpecialiter de viſitatione & reformatione ſua conceſſit pulcrum Privilegium, cujus tenor per omnia eſt talis.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Abbati & Conventui Monaſterii Sublacenſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Etſi ad univerſa Mundi loca, divino dicata cultui, ex officii debito aciem intentæ cogitationis extendere, ac undique per orbem pro ſalubri eorum ſtatu Apoſtolicæ diligentiæ ſtudium diffundere teneamur: circa ſtatum tamen Monaſterii Sublacenſis, in quo ſacra Religio Monachalis a beatiſſimo Benedicto, venerando ejus auctore, ſalutaris ſuſcepit inſtitutionis initia, tanto ſolicitius & diligentius invigilare debemus, quanto famoſius & celebrius illud inter alia ſui Ordinis Cœnobia ipſius ſanctiſſimi Benedicti vita & merita per univerſa Mundi climata reddiderunt. Hunc etenim locum cœleſtis altitudo conſilii per miniſterium Sancti hujus principium Religionis prædictæ conſtituit: quia hìc eadem Religio ſuum excepit exordium: hìc ſua prima fundamenta locavit: hìc prius miſit, firmavitque radices, & hinc poſtea ſuas extendit propagines, multiplicavitque per orbem. Hinc certe prodiit iſtud Dei & diei ſpectabile luminare, quod in Eccleſiæ firmamento præfulgens, multorum oculos caligine ſenſualitatis obtuſos, ſuæ claritatis radiis illuſtravit. Ad hunc quoque locum, tamquam ad unum ovile Dominicum ideo prædictus Sanctus multa & diverſa ſanctorum Collegia Monachorum per varia Monaſteria & Loca diſperſa voluit congregare, ut faceret de illis unum acceptabilem Chriſto Populum, & Fratres in domo Domini habitantes in unum ad regularem obſervantiam, & indeficientem divini Numinis cultum fortius ſolidaret, ac exinde poſtmodum prædicta Religio liberius latiuſque diſtenderetur in alios; & ab hoc loco tamquam a fonte Religionis ejuſdem Eccleſiæ membra ſacri ſui fluenta dogmatis proſilirent. Et licèt præfatum Monaſterium in ſuis primordiis ſub recenti ejuſdem Sancti doctrina, cœleſtis Opificis operante gratiâ de virtute ſucceſſive creverit in virtutem, & velut lignum fructiferum in Eccleſiæ agro plantatum flores protulerit copioſius honeſtatis, & produxerit fructum vitæ, fueritque diu præcelſa hujuſmodi regularis obſervantiæ ſanctimonia, ut pr clara ſanctorum operum titulis ſpecialites gnita,

gnita, ac multiplicibus propter hoc non ſolùm ſpiritualibus, ſed etiam temporalibus profecerit incrementis: a quibuſdam tamen longe temporibus retroactis, ſic in ipſo ſolitus vigor ordinis Regularis emarcuit, ſicque in eo fervor religionis decrevit conſuetus, quod idem Monaſterium, ad quod cetera Mundi ſui Ordinis loca ſuos intuitus, ut ab eo vivendi notitiam ſuſciperent, levare ac habere ſolebant: perſonarum in eo ſub diverſitate temporum degentium negligentia faciente, diſſolutioni multipliciter patuit, & multæ notam deformationis incurrit. Propter quod felicis recordationis Innocentius Papa Tertius prædeceſſor noſter, cum ad idem Monaſterium ſe perſonaliter contuliſſet, illudque inveniſſet in pluribus deformatum, circa reformationem ejus vigilem curam adhibuit, eidem reformationi perſonaliter imminendo & accedendo, quædam ſtatuta ſeu præcepta ſalutaria in correptionem vitæ Monaſticæ religionis, ac Regularis obſervantiæ neceſſarium fulcimentum, quod in ipſo Monaſterio probo & proſpero ſtatu mandavit & ſtatuit perpetuo ac inviolabiliter obſervari, pro ut in ejuſdem Prædeceſſoris literis confectis, quas ejuſdem Archivius Monaſterii ad perpetuam conſervat memoriam, plenius continetur.

Nos igitur, quos fervor devotionis, quam ad prædictum ſanctum locum ſemper habuimus, & ille, quo inceſſanter dictum proſequimur Monaſterium, Caritatis ardor attraxit ad idem Monaſterium perſonaliter viſitandum, dignum fore prævidimus circa ſalubrem ejus ſtatum paternâ intendere vigilantiâ, ejuſque ſpiritualibus & temporalibus commodis Apoſtolicâ diligentiâ providere, ut ex noſtra præſentia tam idem Monaſterium quàm perſonæ in eo in totum Domino famulantes ad multiplicem ſalutis felicitatem ſibi gaudeant perveniſſe. Hinc eſt, quod nos, & de fratrum noſtrorum conſilio, qui nunc præſentes ſunt, ordinationem, quam memoratus Prædeceſſor noſter pro reformatione ipſius Monaſterii feciſſe dignoſcitur, & quam a vobis (excepto eo, quod de aſſertione Monachorum circa indumenta in illa exprimitur, quod utique Abbatis providentia moderetur) inviolabiliter obſervari volumus, approbantes & etiam innovantes, ac quædam ordinationi ſupradictæ addentes, eâdem auctoritate Apoſtolicâ in virtute obedientiæ, & ſub atteſtatione divini Judicii, prædicti Prædeceſſoris in hoc inhærendo veſtigiis, prohibemus, ne quis Monachorum deinceps proprium quoquo modo poſſideat. Adjicientes, quod quicumque ipſorum aliquid habentes proprii, niſi illud infra quindecim dies computandos ex nunc Abbati totaliter reſignare curaverint, eo ipſo ſententiam, quam in ipſos proferimus, excommunicationis incurrant. Si verò aliquis in poſterum proprietatem aliquam fuerit deprehenſus habere, & regulariter monitus illam reſignare noluerit, mucrone anathematis percellatur, & expellatur de Monaſterio, nec recipiatur ibidem ulterius, niſi pœniteat ſecundùm Monaſticam diſciplinam, pœnis aliis, quas dictus Prædeceſſor noſter præfata ordinatione contra Monachos proprietarios edidit, in ſuo nihilominus robore duraturis. Statuimus etiam, ut divina Officia tam diurna, quàm nocturna in eodem Monaſterio ſecundùm prædicti Sancti Regulam celebrentur. Præcipientes, ut omnes cameræ Monachorum (camerâ veteranorum dumtaxat exceptâ) funditus deſtruantur, nec ullæ unquam futuris temporibus reperiantur; ſed Monachi in communi Dor-

A mitorio ejuſdem Monaſterii ſimul dormiant; & ſimiliter in communi Refectorio comedant, & continuum ſemper in Oratorio, Dormitorio, & Refectorio, in Clauſtro verò certis horis & locis, ſecundùm antiquam conſuetudinem Monaſterii, ſilentium obſervetur. Nulli quoque Monachorum liceat habere equum vel proprium ſervum, niſi illis tantùm, qui per Abbatem temporalibus gerendis obedientiis vel adminiſtrationibus, ſeu officiis præponuntur. Illud autem, quod de pane diurno, & aliis cibariis quotidianis, quæ Monachis ſubminiſtrantur, reſiduum fuerit, nullus ſibi quomodolibet retinere præſumat, ſed totum pauperibus in eleemoſynam erogetur. Neque liceat cuiquam Monachorum
B exenia ſibi tranſmiſſa recipere, ſed Abbati, vel Priori, vel Cellerario illa ſecundùm præfatam ordinationem Prædeceſſoris ejuſdem ſtudeat protinus aſſignare. Præcipimus inſuper, ut murus, qui prædictum Monaſterium circumcingit, erigatur magis & protendatur in altum, ita quod nullus in ipſum Monaſterium, vel aliqua ejus loca, niſi per communia & debita oſtia valeat introire. Neque mulieres aliquæ ſive ad purgandum frumentum, vel deferendam aquam, ſive ad quodcumque aliud ſervitium faciendum quomodolibet admittantur ibidem, ſed exinde arceantur omnino, ne ulla tentationis cauſa poſſit per eas in Monachorum mentibus ſuboriri. Abbas verò de indumentis
C & aliis neceſſariis Monachis provideat competenter, ita quod hi, qui ab eo nova indumenta ſuſceperint, retinere ſibi vetera non attentent, ſed ſtatim Abbati illa reſignent, vel alii juxta ipſius Abbatis beneplacitum & mandatum. Ad hæc Monachi, quibus ab Abbate temporales obedientiæ ſeu adminiſtrationes, aut aliqua officia committuntur, ſtudeant, quantum cum Domino poterunt, utilitatem & commodum Monaſterii ſolicite procurare, & de iis, quæ ratione obedientiarum, adminiſtrationum, & officiorum hujuſmodi ad manus eorum pervenerint, nihil omnino pro ſe retineant, ſed quidquid ex illis perceperint, Abbati fideliter aſſignare procurent. Sintque pro eorum ſuſtentatione contenti
D eo dumtaxat, de quo Abbas ipſis pro hujuſmodi eorum ſuſtentatione duxerit providendum, præmiſsâ ordinatione Prædeceſſoris ejuſdem in omnibus, & per omnia (præterquam in eo, quod de aſſertione Monachorum circa indumenta continetur in illa, quod quidem Abbatis moderetur providentia, prout ſuperius eſt expreſſum) ſalvâ & illibatâ penitus permanente. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, innovationis, prohibitionis, conſtitutionis, & præcepti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

E Datum Sublaci, IV. Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Poſt Landum fuit *Henricus Abbas*. Hic cœpit facere aliquas habitationes parvas in Specu, & cœpit ardenter reformare Veji Specum, quia Monachi Monaſterii fuerunt omnes de Abbatia Sublacenſi, & pro majori parte nobiles. In illis diebus Abbas Henricus, qui erat bonus Paſtor, videns aliquos Monachos incorrigibiles, cum conſenſu aliquorum poſuit Priorem in Specu cum aliquibus Monachis, quos videbat eſſe idoneos miniſtros obſervatores ſanctæ Regulæ, ibidem laudanda providentia colle-

collectando, & eiſdem omnia vitæ neceſſaria miniſtrando . Qua ex cauſa a Papa Gregorio Decimo miris laudibus extollitur & laudatur , pro ut habetur in Privilegio dicti Papæ. Tempore iſtius claruit in Crypta Mardebottæ Sanctus Confeſſor Dei Laurentius , multorum mirabilium patrator , pro ut in Legenda Vitæ ejus ſerioſius continetur .

Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Septuageſimo Tertio obiit Domnus Abbas Henricus , Pontificatus Domini Gregorii Decimi Papæ Anno ſecundo , Menſis Februarii die Decimanona . Vacante Monaſterio Sublacenſi per bonæ memoriæ Henricum , factæ fuerunt duæ electiones ; quod inauditum fuit in octingentis annis, quia ſemper ſolebant eligere in Monaſterio . Propter novam plantationem bonæ vitæ exaltaverunt ſe Monachi Specus , quia iſto tempore non habuerunt Priorem in Monaſterio , ſed Rectorem . Et ſic facta fuit magna diſcordia inter Rectorem Monaſterii , & Priorem Specus , ſuper quibus fuit diu in Curia Romana litigatum . Iſtis diebus multa bona fuerunt alienata a Monaſterio . Igitur pendente negotio , & creſcente Patrum diſcordiâ , & inimicitiâ pullulante , quidam ipſius loci Monachus nomine Pelagius, qui dicti Rectoris Procurator fuerat , cum morando in Monaſterio partem ſibi contrariam, ut ſibi videbatur , ſuppeditare non poſſet , ſicut vellet, & continuo laborabat , exiens inobedienter a Monaſterio cum patre ſuo Milite , nomine Bartholomæo de Genna, anteceſſorum ſuorum nequitiam imitando, qui temporibus retroactis ſimilia perpetraverant , cum fratribus & aliis ſuis complicibus accedens ad Caſtrum Cerbariæ , cum adjutorio quorumdam minus fidelium Vaſſallorum ibidem morantium , intravit Roccam dicti Caſtri , & expulſis inde duobus Monachis pro cuſtodia dictæ Rocchæ ibidem morantibus, dictam Roccam nequiter invaſit. Quam ſic occupatam detinens, pluries requiſitus noluit reſtituere Conventui Sublacenſi; ſed congregatis Scaranis & multis hominibus malæ famæ , guerram fecit privatam , & publice omnibus Vaſſallis dicti Monaſterii præter illos, qui in ſua nequitia eum adjuvabant . Quibuſdam enim captis , & ad tormenta poſitis dentes extraxit , & fecit extrahi oculos, quoſdam etiam de altiſſimis diruens rupibus, fecit Confeſſione non habitâ exſpirare . Monachos de nocte fractis portis Monaſterii perſonaliter capiens , captivos duxit ad dictam Roccam Cerbariæ , ubi eos detinuit , ipſos diverſis pœnis & miſeriis affligens. Hoſpitale verò, ubi Chriſtus in perſona pauperum recipi conſueverat , & ipſi pauperes recreari , fecit deſtrui totaliter & comburi, & Eccleſias dictæ Rocchæ & Caſtri, quum in eis Scaranos ſuos jacere feciſſet , diverſis fecit pollutionibus ſanguinum & confuſionibus violari . De ceteris verò maleficiis , quæ fecit ipſe & alii , deprædando Abbatiam , & ubicumque poterant, quia longum & tœdioſum eſſet narrare , ad præſens taceamus . Quia valde periculoſum eſt , Fratres ſe dividere , ſi non fuiſſent diviſi , tanta mala non fuiſſent perpetrata, nec tanta bona a Monaſterio alienata . Quia tribus annis ſtetit Abbatia , & Monaſterium ſine Abbate; & Monachi Specus dolebant , nec aliquid eis de Monaſterio porrigebatur . Et ſic diſperſi ſunt , & omnia extra Abbatiam pro majori parte alienata ſunt . Eccleſiæ , Caſalia , Poſſeſſiones , Caſtra vendita ſunt , & in pignore ſub pacto poſita: & ſic uſque in hodiernum diem Monaſterium numquam potuit rehabere ; quia dicunt : *Parentes noſtri comperaverunt* . Et per hunc modum omnia bona Monaſterii diſſipata & alienata ſunt .

Iſtis ſic ſe habentibus , renuntiatum fuit in Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Septuageſimo Sexto de Menſe Maji coram bonæ memoriæ Innocentio Quinto de omnibus ſupradictis . Qui Dominus Innocentius Papa Quintus providit dicto Monaſterio de *Fratre Gulielmo*, natione Burgundo , tunc Camerario & Vicario Caſinenſi : qui confirmatione habita cum benedictione ſolemni , quam dedit ſibi Epiſcopus Tuſculanenſis, veniens ad Abbatiam, Vaſſalli ipſius, qui, ſicut dictum eſt , in maxima afflictione fuerant, ipſum cum honore maximo & gaudio receperunt . Ipſe verò poſtmodum dictum ribaldum Pelagium , ut dictam Roccam & Caſtrum , quod detinebat , ſibi reſtitueret , per viros religioſos , Clericos & Laicos requiſivit : qui penitus renuit Sed dictus Abbas congregato exercitu, & factis machinis, ipſum cum ſuis fidelibus Vaſſallis expugnabat. Tamdem poſt duos Menſes capta fuit dicta Rocca , ſuffragantibus meritis ſanctiſſimi Patris noſtri Benedicti , in qua captus fuit dictus Pelagius , & ad Roccam Sublaci ligatis manibus ductus , & per ipſum Abbatem in carcere ibidem fuit poſitus; & alii ſui complices ſalvis perſonis dimiſſi ſunt exire, ſed bona ipſorum fuerunt Curiæ Sublacenſi confiſcata . Hæc autem ſcripta ſunt ad perpetuam memoriam , & terrorem omnium perditorum , ne hujuſmodi conſilia audeant attentare .

Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Quinto , Sede vacante poſt Domini Benedicti Papæ Undecimi mortem, Menſe Februarii, XX. die hujus menſis , ex diluvio fracta prata cum ponte minimo , per quem itur ad Sanctum Laurentium , occaſione diluvii , & eadem die corruerunt molendini cum ſedilibus ſuis , & muris circumſtantibus . Et ſic locus Monaſterii ad nihilum redactus , quia duo Monachi levaverunt duos lapides , qui fuerunt firmati cum aliis petris ; & ſic aqua deſtruxit . Ita voluntas fuit aliquorum .

Poſt Henricum fuit, ut diximus, *Gulielmus Abbas* natione Burgundo tempore Innocentii Quinti Papæ . Multa acquiſivit alienata & extracta , ſed non potuit . . . . . quia nihil invenit . Facta fuerunt Milleſimo Ducenteſimo Octuageſimo Quinto . Poſt Gulielmum fuit *Benedictus Abbas* , homo diſcretus & maxime morigeratus . Dilexit Monachos ſuos . Cum conſilio eorum fuerunt acquiſita & recuperata, quæ prius fuerant alienata tempore Benedicti Papæ Undecimi Milleſimo Trecenteſimo Quarto . Ipſe omnia confirmavit, quæ inventa fuerunt , & alienata ſimiliter . *Bartholomæus* fuit ante Benedictum Milleſimo Ducenteſimo Octuageſimo Nono tempore Nicolai Quarti , qui dedit multa Privilegia Monaſterio , & alia multa acquiſivit , ſed alienata non attentavit . Sub Anno Milleſimo Trecenteſimo tempore Bonifacii Papæ Octavi fuit quidam *Abbas* nomine *Franciſcus* poſt Abbatem Benedictum . Hic miſer fuit , ſpurius , nobilis de genere , de Domo Ramandielis , de Ordine Minorum , erectus ob parentum potentiam , maxime quia habebat duos Cardinales de Domo ſua . Factus Abbas Sublacenſis Monaſterii , ab initio male cœpit , & ſemper in deteriora profecit . Nam auxit ad commune ſervitium , quod Romanæ

manæ Curiæ debetur per novos Abbates, Florenos quingentos. Proceſſu verò temporis cum fructus & reditus Monaſterii in nepotibus & neptibus tamquam prodigus, & extirpator bonorum Monaſterii peſſimus conſumſiſſet, demum miſer ad Sacrarium & ad jocalia temerariam manum extendit, & ſimulate in loco Fratrum Minorum propter celebrationem Miſſarum abſtulit omnia ornamenta Sacriſtiæ dicti Monaſterii, & impigneravit pro Florenis quingentis. Tempore iſtius Sublacenſes condiderunt ſua perverſiſſima Statuta. Qui Abbas una cum eiſdem Sublacenſibus perſonaliter acceſſit ad Dominum Papam Bonifacium VIII. pro confirmatione ipſorum. Quibus viſis dictus ſummus Pontifex abhorruit talia inaudita audire, vel videre, & dixit: *Verè perverſiſſimi & deſperatiſſimi homines iſta Statuta compoſuerunt*; & chartam, in qua dicta Statuta erant conſcripta, projecit in pavimentum Aulæ ſuæ. Quapropter dictum Abbatem, qui talibus Statutis conſentire præſumſit, miſerabiliter & confuſe ab adminiſtratione ſuſpendit. Poſt hæc dictus Papa a Romanis Principibus, ſeu Columnenſibus captus & deprædatus fuit. Et ex tunc Romana Curia apud Avignonem Sedem ſibi elegit, & uſque ad tempus Urbani Papæ Quinti aſſidue perduravit. Abbas autem ſic ſuſpenſus remanſit, & volens ſe ingerere adminiſtrationi Abbatiæ, quæſivit aditum, ut cum ſuis conſanguineis & amicis occulte intraret Roccam Sublaci. Cujus notitiâ mirabiliter ad notitiam hominum de Sublacu deducti, dictum Abbatem capientes, poſuerunt in carcerem, plurimâ factâ ſtrage ſuorum. Sic miſere cum miſeris, qui contra legem & contra jura Eccleſiaſtica, ſive Civilia operati fuerant, & contra orthodoxos Statuta compoſuerant .... Conſilium ſapientum translatum in vitium latronum; qui fuerunt fideliſſimi laboratores, facti ſunt nequiſſimi latrones, quia ſcriptum: *Nullum malum impunitum, nec ullum bonum irremuneratum*. Ille miſer Abbas Franciſcus, de quo ſuperius dictum eſt, in carcere tam miſerabiliter tractatus extitit, quod in vaſe, quo nocte fudit urinam, in die bibere eſt compulſus. Sed exinde aliquando egreſſus alibi eſt miſerrimus vitâ functus; & omnes ei conſentientes miſerabiliter mortui ſunt, aliqui interfecti, aliqui de Abbatia expulſi. Et ſic per fas & nefas adhuc tenent illa peſſima Statuta, & bene ſciunt, quod male faciunt, quia indurati ſunt.

Itaque vacavit Abbatia Sublacenſis per multos annos, & Sarra de Columnenſibus gubernavit eam, & admiſit iſta peſſima Statuta; ſed tamen fecit magna judicia, nec ultra ſervare voluit, ita quod aliquos Sublacenſes fecit vivos propaginare in campo Sublacenſi, & bona eorum diripuit, & multa alia judicia, quæ non ſunt dicenda, ſed potius celanda. Tamen multa bona Monaſterio & Specui, & Monachis degentibus in eiſdem fecit, & ordinare neceſſaria præcepit.

Ab Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Vigeſimo Secundo poſt Franciſcum fuit *Bartholomæus* quidam Monachus Caſinenſis, tempore Johannis Papæ Vigeſimi Secundi. Qui quum eſſet mundanis illecebris irretitus, ita quod Princeps latronum non immerito vocaretur, dexterâ Excelſi mutatus eſt, & longa ægritudine eruditus multa bona Monaſterio, & præcipue Specui fecit. Nam honeſtas perſonas, & religioſos viros ex diverſis partibus congregans ſummo ſtudio dictam Specum in ſpiritualibus & temporalibus reformavit. Primus fuit, qui Stabulum, ſeu Dormitorium prædictum magnum & pulcrum fecit a fundamentis. Multos Libros fecit ſcribere, quos Monaſterio & Specui donavit. Hic emit Caſtrum Civitellæ & Roccam ibidem pulcram & inexpugnabilem reparavit. Fuit etiam vir miſericors, & ad pauperes & ſervos Dei amicus. Cujus Corpus requieſcit apud Specum in capſa marmorea ſanctiſſimi Confeſſoris Chriſti Mauri. Etiam ædificavit de novo Monaſterium Sanctæ Crucis prope Civitatem Peruſinam. Item Monaſterium Sancti Johannis prope Villam Mevaniæ. In provincia quoque Terræ Laboris prope Roccam Montis Draconis Monaſterium Sanctæ Annæ. Vixit autem in Abbatia Sublacenſi per annos triginta duos.

Poſt Bartholomæum fuit *Johannes Abbas* natione Tuſcus de Civitate Caſtelli, vir eruditiſſimus, multæque manſuetudinis & bonitatis. Hic quum extitiſſet Monachus Specus, fecit multa bona Specui, Bibliothecam ſuam divinorum Librorum, & Juris tam Canonici, quàm Civilis dictæ Specui derelinquens. Fuit autem tempore maximæ mortalitatis, quæ extitit Anno ab Incarnatione Domini Milleſimo Trecenteſimo Quadrageſimo Septimo, qua peſte percuſſus defunctus eſt, & vixit in Abbatia ſexdecim annos, & ſepultus eſt ante gradus Criptæ Sanctiſſimi Patris noſtri Benedicti.

Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Quadrageſimo Nono, poſt Johannem fuit *Petrus Abbas* natione Peruſinus, cujus tempore terræ motus Monaſterium & Roccam Sublaci, & nonnullas alias Roccas Abbatiæ ad ſolum pæne proſtravit, in qua ruina quum eſſet idem Abbas in camera ſua apud Roccam Sublaci, territus, parvo tempore ſupervixit. Hic fecit malum Abbatiæ ſuæ, nam jura hereditaria Vaſſallorum morientium abſque legitimis heredibus, & alia jura conceſſit, ſeu vendidit Vaſſallis per novem annos; & receptis Florenis mille & centum, redemit conſanguineos ſuos tunc poſitos in captivitate. Quam conceſſionem Vaſſalli Abbatiæ retinent uſque in hodiernum diem in præjudicium Monaſterii ſatis grave.

Hic nota, quod poſt Petrum fuit *Angelus Abbas* de Monte Regali, cujus conſanguinei cum cepiſſent dominium in Abbatia, decollaverunt aliquos de Sublaco potentiores inter ceteros, & capita eorum projecerunt ex Roccæ mœniis in terram. Propter quam rem Sublacenſes indignati Roccam deprædaverunt, & Palatium Abbatiæ deſolaverunt & combuſſerunt. Abbas autem pavore perterritus fugam arripuit. Et accedens ad Avignonem, ubi Romana Curia permanebat, Abbatiam reſignavit, & factus eſt Monachus Monaſterii Sanctæ Annæ, ubi laudabiliter Deo ſerviens vitam finivit circa Annos Domini Milleſimo Tercenteſimo Quinquageſimo tertio.

Nota, quod poſt Angelum fuit *Adcmarius* Francigena. Hic fuit ferox homo. Manus ejus contra omnes vicinos ſuos, & manus omnium contra eum. Multos Sublacenſes mala morte perdidit, propter quod Roccam Sublaci deſerens, in Roccam Gennarum ſibi ſedem elegit; in qua ſeptem Monachos Monaſterii Sublacus ſuſpendit per medium, ut ſubtus accenſo igne ex fumo & fame morte miſerabili finirent. Et hoc fecit propter ipſorum iniquitatem, & maxime,

xime, ut aliqui dicunt, quod fuerunt contra Abbatiam, & habuerunt partem cum forenſibus, qui cum veneno perdere moliebantur tempore Innocentii Sexti Papæ. Poſt multas autem guerras Vaſſallorum & circumſtantium vicinorum, acceſſit ad Avignonem &, Abbatiam reſignavit Milleſimo Trecenteſimo Quinquageſimo Octavo.

Poſt Ademarium fuit *Conradus Abbas*, ſpurius ex Marchionibus Sænæ. Hic exſtitit membrum quodammodo Antichriſti. Talia enim immania geſſit occulte, ac etiam manifeſte, quod pudor eſt dicere, & exarare. Inter alia mala ſua contemſit miniſtrare Monachis juſtitias panis & vini, ſicut Anteceſſores ſui ſedulo miniſtrarunt. Quin potius addens mala malis ſuis, abſtulit Conventui Caſtrum Marani, & illud tradidit fratri ſuo germano. Ad extremum cum vellet Specum totaliter deſolare, & Fratres, qui in ipſo erant diſpergere, pro eo quod erant contrarii operibus ſuis malis; quidam ex dictis Monachis Specus confugientes ad Dominum Papam Innocentium Sextum, dictus Pontifex & Domini Cardinales audientes vitam reprobam dicti Abbatis, ipſum commutaverunt in partibus Albaniæ. Quapropter hoc intelligentes Vaſſalli ſub Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Sexageſimo Secundo, ipſum cum magna indignatione ac zeli impetu expulerunt de Abbatia. Qui miſere infirmatus præ triſtitia, in quodam Hoſpitali miſerabiliter eſt defunctus.

Circa Annum Domini Milleſimum Trecenteſimum Sexageſimum Tertium poſt Conradum fuit *Abbas Bartholomæus* de Senis Monachus Monaſterii Sanctæ Crucis de Peruſio, homo religioſus, pius, benignus, miſericors, & juſtus. Iſto cum conſilio & auxilio Monachorum Specus, reformavit Monaſterium Sublacenſe in regulari obſervantia; & omnes Monachi antiqui Monaſterii fuerunt expulſi uſque in hodiernum diem. Multa bona fecit Monaſterio. Eccleſiam Capitulumque a principio reforma-

A vit. Unam Crucem argenteam pro quinque Florenis comparari fecit. Quinque Calices, duos magnos, unum dedit Specui, & alium Monaſterio, & tres parvos calices cum thuribulo argenteo. Omnia Pontificalia pro ſe & aliis Abbatibus fieri fecit. Monachos ſuos nimis dilexit. Numquam auditum fuit, quod unum Monachum conturbaſſet. Nam honeſtos & religioſos viros ex diverſis partibus congregans, ſummo ſtudio Monaſterium ſuum in ſpiritualibus & temporalibus reformavit. Cujus temporibus ſanctæ Memoriæ Urbanus Papa V. venit Romam: & auditâ famâ bonitatis ipſius Abbatis Bartholomæi, creavit eum Abbatem Monaſterii Caſinenſis. Statim poſt confirma-
B tionem defunctus fuit in Sancta Maria Nova, & ibidem ſepultus Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Sexageſimo Nono.

Eodem Anno fuit electus *Frater Franciſcus de Padua*, & confirmatus: homo quidem bonæ conditionis & devotionis, qui ſuo tempore fecit ciſternam in Specu, & plura alia bona tam in ædificiis, quàm in aliis. Cum die quodam quidam malefactor in Sublaco duceretur ad ſuſpendium, & mulieres illum violentiâ raperent de manibus Officialium, Abbas Franciſcus hoc percipiens, dicitur deſcendiſſe de Rocca in Plateam, clamando, vociferando, ac conquerendo de Sublacenſibus. Et videns, non poſſe libere dominari, petiit a ſum-
C mo Pontifice dari ſibi unum Coadjutorem in regimine temporalium. Qui Dominus Papa deputavit ei Dominum *Thomam de Celano*, qui regebat Abbatiam. Et Abbas Franciſcus ſtabat continue in Monaſterio. Erat etiam tunc Vicarius ſuus quidam Frater de Terano, habens pleniſſimam ab eo poteſtatem etiam reſignandi Abbatiam, qui ut dicitur ſine ſcitu Abbatis renuntiavit dicto Domino Thomæ, & ſic ipſe remanſit Abbas. Abbas verò Franciſcus remanſit ſimplex Monachus in Monaſterio, & laudabiliter vitam finivit in patientia cum Fratribus ſuis.

Explicit Chronicon Monaſterii Sublacenſis.

RICHARDI
CLUNIACENSIS MONACHI
CHRONICON
AB IMPERIO CAROLI MAGNI,

SIVE

Ab Anno Chriſti DCCC. uſque ad Annum MCLXII.

Nunc primùm luce donatum

EX MANUSCRIPTO CODICE

BIBLIOTHECÆ VATICANÆ.

IN RICHARDI CLUNIACENSIS CHRONICON

PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

QUamquam diu quaeſierim, num *Richardi Cluniacenſis Monachi* breve Chronicon antea a quoquam publici juris factum fuerit, ac potiſſimum hac de re conſuluerim Scriptores Hiſtoriae Literariae, neminem tamen hactenus inveni, qui evulgati jam Operis fidem mihi faceret. Unus tantum Caſimirus Oudinus Tom. 2. de Scriptorib. Eccleſiaſt. in editione Lipſienſi Anni MDCCXXII. multa de Auctore iſto habet, atque inter cetera conjecturis ſuis indulgens opinatur, eidem tribuendam eſſe partem primam *Collectaneorum*, quae ſub nomine *Hugonis de Sancto Victore*, non ſemel typis tradita fuere. Mihi ad manus minime ſunt Editiones omnes Operum Hugonis Victorini, ut juſtâ trutinâ Oudini conjecturas expendere poſſim. Quod tantummodo hanc in rem animadvertere potui, in Editione procurata a Thoma Garzonio, quam vidi, nihil ſimile habetur cum Chronico, nunc mihi evulgando Richardi. Ad haec fallitur certe Oudinus, quum ſcribit, partem illam Collectaneorum *ſpectare non poſſe ad Richardum Victorinum* (qui Anno Chriſti MCLXXIII. e vivis exceſſit) *recte autem ad Richardum Cluniacenſem Monachum, qui illud poſt Annum MCLXXXI. ſcribere aggreſſus eſt, longe poſt mortem Hugonis atque Richardi Victorinorum Canonicorum*. Atqui Chronicon, quod ego nunc editurus ſum, in Annum MCLXII. deſinit, ita ut quum tributa Hugoni Collectanea ultra eum Annum ferantur, aut Richardum Cluniacenſem Auctorem minime habeant, aut ad ejus Chronicon additamenta ab altero facta dicenda ſint. Utcumque ſeſe res habeat, ſive nondum prodierit Chronicon illud, ut puto, ſive ſub alieno nomine circumferatur, illud aut novum, aut ſuo Auctori reſtitutum, Lectoribus in hocce Opere exhibere conſtitui. Et diu quidem eſt, quod *Richardi Cluniacenſis* nomen & fama ſonant apud Eruditos, quum ejus monumentis hiſtoricis uſi ſint, qui poſt illum ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſe contulere. Accipe quid de illo ſcripſerit Johannes Gerardus Voſſius Lib. 2. Cap. 53. de Hiſtoricis Latinis. *Richardus*, inquit, *Cluniacenſis Monachus, ſed patriâ Pariſienſis, praeter Libros* τῶν ἀναχωμένων, *de quibus Sixtus Senenſis in Bibliotheca ſua, Hiſtoriam condidit ſuorum temporum. Conradi III. & Frederici Barbaroſſae temporibus vixit; in primis ſedente Papa Hadriano Quarto*. Aetatem Richardi recte deſignavit Voſſius: is enim Hiſtoriae ſuae finem faciebat Anno Chriſti MCLXII. At fallitur Voſſius, quum Lutetiam Pariſiorum patriam Richardo tribuit. *Piclavienſis*, non *Pariſienſis*, appellatur Richardus in Codice MSto membranaceo, unde hauſta fuit haec Hiſtoria. Codex vero antiquiſſimus iſte in Vaticana Bibliotheca adſervatur, atque olim ſpectabat ad doctiſſimum virum Alexandrum Petavium Senatorem Pariſienſem; quippe in margine Libri ſcriptum legitur: *Alexander Pauli filius Petavius, Senator Pariſienſis, Anno MDCXLVII.* In Catalogo MSto Codicum Chriſtinae olim Reginae Sueciae celeberrimae, qui mihi in manibus eſt, ad numerum 166. recenſetur: *Richardi Piclavienſis Monachi Cluniacenſis Chronica, ab exordio Mundi, uſque ad Annum MCLXI. Brevis Chronica Pontificum a Divo Petro uſque ad Hadrianum Quartum. Tractatus quidam Hugonis a Sancto Victore*. Haec omnia complectitur Vaticanus Codex laudatus, ita ut juſta mihi ſuſpicio ſuborta ſit, eumdem Suecae Reginae Codicem, in Vaticanam translatum, illum fuiſſe, unde hoc ipſum Chronicon deſcriptum fuit. In eodem quo-

que Catalogo MSto Reginae alter Codex ad numerum 170. hiſce verbis diſtinguebatur: *Richardi Monachi Cluniacenſis Chronica. Garſiae Toletani Canonici Tractatus de Reliquiis Martyrum Albini atque Rufini, cui adjunguntur in calce Conſtitutiones quaedam Galliae.* Quod de Richardi patria dixi, confirmatur auctoritate Ptolomei Lucenſis, qui circiter Annum Chriſti MCCCXII. Hiſtoriam Eccleſiaſticam contexebat, a me editam in Tomo XI. Rerum Italicarum. Is enim Lib. 20. Cap. 23. in haec verba loquitur: *Hujus etiam tempore* (ideſt Hadriani IV. Papae, Anno MCLIV. electi) *floret Richardus Monachus Cluniacenſis, ſed origine Pictavienſis, magnus Hiſtoriae Scriptor. Fecit Chronicon ab Adam uſque ad tempora Frederici jam dicti, de omnibus quaſi Principibus Mundi tradens, & curſus temporis requirit.* Itaque Voſſio fucum fecit Raphaël Volaterranus, qui Lib. 21. Anthropol. ſcripſerat: *Fuit & Richardus, Monachus Cluniacenſis, patriâ Pariſienſis, qui ſui temporis Hiſtoriam edidit, magis illiterate, quam inepte ſcriptam.*

Neque tantum in deſignanda Richardi patria deceptus eſt Volaterranus, ſed etiam quum ſcribit, literis ab eo conſignatam fuiſſe *ſui temporis Hiſtoriam.* Uti jam vidimus, ab Orbe condito ille ad ſua uſque tempora Hiſtoriam deduxit. An vero *illiterate* eam conſcripſerit, Lectori in poſterum judicare fas erit. Ptolomeus profecto dum illum *magnum Hiſtoriae Scriptorem* appellat, aliam a Volaterrano opinionem ſe habuiſſe ſatis prodidit. Sed praecipue heic audiendus eſt Bartholomaeus Platina, qui in Vita Hadriani IV. haec ſcribit: *Horum autem temporum Hiſtoriam ſcripſit ſatis eleganti ſtilo & oratione Richardus, Cluniacenſis Monachus, quem alii Scriptores non parum laudant.* Sed & Martinus Polonus Saeculo Chriſti Tertiodecimo auctor eſt in Praefatione Chronici ſui, multum ſe profeciſſe e ſcriptis Richardi iſtius. Quem praeterea quanti faciendum arbitraretur Johannes Trithemius in Libro de Scriptorib. Eccleſiaſtic. hiſce verbis profeſſus fuit: *Richardus Monachus Cluniacenſis, Ordinis Sancti Benedicti, vir in divinis Scripturis eruditiſſimus, & in Saecularibus literis omnium famâ ſuo tempore doctiſſimus, ingenio ſubtilis, & diſertus eloquio, qui varia ſcribendo & componendo ſyntagmata, nomen ſuum cum ingenti gloria ad poſteritatis notitiam tranſmiſit. Nihil tamen eorum ad manus noſtras hucuſque memini perveniſſe. Fertur autem ejus inſigne & clarum opus Hiſtoriae temporum Lib. I. Epiſtolarum ad diverſos Lib. I. Claruit temporibus Frederici Imperatoris Primi, Anno MCLX.* Quod vero Sixtus Senenſis, uti jam ex Voſſio audivimus, Richardo noſtro Libros τῶν ἀντικειμένων tribuit, id perperam ſcriptum opinor. Duo Libri illi *Contrariorum in ſpeciem locorum Teſtamenti*, a nonnullis Auctorem habuiſſe creduntur Salvianum Maſſilienſem. Ad haec alii, teſte Leone Marſicano in Chronico Caſinenſ. Lib. I. Cap. 33. & Petro Diacono in Libro de Viris illuſtrib. Caſinenſib. eoſdem tribuunt Berthario Abbati Caſinenſi, qui Anno Chriſti DCCCLVI. ſacro illi Aſceterio praeeſſe coepit. Verum ii rectius fortaſſe judicant, qui fidem ſequuti Felicis Epiſcopi Toletani in Appendice ad Iſidorum de Viris Illuſtribus, Auctorem eorumdem Librorum faciunt Julianum Epiſcopum Toletanum circiter Annum Chriſti DCXC. uti Andreas Schottus, Loaiſa, Mabillonius, & alii animadverterunt. Ceterum qui hactenus meminerunt Richardi noſtri, ejus Chronicon in Codicibus tantummodo exaratum viderunt, aut ex aliorum relatione illuſtrarunt illius memoriam. Quod curâ meâ nunc illud aut inter hominum manus verſari primum incipiat, aut ipſi Richardo legitime redditum prodeat, beneficium hoc debemus, ut praefatus ſum, ampliſſimae Vaticanae Bibliothecae, ac diligentiae Clariſſimi viri Nicolai Carminii Falconis, nunc Epiſcopi Maturanenſis, Latinae & Graecae Linguarum doctiſſimi, qui mihi pro ſua humanitate ipſum deſcripſit, meiſque ſtudiis contulit. Richardus autem ab exordio Mundi curſum narrationis ſuae inchoavit: quam ſcribendi libidinem familiarem fuiſſe eorum temporum Hiſtoricis ſaepe monui. Ego, ceteris omiſſis, ab Imperio Caroli Magni, hoc eſt ab Anno Chriſti DCCC. loquentem exhibeo Richardum. Oneri, non Eruditioni, forent, quae a me praetermiſſa fuere. Chronico additur brevis *Catalogus Romanorum Pontificum*, a Sancto Petro uſque ad primos annos Alexandri III. Papae. Certum paene futurum eſt, hujus quoque Opuſculi Auctorem fuiſſe eumdem Richardum, quum Cluniacenſium acta identidem intermiſceantur, neque anni Pontificum excedant annos Chronici. Denique ſubtexitur non contemnendus catalogus Cardinalium, & reliquorum ſanctae Romanae Eccleſiae Officialium, quorum munera explicantur. Subſequebatur in Codice *Soliloquium Hugonis de Arrha animae*, Auctore videlicet Hugone de Sancto Victore, jam editum, & nihil ad rem, quam prae oculis habeo, ſpectans.

RICHARDI

RICHARDI CLUNIACENSIS MONACHI CHRONICON.

Carolus igitur Primus ex gente Francorum, Romanorum creatus Imperator, imperavit Annis XLV. Hujus temporibus Synodus magna Aquiſgranis congregata eſt Anno ab Incarnatione Domini DCCCIX. In qua Synodo de proceſſione Sancti Spiritus agitatum eſt, utrum ſicut procedit a Patre, ita procedat a Filio. Hanc quæſtionem Johannes Monachus Hieroſolymitanus moverat, quum regula & fides Eccleſiaſtica firme Spiritum Sanctum a Patre & Filio procedere affirmet, non creatum, non genitum, ſed Patri, & Filio coæternum & conſubſtantialem. In eadem etiam Synodo quæſitum eſt & ventilatum de ſtatu Eccleſiarum, & ordine ſingulorum cujuſque converſationis, & quales Clerici eſſe debeant. A tempore, quo Langobardi invaſerant Italiam uſque adhuc, ſunt Anni CCCXVI. Nicephorus Conſtantinopoli imperat Annis IX. Mauricius filius ejus imperat menſes II. dies VI. Hic in loco, ubi pater ejus mortuus eſt, inſanabili vulnere percuſſus, vix a pugna vivus evaſit. Tamen paternæ malitiæ germanus heres, multa frequenter dehoneſtavit. Unde facto conſilio Michaël Curopalates Imperator a toto Senatu appellatus eſt. Atque ita factum eſt, ut dum Orientale Imperium pæne deveniſſet ad nihilum, nec niſi nomen Imperii apud Bizantium reſervatum eſſet, Domnus Carolus piiſſimus Auguſtus ita Occidentale ſuſcitavit Imperium, ut nulli Auguſtorum jure debeat vocari ſecundus propter factorum multitudinem & magnitudinem. Michaël Curopalates imperat Annis II. vir orthodoxus & amabilis omnibus, omnes qui orthodoxæ Fidei adverſabantur, prout poterat, curabat extinguere. Prætores verò & Nobiles deſperati ab Imperatore, Leonem Patricium, virum ſtrenuum eligunt. Porro Michaël hujus acclamatione auditâ, cum Procopia uxore ſua, natiſque ſuis in Oratorium Fari accurrens, detonſis capillis Monaſtica induit veſtimenta. Amaverat autem ſemper ſacrum habitum Monachorum, qui divinæ Philoſophiæ gymnaſium eſt. Porro Leo Imperator regnat Annis VII. menſes V. dies XV. Domnus verò Carolus, ut paulo altius repetamus regnare, cœpit Anno ab Incarnatione Domini DCCLXVIII. Quo Anno Pipinus pater ejus obiit, relictis duobus filiis ſuis, qui elevati ſunt in Reges: ideſt Carolus, de quo nunc agitur, & Carlomannus frater ejus; Domnus Carolus in Noviomo Civitate, Carlomannus verò Sueſſionis Civitate. Qui in principio Regni ſui contra Waldum Ducem Aquitaniæ perrexerunt in Guaſconia, illumque ceperunt. Carlomannus inde reverſus Bertam Reginam duxit uxorem. Qui poſt biennium mortuus eſt, quo regnare cœpit. Carolus etenim conſenſu omnium Francorum ſuper duo Regna Rex conſtituitur. Regnavit inde glorioſus Princeps Annis XLVII. Hic

A quarto Regni ſui Anno ſubegit Italiam, & Deſiderium Regem Langobardorum in Papia Urbe cepit. Sed filius ejus Aginulſus fugâ lapſus, Byzantium venit. Idem Carolus trigeſimo tertio Anno Regni ſui a Leone Papa Imperator factus eſt. Habuit autem multa prœlia cum Saxonibus, eo quod rebelles & infideles contra eum ſemper exiſterent. Deſtruxit ſiquidem fana eorum, & Chriſtianum nomen tam apud eos, quàm apud ceteras gentes tum timore, tum amore propagabat. Conſtruebat enim in eorum terra Caſtra & Urbes, ad monumentum ſui, ut terram taliter occuparet, & Chriſtianiſmo ſubderet. Intravit autem Domnus Carolus in Hiſpaniam uſque Cæſar-

B auguſtam, ubi quorumdam Regum Saracenorum recepit obſides; ſuperatiſque inibi pluribus Oppidis, atque Caſtellis in deditione acceptis, ſalvo & incolumi exercitu revertit. Præter quod in ipſo Pirenæi jugo Vaſconiam perfidam parumper in redeundo contigit experiri. Nam quum agmine longo, ut loci & anguſtiarum ſitus permittebat, porrectus iret exercitus, in ſummo montis vertice poſitis inſidiis (eſt enim locus ex opacitate ſilvarum, inſidiis opportunus) extremam impedimentorum partem, & eos, qui noviſſimi agminis incedentes, ſubſidio præcedentes tuebantur, deſuper incurſantes, in ſubjectam vallem dejiciunt, conſertoque cum eis prœlio, uſque ad

C unum omnes perimunt. Ac ſic beneficio noctis inſtantis adjuti, cum præda celerrime diffugiunt. In quo prœlio Egiardus Regiæ menſæ Præpoſitus, Anſelmus Comes Palatii, Huroudland Britannici limitis Præfectus, cum aliis pluribus interficiuntur.

His temporibus Adela Saracenus Bimaugi Regis filius, a fratre ſuo Regno pulſus, ad Carolum venit, ejuſque manibus ſe commendavit. Quem cum Ludovico filio ſuo in Hiſpaniam reverti fecit, ut ei contra fratrem ſubveniret. Miſit autem Imperator alium filium ſuum Pipinum ad diſponenda quædam negocia Italiæ. Legatus autem Idelfonſi Regis Galliciæ & Aſturiæ, nomine Froja, venit ad eum,

D præſentans ei miræ pulcritudinis papilionem. Et poſt pauca Rex idem, deprædatâ ſuper Saracenos Ulixibonâ, miſit eidem Imperatori Legatos cum muneribus. Poſt illa tempora dum Carolus Româ rediens, quum in Auguſtum a Leone Papa & omni Populo ordinatus eſſet, terræmotus factus eſt Romæ: & ex maxima parte Baſilica Sancti Pauli cum trabibus decidit. In quibuſdam locis Urbes, monteſque ruerunt. Per hæc tempora Rex Perſarum inter cetera dona Horologium mirabilis fabricæ illi tranſmiſit, ac Chriſtianos, qui ſub ejus erant Imperio, rogante hoc Domno Carolo, mitius ſæpe tractavit. Erat autem tantæ admirationi apud exteras gentes, ut etiam ab eis pater Orbis appellaretur. Poſt hoc tempus Ludovicus, filius Imperatoris, quem jam

pater ſuus Regem Aquitaniæ fecerat, Tortoſam Civitatem Hiſpaniæ obſedit. Sed quia munita nimis erat, inefficax rediit. Hoc etiam tempore Mauri & Saraceni Corſicam, Sardiniam, & Baleares Inſulas, quæ omnes ſub dominio Imperatoris erant, nimiâ vexatione vaſtabant. Et Normanni regiones Imperii valde affligebant. Eſt enim Normannia contermina Dacis, ſive Danis, ita ut ſæpe Normanni, ideſt Daci vel Dani ſæpe vocentur. Godefredus verò Rex Normannorum ab ea vana ſpe inflatus erat, ut ſibi totius Germaniæ poteſtatem promitteret. Friſiam, Saxoniam ſuas provincias æſtimabat. Jactabat enim, ſe brevi Aquiſgranis venturum eſſe magnis copiis. Quod revera facere inchoaſſet, niſi morte præventus eſſet. Dum Imperator pacem cum Imperatore Leone Conſtantinopolitano, & cum Hemingo Danorum Rege pacem haberet, in tres partes diviſit exercitum. Unum miſit trans Albiam in Livonas, quos vaſtavit. Caſtellum etiam ſuperiori Anno a Wilcis deſtructum, in ripa Albiæ fluminis reædificavit. Alterum in Pannonias contra Hunnos miſit exercitum. Tertium in Britones, qui cornu Galliæ ſuper litus Oceani reſident. Qui omnes rebus proſpere geſtis, & perdomitis gentibus, ad quas ierant, incolumes ad Imperatorem regreſſi ſunt. Anno ſequenti Carolus filius Imperatoris, qui major natu erat, obiit; & Imperator Aquiſgrani hyemavit. Pipinus autem alter filius ejus, quem Regem Italiæ fecerat, jam obierat; qui filium nomine Bernardum reliquit, quem Domnus Imperator pro patre Regem fecit Italiæ. De Domno Carolo Imperatore ſi quis vult plenius noſſe, quæ geſſit, geſta Francorum diligenter exquirat. Habuit autem Imperator uxores plurimas, filiam ſcilicet Deſiderii Regis Langobardorum, quam poſt modicum repudiavit. Habuit & Iſdergam nobiliſſimam feminam de Suevorum gente, de qua tres filios habuit, ideſt Carolum, Pipinum, & Ludovicum, totidemque filias habuit; & alias tres filias: duas de Faſtrada Regina, tertiam de concubina quadam. Defunctâ vero Faſtradâ, Ildergam duxit uxorem. Poſt cujus mortem tres concubinas habuit: ex quibus omnibus filios & filias genuit. Aquiſgranis Regiam exſtruxit, ibique extremis vitæ annis uſque ad obitum ſuum habitavit,

Anno igitur ab Incarnatione Domini DCCCXIV. dum Aquiſgranis degeret, ſeptuageſimo primo ætatis ſuæ, Regni verò in Francia XLVII. Imperii XIV. accedente ad febrim lateris dolore, ſeptimâ, poſtquam decubuit, die, horâ diei tertiâ, Oleo Sancto perunctus, ſacrâ Communione perceptâ, V. Calendas Februarii viam univerſæ carnis, lux Francorum, ingreſſus eſt, ſepultus Aquis in Baſilica Dei Genitricis, quam ipſe conſtruxerat. Corpus verò aromaticatum, & in ſede aurea ſedens, poſitum eſt in curvatura Sepulcri, accinctum enſe aureo, Evangelium aureum tenens in manibus & genibus, reclinatis humeris in cathedra, & capite erecto, honeſte ligatâ aureâ catenâ ad diadema. In diademate verò Signum Crucis poſitum eſt. Et ſepulcrum repletum eſt aromatibus, pigmentis, balſamo, muſco, & theſauris. Veſtitum eſt corpus ejus Imperialibus veſtimentis, & ſudario ſub diademate facies ejus cooperta eſt. Sceptrum aureum, & ſcutum aureum, quod Leo Papa conſecraverat, ante eum poſita ſunt. Et ſigillatum eſt Sepulcrum ejus. Nemo enim referre poteſt,

A quantus luctus fuerit per univerſam terram non ſolùm a Chriſtianis, ſed etiam a Gentibus. Hoc autem ſciendum eſt, quod nulli Imperatorum ſecundus Religione & actibus extiterit. Antea verò quàm moreretur, advocatis omnibus Imperii ſui Metropolitanis, omnes theſauros eis tradidit, ut ipſi per ſubjectas ſibi Diœceſes, Eccleſiis, viduis, orphanis, pauperibus, & ubicumque opus eſſet, dividerent.

Ludovicus Caroli filius imperat Annis XXVII. adhuc imperante apud Byzantium Leone Imperatore. Domnus Ludovicus poſt patris necem, primos Legatos, qui ad patrem undecumque venerant, abſolvit, & alios ad patrem venien-
B tes, ſimili modo ſuſcepit. Juſſit autem Domnus Imperator fieri Regulam Canonicis, de diverſis Patrum ſententiis excerptam, ut ſicut Monachi reſpiciunt ad Regulam Sancti Benedicti; ſic perlegant Clerici vitæ Librum Clericorum. Operis hujus auctor exſtitit Amalarius Diaconus, qui etiam Librum de Officiis, & alia nonnulla contexuit. Congregavit autem Synodum Ludovicus, ubi Abbates Regni ſui convocavit, & multa utilia teneri eis præcepit, admonens, ut Regulam Sancti Benedicti tenerent; & ut minus quàm ſex Monachi in una Cella non morarentur, quod ab eodem roboratum eſt. Poſuitque Abbatias omnes in manu ſua, ut nemo Comitum vel Epiſcopo-
C rum eas inquietare poſſet. Eo tempore Lotharium primogenitum ſuum Imperatorem coronavit, & conſortem Imperii conſtituit. Ceteros verò Reges appellatos, unum ideſt Carolum Calvum, quem de Judith Regina ſuſceperat, Franciæ & Burgundiæ, Ludovicum Germaniæ, Pipinum Aquitaniæ præfecit. Iſte Pipinus Angeriacenſe Monaſterium juſſu patris conſtruxit, ubi & Caput Johannis Baptiſtæ, ut fertur, repoſuit, quamvis alii apud Byzantium eſſe contendant. Tunc Rabanus Magnencius Monachus, Magiſter Alcuini, in divina Philoſophia claruit. Hoc autem ſciendum, quia idem piiſſimus Imperator conſilio Epiſcoporum & Optimatum ſuorum ea, quæ contra
D Bernardum nepotem ſuum, & circa Adoaldum Abbatem geſta ſunt, ei ſua reſtituendo, publicâ luxit pœnitentiâ, & confeſſionem egit, & reconciliatus eſt fratribus ſuis, quos invitos tonderi juſſerat. Denique quicquid ipſe vel pater ejus Domnus Carolus contra aliquos injuſte perpetravit, emendavit, & cum ſumma devotione ſeſe correxit. Item Normanni Herio Inſulam, quæ eſt in pago Pictavienſi, factâ per mare irruptione ſuccendunt, quæ deſtituta eſt a generali Monachorum habitatione. Ibi enim Dominus Carolus Imperator fecerat Monaſterium Sancti Philiberti; unde his temporibus Corpus Sancti Philiberti, Normannorum infeſtatione de Herio Inſula effoditur VII. Idus Ju-
E nii, & in Burgundiam a Monachis defertur. Et poſt duos annos Pipinus Rex Aquitaniæ filius Imperatoris obiit, ſepultus Pictavi apud Sanctam Radegundim.

Lotharius filius Ludovici poſt patrem imperat Annis XVI. Sed facta eſt altercatio inter eum, & Ludovicum Regem Germaniæ, & Carolum Regem Franciæ pro Regno Aquitaniæ, quod Pipinus eorum frater ſine liberis mortuus vacuum reliquerat. Anno Secundo poſt mortem Domni Ludovici Carolus Calvus, & Ludovicus Rex Germaniæ Regnum Aquitaniæ invicem partiti ſunt. Alio quoque Anno Siguinus Comes Burdegalenſis, & Xantonen-

ſis

ſis Comes a Normannis capti & occiſi ſunt . Et Xantonis Civitas a Normannis capta eſt & concremata , theſauris ejus optimis exportatis . His temporibus Normanni diffuſi ſunt per Aquitaniam, quia Duces ejuſdem Regionis inter ſe bellis deciderant , nec erat , qui eis reſiſtere poſſet . Item concrematæ ſunt ab eis Herio Inſula , & Monaſterium de Oras Inſula , Burdegala , Xantonas , Engoliſma , Lemovicas , Pictavis , Andegavis , Turonis , Aurelianis , Pariſius , Belungus , Noviomum , & innumera Monaſteria & Caſtella deſtructa ſunt . Per idem tempus Canonici Sancti Martialis apud Lemovicas in Monaſticum habitum ſe ſponte transferunt . E contrario Monachi Sancti Martini Turonis ante Corpus ejuſdem abjecto Monachali ſchemate , ſchema induunt Canonicale . Sed mox in eiſdem peſtilentia irruit , ut una nocte omnes morerentur . Tunc idem locus in reliquum a Canonicis habitatur .

Carolus Calvus poſt mortem fratrum ſuorum regnat ſuper Francos Annis XXIX. ubi nobilem Eccleſiam apud Compendium de novo conſtruxit , multiſque reditibus & prædiis illam ditavit ; inſuper Reliquiis , quas de Hieroſolymis & Conſtantinopoli advexerat , eamdem, inſignivit. Inter quæ pretioſiſſimum Sudarium Chriſti Domini, quod in Sepulcro habuit, in præfata Eccleſia repoſuit, quod uſque hodie ibidem conſervatur . Quo tempore Normanni Aquitaniam graviſſime affligebant , necnon & alias Francorum Provincias , Turpio Comes Engoliſmenſis cum Normannis congreſſus , occidens eorum Regem nomine Mauru , ab eo ipſe occiditur . Emeno autem frater ejus, Engoliſmæ pro eo Comes efficitur . Qui poſt biennium cum Xantonenſi Comite confligens , interemtus eſt , relinquens parvulum filium ſuum nomine Ademarum .

Ludovicus Balbus ſuper Francos tantùm regnat Annos IV. vel ſicut alii volunt, II. Hic nil ſtrenue geſſit ob brevitatem vitæ, niſi quod Monacham unam , ut ferunt , de Monaſterio Kala traxit , & eam duxit uxorem . Nec ulterius aliquis de Regibus Franciæ ſumſit Imperium , eo quod a patribus degenerarent .

Carolus Simplex ſive Stultus , Ludovici filius , regnat Annis XXV. infeliciter . Per id tempus Ramnulfus Comes Pictavienſis filium habuit Eblum nomine . Ramnulfus verò conſangnineus erat Willelmi Pii Aquitanorum Ducis & Arverniæ Comitis . Interim Ademarus filius Emenonis prædicti Comitis Engoliſmæ , quum non haberet Terram, a Rege Oddone vocatus , Comes Pictavi provectus eſt ; ſed quum non haberet prolem, una cum ſancta uxore ſua de his, quæ poſſidebat, multa Chriſti Eccleſiis conceſſere . Sanctus verò Geraldus clam Pictavi ſubductum Eblum Ramnulfi filium , ne fortè necaretur , Willelmo Pio , cui propinquus erat , tradidit nutriendum . Eo tempore Dux ipſe Willelmus , quum non haberet heredem , Cluniacenſe Monaſterium in fundo proprio , qui eſt in Burgundia , pago Matiſconenſi conſtruxit , eidem loco Bernonem Abbatem præficiens ; magnos de ſuo reditus præfato loco jure dedit hereditario.

Anno igitur ab Incarnatione Domini CMX. primùm præfuit eidem Berno Abbas Annis XVI. Willelmus Pius immaturâ morte præventus locum imperfectum reliquit , & Ducatus ſui Eblum jam factum Pictavienſem Comitem reliquit heredem . Ex tunc ſiquidem Pictavorum Comites , Duces Aquitanorum fue-

A re . Eblo verò Bituricus , dum Cluniaci cœpiſſet inſtitui, ſimiliter cœpit ædificare Dolenſe Cœnobium in honorem Matris Domini : quod poſtea filius ejus Radulfus reintegravit , & magnam Monachorum cohortem ibidem congregavit , & ſufficienter eis victum contulit .

Adrianus Papa Romæ ſedit Annis II Menſes IV. Quo Pontificatu Cœnobium Cluniacenſe a prædicto Duce Willelmo II. pio fundatum eſt . Formoſus ſedit Annis IV. Menſes VII. dies XIII. Hic confirmavit Bernoni Abbati Chartas & donaria, quæ fecerat Gignienſi Eccleſiæ . Berno Cluniacenſis Abbas moritur . Rodulfus poſt mortem Caroli ſuper Francos regnat Annis XIII. Hujus tempore Oddo Clu- B niacenſis Abbas obiit .

Ludovicus Caroli Simplicis filius regnat Annis VIII. Per hæc tempora Heblus prædictus Piſtavorum Comes, & Dux Aquitaniæ , duxit Adelam filiam Roſi Rotomagenſis in conjugium . Genuitque ex ea filium Willelmum Caput-ſtupæ . Circa hæc tempora Willelmus Sector ferri filius Aldoini Comes erat Engoliſmæ , qui de genere Caroli Calvi habebatur . Hic reſtituit Reliquias Carrofio Monaſterio , quas Monachi ejuſdem loci infeſtatione Normannicâ, Engoliſmæ transfugerant. Nam iidem Normanni crebras irruptiones per Pictavorum terminos , & uſque Carrofium , vel ultra, ſæpius facere conſueverant . Tunc Ademarus C Cluniacenſis Abbas per decennium claruit . Ante quem fuerat Oddo Cluniacenſis tempore Radulfi Regis , cujus juſſu cœpit diſponere regulariter Floriacenſe Cœnobium . Præfuit autem idem pater Dolenſi , Matiacenſi , Aurelianenſi , & omnibus fere Aquitaniæ Cœnobiis , quæ regulari diſciplina coërcuit .

Lotharius Ludovici filius ſuper Francos regnat Annis XXX. Hic eſt in Regem unctus Remis, & Hugo magnus factus eſt Dux Francorum . Hic Hugo fuit filius Roberti tyranni, qui interfectus eſt a Carolo , quem habuerat a ſorore Heberti Comitis Vermandenſis . Secundo Anno poſt hæc ipſe Hugo Civitatem Pictavis obſedit , unde expulſus rediit . Altero D Anno obiit ipſe Hugo magnus , ſepultus in Baſilica Sancti Dionyſii , cui ſucceſſerunt tres filii , Hugo , Otto , Henricus . Hugo factus eſt Dux Francorum . Otto Burgundiorum . Mortuo Ottone Duce ſucceſſit ei frater ſuus Henricus . Ademarus Cluniacenſis Abbas obiit Cluniaci .

Ludovicus Lotharii filius ſuper Francos regnat Annis V. Hic adoleſcens, immaturâ morte præventus , nullum reliquit heredem . Carolus autem frater ejus , ſive ut quidam volunt , patruus ejus , illi ſuccedit in Regnum . Captus eſt autem Carolus cum uxore ſua , ſcilicet filia Herberti Comitis Trecarum, ab Hugone Duce , & ductus Aurelianis in cuſtodia, E ubi genuit duos filios Ludovicum & Carolum. Ipſe in carcere poſt tempora plurima mortuus eſt . Tali enim exitu genus Regum , ſive Caroli apud Francos defeciſſe legitur . Majolus Abbas , qui poſt XL. Annos Cluniacenſi præfuit Cœnobio , obiit Silviniacum , ubi cum magna reverentia ſepultus eſt .

Hugo Caped filius Hugonis Magni ſuper Francos regnat Annis X Dux Aquitanorum & alii Regni Proceres poteſtatem ſuper Epiſcopos , quam antea Reges habebant , tenere cœperunt . Per hæc tempora majus Monaſterium , quod eſt Turonis, conſenſu Domni Nicolai Abbatis , proprios cœpit habere Abbates. Otto Tertius imperat . Rot-

Rotbertus Hugonis filius ſuper Francos regnat Annis XL. Hic fuit Regum piiſſimus, & ſanctæ Religionis amicus. Per idem tempus Domnus Odilo Abbas Annis LVI. Cluniacenſi præfuit Cœnobio . Hoc tempore Willelmus Caput-ſtupæ Dux Aquitanorum in pago Pictavienſi Monaſterium Malliacenſe conſtruxit. Per hæc tempora Berengarius Turonenſis vitâ & ſcientiâ Philoſophus clarere cœpit . Erravit in Fide , ſed poſtea correxit errorem , manibuſque ſuis juxta præceptum Apoſtoli laborabat , & pauperibus quidquid undecumque habere poterat, tribuebat, nihil ſibi reſervans, ſi non deeſſet , cui largiretur .

Henricus Rotberti filius ſuper Francos regnat Annis XXIII. Apud Byzantium Michaël imperat . Henricus II. Romanis imperat & Alemannis . Per idem tempus Sanctius Rex Chriſtianorum in Hiſpaniis ſceptrum gerebat. Quo defuncto Frederannus filius Regni ſuſcepit habenas . Per hæc tempora Domnus Odilo Abbas , qui per LVI. Annos præfuit Cluniacenſibus , obiit . Poſt hæc eidem Cœnobio præeſſe cœpit Domnus Hugo Abbas , præ ceteris genere , eleemoſynis , prophetiæ ſpiritu clarus . Tunc Willelmus Dux Aquitanis præerat . Quo ſine prole defuncto , frater ejus Guido Ducatum ſuſcepit agendum . Hi duo fratres Waſconiam ſibi ſubjugarunt . Per hæc tempora Pictavi cum Andegavenſibus haud longe a Caſtro , quod dicitur Voltunna, grave prœlium habuerunt , victique ſunt Pictavi cum multa ſtrage ſuorum , multique ex vivis inter mortuos latuerunt, & ſic incolumes evaſerunt . His temporibus florere cœpit in Theutonica terra Menegaldus Philoſophus , divinis & ſæcularibus literis ultra coætaneos ſuos eruditus . Uxor quoque & filii ejus religione florentes , multam in Scripturis habuere notitiam , & diſcipulos proprios filiæ ejus prædictæ docebant .

Philippus Henrici filius ſuper Francos regnat Annis XLV. Apud Byzantium Alexius imperat . Super Romanos & Theutonicos Henricus III. Circa hæc tempora in Africa a Mauris Marroch Civitas nobiliſſima conditur. Philippus Rex Francorum relicta uxore propria , de qua filium Ludovicum , qui poſt eum regnavit , genuerat , conjugem Comitis Andegavenſis , eo vivente , ſibi conjunxit . Ideo a Romano Pontifice Urbano in Claromontano Concilio excommunicatus eſt . Qui tamdem reſipuit , abjectâ adulterâ . Per hoc idem tempus Robertus Wiſcardi de Normannia exiens , vir pauper , miles tamen , ingenio & probitate ſua Apuliam & Calabriam ſuæ ditioni ſubmiſit , & Inſulam Siciliam de manu Iſmaëlitarum liberavit , Rogeriumque fratrem ſuum ejuſdem Inſulæ Comitem appellavit . Deinde mare tranſiens , Durachium Urbem nobilem cepit , Dalmatiamque & Bulgariam ſuper Alexium Imperatorem adquiſivit. Inſuper eum ter bello fugavit , & Romanum Henricum ſemel ab Urbe fugere compulit ; & Pontificem Romanum , quem ceperat , ab eo liberavit . Qui quum innumerabilia pæne feciſſet probitatis indicia , hoc de illo conſtans habetur , quod niſi morte præoccupatus fuiſſet , filium ſuum Boamundum Imperatorem faceret, ſe verò Regem Perſarum , ut ſæpe dicebat , conſtitueret . Numquam viſus eſt fugere , quamvis ſæpe pugnaverit. Venetos, qui contra eum omni virtute ſua convenerant, cum ſtolo ſuo ita profligavit , ut nec fuga nec pelagus illis eſſet auA xilio . Nec fuit terrarum locus ita remotus , in quo rumor , fama , timor Wiſcardi per omnium fere ora non volitaret . Et ut veriùs de eo dici poteſt , nulli Regum aut Imperatorum Wiſcardus ſecundus extitit. Solebat enim de eo dicere Wido Dux Aquitanorum , qui fuit vir illuſtriſſimus & prœliator fortiſſimus , ita ut cum fratre Willelmo , qui jam obierat , Guaſconiam ſibi ſubjugaret : *nullum hominem probum debere vocari , niſi ſolum Wiſcardum* . Qui quum eſſet generis ignoti & pauperculi , majus omnibus feciſſet hominibus . Wido autem Dux prædictus novi Monaſterii Cœnobium Pictavi a fundamentis erexit , quod de propriis reditibus juxta munificentiam ſuam valde ditavit ; Domnoque Hugoni Abbati Cluniacenſi ad diſponendum tradidit . Rotbertus autem Wiſcardi interea mortuus eſt in terris Imperatoris , ubi cum magno exercitu terrâ , marique contra eum perrexerat . De quo quidam ajunt , quod veneno necatus eſt . Sepultus eſt apud Venuſiam in Cœnobio Monachorum , quod ibidem ipſe adhuc vivens conſtruxerat. Reliquit enim Rotbertus Wiſcardi moriens duos filios , Boamundum , quem adhuc privatus de privata uxore genuerat , & Rotbertum Ducem Apuliæ , quem de filia Principis Salerni ſuſceperat : quibus terram ſibi adquiſitam dimiſit . Rotbertus autem Dux filium Willelmum genuit , & Ducem poſt ſe Apuliæ reliquit , qui ſine herede mortuus eſt . Boamundus verò , dum poſt mortem patris ſui Francorum Proceres Hieroſolymam tenderent , eis , relictis omnibus , ut dictum eſt , ſe ſociavit , & conſortem laboris ſe ſe fieri rogavit . Qui poſtea captâ a Francis Antiochiâ, Princeps ejuſdem Urbis factus , magnum ob ſuæ probitatis meritum dedit poſteris documentum . Nec non ob morum elegantiam filiam Philippi Regis Francorum , Conſtantiam nomine uxorem habere meruit . De qua filium Boamundum juniorem ſuſcipiens , poſt ſe reliquit heredem . Rotgerus autem Comes frater ſæpe dicti Wiſcardi , Rotgerium filium ſuæ dominationis ſucceſſorem moriens inſtituit .

D In hoc tempore Willelmus cognomine Rothſeth , qui Anglis imperabat , moritur . Henricus verò frater ejus Regnum ſuſcepit ejuſdem. Fuerunt autem ambo filii Willelmi Baſtardi , qui Angliam acquiſivit . Rotgerius Roberti Wiſcardi nepos , mortuo Willelmo Apuliæ Duce , & Boamundo juniore Antiochiam migrante , utriuſque poſſedit hereditates . Et quum omnia proſpere ſibi ceſſiſſent , Regem ſe vocari maluit , & multos Nobiles , ne ſibi forent contrarii , alios exheredavit , alios occidi præcepit , & eorum terras ſolus poſſedit . In Urbe Venuſia , ubi Rotbertus Wiſcardi ſepultus eſt , & Poëta Horatius natus , in quadam Turre veteri , quæ muro Urbis adhæret, conditus eſt . Hoc tempore Anſelmus Philoſophus in Francia floruit : deinde Cantaurienſis Archiepiſcopus ordinatus , ſanctitate pollens, in Francia moritur . Circa hæc tempora Certuſiæ Monaſterium in Alpibus conſtruitur , ubi Monachi in cellis habitant , orationi, lectioni , & contemplationi vacantes . In illo tempore illud famoſiſſimum Cœnobium feminarum , quod dicitur Fons Ebraldi , conſtruitur in pago Pictavienſi a Rotberto de Bruxello , juvante eum Petro Pictavorum Epiſcopo , cujus ſanctitatem crebra miracula tumuli ejus loquuntur , & prædicant . Poſt aliquot annos Ciſtellenſe Cœnobium ædificatur ; unde tanta

ſeges

A ſeges religionis effloruit, ut omnem fere Latinitatem repleverit. Poſt hæc, tot, & tam diverſarum Sectarum Monaſteria in Galliis fabricata ſunt, ut non ſit facile ſingulis immorari.

Urbanus Papa, qui & Oddo, Cluniacenſis Monachus, & poſtea Oſtienſis Epiſcopus, ſedit Annos XI. Menſes VI. Hic primus iter ad capiendam Hieruſalem, in Claromontano Concilio, An. ab Incarnatione Domini MLXXXV. regnante in Alemannia Henrico Imperatore, in Francia Rege Philippo, prædicavit & prævaluit. Nam Franci, Domino inſpirante, Crucem in veſtibus ſuis inſuentes, cum robore exercitus, quamvis labore inexplicabili, per Conſtantinopolitanam Urbem iter facientes,
B ubi cum Alexio Imperatore fœdus pepigerunt, ſicut ipſe poſtulavit ab eis, facti tamen homines illius. Huic exercitui præfuerunt nobiles viri Guodefredus ſcilicet Dux Regni Lotharienſis cum fratribus ſuis Baudoino, & Euſtachio Conſulibus claris: Raimundus Comes Sancti Ægidii: Boamundus Rotberti Wiſcardi filius: Petrus Eremita: Tancredus: Stephanus Bleſenſis Comes: Rotbertus Normanniæ Comes, Willelmi Regis Anglorum filius: Rotbertus Comes Flandriæ: Hugo magnus frater Philippi Regis Francorum, & alii multi. Deinde mare, quod Brachium Sancti Georgii dicitur, transfretantes, ad Nicæam Urbem properarunt, quæ ab eis quinque ſeptimanis
C obſeſſa, ac vi & ingeniis valde coarctata, Alexio Imperatori ad ultimum reddita eſt. Poſtea per multos labores pervenerunt Antiochiam, quam prænominant parvam in Provincia Piſidiæ: deinde Iconium. Quum autem perveniſſent ad Eracleam Urbem, viderunt ſignum in Cœlo, in modum enſis figuratum, cuſpide versùs Orientem protento. Tunc profecti ſunt ad Oppidum, quod Mariſcum nominant. Profecti inde Baldoinus Comes frater Godefridi, relicto exercitu cum illis, quos ſecum duxit, Urbem, quam dicunt Tarſum Ciliciæ, auſu magno ceperunt, quam Tancredus violenter abſtulit, qui jam in ea homines ſuos, Turcis ei conſentientibus, intromiſerat.
D Itaque confidens in Domino, cum paucis militibus proficiſcens versùs Eufratem fluvium, comprehendit ibi Caſtella plurima, inter quæ unum cepit peroptimum, quod vocant Turbexel, Armenis ſibi conſentientibus. Fama autem ejus longe lateque circumfusâ, miſit ad eum legationem, qui Princeps erat Civitatis Edeſſæ, ideſt Roais, non habens filium, nec filiam. Eſt autem Roais in Meſopotamia Syriæ, trans flumen Eufratem viginti fere milliariis, ab Antiochia diſtans quaſi centum vel paulo plus. Baudoinus cum ſuis tranſito Eufrate, veniens Roais, a Principe ipſius Urbis & uxore, & Civibus alacriter ſuſceptus eſt.
E Poſt quindecim verò dies peremto Principe ab Edeſſenis, Baudoinus in Palatio ad dominandum ſublimatus eſt. Menſe Octobri perveniunt Franci Antiochiam Syriæ, flumine tranſito, quod Fernum & Orontem nominant. Ante Urbem juſſa ſunt tentoria extendi. Eſt Antiochia Civitas magna ambitu, ſive fortis & muro valida: quæ etiam ab hoſtibus exercitus numquam poterit comprehendi, ſi tantùm inhabitantes pane muniti eam defendere voluerint. Eſtque in ea Baſilica una ſatis veneranda, in honore Sancti Petri Apoſtoli dedicata, ubi ſedit in cathedra in Epiſcopum ſublimatus, poſtquam a Domino Principatum Eccleſiæ, clavibus acceptis Regni cæleſtis, ſuſcepit. Eſt & alia in honore Beatæ Mariæ fabricata: ſuntque aliæ plures Eccleſiæ decenter compoſitæ. Tredecim fere milliariis diſtat mare ab Antiochia; & quia Fernus fluvius inibi mare incidit, per ejuſdem alveum fluvii uſque prope Antiochiam naves de longinquis partibus bonis refertæ omnibus deducuntur. Itaque tam per terram, quàm per mare munita bonis abundat Civitas multimodis divitiis. Et quoniam de Antiochia ſe occaſio nobis præbuit, de ſitu ejuſdem neceſſarium eſſe dicere aliquid videtur. Eſt quædam planicies inter montes Libani, quæ in latitudinem per diem unum tenet viatorum, & dimidium diem in longitudine. Hæc autem planicies babet ab Occidente paludem quamdam, ab Oriente fluvium, qui quamdam partem ejuſdem planiciei cingit ad pedes montium, quos illa terra habet; a Meridie ita recurrit, ut inter montes & fluvium tranſitus nullus ſit; & ſic mari Mediterraneo, quod Antiochiæ proximum eſt, influit. In anguſtiis autem illis, quas fluvius tam adhærens ſupradictis montibus facit, Antiochia ſita eſt, ut ab Occidente flumen inferiori muro influens, quamdam in modum ſagittæ partem terræ inter ſe & ipſam Civitatem relinquit. Hoc modo ab Oriente Urbs ſita ſurgit in Oriente, atque ſuo ambitu trium montium juga complectitur. Ille verò mons, quem a Septemtrione habet, quodam maxime prærupto ab aliis dividitur, ut ab illo ad alios nullus, vel difficillimus aditus, habeatur. In colle autem ad Septemtrionem Caſtellum quoddam eſt, & in medio colle Caſtellum aliud, quod Linguâ Græcâ Calax (*) vocatur. In tertio colle tantùm Turres. Tenet autem hæc Civitas duo milliaria in longitudine, muris & turribus & antemuralibus ita munita, ut nullius machinæ impetus, nullius hominis aſſultus, etiamſi omne genus hominum conveniat, vereatur. Sed quum Antiocheni a Francis ſe obſideri conſpicerent, Gratianus Admiratus miſit filium ſuum, Sanſadolam nomine, ad Soldanum Imperatorem Perſidis, ut eis ſuccurreret. Quod & factum eſt. Obſeſſa eſt autem Antiochia circiter XI. Kalendas Novembris, capta verò III. Nonas Julii. Corbogat autem Turcorum Dominus a Soldano de Perſide miſſus cum exercitu innumerabili, ad auxilium Antiochenorum venit. Sed, Domino volente, antequam veniret, Urbs Antiochena Francis reddita eſt.

Apparuit autem Dominus cuidam Turco, gratiâ ſuâ prælecto, præcepitque ei, ut Civitatem Chriſtianis redderet, quo audito Turcus mandavit Francis, quod Civitatem eis redderet. Igitur Franci, communicato conſilio miſerunt ad hæc experienda Boamundum, Godefredum Ducem, & Flandrenſem Comitem. Quumque per medium noctis ad collem veniſſent Civitatis, remiſſus internuntius ab eo, qui Civitatem reddebat, dixit: *Exſpectate paulisper, dum lampas tranſeat*. Etenim tres viri, vel quatuor cum lampadibus per muros Civitatis totâ nocte pergebant, excitando, & commonendo vigiles. Poſt hæc autem appropinquantes ad murum, & erectâ ſcalâ, cœperunt aſcendere Franci. Primus quidam Francus, nomine Fulcherius, frater ſcilicet Bu-

(*) an: *Clalaza*? hoc eſt, Græce Χαλαζα.

Budelli Carnotenſis, muros intrepidus aſcendit; quos Comes Flandrenſis ſequutus, Boamundo, & Duci Godefredo mandavit, ut aſcenderent. Jam enim quadraginta milites per chordas introierant, qui ſexaginta Turcos trium turrium cuſtodes occiderant. Quumque omnes feſtinarent, ut alius alium præveniret, fracta eſt ſcala. At verò hi, qui aſcenderant, deſcendentes in Civitatem, Poſterulam quamdam aperuerunt. Per quam ingreſſi Franci cœperunt clamare: *Deus hoc vult*; *Deus hoc vult*. Ad hanc vocem turbata eſt Civitas. Diſcurrebant Turci ac Franci per vicos & plateas Civitatis, & Turci a Francis trucidati & peremti ſunt. Quod videns Gratianus Ammiratus Antiochiæ, egreſſus per Poſterulam quamdam, ab Armenis ruſticis decollatus eſt, caputque ejus Francis allatum eſt. Non poſt multos verò dies Franci capto conſilio mandaverunt per Petrum Eremitam Corbagat & Turcis, qui Urbem obſederant, quod niſi a Terra illa recederent, ſequenti die ſine dubio bellum contra eos inirent. Quod reſpuens Corbagat, Franci præparati ad bellum ſummo mane exierunt de Civitate, IV. ſcilicet Kalendas Julii. Ecce Hugo magnus, & Rotbertus Normannus, & Comes Flandrenſis primi conſtituti ſunt invaſores: deinde Dux Godefredus cum Alemannis: tertius Ademarus Podienſis Epiſcopus, cum familia Raimundi Comitis. Ipſe verò Raimundus in Urbe remanſit ad cuſtodiendam eam. Poſtremo egreſſus eſt Boamundus cum gente ſua. Huic verò tradiderat Turcus prædictus filium ſuum obſidem, qui Antiochiam Francis reddiderat. Quod videns Corbagat a tentoriis ſuis, ubi ſcaccis ludebat, vocavit quemdam Turcum, qui de Antiochia aufugerat, nomine Amirdalim, Francis notum per malitiam ſuam. Qui ait Corbagat:

En Franci veniunt. Vel nunc fuge, vel bene pugna.
Nam ſignum video magni procedere Papæ:

ideſt Ademari Podienſis Epiſcopi. Amirdalis mox diſcedens ab eo, equum calcaribus urſit.

Cogitat, an fugiat: ſocios tamen admonet ipſe,
Fortiter ut pugnent, omnes jaciantque ſagittas.

Fugatis Turcis, & a Chriſtianis interfectis, Boamundus Antiochiam cum tota provincia poſſedit, eliminatis inde omnibus hominibus Raimundi Comitis, quos ibi cuſtodes reliquerat. Tunc temporis obiit Ademarus Podienſis Epiſcopus, Kalendis ſcilicet Auguſti, cujus anima quiete potiatur æternâ. Poſtea Hugo Magnus Conſtantinopolim, conceſſu Heroum abiit, deinde in Franciam. Igitur quum capta eſſet Civitas Antiochiæ, Sanctus Andreas apparuit cuidam ruſtico pauperi, Provinciali genere, dicens: *Veni, & oſtendam tibi Lanceam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quam Raimundo Comiti donabis. Etenim eam Dominus conceſſit illi, ex quo genitus eſt*. Induxitque eum in Eccleſia Beati Petri Apoſtoli, ubi Lanceam Domini ei tradidit, quam de ſub terra produxit. Hæc igitur viſio facta eſt, antequam Civitas caperetur. Poſt Civitatem captam prædictus homo, qui de Lancea dixerat, venit in Eccleſiam Beati Petri cum Raimundo Comite, & Capellano ſuo, Raimundo ſcilicet de Agelers, & aliis paucis, & cœpit fodere in terra; inventaque eſt Lancea XVIII Kalendas Julii. Quam ſuſpiciens Raimundus Comes, in Capella ſua honeſte poſuit.

Anno ab Incarnatione Domini MLXXXIX. profecti ſunt ad Caſtrum, Archas dictum, ad radicem Libani ſitum. Iſtud Oppidum antiquiſſimum condidit Aracheus Chanaan filius, ut legitur. Ibique conſilio inito, quia de Lancea Domini multi dubitabant, poſt ſupplicationem triduani jejunii, octavo Menſe poſt captam Antiochiam, benedictione judiciali, ſuper ſtruem lignorum in medio campi, ab Epiſcopis factâ, inventor Lanceæ per medium rogi flammantis ultro celeriter tranſmeavit. Quo tranſacto, illum hominem, quaſi reum, in cute flammis crematum viderunt, & in interiori corporis parte læſum moriturum intellexeruut. Quod rei exitus monſtravit, quum die XII. ipſo angore obiit. Et qui ob honorem Dei & amorem omnes Lanceam venerati fuerant, hoc judicio peracto, omnes facti increduli, obſtinati ſunt valde; Comes tamen Raimundus tamdiu eam ſervavit, donec eam, neſcio quo eventu, perdidit. Factum eſt poſt victoriam, dum Franci apud Rojam manerent, quod Sanctus Andreas manifeſtaret ſe Petro Bartholomæo infra tentorium, ubi manebat Epiſcopus Athenſis, & Capellanus Comitis Raimundi, & alius Capellanus nomine Simon. Alio quoque tempore, dum eſſent ad obſidionem Archados, apparuit Dominus crucifixus cum Petro & Andrea eidem Petro Bartholomæo ſimplici & honeſto viro, quieſcenti in Capella Comitis Sancti Ægidii, cum quo multa de inventione Lanceæ, & de incredulitate Francorum, & de nonnullis aliis loquuti ſunt. Hanc autem viſionem dum Francis aperiret, adhuc facti increduli, Petrus nimium iratus, ſicut homo ſimplex, & qui veritatem noverat, dixit: *Volo ac deprecor, ut fiat ignis maximus, & cum Lancea Domini incolumis tranſeam. Sin autem, comburar in igne*. Sicut poſtulavit, ſic & factum eſt. Præparatus eſt ignis de oleis ſiccis, habuitque in longitudine XIII. pedes, & erant duo aggeres, & inter utroſque ſpatium quaſi unius pedis, & in altitudine aggerum erant IV. pedes. Quum verò ignis vehementer accenſus eſſet, Petrus Bartholomæus indutus ſolummodo tunicâ, flexiſque genibus ante Epiſcopum Albaſienſem, Dominum teſtem invocavit, qnod facie ad faciem ipſum in Cruce viderit. Poſtea quum Epiſcopus poſuiſſet Lanceam in manu ejus, flexis genibus, factoque ſibi ſigno Crucis, viriliter cum Lancea & intrepidus & imperterritus incendium ingreſſus eſt, atque per ſpatium quoddam in medio ignis demoratus eſt. Et ſic per Dei gratiam illæſus tranſivit. Egreſſus Petrus de igne abſque ulla læſione, ſignavit Populum cum Lancea, exclamavitque alta voce: *Deus adjuva*. Populus autem volens eum tangere, vel de veſtimento ejus aliquid accipere, fecerunt tria vel quatuor vulnera in ejus cruribus, abſcindentes de carne, & pinnam dorſi ejus confringentes crepuerunt eam. Deinde Raimundus Comes dimiſit obſidionem Archados, admonitione cujuſdam Sacerdotis, Petri ſcilicet Deſiderii, cui Sanctus Andreas apparuerat, dicens, ut Chriſtiani Hieruſalem irent. Hac igitur viſione collectis tentoriis iter agentes, tranſierunt Urbem Tripolim. Qua tranſita juxta Gibellulum Caſtellum meaverunt. Aprilis menſis erat, & jam de meſſibus vivebatur. Ultra deinde progreſſi haud longe ab Urbe Beruto tranſigentes, invenerunt poſtea Urbem aliam, quam legimus, Sidonem

voca-

vocabulo dictam, in terra Fœnice, quam condidit Sidon filius Canaan, a quo Sidonii; exin Sarepta Sidoniorum. Deinde invenerunt Tyrum Civitatem peroptimam, unde fuit Apollonius, de quo legitur. De his etiam duabus Euangeliſta ſonat: *in partes Tyri & Sidonis*. Harum autem regionis incolæ priorem Sagittam, alteram verò Sur nominant. Nam Hebraice *Soor* dicitur; & eſt in ſorte Nephtalim. Poſt has tranſierunt Ptolemaidam, prius Achon dictam, quam quidam errantes Accaron ſolebant legere, quod nos etiam faciebamus, quum primitus terram Palæſtinorum introivimus. Sed Accaron eſt Urbs Philiſtæa inter Azotum & Jamniam prope Aſcalonem; Accon verò, ideſt Ptolomaida, ab Auſtro habet Carmeli montem; juxta quem tranſeuntes ad dexteram reliquerunt oppidum Cayphan dictum. Exin juxta Doram, vel Pyrgum, poſt hæc juxta Cæſaream Palæſtinæ inceſſimus, quæ quidem dicebatur & altero nomine Turris Stratonis, in qua Herodes dictus Agrippa, nepos illius Herodis, ſub cujus tempore natus eſt Chriſtus, percuſſus ab Angelo, conſumtuſque a vermibus, infeliciter exſpiravit. Tunc quidem a dextera parte reliquerunt maritima, & per Urbem nomine Ramulam perrexerunt, de qua Saraceni incolæ jam aufugerant, pridie quàm illuc Franci perveniſſent. Poſt paucos verò dies ad Urbem Hieruſalem properantes, hoſpitati ſunt juxta Caſtellum, quod dicitur Emaus. Inde ad Urbem appropinquaverunt, relictâ Gabon a ſiniſtra parte, quæ a Hieruſalem L. ſtadiis diſtat.

Obſeſſa eſt autem Hieruſalem a Francis VII. Idus Junii, capta verò Idibus Julii Anno ab Incarnatione Domini MC. minus Anno. Godefredus autem Dux Lotharingiæ ab omni Populo in Regem conſtituitur. Canonici in Eccleſia Sepulcri, atque in Templo locati ſunt. Tunc inventa eſt particula Crucis Dominicæ a quodam homine Syro, qui cum patre ſuo eam abſconderat & conſervaverat. Quæ in modum Crucis reformata, aureâ & argenteâ fabricâ eſt velata. Eſt quidem Civitas Hieruſalem in montano loco ſita, rivis, ſilvis, fontibuſque carens, excepto fonte Syloë, ubi ſufficienter interdum aqua habetur. Ciſternæ autem multæ, & aquæ ſatis abunde in Urbe habentur. Habet autem Civitas ab occaſu Solis Turrim Davidicam, utroque latere murum Urbis ſupplentem, quæ uſque ad medietatem ſui parte inferiori ſolide maſſata eſt, & de lapidibus cœmentata quadratis & plumbo fuſili ſigillatis. Eſt in eadem Urbe Templum Dominicum rotundum, compoſitum ab Humaro Principe Saracenorum, ut ſuperius dictum eſt, in eodem loco, quo Salomon alterum prius inſtituit mirificum. In cujus medio eſt rupis nativa & ingens, de qua deturpatur ſatis & impeditur ipſum Templum. Neſcio quare ab æterno permittitur locum occupare, quin prorſus exciditur. Dicunt illum eſſe locum, ubi ſtetit Angelus percutiens, cui David intulit pavidus nimis: *Ego quidem ſum, qui peccavi; iſti, qui oves ſunt, quid fecerunt?* Ajuntque in ipſa rupe Arcam fœderis Domini eſſe cum Virgâ & tabulis Teſtamenti, bene ſigillatam; eo quod Joſias Rex Juda poni juſſit eam in ſecretario Templi, dicens: *Nequaquam portabis eam de loco iſto*. Sed illud, quod in deſcriptione Jeremiæ legimus, in Libro Machabæorum Secundo, ob quod ipſe Jeremias eam in Arabia occultaverit, dicens: quod non invenienda eſ-

A ſet, donec gentes multæ congregarentur. Non credimus igitur, Arcam in Templo eſſe. Hæc eſt pro certo Domus Dei, de qua ſcriptum eſt: *Bene fundata eſt ſupra firmam petram*. Hanc etiam Urbem Ælius Hadrianus Imperator mirifice decoravit, & vicos & plateas pavimento decenter ornavit. De cujus nomine Hieruſalem Ælia vocitata eſt. Non poſt multos dies Godefredus Rex ſecundo Anno poſt captam Civitatem, apud Hieroſolimam, diem clauſit extremum XV. Kalendas Auguſti. Cui ſucceſſit Baudoinus Comes Edeſſenus, frater ſuus in Regem, commiſsâ Civitate de Roais Baldoino propinquo ſuo. Igitur Baudoinus ſuſcepto regimine Hieroſolymitano profectus eſt B cum ſuis Aſcalonem per Azotum meantes, inter quam & Jamniam, quæ ſuper mare ſita eſt, Accaron dimiſerunt. Inde repedantes tranſierunt montana, juxta Patriarcharum ſepulturas, Abrahæ videlicet, Iſaac, & Jacob, nec non Saræ, & Rebeccæ. Venerunt deinde in vallem, ubi Sodoma & Gomorra ſubverſæ ſunt, ubi Lacus Aſphalti, nec magnus. Et quia in eo nihil vivit, neque piſcis converſatur, ideo Mare Mortuum vocatur, longitudo cujus uſque ad Zoeres Arabiæ dirigitur ſtadiis quingentis octoginta uſque ad vicinia Sodomorum; latitudo verò centum & uno patet; adeo ſalſus, ut nec beſtia neque volucris de eo bibere queat. A parte Aquilonis flumen recipit C Jordanicum, ab Auſtro verò nullum habet exitum. Juxta quem Lacum exſtat mons unus ſalſus, non tamen totus, ſed localiter conſtans, ut petra duriſſimus, & glaciei ſimillimus. Gyrato itaque Lacu a parte Auſtrali, reperiunt Villam unam, quæ dicitur Segor, ſitu gratiſſimam, & de fructibus palmarum valde abundam. Exin Arabiæ montana introire cœperunt, ubi Vallem unam de omnibus frugibus opulentiſſimam invenerunt. In qua Moyſes, etiam Domino inſinuante, virga ſilicem bis percuſſit, unde fons unus ſtatim, ut legitur, ſic emanavit, ut Populus atque jumenta ex eo adaquarentur. Qui etiam nunc non minus perfluit quàm tunc. Reperiunt in D ſupercilio montis Monaſterium Sancti Aaroni, ubi ipſe, & Moyſes cum Domino loqui ſoliti erant. Et quoniam ultra vallem illam terra erat deſerta & inculta, repatriati ſunt Hieruſalem.

Eodem tempore ingens exercitus Francorum per Romaniam Hieruſalem tendebat. In quo erant Principes Willelmus Pictavienſium Comes, & Stephanus Comes Bleſenſis, qui ab Antiochia, exercitu relicto diſceſſerat. Sed nunc quod deliquerat, reſtaurare ſatagebat. Cum his aderat Hugo Magnus, qui poſt Antiochiam captam in Galliam repedavit. Aderatque cum his Raimundus Comes, qui apud Conſtantinopolim moram fecerat, jam de Hie- E ruſalem regreſſus; nec non Stephanus Burgundiæ Comes, multique alii nobiles, adjecto ſibi innumero Populo, exercitu bipartito facto. His in Romaniæ finibus obſtitit Soliman Turcus, ita ut peremtis eorum plurimis, equos & mulos, jumenta & omnimoda eorum ornamenta haberet. Illic perdidit Comes Pictavienſis quæcumque habebat. Vix etiam mortis præſentiam evadens, pedes tamdem, & proh miſeria! lugubris, Antiochiam pervenit. Cujus anxietati Tancredus compatiens, eum pie ſuſcepit, & de bonis ſuis ſublevavit. Quem Dominus ita caſtigans caſtigavit, ſed morti non tradidit. Qui autem evaſerunt, uſque Hie-

Hieruſalem venire non ceſſaverunt, excepto Hugone Magno, quem in Tharſo defunctum ſepelierunt. Et quum prope Paſcha eſſet, Hieruſalem, quo deſiderabant, perrexerunt. Et poſtquam ſacroſancta loca viſitaſſent, cum Baudoino Rege Joppen omnes regreſſi ſunt. Tunc quia inops erat Comes Pictavienſis, & deſolatus omnimode, navim aſcendens, in patriam remeavit.

Anno MCIII. Baudoino Rege contra Saracenos more ſolito certante, contigit eum die quodam in paucos eorum irruere. Et dum de internecione eorum jam certus gauderet animo, en Æthiops unus pænes rupem deliteſcens, callide inſidiatus eſt ei, ut interimeret. Qui miſſili fortiter vibrato prope cordi Regem a dorſo profunde vulneravit, Quo ictu pæne uſque ad mortem læſus eſt. Sed quum poſtea medicari ſe ſolicite ſtuduiſſet, poſt inciſionem vexatæ cicatricis, tamdem ſoſpes effectus eſt. De Domno autem Boamundo rumor deſiderabilis tunc divulgatus eſt, quia Deo propitiante de Turcorum captione liberatus per redemtionem exierat. Qui poſtea ob morum elegantiam, Conſtantiam filiam Philippi Regis Francorum uxorem habere meruit. De qua filium Boamundum juniorem ſuſcipiens, poſt ſe reliquit heredem.

Anno MCVIII. obiit prædictus Philippus Rex Franciæ.

Anno MCX. applicuit Joppe gens quædam Noirenſis dicta, cum LV. navibus, quam de mari occiduo concitaverat Deus, ut irent Hieruſalem. Qualiter mare Oceanum Mediterraneo mari, quod uſque Palæſtinam & Ægyptum tendit, perlabitur, huic paginæ interſerere curavimus. Dubitatur etiam nunc, quibus ex cauſis intumeſcat Oceanus, vel quatenus, quum ſuperfluus ſibi fuerit, rurſus in ſe reſidat. Phiſici ajunt, Mundum animal eſſe, eumque ex variis elementorum corporibus conglobatum, moveri ſpiritu regente: quæ utraque diffuſa per membra omnia, æternæ molis vigorem exerceant. Sicut ergo in corporibus noſtris commercia ſunt ſpiritualia, ita in profunditate Oceani nares quædam, per quas anhelitus emiſſi, in ſe reducti modò inflant maria, modò revocantur. At hi, qui ſiderum ſequuntur diſciplinam, contendunt, meatus iſtos moveri Lunæ curſibus, adeo ut ſicut viciſſitudinis iterum maciem aquarum, & plenitudinem reſpiciant ad actus vel eliquia. Neque eodem ſemper tempore, ſed prout illa aut mitigatur, variant ſe alternantes recurſus. In capite Bæticæ, ubi extremus terminus noti Orbis eſt, Inſula continenti ſeptingentis pedibus ſeparatur, quam Tyrii a Rubro mari profecti, Erithrea, Pœni linguâ ſuâ Gades, ideſt Septam, nominaverunt: unde Gaditanum fretum a Gadibus dictum eſt. Athlanticus æſtus in Mediterraneum mare diſſidium immittit orbis. Nam Oceanus, quem Graji de celeritate ſic nominant, ab occaſu Solis irrumpens, lævo latere Europam radit, dextero Africam, ſciſſiſque duobus montibus, Calpe, & Abyla, quos dicunt Columnas Herculis eſſe, funditur inter Mauros & Hiſpaniam, ac freto iſti, cujus longitudo quindecim millia paſſuum efficit, lat tudo vix ſeptem, quodam oſtio limen aperit interni æquoris, mixtus Mediterraneis finibus, quos ſinus uſque ad Orientem propellit. Sinus verò ille, qui Hiſpaniam perfundit, Hibericus fertur & Balearicus. Qui Narbonenſem provinciam, Gallicus: moxque Liguſticus. Ab eo ad Siciliam Tuſcus, quem Græci Yonium vel Tyrrhenum, Itali verò Inferum vocitant. A Sicilia uſque Cretam Siculus. Inde Creticus, qui in Pamphiliam & Ægyptum. Quæ aquarum moles torto in Septemtrionem prius latere, anfractibus magnis juxta Græcias & Illyricum, per Helleſpontum in anguſtias ſtringitur Propontidis. Quæ Propontis Europam Aſiamque diſcriminans, ad Paludes Mæotidas pervenit. Hic eſt quartus ſinus Europæ. Hic Helleſpontus incipit. Mæotis oſtio terminatur. Nota, quod omnis hæc latitudo, quæ Europam Aſiamque dividit, in ſeptem ſtadiorum anguſtias ſtringitur in Propontidem; mox in quingentos paſſus coartatus, fit Boſphorus Thracius, quo Darius copias tranſportavit. Hæc profunditas Delfinos plurimos habet. Cauſas nominum non uniformis dedit ratio. Aſiaticum, & Phœnicium a provinciis dictum; ab inſulis Carpatium, Ægeum, Icarium, Balearicum, Cyprium; a gentibus Auſonium, Dalmaticum, Liguſticum, Tyrium; a caſibus hominum vel Helleſponticum; a memoria Regis Yonium; a bovis tranſitu, vel anguſtis meatibus boum perviis, Boſphorus; a moribus accolarum Euxinus, Auxinus antea appellatus; ab ordine fluenti Propontis. Ægyptius pelagus Aſiæ datur, Gallicus Europæ, Africus Lybiæ. His ut quæque proxima ſunt, veniunt in partes partium. Hæc in gremiis terrarum. Oras autem extremas Oceanus amplectitur, qui a litoribus ſuis Arabicus, Perſicus, Indicus, Eous, Sericus, Hircanius, Caſpius, Scythicus, Germanicus, Gallicus, Athlanticus, Lybicus, Ægyptius dicitur. Cujus acceſſus incrementa, citra litora Indiæ vehementiſſime proruunt, maximoſque ibi impetus faciunt, ſive quod ſuſpenſius altius tollatur vi caloris, ſeu quod in ea parte orbis, fontium, & fluminum copia ſit uberior. Non eſt omittendum unde Mediterranea maria caput attollant. Æſtimant enim quidam, ſinus iſtos a Gaditano freto naſci, nec aliam eſſe originem, quàm eliquia irrumpentis Oceani. Qui contrarium ſentiunt, dicunt, omnem illum fluorem a Ponti faucibus inundare, idque fulciunt argumento non inani, quod æſtus e Ponto profluus, numquam reciprocetur. Per has anguſtias, quas ſupra diximus, ſcilicet inter Calpem & Abylam memorati Noirenſes ab Oceano Occidentali per mare Mediterraneum ad auxilium Chriſtianorum in Palæſtinam devenerunt. Quos Rex Boamundus benigne ſuſcipiens, cum auxilio eorum Urbem Sydonem obſedit. Quod videntes Sydonii Urbem Regi reddiderunt.

Anno MCXV. Rex Baudoinus profectus in Arabiam, ædificavit Caſtrum unum in monticulo quodam, quod reperit ſitu forti ac priſco, non longe a Mari Rubro, ſed quaſi trium dierum itinere, a Hieruſalem verò quatuor. Quod Caſtrum Regalem Montem nominavit. Sequenti verò Anno cupiens videre, quod non viderat, cum ducentis fere militibus uſque Mare Rubrum iter eundo expedivit, invenitque ibi Helim Civitatem, ſecus litus ejuſdem maris, ubi Populum Iſraëliticum poſt maris tranſitum hoſpitatum eſſe legimus. Hæc ab Hieruſalem ſeptem dierum equitis itinere diſtat. De qua, qui ibi verſantur piſcatores, audito Regis adventu, egreſſi ſunt, & intrantes naviculas ſuas, in Mare illud ſe pavidi impegerunt. Qua viſione Rex lætatus, ad Montemregalem reverſus eſt, deinde Hieruſalem.

Hoc

Hoc autem Mare Rubrum dictum eſt, quod illic ſabula & lapilli rubri habeantur in fundo, unde intuentibus rubrum apparet, quod tamen in vaſe quolibet hauſtum, cernitur tamquam aliud mare limpidum & album. Derivatur autem a magno mari, ſcilicet Oceano, ut dicunt, a parte Auſtrali, quaſi lingua eruptum, & uſque ad Helim jam dictam versùs Septemtrionem protentum, faciens ibi finem non longe a Monte Sinai; ſed quantùm poteſt eques aliquis uno die proficiſci. A Rubro verò mari, vel ab Helim jam memorata uſque ad Mare magnum, quo ab Joppe, vel Aſcalone, ſive Gazâ contra Damiat pergitur, iter eundo dierum quatuor vel quinque equitis ambulatione æſtimant. Quo inter hæc duo maria ſinu cingitur Ægyptus tota, atque Numidia, necnon Æthiopia, quàm Gion Paradiſi fluvius, qui & Nilus, circuit, ut in Bibliotheca legitur. Poteſt mirari, ſed numquam rimari, quomodo vel qualiter fluvius iſte, qui de Paradiſo cum tribus aliis legitur emanare, ortum ſuum videatur iterum recuperare, quum ab Orientali parte mare habeat Rubrum, & ab Occaſu, in quo incidit Mare, Magnum. Habet enim inter ſe Mare Rubrum, & Orientem poſitum, ubi eſſe intelligimus Paradiſum, ex quo egreditur. Quomodo ergo citra Mare illud Rubrum reſumit ortum ſuum? Et quomodo tranſit idem Mare, vel non tranſit, admiratur.

Anno MCXVII. obiit Paſchalis Papa Menſe Januario; Baudoinus Rex in Aprili; Uxor ejus, quam dereliquerat in Sicilia; Arnulphus Patriarcha Hieroſolymitanus; Alexius Imperator Conſtantinopolitanus; aliique plures Proceres in Mundo.

Sequenti igitur Anno MCXVIII. quum Rex Baudoinus Urbem Pharamiam vaſtando dirupiſſet, die quadam, quum juxta fluvium, quem Græci dicunt Nilum, Hebræi autem Geon, lætus cum ſuis deambulaſſet, & de piſcibus illic inventis comediſſet, ſenſit Rex intrinſecus ſe angore plagæ ſuæ veteris graviſſime renovato debilitari. Quumque remeare vellet Hieruſalem, & uſque ad Villam, quæ dicitur Laris, perveniſſet, obiit. Obtinuit autem Regnum Hieroſolymitanum Annis X. & octo Menſibus, tribus inſuper appoſitis. Acon, Cæſaream, Berutum, atque Sydonem abſtulit infandis hoſtibus indigenis. Poſt, Terras Arabum, vel quæ tangunt Mare Rubrum, addidit Imperio, ſubdidit obſequio. Et Tripolim cepit, ſed & Arſuch non minus urſit. Pleraque præterea fecit honore rata. Sepultus eſt autem in Golgotha juxta Ducem Godofredum fratrem ſuum. Initoque conſilio Hieroſolymitani creaverunt ſibi Regem, Baldoinum videlicet Comitem Edeſſenum, Regis defuncti cognatum, qui tranſito Eufrate fluvio, Hieruſalem fortuitò coiverat cum prædeceſſore loquuturus. Communiter electus, die Paſchæ eſt conſecratus.

Anno MCXXII. Goſcelinus Comes Edeſſenus, & Galerannus cognatus ejus capti ſunt a Balac Admirato quodam.

Sequenti etenim Anno (MCXXIII.) Henricus Rex Alemanniæ cum Calixto Papa pacificatur. Deo autem gratias, qui Regnum & Sacerdotium in dilectione confœderavit. Eodem tempore Baldoinus Rex capitur a Balac, qui antea Goſcelinum & Galerannum ceperat. Poſituſque eſt cum eis in Caſtello quodam, ſitu fortiſſimo, & celſitudine nimis arduo, & difficili comprehendendo; quod eſt in Meſopotamia cis Eufratem, quodque Carpatheta nuncupatur. Unde Baudoinus Rex Menſe Auguſto mediante supernâ clementiâ providente, cum Galeranno prædicto illæſus exivit. Goſcelinus verò Comes ante eos cum tribus famulis per medios hoſtes extra Caſtrum radiante Lunâ eruperat. Qui continuo unum ex eis Regi remiſit, portantem annulum ſuum, ut taliter ſignificaret, ſe ab hoſtibus obſeſſoribus extorſiſſe. Sic enim fieri invicem decreverant. Quumque audiſſet Balac, quod apud Carthapetam contigerat, & quemadmodum Comes Goſcelinus de captione evaſerat, quantocius potuit, illuc iratus perrexit. Et Regem blande alloquutus, flagitavit, ut ei Caſtellum ſuum redderet, & ita quietum eum abire permitteret, datiſque obſidibus, ut uſque Antiochiam, vel Edeſſam perduci ſalve faceret. Cui Rex annuere nolens, fecit Balac rupem, ſuper quam Caſtrum ſitum erat, ſuffodi, & ſuccenſis fulcimentis, Turris quædam cum magno ſonitu decidit. Unde Rex Baldoinus totâ virtute cum ſenſu perditâ, ante Balac, ipſe & alii capti, ſupplices adducti ſunt, nihil niſi ſupplicium ſecundùm merita exſpectantes. Regi tamen indultâ vitâ pepercit, & cuidam Galeranno nepoti ſuo. Armenos autem, qui adjumento Regi contra Balac exſtiterant, alios quidem pependit, alios excoriavit, quoſdam nempe per medium cæcidit. Regem verò cum tribus de ſuis de Caſtro ejecit, & ad Carram Civitatem adduci fecit.

Anno MCXXIV. quum circa Tyrum Chriſtiani in obſidione laborarent, Balac contra eos cornu ſuum extollere non ceſſabat. Qui egreſſus ab Urbe Calipato cum exercitu ſuo, perrexit Hierapolim Urbem, quæ Mumbeth vulgariter vocitatur. Quumque poſſeſſor ejus nefarie decollaretur, eadem Urbs a Balac obſeſſa eſt. Quod non latuit Goſcelinum Antiochiæ tunc morantem. Et habitâ inde legatione, acceleravit cum Antiochenis illuc ire. Nec diu morâ protractâ, commiſſa eſt ferocior pugna, in qua Balac ſauciatus, divertit moribundus in partem. Cujus caput primo Antiochiam, deinde Tyrum, poſtea Hieruſalem, ad declarationem geſtæ rei, Goſcelinus deferri fecit. Videbat enim Balac in viſu tempore illo, quo Goſcelinus de captione ſua mirabiliter evaſit, oculos ſibi ab eodem Goſcelino erui. Hoc tempore Hugo Abbas Cluniacenſis obiit.

Ludovicus Philippi filius Francis præfuit Annis XXIX. Hic fuit Rex mitis & liberalis, & in multis Regnum dilatavit & melioravit. Bellum præcipuum cum Henrico Rege Anglorum habuit, in quo tamen ſeditione quorumdam & factione victus eſt & fugatus. Willelmus Aquitanorum Dux, cui infortunium in via Hieroſolymitana contigerat ante hæc tempora, contra Paganos in Hiſpaniam movit exercitum. Qui non longe a Corduba, cum ſeptem Regibus gentis illius bellum iniens, alios eorum peremit, alios opibus vacuatos fugavit. Ille verò cum hoſte incolumi ſoſpes regreditur. Hac tempeſtate Domnus Hildebertus Cenomannenſis Epiſcopus, poſtea Turonenſis Archiepiſcopus, in Andegavenſi pago claruit; in Metris ita edoctus, ut nulli ſit comparandus. His temporibus Baudoinus Rex Hieroſolymorum moritur. Hic quum proceſſu temporis divina diſpoſitione utrumque Regnum Hieroſolymitanum ſcilicet, & Antiochenum for-

A ſortitus eſſet, cum filia ſua Boamundo filio
Boamundi Magni Principatum Antiochenum
reddidit. Ipſe verò Boamundus junior a Paga-
nis in brevi interemtus eſt. Cujus filiam Rai-
mundus frater Willelmi Ducis Aquitanorum
cum Principatu accepit Antiochenorum. Ante
quem Fulco Andegavenſium Comes Regnum
Hieroſolymitanum cum filia prædicti Baudoini
acceperat, relicto tamen Andegavenſi Conſu-
latu Gaufredo filio ſuo. Per hæc tempora
ſurrexit in Hieruſalem novum Militiæ genus,
ab Hugone de Pajens viro nobili conſtitutum.
More Monachorum viventes, caſtitati dant
operam. Domi & bello diſciplinam ſervant.
Cum ſilentio edunt. Omnia illis communia.
B Contra Gentiles tamen arma ſumunt; & mul-
tum dilatati ſunt. Sunt namque, qui dicant,
quod niſi fuiſſent ipſi, diu eſt, quod Franci
Hieruſalem & Palæſtinam perdidiſſent. Hi vo-
cantur Milites de Templo, qui in Porticu Sa-
lomonis ſedem ſuæ Religionis ſtatuerunt. His
diebus Domnus Pontius Abbas Cluniacenſi præ-
fuit Cœnobio, Annis XIII. Poſt quem Dom-
nus Hugo Secundus Menſibus III. Quo etiam
defungente Domnus Petrus natione Alvernus
idem Monaſterium regendum ſuſcepit. Interim
Henricus famoſiſſimus Rex Anglorum cum om-
nium dolore defungitur, & Stephanus nepos
ejus Regnum invadit contra filium prædicti
Henrici, cui jure hereditario Regnum ſucce-
C debat. Huic autem Stephano quaſi nepoti ſuo,
antea dederat Conſulatum de Moretoi in Nor-
mannia. Willelmus itaque Dux Aquitanorum,
frater Raimundi prædicti Principis Antiocheni
Anno ab Incarnatione Domini MCXXXVII.
dum in Hiſpania ad Sancti Jacobi limina ora-
tionis gratiâ pergeret, in ejuſdem Eccleſia
ante Altare die ſancto Paraſceve, dum Chriſti
paſſio legeretur, viatico ſancto munitus reddi-
dit animam. Hujus Ducis filiam, nomine
Alienor, Ludovicus prædictus Rex Franco-
rum ſuo filio Ludovico nuptui tradidit. Poſt
paucos verò dies Ludovicus in Francia obiit,
ſepultus in Baſilica Sancti Dionyſii. Hic coro-
nari fecerat in Regem Philippum filium ſuum
majorem natu, ſe præſente. Sed morte ſubitâ
D Pariſius moritur præcipitatus equo. Quo de-
functo Ludovicum ſupradictum, natu junio-
rem, Innocentius Papa Romanus, juſſu patris
in Regem unctum, Remis coronavit. Hic poſt
mortem patris Regnum Francorum ſuſcepit.
Circa hæc tempora Giſlebertus, cognomento
Univerſalis, natione Britannus, in divina
Philoſophia claruit. Sed poſtea Lundonienſis
Epiſcopus factus parvo ſupervixit tempore.
Poſt quem Remis Civitate Aubericus ſurrexit,
non illo famâ minor in divinis. Qui etiam
provectus in Archiepiſcopum Bituricenſem,
modico duravit ſpatio. His diebus Magiſtri
multi claruerunt in Galliis.

E Ludovicus junior Francis præfuit annis XXIV.
Hic conſenſu & voluntate patris ſui Ludovici,
duxit uxorem apud Burdegalam Alienor filiam
prædicti Willelmi Ducis Aquitanorum. Unde
quum Rex eſſet Franciæ, Dux Aquitaniæ ap-
pellatus eſt, pro eo quod præfatus Willelmus
Dux ſine filiis mortuus eſt. Eodem tempore
inſurrexit Gaufredus Comes Andegavenſis con-
tra Stephanum Regem, qui Regnum Angliæ
male uſurpaverat, Normanniam vaſtabat, &
ſibi ſubjugabat. Quam tunc ſubjugare non
valuit, tamen poſt annos aliquot, conſenſu
Regis Francorum, totam acquiſivit. Nam &
ipſe Regnum Angliæ quaſi heres habere per-
optabat; utpote qui filiam Henrici Regis An-
glorum unicam accepit in conjugio. Illa ta-
men publica fama, quæ de Andegavenſibus ha-
betur, quod ſint parciſſimi & ſuperbi, multùm
ei ad acquirendum Regnum nocuit. Hic filium
ſuum Henricum natu majorem ad erudiendum
tradidit cuidam Magiſtro Petro Xantonenſi,
qui in Metris eruditus eſt, ſuper omnes coæta-
neos ſuos. Hugo de Sancto Victore, vitâ
Philoſophus, Pariſius obiit, vir præclari in-
genii, & in Quadrivio doctiſſimus. Divina-
rum autem Scripturarum tantam ſcientiam ha-
buit & memoriam, ut nulli ſui temporis ſe-
cundus exſtiterit. Reliquit autem ad monu-
mentum ſui ſcripta perplurima. Librum ſcili-
cet de Sacramentis, de Eccleſiaſte, de Arca
Noë, Librum, qui intitulatur Didaſcalicon,
& alia nonnulla Opuſcula valde utilia. Se-
quenti Anno Petrus Baalardus Philoſophus Pe-
ripateticus, doctor famoſiſſimus, & vitâ Phi-
loſophus, Abbas prius, poſtea Cluniacenſis
Monachus, Cabilonis moritur, & in Baſilica
beati Marcelli Martyris ſepelitur. Unde non
poſt multos dies a ſuis furtim ſublatus, in loco,
qui Paraclitus nuncupatur, quem ipſe ad le-
gendum juxta Sequana fluvium conſtruxerat,
ubi & Monachas poſuerat, translatus eſt.
Scripſit autem Baalardus Opuſcula quædam,
quæ pluribus habentur in locis. Hæc duo La-
tinorum luminaria in Francia ſtuduerunt.

Non poſt multos verò dies Fulco Rex Hie-
roſolymorum, dum leporem ſequitur, præci-
pitatus equo mòrte ſubitâ moritur. Poſt quem
Baudoinus puer filius ejus in Regem Hieroſo-
lymitanum promotus eſt. Eo Anno Sanguis
Turcus Rex de Aleph cepit Edeſſam Civita-
tem, quæ alio nomine Roais, & in Geneſi
dicitur Arath; Francoſque ibi captos, aut
morte aut ſervitute multavit. Archiepiſcopum
verò Civitatis, quaſi ducem gregis, in medio
Urbis cum omnibus Clericis ſuis, qui nolue-
runt abnegare Chriſtum, coram ſe decollari
præcepit, uno ſolo evadente, qui amicitiam
cum quodam nobili Turco habuerat. Qui apud
eum, ne perimeretur, obtinuit, ſed ſanum,
quo vellet ire, permiſit. Purpuratur itaque
Edeſſa novorum ſanguine Martyrum, multo
primùm a Gentilibus poſſeſſa, ex quo ab Ab-
garo Rege Chriſto eſt dedicata. Dolor ingens
& deſolatio multa! Sanctæ Virgines dantur
inceſtui. Loca ſancta, ſtabula fiunt jumento-
rum. Corpus Beati Thomæ Apoſtoli Genti-
lium contactu polluitur, quod ibi tranſporta-
tum eſt ab India, ubi pro Chriſto martyriza-
tus occubuit. India a Medis montibus auſpi-
catur, a meridiano Mari porrecta, adeo Fa-
vonii ſpiritu ſaluberrima. In anno bis æſtatem
habet: bis colliguntur fruges: vice hyemis
Eteſias patitur. Hanc Poſſidonius adverſam
Galliæ ſtatuit. Sane nec quicquam ex ea du-
bium. Nam Alexandri Magni armis comper-
ta, & aliorum poſtmodum Regum diligentiâ
peragrata, penitus cognitioni noſtræ addicta
eſt. Megaſthenes ſane apud Indicos Reges ali-
quantiſper moratus, res Indicas ſcripſit, ut
fidem, quam oculis ſubjecerat, memoriæ da-
ret. Dionyſius quoque, qui & ipſe a Phila-
delpho Rege ſpectator miſſus eſt, periclitante
veritate paria prodit. Tradunt ergo in India
fuiſſe quinque millia Oppidorum; præcipua
capacitate Populorum novem millia. Diu etiam
credita eſt tertia pars eſſe terrarum. Nec mi-
rum ſit, vel de hominum vel de Urbium co-
pia, quum ſoli Indi numquam a natali ſolo

receſ-

receſſerint. Indiam Liber pater primus ingreſſus eſt; utpote qui omnium primus triumphavit. Ab hoc ad Alexandrum Magnum numerantur annorum ſex millia, quadringentis quinquaginta uno additis & amplius tribus menſibus, habitâ computatione per Reges quingentos quinquaginta tres. Maximi amnes ibi Ganges & Indus. Quidam volunt, Gangem incertis naſci fontibus, & ſupra Nilum exaltare contendunt. Alii volunt a Scythicis montibus exoriri. Hippanis etiam ibi nobiliſſimus fluvius, qui Alexandri Magni iter terminavit, ſicuti aræ in ripa ejus poſitæ probant. Gangarides extremus eſt Indiæ Populus. Ultra hos Pada Oppidum Sogdianorum, in quorum finibus Alexander Magnus tertiam Alexandriam condidit, ad conteſtandos itineris ſui terminos. Heic enim locus eſt, in quo primùm a Libero, poſt ab Hercule, deinde a Semiramide, poſtremo ab Alexandro aureæ aræ ſunt conſtitutæ. Quod proximum gloriæ omnes duxerunt, illo uſque promoviſſe itineris ſui metas. Megaſthenes ſcribit, per diverſos Indiæ montes eſſe nationes capitibus caninis, armatas unguibus, amictas veſtimento targorum. Extra Indiæ oſtium ſunt Inſulæ duæ: Criſe & Argire, adeo fœcundæ copiâ metallorum, ut plerique eas aurea ſola & argentea habere prodiderint. Tilos Indiæ Inſula fert palmas, oleum creat, vineis abundat, terras omnes ob miraculum ſola vincit. Quæcumque in eâ arbor naſcitur, numquam caret folio. Taprobanem Inſulam Indiæ, antequam temeritas humana exquiſito penitus mari fidem panderet, ut Orbem alterum putaverunt, & quidem quum inhabitare eam Enſchites crederentur. Verùm Alexandri Magni virtus ignorantiam publici erroris non tulit ulterius permanere, ſed ad hujus uſque ſecreta propagavit nominis ſui gloriam. Miſſus igitur Oneſicritus Præfectus claſſis Macedonicæ terram iſtam exquiſitam notitiæ noſtræ dedit, quanta eſſet, quid gigneret, quomodo haberetur. Patet in longitudine ſtadiorum ſeptem millium, in latitudine quinque millium. Sciнditur Anini interfluo. Nam pars ejus, beſtiis & elephantis repleta eſt majoribus, quam fert India: partem alteram homines tenent. Margaritis ſcatet & gemmis omnibus. Sita eſt inter ortum & occaſum. Curſu verò noſtrarum navium, itinere ſeptem dierum comprehenditur. Mare vadoſum interjacet, certis autem canalibus depreſſum adeo, ut numquam quingentæ anchoræ ad profundi illius fundamenta potuerint pervenire. Poſt Indos montanas regiones Ichthiophagi tenent, quos ſubactos Alexander Magnus veſci piſcibus vetuit. Caucaſus mons Scythus, qui maximam Orbis partem perpetuis jugis penetrat, fronteque Soli obverſus eſt, ab India uſque ad Taurum montem porrectus, pro gentium ac linguarum varietate diverſis nominibus nuncupatur. Ubi autem ad Orientem extenditur, in excelſiorem ſublimitatem, pro nivium candore Caucaſus vocitatur; nam Orientali linguâ Caucaſus candidum ſignificat, ideſt nivibus denſiſſimis candicantem. Unde & eum Scythæ, qui eidem monti junguntur, Broucas vocaverunt. Caucaſus mons, qui inter Colchos eſt, qui ſunt ſuper Cymmerium mare, & inter Albanos, qui ſunt ad mare Caſpium, primum attollitur uſque in ultimum Orientem, unum videtur jugum. Sed multa ſunt nomina, & multi hoc ipſum jugum Tauri montis credi volunt; quia

A revera Parchoatras mons Armeniæ inter Taurum & Caucaſum medius, continuare Taurum cum Caucaſo putatur. Sed hoc non ita eſt. Diſcernit fluvius Euphrates, qui radice Parchoatræ montis effuſus, tendens in meridiem, ipſum Caucaſum ad ſiniſtram, Taurum excludit ad dextram. In latere montis Caucaſi, qui eſt in India, naſcitur arbor piperis, quæ Soli obverſa eſt, habens folia ad ſimilitudinem juniperi. Cujus ſilvam ſerpentes cuſtodiunt: ſed incolæ regionis illius, quum maturæ fuerint, incendunt eadem loca, & ſerpentes igne fugant; & ex flamma nigrum piper efficitur, ſicque colligitur. Nam natura piperis alba eſt, ſed fructus diverſus. Nam piper ante-

B quam ſit maturum, piper longum vocatur. Quod incorruptum ab igne, piper album; quod verò rugoſum & nigrum fuerit, ex calore ignis trahit & colorem & nomen. Piper ſi leve eſt, vetuſtum eſt: ſi grave, novellum. Vitanda eſt autem mercatoris fraus. Solent enim vetuſtiſſimum piper, argenti aut plumbi ſpumâ humectare, ut ponderoſum fiat.

Nunc autem ad callem hiſtoriæ redeundum eſt. Sanguis Turcus prædictus Rex de Aleph, apud Edeſſam Civitatem, ſuper Aram Beati Johannis Baptiſtæ, ut fertur, tres ſpecioſiſſimas mactavit matronarum. Conculcata ſunt omnia: profanata ſunt univerſa. Nomen Chriſti deriſio fit gentium. Quod audiens Eccleſia

C Gallicana, *heu*, inquit, *quantum dedecus Chriſtianis!* Unde prædictus Ludovicus Rex Francorum, Duxque Aquitanorum, ex præcepto Domni Eugenii Papæ, qui tunc præerat Epiſcopus Romanus, & conſilio Bernardi Clarævallenſis, & Godefredi Lingonenſis, & aliorum, cum Conſulibus & Baronibus in Paſcha Verzelaicum venit, de Saracenorum vaſtatione locuturus. Ibique in die Paraſceve, ſextâ videlicet feriâ, facto ſermone a Bernardo Clarævallenſi de via Hieroſolymitana, ab eodem Bernardo ſignum peregrinationis, ut mos eſt, acceperunt, hoc eſt, Crucem. Hoc autem factum eſt in latere montis ipſius Verzelaicum, juxta viam Autiſſiodorenſem, ubi eâ de cauſâ

D modo fabricata eſt Eccleſia in honore Sanctæ Crucis.

Sequenti verò Anno ab Incarnatione Domini MCXLVII circa Majum Menſem prædictus Rex congregata manu Francorum, Aquitanorum, & Burgundionum, nec non & Theutonicorum, cum Imperatore ſuo Conrado, alii per Alemanniam & Pannoniam, alii per Provinciam, cum Comite Sancti Ægidii, & Engoliſmenſi, & per Italiam, Conſtantinopolim devenerunt. Deinde Romaniam ingreſſi. Aliter evenit eis, quàm ſperaverunt. Grande autem hoc miraculum Dei. Ipſi tamen ſuperare viribus cupiebant & armis Turcos, qui Armeniam, Syriam, & Meſopotamiam inhabitabant. Sed ab eis ſuperati ſunt, quoniam

E quidem alii eorum a Turcis capti, alii gladio peremti, alii verò famelici fatigatione & inediâ abſque numero in via conſumti ſunt. Qui verò a tanto periculo rebus ſuis attenuati evadere potuerunt, Antiochiam de manu nefandæ gentis erepti, navigio pervenerunt. Ibique cibis refocillati, poſt paucos dies Hieroſolymam abierunt, viſitatiſque inibi Locis Sanctis ab eis, multi illorum tranſito mari, cum magna penuria ad propria reverſi ſunt. Inter quos Imperator Theutonicus, cui male in Romania contigerat, ante Regis adventum, de ſuorum proditione, ſimiliter cum paucis re-

gra-

A gradatus eſt. Rex Ludovicus cum Alienor uxore ſua in Urbe Sanctâ causâ orationis, ut peregrinus remanſit. Deinde coadunato Francorum exercitu, cum Hieroſolymitanis & Militibus Templi, Damaſcum obſedit. Unde a Populo Damaſcenorum repulſus, Hieroſolymis reverſus eſt. Et quoniam non placuit divinæ diſpoſitioni, quod Terra Orientalis per manum ipſius a Saracenorum ſpurcitia mundaretur, relictâ Palæſtinâ, cum paucis ſuorum, ut potuit, non ut voluit, Pariſius devenit. Luget Francia, Burgundia, Aquitania de ſuorum amiſſione. Gaudet Syria, Armenia, Meſopotamia de Chriſtianorum repulſione. Ludovicus autem erga omnes ita ſe habuit, ut meritò aliis religione præferretur. B Fuit autem egregius, ſermone cultiſſimus, infeſtus vitiis, paciſque amator, & Francorum nutritor. Nihil turpe geſſit, niſi quod Alienor uxorem ſuam repudiatam a thoro ſuo alienavit, aliâ poſt biennium in loco ejus ſubrogatâ, filiâ ſcilicet Anſons Imperatoris Hiſpaniæ. Hoc autem factum eſt cum conſenſu, ut ajunt, Eugenii Papæ, Bernardi Clarævallenſis, Godefredi Lingonenſis, & aliorum.

Circa hæc tempora Gaufredus Comes Andegavenſium in pago Cenomannico moritur. Hujus frater erat Baudoinus puer Rex Hieroſolymorum, qui Anno Chriſti MCLIV. circa feſtum Sancti Andreæ cum Militia Templi, & aliis Chriſtianis, Aſcaloniam Civitatem quondam Allophylorum obſedit. C Quæ eodem Anno, antequam ab obſidione recederent, redditur, & capitur Urbs Aſcalon ac ſuperatur. Recte mater gaudet Hieruſalem de Aſcalone filia ſua, ad cujus dexteram ſedebit amodo coronata. Flet Babylon, conſolatione ejus perdita, cujus adminiculo dudum exſtiterat ſuffulta. Cujus claſſem Chriſtianis hoſtilem ſingulis annis excipiebat. Aſcalon Metropolis Philiſtinorum fuit, quæ mater Civitas interpretatur. Metropolitani ſunt, qui majori & matri aliarum Civitatum præſident. Dentur ergo laudes Deo altiſſimo, quia non hominum virtute, ſed ſua beneplacita voluntate Hieroſolymitis Urbs Aſcalon fortiſſima, & ad ca- D piendum difficillima, reddita eſt. Hoc modo omnis Judæa & Palæſtina ab ædituis & fanaticis ad cultum Dei revocata eſt. Fertur etiam, quod biduo aut triduo ante obſidionem Aſcalonis, Raimundus Princeps Antiochenus, vir frugi & amabilis omnibus, clariſſime natus, ſed & optimis comparandus, dum terram ſuam ab inimicis audiret inquietari, congregatis Antiochenis, bellum iniit contra Muradis Dominum de Alapia. Heu proh dolor! Raimundus Princeps egregius, qui Turcos ſæpius viribus, arte nimis domuerat, ab eis perdomitus & peremtus eſt. Unde noſtra condolet Aſia, Tharſus flet cum Cilicia, væ dicit Antiochia pro ſui morte Principis. Nam luget E præ inopia Libanus & Apamia, nec non & Laodicia cum ſuis appendiciis. Tyrus ſtupet Metropolis, Urbs Phœnicum mirabilis. Magnos quæſtus dat Tripolis viſis ſiniſtris nuntiis. Quid dicam de Hieruſalem? It planctus uſque Bethleem, clamorque Ptolemaidis tangit fines Neapolis.

„ Urbs fœcunda nimis, nullis quaſſata ruinis,
„ Es privata Viro, qui te moderamine miro

rexit. Huic nobili Principi, Raimundo videlicet, ſucceſſit in Principatu Antiocheno Raymundus de Caſtellione.

Eugenius Papa Romæ moritur, ſepultus in Baſilica Sancti Petri, viâ triumphali. Antequam Theobaudus Comes Bleſenſis viam univerſæ carnis ingreſſus eſt; vir per omnia pacificus, nulli acerbus exſtitit; benignus fuit cunctis: pauperibus largus, & maximæ domeſticis fidei. Et quoniam ſuper Gallicanos divitiis abundabat, aſſimilatus eſt forti mulieri, quæ *manum aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem*. Hic verò in Gallia, & Burgundia multas Cellas cum aliis domibus ex propriis ſumtibus conſtruxit; in quibus Ciſtellenſes, & Clarævallenſes Fratres, cum nonnullis aliis, Dei ſervitio deputati ſunt. Biennio autem aut triennio poſt mortem Domni Theobaudi, moritur frater ſuus Stephanus Rex Anglorum. Cui ſucceſſit in Regnum Henricus puer, filius Gaufredi ſupradicti Andegavenſium Comitis, nepos Baudoini Regis Hieroſolymitani. Huic etenim jure hereditario Regnum Angliæ ſuccedebat. Qui in brevi eodem Regno pacifice accepto, coronari ſe fecit Lundoniæ in die Natali Domini cum Alienor uxore ſua. Hæc prius Regina exſtitit Franciæ per annos quindecim, demtis tribus menſibus. Inde poſtea Anglorum. Hanc autem a Ludovico Rege repudiatam, Henricus Anglus ſibi conjugio ſociavit. Unde tota Aquitania a flumine Ligeris uſque ad Piræneos montes ſibi devenit. Et quoniam multas gentes poſſidere videbatur ſub dominio ſuo, aut ex patre & matre, aut ab uxore, ut eſt Pictavus, Xantonus, Lemovicus, Gaſconus, inſuper Aquitanus; a patre Andegavus, Turonus, Cenomannus; a matre Anglicus, Normannicus, ob honorem tamen & reverentiam Regalis nominis, Rex Anglorum vocatus eſt. His temporibus ex inſperato moritur Anſons Rex Hiſpaniæ, dum rediret ab expeditione Saracenorum. Cui ſucceſſit in Regnum Sancius filius ejus. Quo mortuo eodem Anno, Ferlanus frater ejus minor natu adeptus eſt Regnum Hiſpaniæ. Præterea Rex Henricus biennio poſtquam adeptus eſt Regnum Angliæ, circa feſtum Sancti Martini deſcendit Lemovicum, ubi muros, quos habitatores Sancti Martialis ad decorem & munificentiam ſui contra Cives noviter conſtruxerant, ſolo adæquavit. Pace itaque inter utrumque Populum reformata, conſilio Domni Gaufridi tunc temporis Burdegalenſis Archiepiſcopi, primique ædificatoris Eccleſiæ Sabluncellenſis, adiit Burdegalam, ibique Natalis Domini feſtivitate celebrata, Baronibus Waſconiæ, & aliis Populis pacem indixit. Deinde reverſus Angliam, parvo tempore ferro & armis Gallenſes ſibi ſubjecit. Eodem tempore miſit Rex Henricus manus, ut Caſtrum Toarz acciperet in ſuum. Hoc autem fecit conſenſu multorum, qui intus erant, acceptâ ab eo pecuniâ. Videns autem, quia placeret Reginæ, appoſuit, ut muros deſtrueret, & Gaufredum Vicecomitem exinde fugaret. Multum enim eum odio habuit, quia partes fratris ſui Gaufredi Martelli contra eum juverat in obſidione Caſtelli Chinonis. Iſtud verò factum tantum timorem Pictavienſibus & Waſconibus intulit, ut pæne gladios ſuos in vomeres cônflarent, & lanceas ſuas in falces. Exhinc, ut ait Merlinus Ambroſius, jugum Regiæ ſervitutis tulerunt, & matrem ſuam ligonibus & aratris vulneraverunt. Raptorum ceſſavit rapacitas, & dentes luporum hebetati ſunt. Aquitanorum montes, ut valles, equitati ſunt. Siluit terra eorum dic-

diebus multis a prœliis . Qui fecit hæc , æneum induit virum , & per multa tempora Pictavorum portas ſervavit , & avita tempora renovavit . A finibus Angliæ uſque ad Garonnam fluvium vix eſt auſa gens contra gentem levare gladium , nec auſi ſunt ultra exerceri ad prœlium .

Anno MCLVIII. Quadrageſimâ jam mediante exiit edictum a Rege Henrico, ut Principes atque Barones totius Regni ſui ad Tholoſanæ Urbis obſidionem in proximo præpararentur . Quod & factum eſt . Conſequenti itidem æſtate Rex coadunato apud Agennenſium Civitatem exercitu , paulatim Tholoſanos ſaltus occupavit . Nam & ipſe eamdem Civitatem quaſi heres habere cupiebat ; utpote qui filiam Willelmi Pictavorum Comitis unicam conjugio acceperat , cui eadem Civitas , ut fertur , jure paterno ſuccedebat . Sed Ludovicus Rex Francorum , qui ſororem ſuam Conſtantiam Comiti Sancti Ægidii matrimonio copulaverat , ei multùm ad acquirendum nocuit, eadem Civitate in ſuam accepta . Unde circa feſtum Sancti Michaël vacuus rediit , Tholoſana regione vaſtata .

His verò diebus , Hadrianus Papa moritur, Pridie Calendas Septembris , Romæ ſepultus in Baſilica Sancti Petri Viâ Triumphali , Anno ab Incarnatione Domini MCLIX.

Interea Fredericus Imperator Theutonicus in Italia Mediolanenſes vaſtabat , & Placentinos , quia nolebant ei ſubjici . In obſidione verò eorum quinquennio , vel plus commoratus , ad ultimum reddiderunt ſe ei IV. Nonas Martii Anno MCLXII. Væ Mediolanenſibus . Redditum eſt eis ſecundùm opus ſuum . Juxta omnia, quæ fecerant , factum eſt eis . Propter ſuperbiam ſuam a fundamentis ſubverſa in cinere redacta eſt . Siquidem murus ille fortiſſimus ſuffoſſione ſuffoſſus eſt , & portæ ejus excelſæ igne combuſtæ ſunt .

Incipit Catalogus Romanorum Pontificum.

Beatus Petrus Apoſtolus , natione Galilæus, primùm in Antiochia ſedit Annis VII. Deinde in Urbe Roma Annis XXV. Menſibus II. Diebus III. Hic Romæ ordinavit tres Epiſcopos , Linum , Cletum, & Clementem . Linus , & Cletus præſentialiter omne miniſterium Sacerdotale Romæ ſupervenienti Populo exhibuerunt , dum Petrus orationi & prædicationi vacaret . Clementi verò omnem Eccleſiam diſponendam commiſerat . Petrus autem cum Paulo martyrio coronatur uno die , Anno a Paſſione Domini XXXVIII. Neronis verò Imperatoris XIII.

Linus ſedit Annos XI. Menſes III. Dies XII. Hic natione Italus , ex præcepto Beati Petri Apoſtoli conſtituit , ut mulier velato capite in Eccleſia intret .

Cletus natione Romanus ſedit Annis XII. Menſe I. Dies XI. Hic ex præcepto Beati Petri XXV. Presbyteros in Urbe Roma ordinavit .

Clemens natione Romanus ſedit Annos IX. Menſes II. Dies XII. Iſte miſit plures Sanctos ad Gallias , & eas ad Fidem Chriſti per eoſdem Sanctos ex maxima parte convertit .

Anacletus natione Græcus ſedit Annos IX. Menſes II. Dies X. Hic conſtituit , ut Clericus comam non nutriat ,

Euariſtus natione Græcus ſedit Annos IX. Menſes X. Dies II.

Alexander natione Romanus ſedit Annos X. Menſes VII Dies II. Hic conſtituit primus Aquam benedictam fieri . Idem paſſionem Domini miſcuit in prece Sacerdotum , quando Miſſas celebrant ; hoc eſt : *Qui pridie , quam pateretur , accepit* &c. uſque ad locum, ubi dicitur : *Unde & memores Domine* &c.

Sixtus natione Romanus ſedit Annos X. Menſes III. Dies XXI. Hic conſtituit , ut myſteria ſacra non tangantur niſi a Miniſtris ; & ut in Miſſarum celebratione , *Sanctus* , *Sanctus* , *Sanctus* , decantetur .

Teleſphorus natione Græcus ſedit Annos X. Menſes III. Dies VIII. Hic conſtituit , ut per ſeptem hebdomadas ante Paſcha Jejunium celebretur ; & in Natali Domini Miſſæ per noctem ; & ut ante Horam Tertiam Miſſas nullus celebret : & ut *Gloria in Excelſis Deo* canatur

Yginus natione Græcus ſedit Annos IV. Menſes III. Dies VIII. Hic Clerum compoſuit , & Gradus inſtituit .

Pius natione Italus ſedit Annos XI. Menſes III. Dies XXI. Hic conſtituit , ut ſanctum Paſcha die Dominico celebraretur .

Anicius , vel ſecundùm alios Anicetus , natione Syrus, ſedit Annos XII. Menſes III. Dies III.

Soter natione Campanus ſedit Annos IX. Menſes III. Hic conſtituit , ut nulla Monacha pallam Altaris contingat, nec in Sancta Eccleſia incenſum ponat .

Eleutherus natione Græcus ſedit Annos XV. Menſes III. Dies II. Hic firmavit , ut nulla eſca , quæ comedi debeat , a Chriſtianis refutetur .

Victor natione Afer ſedit Annos X. Menſes III. Dies X. Hic conſtituit , ut gentilis in ægritudine poſitus , ſi forte petierit , baptizetur continuo . Et ut a Decimaquarta Luna primi Menſis uſque ad XXI. Dominicâ die Paſcha celebretur .

Zephyrinus natione Romanus ſedit Annos XVIII. Dies X.

Calixtus ſedit Annos VI. Menſes II. Dies X.

Urbanus ſedit Annos VIII. Menſes XI. Dies X.

Pontianus natione Romanus ſedit Annis IX. Menſibus V. Diebus II.

Antherus natione Græcus ſedit Annis XII. Menſe I. Diebus XII.

Fabianus natione Romanus ſedit Annis III. Menſe I. diebus X.

Cornelius ſedit Annis II. Menſibus III. Diebus X.

Lucius natione Romanus ſedit Annis III. Menſibus VII. Hic præcepit , ut duo Presbyteri , & tres Diacones in omni loco Epiſcopum non delererent .

Stephanus natione Romanus ſedit Annos IV. Menſes II. Dies XV. Hic conſtituit veſtimenta Eccleſiaſtica , quibus Deo miniſtratur , ſacra debere eſſe , & honeſta : quibus in aliis uſibus nemo debet perfrui , niſi Eccleſiaſticis .

Sixtus natione Græcus ſedit Annos II. Menſes XI Dies XV. Hujus Archidiaconus erat Laurentius Martyr.

Dio-

Dionyſius ſedit Annos VI. Menſes II. Dies III.

Felix natione Romanus ſedit Annos II. Menſes X. Hic conſtituit, ſuper memorias Martyrum Miſſas celebrari.

Eutychianus natione Græcus ſedit Annos IX. Menſes X. Dies XIII. Hic ſuper Altare fruges, uvas, vel fabas præcepit benedici.

Cajus natione Dalmatius ſedit Annos XI. Hic præcepit, ut per omnes gradus aſcenderet, ſi quis Epiſcopus fieri mereretur.

Marcellinus natione Romanus ſedit Annos IX. Menſes II. Dies XXV.

Marcellus natione Romanus ſedit Annos V. Menſes VII. Dies XVI. Hunc Diocletianus in ſtabulo boum ſub cuſtodia poſuit, ubi diu vixit. Cujus glorioſum Corpus poſt multa tempora in Eccleſia Cluniacenſi honorifice in capſa aurea, cum multis miraculorum ſignis conditum eſt.

Euſebius natione Græcus ſedit Annos II. Menſem I. Dies XXV. Hujus tempore, ut fertur, inventa eſt Crux Domini, licèt ſub Silveſtro repertam fuiſſe plures exiſtiment. Hic conſtituit, ut baptizatum chriſmate liniat Preſbyter, levatum de aqua propter occaſionem mortis; & ut nullus Laicus crimen Clerico audeat inferre; & Sacrificium non in ſerico, neque in panno tincto celebretur, ſed tantùm in lino de terra procreato.

Melchiades natione Afer ſedit Annos III. Menſes VIII. Dies VIII Hic conſtituit, ut numquam in die Dominica, vel in Quinta Feria jejunium celebretur, niſi tantùm in Quadrageſima.

Silveſter natione Romanus ſedit Annos XXIV. Menſes X. Dies XI. Hic Conſtantinum Imperatorem baptizavit; & ſtabilivit, ut quemque baptizatum liniret Presbyter in fronte ſacro chriſmate. Statuit quoque, ut Diaconi in Eccleſiaſtico Officio Dalmaticis veſtiantur. Et ut ab omni Plebe ter in hebdomada jejunetur. Hujus tempore Synodus Nicæna celebratur. Hic etiam damnavit & eliminavit ab Eccleſia hæreticam pravitatem, Arianam ſcilicet, Photinianam, & Sabellianam.

Marcus natione Romanus ſedit Annos II. Menſes VIII. Dies XX. Hic conſtituit, ut Epiſcopus Oſtienſis pro hoc honore, pallio quaſi Archiepiſcopus utatur.

Julius natione Romanus ſedit Annos XV. Menſes IV. Dies VII.

Liberius natione Romanus ſedit Annos X. Menſes VII. Dies II. Hic truditur in exſilium, & in loco ejus Felix ipſius Diaconus ab Hæreticis in Sede Romana ſublimatur. Felix tamen non tam ſectæ diverſitate, quàm communionis & ordinationis conjunctione, quæ injuſta fuerat, maculatur.

Felix natione Romanus ſedit Anno I. Menſibus III. Diebus II.

Damaſus natione Hiſpanus ſedit Annos XVIII. Menſes III. Hujus tempore facta eſt Synodus Conſtantinopolitana. Cum Damaſo ordinatur Urſinus. Sed facto Concilio Sacerdotum ejectus eſt Urſinus ab Urbe, & Neapolim conſtitutus eſt Epiſcopus.

Syricius natione Romanus ſedit Annos XX. Menſes XI. Dies XXV. Hic conſtituit hæreticum per impoſitionem manuum Eccleſiæ reconciliari.

Anaſtaſius ſedit Annos III. dies X. Hic conſtituit, ut nemo ſedeat in Eccleſia, quamdiu Euangelium recitatur.

Innocentius natione Albanus ſedit Annos XV. Menſes II. Hic conſtituit die Sabbati ſemper jejunium celebrari, quia Apoſtoli Sabbato jejunaverunt, dum Dominus in Sepulcro poſitus eſſet.

Zoſimus natione Græcus ſedit Annos VII. Menſes IV. Dies XXIV. Hic conſtituit Sabbato Sancto a Levitis Cereum benedici.

Bonifacius natione Romanus ſedit Annos III. Menſes VIII. Dies XI. Cum Bonifacio ordinatus eſt Eulalius. Et fuit diſſenſio magna in Clero & Populo menſibus octo & diebus quindecim. Qui ambo expulſi ſunt ab Urbe præcepto Valentiniani, & Honorii, & Placidiæ, Auguſtorum. Sed ab eiſdem ad ultimum revocatus Bonifacius conſtituit, ut nulla mulier pallam, in qua ſacrificatur Dominicum Corpus, audeat tangere vel lavare, nec incenſum adolere ſuper Altare. Judicavit etiam, ſervum & obnoxium Curiæ, in ordine Clericali non ſuſcipiendum.

Cæleſtinus natione Romanus ſedit Annos IX. Menſes X. Dies XIX. Hic conſtituit, ut Pſalmi David antiphonatim pſallantur ante Sacrificium. Nam Epiſtola Pauli tantùm recitabatur & Euangelium.

Sixtus Tertius natione Romanus ſedit Annos VIII. Dies XX.

Leo Primus natione Tuſcus ſedit Annis XXI. Menſe I. Diebus XIII. In diebus hujus celebratum eſt Concilium Sexcentorum triginta Epiſcoporum in Chalcedonia, ubi omnes uno conſenſu Eutychianam, & Neſtorianam Hæreſim, & Doiſcorum pariter damnaverunt. Et recapitulata ſunt, quæ apud Epheſum de eodem Eutyche acta ſunt. Hic Addidit in Canone Miſſæ: *Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime Altare tuum in conſpectu divinæ majeſtatis tuæ; ut quotquot ex hac Altaris participatione ſacroſanctum Filii tui Corpus & Sanguinem ſumſerimus, omni benedictione cœleſti & gratiâ repleamur.*

Hilarius natione Sardus ſedit Annos VI. Menſes III. Dies X. Hic firmavit tres Synodos, Nicænam, Epheſinam, Chalcedonenſem, & corroboravit dominationem & Principatum Sanctæ Sedis Apoſtolicæ.

Simplicius natione Tiburtinus ſedit Annos XV. Dies VI. Ceſſavit Epiſcopatus Dies VI.

Felix Tertius natione Romanus ſedit Annos VII. Menſes XI. Dies VIII.

Gelaſius natione Afer, ſedit Annis IV. Menſibus IX. Diebus XIX. Hic fecit Tractus & Hymnos, ſicut Beatus Ambroſius compoſuit; Sacramentorum Præfationes, & Orationes ſatis honeſto dictamine.

Anaſtaſius natione Romanus ſedit Annos VI. Menſes XI. Dies XXIV. Multi Clerici & Preſbyteri ſeparaverunt ſe a communione iſtius, eo quod communicaſſet Photino Diacono. Et quoniam voluit occulte revocare Acatium Conſtantinopolitanum, a Papa Felice & a Gelaſio anathematizatum, nutu divino percuſſus interiit.

Symmachus natione Sardus ſedit Annos XV. Menſes VIII. Dies XXVII. Hic conſtituit, ut omni die Dominico, vel Natalitiis Martyrum *Gloria in excelſis Deo* diceretur. Contra hunc quidam Laurentius ordinatus eſt a quibuſdam malignis. Theodoricus autem Rex, qui tunc Ravennæ erat, licet Arianus eſſet, celebratâ Synodo, Symmachum ab Orthodoxis electum firmavit Romæ Epiſcopum. Is verò intuitu miſe-

miſericordiæ Laurentium in Nucerina Eccleſia conſtituit Epiſcopum. Poſt Annos verò tres accuſatus eſt Symmachus apud Regem crimine peſſimo, & revocatus eſt Laurentius. Verùm Symmachus congregatâ Synodo centum vigintiquinque Epiſcoporum, purgavit ſe a falſo crimine, & Laurentius Nucerinus damnatus eſt, pro eo quod vivente Papa invaſerat Sedem Apoſtolicam. Symmachus autem reſtitutus in Sede ſua, in pace quievit. Hic multa opera Eccleſiarum Romæ inſtituit.

Hormiſda natione Campanus ſedit Annos VIII. Dies XVII.

Johannes natione Tuſcus ſedit Annos II. Menſes X. Dies XVI.

Felix Quartus natione Samnius ſedit Annos IV. Menſes II. Dies XIII.

Bonifacius Secundus natione Romanus ſedit Annos II. Dies XXV. Cum Bonifacio ordinatus eſt Dioſcorus in Baſilica Conſtantiniana. Et fuit diſſenſio in Clero & Populo dies viginti novem.

Johannes Secundus, qui & Martyrius, natione Romanus ſedit Annos II. Menſes IV. Dies VII.

Agapitus ad Sanctos Johannem & Paulum ſedit Menſes XI.

Silverius natione Campanus ſedit Anno I.

Vigilius natione Romanus ſedit Annos XVII. Menſes VI. Dies XXV. Hujus tempore Quinta Synodus celebrata eſt.

Pelagius natione Romanus ſedit Annos IV. Menſes X. Dies XIX.

Johannes Tertius natione Romanus ſedit Annos XII. Menſes XI. Dies XXV.

Benedictus natione Romanus ſedit Annis IV. Menſe I. Diebus XXIV. Hujus tempore Longobardi invadunt Italiam.

Pelagius natione Romanus ſedit Annos X. Menſes II. Dies X. Hujus tempore Roma obſeſſa eſt a Longobardis.

Gregorius Magnus natione Romanus ſedit Annos XIII. Menſes VI. Dies X. Hic multos Libros edidit. Et adjecit in Canone Miſſæ, *dieſque noſtros in tua pace diſpone*. Et quod dicatur ante Orationem Dominicam: *Oremus, præceptis ſalutaribus moniti* &c. Hic etiam conſtituit, ut ſuper Corpus Beati Petri Apoſtoli Miſſæ celebrarentur. Hic miſit Auguſtinum Monachum ad prædicandum Anglis, qui primus conſtituitur Epiſcopus Anglorum. Nam Britones, qui nunc Gallenſes dicuntur, ab Eleutherio Papa prædicatores habuerant, & Fidem ſuſceperant, antequam Angli Britanniam eis auferrent.

Sabinianus natione Tuſcus ſedit Anno I. Menſibus V. Diebus XXIX.

Bonifacius natione Romanus ſedit Menſes VIII. Dies XXVIII.

Bonifacius natione Marſus ſedit Annos VI. Menſes VIII. Dies XIII. Hic impetravit a Phoca Cæſare Templum Romæ, quod Pantheon vocabatur, in quo fuit Eccleſia Sanctæ Dei Genitricis, & omnium Sanctorum Martyrum.

Deuſdedit natione Romanus ſedit Annos VII. Dies X. Hic conſtituit ſecundam Miſſam fieri in Clero & Populo.

Bonifacius natione Campanus ſedit Annos V. Menſes X.

Honorius natione Campanus ſedit Annos XII. Menſes XI. Dies XVII.

Severinus natione Romanus ſedit Annos II. Menſes IV.

Johannes natione Dalmaticus ſedit Annum I. Menſes IX. Dies XVII.

Theodorus natione Græcus ſedit Annos VI. Menſes V. Dies XVIII.

Martinus natione Tuſcus ſedit Annos V. Menſem I. Dies XXV. Hic congregatâ Romæ Synodo, damnavit errorem Conſtantii Imperatoris: ideoque ab illo truſus eſt in exilium in Oriente, ubi & mortuus eſt.

Eugenius natione Romanus ſedit Annos II. Menſes IX. Dies XXIV.

Vitalianus ſedit Annos XIV. Menſes VI.

Adeodatus natione Romanus ſedit Annos IV. Menſes II. Dies V.

Donus natione Romanus ſedit Anno I. Menſibus VI. Diebus X

Agatho natione Siculus ſedit Annos II. Menſes VI. Dies XIII. Sub hoc celebrata eſt Sexta Synodus in Regia Urbe centum quinquaginta Epiſcoporum, in qua Legati fuere Johannes Diaconus, & Johannes Portuenſis Epiſcopus. Translatum eſt etiam Corpus Sancti Benedicti de Caſſino Monte ad Gallias.

Leo junior natione Siculus ſedit Menſes X. Dies XVIII.

Benedictus junior ſedit Menſes X. Dies XXIX.

Johannes natione Syrus ſedit Annos XIII. Menſes VIII. Dies XXIV. Hic adinvenit, ut tempore fractionis ſancti Sacrificii, *Agnus Dei* pſallatur ter a Clero, & Populo.

Johannes natione Græcus ſedit Annos IV. Menſes II. Dies XII.

Johannes natione Græcus ſedit Annos II. Menſes VII. Dies XXII.

Siſinnius natione Syrus ſedit Annos VI. Dies XV.

Gregorius natione Romanus ſedit Annos XV. Menſes VIII. Dies XXIV. Hic adjecit in Canone: *Quorum ſolemnitas in conſpectu gloriæ tuæ eſſe tribuas*. Dicitur tamen, partim Leonis Imperatoris, partim Conſtantini tempore Romæ ſediſſe.

Gregorius natione Syrus ſedit Annos X. Menſes VIII. Dies XXIV. Hic excommunicavit Leonem Imperatorem, qui ſacras Imagines deſtruere nitebatur; & totam Italiam ab illius Imperio, tamquam a ſacrilego, recedere fecit. Hujus tempore Aldeprandus Rex Longobardorum Romam obſedit, ſed nil prævaluit.

Zacharias natione Græcus ſedit Annos X. Menſes III. Hic fecit pacem cum Langobardis & Sardis.

Paulus natione Romanus ſedit Annos X. Menſem I. Hujus auctoritate Pippinum fratrem Caroli Manni, in Monte Caſino Monachi facti ſub Regula Patris Benedicti, Franci ſibi Regem conſtituunt, abjecto Hyldrico, & tonſurato, & in Monaſterio recluſo.

Stephanus natione Siculus ſedit Annos III. Menſes V. Dies XXVII. Hic in Baſilica Sancti Dionyſii Altare conſecravit in honore Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli: Pippinumque Regem, & duos filios ejus Carolum & Carlomagnum in Reges Francorum benedixit. Acta ſunt hæc Anno ab Incarnatione Domini DCCLIV.

Hadrianus natione Romanus ſedit Annos XXIV. Menſes X. Dies XVII. Hic fecit Carolum Regem venire Romam propter Deſiderium Longobardorum Regem. Et factus eſt Romanorum Patricius, ideſt Defenſor Italiæ.

Leo ſedit Annos XX. Menſes V. Dies XX. Hic a ſuis excæcatus, & in arcta cuſtodia poſitus, poſt paucos dies viſum recepit, & lin-

gua ſibi abſciſſa, ad loquendum ei eſt reſtituta. Hic coronavit Carolum, qui ultus eſt inimicos ſuos, & eum in Sede ſua reſtituit. A tempore, a quo Longobardi invaſerant Italiam, uſque adhuc ſunt Anni ducenti ſexdecim.

Stephanus ſedit Annos VII.

Paſchalis ſedit Annos VII. Menſes IV. Dies XV.

Eugenius ſedit Annos IV.

Valentinus ſedit Anno I. Diebus X.

Gregorius ſedit Annos XVI.

Sergius ſedit Annos III. Hic coronavit Ludovicum Imperatorem, quamvis alii de Stephano Papa hoc aſſerant.

Leo ſedit Annos IX Menſes IV. Dies VI.

Benedictus ſedit Annis II. Menibus VI. Diebus IX.

Paulus ſedit Annos X. Menſem I.

Stephanus ſedit Annos IV. Menſes V. Dies XXVII.

Nicolaus ſedit Annos VII. Menſes IX. Dies X.

Huic Nicolao ſucceſſit Hadrianus Secundus.

Hadriano Secundo Gregorius.

Poſt quos ſedit Johannes Octavus. Hic Johannes venit in Trecaſſina Civitate Galliæ, ubi & habuit Synodum, in qua Hincmarus Lugduni Clavati Epiſcopus, poſt avulſionem oculorum, Epiſcopatui ſuo redditus eſt.

Huic Johanni Papæ Leo Quintus Papa ſucceſſit.

Hadrianus ſedit Annos IV. Menſes XI. Dies X. Hic unxit Carolum Calvum oleo, & Imperatorem conſtituit primo Anno ordinationis ſuæ, & ultimo vitæ Caroli Anno.

Johannes ſedit Annos X. Dies II.

Martinus ſedit Annum I. Menſes V.

Hadrianus Quartus ſedit Annos II. Menſes IV. Quo pontificante Willelmus prius Dux Aquitanorum & Arverniæ Comes, quum non haberet heredem, Cluniacenſe Monaſterium in fundo proprio, qui eſt in Burgundia in pago Matiſconenſi conſtruxit; eidemque loco Bernonem Abbatem præficiens, magnos de ſuo reditus præfato loco jure dedit hereditario. Anno igitur ab Incarnatione Domini DCCCCX. primùm præfuit prædicto loco Berno Abbas Annis XVI. Eblo verò Bituricus, dum Cluniacum cœpiſſet inſtitui, ſimiliter cœpit ædificare Dolenſe Cœnobium in honore Matris Domini.

Stephanus ſedit Annos IV. Menſes VII. Dies XXIV.

Formoſus ſedit Annos IV. Menſes VII. Dies XIII. Hic confirmavit Bernoni Abbati Chartas & donaria, quæ fecerat Gignenſi Eccleſiæ.

Bonifacius ſedit Dies XV.

Stephanus ſedit Anno I. Menſe I. Diebus XVIII.

Romanus ſedit Annos IV. Dies XX.

Theodorus ſedit Dies XXVI.

Johannes ſedit Anno I. Diebus XV.

Benedictus ſedit Annos IV. Menſes VI. Dies XIV. Berno Cluniacenſis Abbas moritur. Cui ſucceſſit Domnus Oddo, primùm Canonicus Sancti Martini Turonenſis, poſtea Monachus Balmenſis, ad ultimum Abbas ſecundus Cluniacenſis. Hic in honore Sancti Martini Hymnum edidit, ſcilicet: *Rex Chriſte, Martini decus*, uſque in finem; & Antiphonas novas per ordinem, quæ in tranſitu Sancti Martini ad Nocturnos canuntur; quarum prima eſt, *Sanctus Martinus Abrahæ ſinu lætus excipitur* &c.

Leo ſedit Dies XL.

Chriſtophorus ſedit Menſes VI.

Sergius ſedit Annos VII. Menſes III. Dies XVI.

Anaſtaſius ſedit Annis II. Menſibus II. Diebus XXIII.

Lando ſedit menſes VI. Dies XXVI.

Johannes ſedit Annos XIV. Menſes II. Dies IV. Hujus tempore Oddo Cluniacenſis Abbas Turonis obiit. Hic juſſu Rodulphi Regis cœpit diſponere regulariter Floriacenſe Cœnobium. Præfuit autem Oddo pater Dolenſi, Matiacenſi, Aurelianenſi, & omnibus fere Aquitaniæ Cœnobiis, quæ regulari diſciplina coërcuit. Rexit autem Domnus Oddo Cluniacenſe Cœnobium Annis decem & octo. Cui ſucceſſit per decennium Ademarus Abbas Cluniacenſis.

Leo ſedit Menſes VII. dies XV.

Stephanus ſedit Annos II. Menſes II. Dies X.

Johannes ſedit Annis IV. Menſibus V. Ademarus Cluniacenſis Abbas Cluniaci obiit.

Leo ſedit Annos III. Menſes VIII. Dies X.

Stephanus ſedit Annos III. Menſes IV. Dies X.

Marinus ſedit Annos III. Menſes VI.

Agapitus ſedit Annos IX. Menſes VII. Dies XXVII.

Johannes ſedit Annos VII. Menſes IV.

Leo ſedit Annum I. Menſes III.

Benedictus ſedit Annis II. Diebus XV. Majolus Abbas, qui per quadraginta Annos Cluniacenſi præfuit Cœnobio, Silviniacum obiit, ubi & honorifice ſepultus eſt. Huic ſucceſſit Odilo Abbas Cluniacenſis.

Benedictus ſedit Anno I. Menſibus VI.

Donus ſedit Anno I. Menſibus VI.

Bonifacius ſedit Menſes II. Dies XII.

Benedictus ſedit Annos IX.

Johannes ſedit Menſes IX.

Johannes ſedit Menſes IV.

Johannes ſedit Annos X. Menſes VI. Dies X.

Gregorius ſedit Annos II. Menſes VII.

Johannes ſedit Menſes X.

Silveſter ſedit Annos IV. Menſes II. Dies XII.

Johannes, qui vocatus eſt Sicco, ſedit Menſes VI.

Johannes, qui & Faſanus, ſedit Annis VII. Menſibus VII.

Sergius, qui vocatus Os porci, ſedit Annos II. Menſes XI. Dies XXII.

Benedictus frater Alberici majoris, ſedit Annos IX. Menſes IX. Dies XXI.

Johannes frater ejus, qui & Sergius, ſedit Menſes IV. Dies XXV.

Benedictus ſedit Annos XIII.

Silveſter ſedit Dies LVI.

Gregorius ſedit Annos II. Menſes VII.

Clemens ſedit Menſes IX. Dies VII.

Damaſus, qui & Popo, ſedit Dies XXXIII.

Leo, qui & Bruno, Tullenſis Epiſcopus, ſedit Annos V. Menſes II. Dies VII. Hujus tempore beatus Odilo Cluniacenſis Abbas Anno Dominicæ Incarnationis MXLVIII. ætatis autem ſuæ LXXXVII. ordinationis verò XLVI. eâ nocte, quæ Dominicæ Circumciſionis ſolemnia præcedebat, Silviniacum obiit, ibique cum prædeceſſore ſuo beato Majolo ſepultus quievit. Cui ſucceſſit Domnus Hugo Abbas Cluniacenſis, præ ceteris genere, eleemoſynis, prophetiæ ſpiritu clarus.

Victor

Victor , qui & Gebeardus , ſedit Annos II. Menſes III. dies VI.

Stephanus , qui dictus eſt Fridericus , ſedit Menſes VII. Dies IX.

Benedictus Veliternenſis Epiſcopus , ſedit Menſes IX. Dies XII.

Nicolaus , qui & Geraldus , ſedit Annos II. Menſes XI. Dies XV.

Alexander , qui & Anſelmus , ſedit Annos XI. Menſes V Dies XXV.

Gregorius , qui & Ildebrandus , ſedit Annos XII. Menſem I. Dies XXII.

Victor , qui & Deſiderius , Abbas Caſinenſis , ſedit Menſes IV. Dies VII.

Urbanus , qui & Oddo , Cluniacenſis Monachus , poſtea Oſtienſis Epiſcopus , ſedit Annos XII. Menſes VI. Hic primus iter ad capiendam Hieruſalem in Claromontenſi Concilio prædicavit , & prævaluit . Nam a Francis capta eſt & retenta , facto ibique Rege Chriſtiano , Godofredo Duce Lotharingiorum .

Paſchalis, qui & Rainerius Cardinalis, ſedit Annos XVII. Menſes VII. Dies II. Hugo Cluniacenſis Abbas obiit . Rexit autem Cluniacenſe Cœnobium per Annos ſexaginta, Menſes duos, Dies octo , cui ſucceſſit Domnus Pontius .

Gelaſius , qui & Johannes Gaetanus, ſedit Anno I. Mortuus eſt autem Cluniaci, ſepultus in eodem Monaſterio juxta Altare Sanctæ Crucis. Per hæc tempora Domnus Pontius Abbas, qui prædicto Hugoni ſucceſſerat , Cluniacenſi Cœnobio præfuit Annis tredecim . Poſt quem Domnus Hugo Secundus eidem Monaſterio tribus Menſibus præfuit . Quo etiam defungente Cluniaci , Domnus Petrus venerabilis Abbas natione Arvernus idem Monaſterium regendum ſuſcepit .

Calixtus, qui & Guido, Viennenſis Archiepiſcopus , ſedit Annos V.

Honorius, qui & Lambertus, Oſtienſis Epiſcopus , ſedit Annos V. Hujus tempore mortuus eſt Pontius Abbas Cluniacenſis Romæ, ſepultus in Baſilica Sancti Gregorii Papæ ad Clivum Scauri .

Innocentius , qui & Gregorius , Diaconus Sancti Angeli , ſedit Annos XIV. Cum iſto ordinatus eſt Petrus Leonis , Monachus ſcilicet Cluniacenſis . Fuitque diſſenſio magna in Clero & Populo per multos dies . Quod audiens Eccleſia Gallicana , ſuſtentavit partes Innocentii Papæ. Mortuo verò Petro Leone Romæ , & a ſuis furtim ignoto loco ſepulto, Innocentius Romanæ Eccleſiæ reſtitutus eſt . Hic Eccleſiam Cluniacenſem in feſtivitate beatorum Martyrum Criſpini & Criſpiniani conſecravit.

Cæleſtinus , qui & Guido de Caſtella, ſedit Menſes V.

Lucius , qui & Gerardus de Sancta Cruce , ſedit Anno I.

Eugenius , qui & Bernardus , natione Piſanus , Monachus tamen Claræ vallenſis , ſedit Annos IX. Hic dedit Eccleſiæ Cluniacenſi Monaſterium de Balma perpetuo poſſidendum , remoto omnino exinde Abbate , poſitoque Priore .

Anaſtaſius, qui & Conradus, Epiſcopus Sabinenſis, ſedit Anno I. Menſibus IV.

Hadrianus , qui & Nicolaus , natione Anglus , primum Abbas Sancti Rufi , poſtea Albanenſis Epiſcopus , ſedit Annos V. Secundo Anno Pontificatus hujus obiit Domnus Petrus Abbas Cluniacenſis , VIII. Calendas Januarii , ipſa videlicet die illuceſcente Natalis Domini , Anno ab Incarnatione Domini MC. A LVI. Sepultus eſt autem honorifice in eadem Baſilica , quam ipſe rexerat per Annos triginta quinque. Hic impetravit a Papa Innocentio Eccleſiam Montis Deſiderii dari Eccleſiæ Cluniacenſi . Ipſe verò permiſſione ejuſdem Papæ ædificavit Eccleſiam juxta Montem Peſſulanum in prædio a Wilelmo Peſſulano Eccleſiæ Cluniacenſi dato , quod de novo vocatur Cluniacus . Impetravit item ab Eugenio Papa Eccleſiam Sancti Theodori de Rocca Bovis curti , dari Eccleſiæ Cluniacenſi . Ceſſavit Abbatia Cluniacenſis a die Natalis Domini uſque XVII. Calendas Octobris . Huic ſucceſſit Domnus Hugo III. Burgundiâ natus ; primum Prior Clauſtralis , poſtea Abbas factus . Hujus verò diebus , mortuo Hadriano Papa , ſepultoque B Romæ in Baſilica Sancti Petri , Pridie Calendas Septembris . Anno ab Incarnatione Domini MCLIX. orta eſt ſeditio magna in Eccleſia Dei propter duas electiones .

Eligitur Alexander , qui & Rolandus Cancellarius , natione Tuſcus, a nonnullis Cardinalibus . Eligitur & Victor , qui & Octavianus , natione Sabinenſis . Imperator verò Fridericus , qui tunc temporis Italiam ſibi ſubjugabat , & ad cujus Imperium Romanæ Eccleſiæ pacis reformatio ſpectat , apud Papiam congregatâ Synodo , vocavit utrumque . Alexander autem nec per ſe , nec per reſponſales ſuos dignatus eſt accedere . Imperator itaque C auditâ utriuſque electione , conſilio & aſſenſu Epiſcoporum, Archiepiſcoporum , Clericorum, & aliorum illuſtrium Virorum , qui affuerunt, Victorem Romæ Epiſcopum fore adjudicavit. Quod audientes Ludovicus Rex Francorum , & Henricus Rex Anglorum , conſilio Henrici Beluacenſis , & aliorum Nundofilorum , ſive Paterinorum , partes Alexandri ſuſtentaverunt. Unde Schiſmata in ſancta Romana Eccleſia ſurrexerunt non minima .

Et quoniam de Romana Eccleſia ſe occaſio præbuit , bonum eſt , ut de ejus ordinatione atque inſtitutione aliquid dicatur. Noverit univerſalis Eccleſia, Septem Cardinales Epiſcopos eſſe in prima Sede Sancti Salvatoris Latera- D nenſis . Primus Oſtienſis Epiſcopus , qui debet conſecrare Apoſtolicum præ omnibus Epiſcopis aliis : Epiſcopus Portuenſis : Epiſcopus Albanenſis : Epiſcopus Sabinenſis : Epiſcopus Præneſtinenſis : Epiſcopus Sanctæ Rufinæ : Epiſcopus Tuſculanus . Iſti ſunt Vicarii Domini Papæ, & debent celebrare Miſſas in quibuſdam Dominicis & feſtis diebus , Sanctorumque præcipuis ſolemnitatibus , in Altare Sancti Salvatoris Lateranenſis Eccleſiæ . Oblationem dividunt cum Clericis Canonicis , qui in eadem Eccleſia deſerviunt . Et unuſquiſque peractâ hebdomadâ ad Sedem ſuam revertitur . Iſti ſunt ſeptem Cardinales Sacerdotes, qui ſunt intitulati Eccleſiæ Sancti Petri : Cardinalis Sanctæ Mariæ trans Tiberim : Sancti Griſogoni : Sanctæ E Cæciliæ : Sanctæ Anaſtaſiæ : Sancti Laurentii : Sancti Marci : Sanctorum Martini & Silveſtri : Iſti ſunt ſeptem Cardinales Sancti Pauli : Cardinalis Sanctæ Sabinæ : Sanctæ Priſcæ : Sanctæ Balbinæ : Sanctorum Nerei & Achillei : Sancti Sixti : Sancti Marcelli , ubi ſunt Capita Sanctorum Coſmæ & Damiani : Sanctæ Suſannæ . Iſti ſunt ſeptem Cardinales Sanctæ Mariæ Majoris : Cardinalis Sanctorum Apoſtolorum : Sancti Cyriaci in Thermis : Sancti Euſebii : Sanctæ Potentianæ : Sancti Vitalis : Sanctorum Marcellini & Petri : Sancti Clementis . Iſti ſunt ſeptem Cardinales Sancti Laurentii : Sanctæ

ctæ Praxedis : Sanctæ Priſcæ ad Vincula: Sancti Laurentii in Lucina : Sanctæ Crucis in Hieruſalem : Sancti Stephani in Cœlio Monte: Sanctorum Johannis & Pauli: Sanctorum Quatuor Coronatorum . Diaconiæ ſunt decem & octo : Sanctæ Mariæ in Domnica , ubi eſt Archidiaconus : Sanctæ Luciæ in Circo Palatii , juxta Septa Solis : Sanctæ Mariæ Novæ : Sanctorum Coſmæ & Damiani Palatii: Sancti Hadriani Palatii : Sancti Georgii Palatii : Sanctæ Mariæ Palatii in Schola Græca: Sanctæ Mariæ in Porticu : Sancti Nicolai in Carcere : Sancti Angeli : Sancti Euſtachii : Sanctæ Mariæ in Aquario : Sanctæ Mariæ in Vialata : Sanctæ Agathæ in equo marmoreo : Sanctæ Luciæ in caput Salviræ : Sancti Quirici . . . .

Sciendum eſt , quod Domnus Papa , Vicarius Sancti Petri, quando celebrat Miſſam ad Altare Sancti Salvatoris Lateranenſis , vel in aliis locis, debent ei aſſiſtere Vicarii & Collaterales ſui prædicti , ſcilicet ſeptem Epiſcopi cum viginti & octo Cardinalibus, in Eccleſiis totidem, infra Urbis Romæ muros præſidentibus . Qui poteſtatem habent judicium faciendi ſuper omnes Epiſcopos totius Romani Imperii , in omnibus Conſiliis vel Synodis quibuſcumque accerſiti vel præſentes affuerint . Debet etiam ibi eſſe Archidiaconus Romanus cum ſeptem Diaconibus Palatinis , qui in Palatio debent legere Euangelium, & in Eccleſia Lateranenſi. Debent ibi eſſe duodecim Diacones Regionarii , qui ſolent legere Euangelium in Stationibus Eccleſiarum Romæ conſtitutis . Iſti Decem & octo Diacones , totidem Eccleſias habent infra muros Civitatis, & tamen omnes iſti Canonici ſunt Patriarchalis Eccleſiæ Lateranenſis. Debent etiam ibi eſſe Septem Subdiacones Palatii, & Schola Cantorum, ſcilicet alii Septem Subdiacones . Itemque Septem Subdiacones , qui vocantur Regionarii . Iſti debent legere Lectiones & Epiſtolas in Stationibus Romæ conſtitutis . Alii Septem , Schola ſcilicet Cantorum , debent canere cantum , dum Papa celebrat Miſſam in Eccleſia Lateranenſi , & in aliis . Alii verò Septem Subdiacones Palatini, Epiſtolas debent legere in Palatio ad Miſſam Domini Papæ in Eccleſia Lateranenſi , necnon ad prandium Domni Apoſtolici . Sunt etiam ibi Acolythi præſentes , ideſt Ceroferarii , Lectores, Exorciſtæ, Oſtiarii: quorum unuſquiſque nititur adimplere ſuum officium , ſicut a Sanctis Patribus inibi conſtitutum eſt .

F I N I S.

CHRONICON
PATAVINUM

Ab Anno Chriſti MCLXXIV. uſque ad MCCCXCIX.

AUCTORE ANONYMO

Nunc primùm luci redditum

EX MANUSCRIPTO CODICE

BIBLIOTHECÆ ESTENSIS.

IN CHRONICON PATAVINUM AUCTORIS ANONYMI

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

QUamquam celeberrimam Urbem Patavinam ſaepius fortaſſe quam ceteras in theatrum Rerum Italicarum induxerim, compluribus Hiſtoriis ad eam ſpectantibus in Collectione illa a me editis; nihilo tamen ſecius en *Chronicon Patavinum*, numquam antea evulgatum, & reliquis addendum, in quibus agitur de rebus Patavinis. Suppeditavit illud mihi Bibliotheca Eſtenſis. Atque heic potiſſimum contexitur Catalogus Poteſtatum, ſive Praetorum, qui ab Anno Chriſti MCLXXIV. uſque ad MCCCXCIX. Civitatem illam rexerunt: quod argumentum quum non ſemel pertractatum dediſſem in brevibus Chronicis Urbis Patavinae Tomo VIII. Rer. Italicar. productis, abjeceram olim conſilium de iſto tenebris eripiendo, quando & heic eadem mola verſatur; & quod eſt ad reliqua additamenta Hiſtorica, ea aliunde peti poſſunt fuſius & accuratius digeſta. Verùm alia tamdem mihi mens fuit. Heic enim demum deprehendi, quae in aliis Patavinorum Hiſtoriis fruſtra conquiri mihi viſa ſunt; ac proinde evulganda cenſui, ne Eruditorum reipublicae hoc, qualecumque ſit, praeſidium deeſſet. Ceterum Opuſculi Auctor mihi ignotus eſt, ignota quoque aetas, niſi quod conſtat ipſum in vivis fuiſſe poſt Annum a Chriſto nato Quadringenteſimum ſupra Milleſimum. Scardeonius Lib. 2. Claſs. X. de Antiquitatib. Patavin. *Stephanum Venturatum* commemorat, qui *de geſtis & rebus Patavii Annales non contemnendos ſcribebat, ab incendio illo magno, quo Patavium ferme totum conflagravit Anno a Natali Domini MCLXXIV. & deduxit Hiſtoriam annuatim per Conſules & Praetores uſque ad ſua tempora, ad Annum MDXXIII. Hujus Opus ſatis ingens penes nos eſt, & quia alterum non exſtare certo ſcio, ſtudioſius cuſtodiendum cenſeo*. Et ab eo quidem incendio Chronicon, nunc mihi edendum, exordium capit: ſed quum in Anno MCCCXCIX. conſiſtat, paucìſque, ut ita dicam, lineis abſolvatur, nihil ſimile habere videtur Hiſtoriae longe recentiori Stephani Venturati. Rectius tamen heic decernent Patavini Eruditi.

CHRONICON PATAVINUM.

IMperante Frederico Primo quondam Sueviæ Ducis nato, Comes Paganus tunc Vicarius ejus in Padua multa gravia Paduanis onera imponebat. Magnatibus quidem odioſus, quoniam conſuetos ſibi honores a ruſticis quominus fierent impediebat, ſed ſibi rapiebat indebite. Inviſus erat Plebeis, quia vectigalibus, exactionibus, & aliis gravibus eos vexabat. Inter alia, quæ Nobilibus moleſta fecit, de raptu virginis acerbius habitum eſt. Nam Speronellam virginem ſororem Daleſmanini, & filiam quondam Daleſmani ex Mabilia olim filia nobilis & potentis Rolandi de Curano, viſam, dilectamque rapuit, & in Arce Pendicis recondidit. Hoc factum alte deſcendit in cor & præcordia Daleſmanini; & omnis benevolentia, quæ prius fuerat inter Comitem Paganum, & ipſum ultra alios Proceres Paduanos, converſa eſt in odium. Sagaciter tamen Daleſmaninus incepit ordiri de pulſione Tyranni de Terra modis omnibus. Primo cum Alberto de Baone, quem ſciebat non amicum Tyranni, clanculum firmat amicitias; Tyranno ſtruit inſidias cum Alberto de Jauſſano, cum Rambaldo Comite de Collalto. Denique cum Proceribus aliis Civitatum Marchiæ per internuntios ſapientes ordinatur, ut una die Imperiales Vicarii ab Urbibus ſingulis depellantur. Et ita factum eſt, & tra atum, ut Azotto de Alticheriis, Conrado de Tanſelgardis, & Benedicto de Daulis Proconſulibus in Padua, nono Kalendas Junii, dum fieret ſolemnitas Feſti Florum, ſumtâ occaſione Feſti, Populus conſulte armatur. Priores, & Signiferi ordinati latitant, ut confeſtim ad aggreſſum contra Tyrannum prodeant. Comes Paganus hoc ſentiens quam celerius potuit, fugit ad Arcem Pendicis, ubi ſe defendere arbitratus eſt. Populus Paduanus dato vexillo Azotto ad obſidionem Pendicis cum equitibus & peditibus properat. Arcem circumdant. Comes vero ſe ibi diu ſtare diffidens, cognitum quoque habens ſe ab aliis Vicariis Imperatoris, qui Vicentiæ, Veronæ, & Tervisii reſidebant, auxilium habere non poſſe, quoniam eodem die de regiminibus fuerant expulſi, pactis intervenientibus ſe & Arcem Paduanis in deditionem tradidit.

A Reſtitutâ Civitate Patavii ad priſtinum ſtatum, multis diffunditur gaudiis, Populus Albertum de Baone, Daleſmaninum, Azottum de Alticheriis Conſules Urbis creant. Ludos annuos inſtituunt ipſa die victoriæ, ſcilicet in Vigiliis Sancti Johannis de Junio cum floribus, & pulegiis ad Flumina cantantes incedunt. Civitates circumpoſitæ idem faciunt. Speronella fratri reſtituta connubio traditur Petro fratri Alberti de Jauſſano generoſa ſtirpe nato; cum quo non ultra triennium morata clam ad Ezelinum Secundum de Romano confugit, & ei nuptialiter copulata eſt. Fuere tempore illo, qui dicerent, Daleſmaninum ſuâ operâ machinatum fuiſſe tranſvolationem ſororis ſuæ ad conjugium Ezelini, & idcirco lucratum fuiſſe B de bonis ſororis Terras P . . . . ., & Curani, & circa illas Terras jura multa, & Poſſeſſiones de conſcientia Ezelini, & Johannis Sycherii germani conſanguinei dictæ Speronellæ. Tempure procedente eâdem Dominâ Speronellâ manente cum Ezelino Secundo, accidit quod Ezelinus ad Terram Montiſſilicis forte pervenit, & ibidem a Domino Olderico Giberti de Fontana honorifice & amicabiliter receptus fuit in hoſpitio, ductuſque ad Balneas, tractatur ultra quam credi poſſit curialiter. Ezelinus domum reverſus imprudens & immemor quaſi affectuum Mulierum, narrat audiente Conjuge curialitatem, largitatem, & nobilitatis elegantiam Olderici de Fontana, pulchritudinem juvenilem, & decorem perſonæ C ipſius per membra ſingula, colorem carnis, prout in balneo viderat, & caudam virilem grandem & viro aptiſſimam, & cetera, quæ in juvene laudari poſſunt. Hujus hominis laudes eximias, & maxime priapales, Speronella aure non ſurda collegit, in mente recondidit, & die noctuque laudatum virum non oculis viſum, amat, & amore incenditur. Nuntium cum literis ad Oldericum mittit. Loco & tempore accepto, Speronella, relicto Ezelino, tendit ad Oldericum de Fontana, & in Monteſilice nuptialiter ab eo recipitur. Dictum quoque eo tempore fuit, Daleſmaninum tranſitus hujus conſcium fuiſſe, & ex hoc etiam poſſeſſiones a ſorore ſua quaſdam aquiſiviſſe.

Incipit Liber omnium Regiminum Civitatis Paduæ, & etiam aliquorum aliorum factorum tam in Padua, quam in aliquibus aliis partibus.

ISte Chronicus Liber Memorialis eſt omnium Regiminum Civitatis Paduæ, & aliquorum etiam aliorum factorum alibi in his partibus ab Anno Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti 1174. ante quod Milleſimum Conſules Cives Paduæ ſolummodo regebant Paduam. Et hoc Anno die 4. menſis Martii incendium ortum fuit in Padua, per quod fuerunt combuſtæ 2614. domus, quæ tunc erant ligneæ, fragiles, & non cuppis, ſed paleis, & ſcandolis contectæ. Unde dictum fuit:

Marchia ploravit Paduam, cum flamma voravit
Urbis Majores tres partes, & meliores.
Sexcentæ verè domus mille bis cecidere
Bis ſeptem, pone tot collige cum ratione.
Annis Millenis, Centenis ſeptuagenis
Nec non & quarto Nonas Martis quoque quarto.

Et in menſe Septembrio Dominus Fredericus Primus Romanorum Imperator dictus Barbaruſſa, per ſacramentum confirmavit pacem cum Nuntio Domini Sebaſtiani Ziani Venetiarum Ducis, & cum omnibus Succeſſoribus ſuis. Et fundata fuit Civitas Alexandriæ die octava Aprilis. Et nota, quod tempore Poteſtatum ante ſcripta, dicunt tempus electionis cujuslibet Poteſtatis, ſeu Rectoris, aut Conſulum. Unde quilibet Rectorum, ſeu Poteſtas tenet medium Annum ſuæ electionis, & medium ſequentem; quia Electio circa Feſtum Sancti Petri de Junio tunc fiebat. Fuit enim fundata Civitas Alexandria per Cremonenſes, & Placentinos contra Papienſes, & ut ab Alexandro Papa famoſior efficeretur, Alexandriam appellaverunt, & ipſe ei Epiſcopum contulit.

1175.

Dominus Albertus de Oſa de Mediolano primus Poteſtas Paduæ Anno uno. Eo tempore prædictus Fredericus Imperator perſequebatur Papam Alexandrum Tertium, & tunc vivebat Abbas Joachimus in Apulia, & Petrus Comeſtor, & Petrus Lombardus, qui compoſuit Librum Sententiarum, Maximi Doctores in Theologia.

1176.

Dominus Ugonus de Canavolis, Dominus Azinus de Tanſelgardinis Cives Paduæ Conſules rexerunt Paduam. Et eo tempore ædificata fuit Montegalda, & Imperator Federicus conflictus, & debellatus in campo per Lombardos.

1177.

Dominus Obizo Marchio de Eſte rexit Paduam. Eo tempore in Venetiis ante Eccleſiam Sancti Marci facta fuit concordia inter Papam Alexandrum Tertium, & Fredericum Imperatorem in feſto Sancti Jacobi Apoſtoli de Julio, exiſtente Sebaſtiano Ziani Duce Venetiarum: Et dicitur, quod Papa poſuit pedem ſuper collum Imperatoris, & dixit hunc Verſum: *Super* A *aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem.* Imperator reſpondit. *Non tibi, ſed Petro.*

1178.

Dominus Obizo prædictus rexit Paduam. Eo tempore captum fuit Goëgum per Paduanos. Et quidam Turchus nomine Saladinus cepit Sepulcrum, & Achon, & multas Chriſtianorum obtinuit Civitates. Et dicitur fuiſſe translatum corpus Beati Stephani Protomartyris de Conſtantinopoli in Venetias. Et Papa Alexander Tertius prohibuit Mercatoribus, & Chriſtianis in Lateranenſi Concilio Arma & auxilia deferri Sarracenis.

1179.

B Dominus Gulielmus Tempeſta de Trivixio Poteſtas Paduæ. Eo tempore fuit celebratum generale Concilium apud Lateranum, & captum fuit Burgum Richum per Paduanos, quoniam ipſis rebellabat.

1180.

Dominus Aldrigetus de Padua rexit Paduam.

1181.

Dominus Johannes de Limizonibus, Dominus Ziliolus de Sintilla, Dominus Gulielmus de Compagno Cives Paduani Conſules rexerunt Paduam. Eo tempore de Menſe Aprilis incepit maxima Cariſtia, & duravit uſque ad Meſſem, & fuit valida fames, ita quod ſurgum C valuit ſolidos XL. parvorum.

1182.

Dominus Comes Manfredinus Civis Paduanus rexit Paduam

1183.

Dominus Daleſmaninus, Dominus Tranſalgardinus Cives Paduam rexerunt; & ceſſavit fames prædicta. Eo tempore fuit facta Pax in Civitate Conſtantiæ de Alemannia inter Fredericum Primum Imperatorem ex una parte, & Civitates Italiæ ex altera VII. Kal Julii, Anno Regni ejus XXXII. in qua fuerunt de Padua ſcilicet Gnanfus, Ecilinus Judex, & Hengleſtus de Fontagliva.

1184.

D Dominus Albertus de Baone Civis Paduanus rexit Paduam, Eo tempore fuit factus Pons Brentæ de Mejaniga, & fuit fames valida. Et Dominus Lucius Papa Tertius receptus fuit in Verona cum gaudio XI. Kal. Auguſti.

1185.

Dominus Grimerius Vicecomes de Placentia fuit Poteſtas Paduæ.

1186.

Dominus Ugutio de Baxio de Mantua Poteſtas Paduæ.

1187.

Dominus Apoſtatius de Brixia Poteſtas Paduæ. qui fuit expulſus de regimine, quia male exercebat Officium cum Magnatibus & potentibus. Eo tempore devicti fuerunt Chriſtia-

ni a Soldano in feſto Sancti Johannis de Junio, qui tunc cepit Hieruſalem, & Terram Sanctam. Et Rex Henricus filius Imperatoris deſponſavit Reginam Conſtantiam filiam Rugerii Regis Siciliæ, cum ipſe Rex Henricus jam eſſet Annorum L. Et Azolinus Marchio de Eſte cepit Fratam; & Comes Ugutio de Vicentia fuit obſeſſus a Vicentinis in Montegalda minore cum Dominis Clarello, & Balugante, ibi exiſtentibus cum centum Militibus de Padua. Sed Paduani inde Vicentinos expulerunt, & in fugam converterunt. Eo tempore Soldanus cepit Sepulcrum Domini.

1188.

Dominus Ugonus de Canavolis, Dominus Tanſalgardinus Cives Paduani Conſules rexerunt Paduam. Eo tempore Paduani ceperunt Montegaldam: propter quod Vicentini clauſerunt aquam de Longare Paduanis. Unde Paduani cum exercitu euntes violenter aperuerunt ipſam roſtam. Sed incauti permanſerunt milites Paduani; unde Vicentini inſultaverunt in eos, & multos ex eis ceperunt, & captos Vicentiam duxerunt. Et Ezelinus de Romano contraxit amicitiam cum Paduanis, obligans eis Honoriam pro libris XXV. millibus. Et poſt Annos V. Vicentini cum exercitu militum & peditum Veronæ venerunt Maroſticam & Baxianum; & Ezelinus præ timore fecit pacem cum eis, & dedit filium ſuum pro obſide ſub tentorio Poteſtatis Veronæ. Ideoque Paduani dixerunt, quod hoc ceciderat eis ad pœnam. Et Terixius Veronenſis interfecit Comitem Saurum de Verona ſuper Montem Sancti Bonifacii, & ivit ultra mare, & poſtea in Apuliam, ubi magnificè ſtetit. Et fratres ipſius Terixii, qui remanſerunt Veronæ, cum heredibus Comitis Sauri fecerunt pacem, & dederunt eis Montem Sancti Bonifacii cum ſuis poſſeſſionibus circumſtantibus pro emendatione. Et Veronenſes ceperunt Ferrarienſes apud Fratam Ferrarienſis Diſtrictus.

1189.

Dominus Gulielmus de Oſa de Mediolano Poteſtas Paduæ. Eo tempore inciſum fuit nemus Gadii, & factum fuit Navigium, per quod itur ad Monteinſilicem. Et tunc Imperator Fredericus ivit ultra mare per terram in ſervitio Sepulcri, & cepit Ychonium.

1190.

Dominus Gulielmus prædictus de Oſa Poteſtas Paduæ. Eo tempore obiit Imperator Fredericus in aqua fluminis Caleph in Armenia, qui fuit electus Rex Romanorum in 1151., & poſtea coronatus Imperator 1154.

1191.

Dominus Gulielmus prædictus Poteſtas Paduæ. Eo tempore factus fuit Pons Brentæ de Hoënta, & factæ fuerunt Turres Canfreduli, ſtationes Corezariorum, & Merceriarum Communis Paduæ, & Petronium a fructibus. Et Henricus filius ſupradicti Frederici Imperatoris coronatus eſt Romæ. Et Cremonenſes necaverunt ſe in flumine Lolii, dicentes melius eſſe necari, quàm mori.

1192.

Dominus Ubertus Vicecomes de Placentia Poteſtas Paduæ. Eo tempore facta fuit Inveſtitura dicto Domino Uberto recipienti pro Communi Paduæ per Stephanum Maricum Communis Grothi, & Montagnoni &c., quampluribus montibus & collibus poſitis in Montegrotho in contrata, quæ nunc vocatur Montenovo: ſolvendo ſolidos XX. Venetiarum

A parvorum pro quolibet Anno dicto Marico pro ſuo Communi. Et Veneti exierunt cum ſex Navibus magnis, & X. Galeis in mari, & ceperunt tres Naves magnas, & duxerunt Venetias 3 millia captos. Et die . . . . . Julii Sol obſcuratus fuit fere a Tertia uſque ad Nonam.

1193.

Dominus Ubertus prædictus Poteſtas Paduæ.

1194

Dominus Rogatus Judex, Dominus Azochus, Dominus Rolandus de Malpeleo Cives Paduani Conſules rexerunt Paduam. Eodem tempore Domina Adeleita ſoror Comitum de

B Mangono, & uxor Ezelini Secundi die Lunæ ſexto exeunte Aprili circa meridiem peperit Ezelinum Tertium de Romano Tyrannum crudeliſſimum in Marchia Terviſina. Et Imperator Henricus ſibi ſubjugavit Apuliam circa Feſtum omnium Sanctorum in prædicto Milleſimo. Qui Henricus Quintus filius fuit Frederici Primi, & pater Frederici Secundi nati ex Conſtantia Regina Siciliæ, & Domina Apuliæ, cui ſucceſſit dictus Fredericus Secundus, qui coronatus fuit Romæ.

1195.

Dominus Paganus de la Turri de Mediolano Poteſtas Paduæ. Eo tempore incepti fuerunt muri circa Paduam a Ponte Sancti Leonardi;

C & inceptum fuit Monaſterium Sancti Benedicti; & factus fuit Pons lapideus omnium Sanctorum. Unde in Libro Leonis ſuppoſiti continetur.

Quinque minus demtis Annis de Mille ducentis.

1196.

Dominus Ottolinus de Boxio de Mantua Poteſtas Paduæ, qui juravit regimen ſuum in Baxiano.

1197.

Dominus Ottolinus prædictus Poteſtas Paduæ. Eo tempore Henricus Imperator obiit in Apulia die XXVIII. Septembris.

1198.

Dominus Jacobus Strictus de Placentia Poteſtas Paduæ. Eo tempore die Martis primo

D Septembris Paduani cum adjutorio Ezelini Secundi apud Carmignanum ceperunt Vicentinos, & ſuum Carrocium Martinellum abſtulerunt, & Paduæ conduxerunt, & tenuerunt ipſos in carceribus per annos quatuor, vel circa, & Carrocium poſuerunt in Curia Epiſcopali, & ibi ſuper Carrocium cacaverunt, donec Vicentinos de carceribus relaxaverunt, & Fortiliciam Carmignani deſtruxerunt, & multos ſuſpenderunt. Et Veronenſes venerunt contra Paduanos, ſed parum lucrati fuerunt.

1199.

Dominus Azo Eſtenſis Marchio rexit Paduam bene & legaliter.

1200.

E Dominus Azo Confalonerius de Brixia Poteſtas Paduæ. Eo tempore captum fuit Carrocium, deſtructum a Veronenſibus. Et juriſdictiones, ſeu dominationes Magnatum Paduæ acceptæ fuerunt per Populares homines Civitatis Paduæ.

1201.

Dominus Petrus Ziani de Venetiis Poteſtas Paduæ, qui fuit Dux Venetorum, & filius quondam Sebaſtiani Ducis Venetiarum. Eo tempore facta fuit venire aqua a Monteſilice propter Navigium veniendo Paduam.

1202.

Dominus Ubertus Vicecomes de Placentia Poteſtas Paduæ. Eo tempore Veronenſes, Vicentini, Terviſini, Mantuani, Ferrarienſes, Tridentini, Feltrenſes, & Bellunenſes venerunt cum magno exercitu uſque ad Pontem Brentæ Viciageris, & ibi ſua fixerunt tentoria, & ceperunt Caſtrum Carturi, & Turrim Canfreduli conſtraverunt. Et Paduani iverunt eis obviam, & fixerunt ſua tentoria juxta Pontem Brentæ ex adverſo dictorum hoſtium; & tamdem pacificati ſunt ad invicem. Et tempore procedente Paduani dimiſerunt omnes Vicentinos, quos captos habebant. Et Henricus Dandulo Dux Venetiarum cum Comitibus Sancti Pauli, & Flandriæ, & Marchione Montisferrati hoſtiliter & per vim cepit Zaram, & eam penitus deſtruxit.

1203.

Dominus Albertus de Mandello Poteſtas Paduæ. Eo tempore homines Montagnanæ interfecerunt Ugutionem fratrem Domini Paduani Conſulem Paduanum ibidem miſſum pro Communi Paduæ. Et Civitas Conſtantinopolis capta fuit a Francis, & Venetis per Portam, ubi erat depictus unus Angelus; prophetizatum quippe fuerat, quod per Angelum debebat capi. Et propterea Dux Venetiarum vocat ſe *Dominum quartæ partis, & dimidiæ totius Imperii Romaniæ*.

1204.

Dominus Albertus de Baone, Dominus Daleſmaninus Cives Paduani rexerunt Paduam. Eo tempore fuit factum Campreti, & fuit maxima ubertas, ita quod frumentum valuit ſol. II. & non ultra. Et Marchio Eſtenſis erat cum amicis ſuis juxta Caſtrum Sancti Andreæ Muſonis. Et Ezelinus de Romano ex adverſa parte ſtabat cum amicis ſuis. Et Commune Terviſii deſtruxit Dominos de Naone propter ſuperbiam eorum, & propter quamdam poſſeſſionem magnam, quam habebant in Tervixio. Et Terviſini vendiderunt Caſtrum Caſtrorum, quæ acceperant Carbonenſibus pro Libris XXX. millibus parvorum. Qui ab illo die in antea dicti ſunt a Caſtris. Et tunc datum fuit Dominis de Naone Caſtrum Cintarum, quod eſt juxta Muſonem. & Villam novam, tamquam de bonis Terviſinorum, quæ habebant in Paduano Diſtrictu, de conſilio Lemizonis, & Guicemani, tunc Procuratorum & Extimatorum Communis Paduæ. Sed hoc Caſtrum poſtea fuit deſtructum a Terviſinis.

1205.

Dominus Brazius de Burgo de Cremona Poteſtas Paduæ. Eo tempore via, qua itur in Plebem Sacci, facta fuit, & rectificata de novo; & acceptæ fuerunt juriſdictiones totaliter Magnatibus pro Communi Paduæ. Et Veneti cum Patriarcha Gradonenſe, & magno exrcitu ceperunt Duratium & Culſum.

1206.

Dominus Manfredinus de Gazo de Cremona Poteſtas Paduæ. Eo tempore Azo Eſtenſis Marchio cum eſſet Poteſtas Mantuæ, & Veronæ, Ezelinus de Romano cum ſuis & Monteclis expulit eum de Verona per vim die vii. Junii: Et Dominus Odericus de Vicecomitibus factus eſt Poteſtas Veronæ. Sed immediate poſt in menſe Auguſti dictus Dominus Marchio expulit Monteclos de Verona. Et Veneti cum xxviiii. Galeis ceperunt Culſum, & deſtruxerunt Caſtrum Modonis. Et hoc Anno
A confirmatus fuit Ordo Fratrum Prædicatorum per Dominum Papam, & Romanam Curiam.

1207.

Dominus Bernerius Maſtellus de Cremona Poteſtas Paduæ. Eo tempore fuit prœlium inter Marchionem Eſtenſem, faventibus ſibi Comite Sancti Bonifacii, & Mantuanis ex una parte, & Monteclos, favente eis Ezelino de Romano ex altera, in Braida Veronenſi. In quo prœlio pars Marchionis & Comitis adverſarios ſuperavit. Ideoque Montecli terrore concuſſi die viii. Septembris tempore noctis fugerunt, Civitate dimiſſa, perſonas ſolummodo ſalvare cupientes. Et hoc fuit primum initium
B malorum Marchiæ. Et Montecli Arcem Gardæ occupaverunt, in ea ſe fortiter munientes. Marchio vero & Comes, donec vixerunt, Veronæ dominium habuerunt. Et Marchio, qui tunc habuit Ezelinum captum, curialiter tractavit, & honoravit, & Militibus ſociatum decenter conduci fecit Baſianum. Qui Milites honorem maximum receperunt a Dominabus & Militibus de Baxiano. Et dicebatur, quod Ruffus ex una parte, & Rolandinus Labratus fratres Cives Paduani ex altera fuerunt in prœlio ſupradicto. Et Dominus Raynerius Dandulo, & Ruzerius Præmarinus cum magno exercitu ceperunt Leonem Veteranum Curſorem maris cum novem Galeis, & ſuſpen-
C derunt eum in Culſu. Et ceperunt Coronum & Civitatem Candiæ, cum tota Inſula. Et Innocentius Papa Tertius inveſtivit prædictum Azonem de Eſt & filios heredes de Comitatu & Marchionatu Anconæ ad Feudum.

1208.

Dominus Viſcontinus de Placentia Poteſtas Paduæ. Eo tempore fuit factus magnus Ludus de quodam homine ſalvatico in Prato Vallis, & quaſi omnes Paduani per contratas novis veſtibus ſunt veſtiti. Et captus fuit Poteſtas Vicentiæ; & Montecli ceperunt Piſcheriam. Et obſeſſi eodem Anno a Marchione capti fuerunt, & in compedibus poſiti.

1209.

D Dominus Jacobus de Vialardo de Vercellis Poteſtas Paduæ. Eo tempore exercitus Paduanus ivit Honoriam in ſervitio Ezelini Secundi, quia Vicentini volebant invadere Brixianum; & dictus Ezelinus tenuit ſeptem centum milites ſeptem menſes apud Honoriam. Et homines de contrata Sancti Andreæ de Padui fecerunt fieri Leonem magnum Sancti Andreæ ad memoriam Marchionis de Eſt, cum tinxiſſet rebelles Paduæ, cum illi Domini de Azochis per multa tempora cum exercitu Paduano cepiſſent Arcem de Eſt, & abſtulerunt inde parvum Leonem Sancti Andreæ, & conduxiſſent ubi nunc eſt. Et Jacobus Longus de Venetiis cum ſex magnis Navibus, & ſex Ga-
E leis cepit tres Naves Januenſium, & alias quamplures fugavit. Et Salinguerra cepit Ferrariam, expulſo Marchione; Et Navigium, per quod itur Stratam, fuit factum. Tunc Otto Dux Saxoniæ electus in Regem Alemanniæ cum exercitu copioſo venit in Lombardiam, de cujus mandato fuerunt Montecli relaxati, qui apud Sanctum Petrum a Papa Innocentio fuit coronatus. Sed ſtatim cor & cornua exaltans, & monitiones Papæ contemnens, ab ipſo anathematizatus fuit, & ejus ſuperbia inclinari cœpit, donec paulatim ad nihilum fuit reductus. Et Stephanus Abbas Sanctæ Juſtinæ renuntiavit, & in Monte Vendæ

vitam

vitam eremiticam dicens , requievit in pace ; cui ſucceſſit Raynaldus religione & morum honeſtate præclarus .

1210.

Dominus Jacobus de Andito de Placentia Poteſtas Paduæ . Eo tempore facta fuit Porta Turriſellarum , & murus Civitatis inde uſque ad Sanctum Michaëlem . Et Beatus Franciſcus incepit & ordinavit Regulam Fratrum Minorum . Et Imperator Otto intravit Apuliam , & manſit apud Capuam cum Longobardis , & inde reverſus excommunicatus in Alemanniam rediit ; & congregato exercitu magno , adverſus Philippum Regem Francorum perrexit , faventibus ei quibuſdam Principibus Franciæ proditoribus. Sed Francigenæ contra Dominum Ottonem impetum fecerunt incredibilem , & habuerunt victoriam . Cujus belli cauſa fuit, quia Rex Franciæ olim liberaliter promiſerat Civitatem Pariſius ſe dicto Ottoni daturum , ſi unquam Romanum Imperium obtineret. Rex autem conſiderans ſe incaute talem promiſſionem feciſſe , decrevit potius talem quæſtionem eſſe belli judicio terminandam.

1211.

D. Azo de Pergamo Poteſtas Paduæ . Eo tempore Bonifacius Comes Poteſtas Veronæ die vi. Julii cepit Caſtrum Orſonici , & Dominus Albertus de Baone obiit menſe Madii . Et Fredericus adoleſcens Rex Siciliæ natus olim Henrici Imperatoris, & Reginæ Conſtantiæ filiæ olim Rugerii Regis Siciliæ de mandato Innocentii Papæ per Lombardiam cum auxilio & commeatu Azonis Marchionis Eſtenſis aſcendit in Alemanniam confidenter ; quem ita gratiſſime Prælati & Principes Alemanniæ receperunt , quod pauci de ipſis cum Ottone remanſerunt . Et tamdem eum in Regem Alemanniæ, ac futurum Imperatorem concorditer elegerunt , mediante Anno ſequenti 1212.

1212.

D. Boratius de Burgo de Cremona Poteſtas Paduæ . Eo tempore Comes Sancti Bonifacii obiit die X. menſis Novembris in Verona , relictis duobus filiis Rizardo , & Gulielmo . Et die V. poſt obiit Azo Marchio de Eſt , & jacet in Abbatia , relictis duobus filiis Aldrevandino adoleſcente , & Azolino infantulo cum ſua genetrice . Eo tempore facta fuit Via de Ponte Curvo ad Plebem Sacci .

1213.

D. Marinus Zeno de Venetia Poteſtas Paduæ . Eo tempore Paduanus exercitus cum Ezelino Monacho , & ejus filio Ezelino Tertio obſedit Rocham de Eſt ; & eam violenter accepit , Aldrevandino Marchione reſiſtente , & recuſante obedire Communi Paduæ . Qui videns , quia durum eſt contra ſtimulum calcitrare , & ſuæ Civitati non obedire , juravit mandata Poteſtatis Paduæ . In quo exercitu Comes Manfredinus mortuus fuit a quodam lapide a librella ; & Veglus Præco fuit ſuſpenſus , quia portavit nova intrinſecis de Eſt . Et Cremonenſes debellaverunt Mediolanenſes apud Caſtrum Leonem die II Julii , & eorum Carrocium abſtulerunt Et Montecli , qui fuerunt exules ſex annis , & duobus menſibus de Verona , mediantibus Domino Poteſtate & Paduanis , pacificati fuerunt cum parte Comitis, & in Veronam introducti circa feſtum Sancti Martini .

1214.

D. Albizo Forenſis de Florentia Poteſtas Paduæ . Eo tempore factus fuit magnus A Ludus in Tervixio ad honorem Paduanorum , qui ibidem iverant induti novis veſtibus , & ſecum duxerant quamplures Dominas de majoribus & nobilioribus Paduæ . In quo fuit lis inter Paduanos , & Venetos , quia Paduani fregerunt Vexillum Sancti Marci de Veneriis propter ruſticationes factas per Venetos in dicto Ludo . Et Montecli inceperunt intempeſtivè contra partem Comitis calcem erigere . Unde pars Comitis & Poteſtas Communis , Pegorarium Civem ſuum expertum & ſapientem in Civitate elegit ; & Montecli viribus impares tunc ſub adverſariis quieverunt . Et lata fuit ſententia per dictum Poteſtatem inter Marchionem Bonifacium filium quondam Obi- B zonis de Eſt ex una parte , & ſuos Nepotes Aldrevandinum , & Azolinum fratres filios quondam Domini Azonis ex altera , ſcripta in quodam veteri Volumine Statutorum Communis Paduæ in prædicto Milleſimo die Jovis XVI. menſis Junii .

1215.

D. Bonifacius de Guizardo de Bononia Poteſtas Paduæ . Eo tempore exercitus Paduanus ivit contra Venetos ad Turrim Baibæ die Veneris V. exeunte Octobre , & eam obſedit per dies XV. & ſuperveniente inundatione maris permaxima, obſidionem dimittere ſunt compulſi , & ibi jacturam in perſonis & rebus habuerunt . Et Aldrevandinus Marchio de Eſte C cum exercitu in fervore ſuæ juventutis ivit in Marchiam Anchonitanam , & obviam habuit Comites de Celana , qui partem Ottonis favebant , a quibus proditoriè fuit victus & captus, & pluribus annis ibi detentus . Dominus Tyſus de Campo Sancti Petri vendidit domum ſuam cum Turri alta Communi Paduæ. Et dictus Marchio ibi veneno obiit . Et generale Concilium factum fuit Romæ ſub Innocentio Papa viro magnifico & excelſo .

1216.

D. Fulco de Guarnarinis de Bononia Poteſtas Paduæ. Eo tempore Papa Innocentius III. obiit apud Peruſium . Et facta fuit domus , in qua moratur Poteſtas Paduæ . Prædictus D Papa Innocentius confirmavit Regulam Fratrum Ordinis Minorum, prout aliqui credunt ; ſed fuit Papa Honorius Tertius ejus Succeſſor, quia morte præventus confirmnre non potuit .

1217.

D. Jacobus de Andito de Placentia Poteſtas Paduæ . Eo tempore facta fuerunt Molendina Turrixellarum , & factus fuit Pons de Curterodulo , & multitudo maxima Chriſtianorum transfretavit in ſubſidium Terræ Sanctæ , & intraverunt Ægyptum , & Damiatam invictiſſimam Civitatem multo tempore viriliter obſederunt .

1218.

E D. Johannes Ruſcha de Como Poteſtas Paduæ . Eo tempore inceptum fuit Palatium magnum Communis Paduæ . Et Soldanus videns multitudinem Chriſtianorum intraſſe Æpyptum, & Damiatam, ut proxime ſupraſcriptum eſt , Regibus Aſſyriæ , & Arabiæ convocatis cœpit Chriſtianos undique viriliter impugnare , præterquam iter fluminis eis prohibere non potuit. Et tunc regebant Chriſtianos Rex Johannes Hieroſolymitanus vir ſtrenuus , fortis , & magnæ ſtaturæ , & Magiſter Pelagius Cardinalis .

1219.

D. Malpileus de Sancto Miniato de Tuſcia

Pote-

Poteſtas Paduæ. Eo tempore completum fuit Palatium magnum Communis Paduæ, & emtum fuit Campretum a Domino Ezelino de Romano. Et obiit Imperator Otto die XIII. exeunte Madio; & capta fuit per Chriſtianos Damiata poſita ſuper flumen Nili, qui a Moyſe in Geneſi Geon appellatur, die V. Novembris. Et incepta fuit Eccleſia Sanctæ Mariæ in Porcilia die XIII. intrante Novembri tempore Epiſcopi Jordani; & Petrus de Bonicis dedit primum lapidem. Et Comes Rizardus expulit Dominum Azonem de Bononia de Poteſtaria Veronæ, & poſuit Dominum Ruffinum de Capite Pontis.

1220.

D. Bernardus Baronus de Tuſcia Poteſtas Paduanus. Eo tempore exercitus Paduanus ivit contra Terviſinos ad Caſtrumfrancum, & inceptum fuit Caſtrum Cittadellæ. Et Dominus Bertoldus Aquilegienſis Patriarcha factus fuit Civis Paduanus, & ideo fecit ædificari Palatia XII. in Padua, & quod annuatim mittere debuit XII. milites de majoribus & nobilioribus ſuarum Terrarum Paduam, ad jurandum ſequitum Poteſtatis Paduæ, & ſuſtinere cuncta onera & factiones cum Civitate Paduæ, quemadmodum alii Cives Paduæ debent ſuſtinere, & illud idem pro rata. Et eodem modo fecit Dominus Epiſcopus Feltrenſis, & Bellunenſis. Et quia Tervixini iverant cum exercitu contra Patriarcham, Paduani iverunt, & obſiderunt Caſtrumfrancum, donec Tervixini redierunt. Et Fredericus Secundus Rex Siciliæ & Apuliæ, & Dux Sueviæ, deſcendens de Alemannia ivit Romam, & ibi a Papa Honorio Tertio coronatus fuit in die Sanctæ Luciæ die XIII. intrante Decembri, & deinde Regnum Apuliæ ſibi feliciter ſubjugavit, & de montibus Siciliæ violenter deponens Saracenos, & omnes transferens in Apuliam, fecit omnes in Nuceria habitare.

1221.

D. Bonifacius Guidonis de Guizardo Poteſtas Paduæ, & fuit de Bononia. Eo tempore fuit occiſus Tiſolinus de Campo Sancti Petri in Ferraria; & inceptum fuit Monaſterium Sancti Johannis de Viridario ſub Tripino Priore; & completum fuit Zironum Caſtri de Cittadella. Et exercitus Chriſtianorum, qui tranſiverunt ad ſuperiores partes Ægypti expugnandas, ſubita inundatione Nili aquis, & exercitu Saracenorum undique circumſeptus, nec procedere poterat, nec redire: unde coactus fuit pro redemtione ſua reddere Damiatam; & dimiſſi a Saracenis ad propria cum magna triſtitia redierunt. Et Beatus Dominicus Ordinis Fratrum Prædicatorum in Civitate Bononiæ, multis coruſcans Miraculis, migravit ad Dominum, & ibi honorificè ſepultus eſt.

1222.

D. Johannes Ruſcha de Como Poteſtas Paduæ. Eo tempore translatum fuit Studium de Bononia Paduam; & die ſequenti Nativitatis Domini fuit magnus Terræmotus in Padua, & apparuit Cometa de Menſe Septembris. Nec multum poſt obiit Ludovicus Rex Francorum pugil magnus pro Eccleſia contra Comitem Toloſanum defenſorem Hæreticorum, cui ſucceſſit ejus filius Ludovicus.

1223.

D. Guido de Landriano de Mediolano Poteſtas Paduæ. Eo tempore fuit Terræmotus magnus per totam Italiam die Dominico, in quo celebratur Nativitas Domini inter Sextam

A & Nonam: propter quem Civitas Brixiæ maximè fuit conquaſſata, & magnum damnum ſuſtinuit in rebus, & perſonis. Et orta fuit contentio inter Notarios, & Magnates Paduæ cum quibuſdam Notariis Frataleæ Sancti Auguſtini, & Pugnetus, & Gambavara Notarii Capitanii dictæ Fratаleæ contra quoſdam Notarios injuſtè regentes Frataleam Notariorum, quorum unus vituperium recepit in Palatio à quodam milite, & de concione viliter fugit.

1224.

D. Rubertus de Concorezo de Mediolano Poteſtas Paduæ. Eo tempore facta fuit via de PratoVallis uſque Buvilentam, & fuit factus Ludus in PratoVallis cum Gigantibus.

1225.

B D. Otto de Mandello de Mediolano Poteſtas Paduæ. Eo tempore Dominus Alardus Epiſcopus Veronæ & Cardinalis obiit. Et Paduani miſerunt Mantuam ducentos milites contra Imperatorem. Et Paduanus exercitus deſtruxit multa Caſtra Tervixinorum. Et facta fuit Societas Lombardorum contra Imperatorem Fredericum Secundum. Et multi viri Nobiles & potentes de Verona de parte Comitis, corrupti pecunia Salinguerræ & Ezelini, Monteclis adhærentes, Comitem Rizardum cum parte ſua de Verona ſubito expulerunt. Et tunc primo Ezelinus Tertius aſſurgens, cœpit habere dominium in Verona. Mantuani verò Comi-
C tem cum amicis ſub ſua protectione ceperunt. Et tamdem facta fuit compoſitio inter eos, mediantibus Rectoribus Lombardiæ. Et Monaſterium de Cella de Padua fuit conſtructum & fundatum per Beatum Franciſcum, qui poſuit primum lapidem; & fuit quartum Monaſterium Sanctæ Claræ factum per totum Mundum. Nam primum fuit Monaſterium Sancti Damiani; Secundum fuit Monaſterium de Florentia; Tertium fuit de Faventia; Quartum fuit de Padua. Et tunc Imperator Fredericus tranſiens in Alemanniam Ezelino ſe confœderavit.

1226.

D. Bonifacius Comes Sancti Martini de
D Mantua Poteſtas Paduæ. Eo tempore prædictus Poteſtas fuit expulſus de regimine, quia quidam Paduani inſultaverunt in eum, quoniam ejus dolo Ezelinus, & Albricus habuerunt Vicentiam; & Comes Rizardus fuit expulſus per Monteclos de Verona. Et Fredericus Imperator venit de Apulia in Lombardiam, aſpirans in dominium ejus, & colloquium habuit cum amicis ſuis, volens Lombardorum animos mitigare. Sed Mediolanenſes cum aliis multis Civitatibus eis ſubeſſe noluerunt; verba ejus pro nihilo reputantes. Et die IV. Octobris Beatus Franciſcus migravit ad Dominum.

1227.

D. Bonifacius Guidonis de Guizardo de Bo-
E nonia Poteſtas Paduæ. Eo tempore obiit Honorius Papa Tertius; cui ſucceſſit Gregorius Nonus Oſtienſis Epiſcopus, qui monuit Imperatorem Fredericum ſub excommunicationis pœna, quod pro recuperatione Terræ Sanctæ transfretaret ſecundum magnificentiam Imperatoriæ Majeſtatis. Imperator verò nolens tranſire, dabat excuſationem. Sed tamdem ne præceptum Apoſtolicum contemneret, cum exercitu Galearum navigavit in Syriam, & cum Soldano Babylonis taliter pepigit, quod ipſe Hieruſalem, & alias quaſdam Civitates reddidit Chriſtianis. Audiens verò dictus Papa, quod Imperator tam potens ad modum piratæ mare

mare tranſilit, in quo tremebundum nomen Romani Imperii apud barbaras Nationes vilificaverat, eum excommunicavit; & mox miſit exercitum in Apuliam, ut eam Eccleſiæ ſubjugaret. Quod audiens Imperator, velociter in Apuliam rediit, deinde Romam, dum hic Papa Romæ Concilium celebraret. Sed per Imperatorem viæ per terram & mare præcipuè artantur, ita quod duo Cardinales, & multi Abbates, & Clerici per mare ad Concilium venientes per Henricum filium Imperatoris & Piſanos in Galeis Januenſium capiuntur, & capti in Apuliam ducti fuerunt. Et tunc Papa, quia Imperator magnam partem Patrimonii Eccleſiæ occupaverat, cum obſideretur in Urbe, videns pænè omnes Romanos per pecuniam corruptos, accipiens Apoſtolorum capita, & Proceſſionem a Laterano uſque ad Sanctum Petrum faciens, animos Romanorum ſic revocavit, ut omnes contra Imperatorem Crucem ſumerent. Quod videns Imperator, qui jam in januis ſtans intraturum ſe credebat, timuit, & longe ab Urbe receſſit; & tamdem concordia facta fuit inter ipſos, & prœlia ceſſaverunt.

1228.

D. Stephanus Badoarius de Venetiis Poteſtas Paduæ. Eo tempore obiit Dominus Jordanus Epiſcopus Paduanus circa Feſtum Sancti Profdocimi; & Abbas Arnaldus Sanctæ Juſtinæ habita occaſione a Communi Paduæ fecit fieri foſſatum juxta Monaſterium, in cujus capite facta fuerunt molendina Monaſterii.

1229.

D. Johannes Dandulo de Venetiis Poteſtas Paduæ. Eo tempore venit Paduam Beatus Antonius de Ordine Sancti Franciſci.

1230.

D. Stephanus Badoarius de Venetiis Poteſtas Paduæ.

1231.

D. Gumbertus de Lucino de Como Poteſtas Paduæ. Eo tempore in Monaſterio de Cella de Padua Beatus Antonius de Ordine Minorum migravit ad Dominum die XIII. Junii; per quem Deus fecit multa miracula, & canonizatus fuit Menſe Madii proximo ſequenti. Et mediantibus Rectoribus Lombardiæ, & maxime Paduanis, liberati fuerunt Comes Veronæ, & amici ejus de carceribus; & ad petitionem Henrici filii Imperatoris Frederici Secundi, Mediolanenſes, & alii inobedientes Imperio, miſerunt Legatos ad eum in Alemanniam, & cum ipſo contra Imperatorem fecerunt ſocietatem; conceperat enim ipſe Henricus Alemanniæ Rex dolum, & peperit iniquitatem contra proprium Genitorem, eo quod videbat Patrem diligere plus eo Conradum puerum.

1232.

D. Beraldus de Rivolis de Pergamo Poteſtas Paduæ. Eo tempore Fredericus Imperator die XI. Martii volens de Apulia in Iſtriam navigare, vi ventorum venit Venetias, & inde tranſivit in Forum Julii; ubi compoſitionem fecit cum Ezelino in damnum Marchionis, & Comitis Sancti Bonifacii. Tranſienſque in Alemanniam, dictum filium ſuum captum in Apuliam miſit, & carceravit, & cuſtodiri fecit uſque in diem mortis; eo quod contra eum fuerit confœderatus cum Lombardis. Et Paduanus exercitus ivit ad Anoalem, & ipſum obſedit, donec redditum fuit Poteſtati Paduæ, eo quod illi de Anoale fecerunt damnum in Paduanum Diſtrictum.

A

1233.

D. Ardizonus de Avogariis de Vercellis Poteſtas Paduæ. Eo tempore Frater Johannes de Ordine Prædicatorum in tanta reverentia fuit in tota Lombardia, quod juſſu ejus Paduani, Veronenſes, Brixienſes, & Mantuani cum Carrociis, & aliæ multæ Civitates in Campanea Veronenſi convenerunt in die Sancti Auguſtini, & ibi ſententias ſuper quibuſdam quæſtionibus coram Populis autorizabiliter promulgavit. Sed cito ejus potentia ſpiravit, & fama; nam quaſi poſt unum Menſem quicquid ordinaverat, ad nihilum eſt deductum. Dixerat autem, & ſententiaverat, quod Ezelinus, & Albricus de Romano fratres deberent facere

B

re datam Communi Paduæ de poſſeſſionibus ſuis, quas ibidem habebant, recipiendo pro eis Libras XXV. millia; & quod forent Cives Paduani; & quod Raynaldus filius Domini Azonis Marchionis de Eſte deberet accipere Adeleitam filiam Alberici de Romano in ſuam uxorem. Et tunc Dominus Marinus Dandulus de Venetiis Poteſtas Tervixii, eundo per Argerem ad Caſtrum de Meſtre, juſſu Domini Guezili de Camino lancea a quodam transfixus mortuus de equo cecidit. Et die . . . . . . Februarii Frater Jordanus Magiſter totius Ordinis Fratrum Prædicatorum vita laudabilis, & ſcientia, qui iverat ultra Mare ad prædicandum Saracenis, migravit in portu Maris. Et Beatus

C

tus Dominicus Ordinis Prædicatorum canonizzatus fuit per Gregorium IX. ſummum Pontificem.

1234

D. Otto de Mandello de Mediolano Poteſtas Paduæ. Eo tempore exercitus Paduanus ivit Baxianum, Muxolentum, ad Sanctum Zenonem, ad Romanum, ad Caſtrum Fontis, quod acceperat Ezelinus in cambium pro Treville; deinde ad Aſlum, & per territoria illorum de Romano, eundo per totum Tervixinum Diſtrictum uſque ad Flumen Plavis, deſtruendo Meſtrum præter Caſtrum. Et tunc Paduani miſerunt Henricum Paradiſum de Padua pro Poteſtate ad Caſtrum Coneglani. Et Tyſo de

D

Campo Sancti Petri amicus Marchionis, & inimicus Ezelini obiit. Et fuit hyems aſperrima, ita quod vineæ, olivæ, & communiter omnes Arbores fructiferæ perierunt. Et fuit etiam peſtis Gallinarum, & omnium generum beſtiarum. Et fuerunt Aquæ adeò omnes congelatæ, quod omnes tam equites, quam pedites, poterant ire Venetias. Et Tervіſini cum Ezelino ceperunt violenter Caſtrum Camini, & vinctos duxerunt Dominum Guezilum, & illos, qui erant in Caſtro, & in Tervіſii carceribus poſuerunt. Et Andreas Rex Hungariæ duxit uxorem Beatricem filiam Aldrevandini Marchionis de Eſt. Et die IIII. exeunte Majo Mantuani, Brixienſes, & Bononienſes cum

E

Carrociis iverunt cum exercitu ad Piſcheriam, & deſtruxerunt Zeveum Oppidum, & omnes alias Villas Veronenſis Diſtrictus a Valezo infra.

1235

D. Otto de Mandello prædictus Poteſtas Paduæ. Eo tempore Paduani fecerunt pacem cum Tervixinis. Et die quinto Aprilis Comes Rizardus fecit pacem cum Monteclis. & die primo Octobris obiit Andreas Ungariæ Rex.

1236.

D. Rambertus de Gisleriis de Bononia Poteſtas Paduæ. Eo tempore mortuo Andrea Rege Ungariæ, & regnante Bela filio ejus pro eo

eo, Imperator ſuos Legatos ad eum miſit. Et tunc Beatrix Regina prægnans timore crudelis privigni, qui faciebat eam diligenter cuſtodiri, in habitu virili, & in ſocietate dictorum Legatorum latenter in Alemanniam ad Terram Columbæ confugit; deinde ad Civitatem Vordæ de Ducatu Kiapi ibidem filium peperit, quem nomine Stephanum appellavit: quo nato ad paternam Domum rediit cum prole ſua. Quæ die primo Auguſti intravit Veronam, & ſtetit in domo Aleardi de Lendenaria, & deinde ivit Ferrariam. Et die VIII. exeunte Januario Comes Rizardus expulſus fuit de Verona cum amicis ſuis. Et Imperator Fredericus ad requiſitionem Ezelini venit Tridentum, & deinde Menſe Februarii intravit Veronam, & poſtea tranſivit flumen Menci, & devaſtavit Gazum, & Marclariam. Et ivit Brixiam per Mantuanam, omnia devaſtando; & deinde Cremonam, & ibi manſit per totum Menſem Octobris. Et die X. exeunte Martio Philippus quondam Bondiei de Grippis dedit Comiti Rizardo Caſtrum Caſtiani. Et die III. Aprilis pars Comitis Rizardi cum cuſtodibus partis Monteclorum, furtive cepit Caſtrum Gardæ. Et Imperator die XVI. Menſis Maji miſit quingentos Milites Ezelino, qui deſtruxit Villas Mantuanorum; & die VII. cepit Bagnolum, & deſtruxit; & multos cepit ibidem exiſtentes. Et die VIII. exeunte Junio Ezelinus cepit Caſtrum Caldejæ cum Theotonicis, & Veronenſibus. Et die XV. Auguſti Fredericus venit de Alemannia cum Duce Saxoniæ, Archiepiſcopo Maguntiæ, & aliis multis, & ivit Cremonam die exeunte ſeptimo. Et Paduani, & Terviſini cum ſuis Carrociis, & Vicentini cum eis deſtruxerunt Caſtrum Bonaygi, & fixerunt tentorea die X. Octobris apud Rivoltam, & ibi ſteterunt per totum Menſem Octobris; & Mantuani cum quingentis militibus ex altera parte Veronæ die V. exeunte Octubri ceperunt Bovariam, Inſulam Comitis, Zevium, & multas Villas, & Ezelinus obvius Paduam erat in . . . . ex altera parte Aticis, & ſtetit donec placuit, & poſtea receſſit. Et Imperator viſis literis Ezelini de Romano movit ſe die penultimo Octobris, & in die illa & nocte venit Vicentiam, & illam habuit, & combuſſit. Et tunc quidam Theutonicus de nobilioribus & melioribus Alemanniæ cum vellet cum ſuis violare Dominas de Vicentia, & juſſu Ezelini non vellet deſiſtere, dictus Ezelinus illum interfecit cum enſe. Et his peractis Paduani, & Terviſini cum eſſent Rivoltam cum Marchione, & ſuis Carrociis timore Imperatoris redierunt Paduam in die Omnium Sanctorum. Et Imperator dimiſſo Gulielmo de Vicedominis pro Poteſtate Vicentiæ loco ſui, cum exercitu venit in Epiſcopatum Paduæ die XV. Novembris, & devaſtavit Carturium; deinde ad Cittadellam, & poſtea ad Caſtrum Franchum, & ibi ſtetit per diem & noctem; deinde ivit Terviſium, & ibi ſedit per plures dies juxta Fontanellam, exiſtente ibidem Petro Teupolo pro Poteſtate. Et Paduani miſerunt ducentos equites Tervixium, & Imperator dimiſſo Ezelino Vicentiam ivit ad Plavim, deinde ad Aquilegiam per Forum Julii, & Carentanam, & feſtinanter in Alemanniam, & ibi cepit filium ſuum Henricum, & captum miſit in Apuliam, & ibi mortuus eſt, cum ipſe foret electus Longobardorum Rex contra Patrem. Et Menſe Decembris circa feſtum Nativitatis electi fuerunt XVI. Poteſtates, quatuor pro uno quoque Quarterio; medietas quorum erat pro parte Ezelini, altera pro parte Marchionis. Videlicet Domini Ubertus de Daleſmaninis, Marſilius de Gualperto, Nicolaus de Lucio, Artuſinus de Daleſmaninis, Albertus de Ponte, Oſteſanus, Albertinus de Caſtronovo, & Matthæus Vitaliani; Ugolinus Advogarius, Henricus Forzatè, Traverſius del Saza, Bonifacius deSintilla, Comes Schinella, Ugo a Vado, Comes Tyſo, & Jacobus de Carraria. Et miſſi fuerunt ducenti milites ad Carturiam. Tamdem cum iſti XVI. male facerent, D. Rambertus de Giſleriis poteſtas Paduæ præcepit eis, ut irent Venetias, & ibi ſtarent ad ejus voluntatem; excepto Artuſino de Daleſmaninis, qui juſſu Poteſtatis remanſit, ut conſuleret in conſulto Communi. Et tunc licentiatus fuit dictus Dominus Rambertus, & fuit electus Dominus Marinus Baduarius de Venetiis in Poteſtatem & Rectorem Communis Paduæ; & prædicti omnes fuerunt inobedientes, & iverunt ad ſuas Villas & Caſtra; excepto Domino Comite Schinella, qui bene ivit, & ſe præſentavit in Venetiis, & dicto Domino Artuſino, qui remanſit de conſenſu Domini Poteſtatis.

1237.

D. Marinus de Venetiis Poteſtas Paduæ, & intravit Regimen die XVIIII. Februarii. Eo tempore Comes Gaboardus de Saxonia cum Ezelino de Romano exiens de Vicentia per confinia Royolonis, & Monteclare Montis Rubei, Montagnonis ad vadum fluminis Terræ duræ in crepuſculo diei pervenit Carturiam, & hoſtiliter pugnans cepit ducentos milites per Paduanos ibidem miſſos per XVI. Poteſtates, & captos duxit ad Montem Silicem. Poſt hæc D. Marinus Poteſtas prædictus furtive receſſit cum rebus ſuis & familia die V exeunte Februario. Cum Comes Gaboardus veniſſet ea die cum Ezelino uſque Mandriam, ſequenti die data fuit Civitas Paduæ Comiti Gaboardo de Saxonia recipienti pro Imperatore, & pro Ezelino de Romano, ut Capitaneo & Conſiliario partis Imperii per majus conſilium Civitatis Paduæ, timore ne milites capti in Monte Silice occiderentur. Quidam verò dicebant, ipſam Civitatem datam fuiſſe per XVI. Poteſtates, & quando Ezelinus intravit Paduam oſculum dedit Portæ Turrixellarum, & grates dedit Comiti Gaboardo.

1238.

D. Simon Teatinus de Apulia Poteſtas Paduæ pro Imperatore Frederico Secundo, & juravit regimen die IIII. exeunte Februario. Eo tempore CC. Milites Paduani captivati in Monteſilice, relaxati fuerunt; & Tervixini tunc ſe & ſua Albrici de Romano Dominio ſubdiderunt; & Marchio de Eſt Nuntiis Imperatoris ſe ſubjecit; & D. Jordanus Forzatè Prior Sancti Benedicti captus fuit & Saracenis cuſtodiendus datus eſt, qui ab Imperatore relaxatus, & datus eſt Patriarchæ Bertoldo, & ſtetit in quodam Monaſterio collocatus; deinde veniens Venetias ibi defunctus eſt. Et Arnaldus Abbas Sanctæ Juſtinæ timens capi ab Ezelino fugit, & latuit uſque ad adventum Imperatoris in Lombardiam, ad quem ivit, & duobus Menſibus ejus Curiam fuit ſecutus.

1239.

D. Aldevrandinus Cazaconte de Senis Poteſtas Paduæ. Eo tempore prædictus Comes Gaboardus de Saxonia reſtituit Abbatem Arnaldum

naldum in ſuo Monaſterio, remotis Procuratoribus ibi poſitis per Ezelinum. Et circa medium Menſem Julii Imperator obſedit Brixiam uſque per totum Menſem Septembris, & Civibus viriliter ſe defendentibus confuſus inde receſſit. Et Ezelinus fugato tunc Marchione de finibus Marchiæ obſedit Montagnanam, quam habere non potuit. Et paulo poſt Marchio reſumtis viribus occupavit Eſt, & fortiter munivit; & nunc iterum venit Paduam armata manu cum ſuis Amicis in Prato Vallis, ſed inordinatè reverſus fuit, fugatus per Ezelinum de Romano.

1240.

D. Thebaldus Franciſcus de Apulia Poteſtas Paduæ per Imperatorem conſtitutus. Cum Imperator intraſſet Paduam de menſe Januarii in die Converſionis Sancti Pauli, ſtetit in Monaſterio Sanctæ Juſtinæ a Dominica ..... Quadrageſimæ uſque ad dies XV. poſt Paſcha; cui D. Arnaldus pulchra & magna dona fecit, & etiam Petro de la Vigna, & aliis Proceribus Imperatoris exenia donavit; & Imperatricem filiam Regis Angliæ cum ſua Curia Noëntæ reſidentem, pulchris honoravit exeniis. Et in Dominica Olivarum Papa Gregorius publice excommunicavit Imperatorem. Quare Imperator convocata concione in Palatio Paduano per os Petri de Vinea querelam fecit de ſævitiè Papæ. Et Guecellus de Camino, & Albricus de Romano confœderati Tervixium intraverunt, expulſo Jacobo de Mota, ibi reſidente pro Imperatore. Imperator namque ſequens in omnibus conſilium Ezelini, Marchioni & aliis Proceribus ſemper bona promittebat, tamen eis male faciendo. Nam inter alios obſides acceptos de Padua Raynaldum unicum filium Marchionis mittit in Apuliam, & Adeleitam filiam unicam Albrici de Romano, quæ matrimonium contraxerat cum dicto Raynaldo, ſuggeſtione dicti Ezelini accepit. Et circa Paſcha obiit Dominus Jacobus Epiſcopus Paduanus, & menſe Maji Imperator cum exercitu & Carrocio Paduano pluribus diebus obſedit Caſtrumfrancum, quod obtinere non potuit; ſed per Privilegium cum Bulla aurea donavit Paduanis ipſum Caſtrum, & quicquid territorii eſt citra fluvium Sileris uſque ad mare. Et die III. Junii circa meridiem fuit eclipſis Solis. Et eodem menſe Azo Marchio cum ſuis amicis de comitiva Imperatoris receſſerunt. Tunc verò Imperator relicto dicto D. Thebaldo Poteſtate Paduæ, & ſuo Vicario in Marchia, ſic tamen ut uteretur conſilio Ezelini, tranſiens cum exercitu in Lombardiam, quædam Caſtra Bononienſium devaſtavit, & inde in Apuliam ſe contulit.

1241.

D. Thebaldus prædictus Poteſtas Paduæ. Eo tempore circa feſtum Sancti Pauli Cometes apparuit versùs Occidens, & vir magnanimus Philippus Epiſcopus Ferrarienſis rebellis contra Salinguerram pro Eccleſia, Bragantinum & Bondenum viriliter occupavit, & Veneti cum magno exercitu, Bononienſes, Mantuani, & multi milites Mediolanenſes cum Domino Gregorio de Montelongo Apoſtolicæ Sedis Legato, obſederunt Ferrariam in auxilium Marchionis, quam ſub doloſa ſpecie compoſitionis poſt quatuor menſes, capto Salinguerra quaſi decrepito, & ducto in cuſtodiam Venetorum, uſque dum vixit, per D. Jacobum Teopolum Ducem Venetiarum obtinuerunt. Et menſe Auguſti ſequenti audiens Imperator, Paulum

A Traverſarium amicum Marchionis intimum eſſe mortuum, veniens de Apulia cum exercitu obſedit, & cepit Ravennam; deinde obſedit Faventiam per octo menſes. Et prædictus Poteſtas cepit Dominum Jacobum de Carraria in Caſtro Agnæ, & Ugolinum Advocatum in Caſtro Brentæ, & illos decapitari fecit in foro publico, ubi venditur bladum, tanquam proditores perfidiſſimos.

1242.

D. Thebaldus prædictus Poteſtas Paduæ. Eo tempore Imperator obtinuit Faventiam per longam obſidionem. Et Piſani tempore æſtivo ceperunt duos Cardinales, & multos Prælatos euntes Romam ad Papam per mare Tyrrhenum B in navibus Januenſium; & modicum poſt obiit Papa Gregorius Nonus; vacanteque Sede multis diebus, tamdem electus fuit Papa Cœleſtinus de Mediolano, qui vixit diebus XVIII., & non pluribus: Et gens effera Tartarorum totam Ungariam devaſtavit. Unde Rex Bela vix effugiens, applicuit ad maritima Sclavoniæ.

1243.

D. Galvanus Lanza de Apulia Poteſtas Paduæ. Eo tempore Cardinales poſt multa conſilia elegerunt in Papam Dominum Innocentium Quartum natione Januenſem de Comitibus Lavaniæ, qui vocabatur Sinibaldus, & erat tunc Cardinalis. Hic fere quæſivit duobus annis C habere pacem cum Imperatore, ut finem guerris imponeret: quod Imperator recuſavit, videns ſe quaſi totam Italiam poſſidere; intendens penitus Clericorum peſſimam ſuperbiam refrenare. Et menſe Martii Dei judicio Montagnana concremata eſt; quod audiens Ezelinus, & ſubito veniens, eam occupavit. Et menſe Junii fuit exercitus Paduanus ad Pontem Plavis cum Ezelino, & die XVI. Septembris Ezelinus cum exercitu ivit ad Eſt, & devaſtavit eam præter Rocham; & tranſiens per ramum Ulmi devaſtavit vites & arbores uſque ad Baonem; & combuſſit Burgum, unde itur Cinctum; & deſtruxit Terram, unde itur Montagnanam, & rediit. Et tunc inceptum D fuit Caſtrum Sancti Thomaſii de Padua. Et de menſe Auguſti Leonardus Quirinus, & filius Jacobi Teopoli Ducis Venetiarum cum LX. Galeis iverunt ad Civitatem Polæ, & eam ceperunt; deinde iverunt Duracium, & redeuntes acceperunt omnes divitias Polæ, & Civitatem combuſſerunt. Et eo anno valuit frumentum in Padua XX. Solidos, & plus: quod reputatum fuit maxima cariſtia.

1244.

D. Galvanus Lanza prædictus Poteſtas Paduæ, & Vicarius in Marchia Terviſina pro Imperatore. Eo tempore facta fuit repræſentatio Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti in Prato Vallis in feſto Paſchatis; & Caſtrum Sancti E Bonifatii a Veronenſibus fuit deſtructum. Et Comes de Panego Civis Veronenſis fuit in Padua decollatus, & multi alii Prælati accuſati de proditione Veronæ diverſis tormentorum generibus ab Ezelino fuerunt interfecti. Qui tunc ſumſit audaciam, & rabiem homines occidendi, & Caſtrum Hoſtiliæ a Mantuanis fundatum, fuit deſtructum. Et die V. Julii ſub Jacobo Teopolo Duce Venetorum Raynerius Zeno Capitaneus Galearum Venetorum violenter cepit Jadram.

1245.

D. Guizardus de Realdeſco de Brixia Poteſtas Paduæ. Eo tempore circa feſtum Sancti Johan-

Johannis Baptiſtæ Papa videns ſe deluſum ab Imperatore, finxit ſe velle habere colloquium cum Auguſta, latenterque apud Urbem Veterem Galeam intrans Januam profectus eſt, & tranſiens in Galliam per terras Comitis Savojæ properando, circa feſtum Sancti Lucæ in Lugduno congregavit Concilium generale. Et Ezelinus ivit Veronam, & ibidem ſtetit per unum annum, & ultra.

D. Guizardus prædictus Poteſtas Paduæ. Eo tempore circa feſtum Sancti Johannis Baptiſtæ factum fuit Concilium generale Lugduni, ad quod citatus Imperator ire contempſit; unde propter ejus contumaciam & offenſam, de conſenſu totius Concilii depoſitus fuit per ſententiam ipſius Papæ. Et tunc veniens cum ſuo filio Conrado Veronam, & cum aliis Principibus, & Baronibus Alemanniæ, & Lombardiæ etiam partibus ei faventibus, ibi ſolemne Concilium celebravit; quo facto ſimulans ſe velle ire ad Concilium cum Conrado filio ſuo ivit uſque ad Taurinum, ubi primo audivit contra ſe fore latam ſententiam. Revertenteſque Cremonam, ibique Imperii negotiis ordinatis ivit in Apuliam, & Conradus ejus filius ivit in Alemanniam. Et Papa tunc miſit Legatos in Alemanniam, monendo Principes habentes vocem eligendi Regem Romanorum, quod aliquem excellentem virum eligerent. Qui convenientes elegerunt Lantgravium Ducem de Turingia aſſentientem electioni, & ſuſcipientem contra potentiſſimum Fredericum Imperatorem alacriter & audacter Regni Alemanniæ Diadema. Et die VIII. exeunte Julio quædam Stella ardens & ignea viſa eſt in Veſperis ante Solis occaſum conſurgere ab Oriente, & volans quaſi ſcindendo Cœlum concurrere ad partes Occidentales. Et Guillielmus de Campo Sancti Petri furtive cepit Caſtrum Franchum, & militem ibi exiſtentem pro Alberico de Romano Poteſtate vulneravit cum ſuis; & die Veneris primo Julii captus fuit Pons Plavis.

1246.

D. Guizardus prædictus Poteſtas Paduæ, qui non complevit Regimen. Eo tempore Lantgravius Rex Alemanniæ; congregato exercitu contra Conradum filium Frederici Imperatoris eum delevit, quem niſi Dux Bavariæ immemor patris ſui a Frederico interfecti ſuſcepiſſet, mortem non evaſiſſet. In quo bello fuit Philippus Epiſcopus Ferrarienſis tunc Apoſtolicæ Sedis Legatus.

1247.

D. Guezeli de Prata Poteſtas Paduæ, & juravit Regimen ultimo die Maji. Eo tempore menſe Februarii Johannes de Stavarola captus pro proditione Veronæ, & ductus ante tribunal Domini Henrici de Hygna Poteſtatis Veronæ filii ſororis Ezelini, & audiens ſub ipſo Henrico, quod impoſſibile erat ipſum evadere, ſtatim latenter accepit cultellum, & ſubito percuſſit ter in caput dicti Henrici, qui obiit circa dies XIII. poſt prædictas percuſſiones. Satellites ſtatim dictum Johannem occiderunt de mandato Jacobini Comitis de Schinellis. Et Imperator de menſe Maji veniens de Apulia in Lombardiam cum maximo apparatu ivit verſus Taurinum, & Rex Hentius ejus filius naturalis cum exercitu Cremonenſium obſedit Quintianam Caſtrum Brixiæ, & quodam die Dominico circa medium Junii interfecto Vicario Imperatoris Parma rediit ad partem Eccleſiæ, per exercitum Bernardi Rubei de Parma compatris Imperatoris. In favore autem Parmenſium erat Gregorius de Montelongo Apoſtolicæ Sedis Legatus, Marchio Eſtenſis, Comes Sancti Bonifacii cum Mantuanis, Biachinus de Camino, & Albricus de Romano. Et Imperator cum eſſet Cremonæ, cum exercitu obſedit Parmam. & die VI. exeunte Junio Ezelino eunte in ſervitio Imperatoris cum quingentis militibus in Villa Gazolti Marchio de Eſt cum Mantuanis obviavit, ſed nihil ei nocuit; immo Ezelinus ivit, & cepit Briſellum, & Guaſtallam; poſtmodum acceſſit ad Imperatorem, & ibidem ſtetit, donec placuit Imperatori. Et de menſe Julii cum Rege Hentio filio naturali Imperatoris cum quingentis militibus Ezelinus ivit Regium, & vicit Comitem Veronæ, & Parmenſes exiſtentes ibidem cum MD. militibus. Et Imperator aliam Civitatem nomine Victoriam in contrarium Parmæ ante portas Civitatis ædificavit. Et de menſe Auguſti viſa fuit quædam Stella cadere de partibus Septemtrionis. Et Lantgravius Dux Turingiæ, & Rex Alemanniæ obiit, electus Imperator poſt excommunicationem, ſive depoſitionem Frederici Secundi Imperatoris.

1248.

D. Guezeli de Prata Poteſtas Paduæ. Eo tempore Papa Innocentius mittens Legatum in Alemanniam mandavit Principibus habentibus vocem Electionis, quod eligerent novum Regem & idoneum. Unde ipſi elegerunt Guilielmum Comitem de Holandia in Regem Alemanniæ, & futurum Imperatorem. Et die VI. Madii Rex Hentius filius naturalis Frederici Imperatoris captus fuit in bello a Bononienſibus, & ductus Bononiam, & ibidem vitam in vinculis terminavit. Et Ludovicus Rex Franciæ transfretavit, ſed habuit lætum principium, & triſtem exitum, lucrando Terram Sanctam. Cepit Damiatam, & poſtea fuit captus, & Deo volente reſtitutus.

1249.

D. Guezeli de Prata Poteſtas Paduæ, & non finivit Poteſtariam. Anxediſius de Guidonis de Tervixio incepit ſuam Poteſtariam de menſe Auguſti. Eo tempore die X. exeunte Junio Ezelinus habuit Caſtrum Montisſilicis, exiſtente quodam de Apulia Capitaneo ipſius Loci pro Imperatore, cum homines dicti Loci juſſu Ezelini iviſſent invadere Solexinum hora mediæ noctis, & in veſperis rediiſſent. Et menſe Julii Ezelinus carceravit Gumbertum Artuxinellum, & Ubertellum fratres quondam Jacobi de Daleſmaninis occaſione proditionis, quam fecerat Ferrariæ, eorum ſoror Palmeria uxor quondam Marchionis de Cavalcabò de Cremona, cui Ezelinus conceſſerat ſuum Caſtrum nomine Monteſauro in ipſius Dominæ cuſtodia, & Matthæi Judicis Ugonis de Almerode de Padua, quem jamdiu fratres miſerant pro Capitaneo dicti Caſtri, & dicta Domina Palmeria, unà cum dicto Capitaneo dediſſent dictum Caſtrum Rizardo Comiti Sancti Bonifacii, pro eo quod dictus Comes juraverat in uxorem accipere Palmeriam prædictam, & fratres prædictæ Dominæ fuiſſent conſcii dicti matrimonii, quamvis ipſum matrimonium effectum aliquem non habuerit. Et tunc cum præfatus Matthæus veniſſet Paduam, & fugere vellet Venetias, captus fuit in Villa Stratæ, & tormentatus manifeſtavit totum factum proditionis Caſtri, & literas, quas ipſa Domina Palmeria miſerat ſuis fratribus antedictis, propter quod fuit decapitatus in platea Communis Paduæ.

1250.

1250

D. Anxediſius de Guidonis de Tervixio filius ſororis Ez lini , Vicarius Generalis pro Imperatore in Marchia Terviſina a flumine Lolii uſque Tridentum , & Poteſtas Paduæ , intravit , & juravit Poteſtariam Paduæ menſe Auguſti . Eo tempore Ludovicus Rex Francorum cum ſuo exercitu properans verſus Babiloniam a Saracenis concluſus , ut neque procedere , neque retrocedere valeret, Soldano ſe tradidit, amiſſo primò in bello Comite Ruberto fratre ſuo cum Magiſtro Templi , & maxima militum quantitate , & pro ſua redemtione Damiatam reddidit Soldano in Syriam rediens, & prius reædificatâ Cæſareâ Palæſtinæ rediit in Franciam cum ignominia ſuæ gentis & Populi Chriſtiani . Conſiderans verò Soldanus tam præterita , quam futura , Damiatam funditus fecit everti , ne de cetero eſſet receptaculum prœliorum .

1251.

D. Anxediſius Poteſtas Paduæ . Eo tempore Innocentius Papa , mortuo Federico , & ordinatis factis Alemanniæ cum Principibus, exiens de Lugduno venit Januam , cui occurrerunt omnes Magnates Lombardiæ : deinde venit Mediolanum, & recuperata Civitate Laudenſi, per Lombardiam tranſiens ivit Peruſium , & tunc Populus Placentinus cæco furore contra ſuos milites concitatus auxilium Cremonenſium imploravit, expulſiſque militibus Ubertum Pelavicinum in ſuum Dominum & Rectorem elegerunt . Et Conradus filius Frederici Imperatoris de Alemannia veniens Veronam de menſe Decembris , cum auxilio Ezelini mare intravit in Portu Liteſanæ , & navigans in Apuliam , eam cum Inſula Siciliæ ſibi ſubjugavit . Et Raynaldus filius Marchionis de Eſt obiit in Apulia , quem Imperator pro obſide tenebat , relictis uno ſuo filio Obizone , & una filia Conſtantia, quos habuit de quadam Domicella Nobili de Apulia , dum in carcere curialiter teneretur ; & Marchio procuravit dictos ſuos Nepotes de Apulia ſibi deferri , & legitimos fieri per Papam , & per Guilelmum Romanorum Regem . Et capti fuerunt Domini Petrus & Johannes, fratres de Peraga fortè occaſione ſororis ſuæ Gardionelæ uxoris quondam Tyſonis de Campo Sancti Petri , quæ fuit mater Tyſonis Novelli, ſed dicebatur potius occaſione proditionis . Et Ezelinus de Romano ivit cum exercitu verſus Mantuam, omnia deſtruendo , & poſtmodum rediit Veronam . Et Mediolanenſes in die Aſſumtionis Beatæ Virginis Civitatem Laudæ obſederunt, & de menſe Septembris eam habuerunt , & domum redierunt . Et quidam de Conſilve nomine Tavella , dum eſſet detentus in Sala Poteſtatis , volens fugere , ſe per feneſtram projecit in terram , & ſtatim obiit . Et cum Jacobus de Guidonis frater Anxediſii eſſet Capitaneus Maroſticæ , occaſione proditionis decapitari fecit Gerardum Schacum de Ofredutiis ; & illa de cauſa capti fuerunt in Padua Henricus Archidiaconus & Canonicus Paduanus , Henricus Abbas Carraria, & multi alii ; & tunc factus fuit mortalis carcer in Cittadella nominatus *la Malta* , in quo poſiti fuerunt milites circa LXX. ſine compedibus , & cum compedibus circa centum & quinque .

1252.

D. Anxedius prædictus Poteſtas Paduæ . Eo tempore Dominus Gregorius de Montelongo ordinatus fuit Patriarcha Aquilegienſis a Papa Innocentio , & intravit Patriarchatum de menſe Januarii ; & ſequenti menſe Februarii obiit Rizardus Comes Sancti Bonifacii in Brixia , ibique honorificè ſepultus per Brixianos, & ei ſucceſſit ejus filius Ludovicus .

1253.

D. Anxediſius prædictus Poteſtas Paduæ. Eo tempore menſe Februarii. Quidam nuntius Fratris Albertini de Ordine Minorum accepit epiſtolam Otti Vulpi Notarii , in qua continebatur quod Frater Otto de Ordine Minorum erat electus Epiſcopus in partibus Romaniæ , & quod guerra non duraret tribus annis, & quod Ezelinus erit mortuus cum ſuis, ideo ſibi provideat . Quam literam Ziramons habuit , & fratri ſuo Ezelino detulit ; qui cum ſciret veritatem , ſtatim dictum Ottonem detineri fecit cum omnibus ſuis amicis , & illos mori fecit ; & multos alios capi fecit, inter quos fuit quidam Proſdocimus Notarius de Cavo , & miſſus Cittadellam , in cujus domo inventa fuit quædam caldaria plena Ducatorum Venetorum groſſorum , & erat capax bene duorum Stariorum , & ultra . Et Ubertus a Vado tractus fuit per totam Terram Veronæ , & poſtea combuſtus , & multi Fratres Minores , Eremitæ , & Prædicatores , & alii ſimiliter fuerunt capti , & horribiliter cruciati .

1254.

D. Anxediſius prædictus Poteſtas Paduæ . Eo tempore obiit Rex Conradus pater Conradini, & filius Frederici Imperatoris in Apulia XII. exeunte Madio, & Innocentius Papa in manu valida hoſtium intrans Apuliam ſedit in Neapolim , ad quem Principes omnes Apuliæ , & Manfredus filius naturalis quondam Frederici Princeps Taranti venientes , eidem Papæ ſubjectionem cum reverentia obtulerunt . Sed in tanto potentiæ culmine dictus Papa ibidem migravit X. Decembris , cui ſucceſſit Alexander Quartus Epiſcopus Oſtienſis . Et tunc factæ ſunt magnæ ſtrages hominum per Ezelinum de Romano , ſeu ejus juſſu in Padua , Vicentia , & Verona . Et prædictus Manfredus dominium Apoſtolicæ Sedis impatiens, ægrotante Innocentio Papa rebellis effectus magnam ſtragem de militibus Eccleſiæ apud Fozim fecit , & deinde audacter viribus fretus recuperavit Terras Apuliæ . Alexander verò Papa exiens de Neapoli cum ſuo exercitu ad partes Capuæ properavit . Sed Manfredus verſutiis , armis, & muneribus ita exercitum debellavit , donec de Regno turpiter exire coëgit ; ſicque totius Regni obtinuit Principatum ; ita quod Papa Anno primo ſui Pontificatus dimiſit Regnum , & venit Ananiam ; & ſic dictus Manfredus occupavit univerſum Regnum , tamquam Vicarius Conradini nepotis ſui . Qui etiam Manfredus poſt paucos ſui Vicariatus annos confidens, & putans dictum Conradinum mortuum, fecit ſe in Regem Siciliæ coronari ; & ſic uſurpato Regno , & Regis nomine excommunicatur a dicto Papa , qui etiam miſit exercitum contra eum , ſed nihil profecit . Et Conradinus poſt pauca tempora videns malitiam ipſius Manfredi , miſit Ambaxiatores ſolemnes ad Papam cum literis Magnatum de Alemannia , ſuis & ipſius Conradini ſigillis pendentibus , quæ ſtrenuè fuerunt præſentatæ ante fores Beatæ Mariæ de Anania , exiſtente Papa in ſolemnitate , in quibus perhibebatur teſtimonium , quod dictus Conradinus vivebat , tunc nihil penitus profuturum eidem . Hic Papa canonizavit Ananiæ Sanctam Claram , quæ fuit Ordi-

Ordinis Beati Franciſci . Hujus tempore Principes Alemanniæ Electores elegerunt in diſcordia Imperatorem ; alii Alphonſum Regem Caſtellæ , quidam Richardum fratrem Henrici Regis Angliæ ditiſſimum Comitem Cornubiæ. Et cum Alphonſus Rex Caſtellæ ſuam electionem proſequeretur in Romana Curia , dictus Comes Richardus ſimiliter ſuam ibidem proſequens , intravit Alemanniam , ubi apud Aquiſgrani de Capella fuit ab Archiepiſcopo Colonienſi diademate Regio coronatus, & obtinuit Regnum Alemanniæ pro majori parte . Qui Richardus captus fuit ab Anglicis cum fratre ſuo Henrico Rege, & nepote Richardo . Hujus tempore Eccleſia Sancti Leonardi , & Eccleſia Sancti Stephani de Mantua fuerunt conſecratæ .

1 2 5 5.

D. Anxediſius Poteſtas Paduæ , de qua fuit expulſus in menſe Junii Anni ſequentis die XX. per Legatum Romanæ Eccleſiæ , & Paduanos Extrinſecos fugiens de Padua cum damno & vituperio ad Civitatem Vicentiæ , deinde Veronam , ſe præſentavit avunculo ſuo Ezelino , qui eum in carceribus juſſit poni , & ibi deceſſit ante annum . Eo tempore circa principium Aprilis Tridentini debellaverunt Ezelinum , ad quos expugnandos miſit exercitum per Vallem Suganam deſtruentem omnes Villas. Et tunc Ezelinus fratrem ſuum naturalem Ziramontem , & Ezelinum de Higna nepotem ſuum , & ſuæ ſororis filium juſſit carcerari; & Domnus Arnaldus Abbas Sanctæ Juſtinæ die X. Februarii præteriti , qui fuit primus dies Quadrageſimæ , migravit ad Dominum in carcere Aſili, ubi ſteterat vinctus annos octo, & menſes tres circa ætatis ſuæ Annum ſeptuageſimum . Fuit enim vir bonæ & magnæ famæ , & virgo , ut credebatur , & Martyr , qui ſepultus fuit in Eccleſia Sanctæ Juſtinæ de Padua in archa una in angulo a latere meridiei , ubi depictus eſt Ezelinus cum ſatellitibus ſuis. Et tunc Brixia civili diſcordiâ perturbata eſt , inſtigante Ezelino . Pars Ezelini contra Partem Eccleſiæ obtinuit . Verumtamen Ezelinum ingredi non permiſerunt , perſuadentes eidem , qui jam cum exercitu ſuo venerat ad Montem Clarum , quod Veronam rediret , & Griſonellum Civem ſuum Patriæ amatorem ad Brixiæ regimen elegerunt . Et menſe Maji ſequentis Ezelinus Bontraverſium ſocerum ſuum cum maſnadis capi fecit , & in carcere mori coëgit . Eodem tempore prædicata fuit Crux contra Ezelinum per Dominum Philippum Archiepiſcopum Ravennæ tunc Apoſtolicæ Sedis Legatum .

1 2 5 6.

D. Marcus Quirinus de Venetiis Poteſtas Paduæ electus per Paduanos Extrinſecos in exercitu intravit Civitatem Paduæ , & juravit ſuum regimen die Martis XX. Junii . Eo tempore Alexander Papa commiſit Legationis officium in Marchia & Lombardia contra Ezelinum Domino Philippo Archiepiſcopo de Ravenna , qui Crucem fecit prædicari contra eum , & congregavit exercitum de Marchianis exulibus , & Baliſtreriis cum navibus Venetorum , & quingentis peditibus Ferrariæ .

1 2 5 7.

D. Johannes Badoarius de Venetiis Poteſtas Paduæ . Eo tempore Brixienſes reconciliati fuerunt ad partem Eccleſiæ , mediante Fratre Heverardo Ordinis Prædicatorum , de quo turbati fuerunt Ezelinus , & Pelavicinus . Et

A tunc etiam Papienſes primo, & deinde Placentini jugum Pelavicini a ſuis cervicibus excuſſerunt . Tunc ſuadente provido viro Boxone de Dovaria Cive Cremonenſi , relicto Ezelino, a quo ſæpe offenſi fuerunt , Eſtenſi Marchioni confœderantur , & tunc implacabilis Mediolanenſium , & Cremonenſium diſcordia ſedata eſt .

1 2 5 8.

D. Matthæus de Corrigia de Parma Poteſtas Paduæ . Eo tempore inceptus fuit murus ſpaldi a Saraxiniſco , & die III. exeunte Julio milites Paduani in campeſtribus Baxiani Theotonicos equites Ezelini viriliter debellaverunt , de quibus magnam prædam habuerunt; & B Veneti magnam victoriam habuerunt contra Januenſes in Civitate Acon . Et Brixienſes partis Eccleſiæ conſilio & auxilio Legati, & Marchionis , ſuos contrarios amicos Ezelini & Pelavicini poſuerunt in conflictum ; & Crema, quæ diu ſub jugo Mediolanenſium fuerat, tunc expulſa parte eorum, ad manus Cremonenſium pervenit . Eo Anno militia Mantuanorum , & Brixianorum devicti fuerunt per Dominum Ezelinum , in quo prœlio Philippus Archiepiſcopus Ravennæ tunc Apoſtolicæ Sedis Legatus cum multis Mantuanis captus fuit ab Ezelino , & ducti fuerunt in carceribus Veronæ , & tunc Civitas Brixiæ capta fuit ab Ezelino in loco Gambariæ .

C 1 2 5 9.

D. Guido de Monte Fojano de Regio Poteſtas Paduæ . Eo tempore Florentini , & Lucani miſerabilē habuerunt eventum ; nam confiſi de ſua multitudine , cum iviſſent verſus Civitatem Senenſem , & Senenſes exiviſſent ad bellum forte auxilio Manfredi Regis Siciliæ , Florentinos , & Lucanos viriliter debellaverunt , & in tantum , quod dicebatur de Florentinis , & Lucanis inter mortuos & captos pluſquam ſex millia hominum corruiſſe . Et hoc Anno captus fuit Ezelinus de Romano .

1 2 6 0.

D. Marcus Quirinus de Venetiis Poteſtas Paduæ . Eo tempore homines Marchiæ , & Lombardiæ communiter tam de die quam de D nocte , ante latis Crucibus proceſſionaliter ibant ſe verberando , Deo laudes canentes , & rogantes pacem ; & tunc magnæ inimicitiæ pacificatæ ſunt per omnes Civitates . Et quidam Nobiles Paduani , qui exſtiterant cum Ezelino poſt ipſius Civitatis captionem uſque ad ejus obitum , & conſilium dederant Ezelino , ut capi faceret omnes Paduanos , reducti fuerunt ad gratiam Communis Paduæ . Et Comes Veronenſis cum parte ſua fuit expulſus de Verona ; & Stephanus Rex Ungariæ tertius filius Regis Bellæ Regem Bohemiæ Octacharum aggreſſus fuit, habens in exercitu ſuo diverſarum Orientalium Nationum CCLX. millia equitum. E Cui Rex Octhacarus occurrit cum CLX. millibus equitum , & dicebatur habere VII. millia equorum coopertorum de ferro ad reſiſtendum cuique in confinibus Regnorum . Cumque bellum fuiſſet inchoatum , & collectione equorum & hominum , tanta pulvis de terra ſurrexit, ut media die vix homo hominem cognoſceret . Tamdem Rege Stephano vulnerato , Ungari terga verterunt , & cum fugere feſtinarent , in fluvio Recha profundiſſimo , quem tranſire credebant , præter alios occiſos, XIIII. millium hominum dicebantur fuiſſe ſubmerſi . Tunc Rex Bohemiæ habitâ victoriâ intravit Ungariam . Stephanus Rex Ungariæ pacem

pacem quærit , & Terras ablatas , quæ erant
cauſa diſcordiæ , reſtituit , & futuram amici-
tiam mediante matrimonio confirmavit . Aliter
ſcribitur , quod deinde Stephanus Rex Unga-
riæ ipſum Octhacarum Regem Bohemiæ cum
Bohemis Auſtralibus , Brandiburgenſibus , &
aliis potenter repulit , Civitatem Budæ ſibi
ſubjecit , & ſimiliter Dominum Bulgarorum .
Et hoc Anno inceptum fuit Baptiſterium in
Padua in Vigilia Sancti Martini .

1 2 6 1.

D. Johannes Badoarius de Venetiis Poteſtas
Paduæ . Eo tempore die VII. exeunte Majo
Alexander Papa Quartus obiit in Viterbio, cui
ſucceſſit Urbanus Quartus natione Gallicus ,
B qui ampliavit numerum Cardinalium , de quo-
rum numero fuit Dominus Simon de Monteſi-
lice . Et quidam Græcus Palæologus nomine ,
& Imperator Græcorum , obtinuit Conſtanti-
nopolim contra Imperatorem , & Venetos .
Manfredus filius naturalis quondam Imperato-
ris Frederici miſit Saracenorum copiam contra
Urbanum Quartum manentem apud Urbem
Veterem , qui per Cruceſignatos celeriter ex-
pulſi ſunt .

1 2 6 2.

D. Gibertus de la Gente de Parma Poteſtas
Paduæ . Eo tempore in Vigilia Omnium San-
ctorum ortum fuit incendium in domo Fratris
Gualmachi in contrata Scrignariorum , per
quod fere tota Civitas fuit combuſta , & ma-
C xime circa Sanctam Luciam . Et ſub eodem
Poteſtate in ſequenti Milleſimo in Octava Paſ-
chæ fuit translatum Corpus Beati Antonii Con-
feſſoris de Ordine Minorum . Eo tempore obiit
Azo Marchio Eſtenſis, cui ſucceſſit Obizo ejus
nepos filius quondam Raynaldi defuncti in A-
pulia , qui fuit datus obſes Imperatori Frede-
rico .

1 2 6 3.

D. Matthæus de Corrigia de Parma Poteſtas
Paduæ . Eo tempore Urbanus Papa Quartus
contulit Regnum Siciliæ Carolo Comiti Ande
gavenſi , & Provinciæ contra Manfredum
filium Frederici . Hic per Clementem Quar-
D tum Anno 1265. Romæ coronatus eſt , quo
de Marſilia cum XX. Galeis venerat . Alium
verò exercitum tranſmiſit per terram , & Se-
nator Urbis factus eſt . Leges autem regendi
Regnum juxta ſcita Regis Guilielmi ſibi tra-
ditæ ſunt . Et tunc inceptus eſt murus , ubi
prius erant tantum Spaldi verſus Occidentis
partem in Padua .

1 2 6 4.

D. Laurentius Teopolo de Venetiis Poteſtas
Paduæ . Eo tempore Urbanus Papa Quartus
Regnum Siciliæ , quod Manfredus detinebat
violenter , contulit Carolo Comiti Provinciæ
fratri Regis Franciæ Ludovici, ut a Manfredo
eriperet. Et Cometes tam notabilis apparuit ,
qualem tunc nullus vivens ante vidit : Ab O-
E riente enim cum magno fulgore ſurgens uſque
ad medium Emiſpherii noſtri exſurgens, verſus
Occidentem comam perlucidam tenebat ; &
licet in diverſis Mundi partibus diverſa ſignifi-
caverit , hoc tamen unum pro certo compor-
tum fuit , ut pluſquam per tres menſes dura-
verit . Ipſo prius apparente , Papa Urbanus
cœpit infirmari , & ea nocte , qua Papa obiit,
expiravit & Cometes .

1 2 6 5.

D. Gerardinus Longus de Venetiis Poteſtas
Paduę . Eo tempore Carolus Comes Provin-
ciæ , qui pro recuperatione Regni Siciliæ per

Papam Urbanum Quartum vocatus fuerat ,
navigio Romam venit , & ibi tunc in Senato-
rem eligitur ; deinde Apuliam intrans bello
campeſtri habito Manfredum ſibi violenter de-
tenentem Regnum , vitâ & dominio dicti Re-
gni privavit . Eo tempore deciſus fuit Domi-
nus Guilielmus del Saza de Ungarellis per Do-
minum Bartholomæum Macharuffum , qua de
cauſa magna turbatio fuit in Civitate Paduæ ;
ſed vigore Poteſtatis bene ſedata fuit ; quo-
niam cum Antianorum conſilio convocato Po-
pulo ſubito per ſonum campanæ magnæ ad
martellum , capti fuerunt homicidæ , qui e-
rant in domo magna apud Sanctam Luciam ,
& ultimo ſupplicio puniti ſunt . Tranſit ergo
Carolus per Sanctum Germanum , & Montem
Caſſinum acies dirigit in Manfredum , qui ſe
in Beneventum receperat , & oblato per Ca-
rolum bello, pugnatur utrinque in Campo flo-
rido in planitie Beneventi . Tamdem poſt pu-
gnam acerrimam pulſa acie Manfredi , ipſe
gladio occubuit .

1 2 6 6.

D. Jacopinus Rubeus de Parma Poteſtas Pa-
duæ . Eo tempore Paduani cum magno exer-
citu obſederunt Caſtrum Leonici Vicentino-
rum , detentum a Veronenſibus tenentibus di-
ctum Caſtrum bene munitum ad ſui defenſio-
nem ; & Menſe Octobris dictum Caſtrum ha-
buerunt. Et poſtea Vicentini dederunt Padua-
nis ſuæ Civitatis claves , & eorum Poteſtati ,
& ſuo dominio ſe ſubdiderunt. Et tunc Padua-
ni elegerunt Dominum Henrigetum de Capite
Vaccæ in Poteſtatem , & Rectorem Commu-
nis Vicentiæ . Et die Dominico XXIIII. Octo-
bris obiit Dominus Ubertus de Deleſmaninis .
Et die penultimo Menſis Januarii Beatus Anto-
nius Peregrinus de Padua migravit ad Domi-
num , qui jacet ante Eccleſiam Sanctæ Mariæ
de Porcilia . Et Paduani innovaverunt ſuum
Carrocium ; & obiit Dominus Tyſo de Cam-
po Sancti Petri die ultimo Menſis Januarii .

1 2 6 7.

D. Bonifacius de Canoxa de Regio Poteſtas
Paduæ .

1 2 6 8.

D. Rolandinus de Canoxa de Regio Pote-
ſtas Paduæ . Eo tempore die XXIIII. Decem-
bris multi Veronenſes audientes, quod Vicen-
tini erant apud Sanctum Bonifacium , iverunt
contra ipſos , & ceperunt de ipſis circa XXX.
& ſequenti die iverunt Rivoltam , & eam ce-
perunt . Et die IIII. Maji Veronenſes expu-
gnaverunt Villam Francham, de quibus multi
fuerunt vulnerati , & ibidem Dominus Bucha
de la Scala fuit occiſus . Carolus Rex Siciliæ ,
Ducatus Apuliæ , Principatus Capuæ , Almæ
Urbis Senator , Andegaviæ , Provinciæ , &
Folcacherii Comes miſit literas Poteſtati &
Communi Paduæ per quemdam curſorem Mar-
chionis de Eſt ; quæ latæ fuerunt in Palatio
Communis Paduæ in pleno Populo die Mercu-
rii XXIX. Menſis Auguſti , quorum tenor ta-
lis erat .

*CArolus Dei gratia Rex Siciliæ , Ducatus
Apuliæ , Principatus Capuæ , Almæ Ur-
bis Senator , Andegavii , Provinciæ , & Fol-
chacherii Comes , Poteſtati , Conſilio , & Com-
muni Paduano amicis meis ſalutem , & omne
bonum . Expectatam , & deſideratam a cunctis
Fidelibus Eccleſiæ Romanæ lætitiam vobis teno-
re præſentium intimantes , ſcire vos volumus ,
quod manu Dei , quæ noſtræ tutrix eſt , & pa-*

trona

tronâ juſtitiæ, noſtros feliciter & ſalubriter dirigente, ac proſequente, poſtquam Conradinus, & Dominus Henricus Urbis Senator complices & fautores, tam ingenti Teotonicorum, quam Lombardorum, Tuſcorumque, & Hiſpanorum exercitu congregato, Regni Noſtri finibus appropinquarunt, quærentes foramina, per quæ ſine ullo noſtrarum virium obice poſſent ingredi, ſeque conjungere Saracenis, nos eos de paſſu in paſſum per quatuor dies & noctes totidem inſequentes, & etiam perſequentes, tamdem percepto, quod dicti hoſtes per Sculculæ partes ingreſſi, ſperabant libere pertranſiti viâ rectâ deſcendere, & pervenire Sulmonam, & exinde ire Luceriam, quique inter Sculculæ, & Taucii Montes ſua infelicia caſtra locaverunt, die Mercurii XXII. Menſis Auguſti præſentis in octava Aſſumtionis Beatæ Virginis, de cujus potiſſimè ſperabamus auxilio, de pratis Ovinuli ſecus ripam lacus Fluvii, & Villam Anzanii, aciebus inſtructis, maturis greſſibus procedentes, demum ad quemdam collem prope Albam, qui per duo parva milliaria diſtabat ab hoſtibus, ex quo Pallentinus Campus ſe explicat, Deo duce pervenimus, & caſtra proſpicientes hoſtium, quia gens noſtra, & præſertim equi erant præ labore nimio fatigati, juſſimus deliberato conſilio in eodem colle caſtra noſtra defigi. Hoſtes verò videntes vexilla noſtra caſtrorum ſuorum finibus propinquare, noſtrum noſtræque gentis formidantes ingreſſum, de caſtris ſuis in campum cum omnibus eorum copiis exiverunt, & intuentes noſtros ad bellum præparatos, cum magna confuſione ad loca, de quibus exiverant, noſtris poſt eos clamantibus, ſunt reverſi. Sequenti autem die Jovis orto jam Sole, quia præfati hoſtes de prædictis locis ſubito recedentes cœperunt proſequi ultra Fluvium, qui inter utrumque diſcurrebat exercitum infauſtis eorum auſpiciis iter ſuum. Nos ſtatim in prædicti campi Pallentini planicie cum toto noſtro præparato exercitu, aciebus diſtrictis & ordinatis ad prœlium, in Divini nominis virtute deſcendimus, procedentes planis, ut decebat, motibus verſus illos. Cumque crederemus eos ulterius proceſſuros, ipſi ſuper ripam dicti Fluminis prope Villam Poncium caſtra ſua, eorum tamen aciebus nullatenus diſſolutis, ſubito poſuerunt. Et videntes, quod noſter ſimiliter incitabatur exercitus ex adverſo, protinus dictum Fluvium tranſierunt. Nos verò de divino confiſi præſidio, invocato Chriſti Nomine irruimus celeriter & viriliter in eoſdem. Et poſtquam acerrimè fuit utrinque pugnatum, hoſtibus pro majori parte in ore gladii trucidatis, ipſorum reliqui ſuſtinere noſtri molem exercitus non valentes, ſe ad fugæ remedium converterunt; quos noſtri feſtinis greſſibus & continuis aggreſſibus inſequentes, magnam eorum partem per Montes & nemora peremerunt. Facta eſt itaque noſtrorum hoſtium tanta ſtrages, quod quæ in campo Beneventano de aliis perſecutoribus Eccleſiæ facta fuit, hujus reſpectu valde modica reputatur. De Conradino verò, & Domino Henrico utrum in bello ceciderint, an per fugam evaſerint, nulla in confectione præſentium, quæ ſtatim poſt victoriam conſcriptæ fuerunt, haberi potuit certitudo. Verumtamen equus, cui D. Henricus inſeſſiſſe dicitur, a noſtris cum per campum abſque inſeſſore curreret, eſt inventus. Capti ſunt inſuper Conradus de Antiochia, & Thomas de Aquino, & plures alii proditores noſtri, qui excepto Conrado de Antiochia propter deteſtabilem proditionem, quam contra Majeſtatem noſtram commiſerant, jam capitali Sententia ſunt damnati. Quæ omnia vobis ſignificamus ad gaudium, ut quilibet veſtrum per exhibitionem veſtræ ſinceræ devotionis partem non nimiam pertuliſtis, ſitis & participes triumphorum. Vos ergo ad gravandum omnes hoſtes vobis in vicino morantes, aſſumto ex hoc ſpiritu majoris vigoris & fortitudinis, viriliter procedentes, faciatis ſtratas, & etiam paſſus, & tranſitus veſtri Diſtrictus ſic cum omni cautela & diligentia cuſtodiri, quod ſi dictus Conradinus, & alii profugi de gente ſua exinde tranſierint, capiantur. Data in Campo Pallentino prope Albam XXIV. Auguſti XI. Indictione, Regni verò noſtri Anno IV.

1269.

D. Matthæus de Corrigia de Parma Poteſtas Paduæ.

1270.

D. Thomaſinus Juſtiniano de Venetiis Poteſtas Paduæ. Hoc Anno murus ſpaldi Communis Paduæ ſupradictus totaliter fuit perfectus.

1271.

D. Bartholomæus Soppo de Pergamo Poteſtas Paduæ. Hic Poteſtas ſecum Chronicam de omnibus Scripturis negotiorum factorum in Marchia Tervixina ab Annis LXXXVII. huc uſque, detulit & portavit.

1272.

D. Michaël Dauro de Venetiis Poteſtas Paduæ.

1273.

D. Jacopinus Rubeus Bernardi Rolandi Rubei de Parma Poteſtas Paduæ. Hoc Anno Rodulfus de Vivario Vicentinus tempore noctis cum quibuſdam ſatellitibus occupavit Caſtrum Angarani, quod cuſtodiebatur per Commune Paduæ. Ideoque ſtatim Poteſtas prædictus cum exercitu magno ivit, & obſedit Angaranum, & deficientibus ſibi victualibus de nocte Rodulfus aufugit. Sed XXIV. de ſuis capti, & ibi ſuſpenſi fuerunt.

1274.

D. Gutifredus de la Turre Poteſtas Paduæ electus Secundo Martii. Eo tempore univerſa fere Nobilitas Paduanorum aſſociavit Dominum Raymundum de la Turri Patriarcham Aquilegienſem patruum Poteſtatis, cum primo iret ad intrandum tenutam ſui Patriarchatus: Et inventus fuit theſaurus magnus in metallis auri optimi in hòrto Hoſpitalis Domus Dei de Padua valoris, ut dicebatur, librarum pluris XXX. millium: quod male diſtinctum fuit, ut dicitur primo per inventores, deinde per Epiſcopum, & per Poteſtatem, & ſuos Officiales, ita quod in utilitatem Hoſpitalis fere quarta pars fuit converſa in emendis poſſeſſionibus pro Hoſpitali.

1275.

D. Robertus de Robertis de Regio Poteſtas Paduæ. Eo tempore in nocte Nativitatis Domini fuerunt magna & mirabilia tonitrua, & coruſcationes, & grandines.

1276.

D. Guido de Robertis de Regio Poteſtas Paduæ. Eo tempore fuit magna Fames per univerſam Marchiam Terviſinam, & Lombardiam; & Dominus Simon de Monteſilice migravit in Domino, qui fuerat Cardinalis magnus & potens.

1277.

D. Marcus Quirinus de Venetiis Poteſtas Paduæ.

1278.

1278.

D. Martinus Vallareſe de Venetiis Poteſtas Paduæ. Eo tempore in die Sancti Thomæ Caſtrum Coloniæ redditum fuit Communi Paduæ ſalvis perſonis Veronenſibus, quæ in eo erant. Et guerra magna facta fuit inter Paduanos, & Veronenſes. Et Menſe Julii ſequenti Dominus Epiſcopus, & Populus Vicentinus dederunt Civitatem & Diſtrictum Tridenti Communi Paduæ. ad cujus Regimen miſſus fuit Poteſtas D. Marſilius de Pertenopeo cum equitibus, & peditibus ſoldatis, qui aliquas Villas inobedientes combuſſerunt. Sed modico tempore Paduani tenuerunt Tridentum, quia Caſtellani, & qui ſubditi eſſe debebant, rebellabant cum favore Domini Alberti de la Scala Domini Veronæ: propter quod orta fuit guerra inter Paduanos, & Veronenſes, quæ duravit duobus annis vel circa.

1279.

D. Jacobus Domini Gonzolini de Oſſemo Poteſtas Paduæ. Die XIX. Junii intravit Regimen, & aſcendit Palatium, & ſtetit in Regimine quinque Menſes tantum. Et de Menſe Novembris eodem Anno Dominus Matthæus de Corrigia de Parma fuit electus Capitaneus Populi Paduani, & poſt ipſos quinque menſes ipſe Dominus Matthæus fuit electus in Poteſtatem, & ab inde uſque ad Calendas Januarii ad unum annum. Et ab inde mutatum fuit tempus Regiminum Paduæ ad Kalendas Januarii. Dictus Dominus Jacobus Domini Gonzolini Paduam venit, oſtendens faſtum & maximam ſuperbiæ promtitudinem, habens maiorem partem fave * quam dicunt Eccleſiæ. Hic fecit creari Milites de novo in Padua, & multos minus divites, ut oneribus gravarentur, qui partis Imperialis, vel Imperialium amici dicebantur. Eo tempore Menſe Auguſti tractaverunt Bartholomæus, & Anxediſius de Schinellis cum Veronenſibus accipere Vicentiam de fortia Paduanorum. Simul adjutores, ut dicebatur, habebant Pacem filium Domini Bernardini de Montenario exiſtentis Capitanei Caſtri Sancti Petri, & Raynaldum, & Henricum de Collo de Vicentia, & Curvanum de Maroſtica, & forſan alios. Et die ſtatuta jam venerant equites Veronenſes uſque ad Burgos Vicentiæ. Sed tractatibus his detectis & manifeſtis, Bartholomæus de Schinellis, & Anxediſius cum filio Bernardini, & Raynaldo, & Henrico de Collo fugerunt, & etiam Veronenſes per viam aliam fugerunt. Et tunc magnus tumultus exortus fuit in Padua ita quod Poteſtas cum militibus equitavit Vicentiam, & ibi cepit Pacem Judicem filium Bernardini, Aſſeſſorem D. Guertii de Vicoageris, qui culpabilis credebatur, Guilielmum de Malaflamma ſuggeſtu Bernardi Epiſcopi Vicentini, Florium Falcerium, Artuſium de Vivaro, Vertium de Pithoco, Jacobum Theotonem, Artuſium de Maroſtica, & alios multos, magis zelo partis, quam culpâ creditâ; & ducti ſunt captivi Paduam, & ibi graviter torti & afflicti, in tantum quod Jacobus Theotonus exſpiravit in tormentis; & erat maximus clamor, quod penitus occiderentur. Sed tamen eis non confitentibus, & culpâ non repertâ, relaxati ſunt, & ad mandata relegati. Pars Eccleſiæ in Padua, quæ ſequebatur voluntatem D. Guidonis de Lotio, & Martini de Guidotto, quia Poteſtas non occidit illos, habuit eumdem Poteſtatem odio, & etiam quia CC. milites electi non fuerunt miſſi verſus Epi-
A ſcopum Feltrenſem, ſive ad habendum Tervixium, ut dicebatur. Quare tractaverunt Guelfi. ut die nona Decembris repudiaret dictus D. Jacobus Domini Gonzolini Poteſtatis Regimen, Et Dominus Matthæus de Corrigia, qui venerat paucis ante pro Capitaneo, etiam electus eſt Poteſtas, & die X. Decembris intravit regimen. Hoc Anno menſe Auguſti Epiſcopus & Populus Tridentinus ſubtraxerunt Tridentum de fortia Paduanorum, licentiato curialiter Domino Marſilio ſuo Poteſtate pro Communi Paduæ.

1280.

D. Matthæus de Corrigia de Parma Poteſtas Paduæ. Eo tempore mutatum fuit Regimen
B Civitatis ad Kalendas Januarii, quod antea longiſſimis temporibus mutari conſueverat ultima die Junii. Et Menſe Januarii Petrus de Daulis Nobilis Civis Paduæ Capitaneus equitum ſoldatorum Communis Paduæ occiſus fuit apud Coloniam per Veronenſes, & capti fuerunt Oliverius de Linguavaccæ, Gerardus de Viguntia miles Domini Beleboni de Guarnarinis Poteſtatis Vicentiæ, Capellus de Malcapellis, Galvanus Notarius de Andrea. Propterquod Paduani indignati aſſenſerunt illis, qui contra Veronenſes movere exercitum voluerunt; & die primo Madii ante Nonam extractum fuit Carrocium Paduæ extra Eccleſiam; occaſione procedendi contra hoſtes. Et die Dominico XII Menſis Madii, movit Carrocium, & exercitus magnus Paduæ verſus
C Veronam, & ivit Vicentiam, ubi ſtetit tribus diebus; & die Jovis XVI Maji applicuit & fixit caſtra ſua in Villanova Veronenſis Diſtrictus ſuper Alponem cum plauſtris, & guaſtatoribus, depopulando ſegetes, arbores, & Villas. Et tunc combuſtæ fuerunt Villæ Calderiæ, Colognæ, & Illaxi, & juxta planitiem Sancti Martini Bonalbergi, Trinagi, Blondæ, Turris Vagia, & domus multarum aliarum Villarum Veronenſis Diſtrictus. Et ſtetit ibidem exercitus XIV. diebus. Et de Menſe Auguſti facta & celebrata fuit pax & concordia perpetua inter Paduanos, & Veronenſes de partium voluntate. Eodem Anno Turriani de Mediolano pelluntur, & Vicecomites domi-
D nium tenuerunt uſque 1303.

1281.

D. Henricus Dauro de Venetiis Poteſtas Paduæ, qui incepit in Calendis Januarii Regimen ſuum. Eo tempore die VI. exeunte Februario Regina Clementia venit Paduam filia Rodulphi Romani Regis, tranſiens cum Baronibus ad Regem Carolum in Apulia, ut Sponſa, & uxor filii, vel nepotis dicti Regis Caroli, & quædam neptis ipſius Regis Romani ſponſa, & uxor filii unius de Fleſco de Janua proficiſcentes ad ſuas nuptias. Et ſteterunt Paduæ per duos dies, & Commune Paduæ fecit eiſdem Dominabus, & totæ eorum comitivæ in Padua & Diſtrictu honorifice & affluenter
E expenſas; quæ expenſæ fuerunt duo millia librarum parvorum. Et de Menſe Madii gens Patriarchæ Raymundi Aquilegienſis devicta a Mediolanenſibus, & Dominus Caxonus de la Turri mortuus fuit in conflictu, & infiniti fuerunt mortui, & capti. Et die III. exeunte Majo in ſero duo fratres Galvanus, & Melius de Pigotiis, qui olim occiderant Dominum Maſtinum de la Scala fratrem D. Alberti de la Scala in Verona, interfecti fuerunt in Platea Curiæ Domini Guidonis de Lotio in Padua a Maſcharono Bechario, & aliis Veronenſibus

neſibus circa duodecim, & occiſores fugerunt ad domum Zagi de Porcilia, & ipſe cum eis receſſit tota nocte; & die ſequenti capti fuerunt in nemore Vicentino, & ducti Paduam, & duriter tormentati confeſſi ſunt. Tunc murmura exorta per Urbem, & rumores per partem Domini Guidonis de Lotio, quod Cives Paduani erant conſcii, & factum fuit per iſtigationem quorumdam, quod Maſcharonus manifeſtavit D. Guecilem de Deleſmaninis, & quemdam ſuum famulum nomine Richentaſe, qui fugit, & D. Johannem de Forzatè, & Petrum Bechum ejus famulum, & poſtea redicendo negavit. Quare fecerunt ſecuritatem M. Marcharum pro quolibet, & miſſi fuerunt ad Villas ſuas, & D. Guido de Lotio, & D. Nicolaus de Caſtronovo ſimiliter ad ſuas Villas miſſi fuerunt. Et die Mercurii IV. Junii circa Tertiam in Arenga Paduæ judicati fuerunt ad mortem, & Maſcharonus prædictus, & duo alii poſiti in carrectis vincti, & tenaglati per Civitatem, & alii quinque tracti ad caudas equorum, & omnes iſti octo ſuſpenſi in furchis ſuper Brentellam. Zago autem prædicto fuit pes unus abſciſus, & unus oculus erutus. Numquam autem homines meminere, ut ferebatur, tam crudele judicium, nec tam abhorrendum factum fuiſſe Paduæ. Hoc tempore fortificata, & facta fuerunt multa & gravia Statuta contra Nobiles, & Potentes, & male-ablatos. Et facta fuit domus Poteſtatis, ſub qua ſunt Stationes Ferrarolorum.

1282.

D. Bertus de Friſchobaldis de Florentia Poteſtas Paduæ. Eo tempore multæ & infinitæ querelæ, & petitiones datæ fuerunt contra Magnates de Padua per Populares vigore Statuti de male ablatis, quæ his temporibus fuerant fort ficata, pro quibus querelis, & petitionibus condemnati fuerunt dicti Magnates fere omnes, & forbanniti. Quare credebant prudentes, maximum ſcandalum in Civitate Paduæ exoriri. Et quidam Francigena Comes Romandiolæ pro Eccleſia cum ſuis equitibus, & Francigenis, & illis de Faventia obtinuit & occupavit Forlivium, & multos in introitu Civitatis utriuſque ſexus occidit. Sed tamdem Guidonis Comitis de Monteferetro, & Anxedifii de Schinelhis Civis Paduani, & aliorum ſuorum equitum audatiâ & valore, prædictus D. Comes Romandiolæ, & Thebaldus de Faventia, & quaſi omnes Francigenæ, cæſi & interfecti fuerunt; & ſic Furlivienſes illa die triſtem & lætam habuerunt Victoriam. Et die Mercurii ante Tertiam, V. Menſis Auguſti fuit Eclipſis Solis. Et die Dominico quarto Octobris fuerunt ſolemnes nuptiæ in Ferraria celebratæ Domini Azonis Marchionis de Eſt cum Domina Johanna filia D. Zentilis de Urſinis de Roma. Et multi Presbyteri, Clerici, & Religioſi fuerunt occiſi in Padua, & Paduano Diſtrictu, quoniam tunc fuit per Commune Paduæ ſtabilitum, & ſcriptum in quodam parvo Volumine, quod vocabatur Donatellus, quod pro homicidio commiſſo in perſona alicujus Eccleſiaſticæ perſonæ, condemnari debeat homicida in uno ſolo Denario Veneto Groſſo. Quod Statutum factum fuit propter multa & enormia ſcelera, quæ committebantur per Clericos, de quibus nulla fiebat Juſtitia, per Epiſcopum Paduanum. Et dicitur, quod in Regno Siciliæ Panormitani ſubcenſâ rabie Gallicos, qui ibi commorabantur tam mares, quam fœminas, tam ſenes, quam

A juvenes in contemptum Regis occiderunt; & quod deteſtabilibus fuit mulieres Latinas prægnantes, quæ dicebantur a Gallicis concepiſſe, occidebant antequam parerent.

1283.

D. Veri de Circulis de Florentia Poteſtas Paduæ. Die Mercurii III. Martii, qui fuit primus dies Quadrageſimæ, Civitas Paduæ cum tota Diœceſi per Dominum Patriarcham fuit ab omni Officio Eccleſiaſtico interdicta propter Statuta facta contra Eccleſiaſticam libertatem. Verum tamen Religioſi de Ordine Paupertatis interdicto non obſtante continue Officium coram omni Populo celebrabant. Et die Dominico XXV. Aprilis comes Veronæ in Regii
B Civitate migravit, relicto ejus filio Vinciguerra in protectione Civitatis Paduæ, Vicentiæ, Parmæ, & Marchionis de Eſt. Et Menſe Auguſti in Antiania Domini Patavini de Gambarariis Judicis Dominorum Antianorum Civitatis Paduæ firmatum & factum fuit Statutum de emendo Juriſdictionem Lendenariæ pro Communi Paduæ a Cattaneis Lendenariæ, & a quibuſcumpue aliis habentibus partem in Juriſdictione Lendenariæ. Et tunc Dominus Antonius, & Rizardus Cattanei de Lendenaria, & Dominus Badoarius de Venetiis, qui jus habebat pro Domina Amabilia ejus Uxore in dicta Juriſdictione Lendenariæ, vendiderunt Communi Paduæ ſuas partes. Dominus autem
C Obizo Marchio de Eſt, qui aliquam partem Juriſdictionis Lendenariæ retinebat, per Ambaſciatores Communis Paduæ requiſitus, quod eam partem Juriſdictionis Lendenariæ, quam tenebat, vellet vendere Communi Paduæ, ſicut alii conſortes jam fecerant, dixit, quod per ſuos Ambaſciatores in Paduano Conſilio reſponderet. Sed quia eos mittere differebat, iterum Dominus Gerardus de Camino, & Ambaſciatores Paduani miſſi fuerunt ad eum pro eodem facto, qui tunc uſque ad Feſtum Sancti Michaëlis accepit terminum reſpondendi. Et Dominus Gerardus de Camino fuit factus Capitaneus, & Dominus Civitatis Tervixii.

1284.

D D. Fantonus de Rubeis de Florentia Poteſtas Paduæ. Eo tempore facta fuit domus inter Turrim rubeam, & Ferrarias, ſuper ejus Sala ſuperiori fit Conſilium majus.

1285.

D. Fantonus prædictus Poteſtas Paduæ. Eo tempore ad feſtum Nativitatis Domini omnes captivi, qui erant in carceribus Maleficiorum, fuerunt relaxati libere amore Dei per Commune Paduæ ſecundùm reformationem majoris Conſilii.

1286.

D. Guilelmus Malaſpina de Luca Poteſtas Paduæ. Eo tempore fuit facta domus Antianorum de Padua, & factus fuit Pons lapideus
E Sancti Johannis a navibus.

1287.

D. Baronus de Manzatoribus de Sancto Miniate Poteſtas Paduæ Eo tempore fixi fuerunt termini de Menſe Julii circa Civitatem Paduæ ſuper omnibus ſtratis magnis, diſtantes a Palatio Communis per duo milliaria. Et in dicto Menſe fuerunt in Civitate Paduæ ſolemnes Nuptiæ celebratæ Nobilis viri, & poſtmodum militis Domini Nicolai de Lozo cum Domina Agnete nata Domini Gerardi de Camino; ad quas nuptias honorandi causâ Paduam venit Dominus Obizo Marchio de Eſte, & facta fuit Curia ſuper majori Palatio Communis Paduæ.

duæ. Hoc Anno inceptus fuit Pons Tadorum lapideus.

1288.

D. Curſius de Donatis de Florentia vir ſtrenuus & laudabilis, Poteſtas Paduæ.

1289.

D. Ottolinus de mandello de Mediolano Poteſtas Paduæ, & ſapienter exercuit Regimen ſuum. Eo tempore Civitas Tripolis in Syria capta fuit a Saracenis, & compoſitio facta fuit inter Commune Paduæ, & Clerum, mediante Fratre Bonaventura Ordinis Minorum Archiepiſcopo Raguſino Apoſtolicæ Sedis Legato, deſtructis omnibus Statutis conditis contra Eccleſiaſticam Libertatem, & nunquam renovandis, vel conſimilibus faciendis. Et Dominus Obizo Eſtenſis Marchio accepit in uxorem filiam Domini Alberti de la Scala Domini Veronæ, & ſecum magnam concordiam & ligam fecit.

1290.

D. Percevallus de Mandello frater dicti Domini Ottolini Poteſtas Paduæ. Eo tempore die ultimo ſui regiminis fuit incendium in domibus Scrignariorum in Padua in hora Veſperarum, per quod fere quarta pars intra Civitatem fuit combuſta. Et Dominus Poteſtas tempore ſui Syndicatus furtive receſſit timore malorum, quæ fecerat in Civitate, & propterea fuit condemnatus, & perpetuo forbannitus de Padua, quod nec ipſe, nec aliquis de ejus Domo unquam poſſint ad Civitatis Paduæ regimen pervenire. Eodem tempore Dominus Guilielmus Novellus quondam Domini Frizerini de Monte Silice fuit extractus de bando, in quo erat pro homicidio probato.

1291.

D. Thomaſius Quirinus de Venetiis Poteſtas Paduæ. Eo tempore facta fuerunt Extima Civitatis Paduæ, & facta fuit Impoſitio in Villis Paduani Diſtrictus, & Impoſita Datia, & omnibus fuit emendatum damnum; & ideo fuit Civitas de melioribus ædificiis reformata. Eo tempore magna concordia fuit facta inter Commune Paduæ, Vicentiæ, & Dominum Patriarcham Aquilegienſem, & Commune Tergeſti ex una parte, & Commune Venetiarum ex altera, mediantibus Domino Bernardo Epiſcopo. & Ambaſciatoribus Paduanis. Et D. Comes Beroardus Vicentinus captus fuit & interfectus pro proditione Vicentiæ.

1292.

D Lambertutius de Freſcobaldis de Florentia Poteſtas Paduæ. Eo tempore ædificatum fuit per Commune Paduæ fortiſſimum Caſtrum ſuper Aticem, quod dicitur Caſtrum Baldum pro defenſione Civitatis Paduæ, & Comitatus ejuſdem contra voluntatem Marchionis de Eſt, & Dominorum de la Scala. Et factum eſt Concilium Generale, in quo ordinatum fuit, quod fieri deberet Paſſagium pro acquirenda Terra Sancta; & facta fuit fraternitas, & liga inter Commune Paduæ, & Dominum Bardilionem de Bonacolſis Capitaneum, & Commune Mantuæ. Et prædicto 1292. Indictione V. die XXIX. Octobris Paduæ in Eccleſia Sancti Martini Dominus Bernardus Abbas Monaſterii de Vangaditia inveſtivit Bonifacium Domini Peucii Syndicum, & Syndicatorio nomine Communis Paduæ ad Feudum de quinque manſis terræ ſterilis poſitis ultra Atheſim ex oppoſito Caſtri Baldi, quibus correſpondet a Meridie Flumen Atheſis, a Septentrione Palus, pro quibus dictus Syndicus promiſit dare ei annuatim unam libram ceræ in die Beatæ Virginis de Septembri. Et ſunt longitudinis unius milliarii, & latitudinis unius turne & XL. perticarum. Et hoc Anno exercitus Paduanus ivit Vicentiam, quia Dominus Jordanus de Seratico frater uxoris ſupradicti Domini Bernardi cum quibuſdam ſuis ſequacibus quadam nocte armatâ manu inſultavit in milites Paduanos, qui pro cuſtodienda ipſa Civitate manebant, eam volens ex ipſorum manibus exſtirpare: quod ei ad effectum pervenire non valuit, virtute & audaciâ nobilis & probi Pauli de Doto; quare dictus D. Jordanus captus fuit, & poſtea omnes fuerunt in Platea Communis Vicentiæ decollati.

1293.

D. Paulus Quirinus de Venetiis Poteſtas Paduæ. Eo tempore Dominus Obizo Eſtenſis Marchio eſt viam univerſæ carnis ingreſſus. Et hoc Anno quidam Caſtellani de Vicentia forbanniti aſcenderunt Caſtrum Valdagni, volentes eum contra honorem Communis Paduæ & Vicentiæ detinere. Unde exercitus Vicentinus dictum Caſtrum obſedit, & eum per vim obtinuit; & omnes, qui in dicto Caſtro manebant, ſunt capti, & Vicentiam ducti; & poſtea in ipſius Campo Martio per amiſſionem capitis ſunt in mortem damnati. Et hoc Anno completum fuit laborerium Caſtri Baldi.

1294.

D. Gerardus de Joſano de Cremona Poteſtas Paduæ. Hoc Anno Domini Azo, & Franciſchinus, filii quondam Obizonis Marchionis Eſtenſis, Dominum Aldrevandinum ejus fratrem de Ferraria, & de illius bonis omnibus expulerunt. Qui quidem Dominus Aldrevandinus, videns ſe a ſuo ſanguine derelictum, cum uxore, & ſuis filiis ivit Bononiam, & ſe in ſuis manibus totaliter tradidit, qui eum minime receperunt. Qua de re ipſe Dominus Aldrevandinus videns ſe ab omnibus, quos ſibi putabat amicos, in integrum derelictum, venit Paduam, tamquam ſibi ad portum refugii & ſalutis, & ſe, & uxorem, & ſuos filios, & bona ſua omnia, quæ habebat, in manibus dedit Paduanorum, qui eum alacriter & voluntariè receperunt. Propter quod inter Paduanos, & Dominos Azonem, & Franciſchinum fratres Marchiones Eſtenſes guerra maxima orta eſt. Et exercitus Paduanus obſedit Caſtra Cerri, & Calaonis, & capta ſunt, & in totum omnibus fundamentis dirupta. Dejecta fuit in terram, & tota deſtructa etiam Rocha de Eſte: quæ omnia Caſtra erant Domins Eſtenſis, & ſita in territorio Pedevendæ Paduani Diſtrictus. Et hoc etiam Anno firmata fuit pax & concordia & fraternitas inter Commune Paduæ ex una parte, & Dominum Albertum de la Scala & Commune Veronæ ex altera. Et Anno præſenti quælibet Fratalea Paduani Communis fecit ſuum Confalonem ſingulariter, in quo erat picta Armatura Communantiæ Paduæ, & cujuslibet Frataleæ; & per Pontem Paduæ cuilibet Gaſtaldioni Fratalææ fuit conſignatum Vexillum Fratalææ ad eum pertinentis; & Vexillum Communantiæ fuit traditum Judici tunc temporis Antianorum; & ſic per conſequens Judicibus & Gaſtaldionibus omnibus factum fuit tempore procedente in principio cujuslibet regiminis in Padua venientis. Et in præſenti regimine Populus Paduanus cum omnibus ſuis amicis hoſtiliter obſedit Marchiones Eſtenſes ſuper flumen Aticis, & fixit ſua tentoria ultra flumen circa Ca-

Caſtrum de Veneze . Et ibi exercitu Paduano manente, Reverendus Pater Raymundus Aquilegienſis Patriarcha cum quibuſdam Religioſis de Ordine Minorum inter Commune Paduæ, & ſupradictos Marchiones tractavit pacem & concordiam hoc modo . Videlicet, quia ipſi Domini Azo , & Franciſchinus fratres Marchiones in gratiam Communis Paduæ ſunt recepti, & libere dederunt Communi Paduæ Abbatiam, tertiam partem Lendenariæ, Luziam, Caſtrum de Veneze , & ejus Curiam , Terras Burbuli , & generaliter omnes Juriſdictiones , bona, & jura ad ipſam Abbatiam pertinentia in integrum . Ut ipſum poſſit omnia ſupradicta taliter tractare , quemadmodum tractat Civitatem Paduæ & Diſtrictum . Et quod ipſi Marchiones Eſtenſes , & omnes venturi numquam poſſint , neque debeant in ſummitatibus montium Cerri , & Calaonis , & Rochæ conſtruere aliquod ædificium ; ſed ſummitates ſemper liberæ in Commune Paduæ permaneant . Et omnia bona , poſſeſſiones , & jura, quæ ipſi Marchiones in Paduano Diſtrictu habebant, ſunt eis in totum liberaliter reſtituta. In principio autem præſentis guerræ eodem Rectore manente, per Conſilium & Commune Paduæ electi fuerunt XII. Sapientes , qui *Sapientes a Credentia* dicebantur , & in guerra iſta habebant merum & mixtum imperium , & generaliter omnem Juriſdictionem , & tantum XV. diebus in dicto Officio manebant . Et peractis XV. diebus proponebatur ad majus Conſilium Communis Paduæ , utrum prædicti Sapientes deberent XV. diebus ſequentibus in prædicto Officio permanere , an ipſis permutatis alii de novo eligerentur ; & ſi confirmabantur , eodem modo dominabantur ut prius . Si verò caſſabantur , quilibet Antianus tunc temporis in Antianatus Officio exiſtens , ſuum Sapientem a Credentia eligebat ; & ipſis per Antianos taliter electis, ſingulariter approbabatur in majori Conſilio, utrum eſſent ad dictum Offitium idonei , nec ne . In hoc eodem Anno per Commune Paduæ fuit ſtatutum , quod omnes Poteſtates & Rectores venturi ad Regimen Paduæ tantùm per ſex menſes in ipſo Regimine deberent permanere , & habere Libras quatuor millia pro ſuo ſalario , & quod omnes Cives Paduæ deinceps ituri ad Regimen Civitatis Vicentiæ , ſimiliter tantum per ſex menſes ibi regere debeant , & pro ſuo ſalario habere Libras duo millia, & omnia ſupraſcripta in prædicto Milleſimo facta ſunt , ac etiam prædicto Rectore manente .

1 2 9 5.

D. Nicolaus Maurecinus de Venetiis Poteſtas Paduæ a feſto Sancti Petri de Junio , uſque ad feſtum Circumciſionis . Eo tempore elevata fuit Turris vetus Communis Paduæ , ſed non completa , quæ Turris eſt apud aliam Turrim , & domum Antianorum . Eodem Anno Dominus Azo Eſtenſis Marchio volens ſuum propoſitum adimplere , ſcilicet habere dominium totius patrimonii de Ferraria, expulit alium fratrem ſuum Dominum Franciſcum , prius tamen contracto matrimonio cum nobili Domina de progenie Regis Franciæ. Qui cum Domino Alberto de la Scala, & cum Mantuanis fecit ſocietatem contra fratrem , amodo aſſerens , manifeſte velle partem Imperii ſuſtinere . Duobus ſuis fratribus ſic expulſis, multum gloriatur Dominus Azo , ſed extrema gaudii luctus occupat . Nam poſt hæc Veronenſes , [illegible] cum Domino Franciſco venerunt hoſtiliter contra Ferrariam , qui Azonem Marchionem adeo terruerunt , quod cogitavit exire Ferrariam , ſed hortatu ſuorum militum deſtitit a propoſito . Tamdem pax convenit .

1 2 9 6.

D. Conradus de Montagnano de Piſtorio Poteſtas Paduæ a feſto Circumciſionis Domini uſque ad feſtum Sancti Petri de Junio . Eo tempore quælibet Fratalea Communis Paduæ ſtatuit inter ſe , quod Gaſtaldiones omnium Fratalearum omni prima die Dominica cujuslibet menſis deberent in Eccleſia Palatii Communis Paduæ convenire , & ibi ad honorem Dei , & Beati Proſdocimi primo Miſſam ſolemniter facere celebrari , & completâ Miſsâ , Gaſtaldiones ſolummodo in Eccleſia remanere deberent, & inter ſe propoſitionem facere generalem, quid ſupra ſtatum Civitatis ſit plenarie faciendum . Hoc Anno etiam completa fuit Turris, quæ eſt prope domum Antianorum , & ſuper eam poſita quædam campana, quæ olim inventa fuit in Rocha de Heſte , quæ diruebatur tempore Regiminis Domini Gerardi de Joſano Poteſtatis Paduæ . Hoc Anno etiam facta fuit Turris , quæ eſt ultra flumen Aticis in oppoſito Caſtribaldi .

1 2 9 7.

D. Fantonus de Rubeis de Florentia Poteſtas Paduæ .

1 2 9 8.

D. Conradus Novellus de Montemagno de Piſtorio Poteſtas Paduæ . Eo tempore ædificatum fuit Caſtrum Pizonis de Abbatia cum Turribus ab utraque parte fluminis per Commune Paduæ .

D. Brunetus de Brunaleſchis de Florentia Poteſtas Paduæ .

D. Blaxius de Tholomeis de Senis Poteſtas Paduæ .

D. Franciſcus de Cremonenſibus de Piſtorio Poteſtas Paduæ .

D. Ungarus de Odis de Peruſio Poteſtas Paduæ .

D. Bertoldus Domini Malpilei de Malpileis de Sancto Miniate Poteſtas Paduæ . Eo tempore die VII. Septembris in Vigilia Nativitatis Beatæ Virginis Januenſes conflixerunt Venetos in mari in contrata Scorcolæ , & duxerunt captivos bene VII. millia & ultra cum multis Galeis .

D. Carolus de Cancis de Piſtorio Poteſtas Paduæ . Eo tempore facta fuit pax & concordia inter Januenſes & Venetos ſub arbitrio Maphæi Vicecomitis de Mediolano , & præſtita cautione & fidejuſſione per utramque partem . Et tunc Paduani fuerunt fidejuſſores pro Venetis .

D. Neri de Bardis de Florentia Poteſtas Paduæ. Eo tempore menſe Januarii apparuit Cometes , & Dominus Bottexella de Bonacoſſis de Mantua obtinuit dominium ipſius Civitatis , expulſis patruis ejus .

1 3 0 0.

D. Nicolaus de Bonſignoribus de Senis Poteſtas Paduæ . Eo tempore facta fuit Curia ſolemniſſima Militum , & Popularium in Padua , & Haſtiludiis, & Choreis de menſe Februarii . Et fuit maxima lues beſtiarum bovinarum .

D. Nicola de Circulis de Florentia Poteſtas Paduæ .

D. Bertolinus de Maciis de Brixia Poteſtas Paduæ . Iſte vir prudentiſſimus multos ſceleratiſ-

tiſſi nos aſſaſſinos & malefactores trucidavit, & Baligantem Clericum homicidam poſitum menſe Januarii in cabbia ferri appenſa in ſummitate Turris rubeæ Communis Paduæ mori fecit.

D. Brondaglus de Saxoferrato Poteſtas Paduæ. Eo tempore apparuit Cometes, & progenies de Circulis de Florentia receſſit. Et menſe Septembri Dominus Albertus de la Scala obiit, Dominus Veronæ, relictis filiis ſuis Capitaneo Bartholomæo, Alboino, & Cane Grande

1302.

D. Beſonzonus de Appignano Poteſtas Paduæ. Eo tempore Domini de la Turre intraverunt Mediolanum, expulſo Capitaneo.

D. Florinus de Pontecarali de Brixia Poteſtas Paduæ.

1303.

D. Marinus Badoarius de Venetiis Poteſtas Paduæ. Eo tempore fuit maxima ſterilitas bladi in Padua, in tantum quod oportuit Paduanos petere & accipere a Venetis frumentum in maxima quantitate.

D Andreas Vallareſſe de Venetiis Poteſtas Paduæ.

1304.

D. Rubeus de Caſtello Poteſtas Paduæ. Eo tempore menſe Martii incepit guerra inter Communia Paduæ, & Venetiarum, occaſione Caſtri, & Salinarum conſtructarum per Commune Paduæ in Inſula Caltinariæ.

D Montanus de Marinis de Civitate Januæ Poteſtas Paduæ. Eo tempore exiſtente guerra inter Paduanos & Venetos apud Salinas, Dominus Ottobonus Patriarcha Aquilegienſis, Marchio Eſtenſis, & illi de Camino fuerunt cum Venetis contra Paduanos.

1305.

D. Pax de Pacibus de Bononia Poteſtas Paduæ.

D. Tarabotus de Tarabotis de Ancona Poteſtas Paduæ. Eo tempore Azo Marchio de Eſt, qui expulerat fratres ſuos Dominos Aldrevandinum, & Franciſcum, poſtea perdidit Civitates Mutinæ & Regii de tractatu Bononienſium & Veronenſium.

1306.

D. Poncinus de Pizonardis de Cremona Poteſtas Paduæ. Eo tempore menſe Martii fuit inceptum laborerium levandi Palatium magnum Communis Paduæ, & cooperiendi de plumbo.

D Baxanus de Fixiraga de Laude Poteſtas Paduæ. Eo tempore Domini Aldrevandinus, & Franciſcus Marchiones de Eſte dederunt Juriſdictionem Lendenariæ, & ſuæ Curiæ Communi Paduæ.

1307.

D. Federicus Ponzonus de Cremona Poteſtas Paduæ.

D Ungarus de Odis de Cremona Poteſtas Paduæ. Eodem Anno captus eſt Dulcinus Hæreſiarcha de Novaria, & Margarita Tridentina, & alii circa CL. Mortui autem fuerunt in montibus ex ſectatoribus frigore, fame, & gladio ultra CCCC. qui Libertatis ſpeciem prædicabant; Margarita autem ante Dulcinum in fruſta conciſa eſt conſors ejus in pertinaci errore; poſtea ipſe cum multis aliis ultimo pariter combuſti.

1308.

D. Franciſcus de Bitinio Epiſcopus Aſſiſii Poteſtas Paduæ. Eo tempore obiit Dominus

A Azo Eſtenſis Marchio, cui ſucceſſit Dominus Freſchus ejus filius naturalis, qui dedit Ferrariam Venetis. Et die . . . Menſis . . . . Dominus Franciſcus Marchio de Eſt frater ſupradicti Domini Azonis, & Domini Aldrevandini, qui Dominus Aldrevandinus habuit filios tres, videlicet Raynaldum, Obizum, & Nicolaum, vendidit Rodigium Paduanis pro Libris X. millibus. Et expulſi fuerunt Veneti de Ferraria. Et die XVIII. Februarii fuit firmatum in majori Conſilio per modum arengandi per Antianiam, quod mitterentur Ambaſciatores pro Communi Paduæ pro Dominis Franciſco, & Raynaldo ejus nepotibus, qui tunc erant in Rodigio, quod ſtatim venirent
B Paduam, & quod dicant Domino Venetico, & omni genti ſuæ, & genti Domini Freſchi, quod ſtatim diſcedant de contrata Arquadæ; & Fratæ, & circumſtantium Locorum, & quod non dent aliquod damnum in Terris Rodigii, & ſui Comitatus, & totius Policinis, cum ſint Communis Paduæ: & ſic factum fuit.

D. Pinus de Vernatiis de Cremona Poteſtas Paduæ.

1309.

D. Mannus de la Branca de Gubio Poteſtas Paduæ. Eo tempore Bernardus Clericus de Eſt poſitus fuit in cabbia ferri, & inceptæ fuerunt ſtationes circa Palatium, & coopertæ ſunt
C ſcalæ Palatii. Eodem Anno obiit Carolus Secundus Rex Siciliæ die V. Maji, relinquens hos filios Carolum primum, qui fuit Rex Ungariæ, ſecundum Sanctum Ludovicum Epiſcopum Tholoſanum, tertium Robertum Regem Siciliæ, quartum Philippum Principem Taranti, quintum Raymundum Berengarium, ſextum Stephanum, ſeptimum Johannem Principem Achajæ, octavum Petrum, Beatricem Marchixanam Eſtenſem, & Beatricem virginem, Margaritam uxorem Caroli Sine-terra, Blancam Reginam Aragoniæ.

D. Franciſcus de Cremonenſibus de Piſtorio Poteſtas Paduæ. Hoc Anno Clemens Papa Quintus magnum proceſſum fecit contra Vene-
D tos, quia Ferrariam Urbem Eccleſiæ indebitè occupaverunt.

1310.

D. Gentilis de Philippenſibus de Urbe veteri Poteſtas Paduæ. Eo tempore in feſto Aſcenſionis Domini Hoſpitalarii ceperunt Civitatem Rhodi caput totius Inſulæ.

D. Tholoneus de Cortexiis de Cremona Poteſtas Paduæ. Eo tempore menſe Septembris Imperator Henricus Comes de Lucemburg intravit Lombardiam, & in ſequenti Epiphania fuit coronatus in Mediolano.

1311.

D. Albertus Domini Ugucionis de Caſtello Poteſtas Paduæ. Eo tempore die Jovis XV. Aprilis Epiſcopus Genuenſis Vicarius Domini
E Imperatoris Henrici VII. occultè Paduanis Vicentiam occupavit, auxilio & tractatu quorumdam Vicentinorum, & Domini Canis Vicarii dicti Imperatoris in Verona, qui multos Paduanos tunc ibidem exiſtentes pro cuſtodibus captivos conduci fecit Veronam, quorum aliqui pecunia redemti fuerunt, & relaxati de menſe Junii, quo menſe Paduani obedierunt Imperatori. Et de dicta occupatione fuit inculpatus Dominus Antonius de Curterodulo, qui tunc erat ſocius Domini Johannis Layci Militis de Viguntia Poteſtatis Vicentiæ.

D. Rodulphus de Malpileis de Sancto Mi-

niate Poteſtas Paduæ. Hic ſtetit ſolum per duos menſes in Poteſtaria, quia Paduani cœperunt obedire prædicto Imperatori ſub certis pactis eligendi & recipiendi Vicarium ab eodem, & in menſe Auguſti ipſum Vicarium receperunt.

1312.

D. Gerardus de Inzola de Parma Vicarius ab Auguſto, uſque ad menſem Februarii, & Poteſtas Paduæ uſque ad Calendas Julii, quia Paduani noluerunt amplius obedire Imperatori, non obſervanti Paduanis pacta per eum promiſſa.

1313.

D. Jacobus de Rubeis de Florentia Poteſtas Paduæ. Eo tempore ſeditiones & conſpirationes ortæ fuerunt in Padua, pro quibus fuerunt alii banniti, alii confinati, & alii occiſi. Et menſe Auguſti incepit guerra inter Commune Paduæ & Dominum Canem Grandem de la Scala pro Sacro Romano Imperio Civitatum Veronæ & Vicentiæ Vicarium Generalem, quæ pacificata fuit MCCCXIIII. die XI. Septembris Poteſtate D. Domino de Ponzonibus de Cremona.

D. Bornius de Samaritanis de Bononia Poteſtas Paduæ. Eo tempore die XVI. menſis Maji Henricus Imperator Anno Regni Sui Quinto, Imperii verò Primo in Aula Palatii habitationis ſuæ in Civitate Piſarum tulit ſententiam gravem contra Commune, & ſingulares Cives Paduæ ſpecialiter nominatos, & generaliter omnes, tamquam contra rebelles ſuos, & Imperii, privando eos omnibus dignitatibus & Privilegiis, & ipſos banniendo de totó ſuo Imperio, & condemnando eos in decem millibus Libris auri.

1314.

D. Nicolaus de Calbulo de Forlivio Poteſtas Paduæ.

D. Rivus de Arimino Poteſtas Paduæ. Eo tempore menſe Aprilis orta fuit quædam diſſenſio in Civitate Paduæ, in qua occiſi fuerunt Petrus Judex de Altichino cum filiis in platea Communis Paduæ a telis & filo per Populum, & confiſcatis ſuis bonis, banniti fuerunt in quartam generationem.

1314 & 1315.

D. Ponzinus de Ponzonibus de Cremona Poteſtas Paduæ. Hic cum exercitu Paduanorum de menſe Septembris movens ſubito de Padua, equitavit hora Veſperarum verſus Vicentiam per totam noctem, & in aurora Paduani intraverunt Burgum Sancti Petri de Vicentia, & ipſum totum deprædari fecerunt. Sed eadem die poſt Nonam ſuperveniens de Verona Dominus Canis de la Scala, eos incautè manentes conflixit, & multos captivos in Vicentiam duxit, inter quos nobilem virum Dominum Jacobum de Carraria. Pax tamen cito ſubſecuta, quæ paucis duravit annis.

1315.

D. Franciſcus de Calbulo de Forlivio Poteſtas Paduæ.

1316.

D. Ugolinus de Liazariis de Bononia Poteſtas Paduæ.

D. Merullus de Pardaninis de Aſſiſio Poteſtas Paduæ.

D. Ubertus de Cancellariis de Piſtorio Poteſtas Paduæ,

1317.

D. Beraldus de Cornio de Peruſio Poteſtas Paduæ in Calendis Decembris, & uſque ad Calendas Januarii.

A D. Opizo de Opizingis de Piſis in Calendis Junii.

D. Raynerius de Canoxa de Regio Poteſtas Paduæ in Calend. Decembris. Hic ſtetit in Regimine ſolum per duos Menſes, & habito ſuo ſalario, ſponte receſſit. Eo enim tempore in feſto Sancti Thomæ Apoſtoli Dominus Canis de la Scala movens ſe poſt Veſperas cum ſuo exercitu de Vicentia in Vigilia dicti feſti equitavit per noctem, & tractatu habito cum aliquibus de Monte Scilice ante auroram illuc venit, & habuit liberè Terram Montis Scilicis; & deinde Caſtrum, quod eſt in ſummitate montis, infra paucos dies; & deinde per vim debellavit & obtinuit Terram Eſt; & deinde B Terram Montaguanæ, quam habuit ſine aliqua pugna. Et de Menſe Januarii ſequenti tranſitum fecit in Terras Plebatus Sacci, & caſtramentavit ad Pontem Sancti Nicolai, donec pax facta fuit inter partes, tractatu facto per Venetos. Tuncque Paduani confinati, & expulſi de Padua occaſione guerræ, fuerunt ad gratiam reſtituti.

1318.

D. Petrus de la Parte de Tervixio Poteſtas Paduæ.

1318.

D. Johannes de Molino de Venetiis Poteſtas Paduæ. Eo tempore in feſto Sancti Jacobi de Menſe Julii D. Jacobus quondam Domini Mar- C ſilii de Carraria ſine ſtrepitu & furore aliquo, per Conſilia & reformationes factas per Commune Paduæ, factus fuit Capitaneus, & Dominus Generalis Civitatis Paduæ.

1319.

D. Marcus Gradanico de Venetiis Poteſtas Paduæ. Eo tempore 1319. die V. Menſis Auguſti Dominus Canis de la Scala cum magno exercitu ſuo caſtramentatus fuit ad Pontem Baxanelli, ubi Caſtrum unum conſtituit, & obſedit graviter Civitatem Paduæ ultra annum.

D. Altinerius de Azonibus de Tervixio Poteſtas Paduæ. Eo tempore in feſto Sanctorum Hermacoræ & Fortunati, die XII. Julii, fuit D ſconfictus Dominus Simon Philippus Capitaneus in Caſtro Baxanelli, & captus per Paduanos, qui vocabatur Poteſtas Paduanorum Extrinſecorum cum multis bonis equitibus & peditibus Domini Canis, ſuper Stratam de Pontecurvo, & hoc fuit initium caſus ipſius Domini Canis.

1320.

D. Nigrexolus de Anſoldis de Cremona Poteſtas Paduæ, & fuit Doctor Legum. Eo tempore 1320. die XVI. Auguſti debellatus & fugatus fuit Dominus Canis cum omnibus ſuis per gentes Dominorum Comitis Goritiæ, & Henrici de Valſe, & Paduanos; & deſtructum fuit Caſtrum Baxanelli, & ſtetit Domi- E nus Nigrexolus tamquam Vicarius Domini de Valſe uſque ad Calendas Novembris, & poſtea fuit Poteſtas per ſex Menſes.

1321.

D. Gerardus de la Macla de Tervixio Poteſtas Paduæ.

1322.

D. Thebaldus de Caſtronovo de Peruſio Poteſtas Paduæ, & ſtetit in Regimine per annum unum.

1323.

D. Altinerius de Azonibus de Tervixio Poteſtas Paduæ.

1314.

D. Raynaldus de Zineis de Cæſena Poteſtas Paduæ. Eo tempore Henricus Carintiæ Dux, & Comes Goritiæ, & Vicarius Paduæ Domini Frederici Ducis Auſtriæ, & Romani Regis, venit Paduam cum potenti exercitu, & obſedit Terram Montis Scilicis multis diebus meſſis, & treugâ firmatâ cum Domino Cane, rediit in Carintiam.

D. Bernardus de Caxerio Poteſtas Paduæ.

1315.

D. Pulio de Bechadellis de Bononia Poteſtas Paduæ. Hic tractatu facto cum Jacomatio Socio & milite ſuo, Domino Abbate Sanctæ Juſtinæ de Padua, Domino Johanne de Bronzola de Plebe Sancti Proſdocimi, qui ſe nominabat de Domo Campi Sancti Petri, Paulum Dentem de Lemiciis filium naturalem D. Vitaliani cum Sequacibus ſuis circa centum, induxit inſultare plateas Communis ad deſtructionem omnium illorum de Carraria, & ſuorum Amicorùm: quod perficere non valuit. Nobilis Miles Dominus Nicolaus de Carraria cucurrit ad domum Nobilis Militis D Schinellæ de Dotis, & ipſe D. Schinella fecit eum aſcendere ſuper uno de ſuis Dextrariis, & poſtea cum Familia ſua, & omnibus illorum de Dotis ipſum ad plateas aſſociavit. Qui Paulus venit ad plateam Communis, ubi venditur bladum, & ex altera parte illi de Carraria cum ſuis. Paulus urgens equum ſuum, percuſſit Dominum Henrigetum de Capitevaccæ, & ipſum cum lancea ſtravit in terram; deinde percuſſit Ubizonem de Papafabis cum enſe in capite, ita quod dentes de ore perdidit; & in ipſo rumore fuit Dominus Marſilius de Carraria projectus ad terram, cecidit enim inter pedes in locum mirabiliter impeditum, ſed auxilio providi viri Benvenuti de Abano filii Magiſtri Petri, & aliorum ſuorum ſurrexit, jam a Lemizone Spurio fratre Pauli vulneratus in coxa; & tamen equum ſuum aſcendit ipſo Lemizone contradicente. Prædictus Dominus Schinella fuit in facie acriter vulneratus, taliter quod quatuor dentes amiſit. Nobilis & providus Miles Dominus Nicolaus de Carraria fuit lethaliter vulneratus; & volens recedere de plateis, ei providus & valens Jacobus ejus filius: *Si de Plateis receditis, numquam reverſus eritis, Revertamur ad plateas*. Et ſic reverſi fuerunt, & auxilio Jacobini de Peraga, & ſuorum peditum habuerunt victoriam. Unde urgente neceſſitate Paulus Lemizo, & Jacomatius cum ſuis terga dederunt, & iverunt extra Civitatem, & multos interfectos ex ambabus partibus dimiſerunt. Et hæc fuit cauſa, quia Paulus inſultavit plateam, quoniam Dominus Ubertinus de Carraria, & Jacobus Tartarus de Lendenaria occiderant Guillielmum Dentem legitimum fratrem ipſius Pauli, qua de cauſa erant forbanniti, & habitabant Clugiam. Qui venientes Paduam, die ..... Septembris ipſum Poteſtatem, & Vicarium occiderunt in furore Populi; & tunc ferè libri Cancellariæ Communis forbannitorum & condemnatorum, & de Communi Palatio, fuerunt dilaniati.

D Conradinus de Buchis de Brixia Poteſtas Paduæ in Calend. Octobris.

1316.

D. Bonacurſius de Rugleriis de Parma Poteſtas Paduæ in Calendis Maji.

D. Thebaldus de Caſtronovo de Peruſio Poteſtas Paduæ in medio Novembris.

1317.

D. Paxinus de Grifis Poteſtas Paduæ loco Domini Johannis patrui ſui de Grifis, qui ſolum XII. diebus ſteterat in Regimine, & ſponte receſſit; ita quod dictus D. Paxinus incepit die XII. Maji, & ſtetit uſque ad Calendas Novembris.

D. Gerardus Maurozeno de Venetiis Poteſtas Paduæ in Calendis Novembris, & poſtea confirmatus incepit ſecundum Regimen in Calend. Maji, quod non finivit, quia in Menſe Auguſti fingens ſe ire ad pauſandum, per Portam Savonarolæ receſſit, dimiſſis ſuis Judicibus, & aliquibus de ſociis & arneſiis ſuis, & ivit Venetias, nullâ prorſus cauſâ cognitâ; cui tamen reſtitutæ fuerunt arnexiæ, & datum ſalarium debitum, facta ſolutione creditoribus ſuis.

1318.

D. Grayf de Villandres de Alemannia Poteſtas Paduæ paucis diebus Auguſti, & Septembris, quia Dominus Marſilius de Carraria nepos Domini Jacobi, ſubito de communi voluntate Populi vocatus fuit Capitaneus, & Dominus Paduæ. Qui tunc poſuit Dominum Petrum de Rubeis de Parma in Poteſtatem loco D. Grayf, quem curialiter licentiavit de Padua cum omni gente ſua.

D. Petrus de Rubeis de Parma Poteſtas Paduæ. Eo tempore die VIII. Septembris in majori Conſilio Paduæ reformatum & factum fuit Statutum, quod Dominus Canis de la Scala Vicarius Generalis pro Imperio Veronæ, & Vicentiæ vocaretur, & eſſet etiam Vicarius Paduæ pro Imperio, & Dominus Generalis. Qui ſtatim die Sabbati X. dicti Menſis Septembris veniens cum ſua gente cum gaudio & honore maximo receptus, circa Tertiam intravit Civitatem.

D. Bernardus de Fruariis primo in Menſe Octobris fuit Poteſtas pro Domino Cane, qui multum bene ſuum Officium exercuit, & juſtitiam omnibus communiter fecit, & nulla gravamina imponi permiſit in Civitate, vel Diſtrictu; nam hoc receperat in Mandatis a Domino ſuo Cane, quia ipſe Dominus palam dicebat, & aperte monſtrabat, quod intendebat omnino Paduam reſtituere, & facere bonam Terram toto ſuo poſſe.

D. Bernardus prædictus ſecundò in Menſe Aprilis confirmatus ſtetit uſque ad Calendas Novembris. Eo tempore Menſe Julii Dominus Canis de la Scala cum magno exercitu ivit ad obſidendum Tervixium; ſed tractatu habito cum Domino Guezeli Avogadro, & cum aliis Intrinſecis Civitatem pacificè intravit & obtinuit, & in triduo migravit ad Dominum die Sabbati X. Auguſti in Feſto Sanctæ Mariæ Magdalenæ. Et tunc veniens ſubito in Paduam Dominus Marſilius de Carraria, congregari fecit Conſilium Civium magnum, in quo fuerunt firmati Domini Paduæ, Domini Albertus, & Martinus fratres, & nepotes dicti Domini Canis, & filii olim Domini Alboyni de la Scala. Dominavit Dominus Canis in Padua Menſes XI. & ſuper tota Marchia diebus tribus.

D. Galeottus de Madiis de Brixia Poteſtas Paduæ de Menſe Novembris. Ille non finivit ſex menſes, ſed licentiatus fuit per Dominum Albertum de Menſe Aprilis propter Proceſſum quemdam, quod facere voluit contra ſtipendiarium quemdam Theotonicum inventum ire de nocte.

1330.

D. Baylardinus de Nogarolis Poteſtas Paduæ in Kalend. Maji.

D. Baylardinus prædictus Poteſtas Paduæ in Calend. Novembris.

D. Baylardinus prædictus Poteſtas Paduæ in Calend Maji.

D. Baylardinus prædictus Poteſtas Paduæ in Calend. Novembris.

D. Thadæus de Ubertis de Florentia Poteſtas Paduæ in Calend. Maji.

D. Petrus del Meſſa de Verona Poteſtas Paduæ in Calend. Novembris. Eo tempore Legatus veniens de Curia Domini Papæ, obtinuit Ariminum, Cæſenam, Furlivium, Furlimpopulum, Faventiam, & Bononiam, Ravennam, & . . . . . Deinde volens ſubjugare Ferrariam; miſit exercitum magnum valde, & caſtramentari fecit in Burgo Sancti Georgii, erat enim Princeps exercitus Dominus Comes de Romagnach, & cum eo Dominus Sanxatus de Villa, Dominus Malateſta de Arimino, Dominus Galeotus ejus frater, & Dominus Malateſtinus ejus conſanguineus, Dominus Oſtaxius de Polenta, Dominus Franciſcus de Ordelaffis.

D. Petrus prædictus del Meſſa Poteſtas Paduæ. Eo tempore de Menſe Aprilis die Lunæ in Feſto Reſurrectionis fuit debellatus exercitus Domini Legati, qui erat in Burgo Ferrariæ. Miſerant enim Domini Raynaldus, & Obizo Marchiones fratres nuntios ſuos ad Commune Florentiæ, qui miſerunt Dominum Pinellam probum militem cum multitudine equitum. Mantuani miſerunt Dominum Boratium Comitem de Gangalandi. Dominus Azo Vicecomes de Mediolano miſit Dominum . . . qui præerat genti ſuæ. Dominus Maſtinus de la Scala miſit Dominum Bonetum de Belaviſina militem ſuum; & ſic omnes intraverunt Ferrariam. Et in die Lunæ ſupradicti feſti aciebus eorum inſtructis, & ordinatis, videlicet in prima Florentini cum Vexillo ſuo, in ſecunda Dominus Bonetus, in tertia Mediolanenſes, & Mantuani, & ſic inchoatum eſt prœlium, & mortuus fuit D. Sanxatus de Villa ab uno enſe, & vulneratus in brachio dextro. Dominus Comes fuit captus, & Domini Malateſta, Galeotus, Malateſtinus, Oſtaxius de Polenta, & Franciſcus de Ordelaphis, & alii quamplures; & magna præda, & ſpolia habuerunt Ferrarienſes; erat enim tunc in cuſtodia Legati nobilis vir Dominus Nicolaus Marchio frater prædictorum Raynaldi, & Obizonis, qui relaxatus fuit pro ipſo Domino Comite de Romagnach.

D. Petrus prædictus Poteſtas Paduæ in Calend Novembris.

D. Petrus prædictus Poteſtas Paduæ in Calend. Maji.

D. Federicus de Ubertis de Florentia Poteſtas Paduæ in Calend. Novembris.

D. Baylardinus ſupradictus Poteſtas Paduæ in Calendis Maji, & confirmatus eodem Milleſimo in Calend. Novembris.

1336.

D. Federicus ab Equis de Verona Poteſtas Paduæ in Calend. Maji, & confirmatus eodem Milleſimo in Calend. Novembris, in cujus primo regimine incepit guerra inter Commune Venetiarum, & Dominos Albertum, & Maſtinum fratres de la Scala, tunc Dominos Veronæ, Vicentiæ, & Paduæ, Tervixii . . . . . . Feltri, & Cividalis Belluni, Parmæ, & Brixiæ, A & Lucæ, & Diſtrictuum harum Civitatum, occaſione Caſtri Salinarum poſiti olim in Inſula Calcinariæ, quod reficere inceperunt prædicti Domini contra voluntatem Venetorum, quæ demum pacificata fuit per tractatus habitos plures inter partes.

D Guido Ruccius de Regio Poteſtas Paduæ in ſecundo ſuo regimine die 3. Auguſti Dominus Marſilius de Carraria accepit Civitatem Paduæ de manibus illorum de la Scala cum gente Venetiarum, & Florentinorum, exiſtente Capitaneo Domino Petro de Rubeis de Parma. Et captus fuit Dominus Albertus de la Scala per Dominos de Carraria, & poſitus in cuſtodia Communis Venetiarum, ubi ſtetit per B annum, & dimidium, & relaxatus fuit tempore Pacis. Sed in eodem Menſe Auguſti nobilis Miles Dominus Petrus de Rubeis cum gente ſua equitavit ad Caſtrum Montiſſilicis, & ipſum obſedit; & quadam die incepta fuit Scaramucia, in qua Parmenſes aliquantulum fuerunt ſuperati. Audiens hoc prædictus Dominus Petrus bene munitus aſcendit ſuper equum, & ivit verſus Caſtrum, & quando fuit juxta refoſſum Caſtri, deſcendit de equo, & evaginato gladio cœpit aſcendere ſuper refoſſum; & ſic aſcendendo, & tenendo unum pedem altum, & alterum verò baſſum, percuſſus fuit ex pluribus lanceis; una earum dirupit loricam ejus, & ipſum lethaliter vulne- C ravit; & ſic alio die migravit ad Dominum. Et deinde Dominus Ubertinus tenuit obſidium Caſtro, donec ipſum habuit excepta Rocha, quam tenuit Dominus Florinus; ſed tempore procedente reddita fuit Rocha, & Dominus Florinus fuit ſuſpenſus per gulam ad furcas, eoquia volebat fraudolenter detinere ipſam Rocham. Dominaverunt ergo Domini Albertus, & Maſtinus fratres in Marchia Tervixina ſuper omnibus Civitatibus Annos VII. Menſes XI. & diebus XXIII.

D. Marcus Cornerius de Venetiis Poteſtas Paduæ in Calend. Septembris, & ſtetit ſex Menſes.

1338.

D D. Marinus Faletro de Venetiis Poteſtas Paduæ in Calend. Martii, & ſtetit unum Annum. Eodem Anno obiit nobilis Miles Dominus Marſilius de Carraria Dominus Paduæ die XI. Menſis Martii. Dominavit enim Dominus Marſilius menſes VII. diebus VIII. Et tunc cepit dominium Dominus Ubertinus de Carraria.

D. Zaninus Cantareno de Venetiis Poteſtas Paduæ ſtetit ſex menſes, & incepit in Calend. Martii.

D. Petrus Badoarius de Venetiis Poteſtas Paduæ in Calend. Septembris.

D. Johannes Sanù de Venetiis Poteſtas Paduæ in Calend. Martii.

E D. Petrus Zeno de Venetiis Poteſtas Paduæ incepit Regimen in Calend. Septembris.

D. Petrus Zeno prædictus Poteſtas Paduæ incepit ſecundum ſuum Regimen in Calend. Martii.

D. Petrus Zeno de Venetiis prædictus Poteſtas Paduæ incepit Regimen ſuum tertium in Calend. Septembris.

D. Johannes Gradanico de Venetiis Poteſtas Paduæ in Calend. Martii.

D. Johannes prædictus incepit ſecundum ſuum regimen in Calend Septembris.

D. Johannes Gradanico prædictus incepit tertium regimen in Calend. Martii.

1344.

D. Petrus Zeno de Venetiis Poteſtas Paduæ in Calend. Septembris confirmatus in Calend. Martii in regimine, uſque ad Calend. Octobris 1344. Verumtamen ipſe perſonaliter non ſtetit in Padua, quia per ſuum Commune fuit factus Capitaneus, & miſſus contra Turchos cum X. Galeis. Sed Dominus Lomo de Gandolfis de Arimino ejus vices gerens in omnibus pro eo Regimine fecit, & bene ſe geſſit, qui poſtmodum fuit interfectus. Et Venerabilis Patriarcha Conſtantinopolitanus pro Eccleſia Romana, & multi Chriſtiani in prœlio Mireneo a multa multitudine Turchorum in ipſo prœlio ceciderunt.

1345.

D. Bernardus Juſtinianus de Venetiis Poteſtas Paduæ in Calend. Octobris demum confirmatus in Kalend. Aprilis 1345. Dominus Ubertinus de Carraria Dominus Paduæ, ſentiens ſe in extremis laborare, conſtitui fecit loco ſui per Conſilium majus Civium Paduanorum D. Marſilietum Papafava Capitaneum & Dominum Civitatis Paduæ die XXVII. Martii, & die XXIX. ejuſdem Menſis ipſe Dominus Ubertinus deceſſit. Die autem Veneris VI. Menſis Maji Jacobus de Carraria habito tractatu cum aliquibus familiaribus dicti Domini Marſilieti, eum in camera noctis tempore interfecit; & die ſequenti congregato Conſilio Civitatis Paduæ, ipſe Jacobus eligitur Capitaneus, & Dominus Paduæ. Dominavit ergo Dominus Ubertinus poſt D. Marſilium Grandem Annis VII diebus XVII. & Dominus Marſilietus Papafava diebus XLI. Eodem Anno Henricus, Nicolaus, & Franciſcus fratres de Lucio tractatum habuerunt cum quibuſdam Civibus Paduanis contra Dominum Jacobum de Carraria inſurgere, & ſe Dominos Paduæ facere; quare capti fuerunt dicti Henricus, & Franciſcus cum multis aliis; Nicolaus autem aufugit. Et in die Sancti Nicolai de Menſe Decembris fuerunt decapitati ſuper Palatio Communis Paduæ verſus Plateam Bladi prædicti Henricus, & Franciſcus: multi vero alii eorum ſequaces fuerunt diverſimode interfecti.

D. Guido de Cardinalibus de Penſauro Juriſperitus, gerens vices Poteſtatis pro dicto Domino Jacobo de Carraria exercuit Officium & Regimen Cancellariæ a Calendis Octobris dicti 1345. uſque ad Calendas Martii ſequentis 1346.

D. Johannes Dandulo de Venetiis Poteſtas Paduæ in Calendis Martii, & demum confirmatus in Calend. Septembris uſque ad Calend ſequentis Menſis Martii ſub 1347. Eodem Anno fuit Fames valida. Et 1347. Ludovicus Ungarorum Rex tranſiens per Cittadellam, Vicentiam, & Veronam, inde ivit Furlivium, & Riminum, & viriliter incepit invadere totam Apuliam, & Regnum cepiſſet, niſi maxima Mortalitas, prout inferius continetur, fuiſſet.

D. Petrus Badoarius de Venetiis Poteſtas Paduæ in Calend. Martii. Eodem Anno die Veneris XXV. Menſis Januarii, in quo eſt feſtum Converſionis Sancti Pauli, circa Veſperas fuit Terræmotus magnus per totum Orbem, cunctis videntibus & trementibus. Et die Jovis VII. Februarii veniendo ad diem Veneris circa horam primi ſomni, ſive Galli cantus, fuit Terræmotus magnus valde, & in illa die fuerunt tria Terræmota, & diebus prædictorum Terræmotuum fuit alius Terræmotus, in quo Anno mirabilia apparuerunt in aëre, terra, & mari tam in partibus Chriſtianorum, quam & aliarum Nationum non credentium Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum Crucifixum.

D. Petrus Badoarius prædictus Poteſtas Paduæ. IX. Menſis Septembris fuit Terræmotus magnus in Paduano Diſtrictu. Ludovicus Rex reverſus eſt in Apuliam, & ex inimicis factâ magnâ vindictâ, tranſiens per Veronam, & Vicentiam, & Cittadellam, ivit in partibus ſuis.

D. Zanninus Contarenus de Venetiis Poteſtas Paduæ in Calend. Menſis Septembris de 1349. uſque ad Calend. Martii de 1350.

B 1350.

D. Maphæus Contarenus de Venetiis Poteſtas Paduæ in Calend. Menſis Martii de 1350. uſque in Calend. Menſis Septembris dicti Milleſimi. Eodem Anno Dominus Guido de Bononia ſuper Mare Alemanniæ, ſive Flandriæ Presbyter Cardinalis Sanctæ Ceciliæ, Apoſtolicæ Sedis Legatus, fuit in Padua, Venetiis, & Tervixio, & inde tranſiens, ivit in Ungariam, & reverſus Paduam de Menſe Madii, Corpus Beati Antonii Confeſſoris de Ordine Minorum de loco, in quo erat, amovit, & in eo loco, in quo ad præſens eſt cum Archa ſua, honorabiliter recondidit. Inde ad Curiam Domini Papæ ad Avinionem ivit.

D. Marinus Faletro de Venetiis Poteſtas Paduæ de Menſe Septembris in Calendis de 1350. C pro duobus Regiminibus uſque ad Calendas Septembris de 1351. Eodem Anno ſcilicet 1350. die Dominico XIX. Menſis Decembris, Nobilis & egregius Dominus Dominus Jacobus de Carraria quondam nobilis Militis Domini Nicolai de Carraria poſt prandium ſtando in camera ſua, quæ vocatur Camera Neronis, ad ignem, & tenendo manum ad caminum, & calefaciendo pedem unum, a crudeliſſimo & nequiſſimo cane Guilielmo naturali & ſpurio filio Domini Jacobi magni de Carraria fuit cum uno cultello percuſſus & mortuus.

D. Zaninus Foſchari de Venetiis Poteſtas Paduæ in Calendis Septembris. Eodem Anno migravit Dominus Maſtinus de la Scala, & reD liquit filios ſuos Dominum Canem Grandem, Canem Signorem, & Paulum Alboinum, ex Domina Thaddæa olim filia Domini Jacobi Magni de Carraria, legitimos, & Frignanum Militem naturalem.

D. Zaninus prædictus Poteſtas Paduæ in Calend. Martii pro duobus Regiminibus uſque ad Calendas Martii de 1353. Eodem Milleſimo videlicet 1352. de Menſe Martii migravit Dominus Obizo Marchio de Eſte in Ferraria.

D. Omnebonum de Judicibus de Mantua V. Poteſtas in Calend. Martii de 1352. uſque in Calend. Menſis Septembris dicti Milleſimi.

D. Petrus Badoarius de Venetiis Poteſtas Paduæ in Calend. Septembris dicti Milleſimi E uſque in Calend. Martii de 1354. Facta fuit magna Liga Venetorum, Dominorum Paduæ, D. Canis Grandis de la Scala, Domini Aldrevandini Marchionis Eſtenſis Domini Ferrariæ & Mutinæ, & datum & reſtitutum fuit D. Cani Caſtrum de Brendolis, quod tenebatur per Dominos Paduæ; & Caſtrum Vigizoli, quod tenebatur per dictum Marchionem, reſtitutum fuit Dominis Paduæ.

D. Maphæus Contarenus de Venetiis Poteſtas Paduæ pro uno Regimine.

D. Marcus Contareno Cornario Poteſtas Paduæ pro duobus Regiminibus. D.

D. Marinus Mauroceno Poteſtas Paduæ pro quinque menſibus .

D. Johannes de Manfredis de Regio Poteſtas Paduæ pro VIIII. Regiminibus .

D. Johannes de Salgardis V. Poteſtas pro novem menſibus .

1 3 6 2.

D. Guelfus de Girardinis de Florentia Poteſtas Paduæ pro tribus Regiminibus .

D. Johannes Salgardus de Feltro Vice-Poteſtas Paduæ pro III. menſibus .

D. Simon de Lupis Poteſtas Paduæ pro VII. Regiminibus .

D. Anxediſius de Lojano Poteſtas Paduæ pro duobus Regiminibus .

D. Scolaro de Cavalcantibus de Florentia Poteſtas Paduæ pro tribus Regiminibus .

D. Federicus de Lavalonga de Brixia Poteſtas Paduæ pro IV. Regiminibus .

D. Corteſius de Lambertinis VicePoteſtas Paduæ de Menſe Septembris uſque ad V. Novembris .

D. Jacobus de Rangonibus de Mutina Poteſtas Paduæ pro III. Regiminibus .

D. Rizardus Comes de Sancto Bonifacio Poteſtas Paduæ pro IV. Regiminibus .

D. Rubertus de Eſculo Poteſtas Paduæ pro duobus Regiminibus, inceptis VI. Maji .

1 3 8 4.

D Marinus Memo de Venetiis Poteſtas Paduæ pro III. Regiminibus. Incepit VI. Maji.

D. Simon Lupus , & D. Valeranus Vicepoteſtates Paduæ pro uno Regimine . Inceperunt VI. Novembris . Qui Dominus Simon obiit in ſuo Regimine .

D. Andreas de Bitonio Poteſtas Paduæ pro II. Regiminibus . Incepit XIV. Maji .

D. Ugolinus de Presbyteris de Bononia Poteſtas Paduæ pro duobus Regiminibus. Incepit XIV. Maji .

1 3 8 7.

D. Jacobus de Azonibus de Tervixio Poteſtas Paduæ . Incepit XV Maji .

D. Jacobus de Azonibus de Tervixio Poteſtas Paduæ pro duobus Regiminibus. Hoc Anno Dominus Antonius de la Scala , qui dominabatur Veronæ , & Vicentiæ , perdidit Statum ſuum XVIII. Octobris .

1 3 8 8.

D. Ugolinus de Presbyteris de Bononia Poteſtas Paduæ pro uno Regimine . Hoc Anno Dominus Franciſcus de Carraria, qui dominabatur Paduæ , Tervixii , Feltræ , & Civitati Belluni , perdidit ſtatum ſuum XXV. die Novembris .

D. Ubertus de Vicecomitibus de Mediolano Poteſtas Paduæ pro uno regimine , & XXV diebus . Incepit XXIV. Decembris .

D. Guilielmus de Soardis de Pergamo Poteſtas Paduæ pro uno Regimine , & menſibus quinque . Incepit menſe Julii die XX de 1389., & finivit XIX. Junii de 1390. Hoc Anno & ſupradicta die XIX. Junii Dominus Franciſcus Junior de Carraria viriliter recuperavit Paduam cum toto Paduano Diſtrictu , excepto Baſſiano .

1 3 9 0. , & 9 1.

D. Rizardus de Sancto Bonifacio Poteſtas Paduæ pro tribus Regiminibus . Incepit X. Auguſti .

D. Jacobus Gradonico de Venetiis Poteſtas Paduæ pro III. Regiminibus. Incepit VI. Aprilis .

D. Mapheus Memo de Venetiis Poteſtas Paduæ pro III. Regiminibus . Incepit ultimo Novembris .

D. Petrus Piſano de Venetiis Poteſtas duæ pro VIII. Regiminibus . Incepit Maji .

1 3 9 9.

Poteſtate Domino Jacobo Gradenigo netiis , in partibus Hiberniæ , ubi dicebatur Beatam Mariam apparuiſſe cuidam Ruſtico aranti , & recepiſſe ſic fieri debere ad evitandum Peſtilentias & Guerras , quæ tunc plurimum imminebant , incepit quædam Devotio , quod homines & mulieres induebantur pannis lineis albis & longis uſque in terram , ac incedebant terni & terni capitibus & faciebus cum faciolis honeſtiſſimè coopertis . Mulieres verò ut cognoſcerentur a maſculis , portabant ſuper capite unam Crucem de panno rubeo. Regula vero eorum talis erat . Primo quod quilibet deberet devotè integrè confiteri ; & ſi alicui offendiſſet , debebat ei petere veniam; & ſi ab aliquo fuiſſet offenſus, debebat ei parcere ; & reſtituere male ablatum , ſi poſſet , & ſi non poſſet , habere ſaltem bonam voluntatem Et per novem dies ibant taliter induti inſimul per Civitates , Caſtra , & Villas , intrando Eccleſias ad minus tres in die , cantando alta voce Devotiones devotiſſimas in honorem Crucifixi, & Beatæ Mariæ . Et quando attingebant ad aliquam Eccleſiam, vel ad aliquam viam , omnes ſe projiciebant in terra , & alta voce clamabant *Miſericordia* , *Miſericordia* , *Miſericordia* . Similiter quando Corpus Domini per Presbyterum elevabatur , clamabant ter *Miſericordia* . Ac etiam ſupradictis novem diebus faciebant vitam Quadrageſimalem , & non debebant dormire in lecto, nec exſpoliare die ac nocte ſupradictum habitum . Multi etiam ibant pedibus excalceatis . Expletis autem novem diebus, mittebant Ambaxiatores aliquos ex eis ſic indutos ad Civitates eis proximiores , rogando ex parte Beatæ-Virginis , & Societatis Albæ , quod vellent facere ſupradictam Devotionem ; & numquam auditum fuit , quod in aliquo loco habuerint repulſam . Immo ubique benigne recipiebantur , & rogabantur , quod ibi permanerent ad eos docendum Regulam & modum ſervandum ; excepto in Venetiis , ubi turpiter fuerunt licentiati . Supradicta autem Devotio de Hibernia venit ad Angliam , deinde in Franciam , poſtea in Pedemontium , deinde Januam, & in Lombardiam, in Tuſciam, Romam , Ducatum Apuliæ , Marchiam Anconitanam , in Romandiolam , Bononiam , Ferrariam . Et in omnibus ſupradictis locis factæ fuerunt infinitæ Paces & Concordiæ, & præcipuè inter Guelfos & Gibellinos , & inter multos alios mortales inimicos , qui ſibi ad invicem occiderunt patres , fratres , & filios , ac etiam alios propinquos ; ex quo omnes clara voce dicebant illud proceſſiſſe ex divina voluntate . Die autem XXIV. Septembris ſupradicti Milleſimi Oratores dictæ Albæ Societatis venientes de Ferraria , cum Dei auxilio Paduam applicuerunt ; quibus obviam uſque ad Baxanellum extra Portam Sanctæ Crucis iverunt totus Clerus , & quaſi totus Populus Paduanus , & cum maxima devotione introducti fuerunt , ipſis cantantibus unam Orationem , quæ incipit : *Stabat Mater doloroſa* &c. Die verò ſequenti , & ſucceſſivè omnibus diebus prædicabant , aut ſuper Platea Domini , aut ſuper Palatio Communis Paduæ , ubi redditur jus , inſtruendo Populum de ſupradicta Regula ,

la, & de multis Miraculis, quæ quotidie apparebant in multis locis Italiæ, dum ſupradictæ Proceſſiones fierent. Nam verè multa miracula etiam in Padua tunc temporis apparuerunt, quæ ſcribere nimis longum eſſet. Interim autem ita placuit Civibus Paduanis dicta Societas Alba, quod in paucis diebus intraverunt eam omnes Milites, omnes Nobiles, omnes Mercatores, & quaſi totus Populus Paduanus, & quaſi omnes Dominæ, ac etiam Epiſcopus cum Clero Paduano cum maxima devotione. Et die penultima Septembris incepta fuit fieri Proceſſio per Civitatem, & extra. Homines verò ibant ſeparati a Mulieribus cum tanto ordine ac humilitate, quod per illos novem dies non fuit auditum, quod facta fuerit una inhoneſtitas, nec una rixa. Et multi pueri ætatis anni unius, & ab inde infra, ad ipſas Proceſſiones portabantur induti de Albo, quorum nullus umquam auditus fuit plorare, donec Proceſſiones fiebant. Et durabant ipſæ Proceſſiones communiter ab Aurora diei uſque ad duas horas poſt Nonam. Intravit etiam hanc Regulam Magnificus Dominus Franciſcus de Carraria cum ejus filiis & uxore, qui tunc dominabatur Paduæ & Paduano Diſtrictui. In ſumma tot intraverunt, quod numerati fuerunt viginti tria millia & ſex centum. Finitis novem diebus, unus Magiſter in ſacra Pagina prædicavit ſuper Prato Vallis, ubi mirabile videbatur videre tot de Albo uno eodem habitu indutos. Effectus Prædicationis fuit hortari homines & Dominas de devotione, quam fecerant, & rogare eos, quod pro tempore futuro vellent a peccatis abſtinere. Similis devotio poſtea facta fuit per Caſtra omnia, & per omnes Villas Paduani Diſtrictus, & intantum placuit omnibus iſta devotio, & talis habitus, quod in Padua factæ fuerunt ſex Frataleæ de dicto habitu, quarum quælibet unâ Dominicâ ibat per Paduam intrando omnes Eccleſias; & aliâ Dominicâ alia Fratalea, & ſic ſucceſſivè. Multi fuerunt, qui dum viderunt ſe in caſu mortis, ordinabant dum mortui forent, ſe portari indutos de Albo, & ab de Albo indutis; quod quidem erat maxima compaſſio ad videndum. Et multi etiam fuerunt, qui ipſum Habitum portaverunt ultra menſem unum, intrando quotidie Eccleſias in Padua, & in Paduano Diſtrictu; & præcipuè ad Sanctam Mariam de Lugo omnes illo anno cum maxima devotione ibant.

MCCCLXXV.

Terræ infraſcriptæ erant ſubditæ Romanæ Eccleſiæ; omnes infra unum menſem voce populi ſpontanea rebellaverunt dictæ Eccleſiæ: quod omnibus mirabile viſum fuit. Primo Viterbum, Toſchanella, Amelia, Urbsvetus, Bagnum Regium, Cornetum, Orti, Monteflaſcho, Aquapendente, Radicofani, Civitas Caſtellæ, Eugubium, Nuceria, Gualdum, Cagli, Orbinum, Caſtrumdurans, Sanctum Angelum in Vado, Marchatellum, & omnes aliæ Terræ de Maſſa Trebara, Fabrianum, Saxumferratum, Narni, Peruſium cum toto Comitatu, Cluxium, Caſtrum Plebis, Rontana, Calamelium, Mudiliana, Fornazanum, Forlivium, Meldula, Brexegella, Caſtiglionum, tota Provincia Galiadæ cum multis Caſtris, Cexena, Bononia, Firmum.

F I N I S.

INSTRUMENTUM PACIS
A FRATRE JOHANNE VICENTINO
ORD. PRÆD.
INITA IN AGRO VERONENSI

INTER

GUELFOS ET GUIBELLINOS
CORAM POPULIS COMPLURIUM CIVITATUM,
ANNO CH. MCCXXXIII.

INSTRUMENTUM PACIS
INTER
GUELFOS, ET GUIBELLINOS.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti a Nativitate ejuſdem Milleſimo ducenteſimo trigeſimo tertio, Indictione Sexta: Domino Friderico Imperatore regnante, die Lunæ quarto Kalendas Septembris: in Campanea Veronæ verſus Mantuam, juxta fluvium Ateſis longe a civitate Veronæ per tria miliaria vel circa: Ubi namque aderant civitates Veronæ, Mantuæ, Brixiæ, Paduæ, & Vincentiæ cum Carociis, & Tarviſiani, Veneti, Bononienſes, Ferrarienſes, & de diverſis partibus in maxima quantitate gentium cum Inſignis & Vexillis, præſentibus teſtibus Dominis Jacobo Veronenſi, Fratre Gualla Brixienſi, Guidotto Mantuano, Henrico Bononienſe, Guillielmo Mutinenſe, Nicolao Regienſe, Tiſio Tarviſino, Manfredo Vincentino, & Nicolao Padoano, Epiſcopis: Tancredo Bononienſe Archidiacono, Fratre Bartholomeo Priore Fratrum Prædicatorum de Verona, Fratre Jacobo de Bononia, Fratre Guidone de Parma, Fratre Suſinello de Padua ejuſdem Ordinis: Dominis Uberto Vicecomite Bononienſe, Petro Aluſerii Tarviſino, Arditione Advocato Paduano, Henrico Becaldi de Rivolis Vincentino, Jacobo de Terzago Brixienſe, & Joanne Bochax Ferrarienſe, Poteſtatibus: Domino Jordino Sancti Benedicti de Padua, & Girardo de Gananſis de Padua. Cum quæſtio & diſcordia verteretur de multis, & guerra fuiſſet hactenus a multis retro temporibus inter Dominum Rizardum Comitem de Sancto Bonifatio, & partem ejus ex una parte, & quatuor viginti, & Monticulos ex parte altera, & cum utraque Pars compromiſiſſet in me Fratrem Joannem Vincentinum de Ordine Fratrum Prædicatorum tamquam in Arbitrum, Arbitratorem, & amicabilem Compoſitorem, & meis mandatis in omnibus ſtare juraſſent, Compromiſſo, ſeu promiſſione vallata ſub pœna mille Marcharum auri pro Parte & pro quolibet Principe, & ſub pœna mille Marcharum argenti pro quolibet Milite, ſicut apparet Inſtromento facto per Girardum de Tramonte, Notarium Paduanum: Ego Frater Joannes Vincentinus de Ordine Fratrum Prædicatorum, primo Divina Gratia invocata ex parte Redemptoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, & auctoritate Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Domini Gregorii Papæ excommunico, maledico, & anathematizo & trado Diabolo Sathanæ omnes contradictores & violatores Pacis, quam ſuper prædictis, & inter prædictos promulgavero & pronuntiavero. Et ſequenter pronuntio & promulgo, arbitror, & ſentio ſicut Arbiter, Arbitrator, & amicabilis Compoſitor plenariam remiſſionem de omnibus damnis datis, injuriis & contumeliis, tam in perſonis, quam in rebus & juribus, ut ita loquar ab una parte in aliam, & converſo, ab una perſona vel pluribus in unum perſonam alterius partis, vel plures, vel in unam jus alterius partis, vel plura: & de his omnibus &

A conſimilibus pronuntio, arbitror, & ſtatuo firmam pacem inter omnes fieri, eſſe, & in perpetuum inviolabiliter obſervari, & ut ipſi per ſuos ita faciant obſervari & conſervari, nec aliquo modo, vel ingenio, ſeu fraude facient, vel procurent, aut ſuo poſſe permittant ut alia pars offendatur, vel aliquis alterius partis, vel favore ipſius partis in rebus ſive perſonis, vel alio quovis modo occaſione prædictæ Guerræ: Item volo & mando, ut Comes cum ſua parte, tam de Civitate, quam de Villis ad ſua loca revertantur libere ac ſecure, de quibus propter guerram exiverunt, ſive de Civitate ſive de diſtrictu: Item præcipio ſub pœna Sacramenti, quod illi qui ſteterunt in Civitate & in Villis nullam injuriam inferant illis, qui revertentur,
B ſed tamquam fratres eos benigne ac pacifice recipiant, atque tractent: Item præcipio per aſperſionem Sanguinis Domini mei Jeſu Chriſti ſub atteſtatione Divini Judicii, & ſub ejus maledictione atque mea, utramque Partem, & ſingulos de ipſa, & in remiſſionem omnium peccatorum injungo, ut omnem injuriam ſibi ad invicem factam verbo vel facto, de puro corde remittant, omne odium & omnem rancorem de ſuis cordibus expellentes: Quæ quidem partes incontinenti ſibi invicem remiſerunt omnia ſupradicta, ut dictum eſt, ſtipulatione præmiſſa: Item decerno, volo, & diſtricte præcipiendo mando, ut quicumque de Parte alterutra in Civitate vel extra occaſione hujus guerræ poſſeſſionem ſuam vel quaſi dimiſit:
C Item ſi rem quamcumque mobilem, vel ſe moventem ad ipſum abſque difficultate & contradictione alicujus revertantur, & ipſam rem habeant cum effectu: Ita tamen quod nulli ex hoc in petitorio, vel poſſeſſorio præjuditium generetur, non obſtante occupatione, adjudicatione, ſive deſignatione per quamcumque Perſonam privatam, ſeu publicam, ſive per Commune tempore guerræ factam, ſalvis omnibus actionibus & juribus utrique Parti nunc competentibus in omnibus poſſeſſionibus aliis vendicandis, ſive procernendis, quas aliquo tempore perdiderunt: De damnis vero ab utraque parte factis & datis poſt Treguam meam ſub debito juramenti diſtricte præcipiendo præcipio ut reſtituatur hinc inde, tamen ab alterutra
D partium nulla propter hoc ſumatur vindicta, ſed pro reſtitutione obtinenda recurratur ad illos, quos ſuper hoc duxero deputandos: De damnis tempore guerrarum datis nihil definio ad præſens, ſed meæ poteſtati & arbitrio reſervo: Item dico & præcipio de debitis pecuniariis ex cauſa mutui vel quaſi mutui factis non fiat jus, vel reddatur, niſi prout ego meo conſilio diſpoſuero plus vel minus ſecundum meam voluntatem: Item volo & jubeo, quod omnes condemnationes non exactæ vel ſolutæ, & banna uſque ad tempus treguæ meæ, quocumque tempore, ante etiam a centum annis facta, irrita penitus ſint & caſſa, & ipſa infringo & caſſo; & præcipio quod omnes

omnes banniti de libro bannitorum extrahantur, qui poſiti ſunt ante tempus treguæ prædictæ: De damnis autem datis Epiſcopatui Veronenſi & aliis Eccleſiis ab utraque parte, meo arbitrio reſervo: Item laudo & præcipio, quod omnes Daiæ, Collectæ, atque Taleæ hactenus impoſitæ, quæ exactæ non ſunt, caſſæ ſint, & hactenus non exigantur ſine mea licentia ſpeciali, vel ejus cui delaxavero: Item colligationes & conjurationes huic Paci contrarias ab utraque parte factas & faciendas caſſo penitus & damno, pronuntians illos, qui ſe talibus Sacramentis aſtrinxerunt aliquatenus, non teneri, & pronuntio ut ad invicem ſe abſolvant: Et hæc omnia laudo pronuntio atque præcipio in perpetuum in ſingulis capitulis obſervari ſub pœna & in pœna mille Marcharum auri & ſub maledictione Domini mei Jeſu Chriſti, atque meâ factâ contra violatores pacis & contradictores mandatorum meorum. Ut autem Pax iſta Deo auctore promota ipſo adjuvante remaneat inconcuſſa, pro ipſa fulcienda pœnas duxi contra violatores, & perturbatores ipſi merito apponendas. Ex parte igitur Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Apoſtolorum Petri & Pauli maledico, excommunico, anathematizo illam partem, vel illos, ſive illum de alterutra partium, qui hanc pacem non ſuſceperint, & mandata mea, & pro ea factis non paruerint, vel non ſervaverint, vel dictam pacem violaverint, aut turbaverint, ſeu quovis modo contravenerint, partem aliquam, vel aliquem de ipſa in rebus vel perſonis per dolum vel violentiam graviter offendendo: cui ſententiæ volo ſubjacere omnes, qui violatoribus & turbatoribus hujus pacis dederint in hoc auxilium, conſilium, vel favorem, in qua ſententia volo etiam comprehendi circumvicinarum Poteſtates, & Conſilia Civitatum . . . . . vel in unam alterius partis vel plures . . . . . . ſed ſit res in eo ſtatu, quo erat ante per octo dies, quod occaſione prædicta eam taliter dimiſiſſet.

Ego Bonifatius Regalis Aulæ Notarius qu. Aſpectati filius Mutinenſis Civis, & nunc Notarius dicti Fratris, prædictis omnibus interfui una cum Griardo de Tramonte Paduano, & Jacobino Gratioli de Bononia Notariis, & juſſu prædicti Fratris ejuſdem tenoris cum eidem plura Inſtrumenta ſcripſi, & ſuperius correxi, & emendavi, vel in unam ac etiam, & alibi, ſed ſic res eſt.

Ego Bon-riprandus de Spitiariis Notarius D. Regis Federici auctenticum hujus exempli vidi, & legi, & ut in eo continebatur, ita in hoc legitur exemplo, nihil per me juncto, nec diminuto præter litteras vel ſillabas, ſeu ſigna, pro quo ſenſum vel ſententiam mutet in aliquo, rogatus ſcripſi.

FINIS.

FINITO DI STAMPARE IN BOLOGNA NEL LUGLIO 1966
PRESSO LA CASA EDITRICE ARNALDO FORNI

:iquitates 29462 .

Muratori, L.A. - Antiquitates
italicae medii aevi.

v. 4

PONTIFICAL INSTITUTE
OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK
TORONTO 5. CANADA

- 29462